

IN

ROMANAS ET GRÆCAS
GRÆVII ET GRONOVII
ANTIQUITATES
NOVA
SUPPLEMENTA.
TOMUS II.

UTRIUSQUE
THESAURI
ANTIQUITATUM ROMANARUM GRÆCARUMQUE
NOVA
SUPPLEMENTA
CONGESTA
AB
JOANNE POLENO.
VOLUMEN SECUNDUM.



Io. Bapta. Tiepolo In. *Petrus Monaco Sculp.*

VENETIIS,

Typis Jo: BAPTISTÆ PASQUALI.

M. DCC. XXXVII.

SUPERIORUM PERMISSU.

NOI REFORMATORI
DELLO STUDIO DI PADOA.

HAvendo veduto per la fede di Revisione, & Approbatione del P. F. Paolo Tommaso Manuelli Inquisitore nel Libro intitolati : *Utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque nova Supplementa Tom. II.* non v' esser cos' alcuna contro la Santa Fede Cattolica ; & parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Prencipi , & buoni Costumi, concedemo Licenza a Gio: Battista Pasquali Stampadore, che possi esser stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, & presentando le solite copie alle Pubbliche Librarie di Venezia , & di Padoa.

Dat. 14. Maggio 1737.

(Gio: Francesco Morosini Kav. Ref.
(
(Pietro Grimani Kav. Proc. Ref.

Agostino Gadaldini Segretario.

LECTORI BENEVOLO

S. P. D.

JOANNES POLENUS.

CUM in ſingulis propemodum ſcribendi generibus vel plures Auctores extiterint, qui præcepta idonea proponentes, certumque in ordinem digerentes, viam rationemque præmonſtrarint, quæ in ſcribendo errare non ſinat; mirari ſubit, in tanto Scriptorum numero ad hoc tempus neminem (quod ſciam) fuiſſe, qui peculiarem ſolidamve de Præfationibus in eos, qui edendi ſunt, Libros, componendis inſtitutionem ſuſciperet, remque hanc ad artem redigeret. Quo factum eſt, ut ad priorem Præfationem ſcribendam cum aliorum præcepta incaſſum quæſiviſſem, neceſſario me ad exempla converterim; & in iis, quæ tres, in primis Clari & Docti Viri, qui in hoc negotio me præceſſerant, in ſuos quiſque Auctores præfati erant, præcipua quædam quaſi capita animadverterim, ſi rationem ſpectes, maxime probanda, ſi utilitatem, non minus optanda, quæ ſcribenti mihi ad imitandum proponerem. Ea nunc quanto magis recogito, tanto magis in prima illa confirmor ſententia, ut inter utiliores, atque adeo ferme neceſſarias partes Præfationum (earum præſertim, quæ ejus generis Operibus præfigendæ ſint, cujus illud eſt, quod in manibus habeo) duo ſint præcipue ponenda. Alterum, ut aliquid de Scriptoribus, quorum in Libros præfandum eſt; alterum, ut nonnulla item de argumento & ratione eorundem Librorum prænotentur. Neque vero hæc impediunt, quominus quidpiam aliud (ut ſemel iterumque alias indicatum eſt) adjiciatur, ſi id fructuoſa aliqua occaſio, aut prompta aliqua utilitas, apte inferendum eſſe, penitus perſuadeant.

II. Hæc igitur, quæ propoſuimus, ſpectantes, initium ducemus ab Viro illuſtri (cujus opus hoc in Volumine primum occurrit) Gisberto Cupero. Natus is eſt in *Geldria* anno æræ vulgaris 1644. Ætate prima pluribus variiſque ſcientiis operam dedit: at adulta ætate litteras dumtaxat humaniores colere inſtituit, eaſdemque in deliciis ſemper habuit. Annos natus vigintiquatuor Daventriæ Hiſtoriam profitebatur, ſed non multo poſt in Reipublicæ Daventrienſis adminiſtratione verſari cœpit, ac muneribus *Conſulis & Camerarii* functus eſt: præterea vero in *Senatum Ordinum Belgii Fœderati* fuit conſcriptus. Plura publica negotia adminiſtravit, quæ eidem haud levem gloriam pepererе. Plura edidit Opera, *præter profundam omnium antiquitatum peritiam, criticem eruditiſſimam indicantia*: propter quæ *Regiæ Academiæ Inſcriptionum & Bonarum Litterarum Sociis* adjunctus eſt. E vita migravit an. 1716.

III. Summi hujus viri *Exercitationes duas* (ante eam diem ineditas) *de Elephantis obviis in nummis*, Alb. Henr. Salengrius principio tertii ſui Voluminis exhibuit; unde non exiguam laudem eſt conſecutus: nos quoque in hoc Volumine primum locum tribuimus ejus *Commentario*

(qui prodierat Amſtelodami, an. 1683.) *de Apotheoſi Homeri*. Nimirum illius viri, in cujus honorem nummi percuſſi, ſtatuæ poſitæ, templa erecta fuere: nec ullum quidem Poetam tot laudibus ac Homerum, doctiſſimi quique ex omni tempore ornavere. Immo diu laude crevit, ut innuiſſe videtur Propertius (Lib. III. Elegia I. ver. 33.)

> *Nec non ille tui caſus memorator Homerus*
> *Poſteritate ſuum creſcere ſenſit opus.*

Tamque avide, vel temporibus priſcis, ejus Opera expetita fuere, ut ſemper librarii plurimi eis deſcribendis ſeſe exercuerint: quod Vitruvius noſter (in Præfatione ad Librum VII) belle expoſuit, cum narravit, Ptolemæum Regem Zoilo, *poſtulanti ut aliquid ſibi tribueretur*, reſpondiſſe; *Homerum, qui ante annos mille deceſſiſſet, ævo perpetuo multa millia hominum paſcere*. At de his ſatis: neque tamen vereor, ne mihi vitio vertatur brevis hic excurſus: licebat enim tantillum exſpatiari cum ageretur de Opere, quod ad Homerum ſpectans ſcripſit Cuperus.


IV. Huic vero ſcribendi occaſionem ſuppeditavit Athanaſius Kircherus, qui *Lapidis in Marino Agro inventi, Apotheoſim Homeri exprimentis, Interpretationem*, & picturam æri inciſam publici juris fecit in egregio ſuo Opere, cui titulus eſt *Latium Vetus & Novum*, edito an. 1671. (hic non video cur Cuperus, pag. 28. B, deſignaverit annum 1658. cum ſcripſit; Marmor *æri inciſum inde anno Chriſti* MDCLVIII. *& Latio inſertum*) conjecit autem Kircherus, Marmor illud operis ſingularis, ibi repertum ubi Claudii Imperatoris villa fuit, ad Imperatorem eundem pertinuiſſe; qui, cum *ardenti ſtudio adhæreret* (Kircheri verba ſunt, pag. 87.) *Homero, & præ aſſidua lectione, ſtudiorumque fervore, Cæſareis negotiis expediendis minus ſeſe applicaret: mirum nemini videri debet, eum in villa ſua, hoc apotheoſeos Homericæ monumentum marmori inciſum, ad ſuam de Homero Semideo conceptam exiſtimationem poſteritati conteſtandam erexiſſe*.

V. At illa Kircheri interpretatione, docta quidem & erudita, quædam marmoris partes ſatis feliciter explicatæ ſunt, ſed non ita omnes. Quadam itaque integriore amplioreque luce illud marmor, *cui vetuſtas & elegantia non parum reverentiæ acquiſivit*, illuſtrari oportebat: & id lucis, egregia rerum in eodem exhibitarum explicatione, attulit eruditiſſimus Cuperus; qui præterea, ubi occaſiones ab rebus illis oblatæ ſunt, in opus ſuum alia plura, præclara doctrina atque eruditione referta, congeſſit.

VI. Finem autem explicationi marmoris prope facturus narrat, ſe Ezechielem Spanhemium *virum* (ipſa Gisberti verba ſunt) *maximum, & in hoc ſtudiorum genere exercitum ad miraculum uſque, conſuluiſſe*, hujuſque reſponſum affert, quo innuit Spanhemius, virum illum in ſecundo marmoris ordine ſcalptum ſibi videri Biantem Prienenſem.

VII. Tum pergit Cuperus, *ſubjiciam nonnulla, quæ notaverat Raphael Fabretti, abſque controverſia, Abbas doctiſſimus; quæ, quia mirum quantum marmor emendant & illuſtrant, omittere abſque piaculo non potui*. Eadem autem fere omnia, quæ cum Cupero communicaverat, Fabrettus induxit in ſuum *de Columna Trajani Syntagma* (pag. 346. & ſeq.) ubi principio protulit hæc: in marmoris ordine infimo ſub *priori muliebri figu-*

ra, nos rupto marmore..... ΚΟΥΜΕΝΗ, *eoque suppleto* ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ, *Terram Matrem, Cibelem, sive Rheam, plane & perspicue legimus: ipsi vero Kirchero (consentiente Spanhemio male oculato teste Diss.* V. *de Præst. & Usu Numism. pag. 489.)* ΕΥΜΕΛΙΑ *nescio unde emersit.* verba autem illa, parenthesis signis conclusa, in Cuperi & Schotti Libris nusquam apparent; sive quod ea deessent in scripto ad Cuperum misso, sive quod Cuperus ea censuerit prætermittenda, ut minus honorifica viro, cujus quidem laus, jure meritoque, excelso & illustri loco posita esset: nonnullaque deinde alia oppido utilia Fabrettus affert. Inter cetera vero scribit: *Quamobrem* totam *Homeri sedentis imaginem hic repeto, quam Tab.* III. *alteri Bellorii sociam dedi.:* at, cum hæc imago in Cuperi & Schotti Libris (nescio quam ob caussam) desideretur; eam tamen existimavi plane dignam, quæ ex commemorato Fabretti Syntagmate desumpta, visui hoc loco opportune restitueretur.



VIII. *Apotheosi vel Consecrationi Homeri* eximio illo Commentario illustratæ adjecit idem Gisbertus Cuperus elegantem *Explicationem Gemmæ Augusteæ*; cujus Gemmæ antiquissimi operis ectypum ei miserat celeberrimus idemque doctissimus vir Jo. Georgius Grævius. Hac autem explicatione habetur Gisberti sententia *de tam illustri* (ut ipse ait) *spolio vetustatis*. Ea in Gemma repræsentatur Augustus currui insidens, & fulmen tenens, nec non Livia, illisque adstant Octavia & Marcellus, vel Julia & Tiberius; de quibus non modo, verum etiam de antiquis triumphis veterum, ac de variis aliis antiquis rebus moribus-

que, multa profert Cuperus ſcitu digniſſima. Ut ergo Cuperus Tractatus ſuos quaſi in unum commiſerat; ita ego quoque inſtitutum ejus ſequor.

IX. At dum pulcherrimum hoc Antiquitatis monumentum, ab illuſtri illo viro commode ſciteque explicatum, Supplementis noſtris adjicio, nolim quiſpiam ſibi perſuadeat, cogitare me de vetuſtis Gemmis colligendis. Itemque, ubi vel de Inſcriptionibus aliquibus, vel de aliquibus Nummis Sÿntagmata aliqua Doctorum hominum in Supplementa hæc inferam, nolim reputari, me in eo eſſe, ut Inſcriptionum Nummorumque collectiones compilem. Habent iſta claſſes alias, alioſque Editores poſcunt: ut jam & de Gemmis Leonardus Auguſtinus, Jacobus de Wilde, Philippus de Stoſch, & de Inſcriptionibus Janus Gruterus, Thomas Rheineſius, Raphael Fabrettus, & de Nummis Hubertus Goltzius, Adolphus Occo, Joannes Vaillant, & alii plurimi eruditiſſimi viri in rebus ad tria genera illa pertinentibus colligendis ordinandiſque mira præſtitere. Quorum Opera tot profecto tantaque ſunt, ut de iiſdem curam & cogitationem ſuſcipere, vel Bibliothecam molienti, grave eſſet.

X. Sed paucis conſilium meum perſpicue indicabo. Cum viri docti & ſuperiore ſæculo, & noſtro extiterint, qui per cauſſam antiquæ (exempli gratia) Gemmæ, abditos quoſdam litterarum fontes aperuerint, Græcæque ac Latinæ eruditionis apparatum novis ſolidiſque obſervationibus amplificarint, paucos hos, ubi videbitur, & fieri poterit, ſeligere decrevi, noſtriſque Auctoribus accenſere: & hæc eadem de nonnullis interpretationibus vel Inſcriptionum, vel Nummorum intelligi velim. Alii tamen alia fortaſſe deſiderabunt: nec vero ipſe mihi tantum ſumo, ut ea putem allaturum me, quæ omnibus probentur. In re ancipiti (ubi dabitur optio) conabor publicum judicium & tutius ſequi.

XI. Statim vero juvabit, hæc monuiſſe; ut plane intelliget quiſque attendat indolem trium Tractatuum ejuſdem Gisberti Cuperi modo commemorandorum, quos hiſce Theſaurorum additamentis inſerui ordine eodem, ac Gisbertus illos in ſuum Volumen congeſſerat. Primo ex his titulus eſt, *Numiſmata Antiqua Explicata*. Materiam ei ſuppeditarunt Triſtanus, Patinus, Sponius, Spanhemius, Smethius, Seguinus, Vaillantius, Reineccius, Goltzius. Laborem autem hunc ſuum appellat Cuperus ſpecimen ſuarum lucubrationum; dum *nonnullis exemplis docere conatur*, multa quidem in propoſito eruditi ſtudii genere ſupereſſe illuſtranda, & doctiſſimos illos paulo ante commemoratos viros aliis quodammodo lampada tradidiſſe. Inter ceteros nummum exhibet, *qui licet ſuppoſititius & malæ notæ*, dignus tamen ei viſus eſt (num autem revera dignus eſſet, noſtrum non eſt diſceptare) ut poſt Reinerium Reineccium ederetur: pertinet is ad Artemiſiam cujus vultus in eo cernitur; in altera vero parte monumentum ſuperbum, infra quod legitur ΜΑΤΣΩΛΕΙΟΝ. Cujus Mauſolei unius ex *omnium Terrarum ſpectaculis*, duæ deſcriptiones, altera ab Plinio (Lib. XXXVI. cap. 5.) altera a Vitruvio (Lib. II. cap. 8.) litteris mandatæ, cum ad ſera tempora hæc noſtra pervenerint, neque tamen eximii illi duo Auctores in iiſdem conſenſiſſe videantur, Cuperus novo artifi-

tificioſo ſchemate rem totam ita explicavit illuſtravitque , ut ferme dixeris, eos Auctores in pleriſque partibus ædificii illius enarrandis conſenſiſſe. Sed antequam de hoc Opuſculo finem dicendi faciam , temperare mihi non poſſum, quin referam, Gisbertum noſtrum alicubi a Leonardo Auguſtino diſſenſiſſe de marmore, quo repræſentari Mercurium hic opinatus eſt, ille Antinoum; diſſenſum autem hunc moviſſe bilem doctiſſimo eruditiſſimoque viro , qui (an. 1685.) *Leonardi Auguſtini Gemmas & Sculpturas antiquas* iterum edidit, & ornavit *enarratione earum in Latinum verſa*, Præfationeque: in qua, *Contra*, ait, *innaſcetur Tibi præjudicium*, *ſi aurem dederis nonnemini* (hoc eſt Cupero, cujus verba deinde refert) *qui nuper exortus hanc ipſam ſimplicitatem turbare & neſcio quid* ἀντιφιλοδοξεῖν *ſuſtinuit in exponendo lapide undecimo partis ſecundæ;* & non multo infra, ubi Cuperi conſiderationes recenſuit, ſubdit; *An futilior conſideratio & vanior ſuſpicio dari poteſt*, *ut ubi illa quæ nominat non ſunt* , *ibi nec ſit Mercurius ? & propterea quies harum explicationum exemplo abſurdiſſimæ conjecturæ ſollicitari debuit?* At, ſi hæc de viro ſummo , de Cupero , quis facile non conjiciet , quam gravia ab hujuſmodi ſtudiis (quovis demum modo eis promovendis opera detur) pericula ſint?

XII. Alterum Opuſculum, hoc eſt , *Inſcriptiones & Marmora Antiqua expoſita & illuſtrata*, cur ediderit Cuperus, paucis principio , ſed luculenter declaravit: nimirum quia marmoreæ Figuræ & Inſcriptiones antiquæ multum ſane lucis afferre queunt plurimis veterum Auctorum locis; quod ſexcentis exemplis tam perſpicue docuere viri eruditi, ut de re hac dubitare *ſit hominis ignari plane & ab omni humanitate alieni*. Illuſtrandas Inſcriptiones Auctor noſter ex Marmoribus Oxonienſibus, ex Sponio, ex Grutero, ex Smethio, ex Cohiero, ex Reineſio, & ex nonnullis aliis ſelegit, ut penum ditaret ſuum: ubi tamen eas eruditis obſervationibus adeo proprie ornavit, ut rerum antiquarum perpolitæ explicationes aliæ ex aliis quaſi ſponte manaviſſe videantur.

XIII. Demum Collectioni illi ſuæ coronidem impoſuit Cuperus Opuſculo, quod profecto utile , præſertim antiquitatum ſtudioſis , prætermittere , per noſtrum inſtitutum , fas quidem non erat; idque inſcribitur : *Utilitas* , *quam ex Numiſmatis Principes capere poſſunt*. Hujuſmodi vero utilitatem exponens Cuperus, *ſpectatis*, ait, *tot optimorum Imperatorum*, *Regum*, *Principum*, *Legislatorum vultibus*, *quos in numiſmatis cernere eſt*, *flammam gloriæ in pectore creſcere oportet*; tum numiſmatum titulos, quibus præferuntur *Pietas*, *Providentia Deorum*, *Felicitas*, *Securitas Imperii*, *Felix Temporum Reparatio* , *Claritas Reipublicæ*, & hujuſmodi alia, ad honeſtas illuſtreſque actiones incitamento quodammodo eſſe, contendit; ſimiliaque profert non contemnenda argumenta, erudita oppido atque utilia.

XIV. Verum de commemorata hac illuſtri Cuperi Collectione antequam finem dicendi facio, notabo, ad ejuſdem extremum, ubi recenſentur *Errata*, parta ab operarum incuria, referri, inter cetera , hæc: *pag.* 296. (quæ nobis eſt 270.) *Inſcriptiones Græcæ plane corruptæ ſunt*; *nam in pleriſque vocibus* E. *pro* A. *poſitum eſt; & in una* T. *pro* Θ. Quæ animadverſio ab ipſo Cupero ſane profecta eſt; paullo infra enim

talia ſequuntur: *Mihi publicis negotiis occupato non licuit ſemper ea, quæ edita ſunt corrigere, vel quæ irrepſerant ſphalmata tollere.* Littera illa T. pro Θ. pertinebat ad vocem ΘΗΚΕ; ſed hic error in editione noſtri voluminis (pag. 270. F.) fuit emendatus. Inſcriptio (pag. eadem E.) pluries E. habet pro A, tum in Cuperi Editione, tum noſtro in Volumine; at in Sponii Libro ſcripta eſt hoc modo:

ΤΟΝΤΙΟΝ ΜΤΗΘΕΝΤΑ

ΑΦ ΕΣΤΙΑΣ ΤΑΙΝ ΘΕ

ΑΙΝ ΑΝΕΘΗΚΑΝ.

Cum prima hæc collatio quadantenus me ſollicitaſſet, pleraſque omnes Inſcriptiones, ea *Marmorum Antiquorum Expoſitione* contentas, ad exempla, ex quibus deſcriptæ fuerant, exploravi; itaque inde ortas pauculas haſce obſervationes ſubijcio. Animadverti, Inſcriptionem (pagina Cuperi 283. noſtra 261. F.) ΕΥΝΟΙΑΣ &c. a Sponio exhiberi pag. 220. non 219. Pro Inſcriptione (pag. Cup. 295. noſtra 269. E.) ΦΛΑΟΥΙΟΣ &c. Pars I. Sponii erat citanda. In Inſcriptionis (pag. Cup. 299. noſtra 272. F.) ΙΘΥΦΑΛΛΩΙ &c. penultima voce, apud Gruterum, loco X. habetur K. Inſcriptio (pag. Cup. 300. noſtra 273. C.) ΤΟΝ ΔΕ &c. non in *Indice Populorum Atticæ*, ſed pag. 225. & 226. poſt *Indicem* laudatum extat. Sed hæc, nimis fortaſſe minuta, deſeramus; & e diverticulo revertamur in viam.

XV. Poſt Syntagmata, quibus Cuperus Volumen ſuum adornaverat atque abſolverat, continuo hercle in Supplementa noſtra inferenda fuit *Homericæ Apotheoſis Nova Explanatio* (Gallice prodierat Amſtelædami, an. 1714.) quippe quæ ad Cuperi de re eadem Commentarios quoddam veluti additamentum eſſe videatur. Atque, ut in prioribus Theſaurorum Voluminibus exempla nonnulla nacti eramus Operum, quæ de Gallica, vel Italica in Latinam Linguam fuere converſa; ita *Explanationem* illam dedimus ab doctiſſimo Viro Petro Facciolo Latine redditam. Auctor ejuſdem Joannes Carolus Schottus Heidelbergenſis (ut in *Novis Litter. Lipſ. an.* 1718. legere eſt) præceptorem habuit Laurentium Begerum, cum quo erat cognatione conjunctus, Ezechielem autem Spanhemium in Legationibus ad Galliæ Regem, & ad Angliæ Regem comitatus eſt, munere fungens *Secretarii* (ut appellant) *Legationis*: quamobrem ex Begero & Spanhemio facile de Schotti præſtanti eruditione adumbratum judicium dare liceret, niſi de ea, in ejuſdem Operibus nota ac manifeſta, judicium certum ferre poſſemus. Poſtquam decem annis adverſa valetudine laboraſſet, anno 1718. ætatis ſuæ 46. ſupremum egit vitæ diem.

XVI. Principio autem Auctor noſter litterarum Abbatis Fabretti, emendati lapidis formam indicantium, exemplum, cujuſmodi in ſua ſcripta contulerat Cuperus, ſtruendis interpretationibus & conjecturis quaſi baſim poſuit & fundamentum. Deinde vero Hominum Eruditorum Interpretationes ſuis (pro re nata) animadverſionibus ornatas, ſubjecit; nimirum Athanaſii Kircheri, qui primus in ſuo *Latio* Marinenſis Marmoris figuram publici fecit juris; Gisberti Cuperi, cujus *Commentarium de Homeri Apotheoſi* & recenſuimus, & ſæpe laudavimus; Ezechielis Spanhemii, & Nicolai Hein-

sii, quorum de nonnullis illius lapidis partibus opiniones scriptis mandavit in Commentario suo (pag. 183. pag. 41. & 45.) ipse Cuperus; Joh. Rodolphi Wetstenii, in sua *Dissertatione* (pag. 152.) *de Fatis Scriptorum Homeri*; & Jacobi Gronovii referentis lapidem eundem in secundo *Antiquitatum Græcarum Volumine*, Tab. 21. cujus Gronovii explicationem cum legerem, mirum sane mihi visum est, in ea nullius ex Auctoribus, qui in eodem marmore, ante ipsum Gronovium, interpretando desudaverant, fieri mentionem. Illud tamen perspicue apparere ratus sum, quod, ubi vir doctissimus in commemoratum Thesauri Volumen & Homericæ Apotheosis schema, & suas explicationes induxerat, necessarium profecto fieret, aliorum etiam interpretationibus ditare Thesauros Antiquitatum: quinimo veritus sum, ne mihi vitio verteretur, si divitias, ab ipso Gronovio plurimi factas, cum possem, hisce non augerem partibus. Præterea vero, quando Auctores relatos ab Schotto modo jam recensui, animadvertam, in *Græca Bibliotheca* (Lib. I. cap. 25.) inter Opera eorum, qui studuere, ut vetus illud elegantissimum monumentum illustrarent, numerari etiam Laurentii Begeri *Bellum & Excidium Trojanum ex Antiquitatum reliquiis*; me tamen in toto hoc Begeri Libro nusquam propositi marmoris ullam explicationem invenisse. Insuper etiam observabo, in Gallica versione, ceteroquin eleganti, Libri nitidissimi ab Philippo de Stosch clarissimo viro & antiquarum rerum peritissimo, confecti conscriptique, cui titulus est, *Gemmæ Antiquæ Cælatæ*, marmor nostrum perperam appellari Vas: en verba ipsa: *Sur un fameux vase representant l'Apotheose d'Homere, qui se voit à Rome dans le Palais du Connétable Colonne*. In latino textu habetur *toreuma*; & quidem toreuma pro cælato vase accipi potest, verum etiam pro alio quopiam opere cælato, ut propositum marmor, quod neque vas, neque vasis simile est. Sed hæc ulterius non prosequor.

XVII. Redeo ad Schotti Dissertationem. Is, supremam eo in marmore scalptam figuram Jovis esse, ait; ex arcu, pharetra, lyra, & cortina Apollinem Delphicum, & cum eo Pythiam (hoc est Apollinis Sacerdotem) esse recognoscendam; item novem mulierum idola novem Musas esse, Apollinem circumstantes; montem Parnassum, non Olympum designari; Tripodem etiam cæteris rebus Archelaum artificem addidisse existimat; eidemque plaudit, quod una ejus opera factum sit, ut Biantis statua & iconica imagine hoc tempore non careamus. Post hæc autem ad singulas marmoris partes explicandas gradum facit Auctor noster: tum, suas explicationes quodammodo expoliendo, rem totam reddit ornatiorem. Demum de Delphici Tripodis usu, & de Engastrimythorum munere docte eruditeque edisserit, ac nonnullas Lenfantii subjicit annotationes. Hujusce Dissertationis de Homerica Apotheosi elegans sane & diligens specimen dedere (ad annum 1715.) celeberrimi illi viri, qui *Acta Eruditorum* Lipsiæ in publicum edunt. Ut etiam iisdem in *Actis* nonnulla alia specimina quorundam Librorum, quos Supplementis nostris vel inseruimus, vel destinavimus, ceu convenientes, concinnata pari elegantia facile possunt comperiri.

XVIII. Hactenus de Homeri Apotheosi, cui aliam Apotheosim

adjecimus: nimirum Commentarium (editum hoc fuerat an. 1683. Amſtelædami) quod inſcribitur, *Achates Tiberianus, ſive Gemma Cæſarea D. Auguſti Apotheoſim, Imp. Cæſar. Tiberii Auguſtæque Juliæ Domus, Seriem, & Iconas, Genteſque bello captas repræſentans: Auctore Jacobo Le Roy, Libero Barone S. R. I.* Fuit hic origine Gallus, Antuerpiæ natus an. 1633. Juvenis illuſtriores Europæ Academias inviſit; tum in Belgium reverſus, Bruxellis Magiſtratus, ejus Patri antea commiſſos, cepit, geſſitque magna cum laude. Quibus deinde ſe abdicavit, & in quodam ſuo pago prope Antuerpiam ſedem fixit. Quod ſi non feciſſet, eam quidem adipiſci potuiſſet gloriam, quæ ab excellenti rerum publicarum adminiſtratione proficiſcitur: at Litteraria (ut recte Baylius, in Lexico ſuo, ad verbum *Roy*, animadvertit) Reſpublica inde aliquod cepiſſet detrimentum; neque enim ille ſatis habuiſſet otii ad ea, quæ commentabatur, Opera elaboranda atque perficienda.

XIX. Inter hæc extat *Achates Tiberianus, ſive Gemma Cæſarea*, in Supplementa noſtra inſertus, tum merito, pro ejus præſtantia & non contemnendo momento ad ævi illius hiſtoriam juvandam; tum jure, cum Grævius jam in ſuum XI. Volumen *Alberti Rubenii pereruditam* (ut ipſe in Præfatione ait) *Diſſertationem de Gemma Tiberiana* induxerit. Nonne igitur de argumento eodem Commentatio, poſt illam accuratius elaborata, in hoſce Theſauros omnino eſt inferenda? At enim Grævius non intulit. Dicam, ſatis multas rationes Grævio fuiſſe impedimento, ne iis omnibus, quæ ceteroquin adhibuiſſet, uti poſſet. Nullus tamen dubito, quin vir eruditiſſimus, ſi data eidem fuiſſet optio, hanc Jacobi ſelegiſſet primo loco, cum illam Alberti eſſet adoptaturus.

XX. Varia Jacobus noſter ſuo in Opere profert de hujuſce Gemmæ fatis Dein de contendit, in ſuperiore Gemmæ Segmento (pag. 375.) repræſentari Deam Romam, quæ ſuis humeris quodammodo impoſitum Divum Auguſtum Cæſarem in Cælum evehat, ac *C. Julium Cæſarem pede ſuo ad tibiam ejus adducto leviter in altum attollat*; repræſentari etiam Druſum Germanicum equo alato vectum. In ſecundo, ſive medio, Segmento (pag. 379.) Tiberium Jovis habitu, eique aſſidentem Liviam, Armenium vel Armeniam, Druſum Juniorem, Livillam ejus uxorem, Antoniam Aug. Druſi uxorem, & Agrippinam cum Caligula agnoſcit. Tertio Segmento, quod imum eſt (pag 384.) qui captivi referantur, ut ipſe acute conjicit, ita erudite exponit. Præterea recenſet Gemmæ ejuſdem interpretationes olim traditas ab tribus doctis viris, Nicolao Fabricio Peireſckio, Alberto Rubenio, & Joanne Triſtano Toparcha ſancti Amandi.

XXI. Qui Triſtanus proprias protulerat conjecturas inſertas Operi ſuo primum edito (an. 1635.) titulo hoc: *Commentaire Hiſtorique contenant en abre'ge' les vies des Empereurs juſqu' à Pertinax*; quod tamen auxit duobus aliis Voluminibus (an. 1644.) ad Valentiniani tempora pertingentibus. Eruditus is fuit, ſed litigioſus, & non admodum accuratus, pluresque fovit litterarias controverſias cum Franciſco Angelonio, & cum P. Jacobo Sirmondo, qui (inter cætera) Antitriſtanum edidit an. 1650. Varia autem poſſent afferri de eodem Jo. Triſtano judicia: ſed ſufficiet, quæ unius Ezechielis Spanhemii de eodem

dem fuerit opinio, indicare. Hanc tamen antequam refero, non dissimulo, Spanhemium plures nævos in Tristani Libris observasse & notavisse, etiam in ea, quam ante oculos nunc habeo, *Dissertatione Nona de Præstantia & Usu Numismatum Antiquorum*. At ex eadem præstat describere hæc: *Neque vero* (Spanhemii verba sunt) *hoc agimus, aut ita sumus adfecti, ut quidpiam veris viri nobilis* (*de Tristano nobis hic sermo*) *ac insigniter de iis studiis meriti, laudibus detrahamus, quo nullus hac aut superiori ætate pluribus iisque selectis nummorum monumentis, hanc Romanæ historiæ suppellectilem antiquariam locupletavit hactenus, aut congestis undique litterariis subsidiis, diligenter adeo, ac operose, addam & felicissime frequenter, illustravit*. Hoc autem Spanhemii judicium simul descripsi, & simul existimavi, plane liquere, excellentium Auctorum de Gemma, D. Augusti Apotheosim repræsentante, eruditis conjecturis, optima hercle ratione, Tristani quoque cogitata fuisse conjuncta.

XXII. Operibus hisce, cognationem veluti quandam habentibus cum Opere Apotheosis a Cupero explicatæ, jam in Volumen nostrum congestis, adjecimus alia ejusdem Cuperi Opera, nimirum ejus *Harpocratem*, nec non ejus *Antiqua Monumenta*. Quid autem voluerit Cuperus, vel ipso in Libri titulo palam ita proposuit; *Harpocrates, sive Explicatio Imagunculæ argenteæ perantiquæ; quæ in figuram Harpocratis formata repræsentat Solem*: tum etiam caussam, cur *Explicationem* hanc, primum jam editam Amstelodami an. 1676. iterum ornatiorem comptioremque publica luce donaverit, in ipso Operis limine dum docet, ea utilia affert monita, quæ hic repetiisse, fortasse juvabit: *nam*, ait, *ut vulgo dici solet, dies diem docet, & vix manus extrema ejusmodi lucubrationibus accedit; quin novis, quæ quotidie pulcherrima vel e terræ visceribus eruuntur, vel gazophylaciorum liberata custodiis publicantur monumenta, magis magisque jam edita illustrari possint*. Quam belle hæc ad rem nostram aptaretur oratio, si, loco mentionis Operis illius & veterum monumentorum, mentio fieret *Thesauri Antiquitatum* ac Librorum, qui recens *publicantur*, aut *liberantur custodiis* Bibliothecarum!

XXIII. Illa Explicatione enodantur varia Ægyptiorum mysteria, quæ in proposita figura repræsentari observavit Auctor noster; qui in iisdem perspicue illustrandis, eruditione multiplici, & apta comparatione cum aliis generis ejusdem antiquitatum reliquiis, ita versatur, ut recte dixeris, eo Opere haud levem partem Ægyptiacæ Mythologiæ (pertinentis ad divinitatem, de qua eodem in opere agitur) contineri. Sed præter caussam primam renovatæ Editionis ejus Operis, alia quidem (ut opinor) extitit silentio non prætermittenda; animadversiones videlicet quædam Caroli Cæsaris Baudelotii *de Dairval* Galli, litteris oppido perpoliti, atque ab ipso Cupero merito laudati. Hic in Libris, quos edidit titulo hoc, *Utilité des Voyages*, sententiam suam de illa argentea imaguncula paullo fusius exposuit, neque tamen omnino quadrantem Cuperi Explicationi. Itaque hac in Editione, & Baudelotii sententiam (pag. 483.) retulit Cuperus, & dubitationes, quæ inde nasci videbantur, tollere fategit, quamobrem rem totam reddidit ornatiorem.

XXIV. Quod attinet ad *Monumenta Antiqua* Editioni huic secundæ *Harpocratis* adjecta, ea primum cum hac in lucem prodiere: neque

enim ante vel ab Cupero, vel ab quopiam alio vulgata fuerant; atque ideo *Inedita* sunt nuncupata. Hisce *Monumentis* exhibentur Statuæ, Inscriptiones, Nummi; omnia nova plane & ἀνέκδοτα. Quorum interpretationes tentavit Gisbertus noster, sed tamen principio professus est (pag. 533.) *habituros esse palæstram Eruditos, in qua bona fide sese exercere queant:* & quidem in hoc suum Opus multa contulit, quæ prudens ipse in medio (ut ajunt) posuit, neque certi quidpiam constituit. Sed tamen ipsas incertas dubitationes, adumbratasque conjecturas, plurimis Doctorum eruditis locis, & animadversionibus ingeniosis stipatas, si consideres, eas quoque tanto viro dignas plane comperies.

XXV. Hisce suis Elucubrationibus corollarium veluti quoddam adjecit Cuperus, nimirum Epistolam (& hac quoque nos usi sumus) Stephani *le Moine*, in qua agitur *de Melanophoris*. Scripserat ille in suo *Harpocrate* (pag. 441.) ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΣ: *hæc vox quid sibi velit, fateor me ignorare*; subditque statim, & docte quidem de more; *suspicabar tamen esse sacerdotem, qui id nomen a nigris vestibus acceperit*. Quamobrem ab Stephano petiit, ut quid de illa sentiret voce secum communicaret. En igitur origo atque argumentum Epistolæ illius, in qua censetur, *Melanophoros* non putandos esse diversos a *Pastophoris*, sive Sacerdotibus, qui thalamis vel cellis Deorum præessent, sacra curantes. Rationem nominis ex nigris vestibus derivat doctissimus Auctor; ac varia de albis & atris Sacerdotum indumentis apte contexit, ut & alia egregiam eruditionem optime olentia. Fuit enim Stephanus ille linguarum orientalium, ac Philologiæ peritia eximia clarus, & Lugduni Batavorum Theologiam professus est: quamvis enim ei patria fuerit Cadomum, post varios tamen casus, in modo commemorata Urbe consedit; in qua etiam e vita migravit, superioris sæculi anno octogesimo nono, suæ ætatis sexagesimo quarto.

XXVI. Cum vero antiqua Sacra Deorum & vetera Monumenta respexerim, dum materiam pro Volumine hoc nostro eram collecturus, facile eidem convenire posse existimavi etiam Claudii Salmasii *Explicationem* (editam Lutetiæ Parisiorum, an. 1619.) *duarum veterum Inscriptionum*, & ad quædam perantiqua *Poematia* Notas ejusdem Claudii, viri, qui in unoquoque genere eruditionis pollebat plurimum, & *qui nihil unquam* (utar Dan. Georg. Morhoffii verbis) *scripsit, in quo non insignia multa Artis Criticæ vestigia deprehendas*. Propter hæc, propter mirandam librorum, quos ille conscripsit, copiam, propter litterarias plures controversias, quas habuit, fovit, aluitque, notissimus Salmasius est. Itaque ex iis, qui melioribus litteris delectantur, plerique norunt, eum in Burgundia ortum, anno seculi decimi sexti nonagesimo tertio (ut Clementius, de quo infra commemorabo, ostendit, refellitque scribentes annum 1588.) ex Claudio Salmasio Equite & Consiliario Regio, Taliaci Domino, diu in *Academia Lugduno-Batava* Musis litasse; anno autem (teste eodem Clementio) 1552. *Spadam* profectum, ad morbum, quo conflictabatur, curandum, obiisse. Si quis plura cuperet, satisfacere ei abunde possent ampla illa *Prolegomena*, quæ *de Laudibus & Vita Salmasii* præmisit Editioni (an. 1556.) *Epistolarum Salmasii* ejusdem, vir sane diligens, Antonius Clementius.

XXVII. Duæ illæ Inſcriptiones, poſitæ olim *bonori Herodis Attici Rhetoris, & Regillæ Conjugis*, effoſſæ fuerant ac repertæ (haud multis annis antequam Salmaſius ederet hæc) tertio circiter ab Urbe milliario in Via Appia. Eas autem, male habitas, compſit atque ornavit vir doctiſſimus; & carminum iiſdem contentorum elegantiam eximiam, ac nonnullarum veterum rerum notitias in iiſdem ſervatas, verba ferme ſingula illuſtrando, optimo in lumine collocavit. *Notas* vero ad Opuſcula reliqua, nimirum *ad Doſiadæ Aras; Simmiæ Rhodii Ovum, Alas, Securim; Theocriti Fiſtulam*; referre quoque poſſumus ad rerum antiquarum explicationes; quando, eadem Opuſcula *cum iſtis Herodis & Regillæ Inſcriptionibus* ſe junxiſſe *eo libentius, quod argumentum minime ab his diſcrepans aut alienum continerent*, perſpicue in nuncupatoria Epiſtola Salmaſius ipſe profeſſus eſt.

XXVIII. Poſt hæc ad Antiquorum res Sacras nos denuo referamus oportet. Sequitur enim in noſtro Volumine *de Diis* ΠΑΡΕΔΡΟΙΣ, *ſive Adſeſſoribus & Conjunctis* (editus Hagæ Comitum, ante annos quinque) *Commentarius Georgii d' Arnaud*, qui de Philologia bene cœpit mereri admodum juvenis; cum alia quædam, ante Commentarium hunc, philologica opera in lucem protulerit, & tamen natus ſit anno 1711. *in Friſia*, ut ex *Ephemeridibus Litterariis* (Tom. XIX. pag. 381.) Hagæ Comitum prodeuntibus facile apparet. Nunc alio floret genere laudis in Academia, quæ Franecueræ eſt, jura publice interpretans. Cauſſa autem propoſiti Commentarii conſcribendi ei fuit frequens, quæ ab Græcis Auctoribus Θεῶν παρέδρων fit commemoratio. Hæc eum impulit, ut quæ ſparſa erant de Diis illis colligeret, & quaſi in unum corpus apte redigeret, hocque eruditis aliis ornamentis inſtrueret. Et, cum a veteribus Græcis plures mores, uſus, & affectiones hominibus dumtaxat convenientes, ſuis Diis affingerentur, hinc initium duxit Auctor noſter, & multa deinde cognitu digna de conſeſſibus & conjunctionibus illorum expoſuit; ac plura antiquorum loca identidem illuſtrans, totam inſtitutam rem abſolvit perpolite.

XXIX. Hæc de *Adſeſſoribus* Diis cum attigerimus, ad dicendum de *Cabiris* ordine pergemus. Commentarium enim illum duæ in noſtro Volumine excipiunt *de Diis Cabiris Diſſertationes*. Prima *Tobiæ Gutberlethi*, qui Præfectus Bibliothecæ *Franecueranæ in Friſia* fuit. Eum e vita migraſſe anno 1703. facile conjicio ex Franciſci Halmæ Epiſtola nuncupatoria *Opuſculorum* illius, data Non. Januar. 1704 in qua narratur, Gutberlethum egregie florentem, acerba morte fuiſſe interceptum; tum vero additur: *ea fuit fati vis, ut certo conſilio videatur hoc vitæ lumen extinxiſſe, ac ſi præclaro Viro nihil eſſet quod ultra ageret in hoc orbe, poſtquam illuſtris Grævius, quem unice amaverat, cujus divinum pectus religioſe ſemper coluerat, acquieviſſet*. Grævius autem abiverat ad plures III. Id Januar. an. 1703.


XXX. Ejus *Animadverſiones Philologicæ* in Smyrnenſem Inſcriptionem, editæ an. 1686. primi fuere (ut reor) eruditi fructus ab eo in publicum prolati. Quæ vero divitiis Theſauri noſtri accedit *Diſſertatio de Cabiris*, nunc tertium æneis typis deſcripta eſt: exemplar enim nobis fuit *Editio* ejuſdem *altera, manu Auctoris plurimis in locis aucta & emendata*, extans inter ejus *Opuſcula* quæ Franecueræ anno 1704. prodierunt.

Principio Auctor, in ſententiam inclinans Voſſii patris, Bocharti, & Marshami, Cabiros dictos putat ab Hebraica voce כבירי; quaſi (ut fert ipſius vocis ſignificatio) *Magni*, *Potentes*, *& Validi Dii*. Hos facit eoſdem, ac Romanorum Penates, ab Ænea in Italiam delatos: atque refert inter ipſos Cererem, Proſerpinam, Plutonem, & Mercurium; tum indicat Jovem, & Dionyſum, *prius Cabiros fuiſſe*. Addit etiam Dioſcuros Caſtorem, & Pollucem, Cabiros; atque inter eoſdem Cabiros Æſculapium etiam numeratum aliquando fuiſſe, commonſtrat. De cultu agit iiſdem tributo, ſub nominibus variis, Beryti in Phœnicia, Carrhis in Meſopotamia, in Ægypto, in Samothracia, in Lemno inſula, & alibi: ea vero loca dum recenſet, recenſionem eruditis geographicis obſervationibus ornat. Sed ſatis ſit de prima hac Diſſertatione.

XXXI. Diſſertationem alteram, Venetiis an. 1703. evulgavit Jo. Antonius Aſtorius Venetus J. C. & Ducalis D. Marci Baſilicæ Canonicus, occaſione cujuſdam monumenti, *Cabirorum* nomine inſignis, quod in nobiliſſimæ ampliſſimæque Grimanæ Familiæ ædibus aſſervatur. In ea primum, num Cabiri Penates fuerint, aut Vulcani filii, vel Dæmones, & an ex Phyſica fluxerint ratione, ut varii Antiquorum opinati ſunt, recte perpendit. Hiſce vero ſententiis exploſis, tres inde fuiſſe contendit, Athenis ab Jove Rege antiquiſſimo & Proſerpina natos, Tricopatreum, Eubuleum, & Dionyſium. Proximis ante vel poſt Ogygis Diluvium ſeculis eos floruiſſe, & orbem peragrantes, magica excoluiſſe atque incantationes, conjectat; unde *Magni*, ac *Potentes* poſtea vocati fuerint, & habiti tamquam Dii; ſicuti Zoroaſter apud Perſas, Magorumque apud Gentes alias nonnulli. Diverſa nomina ex varietate locorum, in quibus degebant, vel colebantur, illos eſſe ſortitos docere pergit, atque eoſdem fuiſſe ac *Telchines*, *Idæi*, *Dactyli*, *Curetes*, *Corybantes*. Cabirorum vocem non ἀπὸ τῦ Ghiborim Hebræorum, quod *Potentes* ſignificat, ut Hornius; ſed ἀπὸ τῦ *Caber*, quod eſt *Incantator*, deducit. Tandem de eorum myſteriis, ac ſacris, initiatione, de Idolis, & locis, in quibus divino fuere culti honore, deque certaminibus, quæ Cabiria appellabantur, multa ſubdit, oppido erudita, & apprime conducentia ad hanc veterum ſacrorum partem cognoſcendam; atque ita Auctor doctiſſimus extremam Diſſertationi ſuæ manum imponit.

XXXII. Qui Diſſertationis hujuſce exemplum, ſua manu nonnullis in locis retractatum, amice & benigne, ut ejus fert mos, nobis permiſit, quo uſi ſumus. Auctoris ejuſdem Diſſertationes duas, item philologicas, Alb. Henr. Sallengrius in Theſari ſui Volumen ſecundum jampridem induxit. Cujus in Voluminis Præfatione, hujus quoque Diſſertationis, de qua modo verba fecimus, mentionem injecit: *Elegantem*, ait, *de Diis Cabiris Diſſertationem edidit Auctor* (Aſtorius) *in quo argumento deinde etiam elaboraverunt clariſſimi Viri, Hadrianus Relandus, & Thomas Gutberlethus*: inter plurima tamen Hadriani Relandi Opera nullum de Cabiris Diis peculiarem tractatum uſquam vidi, aut commemoratum inveni.

XXXIII. Plures tamen fuere eruditi viri, qui obiter (ut ita dicam) ſpartam eandem exornaverunt, ut ab Aſtorio & Gutberletho di-



N.S.T.II PRAEF PAG. XIII.


ſcere facile poſſumus. Poſt hos vero Bernardus de Montefaucon, vir merito ſuo celeberrimus, in magnifico Opere illo, cui titulum fecit: *L'Antiquité expliquée & representée en Figures* (Tom. I. Pars II. pag. 300. & ſeqq.) de Cabiris egit articulatim atque diſtincte; at quæ protulit, pleraque ex Aſtorii fontibus derivavit; haud diſſimulans (pag. 304.) vir liberali ingenuaque doctrina ornatus, *Aſtorii opinionem circa originem Cabirorum probabilem admodum videri*. De eo igitur Opere neceſſarium non eſt plura commemorare, præſertim properanti ad ea, quæ de Cabiris Diis nuper edidit Antonius Franciſcus Gorius vir eruditiſſimus, ſuo in *Muſeo Etruſco*; in quo mira quædam, & plane recondita, antiquitatis peritia apparet.

XXXIV. Quamobrem, ad novum ornamentum adjiciendum rebus iis, quæ de Cabiris noſtro in Volumine continentur, operæ pretium me plane facturum eſſe exiſtimavi, ſi transferrem huc duas ex illius Tabulis, ad illuſtrandam hanc partem ſacrorum veterum egregie facientes, nec non earundem Tabularum explicationes. En itaque: „ In regio „ (ſcribit ille, Vol. II. pag. 140. ad Tab. LVI. quæ, *Dii Cabiri*, *ſeu Corybantes*, inſcribitur) „ Mediceo Larario ſignum ex
„ aere longe vetuſtiſſimum obſervavi, haud majus uno pede: quod
„ etſi in ipſa artis infantia, ut oculi fere clauſi indicant, ſit fabre-
„ factum; Etruſcum tamen eſſe e torque ſive ſtroppo, quo ejus col-
„ lum ornatur, atque ex opificio, manifeſte intellexi. Jam enim
„ perſpicuum eſſe puto Etruſcorum morem, qui Deos torquatos &
„ bullatos fecere. Illud ipſum profero in Tabula LVI. „ (nobis eſt Tab. A.) „ peraccurate delineatum. Toto corpore nudus eſt hic Deus,
„ præter quam in pudendis, quæ majori ſubligaculo velantur: Sub
„ dextro pede, continua aeris flatura, prominet clavus oblongus,
„ ſive mucro acuminatus, quo in terra, vel in baſi ſtatui ac figi ſo-
„ lebat, ut conſiſteret. Signa majorum Deorum Larumque, his mu-
„ cronibus ſeu verubus inſiſtentia, portatilia fuiſſe facile credam:
„ quæ vel in ſacris a ſacerdotibus Etruſcorum, velatis manibus, de-
„ ferri: peractaque pompa & ſupplicatione ſuper columellis vel in
„ compitis defigi ſolebant: quæ circa arborum etiam ramuſculos ho-
„ noris gratia adponebant. Hanc in altaribus, ſeu baſibus, ſeu co-
„ lumellis ſigna Deorum infigendi conſuetudinem, Romani ab Etru-
„ ſcis, ni fallor, accepere; ſi quidem in Vaſe Etruſco, picturis in-
„ ſigni, apud Dempſterum Tabula LXIV. videmus defixum ſtatu-
„ tumque in præalta columella ſive ara perparvum Bacchi ſimula-
„ crum, quod in Orgiis circumferri ſolemne erat: quod indicant fe-
„ minæ in eo pictæ, quæ Dionyſia celebrant.

XXXV. „ Quod vero curioſum ac maxime rarum in hoc ſimula-
„ cro, pileolus ejus capiti impoſitus eſt, tamquam fictum capilli-
„ tium: eoque ſtructuræ artificio confectus, ut e capite, ſi quis ve-
„ lit, divellere poſſit; fixus tamen in eo eſt, dimidiamque ſecti ovi
„ partem refert: qui conjecturæ meæ anſam dedit, ut unum e DIIS
„ CABIRIS, quos & DIOSCUROS adpellarunt, vetuſtorum lapidum te-
„ ſtimonio, referre ſuſpicarer. „ (Vide Gruterum pag. CCCXIX. 1. Vaillant. Numiſm. Tom. II. pag. 155. Gyraldum Hiſtor. Deor. Syntagm. 1.) „ Non enim hoc ſignum longe diverſum eſt ab imagine

„ CABIRORUM, quæ in nummis Theſſalonicenſium apud Seguinum „ (Selector. Numiſm. Cap. I. Cap. VII.) „ impreſſa cernitur: qui, ut „ diximus, Vulcani & Caberæ filii habentur: eidemque Vulcano „ eorum idola ſimilia fuiſſe Herodotus tradit. „ (Lib. III. Cap. IV.) „ Neque ab his abludit deſcriptio, quam facit Pauſanias, „ (In Laconicis Lib. III. Cap. XXIV.) „ quorundam ſigillorum, quæ apud „ Braſiatas vidit. Ita igitur inquit: Ακρα δέ έστιν ἐν ταῖς Βρασιαῖς μικρὰ, προέχουσα ἠρέμα ἐς τὴν θάλασσαν. καὶ ἐπ' αὐτῇ χαλκοῖ ποδιαίων ἑστήκασιν οὐ μείζονες πίλους ἐπὶ „ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες· οὐκ οἶδα εἰ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΥΣ σφᾶς ἢ ΚΟΡΥΒΑΝΤΑΣ νομίζουσι· τρεῖς δ' „ ὧν εἰσίν. *Eſt Braſiis parvum & molliter in mare excurrens promontorium: in* „ *eo ſigilla pileata videas ex aere, nibilo pedalibus majora: non facile dixerim* „ *DIOSCURUM an CORYBANTUM ea nominibus ſanxerint: tria certe* „ *ſunt ea figura. CABIROS DEOS* Tertullianus „ (De ſpectaculis Cap. VIII.) „ Samothracas agnoſcit: vocatque (quia tres fuere) triplici di- „ verſo nomine, *Magnos*, *Potentes*, *Valentes*: iiſdemque tres aras in Circo „ a Romanis dedicatas fuiſſe adfirmat. Hi Dii, qui & CURETES di- „ cti, omnium primi Deorum cultum & myſteria gentes docuere. „ (vide Hymnum in honorem Dioſcurum, qui Homero, vel Orpheo tribuitur) „ nec Bacchi tantum, verum etiam Cereris, quæ ex eis „ CABIRIA dicta eſt „ (vide Joannem Antonium Aſtorium in Comment. de Diis Cabiris §. IX. pag. 52.) „ Hac de cauſſa pateram dex- „ tera manu tenet: ſiniſtra propitium ac faventem ſe cultoribus „ oſtendit; quia ſacrificia libationum hominibus monſtravit. Cen- „ ſeo enim, illis Diis datam pateram, qui divinum cultum vel mon- „ ſtrarunt, vel ſacra myſteria atque initiationes inſtituerunt. „

XXXVI. Hactenus doctiſſimus vir commemorato in loco: at alia præterea habet, quæ (cum ſemel noſtram hanc rem ditare inſtituerimus) minime prætermittenda eſſe duximus. „ CABIRIA ſacra „ (pergit ille, eodem Vol. II. pag. 334. ad Tab. CLXXI. cui titulus eſt, *Sacra Cabiria*, *ſive Samothracia expiatoria*) „ a Diis, quos Samothraces „ maxima religione proſecuti ſunt, nomen ac dignitatem accepere. „ Qui autem fuerint CABIRI DII, qui in Libris Augurum Etruſco- „ rum, teſte Varrone DIVI POTES vocantur „ (Lib. IV. Ling. Lat.) „ ex dictis jam conſtare video. Horum ſacra occultaque myſteria „ adeo celebria, totoque fere orbe pervulgata fuere, ut plurimi etiam „ Heroes, inter quos Jaſon, Orpheus, Hercules, Caſtor, Pollux, „ Agamemnon, Ulyſſes aliique, iis initiari voluerint „ (vide Diodo- „ rum Siculum Lib. V.) „ credebantur enim imbuti juſtiores fieri „ & ſanctiores, & in quibuſcumque periculis præſentiſſimos habere „ Deos, & naufragio maxime eſſe prorſus immunes. Ex quibus om- „ nibus erui ratio poteſt cur in Sepulcris veterum Etruſcorum tam „ frequenter pro emblematis hi Heroes ſculpti ſint, præſertim „ Ulyſſes Sirenas prætervectus, & viri, itemque juvenes ac pueri „ iiſdem ſacris initiati, ut in hac Tab. CLXXI. „ (Nobis eſt in Tab. B. Fig. I.) „ num. II. & in ſequentibus nunc primum cernimus. Iiſdem „ religionibus myſtice imbutus memoratur etiam Tarquinius, De- „ marati Corinthi filius, qui factionem Cypſeli fugiens, Tarquiniis „ conſedit, & in Etruria eadem myſteria, jam cognita, vel inſtau- „ ravit vel amplificavit; quique Deos Penates uno templo ac tecto



N. S. T. II. PRAEF. PAG. XV.

„ colendos propoſuit ac conjunxit, ut notat Macrobius „ (Lib. III. Saturnal. Cap. IV.) „ex Varrone „ (Rerum Humanarum Lib. II.)

XXXVII. „ Quo vero ritu ac cæremoniis, & quibuſnam præſentibus hæc ſacra CABIRIA initiati perciperent, ni fallor, haud obſcure indicat inſigne Sepulcrum marmoreum, Volaterris erutum in prædiis Franceſchiniis, quod ipſe diligenter obſervavi, & me coram, ut & alia, delineari feci, quod exhibeo in Tab. CLXXI. „ (Nobis eſt in Tab. B. Fig. II.) „ num. I. Juvenis, qui initiatur, lævo genu flexus, aræ humili innititur, brevi tunica ſine manicis amictus. Pedes uſque ad genua nudos habet, capite pileum gerit, qui ſectum ovum imitatur. Dextra & ſiniſtra, quod notatu dignum, tenet rotam, compluribus radiis, forte duodecim, conſtructam, quot ſigna cæleſtia habet Zodiacus: qua etiam rota, humana ætas, & converſio ejus ad meliorem frugem, item juxta veteres Ægyptios, ut docet Plutarchus „ (In vita Numæ edit. Pariſ. pag. 69. 70.) „ poteſt deſignari. Suſpicor etiam, CABIRIIS SACRIS initiatos, antequam a Sacerdote expiarentur, peccata ſua confiteri conſueviſſe; nam hujus rei gratia ea ſacra ſuſcipiebant, ut integri vitæ ſceleriſque puri evaderent. Mos fuit vetuſtiſſimus, ut ſontes homines, ad rotam adligati, ſcelera ſua confiterentur: quem indicat Ariſtophanes in Pluto „ (Pag. 87. 43. editionis Baſil.) „ & adfert ejus verba Suidas „ (Tom. I. in voce ἐπὶ τροχοῦ. pag. 839.) „ qui notat, id etiam in proverbium tranſiſſe; nam Athenis erat rota, ad quam ſervi adligati pœnas dabant. Igitur probabile eſt, ut dixi, hujuſmodi homines initiatos, rotam tenentes, ſcelus, quo fœdati erant, palam aperuiſſe, ſeque obnoxios confeſſos eſſe, ut ita ſacræ expiationis capaces haberentur. Quod vero Myſtagogæ, quum aliquos initiarent, peccati ſaltem gravioris confeſſionem poſtularent, in Apophthegmatis oſtendit Plutarchus, ac ſimiliter in Laconicis, cujus teſtimonium adfert Lomeierus „ (De Vet. Gent. Luſtration. Cap. XXXIII.)

XXXVIII. „ Dum hæc aguntur, Antiſtita, ornata monili (jam enim ex præcedenti Tabula apertum eſt, omni cultu ornatas Etruſcas Antiſtitas ſacra miniſtraſſe) rotam e manibus ejus juvenis, qui initiatur, divellere nititur: quaſi forſitan ita oſtendat, jam habita ſcelerum confeſſione, initiationem optime promereri. Adſtat etiam non procul e Furiis una, cothurnis calceata, veſte ſuccincta, lataque zona præcincta: ipſam Antiſtitam impellens dextra; læva vero facem intentans, quaſi eum terreat, ſi peccata ſua fateri noluerit.

XXXIX. „ Ad dexteram, adprehenſis initiati capillis, irruit in eum diſtricto gladio vir nudus, qui necem non veram, ſed adparentem minitatur: non enim credibile, SACRIS CABIRIIS initiatos homines internecione deletos eſſe; ſed, ni fallor, levi vulnere percutiebantur, ut ſe, & aram quoque proprio cruore reſpergerent, atque ita criminum, quibus obnoxii erant, remiſſionem conſequerentur. Prope percuſſorem adſtat Sacerdos CABIRORUM Deorum, qui luſtrationem fieri mandat, & ſedulus obſervat. Hunc Græci *Coeen* vocabant: ad quem pertinebat luſtrare homines ſceleratos,

„ ut docet Hefychius: Κοίης Ἱερεὺς ΚΑΒΕΙΡΩΝ ὁ καθαίρων φονέα, οἷς γὰρ Κόης. Coees
„ *Sacerdos CABIRORUM*, *homicidam luftrans*; *aliis* Coes. Ex Hebreo
„ fonte *Coes*, ideft *Coben*, valet *Sacerdos*, ut oftendit vir magnus Bo-
„ chartus „ (Georg. Lib. I. Cap. XII.) „ Ex hoc vero monumento
„ intelligimus Cabirorum Sacerdotem, eorundem facrorum forfitan
„ Regem apud Etrufcos, non per fe, fed per miniftrum fuum lu-
„ ftraffe fontem hominem, five homicidam. Hi forfitan miniftri ab
„ Etrufcis CADOLI dicti funt, quorum meminit Dionyfius Halicar-
„ naffeus his verbis „ (Ant. Rom. Lib. II. pag. mihi 92.) „ Ὅσα δὲ παρὰ
„ Τυῤῥηνοῖς, καὶ ἔτι πρότερον παρὰ Πελασγοῖς, ἐτέλουν· ἐπί τε ΚΟΥΡΗΤΩΝ, καὶ Μεγάλων Θεῶν
„ ὀργιασμοῖς οἱ καλούμενοι πρὸς αὐτῶν ΚΑΔΩΛΟΙ, ταῦτα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπηρέτουν τοῖς Ἱε-
„ ρεῦσιν οἱ λεγόμενοι νῦν παρὰ Ῥωμαίων ΚΑΜΙΛΛΟΙ. *Quæ autem apud Etrufcos, ac*
„ *prius etiam apud Pelafgos, in CURETUM, & Magnorum Deorum my-*
„ *fteriis peragebant ii, qui vocabantur CADOLI; hæc minifteria eodem mo-*
„ *do Sacerdotibus præftabant, qui nunc a Romanis dicuntur CAMILLI*.
„ CURETAS eofdem ac CABIROS & CORYBANTES fuiffe jam fatis explo-
„ ratum eft „ (Vide Aftor. de Diis Cabiris §. VII. & IX.) „ Ex hoc
„ etiam Etrufco Sepulcro perfpicuum eft, qui fuerit hujus generis
„ Sacerdotum cultus: barbatus eft, & tutulum capite gerit. „

XL. Ac fingillatim de Cabiris Diis cum egerimus quidem fatis (fu-perque non dicam) nunc pauca quædam veluti univerfalia indicanda effe videntur. Porro late patet ea, quam dedit (Amftelodami 1713.) Matthæus Brouerius de Niedeck, nofque in hoc Volumen tranftulimus, *Differtatio de Populorum Veterum ac Recentiorum Adorationibus*; quippe quæ Veterum ferme omnium preces referat haud indiligenter, minimeque obfcure. Habentur in ea formulæ nonnullæ, Numinum varia cognomina & celebrationes, plura adorandi genera, plura Sacerdotum officia, multiplices invocationum fupplicationumque explicationes, & hujufmodi alia; quæ excoluit Auctor nofter, cum ei viderentur deferta. Quamobrem e re quoque noftra futurum exiftimavimus, fi curaremus, ne talis argumenti tractatio in *Antiquitatum Thefauris* fruftra quæreretur. Ceterum præter id opus, nullum aliud (quod fciam) latine edidit Brouerius. Ortus hic eft an. 1677. nobilis ejus familia ex Svecia habuerat originem; ejus vero Pater degebat Amftelodami; ante duos hofce annos mortem obiit. *In Lexici Hiftorici*, *Geographici*, &c. editi Belgica Lingua Amftelodami, an. 1725. Volumine II. (ad verbum *Brouerius a Niedieck*) plura legere eft de Auctore hoc.

XLI. Poftremus autem ex Auctoribus iis, quorum eruditæ lucubrationes fuere in fecundo hoc Volumine typis æneis defcriptæ, eft Carolus Patinus; nomen in *Antiquitatum Thefauris* minime novum; quandoquidem Gronovius in contextu Noni *Græcarum Antiquitatum* Voluminis (præter reliqua Opera) ufus eft etiam eleganti *de Numifmate antiquo Augufti & Platonis Epiftola Caroli Patini*. De hoc autem, qui noftri hujufce Gymnafii infigne fuit ornamentum, dicere paullo fufius mihi fane liceret: fed, cum ipfe de fe *in Lyceo Patavino* (pag. 77. & feqq.) plurima fcripferit, & ea vir cel. Nicolaus Comnenus Papadopolus in hujus *Gymnafii Patavini Hiftoria* (Tom. I. pag. 380.) paucioribus comprehenderit, & rurfus per hofce annos Cl. Petrus

Ni-

Niceronius (per quem alias etiam profeci) in ſuis *Commentariis pro Hiſtoria illuſtrium in Republica Litteraria Virorum* (Tom. II. pag. 214. & ſeqq.) velut inter utrumque medius Gallice perſcripſerit, nollem videri nimis actum agere. Tamen ſic habeto.

XLII. Natus eſt Carolus Patinus ex Guidone Patre, litteris itidem claro, Lutetiæ Pariſiorum (ut ipſe de ſe refert in *Lyceo*, pag. 79.) XXIII. Februarii, anno MDCXXXIII. quem iterum denotat, dum (pag. 82.) ait, *Itaque* IV. *Jul.* MDCXLVII. *poſt exactum ætatis annum* XIV. Latinis & Græcis litteris inſtructus, ad Juriſprudentiam, hortante Avunculo, ſe contulit: ſed, cum inde parum illi augendarum fortunarum ſpes affulgeret, ad Medicinam migravit; brevique tantum profecit, ut eam feliciter in magna illa ſuæ patriæ luce exercuerit, & ex publico loco ſit profeſſus. Sunt qui dicant, experimento compertum eſſe, Medica ſtudia non explere magnorum ingeniorum capacitatem: certe Patinus potiſſimam diei partem vetuſtis monumentis & eruditioni tribuebat, ut jam, inter rei Medicæ Scriptores tantum cum bonis, inter eruditos autem cum illuſtribus, cenſeatur. Fatis ita ferentibus, patriam deſeruit, variiſque luſtratis regionibus, nempe Germania, Belgio, Anglia, Italia, & Helvetiis, in hiſce, Baſileæ commoratus aliquandiu eſt, ſed tandem in Italiam reverſus, in Patavina Academia conſedit: ubi quidem primum *Cathedram*, antiquæ docendæ Medicinæ (notandum hic eſt, nonnullos varia ejus in hoc Gymnaſio munera confuſe aut imperfecte recenſuiſſe) *deſtinatam* obtinuit, anno 1676. Anno autem 1681. ad *Primariam Chirurgiæ ſedem* translatus eſt; at biennio poſt, ad *Primarium Locum Medicinæ Pract. Extr.* evectus, ex eo publice docuit ad annum uſque MDCXCIII. quo mortuus eſt, die X. Octobris; ut non modo mihi adſeveravit ſuperſtes ejus filia (de qua infra commemorabo) ſed etiam litteris proditum eſt in *Necrologio*, ut appellant, publico hujuſce Urbis. Sepultus fuit in Cathedrali Æde, ejuſque Elogium in marmor inciſum (quod nunc ob Ædis inſtaurationem amplius non conſpicitur) deſcriptum fuit a P. Mag. Jac. Salmonio in ſuis *Urbis Patavinæ Inſcriptionibus* (pag. 18.) & a Papadopolo in commemoratam *Hiſtoriam* relatum: utrobique Elogii verſus duo poſtremi ſunt hujuſmodi:

OB. AN. M. DC. XCIII. VI. X. OCT.
AETAT. SVAE AN. LIX. MENS. VIII. D. X.

Undecunque tamen errores illi numerorum manaverint (qui indicandi ſane erant, ne quemquam fallerent) attamen perſpicua nobis ſunt tempora ejus ortus, interitus, ætatiſque; ac plane liquet, eum obiiſſe (ut recte animadvertit Niceronius in allegatis *Commentariis*, Tom. X. Par. II. pag. 115.) cum ſexageſimum primum ætatis ſuæ annum ageret.

XLIII. Nonnulla edidit Opera Medica; plura tamen & præſtantiora eruditi argumenti ita ingenioſe apteque explicata, ut viri hoc in genere ſummi, quaſique parentes, Ezechiel Spanhemius, & Jacobus Sponius, Patini induſtriam litteris & carminibus celebraverint.

XLIV. Inter ejus Commentarios, publicæ luci hoc in Volumine iterum prolatos, principem obtinet locum is, qui pertinet ad *tres In-*

ſcriptiones Græcas Smyrna nuper (quod veritati tunc temporis conſentiebat) *allatas*. Porro in prima, hoc eſt in *Tryphænæ Monumento*, tamquam in illuſtri exemplo (non tamen novo, neque raro, præſertim in Smyrnenſibus Inſcriptionibus) animadvertere poſſumus, nonnullas græcas litteras forma ab conſueta aliquantillum diverſa delineatas, vel alias pro aliis ſculptas, in veteribus marmoribus aliquando reperiri. Plura etiam obſervare licet in eodem Commentario, quæ mire faciant ad antiquitates, tum ſepulcralium monumentorum, tum veterum quorundam nominum cognominumque illuſtrandas; nec non ad demonſtrandum, qui antiquiſſimo & antiquo ævo haberentur *Heroes*. Ac, ubi de tertia Inſcriptione agitur, iterum varia ſcitu digna de Lapidibus ſepulcralibus legere eſt.

XLV. Præterea vero haud ſupervacaneum fortaſſe erit animadvertere, hiſce in Commentariis Carolum noſtrum non prætermſiſſe narrationes caſuum, quibus factum fuit, ut ipſe obtineret marmora, quæ ſibi ſcribendi materiam ſuppeditabant. Noverat vir doctiſſimus quid ſit hujuſmodi reliquias antiquitatis ex aliorum fide legendo fandove cognoſcere, quid eaſdem ipſis oculis perluſtrare, quid eas etiam poſſidere. Neque tamen hic ex contrariorum ratione Patini laudes quæram: quamvis afferri huc non inopportune poſſent quorundam exempla, qui nimium fidentes narrationibus aliorum, ſimiles extiterunt iis, qui fundamento carentia extruunt ædificia.

XLVI. Sed hæc indicaviſſe ſufficiet: pergam ad *Commentarium* alterum *in Antiquum Monumentum Marcellinæ*. Principio Carolus figuras in marmore ſcalptas erudite deſcribit: tum multa affert ad dignoſcendam dignitatem quarundam Marcellarum Marcellinarumque conducentia: deinde animadvertit, etiam Fœminas ad Sacerdotium fuiſſe admiſſas: omnia enim Fœminæ miniſteria officiaque templi per certum quoddam tempus peragebant, quo præterito, ab omnibus illius miniſteriis & officiis liberatæ, *in* παλαιερῶν *claſſem promovebantur*. Occaſione poſtea ferente provocat ad Cuperi (quem jam dedimus) *Harpocratem*, nimirum ad quendam ejus locum (pag. 493.) itemque ad Stephani le Moyne Epiſtolam, quæ pariter noſtro hoc extat in Volumine. Et quoniam propoſito in monumento *Venus* nuncupatur *Urania*, quanta *fuerit Venerum multitudo* indicaturus, plurima Veneris cognomenta, per ordinem Alphabeti recenſet. Demum de *Cœleſti Cupidine* nonnulla profert.

XLVII. Commentarii hujus ſpecimini, in jam laudatis *Actis Eruditorum, quæ Lipſiæ publicantur* (an 1688. pag. 557.) edito, ſubjectæ ſunt nonnullæ conjecturæ, modeſte quidem prolatæ, ſed quæ officere nonnullis Patini interpretationibus modo aliquo poſſe videbantur. In eorundem vero *Actorum* volumine pertinente ad an. 1691. (pag. 337.) mandata eſt ſcriptis *Relatio de Literis Apologeticis Carolæ Catharinæ Patinæ, Pariſinæ, Academicæ Recuperatæ Patavio. An. 1689. Lipſiam ad Actorum Eruditorum Collectores datis*: quibus litteris eadem Carola Catharina, Caroli Patini filia (eruditionis Fœminarum illuſtre exemplum) *objectiones Patino factas refellere juſto ſtudio ſategit*.

XLVIII. Tertio Patini *Commentario*, in hoc Volumen relato, illuſtratur *Antiquum Cenotaphium Marci Artorii Medici Cæſaris Auguſti*.

Atque ante omnia, jam notum inter *Cenotaphium & Sepulcrum* diſcrimen erudite explanat exemplo Cenotaphii hujuſce Artorii, quem minime pro Antonio Muſa haberi poſſe evincit. Obſervat, hiſtorias eſſe refertas exemplis, *quibus Privati Homines a Republica*, ſeu Senatu, Populoque honorati fuere. Cum *Aſclepiadis cognomen* ſuo M. Artorio adjunctum opinetur, docet (arrepta occaſione) plures fuiſſe *Aſclepiades*, variaque ad id ex antiquis Scriptoribus refert monumenta. Nonnulla etiam proprie affert in medium de duorum nominum, *Medici*, & *Archiatri*, apud Veteres uſu.

XLVIII. Epheſina Inſcriptio, quæ apud noſtrum legitur (pag. 460.) integrior data eſt a Thoma Smitho in *Septem Aſiæ Eccleſiarum & Conſtantinopoleos Notitia* (edit. an. 1694.) ut Gutberlethus in Præfatione ad *Diſſertationem de Cabiris* indicavit. *Juxta Vetus* (Smithi verba ſunt, pag. 49.) *Caſtrum, in marmore, quod humi jacet.*

Η ΒΟΥΛΗ ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ	*Senatus Honoravit*
ΠΟΠΛΙΟΝ ΑΙΛΙΟΝ ΦΛΑ	*Publium AElium*
ΒΙΑΝΟΝ ΑΠΟΛΛΟΔΩ	*Flavianum Apollodorum*
ΡΟΝ ΑΣΠΕΝΔΙΟΝ ΦΙΛΟ	*Aſpendium Philologum*
ΛΟΓΟΝ ΤΟ ΔΕ ΜΝΗ	*Hoc Autem Monumentum*
ΜΕΙΟΝ ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ	*Struxit Publius AElius*
ΠΟΠΛΙΟΣ ΑΙΛΙΟΣ ΦΛΑ	*Flavianus Zoilus*
ΒΙΑΝΟΣ ΖΩΙΛΟΣ Ο	*Frater ejus* ::::.
ΑΔΕΛΦΟΣ ΑΥΤΟΥ ΖΗ.	


Smithus autem latinam interpretationem non adjecit: in ea, quæ adjecta hic eſt, deficit interpretatio litterarum ΖΗ, poſtremo loco poſitarum. Poſſet ibi indicari numerus aliquis *annorum*; notæ compendiariæ ibi eſſe poſſent; at non hariolabor. Ejuſdem Inſcriptionis verbum ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ diphthongo ΕΙ, non ſimplici Ι (ut debuiſſet) ſcriptum eſt: at Salmaſius in ſuo Opere, quo Volumen hoc ornatur (pag. 625. D. E.) ΕΙ pro Η, & pro Υ, in veteribus Inſcriptionibus poſitum fuiſſe, obſervavit; contra vero (pag. 654. D.) *ſcripturæ*, ait, Ι, *pro* ΕΙ, *exempla longe plurima extant in vetuſtiſſimo Gloſſarum Libro.* At de rebus hiſce, quæ variis momentis eſſent penſitandæ, plura non addam; multo enim longius proveherer, quam propoſita ratio poſtularet. Hacque eadem de cauſſa dicere haud vacat de plurimis illis Inſcriptionibus, atque de Nummis, quibus tres jam commemoratos ſuos Commentarios Patinus abunde locupletavit.

L. Sed jam de Libris ſingulis, congeſtis in Volumen hoc, ſatis (ut videmur) multa diximus; ea vero tu, Candide Lector, qualiacumque ſint, certe tamen animo optimo oblata, tanquam ſtrenam, benigne accipito. Vale.

Patavii, Calendis Januariis. CIↃ IↃ CCXXXVIII.

SERIES SCRIPTORUM

Qui Secundo volumine Novorum Supplementorum utriusque Thesauri Antiquitatum Romanarum Græcarumque continentur.



ΕΥΜΕΛΙΑ ΚΙΡΟΝΟΣ ΙΛΙΑΣ ΟΔΥΣΣΕΙΑ ΟΜΗΡΟΣ ΜΥΘΟΣ ΙΣΤΟΡΙΑ ΓΟΙΗΣΙΣ ΤΡΑΓΩΔΙΑ ΚΩΜΩΔΙΑ ΦΥΣΙΣ ΑΡΕΤΗ ΜΝΗΜΗ ΓΙΣ ΓΙΣ ΣΟΦΙΑ

Insita Poesi divinitas,
Somnium hucusque Mortalibus credita,
re tandem probatur.

[illegible] Homerus in Deos [illegible]
per varios Flamines, et conferentium Ordines
Musarum tum maxime ad divinos honores
evectus.

Lapis admirabilis in Marinensi Columnensium Principum
[illegible]
[illegible]
aeterno veluti monumento
testatur.

APOTHEOSIS
VEL
CONSECRATIO HOMERI.
SIVE

Lapis antiquiſſimus in quo Poetarum Principis HOMERI Conſecratio ſculpta eſt,

COMMENTARIO ILLUSTRATUS

A

GISBERTO CUPERO.

L E C T O R I.

OCcupatione mea & publicis negotiis factum eſt, ut nunc exeat demum Commentarius in Marmor antiquum, in quo Poetarum Principis Homeri conſecrationem Archelaus Prienenſis ſtatuarius ſculpſit artificioſe. Et licet, poſtquam in Illuſtriſſimum Præpotentium Fœderatorum Belgarum Ordinum Conſeſſum delegatus ſum, vix detur vacare ſtudio, cui ab ineunte adoleſcentia me dedi, tamen ut promiſſis exhiberem fidem, amicisque, quorum in poteſtate vivo, morem gererem; diutius premere non potui, quæ digeſſeram ex variis auctoribus collecta; quæque arbitrabar ſi non omnem, at ſaltem haud pœnitendam partem Lapidis eruditiſſimi illuſtratura. Non longis verborum ambagibus opus hoc commendare tibi, Lector, conabor; ſed tamen ſpero inventurum te, quæ ab aliis vel non interpretata, vel male explicata ſunt. Neque tamen præſtare velim, omnia mea ex Apollinis, ut eſt τὸ λεγόμενον, tripode profecta eſſe. Si quod enim ſtudium divinationibus & conjecturis eſt obnoxium; illud profecto eſſe, quod ab Humanitate ſtudiiſque politioribus nomen habet, fatebuntur omnes, qui non plane hoſpites in eo ſunt; maxime, quando in nummorum, gemmarum & marmorum, quæ plurima a me illuſtrantur, abſtruſum reconditumque ſenſum inquiritur. Ut autem exemplo architectorum brevi in tabella formam operis exhibeam, ecce tibi, quæ mea de tam eleganti lapide ſit ſententia. HOMERUS barba & capillo decorus, inferiorem corporis partem tectus, diademate caput cinctus, ſceptrum ſive haſtam tenens, nec non comitem habens aquilam, tamquam Novus Jupiter, inſidet monti Olympo. Hinc ſequuntur Muſæ dulci vocum concordia ejus, uti Jovis apud Heſiodum, animum demulcentes, variis veſtibus, ut tunica palliolata, χίτω, epomide, exomide, ἐπερομαχάλῳ, ſupparo, aliiſque exornatæ. Undecim numero ſunt, quia Ilias atque Odyſſea illis adſcriptæ, ſtant in antri oſtio, quemadmodum patet ex pileo, Ulyſſis ſive Odyſſeæ, atque arcu cum pharetra, Iliadis inſignibus. Prope antrum baſi inſiſtit vir pallio quadrato amictus, ſive ille ipſe ſit Homerus carmina ſua canens, ſive Linus, ſive Lycurgus, ſive Piſiſtratus, uti cenſebat Clariſſimus Heinſius, an vero Pittacus, quemadmodum Illuſtriſſimo viſum fuit Spanhemio. A tergo viri poſita eſt machina, cujus ſupremæ parti adjicitur character Ægyptiacus, vel littera, ut vocant, Tautica; qua, ſi figura hæc Homerum repræſentat, videtur notare artifex Ægypto illum oriundum eſſe, id quod nonnullos veterum memoriæ mandaſſe conſtat. Hinc aperit ſe clarior rerum ſeries, & quem modo Olympo inſidentem conſpeximus Homerum, in templo ſedet, variis Artibus ipſi ſacrum facientibus. ETMEAIA deſignat divinam carminis pangendi artem, modulationem aptam, & veteribus toties laudatum noſtriſque auribus fere incognitum rhythmum. Sed cum me illuſtriſſimus nec non eruditiſſimus Abbas Raphael Fabretti certiorem fecerit in ipſo marmore reperiri KOTMENI, & figuræ muliebri ca-

put turritum eſſe ; melius erit intelligere, Orbem terrarum teſtari, Homerum Principem eſſe Poetarum. ΧΡΟΝΟΣ ſignificat tempus mythicum uſque ad bellum Trojanum tantum extendi, atque ab eo temporum & annorum ordinem, veramque hiſtoriam initium habere; vel poeſin Homeri in omne ævum duraturam loquitur; alaſque tergo affixas habet, quia nihil tempore velocius. Hinc occurrit HOMERUS ſceptrum manu tenens; atque latera ejus cingunt ILIAS & ODYSSEA parvulis virginibus adumbratæ, quia libri Poetarum *filiæ*, θυγατέρες, κοῦραι, illique horum *parentes* ſolent appellari. ILIAS armatur *enſe* propter bella & cædes; ODYSSEA vero *apluſtre* propter errores Ulyſſis tenet. MURES prope ὑποπόδιον, chartulas rodentes, vel notant Batrachomyomachiam ab ipſo ſcriptam; vel invidos, inſtar murium corium, chartas, ſimileſque res rodentium, ejus famam vellicaſſe & laceraſſe. ΜΥΘΟΣ additur, quia fabulæ & fictiones ex ſententia plurimorum veterum proprius poeſeos character; HISTORIA, quia bellum Trojanum geſtum, & Troja deleta eſt; aliæque inſuper in utroque opere hiſtoriæ recenſentur; ΠΟΙΗΣΙΣ, quia verba ligata ſunt, & Homerus non modo Heroico carmini, verum etiam aliis omnibus originem dedit. ΜΥΘΟΣ præterea puer eſt, quia in fabulis omnia perſpici nequeunt, ſed inſtar puerorum ſemper in iis explicandis hæremus; nec non quia pueri ſacrificiis adhiberi ſolent; unde & *guttum* ſive *gutturnium* ad vinum aræ infundendum cum *patera* tenet, non ſecus ac HISTORIA ex *acerra* ſumptas micas thuris duobus primoribus digitis aræ injicit. Miræ adſtat *bos* formæ; ſed ejuſcemodi Cariam, cui Priene artificis Archelai patria vicina, gignere Plinius & alii docent. TRAGŒDIA viro, COMŒDIA muliere, id quod abſque ratione factum non eſt, repræſentata ſequuntur; quia poeta noſter Τραγικῶν ἡγεμὼν καὶ διδάσκαλος, nec non Comœdiæ πατὴρ exiſtimatus eſt; argumentaque & operis regulam ac normam Tragicis & Comicis quaſi præſcripſit. ΦΥΣΙΣ denotat ſingularem rerum naturalium cognitionem Homerum habuiſſe, naturæ fuiſſe, ut Macrobius loquitur, conſcium; & cælum, ſtellas, mare, terram, animalia, plantas additis convenientibus epithetis deſcripſiſſe diligenter; Mathematicum, Aſtronomum, Aſtrologumque eundem fuiſſe, καὶ τῶν φυσικῶν καὶ στοιχείων ἀρχηγόν. Puerilis illi habitus, quia in myſteriis illis & abſtruſis indagandis rebus, propter plurima incognita, pueri veluti & infantes ſumus, atque uti loquitur eleganter Seneca; *in veſtibulo ejus hæremus, illa arcana non promiſcue nec omnibus patent; reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt; ex quibus aliud hæc ætas, alia quæ poſt nos ſubibit, adſpiciet.* ΑΡΕΤΗ ſignificat illam Philoſophiæ partem, quæ virtutem colit & mores format, ab Homero luculenter deſcribi; quo reſpicit Horatianum illud:

> *Trojani belli ſcriptorem, maxime Lolli,*
> *Dum tu declamas Romæ, Præneſte relegi:*
> *Qui quid ſit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non*
> *Plenius ac melius Chryſippo & Crantore dicit.*

ΜΝΗΜΗ adeſt; quia belli Trojani memoriam tradit, & plurimas hiſtorias vetuſtiores, antiquitates, vocabula antiqua, nec non priſcum

loquendi ſervat characterem. Per ΠΙΣΤΙΝ intelligo Rhetorum contentionem, quam Latini *probationem* appellant; arbitrorque auctorem marmoris nos docere velle Rhetorices, artiſque bene ac ornate dicendi regulas apud Homerum inveniri. ΣΟΦΙΑ tandem agmen claudit, quia poetæ σοφοὶ vocantur, antiquiſſimique Poetæ & Muſici Philoſophi fuerunt; eorumque omnium poeta noſter σοφώτατος; ut & Philoſophorum princeps, προπάτωρ καὶ ἀρχηγὸς τοῦ Πλάτωνος καὶ Ἀριστοτέλους λόγων, & geographiæ ἀρχηγέτης; unde multi olim de Philoſophia Homerica ſcripſerunt, & philoſophi placita ſua ejus, tanquam certiſſima auctoritate, defendebant. Hinc ſequitur pars operis ſecunda; inque ea de veſtibus, quibus Muſæ, artes & diſciplinæ ornantur, de chlamyde Macedonica, Alexandriæ vera forma, diis alatis, aliiſque rebus veneres ſuas & elegantias habentibus, ago. Adjicitur *Explicatio gemmæ Auguſtæ*, in qua Auguſtus currui inſidet fulmen tenens; varia *numiſmata antiqua*; *Inſcriptiones & Marmora antiqua explicata* ſequuntur; nec non tandem UTILITAS QUAM EX NUMISMATIS PRINCIPES, ſive ſummæ Reip. admoti viri, CAPERE POSSUNT. Patientia tua, Lector, abuterer, ſi breviter tibi ob oculos ponere animum inducerem, quas res in hiſce diſſertationibus explicare aggreſſus ſim; inſpice & evolve, ſi tanti, illos; erroreſque, quos credo irrepſiſſe quamplurimos, dona homini, quem negotia patriæ & urbis occupant; vel comiter atque ut eos, qui Humanitatis ſtudia profitentur, decet, corrige & emenda. Atque ut dies diem, hora horam, ut eſt τὸ λεγόμενον, docet; ita poſt animadverti inſcriptionem, quam explico pag. 221. ita interpretari in Inſcriptionum volumine Reineſium; quæ pag. 227. de Anaxagora Philoſopho moneo, occupaſſe Joannem Pearſonium, Illuſtriſſ. & doctiſſimum virum; & tandem lapidem Græcum, qui exſtat pag. 269. ſimiliter fere explicari in Marmoribus Oxonienſibus. Monenda hæc duxi, ne quis forte exiſtimet, me ex eorum numero eſſe, qui inſtar avis Æſopiæ ſe alienis exornant plumis. Quod ſi forte aliæ explicationes, id quod facile accidere poteſt, ab aliis occupatæ ſint; jurato crede, Lector, me inſcio & ignaro illud factum eſſe. Cum autem, dum opuſcula hæc eduntur, nonnulla, quæ ut addantur digna ſunt, obſervaverim; ea, pace quod fiat tua, ſupponam. pag. 12. lin. 13. poſt *auctorem*, adde, Propertius per excellentiam, *primum*: pag. 24. lin. 8. poſt ἄειδε: Quo pertinet Pauſaniam narrare in Bœoticis apud Thebanos Heſiodi ſtatuam ſedentem genibus citharam ſuſtinere. Nam cum illa non fuerit οἰκεῖον Poetæ φόρημα, atque ad lauri ramum cecinerit, patet non obſcure, heroica carmina ad lyram vel citharam fuiſſe decantata. pag. 27. lin. 36. poſt *neque enim*: cum Viro antiquitatis peritiſſimo capite nono Hiſtoriæ numiſmatum comminiſci debemus hoc ex loco, vicum vel oppidum, quod Homeri nomine vel Homereium vocabatur, quodque utebatur pecunia, cui poetæ vultus & nomen erat inditum; neque. pag. 38. lin. 64. poſt *diſtinctæ*: Operæ tamen pretium erit inſpicere ſarcophagum marmoreum in villa Matthæi Romæ exſtantem; & exhibitum a Jacobo Sponio in Miſcellaneis Eruditæ Antiquitatis, in quo novem Muſæ cum ſuis inſignibus expreſſæ, atque a viro doctiſſimo eleganter admodum &

breviter explicatæ ſunt. pagin. 41. lin. prima poſt *tribuant* : Varro quoque in Seſqui-Ulyſſe apud Nonium ſcribit ; *Diogenem poſtea pallium ſolum habuiſſe : & habere Ulyſſem meram tunicam, pileum ideo non habere*. pag. 111. lin. 32. poſt *Euſtathio*: nec non Varronem in fragmentis : *Marcum Odyſſeam Homeri ruminari incipere* ; *cum* περὶ τρόπων *ſcripturum ſe ſerio receperit*. pag. 113. lin. 16. poſt CONIUGI KAR. Statius libro IV. Sylv. carm. 6. *Myronem doctum*, & Lyſippum *doctum artificem* vocat ; Martiali celebratur *docti Myos labor in phiala* ; & Propertius lib. 2. El. 13. celebrat *doctam falcem* ; *Et vitem docta ponere falce comam*; ubi Scaliger non bene *doctam* ſcribit. pag. 123. l. 27. poſt , *Politianus* ; nec non M. Antonius Majoragius & Nicolaus Majoranus . pag. 130. lin. 25. poſt *appellant* : Neque aliter Theodulphus Epiſcopus Aurelianenſis , qui floruit ſæculo VIII. exeunte, appellat Angilbertum poetam tunc temporis celebrem , lib. 3. carm. 3.

Pſittacus & variis imitatur voce Camœnas
Commaculans Muſas, vatis Homere, tuas.

Alcuinus Flaccus carm. 250. ad eundem,

Dulcis, Homere, precor, Flacci memor eſto poetæ.

Imo Carolus Rex , cum ad illum de profectione ad Leonem ſcriberet, epiſtolæ titulum fecit, *Homero Auriculario*; eandemque his verbis concluſit; *Vade reverſurus cum ſalute Homeriane puer* : ubi videtur ſcribendum, *Homeriana*; id eſt, ſalute, quam tibi dabit Homerus ille auricularius, vel Angilbertus, niſi forte puer vel ſervus, per quem epiſtolam mittebat, fuerit Angilberti : pag. 136. lin. 16. poſt, *antiqui* : quem parum abeſt , quin ipſum Battum fuiſſe affirmem ; quia ita canit Catullus:

Quam magnus numerus Libyſſæ arenæ
Lacerpiciferis jacet Cyrenis
Oraculum Iovis inter æſtuoſi
Et Batti veteris ſacrum ſepulchrum.

Pag. 162. lin. antep. poſt *legi*: niſi quod Ovidius lib. v. Metam. canit Muſas, cum vim Pyrenæi, a quo tecto erant receptæ, effugere vellent, alas ſumpſiſſe:

Impetus ire fuit. claudit ſua tecta Pyreneus
Vimque parat, quam nos ſumtis effugimus alis.

Euſtathius quoque ad Il. a. notat Muſas victis Sirenibus pennas evulſiſſe, colligaſſe funiculis, capitibuſque inde ſingulas impoſuiſſe ςέφανον πτέρινον ; & neſcio ex quo auctore Comes Natalis obſervat ; illa de cauſa poſtea Muſas alatis capitibus, præter illarum matrem fuiſſe. pag. 194. lin. 38. poſt, Stradam : & Domitianus in alio elegantiſſimo ,

quem exhibet Buchelius in notis ad Wilhelmum Hedam; nec non Apollo Actius in eo, quem exhibet Illuſtris Spanhemius ad Juliani Cæſares; quos, cum hæc ſcribo, commodum dono mihi mittit Vir Excellentiſſimus: imo Antiochus Epiphanes, qui Bacchi vel Dionyſi cognomen ſumpſit, corona hederacea & radiata inſignis eſt apud Johannem Vaillant, virum antiquariæ rei peritiſſimum, in Hiſtoria Regum Syriæ pag. 237. Notandum Artemiſiæ in nummo, ſi ad genuinum effictus eſt, litteram Σ. poſſe denotare Σώτειρα, id eſt, *Servatrix*: quod nomen antea deabus, & poſtea Ægypti Reginis fuit datum. pag. 262. in Inſcriptione, quæ apud Gruterum exſtat *Eucleia* vel ad Venerem poteſt referri, quomodo Diana eodem cognomine inſignitur apud Pauſaniam in Bœoticis; vel erit peculiaris Deæ nomen: quemadmodum apud eumdem in Atticis legimus, Athenienſes exſtruxiſſe victis in campo Marathonio Medis vel Perſis ναὸς Εὐκλείας. In Diſſertatione tandem de *Utilitate, quam ex nummis*, &c. obſervandum eſt, omnes voces, quæ quadratis litteris ſcribuntur, ex nummis deſumptas eſſe: excepta una aut altera, quæ in Lapidibus vetuſtis exſtant. Vale, & hiſce fruere.

ΕΙΣ ΤΗΝ

ΟΜΗΡΟΥ

ΑΠΟΘΕΩΣΙΝ,

Καὶ τὰ πολυμαθέστατα

ΑΝΔΡΟΣ ΕΝΔΟΞΟΤΑΤΟΥ

ΓΙΣΒΕΡΤΟΥ ΚΟΥΠΗΡΟΥ

Εἰς τὴν αὐτὴν

ΥΠΟΜΝΗΜΑΤΑ.

IN CONSECRATIONEM

HOMERICAM,

ET IN EAM ERUDITISSIMA

GISBERTI CUPERI

VIRI AMPLISSIMI

COMMENTARIA.

Ζῶν πάντεσσιν ἀπόβλητος μερόπεσσιν Ομηρος
Γεῖνετ' ἀποθνήσκων ἑπτὰ πόλεσσιν ἔρις
Λήγετε τῆς, Ζεὺς εἶπε, καὶ ἀθανάτων καλὸν ἐς δῶ
Μουσάων κύκνον ἤγαγ' ἀοιδότατον,
Καὶ νῦν ναιετάει ἄλλην πόλιν, ἀντὶ δὲ γαίης
Ελλαβεν Οὔλυμπον πατρίδα Μαιονίδης.
Θαυμάσθη μὲν γαῖα, θεὸν ὅταν, οὐ ὀλιγώρει
Θνητοῦ ἐν ἀνθρώποις, εἶδεν ἐν οὐρανίοις.
Τὸν δὲ τάχιστα θεῶν πάρεδρον μέγαν οὐρανιώνων
Οὐρανίοισιν ἴσῃ τίμασεν εὐσεβίῃ.
Εὐσεβίη, πολλός τε τρόμος, πολλή τε σιωπὴ
Πάντας ἔχει θνητοὺς, πάντας ἔχει μακάρους.
Ιστορίη, Μῦθος, Σοφίη, Μνήμη, Φύσις αὐτὴ
Σπένδουσιν θεῖον τῷδε θεῷ λίβανον.
Εὐμελίη μετόπισθε νέον στέφει Απόλλωνα,
Τῆς Δάφνης ἱερὰς χερσὶν ἔχουσα κόμας.
Αἱ δ' ἄρα ἐννέα κοῦραι, ἑῆς λήθουσαι ἀοιδῆς,
Πίνουσιν ταύτην οὔασιν εὐεπίην.
Αὐτὰρ ὁ Ζεὺς κορύφαισιν ἐν ἀκροτάταισιν Ολύμπου
Μελπομένου θείῃ τέρπεται ἁρμονίῃ.
Ταῦτα μὲν οὐρανίων προμαθοῖσα παρ' ἐννεατήρων
Εξεσε τεχνίτου χεὶρ σοφὸς Αρχέλεω.
Η δὲ λιθος πολλοὺς περιτελλομένους ἐνιαυτοὺς,
Ως Κρόνος, ἐν γαίῃ ἤλαθεν Αὐσονίῃ.
Αλλά μιν Αὐσονίης μέγα φῶς Κιρχῆρος ἀρούρης
Ες φάος ἠελίου λαμπρὸν ἔπεμψε πάλιν.
Ελλόγιμος Γίσβερτος, ἀγαύων δόξα Σικαμβρῶν,
Τῇ προτέρης δόξαν δῶκεν ἀρειοτέρην.
Χαῖρε λίθος, χαῖρ' Ελλαδικῆς κειμήλιον αἴης,
Μαρτύρειον τέχνης χαῖρε παλαιοτάτης.
Σοὶ μὲν ὁ δῶκε βίον· σὺ δὲ τῷ. Πόλον εἰσαναβαίνει
Τὸν διὰ Κουπῆρος, τῆς διὰ Μαιονίδης.
Θεῖαν Μαιονίδης φύσιν ἔλλαχεν· ἔλλαχε θεῖον
Οὔνομα Κουπῆρος, καὶ κλέος ἀθάνατον.

ΠΕΤΡΟΣ ΦΡΑΓΚΙΟΣ.

Despectus cunctis dum vixit, morte peremptus
Septem Mæonides rixa fuit populis.
Desinite hujus, ait Divum pater, inque sereni
Templa poli cycnum ducit Apollineum.
Jamque bis dissimiles urbes habet. omnis Olympus
Pro terra vati patria Mæonio est.
Obstupuit tellus, post funera, quem modo vivum
Sprevit in humanis, vidit ut in Superis.
Illi continuo Divum comitique Deoque
Sacra facit, Divis debita, Relligio.
Relligio, multusque metus, multumque silentium
Continet ora hominum, continet ora Deum.
Mnemosyne, Historie, Sophie, Natura, Poesis,
Huic spargunt plenis thura Deo manibus.
Eumelie post terga novo diademata Phœbo
Imponit gemina, laurea serta, manu.
Ast Heliconiadum, modulorum oblita suorum,
Turba bibit dulces illius aure modos.
Ipse Pater summo recubans in vertice Olympi
Cantantis numeris ducitur æthereis.
Talia jam dudum, divos edocta per ipsos,
Docta manus magni fecerat Archelei.
At lapis innumeros annos, Saturnus ut olim,
Delituit terra conditus Ausonia.
Illi autem, lux Ausoniæ clarissima terræ,
Kircherus lucem rursus habere dedit.
Magna Sicambrorum Gisbertus fama suorum
Majus ei primo donat honore decus.
Salve telluris Grajæ dos inclita; salve
Artificum veterum pignus & arrha, lapis.
Hic tibi, tu vitam das illi. Debet Olympum
Illi Mæonides, Mæonidæ ille suo.
Mæonides cœleste solum: cœleste, nec ullo
Cuperus moriens tempore nomen habet.

PETRUS FRANCIUS.

APO-

APOTHEOSIS SEU CONSECRATIO HOMERI.

MAGNO semper honore fuerunt illustri ingenio prædi-ti, & optimarum artium studiis exculti viri; omnisque ætas admirata est & suspexit vivos non modo; verum etiam in mortuos honores amplissimos, qualesque jure debebantur optimis præceptoribus generis humani, & ad omnia præclara certissimis ducibus, summa alacritate contulit. Non meum est longo ordine, quamvis voluptatis hæc plena sint, recensere maximos Reges, Principes cives, clarissimas urbes excellentia suorum temporum ingenia coluisse & fovisse; tantaque est horum series, & tam latus aperit se differendi campus; ut nimis a re, quam elucidandam sumpsi, abducerer & lectori alia exspectanti tædium ac nauseam crearem. Præcipua autem eruditorum præmia; & æterna quasi doctrinæ, laboris, vigiliæ monumenta ejusmodi sunt, ut majora vix quisquam sperare audeat, vel alia melius commemorationem nominis cum omni posteritate adæquare possint. Statuas, expressos auro, argento, ære vultus, & omnium honorum apud gentiles cumulum, inter Deos vel Heroas relationem, quibus rebus optime mortuorum memoriam æternitati se consecrare existimabant, loquor. Gorgiæ Leontino studiis literarum cunctis præstanti ab universa Græcia in Apollinis Delphici templo statuam positam esse scribit Maximus Valerius; Anacreontis in arce Athenarum; Tragicorum, Comicorum, interque eas Menandri, Euripidis, Sophoclis & Æschyli; Isocratis circa Hadriani Olympium; Pindari prope Martis ædem; Poetarum in Helicone; Polybii apud Mantinenses in Latonæ templo, in foro Megalopolitarum, & alibi ejusdem nec non aliorum statuas variis Pausanias celebrat locis. Apud Himerenses Stesichori poetæ statua senilis, incurva cum libro, & summo artificio facta, teste Cicerone libro in Verrem secundo, fuit: *Æsopo*, uti Phædrus canit, *ingentem statuam posuere Attici, Servumque collocarunt æterna in basi*. Eundem honorem Cornelio Frontoni habuit M. Antoninus, & diu ante ipsum, ne alios recenseam, Tiberius Imperator Euphorioni, Rhiano, & Parthenio; eorumque imagines publicis bibliothecis inter veteres ac receptos auctores dedicavit; quin & Libera Resp. in comitio Pythagoræ, ut Græcorum sapientissimo; Hermodoro Ephesio, XII. interpreti tabularum; Accioque poetæ in æde Camœnarum statuam posuit; quemadmodum Suetonius, Capitolinus, & Plinius memoriæ mandant. Numeriani quoque Principis oratio tantum habuisse fertur eloquentiæ, ut illi non tanquam Cæsari, sed quasi Rhethori in Bibliotheca Ulpia, decerneretur statua, cui subscriptum erat; NUMERIANO CÆSARI, ORATORI SUIS TEMPORIBUS POTENTISSIMO, apud Vopiscum. Hodie insuper non sine singulari proculdubio peregrinantium voluptate in Italia conspicere licet Aristophanis, Aristotelis, Euripidis, Demosthenis, quem etiam ex ære se vidisse in Bruti Tusculano testatur Cicero, Herodoti, Hesiodi, Menandri, Senecæ, Socratis, Theocriti, Persii, Pindari, Ciceronis, aliorumque statuas, quas Titi Pomponii Attici, & M. Varronis (quorum ille libro complexus est virorum vultus, *qui honore rerumque gestarum amplitudine ceteros Romani populi præstiterunt: ita ut sub singulorum imaginibus facta magistratusque eorum quaternis quinisque versibus descripserit*; hic vero *benignissimo invento insertis voluminum suorum fœcunditati non nominibus tantum DCC. Illustrium, sed & aliquo modo imaginibus non passus* est *intercidere figuras, aut vetustatem ævi contra homines valere*) imitatione ediderunt varii Antiquarii. Et ne fœminis eruditis suus honor desit, Tatianus celebrat statuas Praxillæ, Sapphus, Erinnæ, Myrus Byzantinæ, Anytæ, Telesillæ & Corinnæ; quæ omnes poetices studio claræ fuerunt; quarumque Erinna, ut hoc obiter moneam, male *amica* Sapphus dicitur fuisse a viro doctissimo; & Eusebius pari jure accusatur, quia illam memoriæ mandat floruisse olymp. CVI. hanc vero Olympiade XLII. quod tamen fieri nequaquam, ut ipsi videtur, potuit, cum altera alterius socia, amica vel ἑταῖρα fuerit. Verum nihil tale Tatianus tradit; sed tantum Silanionem ære expressisse Σαπφὼ τὴν ἑταίραν; Naucydem vero Ἤρινναν τὴν Λεσβίαν; & ἑταῖρα ibi est *meretrix*; unde & paulo post eandem poetriam appellat γύναιον πορνικὸν ἐρωτομανὲς; & Seneca tradit quæsitum fuisse, num Sapphus *publica i. e.* ἑταῖρα fuerit. Sed ne signatos metallis vultus omittam, Alcæus, Pittacus, Sappho Mitylenensium; Anacreon Tejorum; Aratus & Philemon Solensium sive Pompejopolitarum; Pytheus Colophoniorum; Hippocrates Cojorum; Pythagoras Samiorum, alii aliorum populorum in nu-

Corn. Nep. c. 18.

Plin. l. 35. c. 2.

Lib. De Poet. Gr.

Ep. 88.

mismatis occurrunt. Et quasi hæc parva præmia forent, nec pensarent tot res præclare traditas, non dubitarunt alii viros eruditos aris, templis, omnique Deorum cultu colere; id quod ipsum eorum concilium ratum facit atque decernit apud Martianum Capellam: *Sed postquam Jupiter finem loquendi fecit, omnis deorum senatus in suffragium concitatur, acclamantque cuncti fieri protinus oportere: adjiciuntque sententiæ Joviali, ut deinceps mortales, quos vitæ insignis elatio & maximum culmen meritorum*, INGENIUMQUE *in appetitum cælitum, propositumque sidereæ cupiditatis extulerit, in* DEORUM NUMERUM *cooptentur. Ac mox inter alios quos aut Nilus dabat, aut Thebæ, Æneas & Romulus, aliique quos postea astris* DOCTRINÆ *nomen inseruit, designati* COELITES *nominentur, ut post membra corporea deorum fierent curiales*: adeo ut vere Perseus Zenonis auditor apud Ciceronem lib. I. de Nat. Deorum dicat, eos esse habitos Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum esset inventa, ipsasque res utiles & salutares, Deorum esse vocabulis nuncupatas; & Minutius Felix, *alicujus muneris vel artis repertorem veneratam fuisse unamquamque nationem ut civem bonæ memoriæ*. Istrus apud Auctorem vitæ Sophoclis testatur Athenienses decretum fecisse, ut κατ' ἔτος ἕκαστον *singulis annis ipsi sacrificaretur*; iidemque illi Ηρῷον exstruxerunt, & nominarunt Δεξίωνα, quia Æsculapium ædibus excepit, vel, ut Auctor Etym. M. loquitur, ἀπὸ τῆς τοῦ Ασκληπιοῦ δεξιώσεως. Græcia apud Plinium Hippocrati eosdem cum Hercule honores decernit; Pythagoræ, quem *senem Deum* appellat Capella, tanta admiratio fuit, ut Metapontini ex domo ejus TEMPLUM facerent, eumque PRO DEO colerent; Lycurgo, viro & morum sanctitate & doctrina celebri Spartani; Stesichoro poetæ Phalaris Himeræ νεὼ sive templum μνημεῖον ἀρετῆς ἀθάνατον exstruxit, honoresque illi ὡς ἐπὶ θεῷ decrevit, & Aristoteles privata relligione aram Platoni posuit, uti non obscure indicat Epigramma apud Ammonium: Phædrus per Socratem jurat, eumque esse ἐν εὐσεβῶν χώρῳ vel κατ' ἄστρα potius autumat: medicus apud Lucianum Antigonus Hippocrati singulis annis sacrificat: Melampus tandem medica arte clarissimus in Ægisthænis, urbs est agri Megarici, templum, festum, sacrificium & statuam meruit, teste Pausania, quod vel ideo monendum censui, ut insigni mendo liberem Lactantium, cujus de *Mortibus persecutorum* librum non ita pridem luce publica donavit Stephanus Baluzius, vir doctissimus, & de antiquitate Ecclesiastica plusquam bene meritus. Is igitur ubi narrat Galerium Maximianum in gravissimum morbum incidisse, nec ullo modo a medicis potuisse curari, ita loquitur: *Cessere Magistri Phyllides, Cirona, Metonius, Melamphius. Undique medici nobiles trahuntur*. Sed quatuor illi medici non nisi duo sunt, uti patet ex Virgilii, quem sæpissime exprimit, versu,

Lib. 1.
lib. 1 extr.
l. 7 c. 37.
Ja. Diog. Laert. & Porphyr. in vita Pyth. Herodot. Lib. 1 cap. 47. Phalar. Ep. 103. In vita Arist. Epist. 25. Soc. In Philosop. lib. 1
cap. 31.
l. 1 G extr.

Quæsitæque nocent artes: cessere magistri
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

quomodo plane apud Lactantium scribendum; cujus hæc est sententia, optimos Magistros qui aderant, non potuisse curare Galerium, & propterea eos ex aliis regionibus attractos fuisse: sicque idem alibi sui temporis aruspicum magistrum, inventoris nomine, vel certe veteris aruspicis *Tagem* appellat. Cum autem nemo ex toto veterum eruditorum populo sit, cujus fama tam longe lateque fuerit quam HOMERI diffusa, nihil equidem mirum opera ejus & Regibus & doctis placuisse, ipsumque exquisitis elogiis, & statuis decoratum, æri impressum, ac tandem inter Deos relatum fuisse. Nam licet Zoilus Amphipolitanus Iliadem & Odysseam oppugnaverit; licet Daphidas Telmisensis mendacia objecerit; licet Xenophanes conviciis laceraverit; licet Caligula ut omnium, quemadmodum dicere solebat sagacissimus senex Tiberius, exitio, ita Homeri fere vixerit, & cogitaverit de ejus carminibus abolendis, idem sibi licere dicens quod Platoni, qui eum e civitate, quam constituebat, ejecit: licet denique Hadrianus illum καταλύειν, καὶ Αντίμαχον ἀντ' αὐτοῦ εἰσάγειν *abolere atque Antimachum loco ejus introducere* voluerit; quemadmodum legere licet apud Suidam, Plutarchum, Suetonium, & Xiphilinum; vivit tamen vivetque tanti Poetæ laus, legitur *æternum* (ita Ovidio vocatur) *opus*, & exitus in hanc usque diem probat vaticinium Euclidis:

Lib. 111. Art.

Εσσεται ἀθάνατος καὶ ἀγήραος ἤματα πάντα.

Pauf. in Phoc.

Hinc jam olim Hipparchus Pisistrati filius ita carminibus Homeri delectatus est, ut lege sanciverit, quinto quoque anno in Panathenæis ea publice per rhapsodos decantari debere: Alexander, cui a rerum gestarum gloria Magni cognomen datum est, dolebat, si alii poetæ Heroico operam daret; & cum inter spolia Darii scrinium repperisset auro gemmisque pretiosum (non autem Iliadem Homeri in scrinio, uti memoriæ procul dubio lapsu scribit doctissimus vir, qui lingua Gallica observationes in poemata Homeri & Virgilii edidit) varios ejus usus amicis monstrantibus, *imo Hercule, inquit, librorum Homeri custodiæ detur, ut pretiosissimum humani animi opus, quam maxime diviti opere conservaretur*: eoque nomine meruit ut φιλόμηρος Straboni & Eustathio vocetur, quod miror fugisse Robertum Titium & Yvonem Villiomarum, negantes Alexandrum proprio peculiarique vocabulo ab antiquis ita esse nuncupatum. Cassander Rex Macedoniæ plerumque Poetæ nostri carmina in ore habebat, & Iliadem atque Odysseam ἰδίως sibi describenda curavit: in Antiochi Syriæ regis gratiam Aratus eadem ἐξ ὧν τὸ ὑπὸ πολλῶν λελυμάνθαι, *quod a multis essent depravata*, correxit: Arcadum Legislator Cercidas, tanquam non satis se lectione ejus oblectasset, primum & secundum Iliados librum tumulo jussit inferri; Pompejus Magnus non ante expeditionem suscipiebat, quam primum legis-

Dion. Chrys.
Plin. l. 7. c. 29
pag 198. Ed. Rom.
Carystius apud Athen. l. 13.
Auctor vitæ Arati Ptol. Heph. lib. v.
Diog. Laert.

set : mediæ denique Academiæ conditor Arcesilaus antequam quieti se traderet, legebat aliquot Homeri versus surgensque dicebat sese ἐπὶ τὸν ἐρώμενον *ad amores suos* ire ὁπότ' ἂν βούλοιτο ἀναγνῶναι. Quin & eloquentiæ Romanæ pater Cicero *ei neminem similem* esse dicit; & ut breviter, quia a nostro argumento non aliena sunt, præcipua elogia recenseam; Plinius HOMERUM *fontem ingeniorum*, & *primum doctrinarum & antiquitatis parentem*: Vitruvius *omnis Philologiæ ducem*: Apulejus *priscæ Poeticæ divinum auctorem*: Tertullianus, *patrem liberalium disciplinarum*: Imperator Justinianus, *patrem omnis virtutis*: Gajus JCtus, *summum apud Græcos poetarum*: Claudius Saturninus, *præcipuum*; Moschus, Καλλιόπας γλυκερὸν στόμα, *dulce os Calliopes*: Lucianus: μέγαν ἀληθείας προφήτην, *magnum veritatis interpretem*: Nonnus εὐεπίης ὅλον ὅρμον, *eloquentiæ totum portum*; Xenophon in convivio σοφώτατον πεποιηκέναι σχεδὸν περὶ πάντων τῶν ἀνθρωπίνων; Alcæus Messenius *Musarum & Charitum* ἀστέρα, Leonidas λαμπρότατον *Musarum* φέγγος; & Antigonus Carystius πανταχοῦ πολυπράγμονα (quod commodissime Apuleii verbis interpretari possumus, *multiscium & omnium rerum peritum*) nominare nulli dubitaverunt. Neque revera tot virtutibus, quas uno ore non modo laudati, sed alii plurimi auctores decantant, prædito viro statuarum honor negari potuit; nec tam abjecte sentiendum de Antiquitate, ut ingratam adversus Homerum fuisse persuasum habeamus. Nam Joannes Faber celebrat duo ejus signa marmorea, imagunculam parvam, cujus in basi HOMERI nomen legebatur; nec non caput marmoreum. Smichythus Anaxilæ Rheginorum tyranni servus & quæstor Olympiæ statuam HOMERI & Hesiodi dedicavit; Delphis alia erat ærea columnæ imposita: & Cedrenus narrans incendium, quo Constantinopoli octagonum deletum est, accurate operis antiqui signum describit: εἱστήκει τοιγαροῦν μετὰ τῶν ἐξαιρέτων καὶ νοῦν ὑπερβαινόντων τύπων, καὶ Ὅμηρος, ὁποῖος ἦν, συνάγων τὸν νοῦν, τὼ χεῖρε συζεύξας ὑπὸ τὰ στέρνα. καὶ πώγων αὐτοῦ ἁπλῶς καθεῖτο, θρίξ τε ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ὁμοία ἐν τοῖς ἑκατέρωθεν τοῦ βρέγματος ἀραιουμένη, τετριχωμένῳ δὲ τῷ προσώπῳ γήρατι καὶ ταῖς ὑπὲρ τοῦ παντὸς φροντίσι ῥὶς μονὴ μετρίως ἔχουσα πρὸς ἅπαντα. ὄμματα δὲ συνημμένα τοῖν βλεφάροιν, οἷον καὶ ὁ περὶ αὐτοῦ λόγος ἔχει, τυφλὸν ἐμφαίνοντα. ἀνεβέβλητο δὲ καὶ τριβώνιον ἐπὶ χιτῶνι, καὶ ὅσον εἰς βάσιν ἱμάς τις χαλκοῦς τοῖς ποσὶν ὑπέκειτο: id est, vertente Xylandro, *Inter præcipua & ingenium superantia opera, stabat & HOMERUS, qualis fuerat cogitabundus, manibus confertis infra pectus, barba sine cultu promissa: capilli capitis æquales, rari ab utraque sincipitis parte, facies præ senio hirsuta, ac curis de universo; nasus ad reliquas partes proportione æquali: oculi palpebris affixi, ita ut cæci formam præ se ferrent, qualem eum fuisse fama fert: supra tunicam pallio erat amictus, & ad basin infra pedes ejus lorum æneum subjectum*. At cum πρόσωπος τετριχωμένος vel *facies hirsuta præ senio & curis*, Homero, cujus jam barbam descripsit, convenire nequaquam possit; mihi videtur scribendum; τετρυχωμένῳ, id est, attrito, confecto vultu, lapsis genis. Sic Herodianus καμάτοις καὶ φροντίσιν aliquem τετρυχωμένον *laboribus & curis confectum*; Homerus, ἐτείρετο γήραϊ λυγρῷ, & epigrammatis auctor, γήραϊ καὶ πενίῃ τετρυμένον dixerunt. Lorum autem pedibus subjectum forte respicit Ὁμηρομάστιγας, eosque a se indicat præstantia carminum superatos. Similem statuam poeta Græcus anonymus memorat.

Lib. 2. de Div.

Lib. 17. c. 2. & 2. 2. lib. 7. lib 9. l. de An. Proœm. Digest. l. 36. D. dev. 5. l. 16. de Pæn. Idyl. 3. l. 16. de Amor. l. 3. c. 25. l. 1. c. 67. Anth. lib. 11. Dion. in Hist. parad. in Apolog.

Pausan: lib. 5. & 10.

lib. 5. Anth.

> Αὐχένι μὲν κύπτοντι γέρων ἐπεσύρετο βότρυς
> Χαίτης εἰς ὀπίσω πεφορημένος· ἀμφὶ δ' ἀκουὰς
> Πλαζόμενος κεχάλαστο. κάτω δ' εὐρύνετο πώγων
> Ἀμφιταθεὶς, μαλακὸς δὲ καὶ εὔτροχος. οὐδὲ γὰρ ἦεν
> Ὀξυτενὴς, ἀλλ' εὐρὺς ἐπαύετο, κάλλος ὑφαίνων
> Στήθεϊ γυμνωθέντι καὶ ἱμερόεντι προσώπῳ
> Γυμνὸν δ' εἶχε μέτωπον, ἐν ἀπλοκάμῳ δὲ μετώπῳ
> Ἧστασα σωφροσύνη κουροτρόφος.
> *A cervice quidem incurva cani pendebant cincinni*
> *Per tergora; circa tempora autem*
> *Negligentes volitabant: deorsum dilatabatur barba*
> *Undique protensa, æqualis & mollis; neque enim erat*
> *In acutum tendens, sed lata, pulchritudinem conciens*
> *Pectori nudo & amabili vultui.*
> *Nuda frons; in illa vero*
> *Stabat prudentia juvenes nutriens.*

Adjicitque mox γῆρας γλυκὺ *amabilem senectutem*; σέβας ἀπολάμπειν μορφῆς, *formæ venerationem effulgere; & binas genas* κοιλαίνεσθαι, καὶ γήραϊ ῥικνήεντι κατασχέτους, *excavatas, & senectute rugosa afflatas esse*; quæ sane haud multum abeunt ab ea, quæ in marmore occurrit, poetæ nostri effigie. Cum autem tanta admiratione foret & celeberrimus propter numerosam in carmine pangendo felicitatem; cumque multi populi illo cive gloriarentur, & magna animorum contentione natales viri sibi vindicarent, nihil utique mirum, si nummos vultu ejus præterea signarunt; id quod Amastrianos fecisse patet.

Apud Spanh. & Patin.



Qui in aversa primi parte fluvius Smyrnæorum MELES jacet, indicat vel ad eum natum Homerum, vel illius nec non Critheidis nymphæ filium esse. Hinc sane ex nonnullorum sententia, uti patet ex certamine Homeri & Hesiodi *Meles* vel *Melesigenes* ipse appellatus fuit; Statiusque canit:

Smyrna tibi gentile solum, potusque verendo
Fonte Meles.

Meleager quoque in Epigrammatis Musas Homericas Μελητείας χαριτας; Tibullus scripta Homerica *Charitas Meleteas*; & Juvencus Presbyter:

Celsos cantus Smyrnæ de fonte fluentes

appellarunt. Eoque Belgicæ nostræ ingens ornamentum, Nicolaus Heinsius, Moschum in Bionis Epicedio respicientem, Meletem vocare ποταμῶν λιγυρότατον arbitrabatur. Ipse insuper nonnunquam suspicatus sum fluvium, qui inferiorem corporis partem velatus, vasi incumbit, dextraque manu palmam tenet, quemadmodum ectypus ex Gorlæo desumptus docet, nullum alium quam Meletem esse. Nam palmam tenet ob filium, cui poetices palma ab omnibus tribuitur, cuique eadem apponitur in nummo Smyrnæ reperto apud Jacobum Sponium; apis additur, quia Smyrnæi ea nummos suos, uti docuit Laurentius Pignorius, signabant. Ep 47



Quin & Sophistæ maximum hoc Homero contigisse affirmabant; genitum esse patre Melete; seque conferebant πρὸς τ̀ πατέρα αὐτȣ̃, ut Philosophiæ operam darent, in ripis agerent, undique ejus, teste Philostrato, sese lavarent. Et forte Domitiano ad eundem fluvium ænea statua posita est ab adulatoribus ut indicarent eum non minorem poetam, quam Homerum esse. (l. 7. c. 4. de vita Apoll.) Lauri ramus significat Homerum facile omnes poetas superare, & solum forte dignum qui coronetur; eoque referri debent corona & palma quas Victoriola & Victoria tenent in binis aliis ejusdem populi nummis. Lyra vero, ut nonnunquam suspicatus sum, ejus carmina præstantissima ad lyram fuisse cantata. Scio hoc negare viros doctissimos; & a cithararum cantu veram epopoeiam, non quodvis carmen Heroicum, ut Bucolica, eximere. Sed Dio Chrysostomus narrat Alexandrum Magnum dixisse, (Orat. 2.) Homerici carminis eam majestatem esse, ut non ad *citharam* sed *tubam* cani oporteat; simulque indicat alterum ipsi damnatum tunc temporis usitatum fuisse: (lib. 14.) Timomachus in Cypriacis apud Athenæum Stesandrum Samium Delphis primum κιθαρῳδῆσαι πὰς καθ' Ομηρον μάχας, ἀρξάμενον ἀπὸ τ̃ Οδυσσείας; Malchus sive Porphyrius auctor est Pythagoram illos maxime ex Homeri versibus laudasse, & ad lyram cecinisse, quibus de Euphorbo agebat: imo Sextus Empiricus disertis verbis testatur Homeri carmina olim ad lyram fuisse cantata: Καὶ, ait, τὰ Ομήρου ἔπη τὸ πάλαι πρὸς λύραν ᾔδετο. (l b. 6. Adv. Math.) Neque soli Amastriani, verum etiam alii populi honorem hunc poetæ habuerunt. Nam Smyrnæi ab Homeri effigie haud dubie nummum ΟΜΗΡΕΙΟΝ vocarunt; (Strabo. l. xv.) servanturque apud Antiquarios, cujus in una area inferiorem corporis partem velatus ille calamum vel palmam ut videtur, manu tenens sellæ insidet, in altera vero corona exhibetur, inque ejus medio Σμυρναίων, (Spanh. Diss)



Chios idem fecisse docet Julius Pollux. Οἱ Μιτυλῆναῖοι μὲν Σαπφῶ τῷ νομίσματι ἐνεχάραττον Χῖοι δὲ Ομηρον; *Mitylenæi Sapphus imagine, Chii Homeri nummos signarunt.* Et Leo Allatius eorum nummum luce publica donavit, atque illustravit; cujus itidem ectypum facere non possum, quin adjiciam, ut ea ratione omnes Poetæ vultus, qui quidem ad nos pervenerunt, una quasi & brevi in tabula conspiciantur.



Testis insuper est omni laudum genere dignissimus vir Ezechiel Spanhemius in Museo Regis Christianissimi, & Cimeliarchio Christinæ Augustæ, esse nummum, qui hinc Homerum itidem signat, cum inf. ΟΜΗΣΟΣ; illinc vero caput turritum & epigraphen ΑΜΑϹΤΡΙΣ; duosque alios possidere gazam ejusdem Reginæ, hunc ipsum Melesigenem effingentes; unum sub M. Aurelio percussum cum Poetæ capite & inf. ΟΜΗΡΟΣ, sine alia loci nota, saltem, quæ hodie possit in eodem legi: alterum ab Ægiensibus cusum Severi temporibus cum effigie Homerum itidem referente, ut videbatur principi Urbis Antiquario, ac nummi ejusdem quondam possessori Fr. Gottifredi. Quæ omnia cum ad examen revoco satis mirari non possum finxisse sibi Asin. Pollionem Homeri effigiem, cum veram habere nequiret: *Non est*, inquit Plinius, (lib 35. c. 2.) *prætereundum & novitium inventum. Siquidem non solum ex auro argentove aut certe ex ære in Bibliothecis dicantur*

illi: quorum immortales animæ in iiſdem locis ibi loquuntur: quinimo qui non ſunt, FINGUNTUR, *pariuntque deſideria* NON TRADITI VULTUS, *ſicut in Homero evenit. Quo majus, ut equidem arbitror, nullum eſt felicitatis ſpecimen, quam ſemper omnes ſcire cupere, qualis quis fuerit. Aſinii Pollionis hoc Romæ inventum, qui primus Bibliothecam dicando, rem publicam fecit.* Nam variorum populorum nummi Homero ſignati ſunt, quos non eſt veriſimile morem eum primo poſt Pollionis tempora uſurpaſſe; ſtatuæ in Græcia fuerunt, unaque in templo a Ptolomæo poſita, quam tanto tempore poſt Lucianus vidit, vultu plane eodem & facie, ut antiquam non modo & quaſi per manus traditam; verum etiam non ſatis diligentem operam illi inveſtigandæ adhibitam fuiſſe perſuaſus ſim: niſi tamen fictio Homerici vultus Græcos reſpiciat, qui proculdubio illum poſt viri mortem finxerunt; & inventum Pollionis, uſum Bibliothecæ publicum; uti exiſtimabat Doctiſſimus Grævius; id quod eo veriſimilius videtur, quia & Cicero teſtatur *ſe picturam ejus* vidiſſe. Sed ne quis honorum cumulus deſit, adſpice tandem Poetam noſtrum DEUM & ut cælo miſſum humanoque generi commodatum, ita cælo redditum, ac in variis urbibus, templis, ſacrificiis & religione numinum cultum. Poeta anonymus canit eum mortali ſtirpe creatum non eſſe, ſed Muſis;

In Tuſc.

lib. IV. Anth.

> Οὐ γὰρ ἔφυ χθονὸς ἔργον ἀπ' αἰθέρος ἀλλά ε
> Μοῦσα
> Πέμψαν, ἵν' ἡμερίοις δῶρα ποθητὰ φέρῃ,

Id eſt, ex mea verſione,

> *Telluris non illud opus, verum æthere miſit*
> *Muſa, ut terricolis dulcia dona ferat.*

Antipater patriam illi cælum, non Colophonem, vel Smyrnam, vel Chium, vel Ægyptum, vel Cyprum, vel Ithacam, vel Argos, vel Mycenas, vel denique Κεκροπίων ἄστυ παλαιογόνων, id eſt Athenas (peſſime Lubinus reddit *Cecropiorum urbem Paphlagonum*) tribuit carmine tertio, cujus finis eſt:

> Πάτρα σοι πλέθει μέγας οὐρανὸς, ἐκ δὲ τεκούσης
> Οὐ θνατᾶς ματρὸς δ' ἔπλεο Καλλιόπας.

Et quemadmodum hoc ut crederent fecit infinita rerum præclariſſimarum, quibus Ilias & Odyſſea refertæ ſunt, cognitio; ita propter eandem Deus exiſtimatus eſt, vel ſi non eſſe, dignus qui inſtar Dei coleretur;

In Anth.

> Εἰ θεός ἐστιν Ὅμηρος, ἐν ἀθανάτοισι σεβέσθω
> Εἰ δ' αὖ μὴ θεός ἐστι, νομιζέσθω θεὸς εἶναι.
> *Si Homerus Deus eſt, inter imortales colatur;*
> *Si autem Deus non eſt, exiſtimetur eſſe Deus.*

lib. I. de R. R. Sil. Ital. l. XIII.

Unde nec Columella appellare eum dubitat, *parentem eloquentiæ* DEUM *Mæonium*; Scipioni apud inferos Homeri umbram videnti & roganti,

> *Qui vultus? quem, ſi Stygia non eſſet in umbra*
> *Dixiſſem facile eſſe* DEUM.

Sibylla reſpondet, ſeu

> *Non falleris, inquit,*
> *Docta comes Triviæ, meruit* DEUS *eſſe videri*
> *Et fuit in tanto non parvum pectore* NUMEN.

Propertiuſque, ſi Dauſquejo fidem habemus, canit

lib. III. El. I.

> *Meque inter ſeros laudabit Roma nepotes*
> *Illum poſt cineres auguror eſſe* DEUM.

Sed vel oportet in vitioſos Codices eum incidiſſe; vel parum Poetæ attendiſſe; cum quia in editionibus melioribus recte ſcribitur *diem*: tum quia in eo eſt Propertius, ut exemplo Homeri oſtendat, poſt obitum omnia eſſe ampliora, & clarius nomen venire mortuis atque populum Romanum ipſum inter ſeros nepotes laudaturum. Et ſane Nonnus a filio Μέλητος, vel Homero noſtro tanquam a deo petit, ut velit eſſe propitius, ipſique inſpirare, ἆσθμα θεοσσυτον, *vel ſpiritum divinum*; ὑμετέρης (male vulgo ſcribitur ἡμετ.) γὰρ Δέομαι, addit, ἐπίης, *tua enim indigeo eloquentia*. Therſagoras natalem ejus non ſecus ac Numinis celebrat, & nocte intempeſta ſurgit, ut illi verſibus quaſi libaret. Ἀωρὶ γάρ, τοι τῆς νυκτὸς ἐξαναστὰς ἔδοξέ μοι χρῆναι τοῖς Ὁμήρου γενεθλίοις τῆς ποιητικῆς ἀπάρξασθαι: quo ex loco non ſatis caute vir Eruditus docere conatur, Homeri natales convivio annuo fuiſſe celebratos. Nam ἀπάρξασθαι τῆς ποιητικῆς nihil aliud eſt, quam carmine libare, carmina tanquam libamina diis offerre, quomodo Ariſtides eodem plane ſenſu dixit ἀπάρξασθαι Æſculapio τῶν αὐτοσχεδίων λόγων καὶ ἀγωνιστικῶν; qualeſque ἀπαρχὰς, vel qualia libamenta, πρέπει juxta Iſocratem τοῖς πεπαιδευμένοις ποιεῖσθαι. Argivi memores laudum, quibus illos celebrat, quæque tantæ fuerunt, ut Cliſthenes Sicyonis tyrannus eorumque hoſtis rhapſodorum certamina propterea urbe ſummoverit, Herodoto teſte, ἐνδοξοτάτῳ τῶν ποιητῶν Homero ſtatuam poſuerunt æneam, & præterquam quod ſingulis diebus victimam illi offerrent, decreverunt menſtruum ſimul & annuum ſacrificium, aliudque ſingulis quinquenniis Chium mittendum, ipſumque una cum Apolline ἐπὶ ξενία (qua de loquendi forma alibi agam) id eſt ad *hoſpitales epulas*, ſive *ſacrificia*, quæ proprie ſunt δαῖτες Ἀθηνάτων, vocabant, uti memoriæ mandant auctor Agonis Homeri & Heſiodi, atque Ælianus. Ietæ, qui inſulam Ægæi Maris Jon inhabitabant, Homero capra faciebant ſacrum, eamque in ſepulchro ejus ideo ſculpſerant, uti teſtatur epigramma a Salmaſio, ne vel Leonis Allatii, vel aliorum ipſi laudatorum, vel Gerhardi Voſſii, vel Joh. Chriſtophori Scobar opiniones recenſeam, veriſſime, ut mihi equidem videtur, emendatum; & quondam a M. Varrone imagini ejus appoſitum apud A. Gellium;

lib. XXV.

Lucian. in Encom. Dem.

Jons. li. I. c. XI. H. Phil.

Tom. I. p. 574. Laud. Hel.

lib. 5.

lib. 9. Var. cap. 15.

Capella Homeri candida hæc tumulum indicat
Quod hac Ietæ mortuo faciunt sacra.

Quin nonnulli etiam Christiani, sed fœdissima Carpocratianorum hæresi inquinati poetæ nostro, ut Deo, thus accendebant. Augustinus: *Sectæ ipsius fuisse traditur Marcellina, quæ colebat imagines Iesu & Pauli, &* HOMERI *& Pythagoræ, adorando, incensumque ponendo:* qualia præter Joannem Damascenum libro ejusdem argumenti tradit etiam Carolus Magnus; *Nam si forte aliquis hujusce erroris assevcrator dicet; ideo imagines adorare inter hæreses beatus Augustinus computavit, quia gentilium quorundam, id est, Simonis & Selenæ, seu etiam* HOMERI *& Pythagoræ adorabant imagines, advertat quod etiam imagines Jesu & Pauli adorasse dicuntur, & id ipsum inter hæreses a præfato viro computatum est.* Et Irenæus testatur Carpocratianos imagines Christi pictas, & de reliqua materia fabricatas habuisse, eas coronasse, proposuisse *cum imaginibus mundi Philosophorum, videlicet cum imagine Pythagoræ & Platonis & Aristotelis & reliquorum;* quibus proculdubio etiam Homerus noster comprehendendus est.

lib. 4. c. 5. de gem.

lib. 1. c. 24.

Et quasi non sufficerent vel statuæ vel sacrificia, alii populi non dubitarunt ipsi templa erigere, & ita optimo jure Deum facere, ac cælo collocare. Smyrnæos scribit Romanæ eloquentiæ parens, *confirmasse Homerum suum esse,* DELUBRUM *ejus etiam in oppido dedicavisse:* neque enim per *delubrum* intelligendum cum Gutherio est simulacrum, sed templum & ædes, in qua tamen dedicata ejus statua fuit. Strabo; Ἔστι δὲ καὶ Βιβλιοθήκη καὶ τὸ Ὁμήρειον, στοὰ τετράγωνος ἔχουσα ΝΕΩΝ ΟΜΗΡΟΥ καὶ ΞΟΑΝΟΝ; *Est,* (Smyrnæ) *& Bibliotheca, & Homerium, porticus quadrata, habens* TEMPLUM HOMERI & SIMULACRUM. Ægypti Rex Ptolomæus Philopator κατασκευάσας Ὁμήρῳ ΝΕΩΝ, αὐτὸν μὲν καλῶς ἐκάθισε, κύκλῳ δὲ τὰς πόλεις περιέστησε τοῦ ἀγάλματος, ὅσαι ἀντιποιοῦνται τοῦ Ὁμήρου; *exstruens Homero* TEMPLUM, *eum decore fecit sedentem, circum vero simulacrum statuit civitates, quæ Homerum sibi vendicant,* teste Æliano: & Thersagoram poetam introducit Lucianus, sive quis alius auctor Encomii Demosthenis, Homerum in templo Ptolomæorum sedentem salutare & orare, ut magnam carminum copiam ipsi largiretur.

Orat. pro Arch.

lib. 3. de Vet. Jur. Pont.

lib. 13. c. 22.

Atque ita in Marmore singularis operis & perantiqui quod mihi explicare consilium est; quodque cum plurimis monumentis de vetustate certat, fruitur consortio cælesti; & in templo sedet Majestate læta verendus Mæonius vates. Summa sane cum voluptate intueor sacros vultus, & decantati omnibusque laudati poematis parentem: intueor non mortalem, sed Deum a gentilibus factum, & cælo positum; intueor Musas in laudes viri promptas & paratas; adhæc officia, studia, honores, & cuncta, quæ vel antiqui vel recentiores non sine verborum vi profuderunt elogia: intueor denique EUMELIAM, TEMPUS, HISTORIAM, TRAGOEDIAM, aliasque virtutes & Artes, sacrum facere, thura dare, libamina fundere poetæque tanquam ἀρχηγέτῃ earum omnium & chorago gratias referre. Inventum est elegantissimum vetustatis depositum in agro, quem ditione tenent Principes Columnenses, Ferentino; ubi reliquiæ cernuntur hodie villæ Imperatoris Claudii, atque ab eo forte consecratum est, quia Homeri lectione valde delectabatur, multum pro tribunali etiam Homericis locutus est versibus; & quoties hostem vel insidiatorem ultus esset, excubitori tribuno signum poscenti, non temere aliud dedit, quam

Ἄνδρ' ἐπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπαίνῃ,

uti apud Suetonium legere licet: æri incisum, inde anno Christi MDCLVIII. & Latio illud insertum breviter illustravit Athanasius Kircherus vel ob hoc summopere laudandus, quod vestigia urbium, ædium, publicorumque operum tam diligenti & laudabili studio in terræ visceribus, dum viveret, scrutatus est. Sed cum plura sint, quæ desiderant hominis eruditi & omnis antiquitatis periti curam; nihil jam diu æque optavi, quam ut vel Severoli, vel Spanhemii, vel Falconerii, quorum illustri & excelso loco laus posita est, quique ut eruditione & annis me longe superant, ita elegantiora annotare, & illa, quæ ab exquisita doctrina proficiscuntur, tradere potuissent, hac provincia suscepta, fidem qua obstricti publico sunt, liberassent. At cum alios vel mors acerba sustulerit; alii, inprimisque illustris Spanhemius, quo nemo melius marmora nummosve illustrat, gravioribus rebus sint occupati; diutius premere non potui, quæ ex sedula & diligenti veterum lectione ad marmor cui vetustas & elegantia non parum reverentiæ acquirit; quia & olim C. Julius Cæsar toreumata, signa, tabulas OPERIS ANTIQUI semper animosissime comparavit; & Augustus prætoria sua rebus VETUSTATE & RARITATE nobilibus, Suetonio teste, excoluit, explicandum congessi. Ille igitur qui montis vertici insidet mihi HOMERUS est; quia similitudo vultus eadem, & faciei lineamenta nulla alia, quam sedentis, cinctique filiabus Iliade & Odyssea; sedet autem non ut mortalis, nec ut de plebe deus; verum ut princeps ipse Senatus, & qui summa cæli templa sonitu concutit, id est, JUPITER; ejusque insignibus, excepto fulmine, ornatus summum fere Olympi montis cacumen occupat. Scilicet montium magna olim veneratio, inque iis exstructæ aræ, & templa, ut satis superque ex Historia tam sacra quam profana patet, plerisque numinibus fuerunt. Indi apud Philostratum Caucasum θεῶν οἶκον vocant; Persæ apud Herodotum ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες; *editissimis quibusque conscensis montibus, Jovi hostias immolant. Montinus* qui montibus præest deus apud Arnobium occurrit; Mater Galerii Maximiani *deorum montium cultrix & mulier admodum superstitiosa* Lactantio dicitur in libro de Mortibus persecuto-

lib. 1. c. 2. & vita Apoll. lib. 1. c. 131.

rum; quem Doctissimus & de Historia Ecclesiastica plurimum meritus edidit nuper Stephanus Baluzius. Dii MONTENSES in inscriptione veteri celebrantur:

Gruter. pag. xxi.

ARAM. IOVI. FVLGE
RATORIS. EX. PRECEP
TO. DEORVM. MON
TENSIVM. VAL. CRES
CENTIO. PATER. DEORV
OMNIVM. ET. AVR. EXV
PERANTIVS. SACERDOS
SILVANI. CVN. FRATRIBVS
ED. SORORIBV. DEDICA
VERVNT.

Quæ quia Romæ inventa, videntur significari dii, qui septem ejus montibus præsidebant; quorumque in honorem institutum forte est sacrum *Septimontium*, quod celebrabatur a MONTANIS, id est, qui montes inhabitabant, non autem a toto populo, uti apud Varronem videre licet; quoque in septem locis, teste Festo, faciebant sacrificium diis, ut opinor, præsidibus; ut apud eundem *Palatualis Flamen ad sacrificandum ei deæ constitutus erat, in cujus tutela palatium esse putabant.* Solino teste, *Argæus mons nivalibus jugis arduus, ne æstivo quidem tempore torrente pruina caret, quemque indigenæ populi habitari deo credunt.* Is qui colebatur in Alpibus Peninis, DEUS PENINUS dicitur in lapide apud eruditissimum & diligentissimum relliquiarum florentis quondam Græciæ scrutatorem Jacobum Sponium;

lib. 5. de LL.

In Ar. Ign. Deor.

LVCIVS LVCILIVS
DEO PENINO
OPTIMO
MAXIMO
DONVM DEDIT.

Qui sive, uti ex epithetis patet, aliquo modo Jupiter sit, sive alius; nunc non vacat inquirere; moneboque solum hinc videri apud Livium scribendum esse: *sed a Deo, quem in summo sacratum vertice Penninum montani appellant*; cum vulgo edatur *ab eo*, sensu non satis perspicuo. Præcipue autem hanc superstitionem in cultu deorum summi, & quem Homerus refert, Jovis, mihi notavi. Nam insulæ Naxi, mons altissimus ipsi sacratus est; quemadmodum ex inscripto illi apud Sponium titulo patet;

lib. 21. c. 38.

ΟΡΟΣ ΔΙΟΣ ΜΗΛΩΣΙΟΥ.
Mons Jovis pecorum custodis.

Idem quia cultus in monte Atho Αθῶς vocatur Eustathio & Hesychio, Pindarusque hanc ob causam canit Jovem *Αἴτναν ἔχειν*, & alibi vocat *Αἴτνης βασιλέα*; atque ipse Homerus cum Epicharmo apud Macrobium docet eum in Idæ cacumine fuisse adoratum. Hinc Græcis *ἐπάκριος*, quia *ἐπὶ τῶν ἄκρων τῶν ὀρῶν* erat *ἱδρύμενος*, vel *in iis aras habebat*, quemadmodum tradunt Hesychius & Auctor M. Etymol. fuit appellatus. Et sane Livius testatur in Athamania prope Argitheam *Jovis Acræi* templum esse; in nummo itidem Vespasiani a Smyrnæis percusso Jupiter sedet AKPA-

Ad ii B. Od. 40 ol. Od. 1. Pyth.

lib. 38. 2. Trist. c. 1.

A ΙΟΣ; idemque cognomen Plutarcho restituit eruditissimus antiquarius, quia *Ασκραίω*, ita enim legitur in editionibus, nusquam mentio occurrit: cum tamen Aristoteles in libro de *Fabulosis locorum rebus* apud Apollonium Dyscolum, Halicarnassi sacrificium scribat *τῷ Διὶ τῷ Ασκραίῳ* (nisi & hic idem mendum hæreat, quomodo & apud Apostolium Juno male *Ασκραία* vocatur) peragi. Melanthes in libro de Sacrificiis scribit, *πᾶν ὄρος* fuisse appellatum *τοῦ Διὸς ὄρος*, *Jovis montem*, *ἐπεὶ ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς ὑψίστῳ ὄντι τῷ θεῷ ἐν ὕψει θυσίας ποιεῖσθαι*, *quia* B *mos fuit antiquorum, ut Deo, qui erat altissimus, in sublimi loco sacrificarent.* Et tandem Julianus fingit Mercurium adolescentem, quem ad ardui montis jugum perduxerat, his verbis alloqui: *Ἐπὶ τούτου τῆς κορυφῆς ὁ πατὴρ πάντων κάθηται τῶν θεῶν*; *in illo vertice omnium deorum pater sedet.* Instar Jovis igitur sedet Homerus; quia non insolens fuit Græcis & Latinis consecratorum vel *τῶν παρεγγράπτων θεῶν*, ut loquitur Lucianus, nomina mutare; vel eos deorum nominibus & forma colere: scilicet, ut loquitur Lactantius, *solent mor-* C *tuis consecratis nomina immutari: credo ne quis putet eos homines fuisse: Nam & Romulus post mortem Quirinus dictus est; & Leda Nemesis; & Circe Marica & Ino postquam se præcipitavit in mare, Leucothea Materque Matuta; & Melicertes filius ejus Palæmon atque Portumnus.* Semele diva facta, *Thyones*; Iphigenia *Oreilochiæ*; Britomartis in Cephalenia viva adhuc *Laphriæ*; in Creta *Dictynnæ*; Ctesylla *Veneris Ctesillæ* vel *Εκαέργης*; Aspalis Argæi filia *Αμειλήτης Εκαέργης* nomina, D testibus Diod. Siculo & Antonino Liberali, tulerunt; atque apud Ovidium Romulus uxoris

lib. 1. c. 21.

Priscum pariter cum corpore nomen
Mutat, Oramque vocat.

Lacedæmonii coluerunt, uti scribit Athenagoras, *Αγαμέμνονα Δία*; & Clytemnestra apud Lycophronem vaticinatur maritum suum JOVEM a Spartanis vocatum iri, sive, ut explicat Scholiastes, *οἱ λακεδαιμόνιοι ἱδρύσαντες Αγαμέμνονος Διὸς* E *ἱερὸν εἰς τιμὴν τοῦ Ηρωος*; *Lacedæmonii Agamemnonis Jovis fanum dedicarunt in honorem Herois.* Ascanium patrem Æneam JOVEM INDIGETEM Servius; Ægyptios Helenam *Αφροδίτην Ξείνην*, Herodotus; Amathusios Ariadnen *Αριάδνην Αφροδίτην* appellasse Plutarchus scribunt. Stratonice mater Antiochi in Fœdere Magnesiorum & Smyrnæorum apud Seldenum *Veneris* itidem *Stratonicidis*, cujus etiam Tacitus meminit, nomen tulit; & Apollonius Thyaneus, postquam Ephesum pestilentia liberasset, nomine *Herculis Alexiaci* vel F *Αποτροπαίου* cultus est; quemadmodum memoriæ mandant Lactantius ac Philostratus. Aristoteles uxori suæ, quondam pellici Hermeæ Atarneæ Tyranni, ut Cereri Eleusiniæ apud Laertium & Eusebium sacrificat; Alexandrum Magnum *Διῒ εἰκασμένον* *Jovis habitu* Elei apud Pausaniam; Helenam Epidamni filiam Epidamnii apud Ptolomæum Hephæstionis: Erechtheus Nemesin matrem, Rhamnuntis dominam ἐν A-

In Apol.

lib. 5. Inst. c. 3.

lib. 5. pr. Evan.

lib. 4.

φροδίτης σχήματι apud Suidam: Livia Augusta filiolum Germanici & Agrippinæ, immatura morte raptum *habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris*, Suetonio teste, coluerunt & dedicarunt: Charicle *imaginem defuncti* (Tleopolemi mariti) *quam ad habitum* DEI LIBERI *formarat, affixo servitio divinis percolens honoribus, ipso sese solatio cruciabat*, uti memoriæ mandat Apulejus; multæ Antinoi apud Mantinenses statuæ Baccho erant, teste Pausania, εἰκασμέναι; & Drusillæ tandem sorori Caii Cæsaris decretum est simulacrum in templo Veneris Genetricis ἰσομέτρητον τῷ τῆς [illegible] ταῖς ὁμοίαις τιμαῖς, *pari cum Deæ imagine magnitudine, & æqualibus honoribus vel sacrificiis colendum*, apud Dionem Cassium. Verum hanc gentilium anilem superstitionem si exemplis Augustorum & Augustarum firmare ex nummis & historicis vellem, offerret se latissimus differendi campus; at, ne videar lectoris patientia velle abuti alii ista tempori & operi reservabo; adjiciamque tantum hunc morem plenis eloquentiæ velis, & verbis poetico spiritu animatis celebrare Statium Papinium;

Cal. c. 7 · lib. x. · lib. 59

> *Hic te Sidonio velatum molliter ostro*
> *Eximius conjux (nec enim fumantia busta*
> *Clamoremque rogi potuit perferre) beato*
> *Composuit, Priscilla, toro. nil longior ætas*
> *Carpere, nil ævi poterunt vitiare labores*
> *Siccatam membris. tantas venerabile marmor*
> *Sepit opes: mox in varias mutata novaris*
> *Effigies; hoc ære* CERES; *hoc lucida* GNOSSIS
> *Illo* MAIA *tholo*, VENUS *hoc non improba saxo.*

lib. v. Sil.

Sectatoresque Simonis Magi, statuam ejus ut JOVIS, Helenæ concubinæ ut MINERVÆ effinxisse, & accenso thure coluisse, teste Theodoreto: vel ut loquitur Joannes Damascenus; [illegible] ἑαυτοῦ ὡς Διὸς, [illegible] συν[illegible] αὐτῷ πόρνης [illegible] Ἑλένης, Ἀθηνᾶς τύπῳ, [illegible] μα[illegible] [illegible]; *Imaginem suam velut Jovis, & imaginem scorti sui Helenæ, in figura Minervæ, discipulis suis adorandas tradidisse*. Ut igitur illi omnes Deorum habitu culti fuerunt; ita etiam poetarum princeps Homerus, JOVEM refert, & insignibus ejus ornatus fruitur Musarum consortio. Nam & Deus iste superiorem corporis partem nudus, inferiorem tectus, dextra insuper aquilam vel victoriam protendens, sinistra sceptrum tenens sedet; quemadmodum multis docet Porphyrius apud Eusebium, & paucioribus Suidas: τούτου (Jovis) τὸ ἄγαλμα ποιοῦσι καθήμενον γυμνὰ ἔχον τὰ ἄνω, τὰ δὲ κάτω ἐσκεπασμένα κρατοῦν τῇ μὲν εὐωνύμῳ σκῆπτρον, τῇ δεξιᾷ δὲ ἀετὸν προτεῖνον: *Hujus simulacrum sedere tradunt, superiores partes nudum, inferiores tectum: sinistra sceptrum tenens, dextra vero portendens aquilam*. Sic in marmoribus antiquis apud Hieronymum Aleandrum & Guielmum Choulium sedet seminudus; neque alius in plurimis tam Græcorum quam Romanorum nummis, qui apud antiquarios obvii sunt, occurrit: & Lucianus in adyto templi Deæ Syriæ memorat duo simulacra esse aurea Junonis, & Dei, quem, cum Jupiter sit, alio nomine appellant; illumque per omnia Jovi assimulatum esse καὶ κεφαλὴν καὶ ὄμματα καὶ ἕδρην, *capite, oculis, & sedendi habitu*. Sæpissime tamen nudus fere & stans Jupiter in nummis & marmoribus occurrit; ut vel patet ex lapide, qui Cliviæ exstat, & cujus anteriori parti Jupiter, quem exhibeo, insculptus fuit; sinistro lateri juvenis acerram, dextero alius porcellum sacrificandum tenens, quos, ubi ad HISTORIAM perventum erit, repræsentabo. Ornatur præterea Homerus diademate vel tænia, non secus ac imago ejus in corniola annulari, & aliæ tres marmoreæ, quarum minimæ additur HOMERI nomen, teste Joanne Fabro. Sophoclis marmorei & Apuleii in numismate æreo apud Ursinum caput simili fascia insignitur; & Pindarus ante regiam porticum Athenis effictus est καθήμενος ἐνδύματι καὶ λύρα διάδημα ἔχων, καὶ ἐπὶ τῶν γονάτων ἀνειλιγμένον βιβλίον; *sedens vestitus & lyram gerens: diademate* (male Paschalius coronam poetarum vulgarem interpretatur) *cinctus & genibus volumen impositum habens*. Atque, ne Deos, Reges, Imperatores eorumque conjuges advocem, fuit hoc insigne sacerdotum, doctorum & bene de rep. meritorum hominum, tam vivorum, quam apud inferos agentium. Strabo narrat sacerdotem apud Comanos bis in anno κατὰ τὰς ἐξόδους λεγομένας τοῦ θεοῦ *diadema gestasse*; Ovidius Veneris & Æsculapii sacerdoti, *vittam candentem*; Fratribus Arvalibus *infulas albas* Gellius tribuit; Lucianus celebrat ἱεροφαντικὸν καὶ προφητικὸν στέμμα: & Plato Homerum nostrum λευκοῖς ἐρίοις ἀνεστεμμένον reverentiæ & honoris ergo, e rep. quam formabat, ejecit: Nec aliter præclaros viros, ut taceam Alexandrum Magnum a Luciano introduci apud inferos incedentem διαδεδεμένον ταινίᾳ λευκῇ τὴν κεφαλὴν, in campis Elysiis obambulare docet insignis Virgilii locus;

Lib. 1 Hær. Fab. · lib. 6. 12. · lib. 5. & 11. Met. · lib. 10. c. 15. · In Dial. Mort. · lib. vi. Æn.

> *Quique* SACERDOTES CASTI, *cum vita manebat;*
> *Quique* PII VATES, *& Phœbo digna locuti*
> *Inventas aut qui vitam excoluere per artes*
> *Quique sui memores alios fecere merendo,*
> *Omnibus his* NIVEA *cinguntur tempora* VITTA.

Eodemque habitu Homerus a Silio Italico describitur;

lib. 13.

> *Atque hic Elysio tendentem limite cernens*
> *Effigiem juvenis casti, cui* VITTA *ligabat*
> PURPUREA *effusos per colla nitentia crines.*

Quos versus suspectos de mendo habui semper, cum nulla ratione poeta noster JUVENIS vocari possit; qui senex humanis valere dixit rebus, uti Proclus testatur; in nummis omnibus, nec non in hoc monumento celeberrimo talis conspicitur, & veteribus denique non aliter describitur. Vidit hoc fortasse Kircherus, & rescribit NUMINIS *effigiem, casta cui*; sed meliori jure Amplissimus idemque Doctissimus Heinsius quem ut certissimum Poetarum interpretem

pretem consulueram, literis ad me eruditissimis datis, docet Silium scripsisse,

Atque hic Elysio tendentem limite cernens
Effigiem Juvenis castam.

Juvenis enim non Homerus Silio, sed Scipio est, qui aliis compluribus locis ita appellatur; *effigies casta*, effigies sacerdotis vel vatis, quorum perpetuum hoc epitheton; & *effigies* denique *umbra* est, quo sensu eandem vocem paulo post Silius, Plinius Secundus, & Virgilius in Culice usurpant. Et hæc quidem verissime Heinsius: sed tamen Silius Homerum Deorum, quos non in tartaro sed cælo, exceptis infernalibus, habitasse constans veterum opinio est, numero videtur eximere. Et ut breviter objectioni, quæ alicujus momenti est, respondeam; non canit ille Homerum vel animam ejus apud inferos esse, verum *effigiem* sive umbram tantum vel imaginem. Veteres enim tria in homine distinguebant, *Corpus*, quod terræ mandatur vel comburitur; *animam*, quæ cœlum petit; *umbram*, quæ apud inferos sedem suam habet. Servius: *Nam tribus constamus*, ANIMA, *quæ superna est, & originem suam petit: corpore, quod in terra deficit: umbra, quam Lucretius sic definit*, SPOLIATUS LUMINE AER. *Ergo umbra, si ex corpore creatur, sine dubio perit cum eo, nec est quicquam reliquum de homine quod inferos petat. Sed deprehenditur esse quoddam simulacrum, quod ad nostri corporis effigiem inferos petiit. Et est species corporea, quæ non potest tangi, sicut ventus. Hinc in sexto*: CORPORA VIVA NEFAS STYGIA VECTARE CARINA. *Hanc autem rem etiam Homerus requirit, simulacro Herculis apud inferos viso. Et sciendum, simulacra hæc esse etiam eorum, qui per* Ἀποθέωσιν *dii facti* (quo numero & Homerus noster) *sunt. Unde aut visi esse apud inferos, aut illuc descendisse dicuntur.* Et sane Poeta εἴδωλον vel *imaginem* Herculis apud inferos esse fingit, ipsum vero Herculem in cælo;

[lib. 3. Ep. 5.] [Ad l. 4. Aen.] [Odyss. extr.]

Τὸν δὲ μετ' εἰσενόησα βίην Ἡρακληείην
Εἴδωλον· αὐτὸς δὲ μετ' ἀθανάτοισι θεοῖσι
Τέρπεται ἐν θαλίης ——
Post hunc vidi vim Herculeam, vel Herculis
Effigiem; ipse vero apud immortales deos
Oblectabatur in conviviis. ——

Notatque Eustathius corpus crematum in Oeta Trachinia; animam superne sive in cælo, εἴδωλον vel effigiem infra vel apud inferos fuisse; quanquam non defuerint, qui, teste eodem hunc locum traduxerint; cum absurdum plane foret unum eundemque hominem binis his in locis esse; alii vero plane abstulerint, uti videre licet apud Scholiastem anonymum. Sic Lucianus introducit Herculem Diogeni Cynico interroganti, num mortuus foret, cum tamen sæpe homines illi ut Deo sacrificarent, respondentem; αὐτὸς μὲν γὰρ ὁ Ἡρακλῆς ἐν οὐρανῷ τοῖς θεοῖς σύνεστι, καὶ ἔχει καλλίσφυρον Ἥβην. ἐγὼ δ' ΕΙΔΩΛΩΝ (paulo post εἰκόνα vocat) εἰμὶ αὐτοῦ, & simul eam distinctionem salse satis & acerbiter ridet. Sed tamen ethnicorum fuit hæc persuasio; atque ipse iterum alibi Homerus (quanquam Salmasius, cui tamen miror non occurrisse versus modo laudatos, existimet hanc opinionem Homero posteriorem esse, nec eum credidisse alibi animam, alibi umbram ejusdem degere post mortem,) ψυχὴν καὶ εἴδωλον discernit & Virgilius nunc *Dardanum* tartaro adscribit, nunc inter deos relatum esse canit; quod imitatione poetæ nostri factum esse Grammatici observant: Tibullus quoque umbras Heroum inferno adsignat;

[ad Simplic.] [Iliad. ψ v. 104.] [Lib. 6 & 7. Æn.] [l. 4. El. 1.]

Vidit ut inferno Plutonis subdita regno
Magna Deum proles levibus discurreret.
UMBRIS.

quemadmodum ex Codicibus Palatinis cum Jano Gebhardo illos versus scribendos esse judico. Barba præterea promissa & lata *Mæonius senex*, ut cuidam veterum vocatur, insignis est; eamque licet more tunc temporis usitato aluerit proculdubio, etiam commode potest dici referre Jovem, cui omnis antiquitas *Barbam* tribuit: Cicero; *isto namque modo dicere licebit* JOVEM *semper* BARBATUM, *Apollinem semper imberbem, cæsios oculos Minervæ, cæruleos esse Neptuni*: Cajus Cæsar deorum insignibus cultuque sæpe insignis, Jovem imitaturus *aurea barba fulmen tenens* conspectus est: & Juno apud Lucianum in Deorum dialogis eum reprehendit quod πώγωνα τηλικοῦτον καθειμένος *tam promissam barbam habens* depositis ægide ac fulmine talis cum Ganymede luserit. Quin & Jovis Barbam non dissimilem Homericæ fuisse ex nummis & marmoribus patet; latam scilicet neque in acutum desinentem, unde in Jove Tragœdo Philosophi habitum sumens τὸν πώγωνα ἐπισπασάμενος, *barbam attrahens* vel *longiorem faciens* in terras descendit. SCEPTRUM (quod ex *cyparisso* factum fuisse docet Hermippus apud Diogenem Laertium, cujus fictionis causas reddunt Aldobrandinus & Bochartus, quandoque *eburneum* facit Ovidius) præterea Jovem manu tenuisse, ex Porphyrio, Suida, nummis satis superque constat. Seneca jam olim eum cum Junone vocavit, *sceptrigeros tonantes*; & Justinus testatur, quia *ab origine rerum pro diis immortalibus veteres hastas coluerunt, ob ejus religionis memoriam adhuc* DEORUM SIMULACHRIS HASTAS *addi*: quod verissimum esse, probatissimi auctores docent. Nam apud Pausaniam Chæronenses deorum omnium maxime ΣΚΗΠΤΡΟΝ colunt, quod Jovi fabricasse Vulcanum fingit Homerus, quod Mercurius dedit Pelopi, Pelops Atreo, Atreus Thyesti, atque ab eo Agamemnon accepit: τοῦτο οὖν, pergit, σκῆπτρον σέβουσι Δόρυ ὀνομάζοντες; *hoc enim sceptrum colunt, hastam illud vocantes*; & mox; Ναὸς δὲ οὐκ ἔστιν αὐτῷ δημοσίᾳ πεποιημένος. ἀλλὰ κατὰ ἔτος ἕκαστον ὁ ἱερωμένος ἐν οἰκήματι ἔχει τὸ σκῆπτρον καὶ οἱ θυσίαι ἀνὰ πᾶσαν ἡμέραν θύονται καὶ τράπεζα παράκειται παντοδαπῶν κρεῶν καὶ πεμμάτων πλήρης; *Templum illi publice exstructum non est; sed qui singulis annis creatur sacerdos, sceptrum in domo sua habet: & illi quotidie sacrificia fiunt, & mensa apponitur referta omni genere carnis & bellariorum.* Et ne dicam Ro-

[Suet c. 52. l. 8] [Lib. 1 Metam. Med.] [lib. 43.]

manos, testibus Festo & Servio, per *sceptrum* ex Jovis Feretrii templo sumptum in fœderibus sanciendis: Parthenopæum apud Aeschylum, alios apud Virgilium, Homerum, Valerium Flaccum, per *hastas* jurasse, Cæneumque, teste Eustathio, eo vesaniæ venisse, ut ἀκόντιον vel telum in medio foro positum jusserit θεὸν τοῦτον ἀριθμεῖν, sive *deum existimare, inter deos numerare*, non, ut Erasmus vertit, *præcepisse diis ut numerarent*; ne, inquam de his quid dicam, ipsi Romani antiquissimis temporibus HASTAM loco Martis coluerunt, uti Varronis fide tradunt Clemens Alexandrinus, atque Arnobius; cujus ultimi verba adscribenda sunt: *Ridetis temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memorialia ut indicant scripta: informem Arabas lapidem: acinacem Scythiæ nationes, ramum pro Cinxia Thespios: lignum Icarios pro Diana indolatum: Pessinuntios silicem pro Deum Matre: pro Marte Romanos* HASTAM, *Varronis ut indicant Musæ*. Atque hinc explicandum Plutarchum arbitror inquirentem, cur Romulus Quirinus appellatus [illegible] παλαιοὺς Κυρῖνον (legendum Κύριν, uti ex eodem in quæstionibus Romanis, Festo, Dionysio Halicarnassensi, Ovidio patet) ὀνομάζειν καὶ Κυρ[illegible] ἐπ᾽ αἰχμῆς [illegible] ἱδρυμένον Ἄρεα προσαγορεύειν. Id est: *Alii vero dicunt hastam veteres Quirim; Junonis statuam cum hasta dedicatam Quiritidis Junonis, ac in regia collocatam hastam* MARTEM appellasse; vulgo male vertitur *signum hastæ impositum*; cum nihil aliud significet, quam Junonis statuam hastam manu tenuisse; ipse Plutarchus alibi: Ἥρας δὲ ἱερὸν τὸ δόρυ [illegible] τῶν ἀγαλμάτων αὐτῆς δόρατι στηρίζεται τὰ πλεῖστα; *Junoni autem sacra habetur hasta, & pleræque ejus statuæ hasta nituntur*, & Festus Curitim Junonem appellatam scribit *a ferenda hasta*. Diodorus quoque Siculus testatur Junonis statuam apud Babylonios dextra serpentem capite, sinistra σκῆπτρον λιθοκόλλητον, *vel sceptrum gemmatum tenere*; taleque illi tribuit Ovidius;

> *Ipsa petenda mihi est: ipsam si maxima Juno*
> *Rite vocor, perdam; si me gemmantia dextra*
> *Sceptra tenere decet.* ——

Hasta igitur in regia posita *Martis* nomen habuit; & forte hæc ibi est servata ut pristinæ religionis indicium; licetque alii plures faciant, ut Julius Obsequens, quando scribit HASTAS MARTIS, id quod triste aliquid portendebat, *motas*; vel HASTAS MARTIS *in Regia motas*; puto tamen de eadem vel iisdem hastis eos loqui. Atque inde deorum statuis hastæ additæ sunt; & nullum fere in numismatis veteribus numen occurrit, quin HASTA, tanquam divinitatis symbolo armetur; inque DIVÆ FAUSTINÆ nummis frequenter sella cernitur cum hasta sola, vel cum pavone, ut palam foret eam in cælitum ordinem relatam esse. Sceptro adstat AQUILA, Jovi peculiari ratione dicata & consecrata; sive quia instar satellitis & armigeri, debellatori gigantum fulmina ministravit, notante Servio; sive quia illo nato primum apparuit, & pugnæ laudatæ fuit comes, quemadmodum memoriæ mandant Eustathius, Auctor brevium scholiorum, & licet paululum diverse, Anacreon apud Fulgentium: sive quia Jupiter in aquilam transfiguratus Naxiam regionem petiit, & regnum accepit; egressoque inde & adversus Titanas proficiscenti eadem avis in auspicium victoriæ apparuit, uti scribit Aglaosthenes apud Scholiastem Germanici Cæsaris; nec non ex eo Lactantius; qui uti auctoritate Historiæ Sacræ adjicit aquilam Jovi in capite consedisse, atque regnum portendisse; ita non satis caute tradit, *Cæsarem quoque in Arato referre Aglaosthenem dicere*; cum non Cæsar Germanicus in versione Aratea, sed Scholiastes anonymus in ejusdem doctissima interpretatione, quam Lactantius videtur Germanico adscripsisse, ista referat. Sane Lucianus in deorum concilio scribit aquilam *sceptro Jovis insidere*; eamque Thebani Ægyptii venerabantur, διὰ τὸ βασιλικὸν (nam & in regum sceptris effingebatur, teste Aristophanis Scholiaste) εἶναι δοκεῖν τοῦτο τὸ ζῶον, καὶ τοῦ Διὸς ἄξιον, ut loquitur Diodorus Siculus: Clearcho denique Heracleæ tyranno, ut se Jovis esse filium ostenderet, *eunti per publicum aquila velut argumentum generis præferebatur*. Non tenet illa, ut vulgo fingi solet, fulmen unguis, sed tanquam Homerus sit Jupiter placidus, & pacificus hastæ adstat, & ascendere velle videtur. Sic quoque Jovis sedentis & sceptrum manu tenentis comes est inermis in gemma 185. apud Gorlæum, atque in nummo Antonini Pii; in alio Divæ Marcianæ sceptrum non fulmen uncis pedibus tenet; imo summus deorum, Periphantem justum & æqui tenacem virum in aquilam mutatum fecit ἐν πᾶσι τοῖς ὄρνισι βασιλέα, καὶ δίδωσι φυλάσσειν τὸ ἱερὸν σκῆπτρον καὶ προσιέναι πρὸς τὸν ἑαυτοῦ θρόνον; *regem omnium avium, sacri custodem sceptri* (non damno tamen virorum eruditorum conjecturam, qui rescribunt σκηπτοῦ, *fulminis*) *concessitque ut suum solium adiret*, apud Antoninum Liberalem. Aquila igitur & hic Homerum adit, affertque forte novo Deo nectar, non secus ac Jovi nato in insula Creta; propter quod officium immortalitate donata & cælo adscripta fuit: quam historiam non cuivis obviam conservavit Mœro Byzantina in libro quam Μνημοσύνην inscripsit apud Athenæum, vel in *de Dialectis*, ἐν τῷ περὶ διαλέκτων apud Eustathium; quam in differentiam, licet historiam ex Athenæo hauserit Thessalonices Episcopus, nunc non vacat inquirere. Sedet autem HOMERUS non in Parnasso, uti opinatur Kircherus, sed in Olympo; qui uno vertice, non ut alter binis Phœbo Bromioque sacris, sese extollit, & Jovi peculiari religione dicatus est; eleganterque a Poeta nostro ex versione Hugonis Grotii describitur,

> *Templa Deum, ni prisca fides nos fallit, Olympum.*
> *Non illum ventorum animæ, non turbidus imber*

Lib. 1. Strom. — In Q. Rom. — Lib. 2 Bib. — Lib. 3 Met. 263. — ad Aves. — Lib. 1. — Lib. 16. — Lib. 11 p. 491. — Ad Il. Ω p. 1351 Ed. R. — Od. 2.

Sollicitat; nulla tegitur nive: purus ubique
Stat nitor, & nulla fœdatur nube serenum.

Et, ne dicam Euemerum & Ennium tradere apud Lactantium Jovem regem, postea deum, habitasse in Olympo atque late imperasse; Valer. Flaccum Thessaliam *patrium* ejus *regnum* vocare, Scholiastes Homeri eum nominat ἱερὸν οἰκητήριον τῶν θεῶν; ipse poeta canit Musas ὀλύμπια δώματα ἔχειν; Hesiodus easdem appellat Μούσας Ὀλυμπιάδας κούρας Διὸς αἰγιόχοιο, & montem δώματα ἀθανάτων. Atque ut novem sorores apud Ascræum vatem Jovis patris μέγαν νόον ἐντὸς Ὀλύμπου *magnam mentem in Olympo*, commemoratis præsentibus, futuris & præteritis τέρπουσι vel *oblectant*; utque apud Flaccum Valerium Jovi, postquam dimisit noctem sideream Olympo,

lib. 1. c. xx. l. 2. v. 500. Ad il. α. In Theog

—— assuetus adest Phlegræas reddere pugnas
Musarum chorus, & citharæ pulsator Apollo;

ita in marmore nostro idem officium reddunt Homero, alteri quasi patri, & omnium artium origini, mentemque ejus & aures mulcent dulci vocum concordia, ac resonantis suaviter citharæ sono. Et sane Julianus scribit eas ex Pieria profectas, in Olympum a patre vocatas venisse; ὁποῖον δή τι καὶ τὸ περὶ τῶν Μουσῶν λεγόμενον, ὡς εἶεν δήπουθεν ἐκ τῆς Πιερίας, οὐχὶ δὲ ἐξ Ἑλικῶνος ἐς τὸν Ὄλυμπον ἀφίκοιντο παρὰ τὸν πατέρα κληθεῖσαι. Sed Hesiodus, postquam cecinit ex Mnemosyne Jovi in Pieria Musas natas esse, mox ipse sibi contrarius narrat eam peperisse novem filias,

Orat. 3. v. 53.

Τυτθὸν ἀπ' ἀκροτάτης κορυφῆς νιφόεντος Ὀλύμπου.
Paululum a summo vertice nivosi Olympi.

Hæc ut concilient Grammaticorum filii, notant esse ὑπέρβατον; & locum hoc pacto construi debere, τὰς ἐν Πιερίῃ τυτθὸν ἀπὸ τοῦ Ὀλύμπου. Verum præterquam quod novem intermedii versus hanc figuram rejiciunt, non cogitant aliud longe esse, *haud procul Olympo*; aliud, *haud procul a summo vertice Olympi*; quorum hoc rem in ipso monte; illud in loco non procul inde remoto factam fuisse indicat. Quibus ad examen revocatis, locus mihi ita distinguendus (de quo tamen optime judicabit Clarissimus Grævius, cui plurimum ille poeta debet) videtur:

Ἡ δ' ἔτεκ' ἐννέα κούρας ὁμόφρονας.
Ipsa peperit novem filias concordes.

hic sensui finem impono; quia postquam memorasset poeta ex Mnemosyne, quæ Eleutheris imperabat, eratque *oblivio* (scribo enim λησμοσύνη, accusandi casu rejecto; ut ad Mnemosynem referatur, *malorum*, natas Musas; adjicit per quot noctes Jupiter illam habuerit, exactisque mensibus peperisse novem filias concordes. Hinc canit carmen illis curæ esse; sed quo in loco? paululum a summo jugo Olympi, ubi

A ædes ipsis pulchræ, & juxta eos habitant Gratiæ & Ἵμερος vel *Cupido*. Sic revera Hesiodus erit planus, & multum inserviet Marmoris antiquissimi illustrationi; in quo etiam Musæ paululum a summo Olympi, quem & eas petiisse mox refert Ascræus senex, vertice sedes suas habent; hæque cithara, illæ voce Homeri veluti secundi patris laudes celebrant, vel aliis carminibus animum ejus demulcent. Illa autem quæ proximum Jovi occupat locum, gravi est habitu, & nescio quid augustius venerabiliusque vultus ejus promittat. B *Mnemosynem* Musarum matrem; vel *Euphemen* earum, teste Pausania, nutricem; vel potius *Calliopen* esse arbitror; quæ προφερεστάτη Hesiodo, *Regina* Horatio vocatur; quæ regum comes, quæ Homero, ut Maximus Tyrius scribit, carmina dictavit, quæ sese nutrivisse eum apud poetam anonymum canit,

lib. 9.

Καλλιόπη μὲν ἐγώ, Κύρῳ δ' ἐμὸν ὤπασα μαζὸν
C Ὃς τρέφε θεῖον Ὅμηρον, ὅθεν πίε νήδυμος Ὀρφεύς.

l. 4. Anth. c. 12.

cuique Heroici carminis inventio adscribitur in veteri epigrammate Græco;

Καλλιόπη σοφίην ἡρωΐδος εὗρεν ἀοιδῆς.
Calliope Heroi monstravit carminis artem.

Quæ vel descendentis vel saltantis habitu supra antrum pendet, forte ERATO est, docta saltare, & cithara, quam petit, D quaque decoratur nescio an tripudianti similis in nummo gentis Pomponiæ apud Ursinum, canere. Binas tibias (nisi tamen faces sunt) ad Homerum protendens, EUTERPE, est, quæ apud Horatium *tibias cohibet*, & apud Ausonium *Dulciloquis calamos … flatibus urget*. Citharam pulsans CLIO, citharisticæ artis inventrix, ex sententia poetæ Græci; vel POLYHYMNIA, cui Horatius *Lesboum barbitum* sive *lyram* tribuit; vel MELPOMENE, quæ apud anonymum θνητοῖσι μελίφρονα βάρβιτον ἦρε, *dulci concentu barbita* E *movet*, & cui apud Romanum Lyricum Jupiter *liquidam vocem cum cithara* dedit; quam utramque artem nostram exercere, videtur docere os diductum, & manus lyræ admota. Digitum in globum intendens, ex sententia Nobilissimi Heinsii URANIA est; quæ talis apud Fulvium Ursinum exprimitur, & cæli atque astrorum motus scrutatur. Sed, quanquam hæc utcunque ita possint affirmari, tamen nihil certi statuo; cum quia sibi parum constant veteres in inventis Musarum, uti patet ex F Horatio & Ausonio, qui earum artes brevi elegantique carmine complectitur, describendis; tum quia difficile admodum est conjecturari, quæ reliquæ sint, utpote nullo insigni a se invicem distinctæ. Et quanquam Ephorus, *tres*, Mnaseas *quatuor*, Mirtylus *septem*, Crates *octo* Musas apud Arnobium scribant fuisse, auctor tamen novenarium Hesiodi numerum amplexus est; sed simul reliquit divinandum, quæ sint duæ virgines, quæ in ipso aditu antri canentes

lib. 1. od. 1. lib. v. od. 24. lib. 1. od. 4. Eyd. 20. lib. 3. adv. G.

conſpiciuntur. GRATIAS audivimus ex eodem vate una cum Muſis in Olympo habitare; illæque forte ſacro cœtui interſunt. Nec obſtat eas vulgo tres ſtatui & quidem nudas; quia non omnium veterum hæc fuit conſtans opinio; nonnullique pauciores fecerunt, & veſtibus eas ornarunt. Homerus ex opinione Heraclidis Pontici unam tantum eſſe cecinit: Lacedæmonii & Athenienſes, quos ſequi potuit ſculptor, duas colebant. Pauſanias: *Ἐπεὶ Λακεδαιμόνιοί γε εἶναι Χάριτας δύο καὶ Λακεδαίμονα ἱδρύσασθαι τὸν Ταϋγέτης φασὶν αὐτὰς καὶ ὀνόματα θέσθαι Κλητὰν καὶ Φαεννάν*; *Nam Lacedæmonii Gratias duntaxat duas colunt* (n. ad fluvium Tiaſam, qua Sparta itur Amyclas, teſte eodem) *quas Lacedæmonem Taygetæ filium dedicaſſe tradunt, eaſque Clitan & Phaennan nominaſſe*: mox addit, Athenienſes antiquis temporibus duas pariter Auxo & Hegemonem veneratos, tertiamque, cui nomen *Carpus*, non Gratiam ſed Horam eſſe. Apud Smyrnæos in templo quodam & Odeo; apud Athenienſes ante veſtibulum; apud Pergamos in Attali Thalamo & Apollinis templo eas veſtibus ornatas fuiſſe teſtes ſunt Diogenes Laertius, & Pauſanias in Bœoticis; qui cum dixiſſet, *καὶ ταῦτα μὲν εἶναι ὁμοίως ἅπαντα ἐν ἐσθῆτι*, *ea ſane omnia eſſe veſtita*, ſibi non conſtare ingenue fatetur, quam tandem ob cauſam poſteriores Gratias, habitu mutato, nudas pinxerint vel finxerint. Sic & apud Eleos veſtitæ fuerunt, ſi fides habenda interpreti Pauſaniæ; *Ἔστι δὲ καὶ Χάρισιν ἱερὸν καὶ ξόανα ἐπίχρυσα τὰ ἐς ἐσθῆτα, πρόσωπα δὲ καὶ χεῖρες καὶ πόδες λίθου λευκοῦ*; *Suum habent & Gratiæ templum: ſimulacra lignea ſunt, veſte inaurata: facies, manus & pedes e candido marmore*: niſi tamen alia auctoris mens ſit; eas n. ſtatuarum partes, quæ vulgo veſtibus velabantur, inauratas; vultum vero, manus, pedes, quæ nec in aliis tectæ erant, ex candido marmore fuiſſe. Licet autem hæc vera eſſe poſſint, ſuſpicabar tamen nonnunquam, cujus me conjecturæ necdum pœnitet, binas has virgines, referre ILIADEM & ODYSSEAM; majoreque eas & auguſtiore ſtatura eſſe, quam alias, quæ lateribus Homeri in infimo ſegmento adſident; quia inter deos relatæ, & Muſarum conſortio ſunt inſertæ. Quæ ad dextram ſtat gravior ſeveriorque, ILIAS eſt, quæ ad ſiniſtram lætiore vultu, ODYSSEA; vel quia illa vetuſtior, hæc junior; vel quia Ilias Tragœdiæ, Odyſſea Comœdiæ, ut poſtea docebitur, ſimilis eſt. Ne quis autem putet hæc me fruſtra affirmare, & nullo idoneo firmare poſſe auctore; en quæ Antiphilus Homeri filias cum Muſis invocans cecinit olim:

In Alleg. — in Bœot. — lib. 3. — l. 2. in Soc. — l. 6. — l. 1. Epigr. Gr. c. 6. 7.

Ἵλατε σὺν Μούσαισι, μεθ' ὑμετέρας γὰρ ἀοιδὰς
Εἶπεν ἔχειν αἰὼν ἕνδεκα Πιερίδας.
Eſte propitiæ cum Muſis: poſt veſtras enim cantiones
Dicit habere ætas undecim Pieridas.

Poſtquam igitur opera ſua, vel Iliadem & Odyſſeam, compoſuit Homerus, auctus eſt Muſarum numerus, nec novem, ſed undecim fuere; quot in marmore noſtro cernuntur; major quibuſque lux affulgebit proculdubio, ſi res in medio ore antri, atque ad pedes virginum poſitas diligentius paulo excutiam. Nemini dubium eſt, quin inter eas ſint ARCUS & PHARETRA; quibus num ſignificentur amores deorum dearumque omnium, ut cenſet Kircherus, vir doctiſſimus, an vero Cupidinem Gratiaſque, quibus & Muſis contiguas domos eſſe cecinit olim Aſcræus ſenex, illo etiam in antro habitare, alii, quibus commodum, examinent. Mihi videntur deſignare bella, quæ in Iliade præcipue Homerus cecinit; altera autem res, colliculum referens, cuique ligulæ vel amenta pharetræ ſunt impoſita, quia revera PILEUS eſt, peregrinationem Ulyſſis; ut ita oſtenderet ſollers artifex binas has Virgines referre Iliadem & Odyſſeam; eas in Muſarum ſacrum cætum receptas; atque adeo non novem ſed undecim Muſas eſſe. Pileus margine caret, qualem Ulyſſi tribuit D. Hieronymus; *Quartum genus eſt veſtimenti rotundum pileolum, quale pictum in Ulyſſe conſpicimus, quaſi media ſphæra ſit diviſa, & pars una ponatur in capite*. Non aliis Caſtorem & Pollucem (qui tamen umbellatos pileos videntur gerere in Maxentii nummo) capita texiſſe conſtat ex ære Lacedæmoniorum apud Triſtan. quæ tegmina propterea eleganter Apulejus *ovatas caſſides*, & Lactantius *pileum teretem*, explicante Salmaſio, appellant; qualem mihi inſuper, ne omnes recenſeam, notavi in nummo Atilii Cimbri apud Triſtanum; in Galbæ & Trajani apud Choulium; in Phocaenſium apud Patinum. Sunt tamen viri eruditi, qui Ulyſſi pileum umbellatum, quali nos ab aeris inclementia, pluvia, ventiſque defendimur, tribuunt; ut Hieronymus Aleander, impugnatus propterea ab Alberto Rubenio, ut hic rurſus ab Octavio Ferrario: qua in ſententiarum diverſitate quid ſequendum ſit, vix habeo dicere, pro utraque ſententia ſtantibus viris eruditiſſimis. Crediderim tamen Ulyſſis pileum ſphæram mediam retuliſſe, qualis deſcribitur Hieronymo *αὐτόπτῃ* proculdubio ſtatuarum, & in marmore noſtro oculis ſubjicitur. Et ſi verum, ut notat rerum Græcarum peritiſſimus Joannes Meurſius, Ithacum ducem eo habitu fingi ſolere, quia propter Penelopen (quam *Lacænam* faciunt Pauſanias, Lucianus, Plutarchus & Euſtathius) Lacedæmoniis inſertus, ac Laconica civitate donatus itidem eſſe cenſebatur, vix dubium ſupereſt, quin Laconico pileo, & *ὡς τὸ ἡμίτομον* ut Lucianus loquitur, referente uſus ſit. Illud tandem valde notandum, Homerum *πίλου* nunquam meminiſſe non modo; ſed ne Ulyſſi quidem, cujus quaſi inſigne fuit, tribuere. Procos enim introducit in ejus calvitiem ſcommata jacientes; quod ſatis magnum eſt indicium, eum inſtar aliorum nudo capite inceſſiſſe, uti eleganter ex veteribus obſervat Euſtathius; quo etiam teſte Apollodorus *ὁ σκιαγράφος* primus Ulyſſi pileum dedit; quanquam Plinius & Servius illud Nicomacho Ariſtode-

Ep. ad Fab. — T. 1. — Ep. ad Colv. — Expl. Tab. Hol. lib. de Re veſt. — in Miſc. Lac. — In Lac. — In Deor. Dr. — In Quæſt. Gr. — ad Ody. A. — Ad od. α. p. 1399. Π. χ. p. 804. l. 35. 10. ad l. 2. Æn. 44

mi filio tribuant. Hæc mea de virginibus binis, arcu, pharetra & pileo sententia; quam si alicujus stomachus respuit, sciat is in re obscura plane divinationem non esse illicitam; maximamque a me gratiam initurum, qui meliora & certiora docebit: Sed & cum hæc scribo, præstantissimus Heinsius mittit, se cum in transcursu marmor consuleret, arcum & pharetram in vestibulo antri, uti & lyram pro Apollinis insignibus cepisse. Sane Apollo, quem in antris cultum fuisse mox docebo, Musarum consortio gaudet, Μυσαγέτης Diodoro Siculo, aliisque una cum Diana μυσικώτατος τῶν θεῶν & τέλειος τὴν μυσικὴν Aristidi; ἐξάρχων τῆς ᾠδῆς, quia Musis canentibus præit, Pausaniæ appellatur; scilicet, ut canit Ausonius,

Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas,
In medio residens complectitur omnia Phœbus.

Cithara quin etiam proprium Dei insigne esse præter marmora, nummos, plurimosque auctores testantur Lucianus & Servius; quorum hic ita loquitur; *Lyra simulacro ejus additur, ut nobis cælestis harmoniæ imaginem monstret.* Hoc est quare eum *Citharistam* Augustinus, *pulsatorem citharæ* Valerius Flaccus; & Græci χρυσάορον, si fides habenda Scholiastæ Homeri, appellant; curque Hesiodo citharœdi dicantur esse ἐκ Ἀπόλλωνος καὶ Μουσάων. Lyræ quoque inventionem multi Apollini, alii vero Amphioni, alii Lino, alii Mercurius tribuunt; visebanturque in Helicone Apollo & Meercurio ex ære μαχόμενοι περὶ τῆς λύρας, teste Pausania; qui tamen alibi lyram Mercurio, citharam Apollini tribuit, atque hæc instrumenta distinguit; id quod etiam facit Aristides, narrans Minervam tibiarum, lyræ & citharæ usum invenisse; istas quidem dedisse Musæ; illam Mercurio; hanc vero Apollini. ARCUM autem Apollinis esse innumeri auctores & nummi, præcipueque Horatii carmen sæculare, ac Callimachi hymnus testantur. Sic Homero aliisque poetis frequenter vocatur ἑκατηβόλος, τοξοφόρος, ἀργυρότοξος, χρυσότοξος, τοξότης, κλυτότοξος; Mart. Capellæ *Sagittarius, & Vulnificus*; Virgilio & Ovidio *Arcitenens*; atque ante eos Nævio apud Macrobium: *Deinde pollens sagittis inclytus Arquitenens, sanctusque Delphis prognatus Pythius Apollo*: Valerio Flacco *Arcipotens*: & Antinous Penelopæ procis, cum arcum tendere non possent, suasit, ut Apollini Κλυτοτόξῳ sacrum facerent. Sed ut ad antrum sive Musarum, ut arbitror, domicilium revertar, ab omni antiquitate gentiles speluncis religionem quandam & venerationem adscripserunt, & vetustissimi, ante extructa templa, ea numinibus consecrarunt: Porphyrius; σπήλαια τοίνυν καὶ ἄντρα τῶν παλαιοτάτων πρὶν καὶ ναοὺς ἐπινοῆσαι θεοῖς ἀφοσιούντων, καὶ ἐν Κρήτῃ Κουρήτων Διΐ, ἐν Ἀρκαδίᾳ δὲ σελήνῃ καὶ Πανὶ Λυκείῳ καὶ ἐν Νάξῳ Διονύσῳ: *Speluncas & antra antiquissimi ante templorum usum diis consecrabant, ut in Creta Curetum antrum Jovi, in Arcadia Lunæ & Pani Lyceo, in Naxo Dionyso vel Baccho*; adjicit Eubulum originem moris ad Zoroastrem referre, eum naturalem speluncam ac fontibus scatentem rerum omnium auctori, & parenti consecrasse Mithræ; exemplumque alios imitatos vel in a natura vel in manu factis antris sacra peregisse. Quin & Grammatici Græci ἄντρον descendere notant ab ἀντῶ id est *supplico*, διότι τοὺς θεοὺς ἐν αὐτῷ ἱκέτευον ἱερὰ τὰ σπήλαια ἡγούμενοι, *quia deos in illo colunt, sacras esse speluncas arbitrantes*; uti apud M. Etymologici auctorem videre licet. Atque ita Strabo laudat antrum λειβηθριάδων Νυμφῶν, in monte Lebethrio; in quo tam Musarum quam Nympharum, teste Pausania, signa conspiciebantur: Herodotus antrum Κωρύκιον in monte Parnasso: Pausanias specum in Phrygia ingentem, Matri Magnæ dicatum, & apud Magnetas Lethæi fluminis accolas alium Apollini sacrum, inque illo Deæ, in hoc vero Dei signum τὸ μάλιστα ἀρχαῖον; & Suidas tribus locis antrum Zerinthium in Samothracia, in quo Corybantum & Hecates mysteria peragebantur. Quibus adde, constanti apud gentiles fama, in speluncis deos educatos esse. Saturnum in Oceano extruxisse antrum ad liberos ibi alendos; Cereremque in specu Proserpinam educasse, qualia multa apud Theologos reperiri, Porphyrius auctor est. Antro autem superimposita est LYRA, tanquam insigne domus, vel antri, in quo Musæ quibus carmina & eruditionem accepta ferebant, unde & Hercules Musageta, (sive HERCULES MUSARUM eam vel tenet vel circa se habet in marmoribus apud Boissardum & Gruterum, nummisque gentis Pomponiæ apud Ursinum Fulvium) habitabant. Est illa septem chordarum; qualem Apollini tribuit Proclus ad Hesiodum; & Orpheo Virgilius

Nec non Threicius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum.

Diodorus Siculus Lyram a Mercurio inventam appellat τρίχορδον, eaque primum sonuisse Apollinem libro tertio memorat, quanquam alibi contrarium doceat. Talis cernitur in nummo Bruti apud Pisonem, & describitur in fragmento auctoris anonymi, qui cum Censorino editus est. *Quas* (modulationes) *animadvertisse cum resonantia suavitatis in arcu sororis Apollinem tradunt, & intendisse protinus Citharam, tum notasse, quod adstrictiora fila* (quæ initio ex lino fuerunt, teste Homero) *in acumen excitarentur, gravibus responderent remissa. Inde fecisse tres primos* (modos) *de quibus supra dictum est: hanc excepisse intensionem Linon, quem quidam Apollinis filium tradunt & nymphæ Paramesæ Chrysthemidi reliquisse: ab ea adjunctum modum, qui synemmenos dicitur: hunc numerum auxisse Terpandrum adjectione diezeugmenon, qui primus a gravibus in acumen avertitur: deinde Timotheus addidit duos parameson & hyperboleon.* Quæ tamen verba mihi in gravi modo cu-

bare, & ita reſcribenda videntur eſſe, *& nymphæ Pſamathes, & Chryſothemidi reliquiſſe: ab eo adjunctum*. Nam licet Linus Apollinis & Uraniæ Muſæ filius dicatur Hygino; a Servio tamen, Pauſania (qui alibi ſcribit eum genitum Amphimaro Neptuni filio; & Diogenes Laertius in prœmio Mercurio, & Urania) Scholiaſte Statii, aliiſque mater ejus *Pſamathe* vocatur: *Chryſothemidi* ſcribitur, teſte Carione, in veteri codice; & quanquam muliebre nomen ſit, ut *Chryſothemis* Agamemnonis apud Homerum, & *Chryſothemis* Danai filia apud Hyginum teſtantur; reſcribo tamen *ab eo*: cum quia ita vocatur ſtatuarius Argivus, teſte Pauſania; tum maxime, quia inſtitutis ludis Pythiis, primus omnium ᾄδων vicit *Chryſothemis* Cretenſis, cujus pater *Carmanor* (Scholiaſtes Statii *Crotopon* vocat, facitque regem Argivorum, niſi forte duplex hiſtoria ſit) Apollinem purgavit, uti ibidem legere licet. Et hunc noſtrum eſſe ut credam facit inſignis Procli in Chreſtomathia locus. Is enim tradit Chryſothemin Cretenſem primum uſum eſſe ſtola inſigni, & accepta cithara imitatione Apollinis, ſolum nomon ceciniſſe; & cum is eo genere valde probaretur, permanſiſſe hunc morem certaminis; Terpandrum autem videri nomon abſolviſſe, addito Heroico carmine. Sed ut pergam trium chordarum cithara Ἀσιάτις vel Ἀσίας vocabatur, quia inventa in Aſia urbe Lydiæ; vel ab Aſio Lydo, ut Suidas; vel quia Leſbii *prope Aſiam habitantes* πρὸς τῇ Ἀσίᾳ κατοικῦντες ea utebantur, uti Plutarch. memoriæ mandat. Ἀσιάτιν celebrat etiam Strabo, Ovidius *Lesbiam Lyram* Orioni tribuit; & quod ſummopere notandum Meles Aſiæ fluvius in nummis talem tenet. Ratio autem hujus moris redditur in laudato Fragmento: *Organum quondam habuit tres intenſiones, gravem, mediam, acutam. Inde Muſæ quoque tres* (quod etiam tradunt Pauſanias, & Diodorus Siculus) *æſtimatæ, Hypate, Meſe, Nete*. Chryſothemis igitur adjecit quartam, Terpander quintam, Timotheus vero ſextam & ſeptimam chordam: ſed præter Suidam etiam Plinius memoriæ mandat Terpandrum lyram ſeptem chordis inſtruxiſſe: *Citharam*, ait, *Amphion, ut alii Orpheus, ut alii Linus; ſeptem chordis additis Terpander; octavam Simonides* (talis cithara in marmore apud Hieron. Aleandrum) *addidit; nonam Timotheus*. Plutarchus vero ſcribit Lyram ſeptem chordarum uſque ad Terpandrum in uſu fuiſſe, eum diviſiſſe illam in plures ſonos, id eſt, ex ſeptem duodecim chordas feciſſe, uti patet ex verſibus, qui adjiciuntur Pherecratis Comici. Pauſanias contra Timotheum ſeptem chordis quatuor addidiſſe; quod firmat edictum ephororum (de quo conſule Scaligerum ad Manilium, Leopardum in Miſcellaneis; Schottum apud Procli Chreſtomathiam, nec non Salmaſium in libro de lingua Helleniſtica (quo ille urbe Lacedæmoniorum pellitur; ἐπαναγκάσαι δὲ καὶ τῶν ἕνδεκα χορδᾶν ἐκταμόντα τὰρ περιττὰρ ὑπολίπεν μόνον τὰρ ἕπτα. Feſtus Avienus Orpheo tribuit novem chordarum lyram; cujus verſus, ut ſenſum recipiant, ita diſtinguendi ſunt:

Fab. 161. Ad. Ecl. 4. Lib. 2. In lib. 6. Theb. — Iliad. 1. Fab. 170. Lib. 6. — In v. Ἀσίᾳ, Lib. de Muſ. Lib. x. l. 2. Faſt. — l. 7. c. 56. — L. de Muſ. — Lib. 3.

. *Hic jam fila novem docta in modulamina movit,*
Muſarum ad ſpeciem Muſa ſatus: ille repertor
Carmina Pleiadum numero deduxerat. ——

Id eſt, Orpheus Calliope Muſa genitus novem filis lyram inſtruxit, cum ante Mercurius ejus inventor tantum ſeptem cecinerit: ſic Scholiaſtes Germanici ſcribit eum *feciſſe chordas novem ex numero Muſarum*; & Hyginus Mercurium *cum primum lyram feciſſet in Cyllene monte Arcadiæ, ſeptem chordas inſtituiſſe ex Atlantidum numero: quod Maja una ex illarum numero eſſet, quæ Mercurii eſt mater*. Et ſane vicit tandem Deus Mercurius, maximoque in uſu, *plectricana cithara ſeptem diſcriminibus*, uti canit Alexandri Mileſii verſus reddens Latine, Chalcidius in Timæum Platonis, vel ſeptem chordarum lyra fuit, eaque in marmore etiam noſtro, non ſecus ac in aliis multis conſpicitur; quanquam Apollini *decachordam* tribuat Fulgentius; *Huic autem Apollini novem deputant Muſas, ipſumque decimum Muſis adjiciunt: illa videlicet cauſa, quod humanæ vocis decem ſint modulamina. Unde &* DECACHORDA APOLLO *pingitur* CITHARA: qualem etiam marmoreus Apollo in horto Londinenſi Sereniſſimi Britanniarum Regis; uti videre licet apud virum præſtantiſſimum, & olim Belgicæ noſtræ, nunc Britanniæ Muſarumque omnium decus Iſaacum Voſſium. Reſtat jam ut virginum veſtes, quæ ſane elegantia & varietate notabiles ſunt, illuſtrem. Noto enim mihi *tunicam cucullatam* vel *palliolatam, tunicam* χιτὸν, ἐπωμίδα, ἐπρομάσχαλον vel *exomidem*, &, ne quid de ſoleis vel ſandaliis, earumque vinculis dicam, in homine prope antrum in baſi ſtante, pallium revera quadratum, τετράγωνον τῷ σχήματι, ut Dionyſ. Halicarnaſſenſis loquitur, vel ex quadrato panno conſtans. Quæ omnia licet Veneres ſuas habeant, ſi explicentur, variiſque auctorum, Græcorum præcipue locis, lucem ſint fœneratura, tamen ne in nimiam molem Conſecratio excreſceret, evitaremque lectoris faſtidium & nauſeam, ſpicilegio de Re veſtiaria, quo me ſpero veram Macedonicæ Chlamydis formam exhibiturum inter cætera, reſervabo. Ad virum igitur veniendum tandem eſt, qui baſi inſtit tunica & pallio amictus, *circumraſus* crines, στεφάνην τειχῶν, vel *capillum in orbem rotæ acciſum* habens; adhæc, ſi modo marmor bene expreſſum eſt, ſuperam capitis partem raſus (quales Græci μεσοκούρους vocare ſolebant, & ſi naturæ vitio id fieret, σεληνίδια *lunulas*, vel κάτω τειχίας *infra capillatos*, de quibus omnibus Salmaſius libro de Coma, ad Tertulliani pallium, & Bochartus in Geographia ſacra poſſunt videri,) nudis pedibus, exemplo Philoſophorum, præcipue Cynicorum, & Pythagoræorum, vetuſtiorumque Theſei, Socratis, & aliorum, quos ἀνυποδήτους inceſſiſſe Lucianus, Ariſtophanes, nec non ex variis auctoribus Schefferus, vir præſtantiſſimus, in docto & pereleganti libro, quem de Natura & Conſtitutione Philoſophiæ Italicæ conſcripſit, docuit. Scili-

Lib. de Poemat. cantu. — In Cynic. In Nub.

cet ut loquitur Clemens Alexandrinus, *Ἀνδρὶ δὲ εὖ μάλα ἁρμόδιον ἀνυποδησία*, Kircherus arbitratur esse flaminem, promtum & paratum ad sacrificandum: sed cum non intersit illis, qui in ultimo marmore Homero sedenti rem divinam faciunt; nec instructus sit sacris instrumentis; nec præ se ferat sacrificantis habitum, illi opinioni, licet a viro Doctissimo profectæ, manus dare vix possum. Et tamen, ut in aliis hujus generis multis, hic divinare oportet; atque ipse, confiteor enim, nihil certi pronuntiare possum. Forte est, quo ducit volumen quod manu tenet, *Cinæthus Chius* qui circa Olympiadem nonam & sexagesimam, docente Illustri Salmasio, primus Homeri carmina fertur *ῥαψῳδῆσαι*, sive cantasse; forte *Lycurgus*, qui teste Heraclide in Excerptis, primus Homeri poemata a Creophyli, quem alii hospitem, alii præceptorem poetæ faciunt apud Strabonem, posteris nactus in Peloponnesum apportavit, forte *Orpheus* qui, teste Tatiano oratione adversus Græcos *ποιεῖν ἀσκεῖν καὶ ᾄδειν* invenit: forte *Linus*, qui arte canendi omnes anteivit, cuius statua fuit in monte Helicone prope lucum Musarum, cuique quotannis parentabant. Pausanias; *Μετ' αὐτὸν Λίνος ἐστὶν ἐν πέτρᾳ μικρᾷ σπηλαίου τρόπον εἰργασμένῃ. Τούτῳ καὶ ἔτος ἕκαστον πρὸ τῆς θυσίας τῶν Μουσῶν ἐναγίζουσι;* *Est illi proxima Lini statua in parvo saxo, ad instar speluncæ excavato; huic parentant quotannis antequam Musis sacra faciant:* atque a poetis fuit cultus *θρηνώδεσι ἀπαρχαῖς*, seu *lugubribus carminibus*, tanquam primitiis & sacrificiis, teste Philochoro apud Eustathium, qui etiam conservavit versus Hesiodi, & anonymi in eum epigramma, lectu non indignum. Heinsius putabat *Pisistratum* esse, qui Homeri scripta ante dispersa in unum corpus collegit, atque ita posteris conservavit; hocque nomine artificem ingeniosum hanc illi statuam in Parnasso deberi opinatum; & tandem codicem manu tenere, scripta brevia ac libellos solitum complecti, qualis in statuis oratorum passim apparet. Verum hæc omnia dubia ut sint, facit *Tauticus*, verbo Kircheri utor, *character*, qui capiti hominis imminet. Ægyptiorum est inventum, illique nota hac Heroglyphica, quam Pignorius, Salmasius, Tristanus, Kircherus, aliique, multis illustrarunt, Isidem & Osiridem exornare præcipue solebant. An forte HOMERUS ipse cernitur qualis carmina sua in viis cantabat; & per characterem designat artifex, eum Ægyptium origine fuisse; quod præter Gellium & Heliodorum alios multos tradidisse docuit Leo Allatius? an vero erit antistes vel Προφήτης ille Thebanus, qui Homerum genuisse narratur apud eundem Heliodorum; quique ob hominem plane divinum procreatum, Musis comes datur cum vulgato sacrorum Ægyptiorum charactere? Verum tempus est, ut obnoxiis conjecturæ rebus posthabitis, ad ultimum Marmoris segmentum accedam; in quo revera clarior rerum facies, atque apertior; cum quid sibi simulacra velint, non sinant nos dubitare, singulis subjecta atque supposita nomina. Sedet enim HOMERUS diademate vel vitta casta caput cinctus, manum sinistram ad summam hastam fere extendens, dextra in genu reposita tenens codicem, tunicam indutus, pedes nudus; cingitur filiabus ILIADE & ODYSSEA; ΕΥΜΕΛΕΙΑ illi coronam imponit; ΚΗΡΟΝΟΣ admiratur virum vel silentium suadet; ΜΥΘΟΣ tenet pateram & sympuvium; aræ adstat Bos mira, sed tamen tunc temporis cognita, forma: ΙΣΤΟΡΙΑ ex acerra thus depromptum aræ duobus primis digitis injicit; ΠΟΙΗΣΙΣ faces, quæ scilicet ignem sacrum accendens extollit; ΤΡΑΓΩΔΙΑ & ΚΩΜΩΔΙΑ præ gaudio vel admiratione, quod auctorem & patrem suum vident deum, manus ad sidera tollunt, ΦΥΣΙΣ puerili non absque ratione imagine, blanditur Virtuti; ΑΡΕΤΗ digito os premit, silentium suadet, increpatque quasi Naturam vestes suas vellicantem; ΜΝΗΜΗ meditabunda plane, & memorias Veterum repetens adstat, ΠΙΣΤΙΣ miratur tanta Homero, propter innatam quasi dicendi atque persuadendi vim præmia esse data; & denique ΣΟΦΙΑ eandem ob rem veluti attonita agmen claudit, oculosque in virum intendit, qui omnium judicio Sapientissimus fuit habitus. Virtutum igitur vel Artium prima se offert, & sacram cohortem ducit

ΕΥΜΕΛΕΙΑ

Id est, si Latine interpretari volumus

APTA MODULATIO

vel

APTUS NUMERUS.

Vox hæc inprimis elegans & notanda, eodem plane sensu occurrit apud Diodorum Siculum; qui Orpheum narrat composuisse *ποίημα θαυμαζόμενον καὶ κατὰ τὴν ᾠδὴν ἐμμελείᾳ*; *poema mirificum, & concinnitate modorum excellens*; paulo post *τὴν Περσεφόνην διὰ τῆς ἐμμελείας ψυχαγωγήσαντα*; *Proserpinam modorum vel cantus suavitate oblectasse*: & videant eruditi num illa restituenda sit Antonino Liberali, apud quem nunc scribitur *κατ' ἐμμένειαν*; ita ut Pan fistula canere doctus, & a Musica arte non alienus, jusserit Terambicum propter *ἐμμέλειαν* montem relinquere. Omittitur in marmore nostro E. quomodo sæpe in antiquis monumentis I. pro EI. & vice versa EI. pro I. ponitur; id quod & in nummis interdum evenire docet illustris Spanhemius. Optimo autem jure hæc virtus Homero tribuitur; quippe qui, ut versuum sonos gratiores efficeret, & vocum concordia poema suum ornaret, ejus accuratam habuit & diligentem rationem. Scilicet, ut recte loquitur Censorinus, *non promiscue voces omnes cum aliis ut libet junctæ, concordabiles in cantu reddunt effectus*; excutiendi examinandique verborum soni, ponderandæ singulæ quasi literæ; quibus neglectis, nulla erit *ἐμμέλεια*, nulla modulatio, nulla symphonia; quam idem definit, *duarum vocum disparium inter se junctarum dulcem concentum*; & Cassiodorus, *Temperamentum sonitus gravis ad acutum, vel acuti ad gravem, mo-*

Lib. 9. Ad Fl.

p. 1163.

Cap. IV. de Pat. Hom. Lib. 3.

L. 4. Bibl.

Lib. 22. Mel.

C. X. de Die Nat.

Lib. de Mus.

dulamen efficiens; nulla denique orietur *consonantia*, quæ Boethio describente, *est acuti soni gravisque mixtura, suaviter uniformiterque auribus accidens*. Vitavit hæc vitia Poeta noster, & quantum in se fuit, carmen junctis vocibus, vocalibusque, quæ reddunt orationem canoram, quæque jungi gaudent, fecit εὐμελὲς, eamque ob causam πολυφωνότατος appellatur Dionysio Halicarnassensi, cujus verba omnino adscribenda sunt: Ο δὴ πολυφωνότατος ἁπάντων τῶν ποιητῶν Ὅμηρος, ὅταν μὲν ὥραν ὄψεως εὐμόρφου καὶ κάλλος ἡδονῆς ἐπαγωγὸν ἐπιδείξασθαι βούληται, τῶν τε φωνηέντων τοῖς κρατίστοις χρήσεται καὶ τῶν ἡμιφώνων μαλακωτάτοις, καὶ οὐ καταπυκνώσει τοῖς ἀφώνοις τὰς συλλαβὰς, οὐδὲ συγκόψει τοὺς ἤχους, παρατιθεὶς ἀλλήλοις τὰ δυσέκφορα, τραχεῖαν δέ τινα ποιήσει τὴν ἁρμονίαν τῶν γραμμάτων καὶ ῥέουσαν ἀλύπως διὰ τῆς ἀκοῆς: *Poetarum autem omnium maxime sonorus Homerus, quando venustatem formosi vultus, & pulchritudinem voluptatis illicem describere vult, vocalium maxime sonoris utetur; & semivocalium dulcissimis, nec consonantibus syllabas gravabit, neque concidet sonos, jungens quæ difficile enuntiari possunt, sed lenem vel dulcem reddet consonantiam seu harmoniam literarum, auribusque sine asperitate influentem*. Neque enim Græca vox *verbositatem*, vel *loquacitatem* designat; sed is dicitur πολύφωνος, qui mirifica temperatione compositionem ita miscet, ut eximii quidam soni audiantur, & inoffensa vocum copulatio, oratio denique sonora vel vocalis sit animadvertente Fabro Tanaquillo; qualis etiam *Canorus* potest appellari; unde in Glossis Εὐμελὴς optime exponitur *Canorus*, & Ciceroni celebratur, *oratio suavis & canora*. Sic paulo ante idem Dionysius notat hujus rei non ignaros fuisse poetarum optimos; eosque literas, syllabas, voces, quas aptabant affectibus, ingeniose junxisse, & illud frequentissime Homerum fecisse, *qui extensione syllabarum, perpetuos ventis obnoxiorum littorum sonos descripsit*; Atque hinc ejus poesis μεμελοποιημένη vocari potest cum Athenæo; & ipse non modo εὐμελὴς, verum etiam *magniloquus*, & quod epitheton Platoni tribuit Hermias, μεγαλόφωνος. Nam *Magniloquentia*, vel ut Græci loquuntur, μεγαληγορία oritur ex numeris apte dispositis, pedibus rite, præcipue dactylis jungendis, pensitandis & examinandis vocalium viribus & sonis, iisque aptandis rei, quæ describenda est. *Dactylicus*, ait Cicero, *numerus exametrorum* MAGNILOQUENTIÆ *est accommodatior*: qui alibi eam virtutem, (quam *magni oris* nomine designat non ineleganter Ovidius) poetæ nostro tribuit: *Itaque ab Homeri* MAGNILOQUENTIA *confero me ad vera præcepta* Εὐριπίδου. Hanc ob causam Mæonio vati *magnitudinem operis* tribuit Paterculus, eumque *tonantem* appellat Sidonius;

Lib. περὶ συνθ. ὀνομ. p. 11. — Ad long. — Lib. 14. — In Irr. Gent. Philos. — In Orat. — Lib. 13. Ep. 15. — L. 1. c. 5. — Car. 23.

> *Aut cum se historiæ dabat severæ*
> *Primos vix poterant locos tueri*
> *Torrens Herodotus, tonans Homerus*.

& μεγαλοῤῥημοσύνῃ ὑπὲρ τὸν Ὀρφέα ἀσκῆσαι, ἡδονῇ δὲ ὑπερβαλέσθαι τὸν Ἡσίοδον; *magniloquentiam magis quam Orphea exercuisse; & suavitate Hesiodum superasse* scribit Philostratus. Optimo igitur jure ΕΥΜΕΛΕΙΑ, ex qua oritur magniloquentia & πολυφωνία, primas tenet, Homeroque poetarum & ingeniorum principi, (qui teste Philostrato, ἐν ἁρμονίᾳ μουσικῇ πάντας τοὺς ποιητικοὺς τοῦ τρόπου, *in harmonia Musica omnes cecinit poeticos tropos*; infansque emissa noctu voce *hirundinis, pavonis, columbæ, cornicis, perdicis, porphyrionis*; ψάρος, *lusciniæ & merulæ*, ut scribit Alexander Paphius apud Eustathium, significavit varietatem numerorum, quæ in carminibus postea emicuit, eloquentiamque EUMELIA autem coronam, si conjectura me non fallit, lauream imponit; id quod futurum Sibylla prævidens eum vocat μεγακλεῆ & στεφανίτην. Coronatur autem Homerus, vel quia in Deorum, quorum statuas coronatas vel, ut Arnobius loquitur, *sertis, coronis, affectas & floribus* fuisse ex plurimis auctoribus constat, numerum relatus est; vel quia poetarum princeps, omniumque non modo antiquissimus, verum etiam præstantissimus. Ut enim illi qui virium corporis pericula in gymnicis ludis faciebant, coronam in præmium victoriæ accipiebant; ita etiam poetæ in certaminibus Musicis victores parili honore afficiebantur; Ins. Vetus;

In Heroic. — Od. M. p. 1712. — Eus. d. L. — Lib. 7. — 3. p. 331

L. VALERIO. L. F.
PUDENTI
HIC. CUM ESSET. ANNORUM
XIII. ROMÆ. CERTAMINE
IOVIS. CAPITOLINI. LUSTRO
SEXTO. CLARITATE. INGENII
CORONATUS. EST. INTER
POETAS. LATINOS. OMNIBUS
SENTENTIIS. JUDICUM.

Eumolpus apud Petronium dicit se poetam *non minimi spiritus, si poetis aliquid credendum est*; & Neroni Imperatori *Latini carminis coronam* concessam fuisse Suetonius auctor est. Et licet hæc vel ex myrto, vel apio, aliave fronde fuerit composita, *hedera* tamen & *laurus* primas sibi partes deposcunt. Nam *hederaceam coronam* Ovidius Calliopæ; Musis aliis Propertius tribuit. Virgilius *crescentem poetam hedera ornat*; unde Horatius ad Julium Florum,

C. 11. — 5. Fast. — Lib. 3. — Ecl. 8. — Lib. 1. Ep. 3

> *Seu linguam causis acuis, seu civica jura*
> *Respondere paras, seu condis amabile carmen*
> *Prima feres* HEDERÆ VICTRICIS *præmia*. —

Sed, ut monui, hæc quam Homero Εὐμέλεια imponit, *laurea* videtur esse; celebrata itidem Propertio,

Lib. 3. El. 1.

> *Ite procul fraudes, alio sint aere noxæ,*
> *Pura novum vati* LAUREA *mollit iter*.

quam & Statius, non secus ac Imperatoriam, tribuit Domitiano a poetices studio non alieno, uti Suetonius & Quintilianus testantur;

Lib. 1. Achill.

> *At tu quem longe primum stupet Itala virtus*
> *Grajaque; cui geminæ florent vatumque ducumque*

Cer-

Certatim LAURUS (*olim dolet altera vinci*)
Da veniam ——

EUMELIÆ adſtat homo alatus, codicem vel volumen manu tenens, digito ſilentium ſuadens, nomenque ejus Kirchero tradente, eſt

ΚΙΡΟΝΟΣ

vel, ut meliori jure apud Spanhemium legitur,

ΚΗΡΟΝΟΣ

Et forte mutavit ille literam, quia collegii iſtius ſocii H. ut I. pronuntiant; & in illorum Grammaticis *Vita*, vel *Bita*, *Zita*, *Thita* & *Ita*, pro Βῆτα, Ζῆτα, Θῆτα & Ητα occurrunt, quam elocutionem antiquis ne cognitam quidem fuiſſe, ſat multis docuerunt viri Eruditi, qui de pronuntiatione Linguæ Græcæ ſcripſerunt. Nonnunquam, fateor, in Inſcriptiones vetuſtas I. pro H. vitio operariorum irrepſit; [Inſ. 10. p. 40. p. 306.] ut Επικόῳ pro Επηκόῳ; in nummo apud Patinum, ΜΙΤΡΟ pro ΜΗΤΡΟ (hanc enim vocem decurtatam *Metropolim* interpretor) & vice verſa H. pro I. Χαρίν pro Χάριν; Τιβέριν pro Τίβεριν apud Gruterum; ſed tamen mutatio talis hic nequaquam locum habere poteſt, nec quicquam cauſæ Kircherianæ opitulatur. Nam H. in marmore non eſt litera, verum adſpiratio, & KH. idem valet quod litera duplex X. Antiquiſſimi ſc. Græcorum ſexdecim tantum literas, tradente Cadmo Phœnice, habuerunt; Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Υ. quibus poſtea Palamedes belli Trojani tempore adjecit Θ. Ζ. Φ. Χ. totidemque Simonides Melicus Ξ. Η. Ψ. Ω. uti memoriæ mandat Plinius. [Lib. 7. Cap. 57.] Antequam vel duplices illæ vel longæ adderentur, alia obtinuit ſcribendi ratio; & pro Χρόνος exarabant ΚΗΡΟΝΟΣ; pro Χάρων ΚΗΑΡΟΝ; pro Ψυχὴ ΠΣΟΙΚΗΕ; pro Θεὸς ΤΗΕΟΣ; pro Φίλος, ΠΗΙΛΟΣ; Marius Victorinus: Θ. Φ. Χ. *priuſquam a Simonide* (neque enim in omnibus vel ab eo vel a Palamede inventis literis conveniunt veteres) *invenirentur, exprimebant juxta* T. & *juxta* Π. & *juxta* K. *aſpirationis notam* H. Litera namque nondum erat H. ſed tantum adſpiratio, ſcribebantque ξερὸν pro ξηρὸν, TEI pro THI vel τῇ obſervante eodem: *Et ſignificaveram priuſquam Græcis inter vocales repertæ eſſent* η. & ω. *vicem earum tum apud illos tum apud nos expleſſe* ε. & ο: *o etiam ſcribi ſolitam pro ſyllaba* ȣ. E. *autem pro* ε. & η. Sed poſtea legitimas literas deturbavit Alphabetum Jonicum, quod licet vetuſtius, nomen tamen habet a Calliſtrato Samio, qui primus tam Palamedis, quam Simonidis literas, cum forent vagæ, in unum corpus redegit, certamque iis ſedem adſignavit, uti erudite obſervat Salmaſius; [Ad Inſ.] omnibuſque fere vocibus recentiores impoſuit, introducens η. pro ε. ω. pro ο. ȣ pro ο; ψ. pro Πσι. ξ. pro Κσι. Θα, pro THA. XPO pro KHPO. φα pro ΠΗΑ. Attici ſexdecim veteribus uſi tamen ſunt; uſque dum Archonte Euclide, ſuaſore Archino, τὰ Ἰώνων γράμματα receperint, obſervante Suida; & multi in monumentis vetuſtis eos ſunt imitati; uti præter hoc marmor oſtendunt nummi apud Goltzium; [In v. Σαμίων.] in quibus ΣΔΕΥΣ pro ΖΕΥΣ ſcribitur: & præcipue columna Farneſiana, poſita tempore Antoninorum Marci & Pii, [In Inſ. Grut.] in quo E. pro H. ο. pro Ω. ο. pro ȣ. Ho pro οἱ; ΗΟΔΟΙ pro ὁδῷ, ΕΝΗΟΔΙΑ pro ἐνόδια occurrunt: quam in rem plura videri poſſunt apud Scaligerum ad Euſebium; Salmaſium ad Conſecrationem Templi in agro Herodis, Voſſium in de Arte Grammatica, nec non Spanhemium in Diſſertationibus. ΧΡΟΝΟΣ igitur vel TEMPUS Homero tribuitur, quia a Trojana, quam ille deſcripſit, expeditione incipit *tempus hiſtoricum*, & ante eam omnes res geſtæ fabulis & figmentis ſunt involutæ. Nam licet Varro Terentius apud Cenſorinum [C. 21. de Die N.] primum temporis diſcrimen ab hominibus natis ad cataclyſmum priorem extendat, vocetque illud propter ignorantiam ἄδηλον; ſecundum a Cataclyſmo ad Olympiadem primam, μυθικὸν dictum, quia in eo multa fabuloſa; tertium a prima Olympiade, quæ incidit in annum 408. poſt Trojæ excidium, uſque ad ſua tempora, quod appellat Ιςορικὸν, quia res in eo geſtæ veris hiſtoriis continentur; licet ante Olympiades nihil certi apud Græcos, ſed omnia ignota aut fabulis involuta & tenebris eſſe teſtentur Juſtinus Martyr, Africanus apud Euſebium; & ipſe Euſebius in Chronicis, [Adh. ad Gent. cap. 10 præp. Evang. Tib. 70. In præf.] licet Suetonius bellum Trojanum hiſtoria fabulari videatur comprehendere; licet etiam Thucydides fateatur ſe ante bellum Peloponneſiacum, nihil potuiſſe σαφῶς εὑρεῖν διὰ χρόνȣ πλῆθος, *liquido reperire propter temporis longinquitatem*; non deſunt tamen, qui tempus mythicum ad bellum Trojanum tantum extendunt, [Lib. 1. Bibl.] quos proculdubio Marmoris auctor doctiſſimus ſecutus eſt. Diodorus enim Siculus inde eximit Græcorum decantatam expeditionem; & adjicit ante eam nihil certi haberi, quia nullum erat παράπηγμα περὶ τȣ́των πιςȣ́μενον, *nullum certitudinis fulcrum, cui fides poſſit haberi:* παράπηγμα proprie eſt tabula, in qua Aſtrologi ſiderum ortus, occaſus, & tempeſtates ordine notant, quam tuto ſequi licet: [De Maced. An. c. 6.] qualia παραπήγματα (de quibus pluribus agit Doctiſſimus Uſſerius) Hiſtorici non habent ante Trojanum bellum, quia tenebris priora tempora erant involuta, & ab eo incipiebant conſtare res geſtæ, originemque ducebat tempus HISTORICUM, Varroni appellatum. Inde Diodorus tempori, quod Trojum bellum præcedit tribuit πράξεις καὶ μυθολογίας; illi vero quod ſequitur, tantum πράξεις; quia ſcilicet jam certior rerum ordo, clarioraque deinceps & certiora geſta domi militiæque exponebantur; & Pomponius Mela de templo Gaditani Herculis loquens, [L. 3. c. 6.] annos templi conditi non poſſe numerari niſi a bello Trojano, quia præcedentia tempora obſcura ſunt; *Annorum*, ait, *queis manet numerus, ab Iliaca tempeſtate principia ſunt*: id eſt, anni qui in temporibus deduci ac numerari poſſunt, qui non excedunt me-

I 2. c. 10 obs.
In ejus vita.

moriam annalium, qui optime explicat Gronovius, qui laudes superat, pater; & denique Plutarchus paulo altius assurgens veram Historiam a Theseo, quem πρεσβύτερον τῶν Τρωικῶν μιᾷ γενεᾷ Clemens Alexandrinus facit, repetere non dubitat. Sic multi hanc ob causam initium historiæ suæ repetebant a Trojæ halosi, id quod Vellejum Paterculum fecisse constat; & qui de antiquitate ac jure urbium contendebant, a belli illius tempore, tanquam certo, argumenta petebant: Isocrates; πολὺ δὲ τῶν Τρωικῶν (ἐκεῖθεν γὰρ δίκαιον τὰς πίστεις λαμβάνειν τοὺς ἐπὶ τῶν πατρίων ἀμφισβητοῦντας) ἦλθον οἱ δ' Ἡρακλέους παῖδες; *Diu ante Trojana tempora (inde enim fidem jure petunt, qui de patrio jure contendunt) venerunt & Herculis liberi*. Et antiquissimi tandem auctores in annorum supputatione utebantur epocha Trojana. Vellejus Paterculus scribit Pelopis progeniem octogesimo post Trojam captam anno ab Herculis progenie Peloponneso expulsam; Auctor Anonymus apud Suidam, Simmiam vixisse anno DVI. μετὰ τῶν Τρωικῶν; quod & facere Democritum apud Laertium, Diodorum Siculum, Marcianum Herocleotam, aliosque constat. Neque tantum sequentia, sed etiam priora tempora, veluti certissimo termino a Trojana expeditione metiebantur. Justinus Tyron urbem ante annum Trojanæ cladis conditam auctor est; Incertus apud Suidam Zoroastrem πρὸ τῶν Τρωικῶν *vixisse an*. 500. quem Hermippus, Plutarch. & Hermodotus Platonicus apud Laertium faciunt quinq; annor. millibus eo bello vetustiorem. Recte igitur ΧΡΟΝΟΣ Homero adstat; & licet post Trojæ interitum historia sit obscura sæpe; non tamen plane ἄδηλος vel fabulosa est; illaque quæ memorabilia Græci usque ad Darium & Xerxem gessere, quia temporibus defuerunt ingenia, literis mandata non sunt, uti licet videre apud Josephum. Sic Itali vel Romani a Saturni in Italiam adventu historiam fere incipiebant, quanquam res postea gestæ, etiam sub Romanis regibus, obscuræ sint valde, vel ipso Livio docente; quam ob causam ut Homero *Tempus* tribuitur, *ita Tritonas cum buccinis ædis fastigio superposuerunt; quoniam ab ejus commemoratione ad nostram ætatem historia clara & vocalis est: ante vero muta & obscura & incognita; quod testantur caudæ Tritonum humi mersæ & absconditæ*, uti loquitur Macrobius. Nec sane silentio prætermittendum ΧΡΟΝΟΝ alatum esse, ad significandam celeritatem, volubilitatem & *fugam* ejus, quemadmodum non ineleganter canit Horatius,

In Pan.
Lib. 1.
Lib. 18.
Lib. 1. Cont. Ap.
I 1 c. 8. Sat.
Serm. l. 3.
Car. od. ult.

Exegi monumentum ære perennius
Regalique situ pyramidum altius.
Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & FUGA TEMPORUM.

Tempus enim continuo labitur; multique præsens esse negant; quia quod præsens vocamus, ex parte confectum, præteritum, mox perficiendum futurum est, uti præter Marium Victorinum argumentatur Seneca; *præsens tempus*, ait, *brevissimum est; adeo ut quibusdam nullum videatur. In cursu enim semper est, fluit & præcipitatur, ante desinit esse, quam venit*. Inde non modo perqu[illegible]ganter *Ætatem volatilem* vocat Sulmonensis vates; verum etiam optimo merito *Tempori* in marmore alæ tribuuntur; ut & in nummo Heracleotarum, quem in honorem Elagabali percusserunt, apud harum rerum studiosissimum virum Carolum Patinum:

In Rhet. Cic.
Cap. 2. de Br. Vitæ.
Lib. 1. Amor. El. 8. & Lib. 10. Metam.
Pag. 338.



Falx enim *Saturnum* esse (quippe quam eidem Deo tribuunt Martianus Capella, Fulgentius, Macrobius, Festus, alii; unde & *Falciferum Deum* appellat Arnobius;) alæ vero *tempus* vel χρόνον arguunt; quem eundem cum Saturno esse, licet satis notum sit, tamen non gravabor docere disertissimi patrum Lactantii verbis: *Quid quod ipsi Saturno non divinum modo sensum sed humanum quoque adimunt? cum affirmant esse eum Saturnum, qui cursum & conversionem spatiorum & temporum continet; eumque Græce id ipsum nomen habere;* Κρόνος *enim dicitur, quod est idem quod* Χρόνος, id est, *spatium temporis*. Et, ut taceam Lucianum hominem qui veteres imitandos sibi proponit, & antiqui temporis eloquentiam aucupatur, vocare ἀρχαῖον & κρονικὸν ἄνθρωπον, apprime huc facit, Posidippum occasioni vel καιρῷ tribuere *pedes alatos*; Phædrumque *cursum volucrem*, cum ξυρῷ vel *novacula*, Ausonium *talaria*: Eustathiumque notare Homerum narrantem prodigium Græcis in Aulide oblatum, tempus avibus assimulasse, quia illud alas habet; Πτηνὸν, ait, γὰρ ὁ χρόνος καὶ διὰ τοῦτο καὶ τὰ πτηνὰ εἰς σημεῖον χρόνου λαμβάνεται, *Tempus enim alatum est, ideoque aves ut temporis symbolum accipiuntur*. Quin & tempus, ut arbitrantur eruditi viri, barbatum, alatumque, manibus in runcinam incumbens, & pedes vinculis (ita Saturnum *pedibus compeditis* fingi solere scribit Minutius Felix) constrictos habens cernitur in Gemma antiqua; non secus ac Autumnus corbem fructibus repletum cum anate, vel ut ego arbitror, ansere tenens; apud Leonardum Augustini. Celeritatis igitur alæ symbolum sunt; atq; in nummo Catanensi *sceptrum alatum* ex opinione Clarissimi Viri R[illegible]phaelis significat promptam & velocem eloquentiæ vim; & ut exprimerent vocis celeritatem, Homerus, Hesiodus, Lucianus, aliique verba vocant πτερόεντα; Ille insuper Irin χρυσόπτερον, quia nuncia erat non solum μαμπρὰ verum etiam ὠκεῖα; & denique quia divina in perpetuo motu sunt, non modo Tempori, verum etiam Soli, Jovi, Minervæ, Dianæ, Nemesi Græci, omnibusque Diis Ægyptii, ut moneo in Harpocrate & pluribus probabi-

Lib. 5.
Lib. 1. Myth.
Lib. 1. Sat 78. in v. opima.
L. 3. adv. Gent
L. 8. c. 12.
In Rhet. præc.
Lib. 4. Anth.
Lib. 5. Ep. 12. Ad Il. B. p. 226.
Part. 1. Gem. 105. et 147.

tur, alas tribuerunt. ΧΡΟΝΟΣ præterea attentus admodum stat, & digito silentium suadet. Scilicet ipse Homerus jam olim legem in precibus recitandis dedit *Σιγῇ ἐφ' ὑμείων*, *inter vos tacete*, uti docet Julianus Imperator; & ita celebrata sacra gentilium, silentiumque imperatum fuisse usitata formula FAVETE LINGUIS, qua tamen alii præconem bona verba & bona omina sacrificio adstantes fari jubere censent, uti videre lic t apud Brissonium, & Castalionem, multi auctorum loci testantur. Quin Pythagorici & Ægyptiorum sapientes januam sacram existimabant; vetabantque prætereuntes eam loqui, quia SILENTIO colendus erat Deus, omnium rerum auctor & principium, teste Porphyrio. Hinc in marmore ipse sequitur.

In Misop.

Lib. de Form. Dec. 2. obs. c. 10.

Lib. de Ant.

ΟΜΗΡΟΣ

caput cinctus diademate vel vitta, dextra manu codicem, sinistra hastam cujus summitati loti florem, nescio quam ob causam Kircherus imponit, tenens, tunicam, cujus manicæ vix ad cubitum descendunt, quamque *Κολοβίον* & *κολοβίωνα* vocabant, indutus, sellæ insidens, pedibus *ὑποποδίῳ* impositis; barba promissa & pingui; crinibus humerum flagellantibus; qui naturalis & a Deo quasi datus viri ornatus, veteribusque, quibus ars curandi capillos tondendique genas incognita erat, servatus; Lactantius. *Frons ergo vallata per circuitum & a temporibus effusi ante aures capilli, & earum summæ partes in coronæ modum cinctæ, & occipitium omne contectum, speciem miri decoris ostentat*: unde & Galilæos *ὀπισθοκόμους* vocat Nonnius, quemadmodum recte exponit Salmasius; & Lucianus tradit omnes *τὰς παλαιὰς* *barbam* & *comam* aluisse. Suppedaneo autem pedes imponit; non secus ac Jupiter Olympius apud eundem Lucianum, & Pausaniam; nec non ille qui a Babyloniis colebatur apud Herodotum; ubi male Laurentius Valla, *sustentaculum*, Stephanus *mensam* intelligunt; cum vel inspicienti pateat, Jovis simulacrum *βάθρον* *scabellum* vel suppedaneum, & Thronum sive sedem ex auro habuisse. Juxta *ὑποπόδιον* MURES chartulam vel aliud quid rodunt; hisque forte locus datur, quia *Batrachomyomachia* a Martiali, qui, ut hic *mures* tantum cernuntur, ita *ranas* solas memorat,

c. 7. de opif. Dei.

Ep de Coma. In Cyn.

I Quom. Hist Sacr. lib. 6. l. 1. c. 83.

Lib. 14. Ep. 183.

> *Perlege Mæonio cantatas carmine ranas*
> *Et frontem nugis solvere disce meis*,

Suida, Proclo, Auctore anonymo; Herodoto, nisi tamen alius vitæ illius auctor, Angelo Politiano, Camerario, aliisque veterum & recentiorum poetæ nostro tribuitur; vel quia Pammenes Thebanus, Zoilus Amphipolitanus, Xenophanes, Euclides, Eratosthenes præstantissimi poetæ famam vellicarunt; non secus ac mures scuta, cribra, papyrum, similesque res rodere solent; unde significanter Cicero, *Qui aliquem in conviviis rodunt, in singulis vellicant, carpunt*. Cæterum cum non libeat immorari nomini viri nec

Orat. pro Corn.

inquirere; num a prima pueritia habuerit idem, vel MELESIGENIS; sive a Cumæis propter cæcitatem; ab aliis quia obses Persis a Cypriis datus, vel quia in femore longi crines enascebantur, HOMERUS appellatus sit; de quibus omnibus singulari diligentia agit Leo Allatius, ΙΛΙΑΣ & ΟΔΥΣΣΕΙΑ ad partes vocandæ sunt. Nam genu posito adsident Homero, quia illis operibus æternam famam & nunquam intermorituram consecutus est; nec adjiciuntur vel Margitis vel Batrachomyomachia vel alia opuscula, quia multi censent hæc sola genuina esse; Proclus; *γέγραφε δὲ Ποιήσεις δύο, Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν*; *scripsit poemata duo, Iliadem & Odysseam*; Auctor anonymus: *οὐδὲν δὲ αὐτῷ θετέον ἔξω τῆς Ἰλιάδος καὶ τῆς Ὀδυσσείας*; *Nihil illi præter Iliadem & Odysseam adscribendum est*: qui & mox addit Pisistratum *ποιήματα αὐτοῦ ἀληθῆ*, id est Iliadem & Odysseam, sparsim antea cantari solita in unum corpus redegisse. Et sane, si forte alia a poeta nostro composita sunt, his tamen operibus præcipuam laudem meruit; cum duorum clarissimorum populorum internecivis odiis gestum bellum, & peregrinationem hominis prudentissimi describat; quæ etiam, quia nihil illustrius antiqua historia habet, ad exemplar proculdubio Homeri, quem & imitatur Polygnotus apud Pausaniam, in porticibus pingebantur; Petron. *Interrogare ego atriensem cœpi; quas in media porticu picturas haberent*; ILIADA & ODYSSEAM *inquit*. Cur autem alterum opus a nomine Herois; alterum, licet præcipue circa Achillem versetur, a loco nomen acceperit, explicat eleganter Eustathius extremo procemio: *Ὅθεν ἐκεῖνο μὲν τὸ βιβλίον, ἀπὸ ἑνὸς προσώπου τοῦ Ὀδυσσέως ὠνόμασεν, ἀποδηλῶν τὸ ὀλίγον τῆς πραγματικῆς ὕλης, ὧν μόνα δῆθεν λέξων ἦν τὰ κατὰ τὸν Ὀδυσσέα. εἰ καὶ ἄλλως κατὰ μέθοδον οἰκείαν, καὶ ἕτερα πολλὰ παρενέπλεξε. Ταύτην δὲ τὴν βίβλον, συλληπτικώτερον ΙΛΙΑΔΑ ἐκάλεσε· καὶ οὔτε ἀπὸ ἑνός τινος ὡς ἐὰν Ἀχίλλεια ἤ τι τοιοῦτον, ἐκαλεῖτο οὔτε δὲ τοὺς Ἰλιεῖς ὡς δηλαδὴ τὰ τῶν Ἰλιέων μόνων περιεχούσῃ κακά· ἀλλ' ὅτι περιέχει τὰ κατὰ τὴν Ἴλιον συμπεσόντα ἤτοι τὰ Τρωϊκά*; *Inde illi quidem libro a persona Ulyssis nomen indidit, significans sterilitatem materiæ, & tantum se descripturum quæ Ulyssi evenerant, licet temere vel prout in mentem venerant, secundum suam methodum alia multa immisceat. Hunc vero librum magis communi nomine Iliadem, neque ab uno aliquo, v. c. Achilleidem similiterve vocavit; neque propter Ilienses, tanquam solorum Iliensium clades contineret: sed quia complectitur illa, quæ circa Ilium evenerunt, vel Troica*; Virgines autem nostræ parvæ admodum præ reliquis sunt; quia opera, quæ designant, optimæ ætatem ferent, nec unquam canos rugasve, & quod ex illis oritur, fastidium sentient. Hoc est quod & ipse Homerus ab Euclide, cujus verba ante laudavi, vocatur *ἀγήραος*, *senectutis expers*; & quod Sulmonensis vates Perillam ad bonas artes & poeticen reducere conatur; cumque cecinisset faciem decentem vitiari longis annis, damnosamque senectutem formæ manus injicere, addit,

In vita Hom.

Lib. x.

L. 3 Eleg. Trist.

Singula quid referam? nil non mortale tenemus,
Pectoris Exceptis ingeniique bonis.

Et paulo post;

Te quoque quam studii maneat felicior usus
Effuge venturos, qua potes, usque rogos.

Lib. 1. Ant.

Et quod valde Iliadis atque Odysseæ juvenilem formam illustrat, Θυγατέρες Homeri vocantur ab Antipatro;

Αἱ βίβλοι, τίνος ἐστέ; τί κεύθετε; Θυγατέρες μὲν
Μαιονίδου, μύθων δ᾽ ἵστορες Ἰλιακῶν.
Quidnam estis libri? quid fertis? filiæ Homeri
Nos sumus, Iliacam pandimus historiam.

l. 4. c. 27.

Abque alio κούραι sive *puellæ* pari elegantia;

Καὶ τὰς δ᾽ ἀντιθέῳ ψυχῇ γεννήσαο κούρας
Δισσὰς ἐκ στηθέων γραψάμενος σελίδας.
Et has divino animo generasti puellas
Duos ex præcordiis conscribens libros.

Orat. 3.

Patri igitur Homero adsident; quomodo elegantissime poetæ tam Græcis quam Latinis vocantur; Themistius; *Καὶ εἰ ταῦτα οὕτως πράξεις, οὐκέτι ἐκεῖνα τὰ ἔπη θαυμασόμεθα, ἀλλ᾽ ἐροῦμεν πρὸς τὸν πατέρα τῶν στίχων; Atque si hoc te modo gesseris, nihil erit amplius, quod istos versus admiremur, sed illud eorum patri dicemus*: Ovidius libros suos *fratres*, se ipse *parentem* appellat;

L. 1. Tr. El. 1.

Aspicies illic positos ex ordine FRATRES
Quos studium cunctos evigilavit idem.

Mox loquens de Amorum libris

Deque tribus moneo, si quæ tibi cura PARENTIS
Ne quenquam, quamvis ipse docebit, ames.

Ad l. 3. Tr. El. 1. Lib. 3. In Tim. Plat.

Quam in rem nonnulla enim notat Doctissimus, & omnis antiquitatis peritissimus Nicolaus Heinsius. Proclus quoque Pythagoram appellat τὸν χρυσῶν ἐπῶν πατέρα: & poetæ veteri Scholastico, qui sub nomine Cæsaris Augusti Maronis mortem deplorat apud Pithœum, *suprema jussa parentis* sunt, quibus Italia decedens mandaverat, si quid sibi accidisset, Æneida, & ut ille videtur indicare, omnia sua opera flammis dari. Nam ut hoc ὡς πάρεργον adjiciam, omnis ille, qui rei alicujus auctor, PATER ejus appellatur. Nilus apud Themistium est πατὴρ ληΐων, *pater frugum*, propter annuam, ut notum, inundationem, primi Cæsares eidem πατέρες βασιλείας; Phidias πατὴρ Jovis Olympii Philoni Byzantio; Augustus in Inscript. Veteri PARENS COLONIÆ *Jadiræ*, quia illam deduxerat, apud Sponium, quo nemo melius rudera antiquæ Græciæ, diligentiusque lustravit non modo, verum etiam illustravit. Epaminondas idemque apud Diodorum Siculum sine liberis licet diem obeat, dicit tamen relinquere se δύο θυγατέρας, n. victoriam Leuctricam & Mantinensem. Sedet præterea ILIAS ad dextram Homeri, quia dexter locus Græcis, quicquid velitentur nonnulli, aliisque populis habitus honoratior; & illa cum dignitate tum antiquitate ODYSSEAM, postea compositam, uti docet Dionysius Longinus, præcedit. Neque tamen diffiteor, dubitatum olim fuisse, utra prior conscripta sit; quemadmodum locuples testis Seneca; *Græcorum iste morbus fuit, quærere quem numerum remigum Ulysses habuisset: prior scripta esset Ilias an Odyssea, præterea an ejusdem essent auctoris*; imo hanc quæstionem diligenter a nonnullis agitatam fuisse non oblitus est memoriæ mandare Eustathius; Εἰ δὲ καὶ ἕτερα ποιήματά εἰσιν Ὁμήρου, οἷον καὶ ὁ Μαργίτης καὶ ἡ τῶν μυῶν καὶ βατράχων μάχη, ἄλλοι δὲ αὐτὸ ἐξήτασαν πρὸς ἀκρίβειαν. καὶ ἐὰν ἡ Ἰλιὰς τῆς Ὀδυσσείας προπεποίηται, ἢ καὶ ἀνάπαλιν; *Num vero & alia poemata Homeri sint, ut Margites, & Pugna murium ranarumque, alii quoque diligenter scrutati sunt, & an Ilias ante Odysseam, an vero hæc ante illam facta sit*. Quicquid tamen disputaverint veteres, Ilias vulgo credita vetustior, & Lucianus affirmantem hoc ipsum introducit Homerum; καὶ μὴν κἀκεῖνο ἐπεθύμουν εἰδέναι εἰ πρότερον ἔγραψε τὴν Ὀδύσσειαν τῆς Ἰλιάδος, ὡς πολλοί φασιν· ὁ δὲ ἠρνεῖτο; *Tum & illud scire cupiebam, an quod multi volunt, Odysseam Iliade priorem scripsisset; ille vero negabat*. Merito igitur Ilias dextrum locum occupat, Odyssea sinistrum; quarum præterea illa, veluti insigne, GLADIUM, hæc vero APLUSTRE manibus tenent. Scilicet Ilias complectitur bella, cædes, clades, quas Achilles, Ajax, Hector, aliique tam Græcorum quam Trojanorum dederunt, vel

Orat. 7. — Orat. 12. — Cap. 8. — L. 13. de Br. Vit. — pag. 4. — L. 2 Ver. Hist. — Horat. In Arte.

Res gestas regumque ducumque & tristia bella;

Odyssea vero peregrinationem, quam Ulysses *per duo lustra sævo mari*, ut Ovidius canit, facere coactus est. Et, quod valde marmor nostrum illustrat, Ilias interrogata quid tandem contineret, respondet Antiphilo auctore;

L. 4. ex pont. Et ult. Lib. 1. Anth. c. 67.

Ἁ μία μὲν μηνιθμὸν Ἀχιλλέος, ἔργα δὲ χειρὸς
Ἑκτορέας, δεκέτους τ᾽ ἆθλα λέγει πολέμου.
Prima iram Pelidæ, & denos bella per annos
Et quæ egit bello, Troicus Hector, habet.

Odyssea vero,


Ἁ δ᾽ ἑτέρα μόχθον τὸν Ὀδυσσέος, ἀμφί τε λέκτροις

Χηρείοις ἀγαπᾶς δάκρυα Πηνελόπας;
Altera Ulyſſeos ingenti laude labores
Continet, & caſtæ Penelopæ lacrymas.

Lib. 4. Alius ſimiliter anonymus Iliadem bellum Græcorum, Odyſſeam *reditum*, qui revera fuit peregrinatio, & error, Ulyſſis complecti canit;

Ὑμνεῖ δ' ἡ μὲν τόσον Ὀδυσσῆος πολύπλαγκτον,
Ἡ δὲ καὶ Ἰλιακὸν Δαρδανίων πόλεμον.

Cic. l. 8. ad Att. 11. Lib 2. Ilias igitur propter cædes, quæ in illa decantantur (unde *Ilias malorum* in proverbium abiit; & Ἰλιόθεν μὲ φέρεις apud Heliodorum ille dicit, qui rogatu alterius triſtem narrationem erat incepturus; & apud Orat. 1. Themiſtium qui malum auget, Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν facit) tenet *enſem*; cujus vaginæ extrema pars utrinque quaſi falcata & in ſe flexa eſt; qualem me non memini in aliis marmoribus vel nummis videre; niſi quod in Notitia Imperii provincia Palæſtina gladio, cujus vagina in inferiori parte latior eſt, ornatus proculdubio cauſa, uti ex ectypo patet,



cincta ſit: Odyſſea vero APLUSTRE oſtentat, ad ſignificandos Herois ſui maritimos errores. Eſt enim *apluſtre*, ornamentum navium ex tabulis tenuibus confectum; vetuſque Juvenalis Scholiaſtes *tabulatum* interpretatur; *Apluſtre, tabulatum ad decorandam ſuperficiem navis adpoſitum, alii dicunt roſtra navis, alii ornamentum puppis*. In Exer. Plin. & In Mil. Nav. Græci Ἄφλαστα vocant & puppi recte adſcribunt, uti multis docent Salmaſius & Schefferus. Sunt & nummi apud Urſinum in Gente Fonteja, aliiſque, qui eandem apluſtris formam exhibent. Neptunus quoque, licet ſæpiſſime delphinum vel tridentem, teſtibus nummis & Pauſania, gerat; interdum tamen ſortis ſuæ in ſignum APLUSTRE oſtentat, ut in Veſpaſiani apud Triſtanum, Auguſti apud Choulium, Hadriani numiſmate in cimeliarchio Nobiliſſimi Viri Conſtantini Huygens, Domini in Zeelhem, & Principi Arauſionenſi a Secretis; nec non annulo quinto & vigeſimo apud Gorlæum. Atque hæc eſt genuina rerum, quas Homeri filiæ tenent manibus, explicatio; non quam comminiſcitur Kircherus; genios nempe has figuras eſſe, alteram manu flagellum ὁμιόμορφον quaſi in aera vibrare, quo vis & energia in Tyrannorum vitioſorumque hominum flagitiis profligandis ſignatur: quæ interpretatio viri doctiſſimi quid ſibi velit, aut quem fundum habeat, meum non eſt inquirere, qui in Græcorum monumentis Græcarum antiquitatum ratio-

A nem habeo, neque ad adyta & penetralia Iſidis, vel Oſiridis, Joviſve Pharii decurro. Hancque expoſitionem mire firmat nobile & antiquum Græciæ inſtitutum; quo Rhapſodi (hos *Homeriſtas* vocari in Fragmento Petronii Tragurino cenſent Eruditi, & peculiarem veſtitum habuiſſe, quando carmina Homeri cantabant, Lib. 3. docet Achilles Tatius, ὁ μηειλκὸ σκόλω eam appellans) Iliadem recitaturi RUBRIS, Odyſſeam vero ἁλυργοῖς vel CÆRULEIS Pag. 6 induebantur; uti tradit addita ratione Euſtathius; Καὶ τὴν ὁμηρικὴν ποίησιν οἱ ὕστερον ὑπεκρίνοντο δραματικώτερον, B τὴν μὲν Ὀδύσσειαν ἐν ΑΛΟΥΡΓΟΙΣ ἐσθήμασι, τὴν δὲ Ἰλιάδα ἐν ΕΡΥΘΡΟΒΑΦΕΣΙΝ: ἐκεῖνο μὲν, κατὰ τοὺς παλαιοὺς, διὰ τὴν ἐν θαλάσσῃ πλάνην τοῦ Ὀδυσσέως, τοῦτο δὲ διὰ τοὺς ἐν Τροίᾳ φόνους καὶ τὰ ἐντεῦθεν αἵματα: *Homeri Poeſin poſteri egerunt dramatice, Odyſſeam quidem in cæruleis veſtibus, Iliadem vero in rubris: illud quidem ex veterum ſententia propter errores in mari, hoc vero propter cædes ad Trojam, & qui inde oriebatur ſanguinem*: quo pertinet C Thyleſium, neſcio tamen ex quo auctore (quamvis in genere tradant Ovidius, Lib. 1. Tr. El. 1. l. 3. Ep. 2. In de Marc. cond. & Adv. Ind. C. 1. de Color. Martialis, libros *purpura, purpureo ſucco, velatos*, Lucianuſque iis tribuat πορφυρᾶν διφθέραν) notare; nonnullos veterum membrana ſanguinei Iliadem, Odyſſeam vero cærulei coloris involviſſe. Scilicet ἐρυθρὸς vel *puniceus*, ut Latinis proprie vocatur a Græco φοινικὸς vel φοίνιος id eſt, *cruentus, ſanguineus*, color eſt ſanguini ſimillimus; qualem Plinius purpuræ Tyriæ tribuit; *Laus ei ſumma color ſanguinis concreti, nigricans adſpectu*, D *idemque ſuſpectu refulgens*. Sic calcei Imperatorum, qui hujus coloris erant a Græcis modo vocantur ἐρυθρὰ πέδιλα, modo φοινικοβαφῆ, uti ex Zonara, Niceta, Codino, Cedreno, Georgio Logotheta aliiſque conſtat; & qui in Inſcr. CALCEI PUNICEI ſunt, Dioni dicuntur ΕΡΥΘΡΟΧΡΟΟΙ. Pag. 336. Lib. 53. Atque ut canentes Iliadem punicei coloris vel ſanguinei veſtes; ita φοινικίδα, *tunicas, puniceas*, vel *ruſſatam veſtem* induebantur Lacedæmonii in prælium ituri, ne hoſtibus, ſanguinem & vulnera videntibus, animi creſcerent; E quemadmodum videre licet apud Xenophontem, Ælianum, Valerium Maximum, Iſidorum, nec non Euſtathium. Ad Il. A p. 855. Diaconi quoque in priſca Eccleſia Dalmaticas gerebant purpura clavatas, ut ſignificarent ſanguinem Chriſti (fas mihi ſit ſacrum nomen profanis rebus miſcere) pro ſalute mundi effuſum eſſe, ex mente Honorii Auguſtodunenſis, qui vixit ſæculo duodecimo: *Dalmatica duas coccineas lineas ante & retro habet, quia vetus & nova lex dilectione Dei & proximi refulget. Iidem tramites purpurei deſignant ſangui-* F *nem Chriſti pro duobus populis effuſum*. Ob cædes igitur & ſanguinem Ilias enſem tenet, ob peregrinationes Ulyſſis Odyſſea apluſtre; & rapſodi eam cantaturi puniceis; hanc vero, cæruleis veſtibus, vel conchyliatis, ut Suetonius loquitur, ornati prodibant. Scilicet talis maris color, quo per tot annos Ulyſſes fuit jactatus; inde *Cærula* frequenter pro pelago ponunt poetæ; Diique marini *Cærulei* vocantur,

iisque omnia cærulea tribuuntur: Ovidius;

Velivolique maris vates, cui credere possis,
Carmina CÆRULEOS *composuisse Deos.*

Idem alibi Psamathen Nerei filiam, Neptunum, & Tritona *cæruleos* appellat; *Cæruleos oculos* Neptuno Cicero, *crines genasque* Glauco; *equos cæruleos* Tritoni Statius; Hylæ a Nymphis rapto *cæruleas vestes* Valerius Flaccus; Neptuno *cæruleum caput* & Britanniæ, quia undique mari alluitur, *cæruleum amictum* tribuit Claudianus;

Inde Caledonio velata Britannia monstro
Ferro picta genas, cujus vestigia verrit
Cærulus Oceanique æstum mentitur amictus.

Et ne dicam Nilo Virgilium *cæruleum gremium* dare, Tiberino *os*; Panopæ *crinem*, auctorem Consolationis ad Liviam; Tigridi *cæruleam comam* Ovidium; Tiberimque *cæruleum* a Virgilio & ejus imitatione a Sidonio Apollinari vocari; nobile Græcorum institutum, similibus rebus illustrandum est. In antiquis historiarum collectaneis Codicis Vaticani 26. Oenomaus dicitur primus invenisse Circensium ludorum colores, illosque qui terram repræsentabant agitatores exornasse viridi, qui mare, κυανέᾳ vel cærulea veste: Καὶ εἰ μὲν τὸ χλοανὸν ἐνίκα ἡ γῆς εὐφορίαν ἤλπιζον. εἰ δὲ τὸ κυάνεον, τῆς θαλάσσης εὔπλοιαν. καὶ ηὔχοντο οἱ μὲν γεωργοὶ τῷ χλοανῷ νικᾶν. οἱ δὲ αὖ πάλιν ναυτίλοι τῷ κυανέῳ ἐβούλοντο τὴν νίκην; *Quod si color viridis vicisset, terræ fertilitatem omnes sperabant, si cæruleus, tranquillam vel felicem maris navigationem. Quare agricolæ optabant victoriam viridi colori, nautæ cæruleo.* Ut verba illa laudantur Nicolao Alemanno ad Procopium: Et ut omittam eadem fere Chronici Alexandrini Auctorem tradere, hostiæ diis marinis oblatæ cæruleis vittis ornantur a Valerio Flacco;

Tum læti statuunt aras, tibi, rector aquarum,
Summus honor: tibi CÆRULEIS *in littore vittis*
Et Zephyris Glaucoque bovem, Tethidique juvencam
Dejicit ——

Romæ nunciato tumultu Italico vel Gallico, is qui exercitum ducturus erat, vexillo roseo pedites, CÆRULEO equites evocabat; quia talis maris color, & a Neptuno equus productus est, teste Servio. Illi qui deos marinos repræsentabant, *cæruleati* erant; & Plancus apud Vellejum *cæruleatus & nudus, caputque arundine redimitus Glaucum saltavit.* Qui fortiter se in præliis navalibus gessissent vexillis eodem colore infectis donabantur; & Augustus *M. Agrippam in Sicilia post navalem victoriam cæruleo vexillo donavit*, apud Suetonium; quod vexillum Dio appellat σημεῖον κυανοειδὲς ναυκρατικόν: Sextus tandem Pompejus ob geminum partis diversæ naufragium elatus, quia Neptuni filius haberi volebat, paludamentum puniceum cæruleo mutavit; Appianus; Καὶ τὴν στολὴν τοῖς αὐτοκράτορσιν χλαμύδα ἐκ φοινικῆς εἰς κυανῆν μετήλλαξεν φασί. Non igitur absque ratione rhapsodi Odysse curam antari cæruleis vestibus ornabantur. Nam errasse Ulyssem post decennale Trojæ bellum per totidem annos (Plautus enim in Fragmentis quando canit;

Ulyssem audivi fuisse ærumnosissimum
Qui annis viginti errans a patria abfuit,

utrumque tempus conjungit; quod miror non cepisse Pricæum ad Apologiam Apuleii) inter omnes veteres constat, donec Eratosthenes, an Ulysses, & ubi erraverit in dubium vocare est ausus; quem tamen una cum discipulo Apollodoro longa doctaque disputatione Strabo refellit. Imo Tyrrheni Ulyssem Νάνον id est, *vagum* vel *erroneum* vocaverunt, uti Tzetzes (nisi tamen vigilans somniet ac nugetur, uti censet Bernardus Martinus; vel apud eum πλάνος rescribendum sit) commentatur in Lycophronem; Νάνος ὁ Ὀδυσσεὺς παρὰ Τυρσηνοῖς καλεῖται, δηλοῦντος τοῦ ὀνόματος τὸν πλανήτην; at ipse adjicit sese repperisse Ulyssem initio Νάνον dictum fuisse, inde Ulyssem, non secus ac Achilles ante appellabatur Λιγύρων καὶ Πυρίσσοος. Non desunt tamen, qui narrant majora veris tradi; & Pindarus canit illius illustriorem famam esse διὰ τὸν ἁδυεπῆ *propter suaviloquum Homerum*; cujus figmentis inest gravitas quædam, quique alios sapienter factis fabulis capit: Ovidius quoque conferens suas & illius calamitates, tandem adjicit,

Adde quod illius pars maxima ficta laborum est,
Ponitur in nostris fabula nulla malis.

Quid de erroribus ejus senserit Telephus Pergamenus Grammaticus, quem Suidas narrat περὶ τῆς Ὀδυσσέως πλάνης scripsisse, non passa est nos scire temporis injuria. Alii quæsiverunt num in mediterraneo an vero in externo mari fuerit jactatus, Seneca *Quæris Ulysses ubi erraverit potius, quam efficias, ne nos semper erremus; non vacat audire, utrum inter Italiam & Siciliam jactatus sit, an extra notum nobis orbem: neque enim potuit in tam angusto error esse tam longus.* Et Aristarchus quidem censuit eum ἐν τῇ ἔσω θαλάσσῃ, Crates vero ἐν τῇ ἔξω errasse, uti memoriæ mandat Gellius: posterioremque sententiam amplecti videtur Ovidius,

Annuus assuetum dominæ natalis honorem
Exigit: ite manus ad pia sacra meæ.
Sic quondam festum Laertius egerit heros
Forsan in extremo conjugis ORBE *diem.*

neque enim puto *extremum orbem* memoraturum poetam, nisi Ulyssem columnas Herculis credidisset egressum esse; quod multis aliis pariter visum fuit. Strabo enim Hispaniam eum adiisse ex Ulyssea regionis ejus oppido & Minervæ templo colligit; Solinus Britannias tradit; & alii apud Tacitum in Oceanum delatum, adiisse Germaniæ fines, Asciburgumque in ripa Rheni condidisse; tamen omnia fabulosa esse, Ulyssemque tantum in mari mediterraneo errasse docuerunt Brodæus, Cluverius, Vossius, Bochartus. Sentit & idem Eustathius proœmio in Odysseam; sed addit Homerum φυλάττοντα τὰ τῆς ἱστορίας προστιθέντα

Marginalia (left column): Lib. 4. El. 16 ex pont. — Lib. 11. & lib. 1. Met. — Lib. 1. de N.D. Lib. 5. Theb. & 1. Arch. — Lib. 1. v. 220. 642. — Lib. 2. de cons. Stil. — L. Æn. — L. b. 1. Arg. — Carm. 3. — L. 1. Arg. v. 188. — Ad. l. 8. Æn. — L. 2. c. 83. — Cap. 25. — Lib. 51. — L. 5. B. Civ.

Marginalia (right column): Lib. 1. — Od. 7. Nem. — Ep. 88. — L. 14. c. 6. Lib. 5. Tr. El. 5. — Lib. 3. Cap. 25. Lib. de Mor. Germ. — Lib. 3. Misc. 4. L. 2. Sic. Ant. c. 17. Lib. 1. cap. 37 & 33. de Idol. L. 1. c. 33. P. 2. Geo. Sacræ. — Lib. 2.

δὲ καὶ τερατολογίαν ποιητικὴν finxiſſe eum in Oceanum delatum eſſe. Apollodorus quoque apud Strabonem eos inſectatur qui de ſententia Homeri Ulyſſem circa Siciliam erraſſe affirmant; quia licet revera ibi jactatus ventis & mari ſit, poetam tamen fingendi libidine eum in Oceanum deportaſſe. Ut ut ſit, erravit certe Ulyſſes, & procellis agitatus vehementiſſimis eſt, indeque factum, ut deſcripturus graviſſimam tempeſtatem Ariſtides, ita loquatur; καὶ συμβαίνει τὶς Οδύσσεια, εὐθὺς μὲν ἐν τῷ Τυῤῥηνικῷ πελάγει, ζάλη καὶ ζόφος, καὶ λὶψ καὶ ταραχὴ τῆς θαλάττης ἀκατάσχετος. *Tum ſecuta eſt Odyſſea quædam; ac ſtatim in mari Tyrrheno procella, tenebræ, Africus, immenſa maris commotio.* Sequuntur in Marmore

Tit. 1. p. 339.

ΜΥΘΟΣ. ΙΣΤΟΡΙΑ, & ΠΟΙΗΣΙΣ.

& ille quidem puerili atque maſcula forma; hæ vero muliebri repræſentantur: de quibus primum in genere, inde in ſpecie ut agam, flagitant res præclaræ, quæ monendæ & diſcutiendæ, ut tres virtutes Homericæ bene percipiantur, ſunt. Ars igitur poetica ante Oratoriam nata, & πέζος λόγος ὅγε κατεσκευασμένος, μίμημα τοῦ ποιητικοῦ ἐστι. πηγὴ καὶ ἀρχὴ φράσεως κατεσκευασμένης καὶ ῥητορικῆς. *pedeſtris oratio ex arte ornata, poeſeos eſt imitatio*; eademque poeſis, *fons & principium Orationis artificioſæ atque Rhetoricæ*: uti Strabo loquitur, pluribuſque probant Gyraldus & Salmaſius. Nec me movet Joannem Spondanum tam inepti inſulſique commenti pudere, & interrogare Græcos, quo pacto Cadmus, Pherecydes, Hecatæus locuti ſint, antequam artem Oratoriam introducerent. Neque enim illi putant homines inter ſe colloquentes verſus uſurpaſſe; ſed libros ita primum conſcriptos, eoſque qui aliquid principes in publicum ediderunt, poetas, vel certe ligata oratione uſos fuiſſe. Poetæ autem, unde & nomen ipſis datum eſt, multa fingebant, hiſtorias veras in fabulas mutabant; utque augerent Deorum majeſtatem, rerum imperitos homines in admirationem raperent, ponduſque adderent arti ab ipſis inventæ, veris figmenta, veriſimilia quæ eſſent, addebant, uti apud Palæphatum legere licet; unde & Strabo, παραπλέκειν id eſt *adtexere* vel *ſuperaddere* illis tribuit. Neque enim omnia fingere debent, ſed veris ficta adjicere; hiſtoriam ſibi deſcribendam ſumere, illamque variis quaſi emblematis ornare; id quod diligenter fecit Homerus noſter; Strabo Ἔτι δὲ, ἐπεὶ οὐ πάντα μυθεύουσιν, ἀλλὰ πλείω προσμυθεύουσι καὶ μάλιστα Ὅμηρος; *præterea cum non omnia fingant poetæ, ſed multa affingant, præcipueque Homerus*: quem & libro eodem ſcribit παρὰ τῆς ἱστορίας τὰς ἀρχὰς, *ex hiſtoria initia accepiſſe*. Hoc eſt, quod docet & eleganter exprimit patrum diſertiſſimus, & ſi quis alius, Ciceroni familiaris, Lactantius: *Non ergo res ipſas geſtas finxerunt poetæ: quod ſi facerent, eſſent vaniſſimi, ſed rebus geſtis addiderunt quendam colorem*: & mox: *Neſciunt homines, qui ſit poeticæ licentiæ modus, quouſque progredi fingendo liceat: cum officium in eo ſit, ut ea, quæ vere geſta ſunt, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo converſa traducat. Totum autem, quod referas, fingere, id eſt ineptum eſſe & mendacem potius quam poetam.* Sic bellum Trojanum geſtum eſt (quanquam Ilium expugnatum fuiſſe neget magni nominis & eruditionis Orator Dio Chryſoſtomus, vel defenſus eo nomine vel reprehenſus a noſtri ſæculi eruditis) ſed tot illud Homerus figmentis exornavit, ut vere ſe poetam eſſe oſtenderet. Διασκευάζειν & Διασκευὴν id vocat Strabo: Βέλτιον μὲν οὖν ἂν οὕτω δέχηται, ὅτι πεισθεὶς ἐκεῖ τὴν πλάνην τῷ Ὀδυσσεῖ γενέσθαι λαβὼν ἀληθῆ ταύτην τὴν ὑπόθεσιν, ποιητικῶς διεσκεύασε. *Recte ſi quis ita Homero aſſentiatur, ut qui pro certo habens eo perveniſſe Ulyſſem, hoc verum argumentum poetice exornavit*: rurſus: χεῖρον δὲ ἐάν τις καὶ τὴν διασκευὴν ὡς ἱστορίαν δέχεται: *perperam ſi quis commenta ejus hiſtoriam putet*. Hoc eſt quod proprie vocarunt ποιεῖν, ut hominem, qui fingebat, ποιητὴν, remque ipſam ποίησιν. Socrates apud Platonem ἐννοήσας ὅτι τὸν ποιητὴν δέοι εἴπερ μέλλοι ποιητὴς εἶναι, ποιεῖν μύθους, ἀλλ᾽ οὐ λόγους. *judicans poetam non debere ſermones ſed fabulas facere*, quam in rem etiam videri poteſt Plutarchus; qui inter cetera ſcribit; ποίησιν non eſſe ᾗ ψεῦδος μὴ πρόσεστι; *cui mendacium non adeſt.* Qui poetas ſecuti ſunt auctores, ſoluta oratione utentes, Cadmus, Pherecydes, atque Hecatæus, ποιητικὰ tamen conſervarunt, teſte Strabone; & Heraclitus Philoſophus Phyſicus πολλὰ ποιητικῶς ſcripſit, uti apud Suidam legitur; unde hæc Cenſorini querela: *Poetæ quidem multa incredibilia ſcripſerunt, nec minus Hiſtorici Græci, quamvis eos a vero non par fuit recedere.* Scilicet cum viderent magno in honore eſſe eos, qui ex profeſſo fabulas ſcribebant; exiſtimaverunt ſuas quoque curas jucundas & acceptas fore lectoribus, ſi ſub narrationis veræ ſpecie ea dicerent, quæ neque vidiſſent, neque audiviſſent, idque unum ſpectarent, ὅτι ἀκρόασιν ἡδεῖαν ἔχει καὶ θαυμαστὴν, *ut liber cum jucunditate & admiratione legeretur*; quemadmodum loquitur Strabo. Atque hinc Eratoſthenes anſam arripuit reprehendendi omnes poetas, illoſque tantum ψυχαγωγίαν, non autem διδασκαλίαν habere cum perſuaſum haberet, poeticam vocandi γραώδη μυθολογίαν; *aniles fabulas*; poetarum interpretes cum ipſis vatibus φλυαροὺς; quam hominis doctiſſimi opinionem multis iiſque haud tralatitiis argumentis refellit Geographus, docetq; poetas οὐ μόνον ψυχαγωγεῖν ἀλλὰ καὶ διδάσκειν, *non modo delectare, verum etiam docere.* Ut enim loquitur eleganter Euſtathius, τὸ δὲ τερψάμενος καὶ πλείονα εἰδὼς, τὸ τέλος ἐστὶ τῆς ποιήσεως, ἧς ἀρετὴ σοφίζειν μεθ᾽ ἡδονῆς, *Hoc vero*, DELECTANS ET MULTA SCIENS, *finis eſt poeſeos, cujus virtus, philoſophari cum jucunditate*: quam in rem plura, ubi ad Σοφίαν erit perventum, monebo. Poetæ igitur, exceptis odarum, ſilvarum, epigrammatum, elegorum auctoribus, quos ſolum oblectare & genus poeticæ imperfectum colere cenſent eruditi, non ſolum docent narrando res geſtas: verum etiam oblectant, multa fingendo, quæ

Marginalia (left column): Lib. 1. — Lib. 1. H. Poet. — Ad Sol. — Init. — Lib. 1. — Lib. 1. — Pag. 20. — Lib. 1. Init.

Marginalia (right column): Lib. 1. — In Phæd. p. 46. — Lib. de Aud. Poetis. — Lib. 1. — Cap. 17. de Die. Nat. — Lib. 11. p. 507. — Lib. 1. — Ad Odyſ. M. pag. 1717. — Rapin. in Diſſ. de Carm. Paſtor.

sunt veris proxima; eorumq; adeo propria habita fictio ut neminem poetæ nomine dignum censerent, nisi qui præter metrum diligenter observatum *mendacia dulcia* excogitasset, ut non ineleganter canit Maximinianus;

El. 1.

Sæpe poetarum mendacia dulcia finxi,
Et veros titulos res mihi ficta dedit.

mendacia scilicet quæ forent verosimilia, quæ poterant videri evenisse; unde & *verus titulus* illis præscribi potuit, quia omnia, quæ narrabantur, a veritate nequaquam erant aliena. Hanc ob causam Ausonius Homero *plasma* tribuit: *Tum raptio Helenæ, quæ opinione veterum bipartita est; quod plerisq; Helenam juxta Homericum* PLASMA *ad Trojam deportatam fuisse existimaverunt:* Apulejus *craterem commentam* poeticæ; *Ego & alias crateras Athenis bibi*, POETICÆ COMMENTAM, *Geometriæ limpidam*, *Musicæ dulcem*: & Alcuin. nec non Hincmar. Rhemen. poetam *falsatorem* vocare non dubitant, & *non contemnendæ auctoritatis falsator* ipsis est Virgil. uti notat Reines. Hinc multi veterum Lucian. numero poetarum eximebant, quia historiam potius, quam poema composuerat, resq; gestas sine figmentorum strepitu instar historici memoriæ mandaverat, ut apud Isidor. Servium, Jornandem, Johan. Sarisberien. & omnibus antiquiorem Quintil. videre licet; *Lucanus ardens*, ait hic, *& concitatus & sententiis clarissimus, & ut dicam quod sentio, magis oratoribus quam poetis annumerandus*. Si enim res vera carmine comprehenditur, nulliq; fictioni locus datur; jam non poema, verum historia fiet; ut præter alios docet Aristot. qui summi ingenii vir cum multa hanc in rem tradidisset, tandem adjicit; Δῆλον οὖν ἐκ τούτων ὅτι τὸν ποιητὴν μᾶλλον τῶν μύθων εἶναι δεῖ ποιητὴν ἢ τῶν μέτρων; & differentiam poetæ docet atque historici non in eo consistere, quod alter ligata, alter soluta oratione scribat; sed quod alter res gestas, alter quales fieri possint vel debeant, componat; ita ut historia Herodoti licet numeris comprehensa, non minus historia futura sit, quam sine illis, Θυσίας μὲν γὰρ, ait Plutar. ἀχόρους καὶ ἀναύλους ἴσμεν, οὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον οὐδὲ ἀψευδῆ ποίησιν... *Etenim sacrificia quædam novimus choris & tibiis carentia: poesin fabularum & figmentorum expertem ignoramus. Nam Empedoclis & Parmenidis versus, Theriaca Nicandri, ac sententiæ Theognidis, orationes sunt, ut pedestris incessus humilitatem effugerent, granditatem & mensuram a poetica pro vehiculo mutuatæ.* Quin & queritur Aristot. jam suo tempore vulgus *poetas* eos vocasse qui nihil fingerent, sed qui versus tantum facerent; Οὐχ ὡς κατὰ μίμησιν ποιητὰς, ἀλλὰ κοινῇ κατὰ τὸ μέτρον προσαγορεύοντες; eademq; ob causam illos qui metrice de medicina scribebant, eodem nomine fuisse donatos. Hinc a poeta distinctus *versificator*; Quint. *Versificator quam poeta melior*; qui etiam alibi, *versificationem* eundem in poemate locum obtinere scribit, quem in Oratione tuetur compositio. Est autem *compositio* aptus ordo inter se cohærentium rerum, spectans literarum conjunctionem; qua oratio lenis ac suavis redditur, aut plena ac sonora; & ordinem, qui exigit ut graviora subjiciantur humilioribus, quodque dignius & natura prius, præponamus ei quod posterius est. Similiter *Versificator* in eo versatur, ut pedes apte liget, pondera vocum examinet, longa vel brevi, prout efflagitat, utatur syllaba, legemque metricam rite servet ac superstitiose; cum insuper poeta multa fingat. Et operæ pretium est videre quam diligenter hanc differentiam, in qua describenda fluctuat magnum illud Galliarum lumen Turnebus, observet Arbiter Petronius; *Multos, inquit Eumolpus, o juvenis, carmen decepit: nam ut quisque versum pedibus instruxit, sensumque teneriorem verborum ambitu intexuit, putavit se continuo in Heliconem venisse.* En versificatorem omnibus suis coloribus atque ad vivum depictum; at quanto majora in poeta desiderat! *Non enim res gestæ versibus comprehendendæ sunt, quod longe melius Historici faciunt, sed per ambages deorumque ministeria, & fabulosum sententiarum tormentum præcipitandus est liber spiritus, ut potius furentis animi vaticinatio appareat, quam religiosæ orationis sub testibus fides.* Hic poetam vides; qui scilicet non recto ordine res gestas narrat, qui deos iis miscet, qui per gyros & ambitus fabularum fundit mentis conceptus, nec se continet angustis terminis veritatis; ita ut vaticinari & extra se positus possidere videatur furorem illum, quem poetæ sibi frequenter tribuunt, quique in versificatorem nequaquam cadit. Hanc ut reor, differentiam edoctus Justinus, agens de Atheniensium torpore, qui omnes reditus urbis in dies festos & ludorum apparatus effundebant; non absque ratione ita loquitur: *Et cum actoribus nobilissimis* POETISVE *theatra celebrant, frequentius scenam quam castra visentes:* VERSIFICATORESQUE *meliores quam duces laudantes*: poetas enim theatro tribuit, quia Tragicis & Comicis hoc nomen optime convenit; cum tota illorum poesis in imitatione & fictione consistat; ab iis distinguit *Versificatores*, qui scilicet epigrammata, elegias, & omne genus poematum, in quibus nec μίμησις, ut Aristot. loquitur, nec fictio erat, componebant. *Versificator* igitur est στιχοποιός, ut in Glossarum libro exponitur; verum στιχοποιός non est ποιητής; facit quidem versus, sed abjicit & ejurat quasi figmenta, proprium poetæ characterem; unde pessime Homerus noster, interpreti Herodoti vocatur *versificator*, cum Græce sit ἐποποιός, id est, *poeta epicus* vel *Heroicus*: quomodo & Porto in Suidæ versione, *Parthenius* Χῖος ἐποποιός *Chius versificator*; *Eumolpus* ἐποποιός *versificator Heroicus*; Opsopœo in Luciani Imaginibus & Lubino in epistolis Phalaridis ὁ καὶ ὁ μελοποιός *versificator* & *versificatrix* male redditur, cum debeat esse *poeta Lyricus* vel *poeta Heroicus*: quanquam ἐποποιΐα interdum fabulas excludat, illique tribuatur, qui carmen Heroicum, nullis admixtis fabulis pangit. Locus hanc in rem elegans apud Julian. qui cum dixisset poetam fictis fabulis docere, & ne offensam auditorum contrahat, timere palam exemplo Hesiodi eloqui, addit: Ὁ δὲ μετὰ τοῦτον Ἀρχίλοχος ὥσπερ ἥδυσμά τι περιτιθεὶς τῇ ποιήσει, μύθους ὀλιγάκις ἐχρήσατο, ὁρῶν ὡς εἰκὸς, τὴν μὲν ὑπόθεσιν, ἣν μετῄει τῆς τοιαύτης ψυχαγωγίας ἐνδεῶς ἔχουσαν· σαφῶς δὲ ἐγνωκὼς ὅτι στερόμενον μύ-

θε

Marginalia: In Flor. — Ep. 37. ad Daumium. — Lib. 10. c. 1. Inst. — Cap. 9. poet. — Lib. de Aud. poet. — Cap. 1. poet. — Lib. 9. Inst. — Lib. eod. — Lib. 6. — Lib. 7. cap. 161. — Orat. 7.

θȣ ποίησις ΕΠΟΠΙΙΑ *μόνον ἐςι : Tum qui Heſiodum ſecutus eſt Archilogus, velut condimento quodam poeſin ſuam temperans raro fabulas adhibuit : cum hoc, uti opinor, animadverteret, argumentum illud, quod ſuſceperat, ejuſmodi oblectamenta poſcere : ſed una tamen probe ſciret, poeſin ſegregatis ab ea fabulis meram eſſe verſificationem.* Hæc igitur vetuſtiſſimorum ſententia, iique *poetæ* nomen a fingendis fabulis, vel *ἀπὸ τȣ̃ ποιεῖν* deduxerunt; quanquam non ignorem ſæculi ſui lumina Caſaubonum & Voſſium contrarium ſtatuere, & cenſere poetas a faciendis verſibus initio dictos; poſteaque, ubi vox illa anguſtius ſumi cœpit, a fingendis fabulis. Hanc virorum doctiſſimorum opinionem ut non improbo, ita certiſſimum eſſe pronuntio Ariſtotelem, Platonem, Democritum (qui apud Ciceronem negat ſine FURORE quenquam poetam eſſe poſſe; & apud Horatium ingenium credit fortunatius miſera arte, excluditque Helicone SANOS poetas) plurimoſque adeo veterum fictionem prætuliſſe, illiſque *ποίησιν* non eſſe ſolum *λόγον ἔμμετρον Orationem metro adſtrictam*, verum etiam *μύθȣς περιέχοντα*, *fabulis ornatam*. Sic Julianus loco laudato tradit poeſin ſine fabulis *ςερεῖϑαι ἑαυτῆς, κ̀ȣ̓ λείπεϑαι ποίησιν, ſe ipſa privari neque amplius poeſin relinqui.* Ariſtoteli Empedocles, licet phyſicam verſibus conſcripſerit, poeta non eſt: Οὐδὲν, ait, *δὲ κοινόν ἐςιν* Ομήρῳ *κ̀* Εμπεδοκλεῖ, *πλὼ τὸ μέτρον· διὸ τ̀ μὲν ποιητλὼ δίκαιον καλεῖν, τ̀ δὲ φυσιολόγον μᾶλλον ἢ ποιητλὼ. Nihil autem Homero & Empedocli commune præter metrum. Quare alter poeta, alter vero Phyſicus magis quam poeta appellari meretur*: & Lactantius, imbutus ſcilicet altera opinione, dubitat, num inter poetas an vero Philoſophos numerari debeat, quia verſibus de rerum natura ſcripſit. Si tamen alicui ea, quæ & poſtea videtur primas tenuiſſe, placet opinio; non modo ΠΟΙΗΣΙΣ æquo jure poetæ noſtro conveniet, verum etiam alia differentia inter poetam & verſificatorem erit. Ille erit, qui non vulgaria verba, ſed poetico ſpiritu animata adhibet; ut carmina legens videaris terram linquere, & *αἰρεῖϑαι ἀπὸ τ̀ γῆς*, quemadmodum loquitur Themiſtius; juxta illud Petronii: *Sumendæ voces a plebe ſummotæ, ut fiat*, ODI PROFANUM VULGUS ET ARCEO. *Verſificator* vero qui verſum concludit, qui vocibus vulgaribus utitur, cujuſque os non magna ſonat. Horatius ſane negat ſe in Satyris & Epiſtolis ſcribendis poetæ nomen mereri, quia erant ſermoni propiora:

Cap. 1. poet.

Lib. 2. cap. 12.

Orat. 26.

> *Primum ego me illorum, dederim quibus eſſe poetas*
> *Excerpam numero : neque enim concludere verſum*
> *Dixeris eſſe ſatis, neque ſi quis ſcribat, uti nos*
> *Sermoni propiora, putes hunc eſſe poetam.*
> *Ingenium cui ſit, cui mens divinior, atque os*
> *Magna ſonaturum, des nominis hujus honorem.*

Quo proculdubio ſenſu Lucianus erit poeta vocandus, quem non immerito *ardentem & concitatum* appellat Quintilianus. Huc reſpicientes veteres, dubitarunt num comœdia, cui *ſermocinari* tribuit Apulejus in Floridis, quia nullis verbis quaſi animatur, poema ſit. Horat.

> *Idcirco quidam, comœdia, nec ne poema*
> *Eſſet quæſivere, quod acer ſpiritus ac vis*
> *Nec verbis nec rebus ineſt : niſi quod pede certo*
> *Differat a ſermone merus ſermo.* ——

aliique ulterius progreſſi exiſtimaverunt, Platonis & Demoſthenis libros, etſi abſint a verſu, tamen quod incitati ferantur & clariſſimis verborum luminibus exornati ſint, potius poema eſſe, quam Comicorum, apud quos nihil eſt aliud quotidiani diſſimile ſermonis, niſi quod verſiculi ſint, uti loquitur Cicero. Ex quibus omnibus patet ΜΥΘΟΝ non modo, ſed etiam ΠΟΙΗΣΙΝ Homero convenire; de qua tamen ultima ut & HISTORIA nonnulla monenda reſtant. Ut igitur per excellentiam ille POETA vocatur, quemadmodum vel docet Seneca; *Secundum ex iis, quæ ſunt, ponit Plato, quod eminet & exſuperat omnia. Hoc ait per excellentiam eſſe. Ut poeta communiter dicitur. Omnibus enim verſus facientibus hoc nomen ceſſit. Homerum intelligas cum audieris poetam*; ita etiam optimo merito ſive fictiones, ſive ipſa carmina ſpectes eidem tribuitur

Lib. de Orat.

Ep. LVIII.

ΠΟΙΗΣΙΣ.

Tanta enim carminibus ejus virtus ineſt, ut multi veterum crediderint vel certe ſcripſerint, Homerum a diis doctum atque inſtitutum fuiſſe. Tritum eſt illud Apollinis

> *Ηειδον μὲν ἐγὼ, ἐχάραιτε δὲ ϑεῖος*
> Ομηρος,

quo deus ſignificat, ſe carmina illa ceciniſſe & dictaſſe, ab Homero vero litteris fuiſſe conſignata; poeta incertus Jovem ipſum eorum facit auctorem; & alius Palladem,

L. 4. Ant. Orat. 53.

> ———— *ἐν ȣ̓* Ομήρῳ
> *Αὐτὴ ναιετάȣσα σοφλὼ ἐφϑέγξατο μολπλὼ,*

id eſt, *In Homero vero ipſa*, Pallas, *habitans eruditum carmen cecinit*, quo reſpiciens forte Simmias Rhodius, introducit Epeum gloriantem ſe beneficio Minervæ Homeri verſibus laudari

> *Νῦν δ' ἐς Ομήρειον ἔβα κέλευϑον*
> *Σὰν χάειν, ἁγνὰ πολύβȣλε Παλλάς.*

Quin imo Dio Chryſoſtomus teſtatur non potuiſſe *ἄνδ̓ Μȣσῶν κ̀ Απόλλωνος ἐπινοίας absque Muſarum & Apollinis inſtinctu* tam ſublimem & tam magnificam poeſin fieri; Maximuſq; Tyrius præceptorem Homeri facit *Muſam* vel *Apollinem*. Igitur *Θεοδίδακτος* erat Homerus, quomodo om-

nes qui excellebant, dicebantur deos magistros habuisse. Ovidius canit Arachnen texendi, Homerus Scamandrum Strophii filium jaculandi artem a Pallade didicisse; nec defuerunt (inter quos est Proclus etiam Diadochus) teste brevium Scholiorum auctore, qui dicerent, Homerum sese ipsum describere in persona Demodoci, cui *deus canendi peritiam dedit*; quod & inde colligebant, quemadmodum notat Eustathius, quia variis locis dialecti deorum facit mentionem. Quæ omnia nihil aliud significant quam Homerum poetam natum esse, nec solius præceptis artis ad tantum fastigium escendisse. Maximus Tyrius non absque ratione arbitratur Hesiodum naturæ beneficio poetam factum esse; licet ipse fontem originemque ad Musas referret; non secus ac qui ferrariam artem absque præceptore edocti, illam Vulcano adscribunt: ὥσπερ ἂν εἰ καὶ χαλκευτικὸς γενόμενός τις τέχνης ἄνευ, ἀνετίθετο Ἡφαίστῳ φέρων τὸ αὐτόματον τῆς δημιουργίας; unde patet quam insigniter Pisonem laudet Panegyrici auctor;

Sive chelyn digitis, & eburno verbere pulsas
Dulcis Apollinea sequitur testudine cantus;
Et te credibile est PHOEBO DIDICISSE MAGISTRO.

Qua de re plura, ubi ad ΦΥΣΙΝ perventum erit, monenda restant. Verum si ποιεῖν idem est, ut plerosque veterum credidisse docui, quod *fingere*; & ποίησις in fictione consistit, supervacanea hæc figura videtur; quia paulo ante Μῦθος seu *fabula* vel *fictio* præcessit. Cui objectioni, quæ alicujus momenti est, ut satisfiat; dicendum est; auctorem marmoris per ποίησιν non intellexisse *fabularum compositionem*, sed versuum; quomodo Eustathius notat, fabulas non esse de οὐσίᾳ poematis, & ποιεῖν apud antiquos significare τὸ ποιητικῶς ἤγουν ἐμμέτρως ἀείδειν καὶ γράφειν; deinde μύθους vel *fabulas* etiam prosa oratione posse conscribi, uti ex iis patet, quæ Æsopi nomine circumferuntur; tandemque summum poetarum Homerum, omnibusque aliis ducem fuisse. Socrati apud Platonem appellatur ὁ ἄριστος καὶ ὁ θειότατος τῶν ποιητῶν; Vellejusque Paterculus eo nomine impense illum laudat; *Clarissimum deinde Homeri illuxit ingenium, sine exemplo maximum: qui magnitudine operis & fulgore carminum solus appellari poeta meruit. In quo hoc maximum est, quod neque ante illum, quem ille imitaretur; neque post illum, qui eum imitari posset inventus est. Neque quenquam alium, cujus operis primum auctor fuerit, in eo perfectissimum, præter Homerum & Archilochum reperiemus.* Eustathius vocat principium ducemque omnium poetarum; καὶ διότι σπερματικῶς ἀρχὴ καὶ καθηγητὴς αὐτὸς πᾶσι γέγονε τοῖς ποιηταῖς; Dionysius Halicarnassensis, κορυφὴν ἁπάντων καὶ σκοπὸν, ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ καὶ πᾶσα θάλασσα καὶ πᾶσαι κρῆναι; *omnium caput & scopum, ex quo cuncti fluvii, totum mare, & omnes fontes.* Quæ cum perspecta haberet Galaton pictor, non sine judicio Homerum ἐμοῦντα τοὺς δὲ ἄλλους ποιητὰς τὰ ἐμημεσμένα ἀρυομένους, *vomentem* (male Volaterranus, Nannius; postque eos Kircherus *mingentem* faciunt) *& reliquos poetas ea quæ rejecisset, haurientes*, docente Æliano, pinxit; quo pertinet imprimis Nasonem canere,

Adjice Mæonidem, cujus ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis:

nec non Manilium:

Maximus Iliacæ gentis certamina vates
Ultimaque in patria, captisque penatibus arma
Ore sacro cecinit, patriam qui & jura petenti
Dum dabat eripuit: cujusque ex ore profusos
Omnis posteritas latices in carmina duxit,
Amnemque in tenues ausa est deducere rivos
Unius fœcunda bonis. ——

Neque tantum Heroici poetæ; sed omnes insuper alii originem carminum suorum ex mente veterum Homero debent. De Tragicis & Comicis, quia postea in scenam prodibunt, nihil dicam: nisi Æschylum solitum fuisse narrare, *sua scripta particulas esse de magnis cœnis Homericis*, teste Athenæo. Inter ὑμνογράφους eum recenset Tzetzes: Epigrammata ipsi originem debere notat Eustathius; exstatque non inelegans phialæ Apollini dicatæ inscriptum apud Tzetzem;

Φοῖβε ἄναξ δῶρόν τοι ἑλὼν, τὸ δ' Ὁμηρος ἔδωκα δῶρον
Ἠσὶν ἐπιφροσύναις· σὺ δέ μοι κλέος ἐσθλὸν ὀπάζεις.

Et denique *Satyricam poesin* atque *Sillographiam* ex eodem fonte repetendam esse, docet sæpissime ad partes vocandus Eustathius; οἱ παλαιοί, ait, παρασημειοῦνται ἐνταῦθα ὅτι οὐ μόνον Ξενοφάνης πεποίηκε Σίλλους, ἐν οἷς ἐδοκίμησεν, ἀλλὰ καὶ τούτου εἴδους πρῶτος κατῆρξεν Ὅμηρος; *veteres annotarunt non Xenophanem solum fecisse Sillos, sed primum hoc poeseos genus invenisse Homerum*: puta cum Thersitem describit, vel is reges ridet; vel cum ingens Veneri a Diomede inflictum vulnus, lepidissime Græcæ mulieris fibula canit. Adeo ut non absque ratione Dio Chrysostomus scribat, deos Homero naturam dedisse ad omnia carminum genera idoneam; quod cum animi divini sit, tribuit etiam illi θείαν καὶ δαιμονίαν φύσιν. Alii Homerum tamen αὐτοδίδακτον negant, affirmantque poetas extitisse vetustiores, eumque præceptores habuisse. Diodoro sane Siculo appellatur ὁ πρεσβύτατος σχεδὸν καὶ μάλιστα τῶν ποιητῶν θαυμαζόμενος, *antiquissimus fere & poetarum maxime admirandus*: alibi Pronapidem ejus præceptorem, Linumque res Bacchi ante descripsisse docet: Philostratus in Heroicis eum omnes poetas, ἐφ' οἷς ἐγένετο ὑπερβεβλῆσθαι, ἐν οἷς ἕκαστος ἦν αὐτῶν κράτιστος, ut Orpheum magniloquentia, Hesiodum sua-

Marginal notes: L. 6. Met. II. E. ubi Eust. videatur pag. 520. — Il. Θ. — Ad Il. Ξ. — Differt. 22. — Ad Il. α. — In Jone. — Lib. 2. cap. 5. — Proœm. Iliad. — Præf. in Buc. Vir. — Lib. 13. Var. c. 22. — Init. l. 2. — Lib. 1. Prol. in Lycoph. — Ad od. 1. p. 1612. & 1641. — Ad od. Σ. p. 1850. et 204. Orat. 53. — Inst. l. 3

Adh. ad Gent. Proœm. Odyss.

vitate. Justinus Martyr non primum talia, sed Orphei imitatione, composuisse affirmat: Naucrates apud Eustathium Ægyptum adiisse & descripsisse libros, quos de bello Iliaco & Ulyssis peregrinatione composuerat Phantasia: Suidas vetustiorem facit Thaletem Cretensem vel Illyrium Lyricum poetam & Thamyrim; Nonnulli apud Sextum Empiricum (qui modo ποίημα nullum πρεσβύτερον existimat, quam Homeri, modo probabile esse scribit, alios ante eum poetas & suo tempore, sed ab ejus splendore obscuratos fuisse,) Hesiodum, Linum, Orpheum, Musæum & alios plurimos: Bochartus multos antiquiores; & quidem Trojani belli Syagrum, Daretem Phrygem, Teucri scribam Sisyphum Coum, Idomenes Dictyn Cretensem, Palamedis discipulum Corinnum Iliensem. Verum si fides habenda ipsi poetæ bellum hoc non ab aliis descriptum fecit suum; omniaque ex auditu habuit; ita enim Musas alloquitur

Lib. 1. cap. 10. ad Math.

In Geog. Sac.

Il. B 485.

Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστέ τε πάντα,
Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν, οὐδέ τι ἴδμεν.

Vos enim Deæ estis, adestisque, scitisque omnia,
Nos autem famam solum audivimus, neque quicquam scimus.

Deinde non omnes illi, qui memorantur bellum Trojanum ante Homerum scripsisse, poetæ sunt, & denique non desunt alii, qui auctores eos suppositirios esse affirmant. Josephus sane nullum scriptum apud Græcos inveniri scribit Homero antiquius; eumque *poetarum antiquissimum* facit auctor fragmenti, quod cum Censorino editur; neque aliter sentit Herodotus, *οἱ δὲ πρότεροι ποιηταὶ λεγόμενοι τούτων* (Homeri & Hesiodi) *τῶν ἀνδρῶν γενέσθαι, ὕστερον ἐμοὶ δοκέειν, ἐγένοντο τούτων*; *Qui vero istis priores poetæ fuisse dicuntur, posteriores, ut mihi quidem videtur, fuerunt*; id quod etiam ex recentioribus cum Leone Allatio, & Joanne Jonsio multi credunt. Atque hæc quidem, ut arbitror, sufficient ad ΠΟΙΗΣΙΝ, quæ cum aliis virtutibus & artibus Homero honorem habet, illustrandam; nunc restat ut & in

L. 1. Adv. Apion.

Lib. 2. c. 53.

L. 1. c. 3. Hist. Philos.

HISTORIAM

inquiram, discutiamque, num illa jure sacro interiit consortio. Nam cum prima ejus, teste Cicerone, lex sit, ne quid falsi dicatur; cumque propterea nefas sit vel Musas historico invocare, ut multis docet Lucianus, immerito HISTORIA possit videri tribui Poetæ nostro, quippe qui non modo falsa pauca, sed pleraque vel omnia, ut nonnulli censent, scripsit. Et ne dicam Jeremiam Hœzlinum prolegomenis in Apollonii Argonautica censere, nullum bellum Trojanum fuisse unquam, Hestiaea olim Alexandrina dissertationem edidit, utrumque Homerus de bello ad Trojam gesto cecinit, historia an fabula sit, teste Strabone; &

Quom. Hist.

Lib. 13.

Sibylla Erythræa, uti tradit Apollodorus Erythræus apud Lactantium, Græcis Ilium petentibus vaticinata est, *perituram Trojam & Homerum mendacia scripturum*; Cassandra quoque, teste Lycophrone, πλαστὰς γραφάς, quas tamen aliter explicat Eustathius, eidem tribuit. Imo non defuerunt qui plane historiam Homero ademerunt; & singula, tanquam ea per somnia vidisset, ad allegorias revocarunt; eoque censu habuerunt non modo fabulas, verum etiam ipsum regem regum Agamemnona, Achillem, Ulyssem aliosque heroas, quemadmodum docet idem proœmio Iliados. Horum e numero fuit *Metrodorus*; qui non solum Jovem, Junonem, Minervam, sed Hectorem etiam Achillem, aliosque Græcos & Barbaros ita explicavit, ut patet ex oratione Tatiani contra Gentiles; *Proclus Lycius Diadochus*, qui per Helenam intelligit omnem sensibilis mundi, & generationis pulchritudinem, circa quam animarum pugna perpetuo committitur, donec superiores factæ, irrationabilis hujus vitæ studiis, & intellectu puriores revertantur ad illum locum, unde primum egressæ sunt; cum mille anni unum veluti annum efficiant, qui animas a generatione rursus in generationem perducit; novemque annos vel annorum chiliadas illæ circa generationem versentur; decimo autem omni barbarico tumultu superato ad patrias habitationes redeant: *Auctor anonymus* moralis interpretationis errorum Ulyssis, jure publico donatus a Conrado Gesnero; qui cum undecim ejus errores non ineleganter explicasset, calci operis adjicit; poetam sub persona Ulyssis quemcunque hominem voluptatibus obnoxium describere; sic tamen ut cognita miseria sua, semper ad temperantiam, moresque compositos non sine suspiriis reverti cupiat; quomodo etiam *Numenius* per Ulyssem intelligit quemlibet alium per hujus mundi generationem ordine transeuntem, ac demum illum pervenientem in locum, ubi nec tempestates, nec maris injurias sentit; quod Porphyrio nequaquam absonum videtur. Alii vero his e diametro veluti oppositi, inciderunt poetæ alas, nec quicquam permittunt ipsum allegorice dicere; *οὐδὲν οὐδ' ὅλως ἀρέσκειν ἀλληγορεῖσθαι παρ αὐτῷ*; accuratissimi autem historias amplectebantur; fabulas vero statuebant primo ita sese habere, inde inquirebant in eas; tandemque decurrebant ad allegorias, illasque vel Physice, vel moraliter, vel historice explicabant, quemadmodum Eustathius tradit. Nam multæ fabulæ historiæ etiam inserviunt; &, ut cum eodem loquar, *οὐκ ὀλίγοι μῦθοι καὶ πρὸς ἱστορίαν ἀνθεραπεύονται*. Sic, ut res exemplo illustretur, deorum nomina vel historice vel physice explicantur. Mars historicis est filius Jovis; alius Græcus, alius Latinus, alius Assyrius: Theologis vero & physicis Sol, vel planeta. Ejus nec non Veneris adulterium constat physice a multis explicari; sed & idem illustratur ex historia a Palæphato apud Auctorem Cronici Alexandrini, & Suidam; quippe qui narrant Solem Ægypti regem & Vulcani successorem,

L. 1. c. 6. Instit.

P. 1861.

Cap. 21.

Lib. de Ant. Nym.

In v. Ἥλ.

patris leges custodientem, fœminam in adulterio cum milite deprehensam per ora populi traduxisse; illud Homerum mutasse, & finxisse licentia poetica, Solem ostendisse Veneris & Martis concubitum, sic Othum, Ephialtem & Martem alios historice, alios physice, alios moraliter explicasse docet brevium scholiorum Auctor; idemque veteres de chimæra judicasse non oblitus est monere Eustathius: quo pertinet, credidisse atque adeo docuisse Euemerum Messenium, Ennium, Nicagoram Cyprium, Pellæum Leonera, Cyrenensem Theodorum, Hipponem ac Diagoram Melios, & denique Varronem, deos homines fuisse, poetasque res eorum gestas non finxisse, sed ad memoriam laudibus celebrandam deos finxisse, uti videre licet apud Minutium Felicem, Arnobium, Augustinum, & maxime Lactantium. Neque tamen inficias eo, si poesis Homerica ad regulas Historiæ exigatur, nomen illud minime vati nostro posse tribui: sed simul fatendum est partem eum belli Trojani, nec non errores Ulyssis fideliter satis memoriæ mandasse; adjecisse fictiones; quibus demptis poema nihilo minus historia erit. Maximus quapropter Tyrius HISTORIAM illi tribuit, sed fabulis exornatam; quia, uti loquitur Episcopus Thessalonices procemio Odysseæ; *νόμος τοῖς ποιηταῖς μὴ γυμνὴν τὴν ἱστορίαν ἐκτίθεσθαι, ἀλλὰ μύθοις καταπυκάζειν; consuetudo est poetis non nudam historiam narrare, sed fabulis eam implere.* Apud eundem Polybius affirmare non dubitat, Homerum Ulyssis peregrinationi & bello Iliaco paucas fabulas addidisse; seu, ut ipsa verba apponam; *τῇ τοῦ Ὀδυσσέως πλάνῃ καθὰ καὶ τῷ Ἰλιακῷ πολέμῳ μικρὰ τὸν ποιητὴν προσμυθεύσασθαι*; Lucianus quoque memorat, nonnullos veterum credidisse omnia quæ de Achille canit, vera esse, *ὅτι μὴ περὶ ζῶντος ἔγραψεν*; quinimo in heroum gestis describendis majorem illi, quam vel Ctesiæ, vel Herodoto vel Hellanico, & aliis similibus auctoribus, fidem haberi posse Strabo memorat. Adeo ut non immerito Eustathius *Ὁμηρικὴν ἱστορίαν*, de Illiade & Odyssea loquens celebret; Polybiusque apud Strabonem recte Bœotiam vel Catalogum HISTORIAM esse affirmet; quem etiam, ut doceret veritatem & proinde historiam carminibus viri inesse, veluti certissimum argumentum advocat Eustathius; *Ἡ ποιητικὴ*, ait, *ἕξις, ἢ καὶ οὐσία, συνέστηκεν ἐξ ἱστορίας καὶ διαθέσεως καὶ ἡδονῆς. καὶ ὡς τῆς ἱστορίας μέν ἐστιν ἡ ἀλήθεια, ὡς ἐν νεῶν καταλόγῳ ποιεῖ Ὅμηρος; Poetices habitus & natura, constat historia, dispositione & voluptate; atque ut historiæ veritas est, ita id in navium catalogo facit Homerus*; quibus omnibus vel aliis argumentis inductus Apollinaris Sidonius, poetam nostrum historicis accenset;

Ad Il. 5. p. 634.

L. 8. c. 26. de Civ. Dei.

L. 1. c. 8. II & 17. Inst.

Lib. Quom. Hist.

Lib. xI

Ad Il. 2.

Lib. 1

> *Ac cum se historiæ dabat severæ*
> *Primos vix poterunt locos tueri*
> *Torrens Herodotus, tonans Homerus.*

Lib. 4. de H. Gr.

Nisi cum Gerhardo Joanne Vossio, viro præstantissimo dicamus Consentium laudari a suavi, volubili & grandi dictione, qua Herodotus & Homerus excellunt. Et si simplicissimam historiæ definitionem, quæ Plutarcho, Justino Martyri, Theoni & Isidoro est *τοῦ γεγονότος πράγματος, vel narratio rei gestæ*, sequimur, convenit illa Homero; quia bellum Troium, & Ulyssis peregrinatio, si plurimos eosque laudatissimos auctores sequimur, *evenerunt*. Nec defuerunt qui historiæ scribendæ artem ad poeticam retulerunt, teste Marcellino in Thucydidis vita; *eamque proximam poetis & quodammodo carmen solutum* esse memoriæ mandat non minimi nominis auctor Quintilianus; & Agathias, libro primo censet historiam *οὐ πόρρω τετάχθαι ποιητικῆς, ἀλλὰ ἄμφω ταῦτα εἶναι ἀδελφὰ καὶ ὁμόφυλα, καὶ μόνῳ ἴσως τῷ μέτρῳ ἀποκεκριμένα; non multum differre a poetica; sed hæc duo esse gemina, affiniaque & solo pæne rhythmo inter se discrepare*. Et si Historiam cum Asclepiade Sextoque Empirico dividere placet in *veram*, quæ Deorum heroum & virorum illustrium res gestas; *falsam*, quæ deorum genealogias; *& quasi veram*, quæ tragœdiarum, comœdiarum mimorumque argumenta continet, amplectimur; fatebimur utique ea omnia apud Homerum reperiri. Præbet enim ille argumenta tragœdiis & comœdiis, ut postea pluribus docebo; celebrat deorum natales ac genealogias; eorumque ut & virorum illustrium, res gestas posteritati consecrat, complexus trinam illam historiæ divisionem. Ex quibus omnibus satis puto patere summa cum ratione Homero & ΠΟΙΗΣΙΝ, & ΙΣΤΟΡΙΑΝ & ΜΥΘΟΝ tribui; quam in rem licet & alia possint moneri, præcipue Lucianum Historicis, si quando montes, muros, fluvios, vel alia loca describere velint, exemplum Homeri & Thucydidis proponere, tamen non diutius iis inhærebo, meque ad ipsum sacrificium convertam.

Lib. 10. cap. 1.

L. 1. c. 12. Adv. Math

ΜΥΘΟΣ

igitur aræ adstat puerili forma, brachio exerto, dextra vasculum, sinistra pateram tenens. Puer effingitur cum quia in fabulis non omnia clare perspicimus, & quamcunque operam ponamus, in iis explicandis semper pueri & infantes, quasi sumus; tum quia pueri sacrificiis fuerunt adhibiti; utpote diis gratissimi ex sententia Pythagoræ apud Jamblichum: *Hisce adde*, ita vertit interpres, *ipsos videri deo acceptissimos esse, quia dicuntur, cum arva sterilitate & siccitate laborant ab urbibus emitti, ut pluviam a diis precentur, quasi deus illos potissimum exauditurus sit*: quem morem sacrorum eleganter describit Horatius;

L. 1. c. x.

L. 2. Ep.

> *Castis cum pueris ignara puella mariti*
> *Disceret unde preces, vatem ni Musa dedisset?*
> *Poscit opem chorus, & præsentia numina sentit!*
> *Cælestes implorat aquas docta prece blandus;*
> *Avertit morbos, metuenda pericula pellit.*

Sed quod marmor melius illustrat, apud Romanos *Flaminicus Camillus puer dicebatur*

ingenuus patrimus & matrimus, qui Flamini Diali ad sacrificia præministrabat, teste Festo; & apud eosdem ἐν τ̃ δημοτελέσι θυσίαις *in publicis sacrificiis*, non secus ac in lapide nostro ΜΥΘΟΣ, vinum pueri fundebant, uti legere licet apud Eustathium; adstantque sacrificiis vel acerram tenentes vel coronati apud Choulium. Apud Hermionenses celebrantes festum Cereris χθονίας, pueros pompam deduxisse ἔχοντας λευκὴν ἐσθῆτα καὶ ἐπὶ τ̃ κεφαλαῖς στεφάνους: apud Ægienses olim puerum Jovis sacerdotem, illique cum pubesceret, alium surrogatum fuisse, Pausanias: & Galbæ sacrificanti adstitisse *puerum e ministris acerram tenentem*, Suetonius memoriæ mandant. Atque ita ΜΥΘΟΣ coronatus est more sacrificantium solenni; Seneca Hercule Furente:

P. 1205.
L. 2. & 7.
Cap. 8.

—— —— huc appellite
Greges opimos. Quicquid Indorum seges,
Arabesve odoris quicquid arboribus legunt,
Conferte in aras; pinguis exundet vapor.
Populea nostras arbor exornet comas,
Te ramus oleæ fronde gentili tegat,
Theseu —— ——

Sic Censores Romæ, uti tradit Athenæus, τὴν περιπόρφυρον ἐνδεδυκότες καὶ ἐστεφανωμένοι πελέκει τὰ ἱερὰ κατέβαλον; *togam prætextam induti, & coronati securi victimas percutiebant*; &, ne quid dicam de sacerdote στεφανοφόρῳ post Paschalium, Seldenum, Tristanum & Spanhemium, viros præstantissimos, ipsi quoque victimarii, cornicines, & tubicines, alii denique omnes qui sacrificiis aderant, coronati erant, uti ex nummis, marmoribus, Virgilio, Tibullo, Suetonio, aliisque innumeris auctoribus patet satis superque. Tenet præterea puerulus noster manu dextra vas ansatum ore angusto, ventre protuberante, sinistra vero pateram; & se ostendit paratum ad Homero Deo vinum fundendum. Simile plane videre licet apud Choulium, sed nescio an recte *præfericulum* vocet; quia illud est *vas æneum sine ansa, patens summum, velut pelvis*, uti Festo describitur. *Gutturnium* vel *coturnium* mutatis literis vel *guttum* appellare possis; quia eidem, *Gutturnium* est vas *ex quo aqua in manus datur, ab eo quod propter oris angustias guttatim fluat*; & alibi *Coturnium vas, quo in sacrificiis vinum fundebatur*; Varroni vero, *quo vinum dabant, ut minutatim funderent a guttis guttum* appellatur. Pollux inter sacrorum instrumenta recenset χέρνιβας quæ ab interprete redduntur *gutturnia*. At mihi χέρνιψ vel χερνίβιον *polubrum est*; *gutturnium* vero πρόχοον; illo aqua excipitur, hoc funditur. Nonius: *polubrum quod Græci* χέρνιβα, *nos trulleum vocamus*: inde adducit Fabii pictoris verba; *Aquam manibus pedibusque dato, polubrum sinistra manu teneto, dextra vasum* (non secus sc. ac Μύθος) *cum aqua. Vas cum aqua* est πρόχοον sive *gutturnium*; quod Varro apud eundem vocat *urceolum aquæmanalem*; quo aqua excipitur *polubrum* vel *trulleum*, unde in Glossis; χέρνιβον *trulleum* exponitur: neque aliter Homerus vel χέρνιβον vel πρόχοον usurpat; quanquam ipsi χέρνιψ sit aqua quæ manibus infunditur, τὰ ἐπὶ τῶν χειρῶν ὕδατα, ut optime interpretatur Scholiastes. Ex hoc gutturnio, vel προχόῳ vinum in scyphum, vel pateram, quam altera manu Μύθος tenet, & unde diis libabatur, juxta illud Virgilii, *pateris libamus & auro*, effundebatur. Varro: *Præterea in poculis erant* PATERÆ; *eo quod pateant Latine ita dictæ. Hisce etiam nunc in publico convivio, antiquitatis retinendæ causa, cum magistri fiunt, potio circumfertur; & in sacrificando deis hoc poculo magistratus dat vinum*: Arnobius *scyphos, brias, pateras, simpuvia*; Cicero *cupedunculas & pateras* conjungunt, & denique Festus *Simpulum* explicat *vas parvum non dissimile cyatho, quo vinum in sacrificiis libabatur*; Hesychius Σπονδεῖον, ἀγγεῖον ἐν ᾧ τοῖς εἰδώλοις οἶνον ἐπίασπενδον; qualia etiam apud Pollucem & Suidam legere licet. Vinum igitur ex ejusmodi pateris, quæ in nummis frequentissime occurrunt, diis fundebatur, & quidem ante vel post victimam cæsam, si modo auctores semper ordinem sequuti sunt: Claudianus:

Lib. 14.
L. 1. Æn. Lib. 1 El. 10 cap 18 Galb.
Pag. 298. & 308
L. 4. de L. L. L. 1. c. 1.
Il. Ω. v 304. Ad Od. α.
Lib. IV. de L. L.
Lib. 1 de Cons. Hon. v. 62.

—— penetralibus ignem
Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos
Chaldæo stravere Magi. Rex ipse micantem
Inclinat dextra pateram. ——

Virgilius

L. 5. Æn.

Dii quibus imperium pelagi, quorum æquora curro
Vobis lætus ego hoc candentem in littore taurum
Constituam ante aras, voti reus, extaque salsos
Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.

Sed sæpissime thus primo aræ & igni injectum, inde libamina, tum vero victima cæsa. Ovidius:

Lib. 13. Met.

Thure dato flammis, vinoque in thura profuso
Cæsorumque boum fibris de more crematis.

Rursus:

L. 6. Fast.

Thura focis, vinumque dedit, fibrasque bidentis
Turpiaque obscœnæ (vidimus) exta canis.

Quo ordine etiam alibi *thus, merum, victimam*; & *thus* atque *vinum* recenset idem. Neque aliter Homero sacrum fit; thus enim aræ injicit HISTORIA; fundentis libantisque habitu adstat ΜΥΘΟΣ; & denique bos nondum percussus; quod etiam Domitiani Imperatoris nummi, nec non marmora apud Choulium usitatum fuisse evincunt. Ara, cujus basi inscriptæ literæ ΑΛ. quid significent ne divinando quidem assequor, frondibus more solenni ornatur; Lucianus, βωμὸς ἀεὶ ἔστεπται καὶ θυώματα ἔχει; Virgilius, *nexos torques*,

Ep. 21. Her. & l. 9. Met.
Lib. de Dea. Syr. Lib. 4. Georg. & l. 1. Æn. l. 3. Trist. El. 13.

ferta recentia ; Ovidius *florentes coronas* appellant :

> *Fumida cingatur florentibus ara coronis,*
> *Micaque solenni thuris in igne micet .*

Et ejusmodi sertis vel coronis, quas *pancarpias*, quia ex vario florum genere factæ sunt, cum Festo vocare licet, aras exornari solere plurimi nummi & marmora apud antiquarios obvia testantur ; utque hæc nostra decoratur bovis capite, ita aliæ apud Choulium arietino , ex quo serta dependent simili plane modo . Bos , qui aræ adstat Homero immolandus, alia plane forma , quam vulgo illi animali adscribitur quaque in plurimis regionibus cernitur , est . Verum jam olim Plinius monuit non omnibus eandem formam ; aliamque esse Siculorum , aliam Ægyptiorum observavit Achilles Tatius . [L. 2.] Et , qui huc aliquo modo quadrant , sunt Syriaci instar camelorum gibber habentes ; Aristoteles : [L. 8 c. 29. Hist. An.] Καὶ οἱ βόες ὥσπερ οἱ κάμηλοι κάμπας ἔχουσιν ἐπὶ τῶν ἀκρωμιῶν ; *Boves nodos scapularum flectunt , ut cameli* ; idemque Philosophus de Cypriis tradidit , si Servio habenda fides : [Ad l. 1. Georg.] *Non omnium autem boum ὕβον , sed eorum tantum , qui sunt , ita ut Cypri gibberes , sicut Aristoteles quoque refert* . Et sane talis cernitur in Gordiani nummo ab Ephesiis percusso apud Tristanum ; [Tom. 2.] cujus ectypum adjicio ; nec non in



gemma antiqua apud Leonardum Augustini parte prima N. 188. M. Paulus Venetus circa civitatem Camandu similes sibi notavit ; [L. 1 c. 21] parilesque Persarum Regi dono datos esse ab Indorum vel Magni Mogolis legato memoriæ mandat Petrus della Valle . Quin & in Sereniss. Celsissimique Arausionensium Principis Vicario , quod prætorio exornatissimo , cui nomen *Honslaerdijck* , adjacet , ejusmodi boves , India missi , aluntur ; uti me monuit Theodorus Rycquius , celeberrimus apud Batavos Historiarum Professor; & postea ipse non absque singulari animi voluptate vidi . At nostro tuber vel gibbus non supra scapulas flexus est, [L. 3 Inn. cap. 28.] verum a cervice eminet ; & proculdubio regionis suæ bovem sollers finxit artificis manus . Nam tales Caria , quæ regio Joniæ proxima , gignit : Plinius ; [L. 8. c. 45.] *Syriacis non sunt palearia sed gibber in dorso . Carici quoque in parte Asiæ fœdi visu , TUBERE SUPER ARMOS A CERVICIBUS eminente , luxatis cornibus , excellentes in onere narrantur* : quæ verba cum marmore nostro collata dubitationem tollunt Conradi Gesneri ; & explicationem Joannis Baptistæ Pii clare refellunt ; quorum scilicet ille ambigit , num Carici fuerint cum Scythicis eminenti instar camelorum dorso ; hic vero Syriacos interpretatur . Et de hoc vel certe altero genere boum capiendus est Calpurnius ecloga septima, qua Numeriani ludos describit :

> *Hic niveos lepores & non sine cornibus apros ,*
> *Manticoram & silvis etiam quibus editur Alcen*
> *Vidimus ; & tauros , quibus aut cervice levata*
> DEFORMIS SCAPULIS TORUS EMINET ; *aut quibus hirtæ*
> *Jactantur per colla jubæ* . ——

Præterea nostro sunt cornua divaricata vel diducta , quæ Plinius *laxata* , ita scribendum , appellat . *Luxata* enim , quod vulgo circumfertur, essent loco suo mota , ut *luxata membra* & alia dicimus ; at *laxata* sunt quæ in diversum patent , nec introrsum flectuntur : *panda* & *vara* vocat Ovidius ; [Lib. 10. Met. 272. L. 1. Am. El. 3.] ipsosque boves *patulos* Philargyrius: *Camuri boves sunt , qui conversa introrsus cornua habent , quibus contrarii patuli , qui cornua diversa habent : Taurus patales* ; quorum cornua , ita explicat Festus , *diversa sunt ac late patent* ; Græci vero πεταλεῖς vel πέταλοι , quia cornua habebant ἐκπέταλα , id est , expansa & patula , ut docet Athenæus , [Turc. 2. 2. 22] atque ad eum Casaubonus . [L. 9. c. 4.] Taurum autem esse , qui aræ adstat ex cornibus , quæ illis , teste Plinio , *minora bubus , tenuioraque ; ex generositate in aspectu , ex torva fronte* ; & inde colligo , quod Jovi , quem Homerus noster refert , id animal , licet Servius contradicat , [Ad l. 2. Æn. cui adde Macrob. 3. Sat. 5.] solebat immolari ; uti præter Xenophontem , Julianum , aliosque testis est Ovidius : [L. 4. Met.]

> —— *mactatur vacca Minervæ*
> *Alipedi vitulus* , TAURUS *tibi summe deorum* .

rursus : [L. 1. Fast.]

> *Immolat ex illis* TAURUM *tibi Jupiter unum* .

Seneca : [Med.]

> *Primus sceptriferis colla Tonantibus*
> TAURUS *celsa ferat tergore candido* .

id est , Jovi & Junoni ; atque ita Dionysius Halicarnassensis feriis Latinis taurum Jovi immolatum narrat : [Lib. 4.] Ἑνὸς δὲ ταύρου κοινῶς ὑπὸ πασῶν θυομένου ; *communis omnium victima est taurus unus* . Suspicatus quin etiam nonnunquam sum taurum , apud Choulium , impositum habentem cornibus deltoton vel figuram litteræ Δ Jovi sacratum esse ; quia similis fere occurrit in Augusti apud Ducem Arschot. nummo cum Ins. JOV. OPT. MAX. SACR. & Hyginus in poet. Astron. memoriæ mandat , Mercurium super caput Arietis ideo Deltoton statuisse , *ut obscuritas Arietis hujus splendore , quo loco esset , significaretur , & Jovis nomine Διὸς primam literam deformaret* . Hinc

HISTORIA.

manu sinistra gerit arculam , ex qua thus , quod προσφιλέστατον esse τοῖς θεοῖς scribit Diodor. Siculus , [Lib. 2.] depromptum primoribus

dextræ digitis altari injicit, qualem etiam tenet Sacrificantis signum elegantissimum apud Chifletium; PIETAS in nummo Lucillæ, uxoris L. Aurelii apud Tristanum; Antonini Pii apud Choulium, atque apud eundem in marmore puer, & alibi juvenis non secus ac in marmore quod Clivis exstans hic repræsentare cum alio porcellum tenente visum fuit; Latini *acerram* vocant: Festus; *Acerra, ara, quæ ante mortuum poni solebat, in qua odores incendebantur: alii dicunt arcam esse thurariam, scilicet ubi thus reponebant*. Ultimorum opinionem præter Horatium, Virgilium, Arnobium, amplectitur Ovidius libro Fastorum quarto:

L. 1. c. 25. Vesont.

Pag. 297. 306. et 315.

Lib. 3 Car. 8. 5. Æn. v. 745. l. 2. extr.

> *Dixerat a dextra villis mantele solutis*
> *Cumque meri patera*, THURIS ACERRA *fuit*.
> *Thura focis, vinumque dedit* ——

& libro quarto Epistolarum ex Ponto, Elegia octava:



> *Nec quæ de parva pauper diis libat* ACERRA
> *Thura, minus grandi quam data lance valent*.

In Glossis *Acerra*, vel *Acerra thuraria* exponitur λιβανωτρὶς, uti recte emendat Illustris Scaliger, cum ante vitiose satis scriberetur, *Acceptuaria*. Vox Græca etiam apud Plutarchum occurrit, sed viris eruditis, ut equidem puto, non satis intellecta: οὐ γὰρ, ait, *αἱ μὲν λιβανωτρίδες (ὡς ἔλεγε Καρνεάδης) κἂν ἀποκενωθῶσι, τὴν εὐωδίαν ἐπὶ πολὺν χρόνον ἀναφέρουν; non enim roris quidem marini frutices (ut Carneades testatur) etiam excisi diu fragrantiam servant*: quæ tamen versio non simplici errore laborat; cum οὐ γὰρ interrogationem involvat, *λιβανωτρὶς sit arcula thuraria*, & ἀποκενῶσαι significet *vacuefacere*, vel *vacuum reddere*. Scilicet animus Philosopho probare res præclare gestas semper gratam sui memoriam relinquere in animo viri prudentis: *Nonne enim arculæ thurariæ (ut dicit Carneades) licet vacuefactæ diu gratum odorem servant?* deinde adjicit: *ἐν δὲ τῇ ψυχῇ τοῦ νοῦν ἔχοντος αἱ καλαὶ πράξεις οὐκ ἀεὶ κεχαρισμένην καὶ πρόσφατον ἐναπολείπωσι* (male vulgo scribitur λείπουσι) *τὴν ἐπίνοιαν: In anima vero viri prudentis actiones pulchræ non semper gratam recentemque sui memoriam relinquerent?* Hunc puto esse verum horum verborum sensum; utque interpres per λιβανωτρίδα intelligit male *rosmarinum* sive *libanotida*, ita Doctissimum Stephanum non melius explicare *thuream plantam* persuasus sum. Poliænus præterea memoriæ mandans honores, quibus Alexandrum mortuum duces affecerant; refert inter cetera ante thronum fuisse collocatam mensam auream; *ἐπὶ δὲ ταύτῃ ἐσχαρίδα καὶ λιβανωτίδα χρυσῆν, καὶ λιβανωτὸν καὶ θυμιάματα ἐδίδου: adhæc foculum & arculam thurariam auream, &*

De An. Tranq.

Lib. 4.

thus, *suffitusque odoratos*; scribo enim λιβανωτρίδα, quia Diodorus Siculus refert [Lib. 19] omnes Macedonum Principes ἐκ λιβανωτίδος χρυσοῦ sacrificasse Alexandro, τόν τε λιβανωτὸν, καὶ τῶν ἄλλων εὐωδῶν τὰ πολυτελέστατα. Hæc autem Virgo, quæ in marmore Historiam repræsentat θυηπόλῳ χερὶ, [Pers.] *sacrifica manu*, ut loquitur Æschylus; vel duobus primoribus digitis thus aræ nondum incensæ injicit more in gentilium sacris usitato: Prudentius; [Hym. 3. περὶ στεφ.]

Si modicum Salis EMINULIS
Thuris & exiguum DIGITIS
Tangere, *Virgo*, *benigna velis*
Pœna gravis procul abfuerit.

Lactantius ethnicos scribit colere *thure ac summis digitis*, *quæ sensibus intimis colere deberent*; [L. 1 c. 20. L. 5. c. 20.] & alibi eleganter sese nihil in eorum superstitionibus animadvertere, *quam ritum ad summos digitos pertinentem*. Atque ut HISTORIA pollice & indice thus, [Lib 7] quod recte Arnobius dicit, *primum locum in cærimoniis sumpsisse*, aræ injicit; ita etiam D. Hieronymus *duos digitos* memorat; [Ep. ad Heliod.] *Non est tantum in eo servitus idoli*, *si quis* DUOBUS DIGITIS *thura in bustum aræ jaciat*, *aut haustum pateræ poculo fundat merum*. Verum Porphyrius memoriæ mandat Hermionea tribus digitis liba ex sacculo extracta aræ imposuisse; θύσαντα, inquit, τῶν ψαιστῶν ἐκ τοῦ πηριδίου τοῖς τρισὶ δακτύλοις; gentilibus apud Lactantium, [L. 5 c. 18.] *cruciari atque interfici malle*, *quam* THURA TRIBUS DIGITIS COMPREHENSA *in focum jactare*, *tam ineptum videtur*, *quam in periculo vitæ*, *alterius animam magis curare quam suam*: & denique Ovidius in sacris feralibus & manium placationibus digitos totidem etiam celebrat:

Et digitis tria thura TRIBUS *sub limine ponit*,
Qua brevis occultum mus sibi fecit iter.

Ubi per *tria thura* intellige tres globulos thuris; [Lib. 2. Tr. El. 13.] Ovidius & Plinius *micas thuris* vocant, quæ scilicet, id quod etiam HISTORIA videtur facere, singulæ diis dabantur; *Æstimentur postea*, ait Naturalis Historiæ Scriptor, *toto orbe singulis annis tot funera*, *acervatimque congesta honori cadaverum*, *quæ diis per* SINGULAS MICAS *dantur*; [Lib. 12 cap. 18.] Græci Μάνναν λιβανωτοῦ vel simpliciter Μάνναν vocant: Glossæ veteres, *Thuris pollen*, Μάννα; Plinius, *Micas concussu elisas* MANNAM *vocamus*; Juvenalis *thus minutum* Dioscorides, λιβανωτὸν λεπτόν; uti notat summus Salmasius. [Pag. 508. Ex. et Diss. de Manna.] HISTORIAM excipit

ΠΟΙΗΣΙΣ

Amiculo humeros onerata, capillum in vertice vel occipitio nodo constricta, quo de more tam mulieribus quam viris usitato alibi agendi erit locus, utraque manu faces tenens; quibus videtur vel sacrificium velle incendere, uti etiam in Trajani nummo apud Choulium figura togata facit; [Pag. 255.] vel indicare poetæ in carmine condendo excellentiam; quomodo faces Penelopes Scholiastes & Eustathius faciunt signum τῆς γνώσεως. [Od. B. v. 105.] Verum his tandem omissis, utpote quæ satis superque explicata sunt, in scenam cum

TRAGOEDIA

prodeundum mihi est. Et quidem illa optimo jure tribuitur Homero, quia Tragici ex Homero argumenta sua sumebant, uti præ reliquis docet Proclus Lycius Diadochus. [Cap. 24. 25. et 26.] Hoc est, quare non vere minus quam eleganter Platoni *Tragicorum dux & magister vocetur*; Ἔοικε τῶν καλῶν ἁπάντων τούτων τῶν Τραγικῶν πρῶτος εἶναι διδάσκαλός τε καὶ ἡγεμὼν γενέσθαι; [Init. l. x. de Rep.] *Videtur præclarorum illorum omnium Tragicorum primus magister & dux fuisse*: alibi vero τραγῳδίας ἡγεμών; vel πρῶτος τῶν τραγῳδοποιῶν, *præcipuus Tragicorum*; vel *pater & choragus Tragœdiæ*; Hermogenes; οὐχ ἥκιστα δὲ καὶ ἀπὸ Ὁμήρου· τοῦτον γὰρ ἔφη ὁ Πλάτων πατέρα τραγῳδίας εἶναι καὶ χορηγόν; [Cap. 36. Meth. Eloq.] *quem Plato dicit esse patrem & choragum tragœdiæ*. Ut enim Choragus sumptus præbet in totam fabulam, a parte ita nominatus, quia plurimum choro impendebant; ita & Homerus *Choragus* Tragœdiarum est, quia varias materias, quas cothurno aptare possunt, subministrat; atque ita translate Jupiter a Themistio χορηγὸς δικαιοσύνης, & Philosophia a Maximo Tyrio appellatur, χορηγὸς ἀρετῆς καὶ λογισμῶν καλῶν, καὶ ἁρμονίας βίου καὶ ἐπιτηδευμάτων δεξιῶν. [Orat. 12 Diss. 16] Hoc est quod Strabo observat τὴν τοῦ Ὁμήρου ποίησιν ὑπερβαλλόντως θέατρα πληροῦν, *Poesin Homeri maxime theatra implere*; [l. 1. p. 20.] & Origenes non dubitat Homerum Euripidi (quem cum Sophocle & Æschylo ex eo argumenta sumpsisse docuit Canterus) præferre; [L. 5. Nov. Lect. c. 4.] quia ille Heroum personas, Nestorem, Ulyssem, Agamemnonem, aliosque perpetuo sibi similes facit; hic vero ab Aristophane taxatur, quod persæpe Anaxagoræ sententias, vel quas ipse a Philosophis didicerat, ὡς ἀκαιρορρήμων, *velut importune loquax* tribuat barbaris mulierculis vel mancipiis. Et hæc quidem clare ostendunt non absque ratione TRAGOEDIAM in artium Homericarum comitatu cerni; sed quid COMOEDIÆ fiet tandem? Neque enim Ilias & Odyssea Comicis inserviunt; bella sunt, iræ, cædes, vastationes urbium, naufragia, principes viri Reges; quæ Euripidi potius quam Menandro, Senecæ quam Terentio, Sophocli quam Apollodoro conveniunt. Neque tamen absque ratione existimandum est, ad sacrum officium Comœdiam una progredi; & Homerus non modo Tragœdiæ, verum etiam ΚΩΜΩΔΙΑΣ pater est, uti Eustathio, verbis paulo post laudandis, vocatur. Fuit quoddam genus fabulæ *Satyricum* Græcis dictum, quod propter risum ac jocos Comœdiæ magis quam Tragœdiæ accedebat, cum qua tamen affinitatem propter personarum qualitatem habet; quæ (excepto choro) vel plane eædem cum iis, vel etiam majoris dignitatis, & admirationis, ut Centauri, Cyclopes, quemadmodum erudite docet Isaacus Casaubonus. Hoc ad Odysseæ formam veteres composuisse observavit Eustathius: [Ad Od Σ. p. MDCCCL.] λογιστέον δὲ καὶ ὡς ἐκ τῆς Ὀδυσσειακῆς ὑμεθόδου Σιλλογραφίας, ὅπη παρήκοι παραμιγνύσης ἀστεῖα τοῖς σπουδαίοις, εἰκὸς ἐπινοηθῆναι τοῖς ὕστερον τὴν Σατυ-

Σατυρικὴν ποίησιν. ἧς τὴν μέθοδον παραδηλοῖ ὁ μέχρι νῦν σωζόμενος Εὐριπίδειος Κύκλωψ: *Notandum autem, quomodo ex ſcribendi ratione, qua in Odyſſea utitur poeta, & quæ ut ad Sillorum penitus naturam accedit, ita ſumma eam arte exprimit, urbanitatem rebus gravibus ſubinde miſcens, veriſimile eſt excogitatam a poſterioribus Satyricam poeſin. Cujus rationem & naturam is qui bodieque exſtat Cyclops Euripidis oſtendit.* Et quod magis huc quadrat, Odyſſeam Comœdiæ ſimilem, inſtarque comœdiæ compoſitam eſſe affirmat Euanthius: *Homerus tamen, qui fere omnis Poeticæ largiſſimus fons eſt, etiam his carminibus exempla præbuit: qui Iliadem inſtar Tragœdiæ, Odyſſeam ad imaginem Comœdiæ feciſſe monſtratur:* eoque reſpectu Euſtathio *pater Comœdiæ* vocatur; ὅτι πατὴρ ὢν Ὅμηρος ϗ Κωμῳδίας καθὰ ϗ τῶν ἄλλων Ῥητορικῶν εἰδῶν, ἐν Ὀδυσσείᾳ μὲν πλεονάζει, ϗ ἀφειδέστερον ἢ ϗ αὐθαδέστερον χρᾶται αὐτῇ, οἷα ϗ χορηγούντων αὐτῇ τῶν ἐκεῖ προσώπων ὕλην γελοιασμοῦ, διὰ τὸ τῆς Ποιήσεως ἐκείνης ἠθικώτερον: id eſt, *Homerum patrem Comœdiæ eſſe ut & aliarum rhetoricarum figurarum in Odyſſea quidem ſæpius apparet; utiturque ea liberalius & licentius, perſonis materiam riſus præbentibus, quia poeſis illa morata eſt.* Dionyſius Longinus cum multis oſtendiſſet Odyſſeam ab Homero ſene compoſitam eſſe, ejuſque reſpectu poſſe eum comparari ἡλίῳ καταδυομένῳ *ſoli occidenti* neç ſtylum ſervare ac in Iliade ſublimem, tandem addit Odyſſeam eſſe οἱονεὶ Κωμῳδίαν ἠθολογουμένην, *tamquam comœdiam moratam & affectus exprimentem*; utque Cicero in Comiçis perſonis effictos mores, expreſſamque imaginem vitæ quotidianæ videre nos ſcribit; ita Alcidamas apud Ariſtotel. Odyſ. vocat, καλὸν ἀνθρωπίνου βίου κάτοπτρον; *pulchrum humanæ vitæ ſpeculum.* Idemq; Philoſophus Iliad. ſimplicem & affectuum plenam; Odyſ. vero implexam & ἠθικὴν ſive *moratam* ſcribit eſſe. Et ſane Ilias atq; Odyſ. δραματικῶς conſcriptæ ſunt, ſingulæq; unam actionem non ſecus ac Tragœdia, vel Comœdia habent, quam variis epiſodiis exornavit Homerus, adeo ut unum inde δρᾶμα vel ad ſummum duo fieri poſſent, uti Euſtath. & Ariſtotel. obſervant: quod cum imitati fuerint & Tragici & Comici, recte proculdubio *Tragœdia & Comœdia* poetæ noſtro tribuuntur, earumque pater appellatur: ὃν ait Euſtathius, ϗ οἱ μετ᾽ αὐτὸν μιμησάμενοι Τραγικοί τε ϗ Κωμικοὶ, καθ᾽ ὁμοιότητά τινα ϗ αὐτοὶ μετεχειρίζοντο τὰ οἰκεῖα Ποιήματα· ἡ αὐτὴ δὲ τῷ ὁμήρῳ μέθοδος ϗ ἐν Ὀδυσσείᾳ διεχειρίσθη; *Quem imitantes qui poſt eum fuerunt Tragici & Comici poemata ſua compoſuerunt; eademque methodus Homero ſervata in Odyſſea.* Neque tantum quia ordinis & diſpoſitionis auctor Homerus, COMOEDIA additur; verum etiam quia talia inſeruit operibus ſuis, quæ ad hilaritatem excogitata, ut claudicans pincerna Deorum, vanus ac deformis Therſites, Irus cum Ulyſſe certans, Mars, cum Venere a Vulcano reti conſtrictus, comici aliquid in ſeſe continent. Sic brevium Scholiorum auctor ſcribit eum κωμῳδεῖν, cum Paridem vel Alexandrum, hominem natura timidum, facit fortiſſimos Græcorum provocare; & Euſtath. κωμῳδῶν μὲν γὰρ, καταρρίπτει τὸν Θερσίτην; *comice ſcribens, dejicit Therſitem:* qui quæ paulo ante notat, nequaquam prætermittenda ſunt, cum valde argumento noſtro, atq; adeo ſententiæ conveniant: Τραγικοὶ δὲ, ait, τὸ σεμνότερον ὑψοῦσι γὰρ τὰς τῶν πραγμάτων περιπετείας. κωμικοὶ δὲ τὸ ἔλαττον. Οὐδὲν γὰρ ἡρωϊκὸν παρ᾽ αὐτοῖς. ἀλλὰ χάριν γέλωτος εὐτελείας ἡ κωμῳδία στοχάζεται, ταῦτα δὲ πάντα παρὰ τῷ ποιητῇ εὕρηται: *Tragici id quod magnificum eſt imitantur; extollunt enim rerum caſus: Comici vero deterius imitantur: nihil namq; apud ipſos Heroicum, ſed Comœdia riſus gratia ſectatur proſpera: ea omnia apud poetam inveniuntur.* Exſtat tandem hanc in rem locus præſtantiſſimus apud Gregor. Nazianz. in Orat. adverſus Julian. iſq; non modo μέγαν τῶν θεῶν κωμῳδιογράφον, verum etiam τραγῳδοποιὸν Homerum appellat; & utriuſq; rei exempla, τὰ μὲν συμφορᾶς, τὰ δὲ γέλωτος ἄξια ſcribit reperiri; id quod pluribus explicat Nonnus, qui poteſt videri. Acerrimus quoq; Philoſophorum Ariſtot. Homer. primum σχήματα *formas Comœdiæ* ſcribit oſtendiſſe, οὐ ψόγον ἀλλὰ τὸ γελοῖον δραματοποιήσαντα; *non opprobria, ſed ridicula dramaticum in modum repræſentantem*, neq; tamen Odyſſeam, verum Margitem Comœdiæ ſimilem facit: ὁ γὰρ Μαργείτης ἀνάλογον ἔχει ὥσπερ Ἰλιὰς ϗ Ὀδυσσεια πρὸς τὰς τραγῳδίας, οὕτω ϗ οὗτος πρὸς τὰς Κωμῳδίας: *Quam enim Ilias & Odyſ. ad Tragœdiam, eandem ad Comœdiam proportionem habet Margites.* Scilic. & hoc carmen, licet Dio Chryſoſt. Baſil Magnus, Euſtath. dubitent; alii tribuant Pigreti vel Tigreti Artemiſiæ reginæ fratri apud Suidam; alii (inter quos proculdubio Zenon, quem Dio Chryſoſt. in Iliad. Odyſ. & Margitem ſcripſiſſe memorat;) diligenter in rem illam inquiſiverint, eodem Euſtathio notante; a multis Homero tribuitur, uti Procl. & anonym. vitæ ejus auctor teſtantur; atq; Callimachi admirationem meruit: Harpocrat. Ἐκάλουν δὲ τοὺς ἀνοήτους οὕτω, διὰ τὸν εἰς Ὅμηρον ἀναφερόμενον Μαργίτην, ὅπερ ποίημα Καλλίμαχος θαυμάζειν ἔοικεν; *Stultos ita appellant propter Homero tributum Margitem, quod poema Callimachus admirari ſolet.* Et Marius quidem Victor. poetæ noſtro illud diſerte tribuit: *Homer. fons & origo metricæ diſciplinæ, non tantum in duobus corpuſculis* (σωμάτιον vocat ſimiliter Dionyſ. Longinus, non ſecus ac Heſych. Iliad. Ὁμήρου σωμάτιον, quod male Palmerius in ποιημάτιον mutat) *Iliad. & Odyſ. his verſibus telijambis frequenter eſt uſus: ſed & in eo carmine, cui* MARGITES *nomen eſt, idem heroicis hexametris trimetros jambicos tanquam pares numero miſcuit:* Idem loquens de jambis ſeptem & decem ſyllabarum: *Hoc genere verſuum primus uſus eſt Homerus in* MARGITE *ſuo: nec tamen totum carmen ita digeſtum perfecit: nam duobus pluribuſve hexametris antepoſitis, iſtum ſubjiciens copulavit, quos poſtea Archilochus interpolando compoſuit:* quibus ex locis patet verſus hexametros Jambicis temere ac inordinate fuiſſe mixtos; unde & μετρικὰ ἄτακτα vocantur Hepheſtioni in Enchiridio περὶ μέτρων ϗ ποιημάτων. Sed ut ipſum ad marmor revertar, TRA-

Pag. 938.

Cap. 8.

Orat. pro Roſc.

l. 3. Rhet. cap. 3. Cap. 24. Poet.

Ad Il. α. Cap. 9. 23. et 24. Poetices.

Inſt. Il.

Pag. 258.

Cap. 4. Artis.

Orat. 53. De Leg. Gentil. Lib Ad Od. K. extr.

Pag. 24.

Lib 2 Extr.

C. 8. περὶ ὕψους.

Pag. 63

GOEDIA viro, COMOEDIA fœminæ assimilatur; quia Heroes, reges in Tragœdiis; fœminæ vero in Comœdiis frequentiores sunt, quemadmodum ex Æschylo, Sophocle, Euripide, Seneca, Aristophane, Terentio, Plauto constat. Ut enim publica negotia viri, ita privata mulieres sibi vindicant, taliaque inprimis, quorum argumenta Comœdiis inserviunt: adeo ut non satis caute putem Lucianum scripsisse tam in Tragœdiis quam Comœdiis *plures mulieres quam viros esse*; qui tamen alibi ipse Tragicorum de conditione agens, nullos nisi Creontas, Priamos, Agamemnonas, Cecropas & Erechteos crepat, ne fœminarum quidem facta mentione. Sane disertissimus Latinorum patrum Lactantius comœdiis *virgines & meretrices*; Tragœdiis vero *reges* tribuit: *In scenis quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & Comicæ fabulæ de stupris* VIRGINUM *loquuntur, aut amoribus* MERETRICUM; *& quo magis sunt eloquentes, qui flagitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi & ornati. Item tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia, & incestus* REGUM *malorum & cothurnata scelera demonstrant*. Iisdem reges & heroas Diomedes; *Satyrica est apud Græcos fabula in qua item Tragici poetæ, non reges aut heroas* (quemadmodum scil. in tragœdiis fiebat) *sed satyros induxerunt*: Deum & heroem Horatius;

Lib. de Salt.

In Necyom. et de Merc. Cond.

L. 6 c. 20

Lib. 3.

> *Nec quicunque* DEUS, *quicunque adhibebitur* HEROS
> *Regali conspectus in auro nuper & ostro*
> *Migret in obscuras humili sermone tabernas.*

Et quod huc valde quadrat, Comœdia muliere itidem repræsentata, innixa ludicro instrumento, & capiti velum obducens ceu pœnitens in Socratem dictorum & factorum, ipsi in carcere sedenti adstat ex opinione Joannis Chifletii, in libro de Gemmis imagine Socratis cælatis. Induitur autem TRAGOEDIA tunicam talarem manuleatam cinctam, atque pallium; estque fronte admodum torva & gravi, adeo ut non male illi aptari possint Ovidiani versus,

> *Venit & ingenti violenta Tragœdia passu;*
> *Fronte comæ torva, palla jacebat humi.*

Hercules quoque tragicus apud Casalium ejusmodi plane tunicam gerit; tragicisque eam ex doctissimi viri mente tribuit Lucianus; ἢ τὰς ἐμβάτας, ἢ τὰς ποδήρεις χιτῶνας; ἢ χλαμύδας; ἢ χειρῖδας; id est; *Et cothurnos, tunicas talares manuleatas & chlamydes*. Verum si hoc sibi voluit ille, miror cur manicas a tunica disjunxerit, interque eas *vestes* collocaverit: &, nisi me plane fallo, per χειρῖδας intelligendæ sunt chirothecæ; quas tragicos gestasse ex B. Chrysostomo alibi doceo. Sed præcipue in Tragœdia notandum capitis tegmen, quod tanquam litera Λ. super frontem assurgit; & de quo nescio an loquatur Pollux: Ὁ δὲ ξυρίας, πρεσβύτατος τῶν γερόντων, λευκότατος τὴν κόμην, προσκείμεναι τῷ ΟΓΚΩ αἱ τρίχες: *Rasus est maximus natu senum, albissimam comam habens, & crines Ogco adjacentes*; deinde quid sit docet; ΟΓΚΟΣ δέ ἐστι, τὸ ὑπὲρ τὸ πρόσωπον ἀνέχον εἰς ὕψος λαμβδοειδεῖ τῷ σχήματι: *Ogcus autem est ea quæ supra personam est, alta prominentia literæ Λ. figuram referens*. Illustris Salmasius epistola ad Colvium censet Ογκον fuisse aliquid in summo personæ tragicæ tam mulierum quam virorum in altitudinem elatum non autem ex crinibus factum, sed ex eadem materia, qua persona constabat, huicque fastigio plerumque ipsos crines adhæsisse. Hoc *aliquid* ego esse puto illud, quod figura literæ Λ. super personam exstabat, ad hanc forte formam;

In Jov. Trag.

L. 4. c. 19



& propter quod, si in re obscura plane conjecturæ locus, pallium Tragœdiæ (quæ & barba rasa cernitur, ut senem suum plane paulo post describit Pollux) in marmore ita formatum atque compositum est. Atque hunc ad ornatum videtur etiam digitum intendere Lucianus; cui Tragœdus est ἄνθρωπος ἐμβάταις ὑψηλοῖς ἐποχούμενος, πρόσωπον ὑπὲρ κεφαλῆς ἀνατεινόμενον ἐπικείμενος, καὶ στόμα κεχηνὸς πάμμεγα, ὡς καταπιόμενος τοὺς θεατάς; *Homo altis calceis incedens, larva super caput vel frontem exstante, ore hiante, non secus ac si spectatores devorare vellet*. Non satis bene interpretem reddidisse existimo, *caput larva minaci obductum habens*. Nam ἀνατείνειν significat *sursum extendere, erigere*; quomodo ἀνατείνειν τὰς χεῖρας, τὰς ὄψεις & alia dicimus; & videant eruditi, num hic ornatus *superficies* vocetur Varroni apud Nonium: *Item Tragici prodeunt capite gibbero, cum antiqua lege ad frontem* SUPERFICIES *accedebat*: Popma quidem explicat de fæce, qua nuda ora Tragici perungebant; sed aliud *ora perungere*, aliud *superficies ad frontem accedens*; nullaque similitudo est inter *caput gibberum* sive eminens & elatum, faciemque fæcibus perunctam. Hunc autem ὄγκον servi in tragœdiis, exceptis nuntiis, non habebant; sed περίκρανον, id est pileum ἀκῶνον vel teretem: ornabantur tamen illo, at non ita elato & extructo mulieres, uti apud Pollucem, quem interpres non intellexit, videre licet. Et quanquam mulier Comœdiam repræsentans ansam quasi præbeat inquirendi, num mulieres in scenam prodierint, egerintque Comœdias; malo tamen hoc alio tempori reservare, & monere tantum Juvenalem canere viros fœminarum personas egisse;

— an melior cum Thaida sustinet, aut cum
Uxorem Comœdus agit: vel Dorida nullo
Cultam palliolo, mulier nempe ipsa videtur,
Non persona loqui ——

Sat. 3.

Lib. XI. c. 3.

Quintilianumque memoriæ mandare Demetrium Comœdiarum actorem optime repræsentasse, *deos & juvenes, & bonos patres, servosque & matronas & graves anus*. Sequitur

ΦΥΣΙΣ

id est INGENIUM vel NATURA. Apud Thucydidem φύσεως ἰσχὺς est *vis ingenii*; & Cicero ἀμείνων εἶναι τὰ τῆς φύσεως reddidit, *majore ingenio* esse. Sic ipse a Juvenali propter raram eruditionem, non secus ac alii multi ab aliis, *ingenium* vocatur; neque aliter Homerum appellat Plinius; ut cum, *nullum felicius* INGENIUM *Homero vate Græco exstitisse* scribit, vel eum FONTEM INGENIORUM nominat; quæ elogia augens Valerius eundem VATEM INGENII COELESTIS appellat. Vel specialius

Sat. X.
L. 9. c. 29.
L. 17. c. 5.
L. 8. c. 8.

ΦΥΣΙΣ

indicat Homerum poetam αὐτοδίδακτον, atque a natura edoctum, nec artis, quæ etiam in marmore non apparet, adminiculis adjutum esse; quo respicit procul dubio poeta anonymus

Lib. 4. Anth.

Εὗρε φύσις, μόλις εὗρε. Τεκοῦσα δ' ἐπαύετο μόχθων
Εἰς ἕνα μοῦνον Ὅμηρον ὅλην τρέψασα μενοινήν,
Invenit natura, ægre invenit: ubi vero generavit, cessavit a laboribus
In unum solum Homerum convertens sapientiam.

Sed μενοινὴ non est *sapientia*; verum animo impetus a natura insitus, quo ad aliquid agendum impellimur; designatque hoc loco Homerum naturali ardore animi, ad carmina pangenda veluti divino furore raptum esse; quo sensu & *impetum* usurpat Petronius in Satyrico. Atque huc pertinet quæstio antiquis agitata; num NATURA AN ARTE QUIS POETA FIAT. Horatius, acerrimus post Aristotelem poetices judex nec ingenium sine arte nec artem sine ingenio prodesse canit;

Lib. de Arte.

Natura fieret laudabile carmen an arte
Quæsitum est: ego nec studium sine divite vena
Nec rude quid prosit, video ingenium; alterius sic
Altera poscit opem res, & conjurat amice.

Ars autem id maxime efficere videtur, ut versus pedibus religiose instruantur, & ordo servetur materiæ conveniens; naturæ vero opus fictio est, ac ornare epi-

Supplem. Tom. II.

sodiis & fabulis poema; illa igitur *versificatorem* facit; hæc *poetam*; quantumque poeta præstantior versificatore, tantum natura artem, & ingenium curam superat. Hinc Democritus Abderites naturam fortunatiorem arte credidit; Horat.

Ingenium misera quia fortunatius arte
Credit, & excludit sanos Helicone poetas
Democritus; ——

Scilicet ille credidit, natura poetam fieri, nihil artem juvare; ingeniumque & venam naturalem, *furorem* vocat apud Ciceronem: *Negat sine furore Democritus quenquam poetam esse posse*. Naturam enim nihil aliud in poetis censuerunt veteres, quam afflatum divinum & furorem; unde Plato perpetuo θείᾳ μοίρᾳ opponit τῷ διδακτῷ, τῷ τεχνικῷ τῷ ἐν ἐπιστήμῃ ὄντι; & Cicero *inflammationem animorum* nominat: *Sæpe audivi poetam bonum neminem (id quod a Democrito & Platone in scriptis relictum esse dicunt) sine inflammatione animorum existere posse, & sine quodam afflatu quasi furoris*. Natura igitur primas sibi partes vindicat; nec tantum facit, ut poema fabulis ornetur, verum etiam ut VENA adsit; cujus quoties mentio fit, toties significatur poetam αὐτοδίδακτον esse: Horatius *studium & venam* opposuit, Ovidius *ingenium & artem*, Plinius *curam & ingenium*; & Juvenalis canit;

L. 1. Div.
L. 2. de Orat.
L. 1. Am. El. ult.

Sed vatem egregium cui non sit publica vena.

Carmina, quibus illa inest, *fluitantia* vocantur auctori carminis ad Pisonem;

—— Si carmina forte
Nectere ludenti juvit FLUITANTIA *versu*.

Sic Diogenes Laertius poetas, si solute scribere aggrediuntur, assequi quod volunt; πεζογράφους vero, si ad carmen pangendum sese applicant; excidere; indeque patere scribit τὸ μὲν φύσεως εἶναι, τὸ δὲ τέχνης ἔργον; id est, *poesin naturæ, oratoriam vero artis* esse; quæ ultima male invertit doctissimus Vossius, & artem poesi, naturam oratoriæ tribuit; quod a mente Diogenis plane alienum est. Plato poetas non ex arte, sed ex furore censet; πάντες οἱ τε τῶν ἐπῶν ποιηταὶ οἱ ἀγαθοὶ οὐκ τέχνης, ἀλλ' ἔνθεοι ὄντες καὶ κατεχόμενοι πάντα ταῦτα τὰ καλὰ λέγουσι ποιήματα. *Et omnes poetæ epici, non arte valentes, sed divinitus afflati; & furore concitati hæc omnia præclare poemata canunt*. Enthusiasmus autem ille ipsa natura est, qua si ad carmen componendum poetæ impelluntur, elegantissime ΓΟΝΙΜΟΙ, ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΟΙ, ΑΥΘΟΜΑΘΕΙΣ & ΘΕΟΔΙΔΑΚΤΟΙ appellantur; Aristophanes;

In vita Xenocr.
Cap. 2. de Nat. Poet.
In Jone.

Γόνιμον δὲ ποιητὴν ἂν οὐχ εὕροις ἔτι.

quem optime Scholiastes interpretatur φυσικόν τινα καὶ μὴ βεβιασμένον ἢ γεννητικόν; id est; *qui natura poeta est; qui non coactus nec factus ad carmen faciendum*

accedit; Themistius; ὅτι ὦ θαυμάσιε καὶ αὐτοδίδακτε ποιητά; *Heus tu egregie & a natura edocte poeta*. Nam vocis αὐτὸς ea vis est, ut hominem magistrum excludat; similiterque Homerus ipse citharœdum, qui afflatu numinis canebat, vocat αὐτοδίδακτον; quod expendunt & examinant Maximus Tyrius in dissertatione, cui titulus, εἰ τις γένοιτο θεία μοίρᾳ ἀγαθὸς, Isidorus Pelusiota, & Justinus Martyr. Sic a Themistio iterum αὐτοδίδακτος βασιλεὺς apibus tribuitur, & αὐτοφυὴς, quia ille novit se regem esse vi insita, neque ab aliis creatur; Synesio non aliter appellatur malitia, ad quam a natura proclives sumus; amor, quia omnibus quasi innascitur, Achilli Tatio; & vox avium Diodoro Siculo, quia natura ejus artifex est. Sic, ut vox elegans similibus illustretur, Eunapio Deus αὐτόκλητος est, qui sua sponte, non autem invocatus opem fert; Dioni Chrysostomo Philosophi ingenio suo docti αὐτουργοὶ τῆς σοφίας; & Apollonio Smyrnæo Πὰν αὐτόξυλος celebratur;

Orat. 3.

Lib. 4. Ep 30 Lib. de Mon Orat. 5 Lib. 2. de Prov. Lib. 1. Lib 3.

In vita Proæresii.

Lib. 4. Epigr.

> Πὰν ὁ παρωρείτης, αὐτόξυλος, ἀρνεοθοίνης
> Εἰμὶ, καὶ ἐγχθονίου γλαυκοπότης κύλικος.
>
> *Pan montis latera incolens, ligneus,*
> *agnos in sacrificium adhibens,*
> *Sum & patrii mustibiba calicis.*

T. 3. pag. 84.

ut vertit Lubinus, & post eum Tristanus; verum *ligneus* est Græcis ξύλινος, & altera vox majus quid, ut equidem mihi videtur, complectitur; indicatque hanc statuam non fuisse humana opera politam, sed ex arbore natam, ita ut truncus ingenio suo retulerit Panos figuram; qualem videor observasse in gemma operis antiqui apud Gorlæum;



eodemque plane sensu Hesiodus dixit αὐτόγυον ἄροτρον, quod habet burim a natura curvam, non clavis affixam temoni & dentali, uti optime exponit præstantissimus Grævius; quomodo etiam Scholiastes Homeri αὐτόγυον recte interpretatur τὸ ἐξ αὐτοῦ μονόξυλον; *quod natura sua unum lignum est*. Sed ut ad poetam αὐτοδίδακτον, qualis & Homerus noster fuit, redeam; facere non possum quin addam insignem Philonis Judæi locum, quo optime vis hujus vocis declaratur: Ἐν τούτῳ, ait, τάττεται πᾶς ΑΥΤΟΜΑΘΗΣ καὶ ΑΥΤΟΔΙΔΑΚΤΟΣ σοφός· οὐ γὰρ σκέψεσι καὶ μελέταις καὶ πόνοις ἐβελτιώθη, γεννώμενος δ᾽ εὐθὺς εὐτρεπισμένην εὗρε σοφίαν ἄνωθεν ὀμβρηθεῖσαν ἀπ᾽ οὐρανοῦ, ἧς ἀκράτου σπάσας, εἱστιάθη καὶ διετέλεσε μεθύων τὴν μετ᾽ ὀρθότητος λόγου νήφουσαν μέθην. *Ad hunc ordinem pertinet omnis, a se ipse edoctus sapiens. Nec enim cogitationibus, meditationibus, laboribusque proficit: sed mox natus paratam invenit sapientiam irroratam sibi cælesti pluvia, cujus meraco haustu exhilaratus, perpetuo temulentus est ebrietate sobria, salva rationis integritate:* cumque αὐτομαθὲς esse dixisset novum, & ratione majus, & vere divinum genus, non humanis commentis eruditum, sed furore divino, adjicit; τὸ μὲν οὖν διδασκόμενον μακροῦ χρόνου δεῖται. τὸ δὲ φύσει, ταχύ τε καὶ τρόπον τινὰ ἄχρονόν ἐστι. κἀκεῖνο μὲν ἄνθρωπον, τοῦτο δὲ θεὸν ὑφηγητὴν ἔχει. *Quod discitur opus habet longo tempore; quod a natura scimus expeditum est, & nullum initium quasi habet: illud hominem, hoc Deum præceptorem habet*. Julianus Imperator ingenium, philosophiæ amorem, otiumque in poeta requirens, illud vocat θεοῦ πνεῦμα apud Suidam; Cicero oratione pro Archia scribit, *poetam natura ipsa valere, & mentis viribus excitari, & quasi divino quodam spiritu afflari*: & Homero tandem nostro Democritus tribuit φύσιν θεαζούσην καὶ θείαν καὶ δαιμονίαν apud Dionem Chrysostomum. Verum cum ea omnia Μῦθος & Ποίησις complecti possint; illæque vim virtutemque Homerici carminis designent satis; crediderim

Lib. de profug

v. Ἀμφίων.

Orat. 53.

ΦΥΣΙΝ

nos docere, Homerum rerum naturalium eximiam notitiam habuisse; optimum φυσιογνώμονα, & Physicum fuisse; ac tandem potuisse περὶ φύσεως πραγμάτων διαλέγειν. Hoc est quare *naturæ conscius* vocatur Macrobio: *Alii putant Romulum vel altiore prudentia, vel certi numinis providentia ita primos ordinasse menses, ut cum præcedens Marti sit dicatus, Deo plerumque hominum necatori, ut* HOMERUS NATURÆ CONSCIUS *ait, secundus Veneri dicaretur*: & quidem, quod non minimum laudis ipsi parat, SOLUS: Idem; *Postremo Homerum sequamur, qui* SOLUS NATURÆ CONSCIUS: *facit enim Nausicam Alcinoi filiam abluentem vestes, cum super mare esset, non in mari, sed fluvio*. Per φύσιν autem intelligo Physicam θεωρητικὴν vel speculativam, quæ circa res naturales, cælum, stellas, terram, mare, animalia, plantas, ipsumque adeo hominem versatur: quam tamen non eo modo tractavit, quo Plinius, qui *historiam naturalem* id est quæcunque in rerum natura multis sæculis observata sunt conscripsit; vel ut Empedocles, aliique innumeri Philosophi, qui rerum rationes & causas scrutati sunt; sed NATURAM vel ΦΥΣΙΝ per allegorias docuit; singulisque rebus tam commoda & apta epitheta adjecit, ut pateat clarissime, earum ingenium probe Homerum perspexisse. Hoc est quod Philosophorum princeps & coryphæus Plato memoriæ mandat, eum non tam sapientiæ auctorem, quam imitatorem esse; nihil earum rerum vere exhibuisse, quarum cognitionem se habere aperte ostendit; egisse quidem de medicina, sed Hippocratem medicum præstantiorem; de NATURALI adhæc SCIENTIA scripsisse, ejus tamen

L. 1. c. 12. Sat. Sev.

L. 7. c. 13.

Lib. 10. de Rep.

peritiorem eſſe Thaletem. Quicquid ſit primus phyſicæ Homericæ maxime ſtudioſus Metrodorus Lampſacenus fuiſſe legitur apud Laertium Diogenem: Ἐπὶ πλεῖον ᾗ προςῆναι τοῦ λόγου Μητρόδωρον, τὸν Λαμψακηνὸν, γνώριμον ὄντα αὐτοῦ (Anaxagoræ) ὃν καὶ πρῶτον σπουδάσαι τοῦ ποιητοῦ περὶ τὴν φυσικὴν πραγματείαν; *Hanc vero opinionem multum extendiſſe Metrodorum Lampſacenum ejus familiarem, quem etiam primum in his, quæ ad naturalem pertinent Philoſophiam, poetæ ſtudioſum fuiſſe*. Et ſane, uti plurima exempla teſtantur, phyſices penetralia inſpexit, ſæpiſſimeque uno, nec non elegantiſſimo epitheto rei naturam exprimit, quam phyſici multis tradunt verborum ambagibus. Neque hoc latuit eos, ac frequenter, qualis natura animalium ſit, ex Homero noſtro docent; uti ex variis apud Ariſtotelem, Ælianum, Plinium, alioſque locis patet. Hominem ipſum ex terra & aqua componi illo auctore docet Macrobius: *Et a terra quidem uſque ad aquam ſpatium, neceſſitas a phyſicis dicitur: quia vincire & ſolidare creditur, quod eſt in corporibus lutulentum: inde Homericus cenſor* (Menelaus) *cum Græcis imprecaretur, Vos omnes in terram & aquam reſolvamini, in id dicens, quod eſt in natura humana turbidum, quo facta eſt homini prima concretio*. Aquilam canit eſſe ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν; columbas τρήρωνας, id eſt, *timidas* (unde multi πελειστερὰν cenſent dictam a πελιαστῶς τρέειν *valde tremere*, & φάσσαν a φέβομαι) aprum ληϊβοτείρην, quia ſegetes depaſcit; dentes acuere prælia initurum; gaudere locis cænoſis & aqua turbida pingueſcere; leonem cauda ſeſe verberare, & ea ratione ad iram incendi; eumque igne fugari; equos, qui teſte Ariſtotele animalia ſunt φιλόλουτρα, & φίλυδρα, ſe lavare: draconem nocere alicui cupientem θανατηφόρους ῥίζας, *mortiferas herbas* edere; canem non mordere, ſi homines ſubſideant, id quod eodem teſte firmat Antigonus Caryſtius; præterea cygnos appellat δουλιχοδείρους, propter inſignem colli longitudinem: cervas φυζανικὰς *timidas* & ἀνάλκιδας *imbelles*; perdicem ὠκύπτερον *velocem*; capras ἰξάλους id eſt ὁρμητικοὺς, quia ſemper ſaltare ſolent; leonem ἑλειήτην vel propter ἕλην *calorem*, vel quia ἐν ἕλεσιν paſcitur, uti tradit Orus Grammaticus apud Auctorem M. Etym. vultures, γαμψώνυχας & ἀγκυλοχήλας roſtrum eorum & ungulas, deſcribens; ſerpentes ὀλοόφρονας, quia callidum inprimis animal; mulos κρατερώνυχας fortibus ungulis præditos, non ſecus ac lupos, quos inſuper ὀρεσίους *montanos* vocat; tauros denique εὐρυμετώπους, latæ frontis; qualis & noſter ille in marmore conſpicitur. Cum capræ inſuper ſoleant de rupibus pendere, petras canit eſſe αἰγίλιπας, ut indicaret eas tam altas eſſe, ut aſcendi a capris nequeant; cum cervus ſit timidus, homini tali tribuit κραδίην ἐλάφοιο; ſignificans ſimul, ut conſuevere veteres, timorem in corde ſedem habere; cumque canis ſit impudentia nobilis, virum impudentem habere κυνὸς ὄμματα. Notat quoque Euſtathius Homerum per parabolas ſæpe animalium proprietates, & hiſtoriam naturalem explicare; δι' αὐτῆς, ait, γὰρ πολλαχοῦ καὶ ζώων ἰδιότητας καὶ φυσικὴν ἱστορίαν ποικίλην ἐκτίθεται: atque ita Achivos ex navibus & tentoriis ad concionem euntes, comparat apum examini e petra cava petentium flores vernos, quia illæ confertim volare ſolent; Myrmidones lupis propter robur, virum fortem in prælia ruentem apro; Ulyſſemque appellat κερδαλεόφρονα; quia non ſecus ac vulpes, (Græci κερδάλην & ἀλώπεκα nominant) vafer & aſtutus erat. Utque ad inanimata deſcendam, ſalices vocat ὠλεσικάρπους, quia, ut nonnulli cenſent, qui earum ἄνθος bibunt, ἄγονοι διαμένουσι: alnos ὑδατροφέας, quia aquis gaudent; ventos ἀπογαίους, quia ex Ariſtotelis aliorumque philoſophorum ſententia ex terra oriuntur; vinum αἴθοπα non propter colorem, nam alibi dixit αἴθοπα οἶνον ἐρυθρὸν, ſed calorem, docente Plutarcho; fluvioſque omnes & fontes canit ex mari ortum habere, quod pleriſque veterum creditum, nunc non abſque rationibus in controverſiam vocatur. Nec ſane monere oblitus eſt Plutarchus, in rationem inquirens, quare oleum ſolum ex omnibus humoribus ὑγρὸν vel *humidum* dixerit, poetam ſingula ornare ἰδίοις ἐπιθέτοις; & Strabo contendit regionibus ſive locis nunquam inania epitheta addita, ſed omnia petita eſſe ex natura rerum, quas ornandas & deſcribendas ſibi deſumpſit; proptereaque terrarum, marium, fluviorum naturam ipſi perſpectam fuiſſe; καὶ, inquit, οὐδεμίαν προσθήκην κενῶς ἀπορρίπτειν; eoque modo Haliartum ποιήεντα; Thisben πολυτρήρωνα vocaſſe; atque ut docet Ælianus; mare Laconicum θάλασσαν κητώεσσαν, *cetoſum*, quia ingentia in eo cete naſcebantur; & teſte Macrobio ceciniſſe, aquæ marinæ pinguedinem ineſſe. Eam quoque Phyſice partem, quæ elementa & cælum ſpectat, diligenter calluit; eorumque naturam ὁ μέγας ἐν ἀνθρώποις ἥρως (ita Homerum vocare non dubitat Auctor anonymus poſt Geſnerum a Clariſſimo Viro, Joanne Columbo, Profeſſore apud Upſalienſes publico, editus, & mihi, cum hæc ſcribo, dono miſſus) per fabularum tegmina, id eſt, deorum amores, pugnas, rixas, aliaſque res ob oculos poſuit; quo reſpiciens Dionyſius Halicarn. ſcribit fabulas Græcorum ἐπιδείκνυσθαι τὰ τῆς φύσεως ἔργα δι' ἀλληγορίας, *opera naturæ per allegorias indicare*. Et ſane jam olim Metrodorus Lampſacenus, teſte Tatiano, Jovem, Junonem & Minervam dixit eſſe φύσεως ὑποστάσεις καὶ στοιχείων διακοσμήσεις, *res quaſdam naturæ, & elementorum diſpoſitiones*: eidem ſtudio deditus fuit Heraclides; præterque eum Porphyrius, Cromius, Numenius & Proclus, quemadodum ex libris eorum & Euſtathio in Homerum conſtat. Sic cum Philoſophi (nam & Porphyrius ſcribit ex Stoicorum ſententia Solem ali evaporatione maris, Lunam fontium & fluminum, aſtra telluris) putarent ſtellas, ignemque æthereum humore nutriri, ideoque ſub zona cœli peruſta Ocea-

Marginal notes: L.b. 1. — L. 1. c. 6. in Som. — Cap 18. Mir. — Ad Il. 8. — L. 2. Met. — Lib. 6. Symp Quæſt. 7. — Lib. 6. Symp. c. 9. — Lib. 1. — Lib. 13. cap. 7. — Lib. 7. Sat. 13. — Lib. 1.

num poſitum eſſe, Homerum idem docere contendunt, fingendo Jovem cum cæteris diis Æthiopum lautas epulas adire: Macrob. *Ignem æthereum Phyſici tradiderunt humore nutriri, afferentes ideo ſub zona cœli peruſta, quam via Solis, id eſt, zodiacus occupavit, Oceanum, ſicut ſupra deſcripſimus, locatum a natura; ut omnis latitudo, qua Sol cum quinque vagis & Luna ultro citroque diſcurrunt, habeat ſubjecti humoris alimoniam: & hoc eſſe volunt, quod* HOMERUS DIVINARUM OMNIUM INVENTIONUM FONS ET ORIGO, *ſub poetici nube figmenti verum ſapientibus intelligi dedit, Jovem cum diis cæteris, id eſt, cum ſtellis profectum in Oceanum, Æthiopibus eum ad epulum invitantibus. Per quam imaginem fabuloſam Homerum ſignificaſſe volunt hauriri de humoribus nutrimenta ſideribus.* Quin & loca duodecim ſignorum docuiſſe eum ex veteri Ægyptiorum doctrina libro primo Iliados extremo, ubi Vulcanus ſingulis diis δώματα exſtruit, & τοῖς ἀπὸ μαθημάτων ἀφορμὴν τῆς τοιαύτης δόξης, *Mathematicis initium dediſſe hujus opinionis*, multis iiſque elegantibus Euſtathius docet. Hinc brevium auctor Scholiorum poetam noſtrum appellat MATHEMATICUM; & Lucianus memoriæ mandat, ex Homeri nec non Heſiodi carminibus patere, τὰ πάλαι τοῖς ἀστρολογέουσιν ὁμοφωνέοντα, *priſcorum fabulas cum* ASTROLOGIA *conſentire*; illumque narrantem *Jovis catenam, Solis jacula, in ſcuto urbes, choros & vineam, Martis Venerisque adulterium*, ea omnia ex ea ſcientia confinxiſſe. Sic quia cecinit Polydamanta & Hectorem eadem nocte natos, natura multum diſcrepaſſe, huncque fuiſſe bellatorem, illum oratorem, Heraclitus affirmabat Homerum Aſtrologum eſſe: Euſtathius: ἐν δὲ τῇ μιᾷ δ' ἐν νυκτὶ ἐγένοντο, Ἡράκλειτος παρετήρησε καὶ ΑΣΤΡΟΛΟΓΟΝ εἶναι τὸν ποιητήν; *Ex illo vero*, UNA IN NOCTE GENITI SUNT, *diligenter animadvertit Heraclitus, poetam* ASTROLOGUM *eſſe: qui una in nocte natos Hectorem & Polydamantem, tamen naturam longe diverſam habuiſſe narrat* διὰ ὥρας ἀκρίβειαν, *propter accuratam temporis*, quo ſc. nati ſunt, *diſtinctionem*. Et per antrum Nympharum in Odyſſea deſcriptum, duaſque ejus portas denotari tropica Capricorni & Cancri, per quæ animæ de cælo in terras meare, & de terris in cælum remeare creduntur, multis docet Macrobius. Ergo Aſtronomus & Aſtrologus Homerus fuit; ille docet, qua lege moveantur ac regantur aſtra; hic vero ἀποτελέσματα ſive ſiderum effectus tradit; prædicitque ex cœli conſtitutione regionum, urbium, hominum ſingulorum fata ac fortunas; quam artem γενεθλιακὴν, quia conſiderat ſidera γενέθλια vel *natalitia*, atque ex eorum poſitione mores humanos colligunt, vocant: indeque licet Hector & Polydamas eadem nocte, diverſis tamen horis, diverſaque conſtellatione nati fuerint, morum diverſitate fuerunt inſignes. Ulyſſem dum introducit obſervantem Pleiadas, Orionem, & Urſam, oſtendit ſane Aſtronomiæ ſeſe peritum eſſe, illamque nautis neceſſariam cum ad regionum climata dignoſcenda,

Lib. 2. in Som. cap. 10. & Lib. 1 Sat. 23

Ad Il. r. v. 385. Lib. de Aſtr.

Il. σ.

Lib. 1. in Som. c. 12

tum ad prævidendas tempeſtates; &, quod huc valde pertinet, Euſtathius Ulyſſem facit Philoſophum ἀποτελεσματικόν; deſiderantem noſcere μεθοδικὴν καὶ κανονικὴν φιλοσοφίαν; ad quam veluti patriam cupit redire, quia ſine ea οὐκ ἔστι φιλοσοφεῖν. neque aliud docet eorundem aſtrorum, & Hyadum deſcriptio in Clypeo quem Achilli fecit Vulcanus, vel judice ſummo Philoſopho & Hiſtorico Plutarcho; *Quod vero nec aliorum*, Latina interpretatione brevitati ſtudens utor, *in cœlo ſiderum imperitus fuerit Homerus, ex iis, quæ cecinit, palam eſt*, Πληϊάδας, &c. *Ad hæc Urſam deſcribit, quo pacto ſubinde juxta polum arcticum nobis ſemper apparentem verſetur, & propter ſublimitatem Horizontem non attingat; eo quod & æquali tempore & minimus circulus, in quo Urſa eſt, & maximus, in quo Orion, in mundi circumferentia vertitur. Præterea & Bootem tarde occidentem, quia diuturnum faciens occaſum ejuſmodi ſitum habet, ut rectus deferatur & una cum quatuor ſignis occidat, quæ ſunt ex cunctis illis ſex quæ toti nocti attribuuntur. Quod vero non omnia, quæ ad ſiderum contemplationem pertinent, ut Aratus vel alius perſecutus eſt, nemini videatur mirum: neque enim hoc ipſius inſtitutum fuit.* Et Achilles Tatius in Iſagoge, poſtquam nonnullos verſus attuliſſet, quibus Homerus vel de rerum univerſitate vel de ſideribus loquitur, inde occaſionem & copiam nactos ſcribit, qui de Aſtrologia commentati ſunt; utque Crates & Apion ὁ πλειστονίκης teſtantur, Homerum Ἀστρονόμον eſſe. Aptiſſime revera ΦΥΣΙΣ huc referri poteſt, quia mundi principia & ſiderum motus ſpectare proprie phyſicorum eſt, uti non ineleganter Macrobius, docens Ciceronem in Scipionis ſomno nec Moralem, nec naturalem nec rationalem Philoſophiam prætermiſiſſe diſſerit: *Cum vero vel de Sphærarum modo, vel de novitate ſive magnitudine, deque principatu Solis & circulis cæleſtibus, cingulisque terreſtribus & Oceani ſitu loquitur, & harmoniæ ſuperum pandit arcanum*, PHYSICÆ *decreta commemorat*: hancque ob cauſam Heraclides in Allegoriis Homerum nominat τῶν φυσικῶν κατὰ στοιχεῖα δογμάτων ἕνα ἀρχηγὸν, *naturalium de elementis dogmatum unum ac primum auctorem*, & διδάσκαλον, vel *magiſtrum* opinionum, quas quiſque inveniſſe putatur. ΦΥΣΙΣ autem vel NATURA in marmore puerili habitu effingitur; quia illius myſteria inacceſſa & recondita ſunt; noſque in eorum inveſtigatione, quantum etiam profligaverimus, reſpectu rerum, quas ignoramus, pueri quaſi ſumus atque infantes. Sic Solon apud Platonem in Timæo, Clementem Alexandrinum, Juſtinum Martyrem, Theodoretum teſtatur, Ægyptium ſacerdotem Græcos vocaſſe παῖδας & νέους τὰς ψυχάς, neminemque Græcum γέροντα eſſe; quo indicabat, Græcos nunquam ad veram ſapientiam pervenire, ſemperque in ejus veſtibulis hærere. Ut enim recte loquitur Strabo: Καὶ ἰδιώτης δὲ πᾶς καὶ ἀπαίδευτος τρόπον τινὰ παῖς ἐστι, φιλομυθεῖ τε ὡσαύτως; *Et qui ſunt literarum rudes, pueri ſunt quo-*

p. 1390.

Lib. 2. in Somn.

Lib. 1.

dammodo, & fabulas amant, Apud Lucianum qui aliis doctior longe est, certisque argumentis probat non æque illis felix esse ingenium, dicitur eos *pueros esse ostendere*; ut cum narrasset Peregrinum Christo nomen in Palæstina dedisse, versatumtumque esse cum Sacerdotibus & scribis, subjicit: καὶ τί γὰρ; ἐν βραχεῖ ΠΑΙΔΑΣ αὐτοὺς ἀπέφηνε, προφήτης καὶ θιασάρχης, καὶ συναγωγεὺς, καὶ πάντα μόνος αὐτὸς ὤν: *Quid quæris? brevi illos* PUEROS *esse ostendit, cum propheta, sodalitii princeps, Synagogæ vel concionis coactor; omnia denique solus esset:* qui eadem fere loquendi ratione utitur in Alexandro vel pseudomante, Hipponacte & Hermotimo. Et, ne in profanis rebus interpretandis doceam Apostolum Corinthios suos monere, ne παιδία vel *pueri* sint prudentia, sed malitia, φρεσὶ δὲ τέλειοι; Arnobius indoctos homines pari ratione *parvulos*, vocesque eorum *pueriles* appellat; Cicero oratorem plane jejunum, indisertum *infantissimum*; non secus ac Dialecticos, quia anguste disserebant & captiosis argumentationibus, interrogationibus, responsionibusque operam dabant: patronis causarum imperitis *infantiam* objicit; ut, *Accusatorum incredibilis* INFANTIA: rursus: *Accusators Lentulo subscriptoribusque ejus nihil* INFANTIUS: & alibi: *Nec* INFANTIA *ejus qui rem novit, sed eam explicare dicendo non potest: nec inscitia ejus, cui res cum suppetit, verba non desunt est laudanda*. Quibus ex locis patebit, spero, non absque ratione ΦΥΣΙΝ per puerulum repræsentari; quippe cujus utpote *tortuosæ, obscuræ, imo perobscuræ*, uti Cicero loquitur, cognitio, cum tot millia semper restent enucleanda, tenera & puerilis quasi est. Operæ pretium est audire Senecam, quo nemo hanc rem melius exprimit: *Quam multa animalia hoc primum cognovimus sæculo? & quidem multa venientis ævi populus ignota nobis sciet. Multa sæculis tunc futuris, cum memoria nostri exoleverit, reservantur. Pusilla res mundus est, nisi in illo quod quærat omnis mundus habeat. Non semel quædam sacra traduntur: Eleusis servat, quod ostendat revisentibus. Rerum natura sacra sua non simul tradit: initiatos nos credimus; in vestibulo ejus hæremus. Illa arcana non promiscue nec omnibus patent: reducta & in interiore sacrario clausa sunt: Ex quibus aliud hæc ætas, aliud quæ post nos subibit, aspiciet*. Hic autem puer, Naturæ non inelegans symbolum, adstantis puellæ, & digito ori admoto silentium suadentis, quietemque imperantis, vestem vellicat; quæ mihi ΑΡΕΤΗ videtur esse, quia proxime in nominum subscriptione ΦΥΣΙΝ sequitur.

Lib. 1.

Pro Cluent. et lib. 2. ad Her.

Lib. 3. Att. 16. Lib. 3. ad Q. Fr. 4. et lib. 3. de Orat.

Lib. 7 N. Q. cap. 32.

ΑΡΕΤΗ

Igitur in sacro, Homerique numini & majestati devoto comitatu cernitur non immerito; quippe qui κήρυξ τῆς ἀρετῆς *præco virtutis* appellatur a Dione Chrysostomo. Nam apud eum a patre Philippo Alexander interrogatus, quam tandem ob causam contemneret σοφίαν vel sapientiam Homeri; cum tamen ipsum admiraretur, respondit, se velle libentissime audire præconem in ludis Olympicis, nolle autem alios, sed se ipsum proclamari victorem: ταῦτα δὲ λέγων subjicit aurei oris orator, ἐποίησε φανερὸν, ὅτι τὸν μὲν Ὅμηρον ἐνόμιζε δαιμόνιον καὶ θεῖον τῷ ὄντι ΚΗΡΥΚΑ ΤΗΣ ΑΡΕΤΗΣ: *Hæc autem dicens, manifestabat, Homerum quidem putare se esse excellentem & divinum revera* PRÆCONEM VIRTUTIS. Idem Alexander Iliadem, in qua bella, cædes, clades, vulnera describit; hominesque non secus ac Tyrtæus in prælia & ferrum accendit, τῆς πολεμικῆς ἀρετῆς ἐφόδιον, docente Plutarcho, vocare solebat; atque apud Ciceronem Oratione pro Archia exclamat; *O fortunate adolescens* (Achillem designat) *qui tuæ virtutis Homerum præconem invenisti*; non secus ac Scipio apud Silium

Orat. 2. de Regn.

> *Fœlix Æacide, cui tali contigit ore*
> *Gentibus ostendi; crevit tua carmine*
> VIRTUS.

Parilem ob rationem ab Antipatro Κάρυξ ἀρετᾶς Ἡρώων dicitur;

Lib. 3. Epig. Gr. cap. 26.

> Ἡρώων κάρυκ' ἀρετᾶς, μακάρων δὲ προφήτην
> Ἑλλάνων βιοτᾷ δεύτερον ἀέλιον,
> Μουσάων φέγγος Ὅμηρον, ἀγήρατον στόμα κόσμου
> Παντὸς, ἁλιρρόθια ξεῖνε κέκευθε κόνις.
> *Heroum præconem virtutis, beatorum vero vatem,*
> *Græcorum vitæ secundum Solem,*
> *Musarum lucem Homerum, immortale os mundi*
> *Omnis, maritimus, hospes, celat pulvis.*

Quod carmen paucis immutatis & additis duobus elegantibus distichis exstat quoque apud Gruterum; quodque termino, Homeri capite insigni, erat inscriptum; quem positum fuisse in hortis Æliani, cui nomen Μελιγλώσσου, conjecturatur primus editor Gerhardus Falkenburgius ad Nonni Dionysiaca. Quæ omnia loca de virtute bellica præcipue vel fortitudine, quam Græci per excellentiam ΑΡΕΤΗΝ, Latini VIRTUTEM, quia canente Horatio,

Pag. 419 Ins.

> *Res gerere & captos ostendere civibus hostes*
> *Attingit solium Jovis & cœlestia tentat*,

ut ex Diodoro Siculo, Thucydide, Cicerone, Justino, nummis, in quibus sæpissime VIRTUS eo sensu sumitur, Plutarcho, Lactantio, quarum verba elegantia admodum sunt, aliisque veteribus patet, appellant. Et sane non absque ratione hæc ΑΡΕΤΗ poetæ nostro tribui posset; quia jam olim Pausanias ejus in re bellica utilitatem probavit exemplo Messeniorum, qui Patroclum imitati mille milites ornatos clypeis Laconicis Elidem mittunt, urbemque occupant; adjiciens alia multa Strategemata apud eum reperiri, quibus generi humano prodesse voluit. Valde præterea noxium esse, si milites, nondum satis profligato hoste, spoliis castrisque diripiendis

In Coriol. l. 1. c. 18

se accingunt, Nestoris, quem Eustathius τακτικώτατον, *ordinandæ aciei peritissimum* vocat, monito docemur: gravissimusque auctor Polybius, rem militarem Homericis exemplis eleganter illustrat; Frontinus multa strategematum exempla operi suo inserit ex Homero petita; & tandem non defuerunt, qui de ratione belli gerendi temporibus ejus usitata scripserunt, ut Stratocles, Hermias, Frontinus, notante Æliano; quos arbitror rationem ordinandæ aciei, totamque militarem scientiam exemplis viri & præceptis illustrasse. Nec aliam Homerum ob causam Cleomenes Laconice, sed elegantissime vocavit *poetam Lacedæmoniorum*; quia quomodo militandum sit vel χρὴ πολεμεῖν, quo vitæ genere Sparta se extollebat docet; Hesiodum vero *Helotarum poetam*, quippe qui tradit, ὡς χρὴ γεωργεῖν, apud Ælianum; quem ultimum non minori festivitate Tertullianus *poeticum pastorem*, & Ovidius, nisi subscribendum politissimo Heinsii judicio, qui distichon illud ut spurium notat, *senem agricolam* appellavere. Hæcque tandem est ratio, cur Alexander Magnus poesin Homeri dixerit solam esse ingenuam, solam magnificam, solam revera regiam, quem legere par erat populis olim imperaturum: τὴν δέ γε Ὁμήρου, ait ille apud Dionem Chrysost.) ποίησιν μόνην ὁρῶ τῷ ὄντι γενναίαν καὶ μεγαλοπρεπῆ καὶ βασιλικὴν, ἣ πρέπει τὸν νῦν προσέχειν τὸν ἄνδρα, μάλιστα μὲν ἄρξειν μέλλοντα τῶν ὅποι ποτὲ ἀνθρώπων: quam in rem plura ibidem videri possunt. Atque hæc quidem utcunque ita disputari possunt; verum cum figura, quæ VIRTUTEM repræsentat, armata non sit, imo cum mulier sit, difficulter hanc conjecturam mihi ipse approbare possum; crediderimq; ΑΡΕΤΗΝ respicere virtutem illam & excellentiam, quæ in Homeri operibus, sive ipsa carmina, sive figuras, sive totius corporis digestionem sive ordinationem inspicias, ubique elucet; vel generaliter significare VIRTUTEM, quæ oppositam habet κακίαν. Eustathius sane in proœmio Iliados scribit, Homero πᾶσαν ἀρετὴν ποιήσεως *omnem poetices virtutem inesse*; Ælianus trucidasse Medeam liberos inde natum scribit, quia Euripides rogantibus Corinthiis fabulam finxit; & a mendacio superata est veritas διὰ τὴν τοῦ ποιητοῦ ΑΡΕΤΗΝ *propter poetæ virtutem vel præstantiam*; & alibi Aristophani, τὴν ἐν τοῖς μέτροις ἀρετὴν tribuit. Neque aliter Latinis VIRTUS usurpatur: Quintil. *Ideoque optime institutum est ut ab Homero atque Virgilio lectio inciperet: quanquam ad intelligendas eorum* VIRTUTES *firmiore judicio opus esset*: quo sensu & orationibus VIRTUTES suas tribuit Cicero: *Dicendi* VIRTUS *sine rerum scientia exstare non potest*: &; *In Catonis orationibus omnibus omnes* ORATORIÆ VIRTUTES *reperiuntur*: quod etiam facit Appianus in Legationum excerptis, narrans Cyneam Pyrrhi Epirotæ legatum propter eloquentiam celebrari, quia imitabatur Demosthenis ἀρετὴν. Hac Homeri virtute animadversa Plato carminibus Heroicis scribendis se accingens, & diffisus se eam posse attingere, omne quicquid composuerat, combussit apud Ælianum; nec aliunde natum arbitror plenum gloriæ & laudis dictum, versum Homero non magis posse subtrahi quam vel Jovi fulmen vel Herculi clavam; quodque etsi fieri posset, alium tamen nullum decere fulmen præter Jovem jacere, vel certare præter Herculem robore, vel canere quod cecinit Homerus, uti memoriæ mandavit Macrobius. Hanc præstantiam carminis pangendi celebrat etiam Dio Chysostomus, eamque exquisitis vocabulis ἡδονὴν καὶ χάριν appellat: *præterea etiam Heraclides Ponticus, atque his (ante meminerat Aristotelis) prior Plato, ejus ubique meminit*, τὴν μὲν ἡδονὴν καὶ χάριν τὴν τῶν ἐπῶν ἐκπληττόμενος; *jucunditatem quidem & gratiam carminum obstupescens*; rursus ἔτι δὲ καὶ αὐτὸς τῆς χάριτος ἐπαινῶν τὴν ποίησιν; *præterea & ipse gratiam ejus poeseos collaudans, valde virum admiratur*: significatque illa χάρις nihil aliud quam doctrinam, peritiam, eloquentiam; quæ omnia *virtus* poeseos complectitur; quomodo hominem doctum, peritum, eloquentem χαρίεντα appellant Græci, observante Casaubono ad Athenæum, & Fabro Tanaquillo viris præstantissimis ad Luciani peregrinum; neque aliter usurpatur vox ea Straboni: Καθάπερ ἂν οἱ χαριέστεροι τῶν διαιρούντων τὴν Ἀσίαν ἀπὸ τῆς Λιβύης. *Quemadmodum doctiores vel peritiores eorum qui Asiam a Libya dividunt*: & similiter sermonem *non fucari pompa facundiæ & gratiæ* scribit Minutius Felix. Atque hæc poetæ virtus non minima in digerendo toto opere elucet; & Iliadem ac Odysseam ita composuit, ut singulæ sint una actio; quod æque in Epico ac Tragico poeta laudandum esse summopere, docet Aristoteles; quoque Euanthius respiciens dixit, *Iliadem ad imaginem Tragœdiæ, Odysseam ad imaginem Comœdiæ esse factas*. Nam ut in omni Tragœdia vel Comœdia, si recto stat talo, unum tantum est historiæ vel Herois vel Regis caput, quod exornat & instruit poeta; ita Iliadis argumentum est *ira Achillis* (unde Homerum ποιητὴν τοῦ εἴδους appellat Themistius) Odysseæ vero *Ulyssis reditus* sive *peregrinatio*; atque inde Aristoteles, acerrimi vir ingenii, eos errare ostendit, qui Herculis vel Thesei ἆθλα καὶ πόνους, vel res gestas descripturi, omnia ab Heroibus istis fortiter & præclare gesta recensent; quo crimine etiam Statius Papinius tenetur, qui laudem sese meruisse existimat, quod non exemplo vatis Mæonii unam actionem, sed universam Achillis vitam persequatur;

> *Magnanimum Æacidem, formidatamque Tonanti*
> *Progeniem, & patrio vetitam succedere cælo,*
> *Diva, refer: quanquam acta viri multum inclyta cantu*
> *Mæonio: sed plura vacant. Nos ire per omnem,*
> *Sic amor est, Heroa velis, Scyroque latentem*
> *Dulichia proferre tuba: nec in Hectore fracto*
> *Sistere, sed tota juvenem deducere Troja.*

At e diverso Constantinus Manasses, cujus

Marginalia: Lib. 9. et 17. Lib. 1 — Lib. 1. Tact. — Orat. 2. — Lib. 5. Var H. Cap. 21. — Lib. 2. Cap. 13. — Lib. 1. de Orat et de cl. Rh. — Lib. 5. Sat. cap. 3. — Orat 55. — L. 3. p. 35. — cap. 9. Att. — Orat. 3. e 9. poet.

jus sensum non satis cepit interpres, in Annalibus veniam a lectoribus petit; si bellum Trojanum non describat ut Homerus, verum historicos sequatur; quia ille πολλὰ στρέφει καὶ μεταστρέφει, id est, ordinem invertit; quæ prima acciderunt, postremo; quæ postrema, primo loco juxta vulgatum illud ὕστερον πρότερον ὁμηρικῶς, recenset; quam in rem plura apud Salmasium & Vossium, Reip. Literariæ clarissima lumina, videantur. Longe revera alia Homeri mens; illeque unam belli partem Iliaci, vitæque Ulyssis delegit, quam elegantibus episodiis sive emblematis exornavit; Νῦν δ' ἓν μέρος, ait Philosophus, ἀπολαβὼν, ἐπεισοδίοις κέχρηται αὐτῶν πολλοῖς *contra vero ita unam sibi partem delegit, ut quam plurimis eam ornaret episodiis*: atque ita *navium catalogus*, vel *Bœotia* episodium est; nec non multæ aliæ operum partes, οἷς διαλαμβάνει τὴν ποίησιν, *quibus poesin distinxit*; uti alias, si modo Deus otium dederit, Episodium ex mente Aristotelis, quam pauci perceperunt, illustraturus docebo. Et licet, teste Quintiliano, *dispositione totius operis humani ingenii Homerus modum excesserit*, non defuerunt tamen, qui eam carpserint. Dio enim Chrysostomus scribit Homerum non incepisse a belli primordiis; quia fere is mos mentientium; & ille belli initium & finem maxime obscurare conatus est, ut pote Græcorum contraria gloriæ, a quibus Trojam non expugnatam; sed quos fusos fugatosque esse docet. Lucianus artem plane & ἀρετὴν tollens, poetam non dedita opera sed sponte nihilque cogitantem incepisse ab ira affirmantem introducit; & Protagoras reprehendit imperare eum, cum precari deberet, his verbis, Μῆνιν ἄειδε θεά; quem ultimum refellit jam olim Aristoteles; quodque si crimen est, illo etiam tenetur Hesiodus, Virgilius, Menander in prologo Thaidis apud Plutarchum; Antimachus, Pindarus, Stesichorus apud Eustathium; & ante eos omnes ipsumque adeo Homerum Orpheus, qui, teste Justino Martyre, cecinit,

28. Exc. Plin. & Inst. Hist.

cap. 19.

Orat. XI.

L. 2. Ver. Hist.

c. 19. poet.

Lib. de Aud. poet. Ad Il. α. pag. 9.

> Μῆνιν ἄειδε θεὰ Δημήτερος ἀγλαοκάρπου.
> *Iram frugiferæ Cereris cane, diva, nocentem.*

Major certe justiorque videtur eorum querela, qui clamitant esse omissa multa nobilia ab exordio belli, usque ad Achillis iram; nec minus multa ab Hectoris funere usque deletum Ilium; sed & tales satis retudit Aristoteles, eosque *ignaros judicandi & Poeticæ* OECONOMIÆ *expertes esse scribit* optimo merito Ausonius. Verum ut ad ΑΡΕΤΗΝ revertar, poesin præterea Homerus instruxit optime verbis atque sententiis, & primus iis, quemadmodum oportuit, usus est; neque ignoravit, quæ essent suæ (non minima sane virtus) partes; paucissimaque ex persona sua narrans, & levi præfatione defungens, continuo Deum vel Deam, virum vel matronam introducit; nec eos sequitur, qui ab initio ad finem usque operis sese manifesta inscitia immiscent, pauca vero καὶ ὀλίγως μιμοῦνται, uti apud Aristotelem legere licet. Omnis namque poesis imitatio est, quæ in eo cardine vertitur maxime, ut meliores & præstantiores imitemur; quo Homerum diligenter fecisse docet idem philosophus. Denique totum tam Iliadis quam Odysseæ corpus ita digessit, ut omnia sibi ad finem usque constent;

Init. Perioch.

c. 24. poet.

cap. 2.

> *Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet*
> *Primo ne medium, medio ne discrepet imum.*

Facitq; ut ἄλογα ferri possint, καὶ τοῖς ἄλλοις ἀγαθοῖς ἐμφανίζει, ἡδύνων τὸ ἄτοπον, *aliis virtutibus illud absurdum tollit & jucundum facit*. Non igitur de nihilo est, quod ΑΡΕΤΗ etiam patri suo sacrum facit; hacque voce auctor complectitur procul dubio omnes Poetices virtutes, quas loco insigni Homero tribuit Dionysius Halicarnassensis: Τῆς μὲν Ὁμηρικῆς ποιήσεως οὐ μίαν τινὰ τοῦ σώματος μοῖραν, ἀλλ' ἐκτύπωσαι τὸ σύμπαν, καὶ λαβὲ ζῆλον ἠθῶν τε τῶν ἐκεῖ καὶ παθῶν, καὶ μεγέθους καὶ τῆς οἰκονομίας καὶ τῶν ἄλλων ΑΡΕΤΩΝ ἁπασῶν εἰς ἀληθῆ τὴν παρά σοι μίμησιν ἠλλαγμένων. Τοὺς δ' ἄλλους ἐν οἷς ἀλλήλων πλέον ἔχουσι, χρὴ μιμεῖσθαι: *Homericæ poeseos non unam corporis partem, sed totum exprime, & imitare mores, affectus, sublimitatem & dispositionem aliasque* VIRTUTES *omnes, tuam imitationem revera mutantes: alios vero, in quibus ceteros superant, imitari oportet*. Hucque pertinet eum non modo, uti notat Dio Chrysostom. οὐδὲν μάτην λέγειν, *nihil frustra dicere*, vestitum, habitationem, cibum moribus hominum assimulare; verum etiam οἰκείους λόγους ἑκάστῳ τῶν εἰσαγομένων προσώπων, *convenientem singulis, quas introducit, personis* tribuere sermonem, testibus Theone Sophista, & Hermogene. Ut enim canit Romanus Lyricus,

Tom. 2. p 68.

> —— *Tristia mœstum*
> *Voltum verba decent: iratum, plena minarum:*
> *Ludentem lasciva: severum seria dicta.*

Potest etiam ΑΡΕΤΗ, quemadmodum monui, respicere VIRTUTEM, generaliter sumptam, quæ oppositam habet κακίαν vel κακότητα. Nam Homerus nos ad virtutem non traditis præceptis, sed exemplis ducit; quod poetæ & Historici munus est. Basilius oratione cui titulus, ὅπως ἂν ἐξ Ἑλληνικῶν ὠφελοῖντο λόγων; *quomodo cum fructu legi possunt gentilium libri*, scribit se audivisse a viro gravi, ὅτι πᾶσα μὲν ἡ ποίησις τῷ Ὁμήρῳ ΑΡΕΤΗΣ ἐστὶν ΕΠΑΙΝΟΣ, *omnem Homeri poesim* VIRTUTIS *esse laudationem*: Athenagoras apud Diogenem Laertium eam περὶ Ἀρετῆς καὶ δικαιοσύνης, *de virtute & justitia* esse compositam: Proclus in Timæum, originem ostendere conatum esse, ὅτι πρὸς τὰς κατ' ἀρετὴν πράξεις ἀρχοῦσα ἡ παρ' Ὁμήρῳ

μίμησις, *Homeri imitationem ad recte agendum sufficere*. Atque hoc maxime elucere testatur Basilius in Ulyssis naufragio; cui tunc virtus pro veste erat, quem Phæaces licet nudum admirabantur; adeo ut Homer. quasi clamet; Ὅτι ΑΡΕΤΗΣ ὑμῖν ἐπιμελητέον, ὦ ἄνθρωποι, ἣ καὶ ναυαγήσαντι συνεκνήχεται, καὶ ἐπὶ τῆς χέρσου γενόμενον γυμνὸν τιμιώτερον ἀποδείξει τῶν εὐδαιμόνων Φαιάκων; VIRTUTI *studere vos, o homines, oportet; quæ cum naufragio enatat, & in terra expositum nudum venerabiliorem facit illis, qui beati putabantur, Phæacibus.* Per hanc autem VIRTUTEM ego potissimum philosophiam activam, quæ mores hominum emendat formatque sive *Ethicam*; vel rationem, prudentiamque regendarum civitatum, *politicen* vocant, intelligo: illa animi morbos depellit, tantique fuit existimata, ut Pythagoras apud Stobæum dixerit, orationem philosophi inanem esse, ὑφ᾽ οὗ μηδὲν ἀνθρώπου πάθος θεραπεύεται, *quæ nullam in homine perturbationem sanat*; & Plato epistola ad Aristodemum; τὸ βέβαιον, καὶ πιστὸν καὶ ὑγιὲς, *constantiam, fidem, sanitatemque*, τὴν ἀληθινὴν φιλοσοφίαν esse. Hæc autem aliis imperare nos docet, eamque elegantissime Polyb. φιλοσοφίαν ἐκ παραδειγμάτων, *philosophiam ex exemplis* appellat. Atque ita Agamemnonis exemplo, quem canit non somno sese dare, sed belli curam gerere, & vehementer Græcis, pro quorum salute excubabat, timere; docet, bonum rectorem plus de civium quam de suis fortunis sollicitum esse debere; & Dio Chrysost. monet Homer. pandentem reges æquales Jovi consilio esse, omnes bonos διοτρεφέας *a Jove educatos*; Minoa Jovis ὁμιλητὴν καὶ μαθητὴν *confabulatorem & discipulum*, breviter tradere, quales Reges esse debeant; *quia is scilicet primus & maximus omnium rex est, novit ac tradit regiam artem; & boni reges eum respiciunt, principatumque illius ad exemplum dirigunt*; quæ & similia tractavit proculdubio Porphyrius in libris quos fecit, περὶ τῆς ἐξ Ὁμήρου ὠφελείας τῶν βασιλέων, *De utilitate, quam reges ex Homero capere possunt*; quibus perfectam boni regis institutionem ex Homero videtur descripsisse. Ethnices autem exempla plurima poetam suggerere, præterquam quod ex ipso opere patet, firmat Maximus Tyrius; qui cum docuisset totam Homeri operum formam esse fabulosam narrationem, adjicit: Μέμικται δ᾽ ἐν αὐταῖς καὶ θεολογία σαφὴς καὶ πολιτείας ἦθος, καὶ ΑΡΕΤΑΙ ἀνθρώπων καὶ μοχθηρίαι καὶ παθήματα καὶ συμφοραὶ καὶ εὐτυχία; *In illis autem Theologica & Politica miscet; & virtutes, & improbitates hominum, affectiones, fortunas tam adversas quam prosperas*: & mox duo in Homeri poematibus spectari debere monet; quorum alterum ad poesin respicit, fabulæque speciem habet; alterum vero ad philosophiam; virtutemque ac veritatem commendat; εἰς ζῆλον τῆς ἀρετῆς καὶ ἀληθείας γνῶσιν συμπεπονημένον: atque inde exempla philosophiæ practicæ adducit, ut fortitudinem Ajacis; sollertiam Ulyssis; audaciam Diomedis; prudentiam Nestoris; temperantiam Hectoris; intemperantiam Paridis; & alia, quæ recensere longo ordine nil attinet.

Serm 80.

Orat. 52

Sic mendacium & timiditatem perstringit, fortitudinem & silentium commendat, bellum detestatur, patriam defendendam esse canit, ut variis locis observat Stobæus; & frugalitatem laudando ad eam tam principes quam privatos viros adducere conatum esse docuit olim Dioscorides in Homericis Νόμοις apud Suidam, quæ omnia ad moralem philosophiam pertinent, juxta illud Macrobii; *Illa ad virtutes amoremque patriæ & ad contemptum gloriæ adhortatio, quid aliud continet nisi ethicæ philosophiæ instituta moralia?* Maxime autem huc Odyssea pertinet; quam ἠθικὴν tradunt esse Heraclides in Allegoriis, & Eustathius fine prooemii in Iliadem; qui & σωφροσύνην in illa tractari præcipue, docet extrema præfatione in Odysseam. In Iliade enim consilium Homero est, repræsentare Heroem magni animi & bellicosum; in Odyssea vero prudentem καὶ πάσης ἀρετῆς ὄργανον, teste Heraclide; utque breviter sed non ineleganter Plutarch. olim locutus est; διὰ μὲν τῆς Ἰλιάδος ἀνδρείαν σώματος, διὰ δὲ τῆς Ὀδυσσείας ψυχῆς γενναιότητα παριστᾷ. Ulysses sane omnibus calamitatibus VIRTUTEM opposuit, atque ab ea animos sumpsit; & hanc esse Circes moly, hanc vittam in mari inventam; hanc navem illi exstruxisse, hanc ab inferis reduxisse, hanc domum a procis liberasse, hanc uxorem vindicasse, & denique effecisse virum; qualem Homerus *Jove genitum diis similem*; Plato *felicem* vocat, notat Maximus Tyrius. Quo pertinet veteres censuisse Ulyssem *philosophum* esse; μῶλυ exponi παιδείαν, teste Eustathio; illumque duce prudentia, quam poetico ritu Homerus *Minervam* vocat, omnia fecisse, uti loquitur Joannes Sarisberiensis. Imo non defuerunt, qui dixerunt poetam ligata oratione, non secus ac Socratem soluta, de virtute, vitiis, recte factis, veritate aliisque rebus disseruisse, uti videre licet apud Dionem Chrysostomum, auctorem moralis Interpretationis errorum Ulyssis; Proclum Lycium Diadochum Plutarch. in libro, *quomodo Juveni audienda poemata*; & denique Athenæum; qui tamen ultimus præcipue de *temperantia*, quam omnibus Heroum conviviis adhibet poeta, agit. Atque hoc est quod canit Horatius;

Trojani belli scriptorem, maxime Lolli,
Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi,
Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non
Plenius & melius Chrysippo & Crantore dicit.

Additque eum in Paride stultum regem; Nestore amorem patriæ; Achille & Agamemnone iram; Ulysse sapientiam & virtutem; Sirenum vocibus & Circe intemperantiam & libidinem descripsisse; quod idem argumentum tractat Maximus Tyrius Dissertatione XVI. nec non Joannes Sarisberiensis libr. 7. capit. 9. Adeo ut non inconcinne dixerit Isocrates Oratione ad Nicoclem poetas reliquisse

Lib. 2. in Som. Sc.

Diss 16 pag 1396 et 1658.

L. 6. c. 27.

Lib. 2.

ὑποθήκας ὡς χρήζων; & optimo merito pueros voluerint Græci carmina Homeri εὐθὺς ἐξαρχῆς, ut loquitur Dio Chrysostomus, dicere. ΑΡΕΤΗΝ excipit

ΜΝΗΜΗ

fæminæ non secus ac pleræque virtutes & scientiæ assimilata; vel quia, teste Aristotele apud Eustathium, mulieres sunt μνημονικώτεραι; vel quia una ex Musis eo nomine insignis fuit; vel denique quia ipsa vocis terminatio hoc quasi jubet. Referendam autem Μνήμην vel *Memoriam* ad Historiam censeo; quæ Justino Martyri est λόγος διήγησιν περιέχων τοῦ ἤδη γεγονότος πράγματος; Ciceroni *vita memoriæ*; vel absolute *memoria*, ut, *Mihi repetenda est veteris cujusdam memoriæ non satis explicata recordatio*; cui etiam ut & aliis, *memoriam rerum complecti*, *memoriam prodere rei alicujus posteris*; *memoriæ prodere, propagare, dare*, est historiam scribere. Homerus igitur belli Troii memoriam posteris prodidit, καὶ ΜΝΗΜΗΝ εἰς ἅπαντα τὸν χρόνον κατέλιπεν, uti apposite loquitur Xenophon; quo pertinet Philonem Judæum tradere, historicos & poetas memoriæ tradere antiquitatis pulcherrima facinora: ἅπερ ἱστορικοὶ καὶ σύμπαν τὸ ποιητικὸν γένος, τοῖς τε καθ' ἑαυτοὺς, καὶ τοῖς ἔπειτα μνήμῃ παραδεδώκασιν. Si quis tamen censor nimium severus, & tetrica fronte conspicuus existimat ταυτολογίαν fieri, quia HISTORIÆ jam facta mentio est; dico in narrando bello Trojano & Ulyssis calamitatibus, Homerum multarum rerum antiquarum cognitionem & memoriam conservasse; quas cæteroquin injuria temporis posteris eripuisset; ut & earum injecisse mentionem, quæ ante iram Achillis, quam ornandam sibi desumsit, ad Trojam acciderunt; quod nec observare oblitus est Macrob. *Idem divinus*, ait, *ille vates res paulo vel multo ante transactas oportune ad narrationis suæ seriem revocat: & ut historicum stylum vitet, non per ordinem digerendo, quæ gesta sunt, nec tamen præteritorum nobis notionem subtrahat. Theben Asiæ civitatem aliasque plurimas Achilles, antequam irasceretur, everterat; sed Homeri opus ab Achillis ira sumpsit exordium. Ne igitur ignoraremus, quæ prius gesta sunt, fit eorum tempestiva narratio: item ne ignoraremus, quo duce classis Græcorum ignotum sibi Trojæ littus invenerit, cum de Calchante quæreretur ait.* (Græcos versus, quia ab ipso peti possunt, omitto) *Et ipse Calchas narrationem, quod Græcis navigantibus de serpente passerum populatore contigerit; ex quo denuntiatum est exercitum annos decem in hostico futurum: alio loco senex, id est, referendis fabulis amica & loquax ætas, res refert vetustas.* Non igitur in re obscura & conjecturis obnoxia erraturum me puto, si dicam HISTORIAM præcipue respicere illa, quæ acciderunt irato Achille, & Ulysse ventis jactato; MEMORIAM vero, quæ vel paulo vel longe iram illam; bellique Trojani initium præcesserunt; quorum memoriam conservatam esse exemplis clarum fiet. Nestor non absque ratione Eustathio appellatus χορηγὸς παλαιῶν ἱστοριῶν, & Apulejo, *omnis vetustatis certissimus auctor*, socios bellumque Lapitharum & Centaurorum breviter narrat: atque similiter poeta docet, Amazonas Asiam sibi subjecisse; bellum Thebanum infeliciter a Polynice reliquisque ducibus gestum; Thebas ab Epigonis deletas; bellum Oti & Ephialtæ cum Marte, hujusque per menses tres & decem captivitatem; Junonem & Plutonem ab Hercule vulneratos; Trojam ab eo captam propter negatos a Laomedonte equos; Bellerophontis ærumnas; Phœnicis a paterna domo fugam, crimenque in patrem commissum; OEnei, apri Calydonii, Meleagri nec non Atalantæ historiam in Iliade: Herculis natales; Zethi & Amphionis muros; OEdipi parricidium ac incestas nuptias; Castoris & Pollucis mortem: Oti, Ephialtæ cum diis bellum; Hippolyti castitatem & Phædræ libidinem: Ariadnam a Theseo relictam; Procridis obitum; fabulam Ityos & Philomelæ, aliaque in Odyssea. Quo pertinet sapientem multarum rerum, cum antiquarum, tum quæ sua ætate contigerunt, debere memoriam servare; quia illa mater est sapientiæ; uti testatur Afranius;

Usus me genuit, mater peperit memoria,
Sophiam Græci vocant, vos sapientiam,

quod distichon cum Sapientiæ imagine veteres philosophos pro foribus omnium templorum voluisse poni, nescio quo auctore, scribit Joannes Sarisberiensis. Ut enim Jamblichi verba instituto meo accommodem οὐδὲν μεῖζον πρὸς ἐπιστήμην καὶ ἐμπειρίαν καὶ φρόνησιν τοῦ δύνασθαι μνημονεύειν; *Nihil est majoris ad scientiam ac experientiam prudentiamque comparandam momenti, quam rerum posse memoriam habere.* Conservavit adhæc antiqua urbium nomina, licet illæ suo tempore aliis forent insignes; Pausanias Ὅμηρος δ' ἐπιστάμενος (ἐμοὶ δοκεῖν) Χαιρώνειάν τε ἤδη καὶ Λεβάδειαν καλουμένας, ὅμως τοῖς ἀρχαίοις ἐχρήσατο ὀνόμασιν ἐς αὐτάς· καθότι καὶ Αἴγυπτον τὸν ποταμὸν εἶπεν: *Mea quidem sententia Homerus Chæroneam & Lebadeam appellari notat; sed maluit priscis uti earum urbium nominibus, sicut & Ægyptum fluvium* (Nilum) *dixit*. Et si ad minoris momenti res, quæ tamen scitu perjucundæ & necessariæ sunt, descendere volumus; non modo MEMORIA recte illi tribuitur, qua teste Athenæo conservavit τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἑλλήνων κατάστασιν, verum etiam quia memoriæ prodidit voces priscas, multasque veluti mortuas revocavit in lucem. Nam Plutarchus inter obsoletas numerat ἄορ καὶ σάκος, *ensem & clypeum*, cum jam Homeri ætate in usu forent ξίφος & ἀσπίς; cumque Græcorum antiquissima lingua abundaret monosyllabis, eas affectavit; priscæque dialecti characterem interire passus non est; quemadmodum Κρῖ pro κρῖμνον; δῶ pro δῶμα; βρῖ pro βριθὺ vel βρεαρόν. ἧλ pro ἧλος ῥᾶ pro ῥᾴδιον: λὶς pro λέων; βρῶ pro βρῶμα; κῶ pro κῶμα, quæ male per apocopen facta esse judice illustri Salmasio censent Grammatici, evin-

Lib. 4.

Lib 1, c. 12. Sat.

pag. 100. in Apol.

L. 4. cap. 6.

c. 9. de Vita pyth.

Lib. 9.

Obss. Δ. v. 581. et 477.

Lib. 14.

Lib de Dial. Homeri.

Lib de Ling. Hell.

cunt; quibus adjicienda verba, *πλῶ* pro *πλάζω*; *χῶ* pro *χάζω*, *βῶ* & *βάζω*, & alia apud Euſtathium, ſunt. Sic Plutarchus ſcribit Homerum varia dictione uſum, *τὰς ἀπὸ πάσης διαλέκτου τῶν Ἑλλήνων χαρακτῆρας* miſcuiſſe; & Lesbonax, auctor ineditus, quem ex Florentina bibliotheca deſcripſit Celeberrimus vir Iſaacus Voſſius, Euboicum, Thebaicum, Sicuculum, Chalcidiacum, Colophonium *σχῆμα* aliaque in ejus operibus occurrere docet; vetereſque Grammatici non tantum Jonicam, Atticam, Æolicam, Doricam, ſed etiam *τοπικὰς* vel *ἰδιωτικὰς* ſingularum, nempe civitatum, populorum & inſularum, ut Cretenſium, Siculorum, Tarentinorum, Cypriorum, Pamphyliorum & aliorum apud eum dialectos notarunt, uti obſervat Salmaſius. Licet autem incertum quodammodo ſit, quæ figura *Μνήμην* ſive *Memoriam* repræſentet, puto tamen eam eſſe, quæ *Virtuti* ſilentium ſuadenti adſtat; cujuſque humeris illa manum imponit, quia cogitabunda & memorias veteres revolvens quaſi ſecum ſtat; ac quia ut ΠΙΣΤΙΣ & ΣΟΦΙΑ aliis nominibus ſubjiciuntur, ita illæ poſt *Virtutem* & *Memoriam* conſpiciuntur. Sequitur igitur, ut quæ de veſte exteriori cucullata dici poſſent, alii tempori reſervem,

p. 792. Lib. de vit. Hom.

Lib. de L. Hell.

ΠΙΣΤΙΣ, ſive FIDES.

Hæc vox ſi eo ſenſu gentilibus uſurpetur, qua Chriſtianis ſcriptoribus, facile crederem, nihil eam aliud ſignificare quam *Religionem* ſive *Deos*, quorum nomina, cultum, formam graphice Homerus deſcribit. Sed cum plane ea ſignificatio iis incognita ſit, aliud quid longe arbitror notari; de quo tamen antequam agam, quia deorum cultus non minima erat ſapientiæ ethnicæ pars, atque adeo quodammodo ad ΣΟΦΙΑΝ pertinet, quæ de ſacro cultu obſervavi adjicere in gratiam ſtudioſi lectoris viſum fuit; ut ita magis pateat, quo loco Homerus apud veteres fuerit; nec immerito, ex mente gentilium loquor, divinos honores conſecutum eſſe, optimum deorum præconem. Nulla igitur Homero pars abſque diis eſt; virtutique Minervam, amori Venerem, artificio Vulcanum, cantui Muſas, choreis Apollinem, bello Martem, ventis Æolum, fluviis Oceanum, frugibus Cererem præficit; adeo ut vere dicat Maximus Tyrius; *οὐδὲν μέρος Ὁμήρῳ ἄθεον, οὐδὲ δυνάστου ἄπορον, οὐδὲ ἀρχῆς ἔρημον, ἀλλὰ πάντα μεστὰ θείων ὀνομάτων καὶ θείων λόγων καὶ θείας τέχνης*; *nulla pars naturæ eſt Homero ſine diis, ſine præfecto, ſine imperio; ſed omnia divinis nominibus, omnia divinis ſermonibus, omnia divinis abundant artibus*. Et ejuſmodi diis ab ipſo tribuuntur, quæ ſi ad Deum unum & verum referantur, dematurque vel Jovis vel alterius dæmonii nomen, a Chriſtiano aliena eſſe nequeunt; ut

Diſſ 16.

> *Ζεὺς δ' ἀρετὴν ἄνδρεσσιν ὀφέλλει τε μινύθει τε*
> *Ὅππως κεν κ' ἐθέλῃσιν. ὁ γὰρ κάρτιστος ἁπάντων.*

id eſt, vertente Ampliſſimo Grotio;

> *Juppiter, ut viſum, vires mortalibus addit,*
> *Et minuit: cunctis nam ipſe potentior unus.*

nec non hoc;

> *Ζεὺς δ' αὐτὸς νέμει ὄλβον ὀλύμπιος ἀνθρώποισιν*
> *Ἐσθλοῖς δ' ἠδὲ κακοῖσιν, ὅπως ἐθέλῃσιν ἑκάστῳ,*
> *Omnipotens tribuit Deus ipſe boniſque maliſque*
> *Divitias, quantas ſuadet dare cuique voluntas.*

Atque ita alibi canit Jovem Agamemnoni *σκῆπτρόν τ' ἠδὲ θέμιστας*, *ſceptrum & jura dediſſe*, ab eo pendere humana regna; reges majorem in Dei auxilio ſpem debere habere, quam hominum; Jovem iratum eſſe iis qui jura evertunt, impios punire, & deos qui mandatum ipſius reſcindere conantur, in tartarum mittere, ſive, ut alii loquuntur, *ταρταρῶσαι*; Deum divitias largiri; fruſtra eſſe hominum labores, niſi Deus adſit; illoſque potiſſimum deum juvare, qui quod in ſe eſt præſtant ſedulo, nec manibus compreſſis ſedent. Illud quoque toties repetitum priſcam pietatem ſpirat, *θεὸς* (*θεοὶ*) *ἔμβαλε θυμῷ*, quod eleganter & pie, ſi modo *Dii* in *Deum* mutentur, cum Salluſtio dicere poſſumus, *Dii monuere*. Quin & Juſtinus Martyr cenſet eum alioſque veteres multa ex Moſe in opera ſua tranſtuliſſe; & quod ille dixit, *In principio fecit Deus cælum*, Homerum ita expreſſiſſe.

Il. 1.
Il. 2. v. 159. & 2.
Init. Il. Θ.
Od. 2 v. 188.
Od. Ξ. 62.
Adm ad Gentes:

> *Ἐν μὲν γαῖαν ἔτευξ', ἐν δ' οὐρανὸν . .* &c.

Il 2.

iiſque verſibus eum creationem mundi expreſſiſſe; ut & per Alcinoi hortos, paradiſum; per gigantum pugnam, turrim Babylonicam; per dejectionem *Noxæ* vel *Ἄτης*, deturbatum e cælo diabolum; ad hæc multorum quidem meminiſſe, ne ab Orphei recepta jam poeſi recedere videretur, deorum; ſed poſtquam in Ægypto divinos libros inſpexiſſet, unum ſolum Deum ceciniſſe, illumque vocari *θεὸν αὐτόν*. *Deum ipſum*; tandemque uni Deo omnem poteſtatem tribui, & imperium in deos ceteros; qui tantum ab ejus divinitate abſunt, ut una cum hominibus nominentur. Et Minutius Felix reſpiciens verſus Homericos, quos Archilochus in Jambos transformavit apud Theonem Sophiſtam, optimeque illuſtrat Mericus Caſaub. unum Deum omnium rerum auctorem a poetis celebrari ſcribit: *Audio poetas quoque unum patrem divum atque hominum prædicantes, & talem eſſe mortalium mentem, qualem parens omnium Deus induxerit*. Præterea ſacrificia ab ipſo deſcripta alii imitati ſunt, teſte Dion. Halicarnaſſenſi; & Jovis ſimulacrum ejus ad exemplar ſe finxiſſe a Pandæmo interrogatus, pronuntiatis verſibus, qui exſtant in Iliade A. teſtatur Phidias apud Macrobium, Valerium Maximum, & Strabo-

Init. Il. T
Odyſ. Σ. v. 135.
Lib. 7.
L. 5. Sat c 13
L. 3 c. 7 Ex. 4. Lib. 8.

nem; quorum hic addit, scite solere dici de Homero, *eum solum aut* θεῶν εἰκόνας *vidisse, aut solum ostendisse*. Hinc Lucius Æmilius Paulus, Polybio teste, templum Jovis ingressus, statuamque admiratus, dixit, ὅτι μόνος αὐτῷ δοκεῖ Φειδίας τὸν παρ' Ὁμήρῳ Δία μεμιμῆσθαι; *solum Phidiam sibi videri Homericum Jovem imitatum esse*. Et Proclus scribit Phidiam non respexisse πρὸς γέγονος vel, *statuas ante eum factas*; sed meminisse τῶ παρ' Ὁμήρῳ Διός, *Jovis apud Homerum*. Euphranor quoque Athenis picturus XII. Deos, cum hæsitaret, qua potissimum forma Jovem fingeret, auditis iisdem versibus se ἀρχέτυπον habere dixit, ad quod deum formaret, uti apud Eustathium legere licet; adeo ut non absque ratione cum Luciano Homerum vocem ἄριστον τῶν γραφέων παρόντος Εὐφράνορος καὶ Ἀπελλῶ. Cum Hesiodo præterea omnium primus Theogoniam vel Deorum natales, ἐπωνυμίας, τιμάς τε καὶ τέχνας καὶ εἴδεα, *cognomina, honores, artes & figuras* non peculiari opere ut ille & Pherecydes apud Scholiastem Apollonii; Democrides, si modo salva lectio, & Orpheus apud Fulgentium; sed sparsim in Iliade, Odyssea & Hymnis docuit, uti testis est Herodotus; nec non S. Isidorus Pelusiota; probantque Mythologi veteres & patres; qui de diis acturi, frequentissime ad Homerum veluti antiquissimum Theologum provocant. Huc pertinent, quæ poetarum interpretes allegorice explicant; ut cum per auream Jovis catenam de cælo in terras demissam Macrobius intelligit, *unam nusquam interruptam connexionem, vinculis religatam a summo Deo usque ad ultimam rerum fæcem*: vel Justinus Martyr ἑνὶ καὶ πρώτῳ θεῷ τὴν ἐξουσίαν καὶ τὸ κράτος ἁπάντων, *uni & principi Deo potestatem atque imperium in omnes tributum*: quam in rem quæ annotari possunt, si Lectori annumerare vellem, ejus proculdubio patientia & otio meo abuterer. Nec sane Hymni omittendi sunt; quia, quamvis a multis dubius habeatur eorum auctor, plurimi tamen veterum recentiorumque illos poetæ nostro tribuunt. Auctor vitæ Homeri anonymus existimat τοὺς ὕμνους & reliqua quæ ipsi tribuuntur, excepta Iliade & Odyssea, ἀλλότρια καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως ἕνεκα, *& propter naturam & propter vim*: Bochartus in epistola, *Num Æneas fuerit in Italia*, omnes censet esse supposititios; sed admodum antiquos; Scaliger eosdem Homeridarum alicui tribuit, non secus ac hymnum in Apollinem Athenæus quem tamen Homero adsignat gravis inprimis auctor Thucydides Libro tertio. Atque e diverso hæc PIA CARMINA, ita enim hymnos vocari censeo in Inscriptione antiqua, & per LIBROS intelligo Iliadem ac Odysseam.

Lib. 2. in Timæum Platonis.

p. 145. Lib. de Im.

L. 1. Myth.

L. 2. c. 53.
L. 1. Ep. 21.

L. 1. in Som. c. 16

L. 1. pag. 950.

DOGMATA. PYTHAGORÆ. SENSI.
STUDIUMQUE. SOPHORUM
ET. LIBROS. LEGI. LEGI. PIA. CARMINA. HOMERI.

nonnullos veterum Homero adsignasse testantur Suidas, & Herodotus, si mo-

L. 2. et 4.

A

B

C

D

E

F

do is auctor, in vita ejus. Sic Pausanias ipsi tribuit hymnum in Cererem, in quo prima τύχης vel *Fortunæ* mentio; quod tamen nomen dum apud Homerum extare negant Macrobius & Joannes Sarisberiensis, non pro genuino, nisi forte Iliadem & Odysseam respiciant, videntur illum habere. Et ne dicam doctissimos hujus superiorisque sæculi viros, ut Stephanum Pighium in Themide; Ægidium Menagium in originibus Gallicæ Linguæ; Petrum Fabrum in Semestrium libris; Vossium in Etymologico; Alciatum in parergis, Bernardum Martinium in variis Lectionibus; Mericum Casaubonum in Dissertatione; Pontanum ad Macrobium; & sibi quodammodo contrarium Bochartum in Geographia sacra, aliosque, varios hymnos ut genuinum Homeri fœtum laudare; idem multis tam veterum quam recentiorum testimoniis docuit Leo Allatius; Neque tamen ignoro, Xenophanem in Homerum atque Hesiodum scripsisse sillos; quia stultis de deorum natura persuasionibus mentes hominum impleverunt, Pythagoram censere animam ejus apud inferos ex arbore esse suspensam, serpentibusque vallatam, ἀνθ' ὧν εἶπε περὶ θεῶν, *propter ea quæ de diis dixit*; apud Diogenem Laertium; ex Momi Lucianei sententia, homines auditis deorum rixis, pugnis, vinculis, amoribus, quæ omnia poetæ versibus complectuntur, atheos fieri; Damidem Epicureum ex iis, quæ de diis Homerus canit, collegisse nullos esse deos, mundumque nulla providentia regi; inde insuper oriri fluctuationem Menippi; & Tychidem eum testari ἐγγράφῳ τῷ ψεύσματι κεχρημένον esse: Platonico Homeri sectatoribus ἀσεβείας vel *impietatis* dicam scripsisse, & Lucianum, quia deos a poetis confictos in theatro quasi deridendos propinaret, laudasse, narrante Isidoro Pelusiota: philosophorum facile principem Platonem eum e rep. quam formabat ejecisse, lanis tamen coronatum albis & unguento delibutum, uti videre licet apud Dionem Chrysostomum, Justinum Martyrem, Maximum Tyrium, Heraclidem in Allegoriis: & denique omnes confiteri apud eundem Dionem, de diis μηδὲν ἀληθές, *nihil veri* Homerum dicere, ejusque laudatores non aliter defendere posse hominem, quam ad ænigmata & allegorias recurrendo. Sed tamen, ut has nebulas discutiam breviter, ejusmodi terriculamentis & fictionibus opus fuisse affirmabant; ut rudes, feroces, & jugi impatientes hominum animi mitescerent; ut enim scribit Strabo; οὐ γὰρ ὄχλον τε γυναικῶν καὶ παντὸς χυδαίου πλήθους ἐπαγαγεῖν λόγῳ δυνατὸν φιλοσόφῳ καὶ προσκαλέσασθαι πρὸς εὐσέβειαν καὶ ὁσιότητα καὶ πίστιν· ἀλλὰ δεῖ καὶ διὰ δεισιδαιμονίας· τοῦτο δ' οὐκ ἄνευ μυθοποιίας καὶ τερατείας: *Fieri enim non potest, ut mulierum & promiscuæ turbæ multitudo philosophica oratione excitetur, ducaturque ad pietatem, sanctitatem, & fidem; sed superstitione præterea opus est; neque illa sine fabularum fictione & prodigiosa narratione*. Laudat præterea Isocrates Homerum tragœdiarumque inventores;

L. 5. Sat. 16.
L. 3. pol. c. 8.

c. 15. vita Hom.

In Jove Trag.

Necyom Philosop.

L. 4. Ep. 54.

Orat. 53.

Orat. 11.

Lib. 1.

Ad Nic.

quod animadversa humani ingenii natura, fabulose bella semideorum narraverint, fabulasque in actus redegerint. Maximus quoque Tyrius disputat, utri melius poetæ an philosophi de Diis senserint; cumque multa scitu digna in medium attulisset, hæc verba, ut ab interprete versa sunt, enuntiat; *Noli igitur quærere, utrum de diis melius poetæ tradiderint an philosophi, sed inducias fac, fœdusque inter has duas facultates; nec aliter quam unam eandemque artem esse considera. Sive enim poetam voces, philosophum dicis; sive philosophum voces, dicis poetam*: tandemq; colligit, vera dicere poetam, quamvis fabulam narret, quamvis carmine dicat; seque persequi velle obscuritatem ænigmatum, nec de via veritatis abductum iri; vera adhæc dicere philosophum, licet oratione nuda & simplici utatur. Quod autem Platonis factum spectat, non e rep. quam formabat philosophus ille cum contumelia fuit ejectus, verum cum honore dimissus; non secus ac mulieres hirundines, qua metaphora utuntur Dio Chrysostomus, & Theodoretus, quas in deliciis habebant, unguento perfusas avolare sinunt. Et sane honoris causa hoc fecisse Platonem, aliisque ita poetam veluti maxime necessarium, sed cujus nullus usus in sua rep. esse poterat, commendasse, ex ipso Platone patere videtur; quippe qui modo eum appellat θεῖον ποιητὴν, modo ἄεισοι καὶ θειότατον τῶν ποιητῶν; modo στρατηγὸν, reliquos autem poetas στρατόπεδον; multisque in rebus ipsi assentitur; unde & Telephus Grammaticus impetum olim cepit librum componendi, teste Suida, περὶ τῆς Ὁμήρου καὶ Πλάτωνος συμφωνίας: quo pertinent dissertationes eorum, qui inquisiverunt, *utrum recte Plato e rep. ejecerit Homerum*; qualem composuit Zerapion Alexandrinus, uti legere apud Suidam licet; qualisque exstat inter opera Maximi Tyrii: nec non Homeri defensio, quam adversus Platonem libris quatuor complexus olim fuit Dio Prusæus, narrante eodem Lexicographo. Quam in rem qui plura desiderat, adire potest Nicolaum Majoranum in dissertatione non inerudita Eustathio Romanæ editionis juncta; Vossium, Schottum, Barthium & Reinesium; quorum hi inquirunt, cur corona, qua Homerum Plato ornatum dimisit, *lanea* fuerit: & denique Proclum Lycium Diadochum capite ultimo Libelli, quo dicta adversus Homerum & poeticen in Rep. Platonis refellit. Cum enim Philosophia passim contemneretur, aliique illam ut inutilem accusarent, alii damnarent, poesis contra in immodica admiratione foret, atque hanc ad solam doctrinam sufficere putarent, narrante eo Plato hominum perversitate motus poeticem & imitatorium genus plurimum a veritate discedere monstravit; poetas ac præcipue tragicos, qui demulcere auditores, non ad virtutem promovere student, reprehendit, & Homerum ut *tragicorum ducem* incusavit & ejecit, quia in ejus poesi semina quædam tragœdiæ sparsa sunt, & vestigia passim apparent. Idem in præfatione, Homerum in doctrina sua de divinis humanisque rebus, tum naturæ, tum philosophorum placitis maxime convenire; Platonem & Homerum esse mente ac scientia contemplatores rerum divinarum, eademque iisdem de rebus utrosque docere, denique tanquam ab uno numine progressos, eundem divinitatis ordinem perficere, ac eandem in rebus veritatem interpretari memoriæ mandavit: præterea cap XXII. sequentibusque Platonem maxime poetam admirari, nec nisi hoc nomine reprehendi: cap. XVIII. venerari solere, ut *omnis veritatis ducem*; & cap. XX. in omnibus suis scriptis, in divinis humanisque rebus, æmulari ostendit. Deos igitur descripsit, eorumque cultum ad posteros transmisit; unde non immerito a Porphyrio ΘΕΟΛΟΓΟΣ dictus est. Nam Græcos non aliter scriptores vetustissimos vocasse testatur Lactantius; hocque nomen iis dabatur, qui de iis mythice disserebant, & eorum naturam involucris fabularum vel allegoriarum velabant; quales fuere antiquissimi Orpheus, Servio ad sextum Æneidos librum *Theologus* etiam dictus, Musæus, Homerus, Hesiodus; qui in genere Origeni vocantur τῶν δογμάτων πατέρες καὶ ἀρχαῖοι Θεολόγοι τῶν Ἑλλήνων; quorumque Theologia erat μυθικὴ, ut Philosophorum φυσικὴ, sacerdotum vero & populi πολιτικὴ, uti ex Varrone & Seneca docet Augustinus. Inde ad eos devolutum est, qui mysteriorum erant interpretes, Deorum vaticinia & oracula, naturam, & omnia quæ huc spectabant, explicabant; occurritque vox non modo apud Ciceronem, Arnobium, Proclum, verum etiam in nummis Q. Herennii Etrusci Messii Decii apud Tristanum, & Spanhemium. Sic *Theologicas doctrinas* celebrat Ammianus: *Julianus nocte dimidiata exsurgens, occulte Mercurio semper supplicabat: quem mundi velociorem sensum esse, motum mentium suscitantem* THEOLOGICÆ *prodidere doctrinæ*: & Proclum Lycium Suidas scribit librum composuisse de Magna Matre, atque in eo omnem τὴν περὶ τὴν θεὸν Θεολογίαν explicasse. Quin & *Homericam Theologiam* Tatiani interpres memorat; sed cujus ne quidem ille meminit; nam cum Antinoum cælo illatum dixisset a quodam nempe qui mercede conductus pejeraverat se vidisse eum adscendere addit: καὶ τὸ ὅμοιον θεολογῆσαι τιμῆς καὶ δωρεᾶς ἠξίωται; *& similem sive hominem dignatus est propter honores & munera Deum facere*; non autem; *& Homericam Theologiam imitatus honore muneribusque affectus est*: quæ nescio quomodo alicui in mentem venire potuerint. Verum licet alicui hæc mea explicatio probabilis possit videri; & quæ de Diis notavi quoad Homerum vera sint, eo tamen sensu ΠΙΣΤΙΝ non memini usurpari a Gentilibus. Ut enim recte me docuit præstantissimus Grævius, notio hujus vocis ex Hebræorum lingua derivata est in scripta Christianorum Doctorum, qui vitam Christi Græcis litteris prodiderunt; sed τοῖς ἔξω fuit plane ignorata: & cum viro celeberrimo per ΠΙΣ-

Diss. 29

Orat. 32. Ther. 2.

Diss. 7.

In Arte poet. L. 3. Ned. Cic L. 22. Ad. 6 App Epist. ad Daumium.

Lib. de An. Nym. c. XI. de Ira Dei.

L. 6. c. 5. de Civ.

L. 3. de N. D. L. 3. p. 106 et 4. p. 135 Adv. Gent.

TIN intelligo Rhetorum contentionem, quæ aliter *probatio* dicitur; & ita appellatur Aristoteli, ejusque exemplo Ciceroni *fides Orationis*. Nam ita loquitur in Partitionibus; *Agesis ergo, quoniam in confirmationem & reprehensionem diviseras* ORATIONIS FIDEM, *& dictum de altero est, expone nunc de reprehendendo*. Dividitur autem in confirmationem, qua causam nostram adstruimus, & confutationem, qua adversarii argumenta destruimus, & non inconcinne etiam PROBATIO vocatur: Quintilianus cum de enthymemate, epichiremate & apodixi verba fecisset, subdit: *Hæc omnia generaliter* Πίσεις *appellant, quæ etsi propria interpretatione dicere fidem possumus, apertius tamen probationem interpretabimur*. Exstatque eo sensu hæc vox apud Auctorem Compendii Rhetoricæ, quem primo Hœschelius, deinde Schefferus edidit: Ἀγών ἐστι, inquit, ΠΙΣΤΙΣ καὶ ἀπόδειξις τῶν οἰκείων κεφαλαίων; *Contentio est confirmatio & probatio nostrorum capitum*; & proculdubio Auctor Marmoris indicare voluit Artem Rhetoricam originem quoque suam Homero debere. Cum enim Πίστις sit præcipua Orationis pars, ejusque vitam & viscera contineat, illaque causam nostram firmemus, & adversarii argumenta infringamus, nulla vox commodior potuit reperiri vel elegantior, ad significandum ut omnium fere Artium Liberalium, ita & Rhetorices Homerum auctorem esse. Nam Aristoteles futurum Rhetorem informans, jubet ut exemplis ad exemplum Homeri utatur; Εἰς δὲ σαφήνειαν παραδείγματα καὶ παραβολὰς οἰστέον. παραδείγματα δὲ οἰκεῖα καὶ ἐξ ὧν ἴσμεν. οἷα Ὅμηρος μὴ οἷον Χοίριλος; *Exempla autem & comparationes ut quam maxime sint perspicua videndum est. Exempla vero propria & ex iis quæ scimus; qualia Homerus, non qualia Chœrilus*. Omnia quoque decenter exposuit, eorum, quos describebat, mores, aptissime servavit, Orationemque, figuras, affectus iis accommodabat: elegans inprimis locus est apud Auctorem Anonymum; Πρὸς τούτοις δὲ τὸν Ῥήτορα οὐ χρὴ τὸν λόγον ἀναλαμβάνειν ἀναμιμνήσκοντα καὶ ὑποκρίνεσθαι τῶν προκειμένων τὰ ἤθη καὶ πάθη καὶ λόγῳ καὶ σχήματι, ὡς ὁ δαιμόνιος Ὅμηρος καὶ ἑρμηνεύειν πάντα καλῶς ὡς ἀπομιμεῖσθαι τὴν λέξιν, πᾶν ἦθος καὶ πάθος καὶ πρᾶγμα καὶ λεγόμενόν τε καὶ ἐκφραζόμενον: *Adhæc Oratorem non oportet orationem proferre sine imitatione, sed propositorum exprimere mores & affectus, cum oratione, cum figuris, ut* DIVINUS HOMERUS, *& exponere cuncta decenter, ut formet oratione omnes mores, affectus, res dicendas vel exprimendas*. Atque hinc ortum est, ut dixerint veteres Homerum eloquentiæ partibus dedisse initium, & ab eo omnia ornate copioseque dicendi fluxisse genera. Quintilianus; *Igitur ut Aratus ab Jove incipiendum putat, ita nos rite cœpturi ab Homero videmur. Hinc enim (quemadmodum ex Oceano dicit ipse amnium fontiumque initium capere)* OMNIBUS ELOQUENTIÆ PARTIBUS EXEMPLUM ET ORTUM DEDIT. *Hunc nemo in magnis subtilitate*, (legendum forte *sublimitate*) *in parvis proprietate superavit. Idem lætus & pressus, jucundus & gravis, tum copia, tum brevitate mirabilis; nec poetica modo, sed* ORATORIA VIRTUTE EMINENTISSIMUS. Hoc cum multis & lectu dignissimis docuisset, adjicit tandem; *Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit viri ejus* VIRTUTES *non æmulatione (quod fieri non potest) sed intellectu sequi*: Imo & tria dicendi genera, quæ Græci χαρακτῆρας appellant, ab eo fluxisse prodere memoriæ non dubitavit A. Gellius. Cum enim sit character ἁδρὸς vel *uber*, cui dignitas & amplitudo, ἰσχνὸς vel *gracilis*, cui venustas & subtilitas inest; ac denique μέσος vel *medius*, in confinio utriusque modi particeps, horum omnium exempla apud Homerum censent reperiri: *Vera autem*, ait Gellius, *& propria hujusmodi formarum exempla in Latina Lingua M. Varro esse dicit Ubertatis Pacuvium, Gracilitatis Lucilium, Mediocritatis Terentium, sed ea ipsa genera dicendi jam antiquitus tradita ab Homero sunt tria in tribus; magnificum in Ulyxe & ubertum; subtile in Menelao & cobibitum; Mixtum moderatumque in Nestore*. Non abs re fuerit ipsa Homeri verba laudare; nam Ulysses magnam vocem emittebat,

> Καὶ ἔπεα νιφάδεσσιν ἐοικότα χειμερίῃσιν,
> *Et verba imbribus nivalibus similia hibernis.*

Menelaus vero,

> —— ἐπιτροχάδην ἀγόρευε
> Παῦρα μὲν, ἀλλὰ μάλα λιγέως, ἐπεὶ οὐ πολύμυθος
> Οὐδ' ἀφαμαρτοεπής ——
> —— *succincte concionabatur*
> *Pauca quidem, sed valde acute: quia non erat multiloquus*
> *Nec in verbis peccans.* ——

Nestor denique melleo delibutus erat eloquio,

> Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή,
> *Cujus ab ore melle dulcior fluebat oratio.*

cum ora foro resolveret. De his dicendi generibus (Quæ etiam alibi quam in illis ducibus apud Homerum reperiri testis est Angelus Politianus) ita loquitur Ausonius; *Certent huic sententiæ veteres illi, & Homerici Oratores; subtilis deducta oratione Menelaus; & instar profundæ grandinis ductor Ithacensis, & melleo delibutus eloquio jam tertiæ Nestor ætatis*. Quin & quartum invenit characterem, *Allegoricum* nempe, quo secreta naturæ, uti arbitratur Schefferus, præceptaque morum sub fabulis traduntur, cujusque unus omnium meminit Auctor Anonymus Compendii Rhetoricæ; licet revera peculiare genus nequaquam sit, cum allegoriæ & magnifice &

Lib. 5. cap. 10. Inst.

Lib. 2. Topic.

Lib. 10. c. 1. Inst.

Lib. 7. cap. 14. Noct. Att.

In Grat. Act.

aliis modis referri atque ab oculos poni possint; Audiendus tamen ille, quisquis est, ut luce meridiana clarius pateat, quid senserint eruditi de Arte dicendi Homerica. Ομηρος ἢ κ̀ τέταρτον τ̄ δι' ἀλληγορίας παρέδωκε, τῷ Πανηγυρικῷ μὲν κ̀ αὐτὸν ἐφαρμοττον· ἁρμοδιοφυέα δὲ τίθεσθαι, ὅταν εὐτέλειαν λογȣ πρὸς ὄγκον κ̀ μέγεθος ἐξᾶραι βȣλόμεθα; *Homerus autem addidit & quartam allegoricam, quæ & ipsa apta est generi panegyrico, maximeque idonee adhiberi potest, si tenuitatem orationis in sublimitatem ac magnitudinem volumus attollere*. Eustathius quoque observat tria dicendi genera, *Deliberativum*, *Demonstrativum* & *Juridiciale* apud poetam nostrum exstare: Optima laudationum & comparationum exempla præscripsisse multis tradit Lucianus, adeo ut tandem dicat; Καὶ ὅλως, τοσαῦτά ἐςι τὰ τοαῦτα, ὡς μηδὲν εἶναι τ̄ ποιήσεως μέρος, ὃ μὴ τ̄ θείαις εἰκόσι διακεκοσμένον; *In summa earum rerum tanta apud Homerum copia, ut nulla sit pars poeseos, quæ non divinis comparationibus sit exornata*. Quo pertinet, quendam veterum interrogatum, quodnam esset δικανικὸν τ̄ Ρητορικῆς εἶδος, pronuntiasse hunc versum

Pag. 121.

pro Imag.

Od. π. v. 72.

> Ανδρ' ἀπαμύνασθαι, ὅτε τις πρότερος χαλεπήνῃ.

notante Eustathio; adeo ut non immerito Quintilianus plenis eloquentiæ velis hanc ob cognitionem Homerum extollat, & Cicero alicubi scribat eum *plane Oratorem* esse. Atque huc pertinet Dionysium Halicarnassensem ἐν τῷ περὶ τ̄ Δημοσθένȣς δεινότητος, *De Demosthenis dicendi vi*, notare, Homeri in dicendo ἡδονλὼ κ̀ τὸ σεμνὸν *jucunditatem & magnificentiam* plurimos poetas Epicos, Melicos, Tragicos, Comicos, Historicos, Philosophos & Rhetores secutos esse; atque inter Historicos præcipue Herodotum, inter Philosophos vero Platonem; ut & Dionysium Longinum scribere, Stechorum, Archilochum, Herodotum & maxime omnium Platonem Ομηρικώτατον fuisse, κ̀ ἀπὸ τȣ̃ Ομηρικȣ̃ νάματος εἰς αὐτὸν μυρίας ὅσας παρατροπάς, *ab Homericis laticibus ad se deductos plurimos rivos transtulisse*; quod & olim, teste eodem, multis ostendit docuitque Ammonius. Unde futurum Oratorem a poetis, *a quibus* scilicet *petitur & in rebus spiritus, & in verbis sublimitas, & in affectibus motus omnis, & in personis decor*, incipere ex Theophrasti sententia debere censet Quintilianus; & Petronius auctor est, ut primus poetarum Homerus discatur;

Cap 12

> *—— Det primos versibus annos*
> *Mœoniumque bibat felici pectore fontem:*
> *Mox & Socratico plenus grege; mittat habenas*
> *Liber, & ingentis quatiat Demosthenis arma.*

Ultima tandem omnium virtutum, & digna quæ primum locum obtineat, est

ΣΟΦΙΑ vel SAPIENTIA.

Antiquitus ΣΟΦΟΙ appellati fuerunt omnes artifices, sive architecti, sive coriarii, sive statuarii, sive alii forent; uti præter Georgium Diaconum præfatione in Logicam Aristotelis, testatur Nicomachus Gerasinus: Τῶν πρὸ Πυθαγόρȣ πάντων ΣΟΦΩΝ καλȣμένων συνκεχυμένῳ ὀνόματι, ὥσπερ κ̀ τέκτων, κ̀ σκυτοτόμος, κ̀ κυβερνήτης, κ̀ ἁπλῶς ὁ τέχνης τινὸς κ̀ δημιȣργίας ἔμπειρος, ὁ Πυθαγόρας συνεῖλε πάντων τὸ ὄνομα; *Cum ante Pythagoram omnes promiscue dicerentur Sapientes communi nomine, etiam architecti & coriarii & gubernatores, & quicunque denique scirent artem aliquam, aut populare opificium, Pythagoras omnibus id nomen negavit*. Atque hunc antiquum usum auctores nonnulli conservarunt: & Æliano piscatores in arte sua excellentes sunt σοφοὶ τῶν ἁλιέων; quales vocare etiam possis *prudentes artis piscatoriæ*; non secus ac figulus peritus a Festo in *Ratumena porta* appellatur, *prudens artis figulinæ*; Lucianus in Phalaride Perilaum nominat σοφὸν χαλκέα; in Navigio coquum artis suæ graviter peritum σοφιςλώ; in inscriptione veteri, quæ continet donarium Nicomedis medici, notante illustrissimo Falconerio, ΕΥΠΑΛΑΜΟΣ ΣΟΦΙΑ est *statuaria*; Luciano iterum eodem in libro ipsique adeo Homero, ad quem Eustathius & brevium Scholiorum auctor videri possunt, ars fabrilis & Platoni ἡνιοχία vel *aurigandi peritia* σοφία appellantur. Et quod huc valde pertinet, Aristoteles notat, τλὼ σοφίαν ἐν τ̄ τέχναις, τοῖς ἀκριβεςάτοις τὰς τέχνας, *sapientiam tributam esse iis, qui in artibus quibusque peritissimi sunt*; Phidiam dici λιθȣργὸν σοφὸν *sculptorem sapientem*; Polycletum ἀνδριαντοποιὸν σοφὸν *sapientem statuarium*; eoque nomine nihil aliud designasse quam ἀρετὴν τέχνης, *artis peritiam insignem*. Nec abeunt multum Latini; iique interdum non aliter loquuntur; ut Argum *doctum munere Palladio* canit esse Val. Flaccus; Titinius apud Nonium *sapientiam* gubernatori navis; & auctor inscriptionis veteris apud Gruterum DOCTAM MANUM statuario tribuunt;

Lib. 1. Arith.

L. 5 c. 11. de Anim.

Il. o. v. 412.

L. 7. c. 7. Eth.

Pag. 823.

> HIC. ACCUMBENTEM. SCULPI. GENIALITER. ARTE.
> SE. JUSSIT. DOCTA. POST. SUA. FATA. MANU.

Valerius Flaccus navis Argus texturam describens, canit *docta resonare bipenni Littora*. In Inscriptione veteri inedita, quam apud Arelatenses repertam mecum communicavit Jacobus Tollius V. CL. fabro tignario tribuitur DOCTRINA, illoque nemo DOCTIOR dicitur fuisse. En tibi eam, Lector.

Q. CANDI. BENIGNI. FAB. TIGN. C
ORP. ARS. CUI. SUMMA. FUIT
FABRICÆ. STUDIUM. DOCTRINA
PUDORQUE. QUEM. MAGNI
ARTIFICES. SEMPER. DIXSERE
MAGISTRUM. DOCTIOR. HOC. NE
MO. FUIT. POTUIT. QUEM. VINC
ERE. NEMO. ORGANA. QUI. NOSSE
T. FACERE. AQUARUM. AUT. DUCE
RE. CURSUM. HIC. CONVIVA. FUI
T. DULCIS. NOSSET. QUI. PASCE
RE AMICOS. INGENIO. STUDIO
DOCILIS. ANIMIQUE. BENIG
NUS. CANDIDA. QUINTINA
PATRI. DULCISSIMO. ET. VAL. MAX
SIMINA. CONIUGI. KAR.

Et tandem *Sophia Septimiæ* (quam alii mutant *in ſepiam*, alii nomen proprium eſſe exiſtimant) apud Cicer. in epiſtolis ad Familiares, nulla mihi alia eſt, quam ars rite apparandi cibos: *oblituſne es*, ait, *fungorum iſtorum quos apud Niciam? & ingentium culinarum cum Sophia Septimiæ?* id eſt, an oblitus es fungorum, quos tam delicatos apud Niciam edimus? an apparatuum, & lautarum epularum, quibus nos excepit Septimia, tam bene callens artem culinariam? Verum poſtquam hunc uſum ſuſtulit Pythagoras; ΣΟΦΥΙΑ ſignificavit *Philoſophiam* vel SAPIENTIAM, quæ, definiente Scholiaſte Homeri eſt *γνῶσις θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων*; vel, ut Cicero loquitur, *rerum divinarum, humanarum cauſarumque, quibus continentur illæ, ſcientia*. Atque ita Ennio & Afranio *Sapientia* exponitur *Sophia*; non ſecus ac Ciceroni: *princepſque omnium virtutum eſt illa ſapientia, quam Græci σοφίαν appellant*; aliiſque plurimis frequenter *philoſophia* eo nomine denotatur; ut Petronio: *Ubi eſt Dialectica? ubi Aſtronomia? ubi* SAPIENTIÆ *conſultiſſima via?* Lactantioque & Cenſorino philoſophi ſunt *profeſſores, & cultores Sapientiæ*. Hæc igitur ΣΟΦΙΑ vel ideo Homero convenit, quia poetæ communi appellatione *σοφοί* appellantur: Scholiaſtes Pindari: *Σοφιστὰς καὶ σοφοὺς ἔλεγον τοὺς ποιητάς*; *poetas appellarunt Sophiſtas & ſophos*; ipſe Pindarus

Lib. 2. Offic. Lib. 4. Tuſc.

L. 4. c. 3. Inſt. c. 4. et 24. de Nat. Die.

Ad Od. S. Iſth.
Od. 1. Ol.

ὅθεν ὁ πολύφατος
Ὕμνος ἀμφιβάλλεται
Σοφῶν μητίεσσι.
Unde pulcherrimus
Hymnus elaboratur
Poetarum ingeniis.

Sed maxime quia vetuſtiſſimi Muſici ac poetæ erant Philoſophi, morum præcepta, ſiderum curſus, deorum naturas verſibus complectebantur; quomodo ipſe Homerus illis tribuit munus vitæ formandæ; *καὶ σωφρονιστὰς* facit; uti videre licet apud Strabonem, Suidam, Athenæum, Euſtathium; omniumque clariſſime hæc tradentem Quintilianum, cujus verba, licet longiuſcula, adſcribere non gravabor: *Nam quis ignorat Muſicen (ut de hac primum loquar) tantum jam illis antiquis temporibus non ſtudii modo, verum etiam venerationis habuiſſe, ut iidem* MUSICI & VATES & SAPIENTES *judica-*

Od. Γ. v. 266. Lib. 1. v. ἀοιδός. Lib. 1. & pag. 35. L. 1. Inſt. cap. 10.

rentur? mittam alios; Orpheus & Linus; quorum utrumque Diis genitum, alterum vero, quod rudes quoque atque agreſtes animos admiratione mulceret, non feras modo, ſed ſaxa etiam ſylvaſque duxiſſe, poſteritatis memoriæ traditum eſt. Et Timagenes auctor eſt, omnium in literis ſtudiorum antiquiſſimam Muſicen exſtitiſſe: & teſtimonio ſunt clariſſimi poetæ, apud quos inter regalia convivia laudes heroum ac deorum ad citharam canebantur. Jopas vero ille Virgilii non canit, ERRANTEM LUNAM SOLISQUE LABORES? *quibus certe palam confirmat auctor eminentiſſimus, muſicen cum divinarum etiam rerum cognitione eſſe conjunctam:* unde etiam factum eſt ut brevium Scholiorum auctor, nec non alii apud Euſtathium cantorem illum Homerium *φιλόσοφον* appellent. Et, quod huc apprime pertinet, Maximus Tyrius docet poeticen & philoſophiam res eaſdem eſſe, tantumque tempore & tractandi more differre, illam argumento fabuloſam, hanc vero *σαφεστέρον apertiorem*, & *χρόνῳ νεωτέραν tempore poſteriorem* eſſe: Lactantius *poetas priores multo philoſophis* fuiſſe, & *ante natum philoſophiæ nomen pro* SAPIENTIBUS *habitos*. Strabo poeticen eſſe *πρώτην τινὰ φιλοσοφίαν, εἰσάγουσαν εἰς τὸν βίον ἡμᾶς ἐκ νέων καὶ διδάσκουσαν ἤθη, καὶ πάθη καὶ πράξεις μεθ᾽ ἡδονῆς*; *primam quandam philoſophiam, vitæ a prima ætate formatricem, mores, affectus, actiones nos cum voluptate docentem*. Nec hoc ignorans Porphyrius in philoſophica Hiſtoria Homeri, tanquam philoſophi vitam, uti ex Suida puto patere, deſcripſit; auctor quoque anonymus qui librum de vita Philoſophorum multis ineptiis ſcatentem avorum memoria conſcripſit, hanc purpuram panno ſuo attexuit, de Homero ſcilicet hiſtoriographos referre, *ipſum virtute pariter & ætate non ſolum poetarum, ſed Philoſophorum Principem vocari & haberi inde meruiſſe, & ante omnes fuiſſe, quorum memoria non eſt, omnibuſque verius & lucidius, quicquid dicere voluit explicaſſe*. Hoc eſt, quod Lucianus Demoſtheni *δεινότητα*; Platoni *μεγαλοφροσύνην*; at Homero per excellentiam ΣΟΦΙΑΝ tribuit; ipſeque vel propter peritiam carminum pangendorum, vel potius propter Philoſophiæ & Sapientiæ accuratam cognitionem, Æſchini in Orat. contra Timarchum, Dioni Chryſoſtomo, Iſidoro Peluſiotæ, *σοφώτατος τῶν ποιητῶν*; Tatiano in oratione contra Græcos, *ἀρχηγὸς πάσης βαρβάρου* ſive *gentilis σοφίας*; & veteribus comparando, acerrimique viro ingenii, Danieli Heinſio, *τὰ πρῶτα πάσης φιλοσοφίας* appellatur. Scilicet omnis ſapientiæ Homerus princeps habitus eſt, atque ab eo originem Philoſophia traxit; uti inter ceteros teſtatur graviſſimus auctor Dionyſius Halicarnaſſenſis: *Inerat*, ait, *Platoni multis virtutibus ornato ambitio, quam maxime patefecit æmulatio, qua Homerum proſequebatur; quem ex ordinata a ſe rep. ejecit coronatum & unguento delibutum, tanquam ejectum hæc decerent, δι᾽ ὃν ἥ τε ἄλλη παιδεία πᾶσα παρῆλθεν εἰς τὸν βίον, καὶ τελευτῶσα φιλοσοφία; per quem alia omnis eru-*

Pag. 9.
Diſſ. 29.
Lib. 5. Inſt. c. 5.
Lib. 1.
V. Ὅμηρος.
De Merc. Cond.
Orat. 12. et 80. Lib. 2. ep. 228.
In peplo.
Ep. ad Pom.



ditio, & perfectiſſima Philoſophia introducta eſt. Adeo ut non abſque ratione Hippodromus apud Philoſtratum Homerum appellet πατέρα & φωνὴν σοφιστῶν, *patrem & vocem Sophiſtarum*. Nam ſive intelligas veteres Philoſophos, qui *Sophiſtæ* dicuntur (uti Herodotus narrat ad Crœſum Lydorum regem omnes ἐκ τῆς Ἑλλάδος σοφιστάς, & inter ceteros Solonem ſe contuliſſe; Tertullianus Pythagoram *Samium Sophiſtam*, Cratinus in procemio Diogenis Laertii Homerum & Heſiodum non aliter vocat; & ἀρχαῖα σοφίσματα Pindaro nihil aliud ſunt quam ab antiquis *inventa Sapientia*;) ſive, inquam, intelligas veteres Philoſophos, ſive eos qui poſtea eloquentiæ & virtutis vel Philoſophiæ ſtudium conjunxerunt, optime hic titulus Homero apponitur; quia originem eloquentiæ non minus, quam Sapientiæ Græcorum dedit; omneſque veteres, teſte Strabone, cenſuerunt ejus ποίησιν eſſe φιλοσόφημα vel *ſcriptum Philoſophicum*; id quod contra Eratoſthenem, ſententiam illam impugnantem, acriter & fortiter defendit. Maximus ſane Tyrius non dubitat affirmare errare eos, qui aut Homerum aut Heſiodum minus quam Ariſtotelem Stagiritam, vel Cilicem Chryſippum vel Libycum Clitomachum, alioſque σοφὸν eſſe exiſtiment; aut minus in rerum contemplatione excelluiſſe. Nec defuerunt præclara ingenia, quæ variis temporibus

Lib. 2. de v. Soph. — Lib. 1. c. 27. — Cap. 34. de An. — Od. 13. Olymp. — Lib. 1. — Diff. 19.

de PHILOSOPHIA HOMERICA commentati ſunt. OENOMAUS Gadarenſis, Cynicæ ſectæ addictus, περὶ τῆς καθ' Ὅμηρον φιλοσοφίας; PORPHYRIUS & PHAVORINUS περὶ τῆς Ὁμήρου φιλοσοφίας; MAXIMUS TYRIUS περὶ Ὁμήρου καὶ τὶς ἡ παρ' αὐτῷ ἀρχαῖα φιλοσοφία, *De Homero, & quæ ſit apud eum antiqua Philoſophia*; (non exſtat tali titulo hodie diſſertatio, ſed alia, quæ inſcribitur Εἰ ἔστι καθ' Ὅμηρον αἵρεσις, *an ſecundum Homerum certa ſit ſecta*; in qua poeſin Homericam eleganter appellat πανορμόνιόν τι ὄργανον, quia omni vitæ generi, atque inſtituto convenit) ARISTOCLES MESSENIUS πότερον σπουδαιότερος Ὅμηρος ἢ Πλάτων, *Utrum præſtantior Homerus an Plato*; (quo pertinet Platonicos Homerum rejeciſſe; at contra Homeri admiratores vituperaſſe Platonem, teſte Maximo Tyrio.) CASSIUS tandem LONGINUS Εἰ φιλόσοφος Ὅμηρος, uti apud Suidam legere licet, ſcripſerunt atque inquiſiverunt; plurimique alii operam dederunt, ut ſummum & unicum poetam diligenter explicarent; & dogmata ejus ſive ad Philoſophiam in genere, ſive certas partes pertinentia illuſtrarent; de quibus nec non Homeri interpretibus alibi dabitur commodior diſſerendi campus. Nec revera opus eſt multis hoc docere, cum Plato, Socrates, & Ariſtoteles Homeri diſcipuli ſint; iſque a Themiſtio appelletur προπάτωρ καὶ ἀρχηγονος τῶν Πλάτωνος καὶ Ἀριστο-

Diff. 7.

τέλους λόγων ; *primus parens auctorque Platonis & Aristotelis sermonum*. Ipsius sane *veritatis arcanum*, uti Plato a Macrobio appellatur, omnem suam Philosophiam ab Homero accepisse non obscure indicarunt veteres, quando illum Platonis *magistrum* fuisse memoriæ mandant, licet tam longo temporis divortio a se invicem sint separati. Eleganter hac de re loquitur Maximus Tyrius; *Cum antiqua illa, quæ plane adhuc Homerum redolet, Sapientiæ ratio, generosos, verosque ac genuinos Philosophiæ alumnos protulerit eduxeritque*. Ἐκείνης τῆς ᾠδῆς ΘΡΕΜΜΑ ἦν Πλάτων· κἂν γὰρ ἐξομόσηται τόνδε ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΝ, *illius Musæ* ALUMNUS *erat Plato. Licet enim* PRÆCEPTOREM *hunc recuset, vestigia tamen apparent, semen illius disciplinæ se prodit*.

Lib. 1. in Somn.

Diss. 16.

Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat,
Talis cæsaries, & pulchri luminis ardor.

Ut dicere non dubitem nulli quam Homero magis similem Platonem esse, quamvis Homerum fugere, Socratem sequi videatur velle. Nec existima me dictionem Platonicam cum Homerica, verba cum verbis, nomina cum nominibus conferre; tametsi & hæc ex eodem illo fonte Musico, sicut ex Oceano Mæotis (error hic insignis, sed cum aliis veterum Maximo Tyrio communis) *ex Mæotide Pontus, ex Ponto Hellespontus, ex Hellesponto mare defluxerunt; sed ex mente utriusque & sententiis affinitatem noto*. Eandem ob rationem Dioni Chrysostomo Socrates DISCIPULUS Homeri; non autem Archelai, esse dicitur: Ἀλλὰ τοῦτό γε οἶμαι πολλοῖς εἶναι σαφὲς, εἴτις ἔμπειρος ἀμφοῖν τοῖν ἀνδροῖν· ὅτι Σωκράτης τόγε ἀληθὲς Ὁμήρου ΜΑΘΗΤΗΣ γέγονεν, οὐχ ὥσπερ ἔνιοι φασὶν, Ἀρχελάου; *At ego hoc sane multis arbitror esse perspicuum, si quis modo amborum virorum habeat experientiam, Socratem revera Homeri* DISCIPULUM, *non, quod nonnulli dicunt, Archelai esse*. Cumque objici posse animadverteret, Socratem tot annos post natum non potuisse operam dare Homero, adjicit, absurdum nequaquam esse, virum, qui poesim ipsius intelligat, ut imitatorem, ita etiam discipulum dici; οὐκοῦν ἄτοπον τὸν μήτε ξυγγενόμενον, μήτε ἰδόντα, τῆς δὲ ποιήσεως ξυνιέντα τῆς Ὁμήρου, καὶ τῆς ὅλης διανοίας ἔμπειρον γενόμενον, ΜΑΘΗΤΗΝ Ὁμήρου γενέσθαι; *Non ergo a ratione alienum est, eum qui licet non conversatus sit, neque viderit, intelligat autem Homeri poesin, totiusque illius mentis gnarus sit*, DISCIPULUM *Homeri dici*. Atque ut elegantissimam loquendi formam similibus illustrem, non alio sensu Sophocles μαθητὴς poetæ nostri vocatur ab auctore vitæ ejus; Lucianus sese οἰκεῖον, id est, *familiarem* Platonis, Socratis, aliorumque; Porphyrius Numenium & Cronium Homeri, ac Cicero nescio quem ex veteribus *familiarem suum* appellant. Ammonius Philosophus & Origenis præceptor Suidæ dicitur semper τῷ Πλάτωνι συνεῖναι, *cum Platone esse*; & Cicero scribit Clitarchum NARRASSE Cælio Rufo Darium apud Issum ab Alexandro esse superatum; quæ non de vivis sed eorum scriptis intelligenda esse convincit satis temporum ratio. Verum ut ad Σοφίαν redeam, veteres plerique omnem Philosophiam, omnesque adeo Philosophorum disciplinas ab Homero, quem ejus Ἀρχηγέτην non immerito vocat Strabo, tanquam a fonte fluxisse, invenirique apud eum Stoicorum, Epicureorum, Peripateticorum & Academicorum placita; cunctarumque adeo sectarum sententias ex eo haustas esse docet is, qui Plutarchi nomine Homeri vitam in lucem emisit; quod tamen ipsum urget Seneca, propterea que negat Homerum Philosophum fuisse: *Vis scire quam non ad docendam virtutem consederint? adspice quam dissimilia inter se omnium studia sint; atqui similitudo est idem docentium. Nisi forte tibi Homerum* PHILOSOPHUM *fuisse persuadent, cum his ipsis, quibus colligunt, negent. Nam modo* STOICUM *eum faciunt, virtutem solam probantem; modo* EPICUREUM, *laudantem statum quietæ civitatis, & inter convivia cantusque vitam exigentis: modo* PERIPATETICUM *bonorum tria genera inducentem: modo* ACADEMICUM *incerta omnia dicentem. Apparet nihil horum esse in illo, quia omnia sunt: ista enim inter se dissident. Demus illis* HOMERUM PHILOSOPHUM *fuisse; nempe sapiens factus est, antequam carmina ulla cognosceret:* (Lipsius l. *conderet*) *ergo illa discamus, quæ Homerum fecere* SAPIENTEM. Verum tam magni viri judicium refellere non dubitat Lipsius; isque multis argumentis docet vetustissimam Philosophiam esse poeticam, inque ea Musæum, Linum, Orpheum, Hesiodum & Homerum excelluisse; maximam tamen hunc laudem meruisse; quippe cui & *palmam ingeniorum* ab omni ævo Plinius adjudicat. Et sane ea tunc erat hominum indoles, ut non nisi fabulis & arte metrica ad virtutem discendam adigi possent. Rudis illa, agrestis, atq; incondita hominum turba blanditiis quasi & dolis Sapientiæ initianda, & per ambages ad divinum cultum ducenda fuit, uti præter Eustath. docet Maximus Tyrius; Δοκεῖ μοι Ὅμηρος, φύσει τε κεχρημένος ἐνθεωτάτῃ καὶ φρονήσει δεινοτάτῃ καὶ ἐμπειρίᾳ πολυτροπωτάτῃ, φιλοσοφίᾳ ἐπιθέμενος, δημοσιεῦσαι ταύτην τοῖς Ἕλλησιν ἐν ἁρμονίᾳ τῇ τότε εὐδοκιμοῦσῃ· αὕτη δ' ἦν ἡ ποιητική: *Videtur mihi Homerus, cum & divina naturæ indole & exquisitissimo judicio, experientiaque rerum omnium esset præditus, hoc consilio Philosophiæ se dedisse, ut sub illa, quæ tum temporis placebat, ratione metrica, cum Græcis eam communicaret: illa autem erat poetice*. Eademque dissertatione narrat Philosophiam alios ante vocasse *mysteria*, alios *fabulas*, alios *musicam*, alios *divinationem*, postea velum illi detractum atque inde factum esse, ut Homeri & Hesiodi carmina fabulæ germanæ existimarentur, illumque Philosophorum, quorum erat princeps, numero ejectum esse: τὸ δὲ ἐπιστήμης ταύτης τὸ κεφάλαιον, τέως μὲν παντοδαποῖς περιβεβλημένον σχήμασι μετεχειρίζετο τὰς τῶν ἐντυγχανόντων ψυχὰς διδασκαλείοις ἀλύτοις, τῶν μὲν TE-

Orat. 55.

Epist. ad Attic.

Epist. 88.

Lib. 1. Manud. ad St. Phil.

Proœm II Diss. 26.

ΛΕΤΑΣ καὶ ΟΡΓΙΑΣΜΟΥΣ τινας ἐπιφημισάντων τοῖς αὐτοῦ λόγοις, τῶν δὲ ΜΥΘΟΥΣ, τῶν δὲ ΜΟΥΣΙΚΗΝ, τῶν δὲ καὶ ΜΑΝΤΙΚΗΝ καὶ κοινὸν μὲν ἦν ἅπασι τὸ ὠφελοῦν, ἴδιον δὲ τὸ σχῆμα τοῦ λόγου, &c. *Hujus scientiæ professio & scopus variis olim sub figuris latebat: quibus sine ulla austeritate animos sibi commissos tractabat simul docebatque. Cum alii* MYSTERIA, *alii* OCCULTA SACRA *disciplinam suam appellarent: alii* FABULARUM, *alii* MUSICES, *alii postremo* DIVINATIONIS *nomine eam inducerent. Ita cum unam utilitatem omnes spectarent, non uno docendi modo utebantur. Postea vero nimia sapientiæ copia lascivire cum inciperent homines, cœperunt & velum hoc sapientiæ detrahere; ita Philosophiam amictu suo spoliarunt, in contemptum adduxerunt, cuivis eam objecerunt, cuivis tanquam scortum prostituerunt. Neque aliud quam solum nomen reliquerunt: quod ipsum ineptæ quædam cavillationes occuparunt. Eo igitur deventum est, ut Homeri Hesiodique carmina, totaque antiqua illa & divina Musa pro fabulis habeantur; nec aliud in iis quam narrationes nudas, quam numerorum suavitatem, quam harmoniæ elegantiam, sicut in tibia aliqua aut cithara miramur. Quod vero solum in iis admiratione est dignum, negligimus, nec virtutis nomine dignum censemus. Ita Homerus e Philosophorum numero ejicitur,* ὁ ΗΓΕΜΩΝ τοῦ γένους, PHILOSOPHORUM PRINCEPS. Quin & alii Homerum Philosophum esse negabant, quia nihil de *pronuntiatis* & *syllogismis* memoriæ mandavit. Elegans, ita sim felix, causa; & quæ indicio est ejusmodi homines verba, non res spectare; qui morbus nostris quoque temporibus multorum virorum mentes veluti pestilenti sidere afflavit. Neque enim verbis insudare, definitionibus, syllogismis, captiunculis, distinctionibus tam nostros quam discentium animos onerare, Philosophia est; majus quid illa complectitur & augustius; virtutem scilicet, mentem compositam, naturam, rerumque causas, mores, & quæcunq; alia apud bonæ mentis capaces in pretio sunt. Ejusmodi autem homines refellit Plutarchus: Ἂν δέ τις φῇ, ait, τὴν Ἰλιάδα καὶ Ὀδύσσειαν παραμύθιον πόνου καὶ διατριβῆς ἐπεσθαι καὶ σχολῆς γλυκείας, ἐφοδίον δὲ ἀληθῶς γεγονέναι τὸν ἐκ Φιλοσοφίας λόγον, καὶ τοὺς περὶ ἀφοβίας καὶ ἀνδρείας, ἔτι δὲ σωφροσύνης καὶ μεγαλοψυχίας ὑπομνηματισμούς; καταφρονοῦμεν· ὅτι δηλαδὴ περὶ συλλογισμῶν οὐδὲν, οὐδὲ περὶ ἀξιωμάτων ἔγραφεν, οὐδ' ἐν Λυκείῳ περιπατῶν ἔσχε, οὐδ' ἐν Ἀκαδημίᾳ θέσεις εἶπεν. τούτοις γὰρ ὁρίζουσι φιλοσοφίαν, οἱ λόγον αὐτὴν οὐκ ἔργον νομίζοντες; *Si quis vero dicat, eum* (Alexandrum) *Iliadem & Odysseam animi reficiendi, laborisque leniendi gratia secum tulisse, viaticum vero ei fuisse doctrinam e Philosophia perceptam, ac commentationes de ejiciendo metu, fortitudine, temperantia, magnanimitate susque deque habemus. Scilicet quia nihil de* SYLLOGISMIS, *aut* PRONUNTIATIS *scripsit, neque ambulationem in Lyceo occupavit, neque in Academia theses proposuit. His enim rebus Philosophiam definiunt, qui eam verba, non res putant.* Sed cum Philosophia circa veritatem indagandam versetur, nulla causa videtur esse, cur poesin, quæ sine fabulis non constat, eo etiam nomine comprehendamus. Et, ne repetam quæ a me hanc in rem disputata sunt, Plutarchus testatur poesin τοὺς λόγους ἐκ φιλοσοφίας ἀναλαμβάνειν μιγνυμένους πρὸς τὸ μυθῶδες, *narrationes fabulis exornatas ex Philosophia accipere*; & ἐλαφρὰν καὶ προσφιλῆ παρέχειν τοῖς νέοις τὴν μάθησιν, *facilem & gratam juvenibus præbere institutionem*: Strabo esse primam Philosophiam, moderantem affectus; puerosque primo omnium eam didicisse, οὐ ψυχαγωγίας χάριν ψιλῆς, ἀλλὰ σωφρονισμοῦ, *non nudæ oblectationis sed modestiæ discendæ causa*, in Græciæ urbibus. Imo, quanquam multi poetam propterea reprehenderent, criminandique eum ansam arriperent, rem nihilominus perquam difficilem esse fatetur Dio Chrysostomus discernere, num erraverit, an vero naturales res fabularum involucris more tunc usitato texerit: περὶ μὲν δὴ τούτων, ait, ἕτερος λόγος πλείων, καὶ μακρότερος καὶ οὐ ῥᾴδιος· πότερον Ὅμηρος ἥμαρτε περὶ ταῦτα, ἢ φυσικούς τινας ἐνόντας ἐν τοῖς μύθοις λόγους, κατὰ τὴν τότε συνήθειαν παρεδίδου τοῖς ἀνθρώποις; *De his vero alia major & longior, neque facilis oratio habenda est, an Homerus deliquerit circa hæc, an naturales quasdam rationes per fabulas, ut tum fieri solebat, hominibus tradiderit:* Ulteriusque progressus Plato, ne vult quidem Homerum fabulas scripsisse; censetque οὐ δεῖν τοὺς ἀμυήτους τῆς σοφίας Ὁμηρικοῖς ἐμπίπτειν ποιήμασιν, ἵνα μὴ νομίζωσιν οὕτω γράφειν τὸν ΗΡΩΑ, *non debere Homeri poemata eos, qui Sapientiæ non initiati sunt, legere; ne existimarent* HEROEM *fabulas scripsisse*. Julianus Apostata, immersusque falsorum numinum, relicta splendidissima luce, cœno, alicui Philosophiæ parti fabulas adsignat; maxime quia eas etiam varii & magni nominis Philosophi, ut Orpheus, Xenophon, Antisthenes & Plato scriptis suis inseruerunt; cumque nonnulla de Sapientia & ejus divisionibus disseruisset, atque ostendisset Physicæ partes esse tres Theologiam, Mathesin, & Astronomiam; totidemque Philosophiæ practicæ, Ethicam, Oeconomicam & Politicam, fabularum fictionem Ethicæ & Theologiæ mysticæ adsignat: Τούτων δὴ τῶν μερῶν οὔτε τῷ λογικῷ προσήκει τῆς μυθογραφίας, οὔτε τῷ φυσικῷ, οὔτε τῷ μαθηματικῷ· μόνου δὲ, εἴπερ ἄρα, τοῦ πρακτικοῦ τῷ πρὸς ἕνα γιγνομένῳ· καὶ τοῦ θεολογικοῦ τῷ τελεστικῷ καὶ μυστικῷ: *Ex istis vero partibus neque logicæ fabularum scriptio convenit, neque Physicæ, neque Mathematicæ; sed uni si forte practicæ Philosophiæ speciei, quæ circa singularem versatur hominem; tum ei Theologiæ parti, quæ in initiationibus ac mysteriis consistit:* atque his tandem aliisque, quas adducit, rationibus motus affirmat μυθογραφεῖν alicui φιλοσοφίας εἴδει convenire. Dio etiam Chrysost. testatur, Socratem non minus quam Homerum fabulis usum; & per eas homines docuisse: conaturque probare poetam, cum Dolonem timidum describit & equos

Lib. 1. de Fort. Alex.

Lib. de Aud. Poet.

Lib. 1

Orat. 53.

Orat. 7.

Orat. 55.

Achillis ſpe devorantem, egiſſe de timiditate & cupiditate gloriæ; cum Pandorum ſpernentem fœdera & jusjurandum, de corruptione per munera, impietate, & in univerſum de inſipientia; ac tandem adjicit Socratem de arrogantia diſſeruiſſe, introducendo hominem arrogantem; idemque eum feciſſe ubi de iracundia, ingrato animo, ira aliiſque affectionibus agit; adeo ut vere dixerit Plutarchus, Philoſophos παραδείγμασι ἐξ ὑποκειμένων *exemplis quæ ad manum ſunt, uti*; poetas vero idem propoſitum habentes, πλάττειν πράγματα καὶ μυθολογεῖν, *exempla fingere & fabulas narrare*. Hanc tamen opinionem olim impugnavit Colotes Epicureus, judicavitque indignas Philoſopho, veritatis profeſſore, fabulas eſſe; quod adeo Macrobio diſplicuit ut *calumniam* vocare nullus dubitaverit: *Illam calumniam perſequemur, quæ niſi ſupplodatur, manebit Ciceroni cum Platone communis. Ait a Philoſopho fabulam non oportuiſſe confingi: quoniam nullum figmenti genus veri profeſſoribus conveniret.* Sed ut taceam maximos Philoſophos fabulis ad docendum uſos eſſe; Ciceronem Scipionis ſomnium finxiſſe; Platonem Erem quendam introduxiſſe, non autem *vitæ reſtituiſſe*, quemadmodum Æneæ Gazæi ἀνάγειν, male ſatis vertit & interpretatur Barthius, narrantem quæ per XII. dies, quibus mortuus jacuerat, viderat; Macrobius ipſe Epicureum illum refellens, fabulas falſas plane, vel voluptatis cauſa & adhortationis ad bonam frugem, ut comœdias, gratia, nec non argumenta fictis amantium caſibus reperta, a Philoſophia excludit: *Hoc*, ait, *totum fabularum genus, quod ſolas aurium delicias profitetur, e ſacrario ſuo in nutricum cunas ſapientiæ tractatus eliminat*: eas tamen admittit pleraſque, quæ ad aliquam virtutis ſpeciem intellectum hortantur; & quibus veritas pro fundamento eſt, dignas Philoſopho cenſet: *At in aliis argumentum quidem fundatur rei ſoliditate; ſed hæc ipſa veritas per quædam compoſita & ficta profertur, & hoc jam vocatur*, FABULOSA NARRATIO, *non* FABULA: *ut ſunt cerimoniarum ſacra; ut Heſiodi & Orphei, quæ de Deorum progenie actuve narrantur; ut myſtica Pythagoreorum ſenſa referuntur*: quam in rem plura ad ipſum, eaque elegantia poſſunt videri. Philoſophus igitur Homerus eſt; adeo ut multi veterum cenſuerint ipſam Philoſophiæ diviſionem primam & præcipuam ab ipſo ſumptam eſſe. Verſatur enim illa circa DIVINA & HUMANA, iiſque duabus rebus abſolvitur. Marius Victorinus: *Plena philoſophia eſt, quæ conſtat ex duabus Phyſica & Ethica. Phyſica eſt quæ de* DIVINIS *agit, Ethica quæ de* HUMANIS *diſſerit*: Pythagoras eam appellat γνῶσιν θείων τε καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων; *Divinarum humanarumque notitiam*; Maximus Tyrius; ἐπιστήμην ἀκριβῆ θείων τε πέρι καὶ ἀνθρωπίνων, *accuratam divinarum humanarumque rerum ſcientiam*; & Straboni denique dicitur ἐπιβλέπειν τὰ θεῖα καὶ ἀνθρώπινα. Hanc diviſionem veteres ex eo loco ſumptam judicabant, quo Diomedi, hoc eſt, Philoſopho, Pallas ſive Sapientia omnem caliginem, quæ mortales hebetat viſus, ad deos hominesque cognoſcendos, dempſit; vel ex alio, ubi Phæmus ἀοιδὸς, ſive Philoſophus canit, ἔργ' ἀνδρῶν τε θεῶν τε, notante Euſtathio: quin & Heraclides in Allegoriis cenſet diſtinctionem ejuſdem ſcientiæ ex mente Platonis & Academicorum in λογικὴν φυσικὴν & ἠθικὴν, ab Homero per Cerberum tricipitem deſignari. At cum Philoſophus Homerus ſit, cui tandem Philoſophorum generi erit adſcribendus? Nam, uti Seneca docuit, modo Stoicus, modo Epicureus, modo Peripateticus, modo Academicus eſt; prætereaque multi eum a ſacra cohorte excludunt. Plutarchus ſane libro toties laudato eum Stoicum fuiſſe negat; quia homines introducit, in quibus virtutes & vitia miſcentur; cum contra ex illorum opinione neque virtuti vitium, neque vitio virtus adſit; ſed ſemper ſapiens recte agat, inſipiens peccet. Rejecerunt eum etiam Cynici & Epicurei, uti ex Juliano atque Macrobio conſtat; atque ut hic loquitur: *Epicureorum tota factio, æquo ſemper errore a vero devia, & illa exiſtimans* ridenda *quæ neſciat*, SACRUM VOLUMEN *& auguſtiſſima irriſit naturæ ſeria*. Scilicet ἡδονῆς ille γεωργὸς omnem poeſin ὥσπερ ὀλέθριον μύθων δέλεαρ, *velut pernicioſum fabularum oblectamentum*, uti loquitur Heraclides Ponticus, averſatus eſt; alioſque ἐπικούρειον ἀκάτιον ἀραμένας ποιητικὴν, φεύγειν καὶ παρεξελαύνειν, ſunt verba Plutarchi, *lintre Epicuri poeſin prætervehi ac fugere* docuit; eaque re meruit ut nec poetis nec Philoſophis a Maximo Tyrio annumeratus ſit. Licet autem nulli ſectæ adſcribi poeta noſter debeat; præſtantiſſimi tamen veterum affirmant, omnia fere Philoſophorum placita ex hoc fonte profluxiſſe. Ipſe Epicurus Phæacum vitam, & fictas in clypeo Achillis urbes; Zeno virtutem ſolam laudatam, deoſque fato adſtrictos profert. Plato ſonos, a cœlo ejuſque orbibus editos, & ſuam de anima opinionem inde hauſit. Pythagoras animorum migrationem, docente Euſtathio, ejuſque nec non Heſiodi λέξεσι διειλεγμέναις utebatur πρὸς ἐπανόρθωσιν ψυχῶν ad *emendationem animarum*, ut ſcribit Jamblichus. Thales animadvertens Oceanum θεῶν γένεσιν dici, & ſomnum narrare, ſeſe in ſoporem poſſe conjicere Oceanum, ὅσπερ γένεσις πάντεσσι τέτυκται; aquam originem & patrem omnium eſſe rerum ſtatuit. Empedocles ex binis civitatibus in Achillis clypeo deſcriptis, & Martis ac Veneris adulterio, litem & amicitiam, variis locis tradente Heraclide, rerum primordia facit. Xenophanes didicit apud Euſtathium & Scholiaſtem, hominem ex terra & aqua componi; Cleanthes & Chryſippus cum Stoicis ſolem & ſtellas aquis Oceani vel vaporibus ali, apud Laertium, Plinium, Ciceronem, Porphyrium. Jamblichus fata θυσίαις καὶ εὐχαῖς poſſe averti; Plato rurſus animam immortalem eſſe a corpore ſolutam; & denique Pyrrhonii vel Sceptici Homerum ſectæ ſuæ principem, quia οὐχ ὁριστικῶς δογματίζει περὶ τὴν ἀπόφασιν, eſſe gloriantur; quemadmodum Euſtathius, Athenæus.

Margin notes: L. de Aud. Poet. — Lib. 1. c. 11. in Somn. — Lib. 1. Rhet. — Diff. 16. — Il. E 127. — Od. α v. 338 P. 1421. — Lib de Aud. Poet. Diff. 29. — Od. τ. v. 549 P. 1838. — Il. ξ. — Il. H. v. 99. — Lib 2. N.Q. L. 5. — P. 626 L. 21

Laertius, nec non Suidas testantur. Atque ea quæ dixi firmat summi vir ingenii, ne vel Gabrielem Naudæum, vel Mericum Casaubonum eadem tradentes advocem, Joachimuss Camerarius; isque non dubitat tam luculento elogio poetam nostrum ornare. Quisnamne, ait, omnium „ non omerica scripta, quasi pro oracu- „ lis quibusdam doctrinæ & sapientiæ „ habuit? an recitato versu aliquo illius, „ non solium Sibyllæ se recitasse credi- „ dit? an quicquam in quæstionem veni- „ re posse existimavit ullus, de iis rebus, „ quas Philosophia complectitur, id est, „ de scientia, de causis, de natura; item- „ que de ordine bonorum & malorum at- „ que etiam de falsis & veris certo judicio „ distinguendis, deque inventis subtili- „ ter differendis, & ornate eloquendis: „ de his igitur universis, quæ solerent „ quæri, an non explicationem in hoc „ auctore reperiri posse omnes statue- „ runt? horumque non modo exem- „ pla, sed etiam præcepta quædam de il- „ lo fuisse a doctis collecta manifestum est: quod ne pluribus illustrem, facit idem atque Angelus Politianus; qui præfationibus suis in Homerum hanc materiam omnem ita tractarunt, ut ne videantur quidem spicilegium reliquisse. ΣΟΦΙΑ igitur, id est SAPIENTIA vel Philosophia optimo jure Homerum patrem agnoscit; testaturque eum ἀρχηγὸν esse πάσης σοφίας *ducem omnis Sapientiæ*; & allegorice tradidisse τοῖς μετ' αὐτὸν ἀρύσασθαι κατὰ μέρη πάνθ' ὅσα πρῶτος πεφιλοσόφηκε, *posteris haurienda singulatim omnia, quæ primus est philosophatus*; uti non ineleganter Heraclides. Sed cum & *Geographia* Philosophiæ pars sit; primique Geographi Philosophi fuerint, uti multis docet Strabo, nec hæc mihi omittenda videtur, docendumque hac scientia Homerum etiam imbutum fuisse. Hipparchus sane atque alii eum appellare non dubitant Ἀρχηγέτην ejus artis Strab. Καὶ πρῶτον, ὅτι ὀρθῶς ὑπειλήφαμεν καὶ ἡμεῖς, καὶ οἱ πρὸ ἡμῶν, ὧν ἐστι καὶ Ἵππαρχος, ἀρχηγέτην εἶναι τῆς γεωγραφικῆς ἐμπειρίας Ὅμηρον; *A primo loco id recte & a nobis, & a majoribus nostris, quos inter est Hipparchus, existimatum fuisse* (perpendamus) *primum Geographicæ peritiæ auctorem esse Homerum*: qui pluribus id conatur probare; ut & primum Homerum, cui πολυπειρίαν τῶν τόπων, *accuratam locorum experientiam* tribuit Proclus, inde Anaximandrum Milesium, atque Hecatæum ausos esse αὐτῆς ἅψασθαι, *eam scientiam aggredi*. Exstat hanc in rem locus elegans, & dignus qui explicetur apud Silium Italicum, Sibyllam Scipionem alloquentem introducentem;

In Ali.

Lib. 1.

Lib. 13.

> —— *non falleris*, *inquit*,
> *Docta comes Triviæ*, *meruit* DEUS *esse videri*,
> *Et fuit in tanto non parvum pectore* NUMEN.
> *Carmine complexus* TERRAM, MARE, SIDERA, MANES,
> *Et cantu Musas & Phœbum æquavit honore*,
> *Atque hæc cuncta prius quam cerneret, ordine terris*
> *Prodidit, & vestram tulit usque ad sidera Romam*.

id est; Homerus descripsit terram atque mare, antequam ea lustrasset; vel si verum, cæcum eum natum esse, sive, uti libro 11. scribit Pausanias, oculis orbum, inopia oppressum, victum emendicantem per omnes prope terras errasse; priusquam in deorum numerum relatus foret, atque ita consp iceret ex alto tellurem; item sidera, cælum, manes, inferos, antequam anima sideribus recepta, vel umbra apud inferos foret: Hæc scilicet est nota, illum Deum esse; hoc fuit non paravum Numen in tanto pectore, *constitutum rerum naturæ corpus*, ut Vellejus de Cicerone loquitur, *animo videre, ingenio complecti, & eloquentia inluminare*. Atque ita Maximus Tyrius tradit terram inhospitalem & mare infestum non pergrasse Homerum, sed animo omnia illa nec non sidera lustrasse: Βούλομαι (locum integrum adscribo, quia plurimum laudibus Homeri inservit) καθ' Ὅμηρον αὐτὸν, παρακαλέσαι ἐπὶ τὸν λόγον τινὰ μέντοι θεῶν, ἢ τὴν αὐτὴν ἐκείνῳ τὴν Καλλιόπην

Diss. 56.

> Ἄνδρά μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον, ὃς μάλα πολλὰ
> Πλάγχθη —— ——

οὐ γῆν ἄξενον ἐπιπορευόμενος, οὐδὲ θάλατταν χαλεπὴν περαιούμενος, οὐδὲ ἀνθρώποις ἀγρίοις συμφερόμενος· ἀλλὰ ταῦτα μὲν αὐτῷ οἱ μῦθοι ἔχουσιν, αὐτὸς δὲ τῇ, κούφῳ χρήματι καὶ πολυπλανεστέρῳ τῶν σωμάτων πανταχοῦ περιφέρετο, πάντα ἐσκόπει, ὅσα οὐρανοῦ κινήματα, ὅσα γῆς παθήματα· θεῶν βουλὰς, ἀνθρώπων φύσεις, ἡλίου φῶς, ἄστρων χόρον, γενέσεις ζώων. ἀναχύσεις θαλάττης, ποταμῶν ἐκβολὰς, ἀέρων μεταβολάς· τὰ πολιτικὰ, τὰ οἰκονομικὰ· τὰ πολεμικὰ, τὰ εἰρηνικὰ· τὰ γαμήλια, τὰ γεωργικὰ, τὰ ἱππικὰ, τὰ ναυτικὰ, τέχνας παντοίας, φωνὰς ποικίλας, εἴδη παντοδαπὰ, ὀλοφυρομένους, ἡδομένους, πενθοῦντας, γελῶντας, πολεμοῦντας, ὀργιζομένους, εὐωχουμένους, πλέοντας; *Libet Homeri exemplo, dissertationi huic deorum aliquem advocare, & fortasse non aliam, quam eandem quam ille solet, Calliopen*;

> *Dic mihi Musa virum sapientem, quique vagatus*
> *Plurima conspexit* ——

Non quod inhospitalem terram peragraverit, aut infestum mare transmiserit, aut cum feris agrestibusque vixerit hominibus. Hæc enim in fabulis tantum suis referre ille solet, de quo loquor. Ipse vero animo, qui levissimus est, faciliusque quam corpus locum loco mutat, ubique vagatus est, perlustravit omnia. Ille quæ in cælo moventur, quæ in terra mutantur, ille deorum consilia, hominum naturas, solis lumen, siderum choros, generationem animalium, refluum maris gremium, fluviorum ostia, aeris diversitatem perspexit. Ut omittam politica, œconomica, quæ ad bellum, quæ ad pacem pertinent; nuptialia, rustica, equestria, nautica;

artesque quascunque, diversissima vocabula, diversissima vocabula, diversas rerum species; lamentantes, gaudentes, lugentes, ridentes, bellantes, irascentes, epulantes, navigantes. Quo pertinet Cedrenum ex emendatione mea Homero tribuere vultum attritum senectute, & φροντίσι ὑπὲρ τοῦ παντὸς *curis de universo*, vel *universa natura*, quam descripsit; Eustathiumque notare eum per Α'είδε θεὰ intelligere mentem suam, quam invocat, ut monere omnia velit, quæ canere volebat; multos tandem fuisse, qui censent Homerum cæcum dias in luminis oras venisse, uti videre licet apud Leonem Allatium, Brodæum, Heraclidem in Excerptis, & Gerhardum Vossium; quod si verum, rectissime dicitur *animo omnia complexus* fuisse; & terras atque maria nunquam visa descripsisse. Ex hac tamen πολυπειρίᾳ τῶν τόπων Proclus colligit poetam cæcum non fuisse; affirmatque multas terræ partes eum lustrasse; & tot res vidisse, quot nunquam ullus alius homo; quo argumento etiam pugnat Cicero; *Traditum est etiam Homerum cæcum fuisse. At ejus picturam, non poesin videmus. Quæ regio, quæ ora, qui locus Græciæ, quæ species formæ, quæ pugna, quæ acies, quod remigium, qui motus hominum, qui ferarum non ita expictus est, ut, quæ ipse non viderit, nos ut videremus, effecerit? Quid ergo aut Homero ad delectationem animi, aut voluptatem, aut cuiquam docto defuisse unquam arbitramur?* Ut ut sit, Geographiæ accuratam cognitionem poeta noster habuit; quod non aliunde, sed ex ipso petitis argumentis firmandum restat. Orbem igitur terrarum in clypeo Achillis insulam facit, & Oceano circumfundi canit; quem eandem ob causam ἀμφιτρίτην appellat παρὰ τὸ ἀμφιτρίβειν, *quod circumquaque terram fluctibus atterat*, uti explicat Herodotus. Hanc sententiam præter Strabonem, Ciceronem, Apulejum, Melam Pomponium, cujus hæc sunt verba, *præter Physicos Homerumque, qui universum orbem mari circumfusum esse dixerunt, Cornelius Nepos ut recentior auctoritate sic certior tradit*, plurimi veterum sequuntur; unde & Oceanus ὁ πέριξ Græcis, & Neptunus γαιήοχος vocatur, orbemque pede premit in nummmo apud Tristanum. Nam & eum rotundum plerique fecerunt, ac talem cecinit esse poeta noster, celebrans ἀπείρονα γαῖαν, id est, Eustathio interprete σφαιροειδῆ & στρογγύλην: quia ἄπειρος illa res vocatur, quæ terminum seu finem non habet; id quod maxime rebus rotundis convenit; quomodo ἄπιρον δακτύλιον *annulum* vocamus, gemma carentem & plane rotundum, uti ex Aristotele & Polluce docti observarunt. Eratosthenes præterea ex quinque plicis scuti Achillei, in quo orbem terrarum descripsit, quinque Zonas, teste Heraclide, sumpsit; & si Strabonem sequimur, primus omnium Homerus Græciam accuratissime descripsit: illudque in Catalogo, quem propterea non immerito Porphyrius dixit πᾶσαν περιέχειν ἀλήθειαν ἔν τε χωρογραφίᾳ καὶ πόλεων ἰδιώμασιν, *omnino verum esse quoad corographiam & urbium proprietates*, per epitheta scilicet expressas, factum esse nemo tam a Musis alienus est, quin nesciat. Tanta sane hujus poeseos Homericæ partis fuit auctoritas, ut urbes de finibus ambigentes, litem inde decidere; utque legislator Cerdias jusserit patriæ suæ pueros, proculdubio cognoscendæ geographiæ causa, eam memoriæ infigere: Ἱστορῶν, n. Porphyrius, καὶ ὅτι νόμους τίνες ἐξέθεντο, ἀποστοματίζειν τοὺς παιδευομένους τὸν Ὁμήρου κατάλογον; ὡς καὶ ὁ Κερδίας νομοθετῶν τῇ πατρίδι; *narrans nonnullos leges tulisse, ut pueri Homeri Catalogum memoriter redderent; id quod etiam Cerdias patriæ leges ferens constituit.* Sed, ut hoc obiter moneam, ille Κερδίας nusquam apud alium occurrit, mutandusque mihi equidem videtur in Κερκίδας; quo nomine fuit legislator Megalopolitanorum; quem docui Homeri librum primum & secundum Iliados sepulcro jussisse inferri; quique post Socratem dixit, se ἡδέως mori; quia sperabat se adfuturum ex Philosophis Pythagoræ, ex historicis Hecatæo, ex Musicis Olympo, ex poetis vero Homero, uti memoriæ mandat Ælianus. Græciam igitur summo studio & cura instar diligentis Geographi digessit, nec regiones promiscue, ut nonnulli veterum existimarunt, descripsit. Macrobius: *Notissimum promontorium ad exordium sibi enumerationis elegit, unde progrediens modo mediterranea, modo maritima, juncta describit: Inde rursus ad utrumque situm cohærentium locorum disciplina describentis velut iter agentis accedit; nec ullo saltu cohærentiam regionum in libro suo hiare permittit: sed obviandi more procedens, redit unde digressus est, & ita finitur quicquid enumeratio ejus amplectitur.* Quod ut nulli dubitationi obnoxium sit amplius, brevi quasi in tabella Homericam Græciæ descriptionem ob oculos ponam. Bœotia igitur ob varias causas, quæ ab Eustathio & Scholiaste peti possunt, initium est; inde proximas gentes Phocenses, Locros, Epicnemidios, & Opuntios ex adverso Eubœæ habitantes describit; in hanc mox trajicit, indeque Atticam, Salaminem, & Peloponnesum, tunc temporis in sex partes, binas orientales, reliquas occidentales, divisam tradit. Ex his primam memorat Argiam, ὅτι ἀκολούθως μετὰ Σαλαμῖνα ἐπὶ Πελοπόννησον ἥκει ὁ ποιητής, uti loquitur Eustathius: hinc Mycenas, quibus ager Corinthiacus & Sicyonius fere Elidem usque comprehenditur; mox ad occidentales sese accingit, Laconicam, Pylum Messeniacam, Arcadiam, & Elidem. Sic descripta Peloponneso in insulas adjacentes Dulichium, Echinadas, Ithacam, Zacynthum, Samum trajicit; quod tam commode & eleganter factum est, ut notare non dubitet Eustathius εὐτάκτως trajecisse poetam ἐκ τῆς Πελοποννήσου εἰς τὸ πλησίον αὐτῆς Δουλίχιον. Insulis relictis Epirum, quo nomine Acarnaniam ac Ætoliam etiam complectitur, describit. Hinc cum terra commodior nulla occurrat, Cretam memorat, & vocat ἑκατόμπολιν; moxque Rhodum, Sumen, Carpathon, Casum & Coon insulas laudat, quæ absolvunt primam descri-

Marginal notes: D. I. Pat. Hom. Lib. 5. Miss. c. 9. l. 1. Inst. Orat. cap 5. — Lib 4. — L. 3. c. 4. — Tom. 1. pag. 287. — In Alleg. Lib. 8 — Proclus cap. 26 Lucubrat. Eust. p. 263 & ad Init. Catal — Lib 13. c. 20. Var. H. — Lib. 5. Sat. cap. 15.

ptionis Græciæ partem. Alteram, licet continenti adhæreat, peculiariter sumit sibi ornandam, propter Achillem, ut reor, cujus in gratiam Iliadem videtur composuisse. Thessaliam igitur, cujus ille partem tenebat ditione, adit, eamque una cum Thesprotia describit, ut vix unius loci oblitus sit. Inde discimus insuper Ἕλληνας primo vocatos fuisse, qui Phthiotin Thessaliæ inhabitabant; quod etiam monet Stephanus Byzantinus; aliud esse Ἄργος in Thessalia, aliud in Peloponneso, hocque ab Achæis vocari Ἀχαϊκόν; illud Πελασγικὸν, quia Pelasgi, quamvis in Epiro, Creta, Peloponneso, Thracia etiam fuerint, præcipuas sedes in Thessalia, affirmante Strabone, unde & ipsa regio Stephano Πελασγία dicitur, habuerunt. Pari felicitate Asiam viresque Trojanas describit; atque a regione primaria, Troade sumpto initio, ejus varias regiones & urbes enumerat: hinc Hellespontum, parvo aquarum divortio Europam & Asiam dividentem, trajiciens narrat Pelasgos, Larissæos, Thracas & Pæonas, qui Priamo suppetias tulerunt; ex Thracia in Asiam iterum quasi navigat, & a Paphlagonia incipiens totam oram maritimam ad Cariam & Lyciam usque accurato ordine, & singulari diligentia describit. Neque tantum nuda regionum nomina, verum etiam agri adjacentis, incolarumve naturam & ingenium aptissimis epithetis posteritati & memoriæ consecravit. Sidonem vocat πολύχαλκον, quia in medio Tyri & Sidonis urbs est Sarepta, nobilis æris & ferri fusione; ejus incolas πολυδαιδάλους, quos scilicet a peritia artis fabrilis olim rex sapientissimus Salomon laudavit; Temesen ab ære celebrat; dubitantque interpretes, num ad Cypri, an vero ad Bruttiorum urbem, ære utramque abundantem, sit referendum: Camirum appellat ἀργινόεντα quia sita erat in solo argilloso; Syriæ, quam optime describit, incolas antiquissimo nomine *Arimos*, id est, *Aramæos*; Nysan recte Arabiæ versus Ægygtum tribuit, quam quomodo in Indiam posteri transtulerint, alibi doceo: & mare tandem pacificum a Phœnicibus edoctus sub nomine Ὠκεανοῦ ἀκαλαρρείτους, id est, *pacati & leni fluxu*, describit; uti variis locis in Geographia sacra observat Bochartus. Samos prope Ithacam est παιπαλόεσσα *prærupta*, quia rupibus undique cingitur; ipsa quoque Ithaca ut aspera, dura, & culturæ impatiens Telemacho apud Homerum, Ciceroni, Plutarcho aliisque optime describitur. Cyclopes quas Siciliæ oras tenuerint, ex Homero docet Cluverius; campos Elysios in Hispania eum collocasse propter regionis ubertatem Strabo; & antrum Nympharum, quod maxime fabulosum esse plurimi existimant, in Ithaca esse apud Porphyrium testatur Artemidorus Ephesius Geographus insignis. Sed dies me deficeret, si omnem Homericam Geographiam excutere vellem; & multis aliis exemplis docere, non immerito Strabonem vocasse poetam nostrum ἀρχηγέτην ejus. Ad metas quapropter propero, ut quod restat absolvam atq; consecrationi finem imponam. Notandum igitur, non fuisse insolens vel sculptoribus vel pictoribus, nomina adjicere sive viris sive fœminis historiam aliquam repræsentantibus; Pausanias Iliadem pictam enarrans: *Sedet supra Helenam vir purpureo velatus amictu, mœstus admodum. Helenum esse Priami filium facile intelligas*, καὶ πρὶν ἢ καὶ τὸ ἐπίγραμμα ἐπιλέξασθαι, *vel priusquam inscriptionem legas*; rursus; *Secundum illos vir quidam sedet*, ἐπίγραμμα δὲ Ὄκνον εἶναι λέγει τὸν ἄνθρωπον; *inscriptio indicat Ocnum esse*. Inde Lucianus cui puero innitatur Hephæstion in tabula, qua Aetion Alexandri & Roxanes nuptias depinxerat, fatetur se nescire, quia nomen adscriptum non erat; οὐ γὰρ, ait, ἐπεγέγραπτο τοὔνομα. Quin & statuarii interdum non nuda nomina sed epigrammata, quæ historiam plene declararent, apponebant, uti ex eodem Pausania patet: & artifex tandem noster vel sculptor marmoris quo nomine, qua patria fuerit, addita inscriptione docet;

In v. Πελ. — Lib. 10. — In Herod. — lib 5. p. 320 & 324.

ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΕΠΟΙΗΣΕ ΠΡΙΗΝΕΥΣ.
Archelaus Apollonii filius Priænensis fecit.

Archelaus igitur, (qui num aliis auctoribus celebretur, incertum est) hoc marmor fecit vel sculpsit; quo sensu ποιεῖν frequenter usurpari solet, uti ex his Pausaniæ verbis; Ἀρίστανδρος δὲ Πάριος καὶ Πολύκλειτος Ἀργεῖος, ὁ μὲν γυναῖκα ΕΠΟΙΗΣΕΝ ἔχουσαν λύραν; aliisque plurimis apud eundem patet; Eadem vox Luciano in Toxari pro *pingere*; Anacreonti pro τορεύειν vel *cælare* usurpatur, unde in gemma Ursiniana occurrit, ΕΠΙΤΥΓΧΑΝΟΣ ΕΠΟΙΕΙ. Neque aliter Latinis FACERE sumitur; Plinius de Praxitele: FECIT *& puberem subrepenti lacertæ cominus sagitta insidiantem*; ibidem; *Polycletus Sicyonius Ageladis discipulus, Diadumenum* FECIT *molliter juvenem centum talentis nobilitatum*; alibi; FECIT *& canem & discobolum*: Ovidius

Lib. 3. — Carm. 17.

Vendicat & Calamis laudem, quos FECIT, *equorum;*
Ut similis veræ vacca Myronis opus.

Marmor, nihil enim opus est alios auctores advocare, apud Ursinum;

M. METTIUS
EPAPHRODITUS
GRAMMATICUS GRÆCUS
M. METTIUS GERMANUS FEC.

Notatu quoque dignum in marmore nostro occurrere ΕΠΟΙΗΣΕ; cum frequentius soleret esse ΕΠΟΙΕΙ, vel FACIEBAT; cujus moris causam reddit Plinius; *Et ne in totum videar Græcos insectari, ex illis vos velim intelligi pingendi fingendique conditoribus, quos in libellis his invenies absoluta opera, & illa quoque, quæ mirando non satiamur* PENDENTE TITULO *inscripsisse: ut* APELLES FACIEBAT, *aut* POLYCLETUS: *tanquam inchoata semper arte & inperfecta, ut contra judiciorum varietates superesset artifici regressus ad veniam, velut emendaturo quicquid desiderari*

In Præf. Nat. H.

sideretur, si non esset interceptus. Quare plenum verecundiæ illud est, quod omnia opera tanquam novissima inscripsere, & tanquam singuli fato adempti. Tria non amplius, ut opinor, ABSOLUTE, *quæ traduntur,* INSCRIPTA; *ille fecit, quæ suis locis reddam: quo apparuit, summam artis securitatem auctori placuisse, & ob id magna invidia fu ere ea omnia.* Sane in marmoribus apud Rupertum; ΦΙΔΙΑΣ, ΚΑΙ ΑΜΜΟΝΙΟC ΦΙΔΙΟΥ ΕΠΟΙΟΥΝ; ΛΥΣΙΠΠΟΣ ΕΠΟΙΕΙ; in alio apud diligentissimum doctissimumque Græciæ lustratorem, Jacobum Sponium; ΗΦΑΙΣΤΙΩΝ ΜΥΡΩΝΟΣ ΑΘΗΝΑΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ; in alio, quod publicavit Gronovius pater, cui plurimum litterarum studium debet, in notis Plinianis;

Ep 41. Rein.

ΑΓΑΣΙΑΣ ΜΗΝΟΦΥΛΟΥ ΕΦΕΣΙΟΣ ΕΠΟΙΕΙ.

Et in gemma tandem quæ citharistriam repræsentat apud Leonardum Augustini, ΟΝΗΣΑΣ ΕΠΟΙΕΙ occurrunt. Sed pendens ille titulus licet frequens admodum fuerit, attamen absolutus occurrit, non tantum in marmore nostro, verum etiam in alio apud Pighium & Gruterum

ΣΑΛΠΙΩΝ
ΑΘΗΝΑΙΟΣ
ΕΠΟΙΗΣΕ.

& in nummo Domitiani in quo repræsentatur naumachia, teste Erizzo; ΦΛΑΟΥΙΟC. CABINOC ΕΠΟΙΗΣΕ. Adeo ut nihil necesse sit cum Andrea Schotto inscriptionem appensam Nemesis statuæ contra Mss. fidem mutare & pro ΑΓΟΡΑΚΡΙΤΟΣ ΠΑΡΙΟΣ ΕΠΟΙΗΣΕΝ scribere ἐποίει. PRIENE autem urbs est, quemadmodum monui, Joniæ, posita in Cariæ confinio; unde ab Herodoto Cariæ adscribitur. Medius inter illam & Miletum Mæander sese in mare exonerat, uti docent Livius & Dionysius Periegetes Condita fuit ab Ægypto Nelei deductionis Jonicæ principe filio; civesque se ortos gloriabantur Helice, Achaiæ oppido; cujus rei in memoriam Jones in agro Prienensi Panionium sacrificium Neptuno, quia idem ibi colebatur, instituerunt; postea eo coloniam deduxit Thebanorum Philotas; unde & *Cadme* appellari cœpta, uti legere licet apud Strabonem, & Eustathium ad Dionysium. Duobus portubus fuit inclyta, quorum alter κλειστὸς vel *clausus* erat, observante Scylace; adhæc casibus variis & belli discriminibus obnoxia; Ardysque Gygis filius, & postea Mazares Cyri Persarum regis dux eam expugnavit. Natale illud solum habuit Pamphaes, qui Crœso privato adhuc triginta minas dono dedit; cui ille, postquam regno admotus fuit, currum argento stipatum remisit; uti narrant Nicolaus Damascenus in Excerptis, & Ælianus. Verum maxime eam nobilitavit Bias, unus e septem sapientibus; cujus justitia in proverbium abiit, quemadmodum Hipponax apud Strabonem testatur; & vitam conscripsit Diogenes Laertius. Gentile Græcis est, teste Stephano, πριηνεύς, πριήνιος, καὶ

Pag 401. — Ad Zenob. Cent. 5. Prov. 82. — Lib. 1. c. 142. — Lib. 14. & 9. — Herod. Lib. 1. cap. 15. & cap. 161. — L. 4. Var. c. 27.

πριηνιάς; Latinis proculdubio *Prienensis* vel *Prieneus*; quod ultimum apud Varronem, cui laudantur initio librorum de R. R. *Diodorus* & *Menander Prieneus*, nec non Ausonium exstat;

> *Bias Prieneus dixit,* οἱ πλεῖστοι κακοί:
> *Quod est Latinum, plures hominum sunt mali.*

Atque hæc puto sufficere marmoris præstantissimi explicationi; ut & unumquemque facili opera posse perspicere, non abs re esse, quod Artes & Virtutes tam excellentes Homero veluti patri & Deo honorem habeant. Et sane poetam in multis artibus præcipueque in carmine pangendo excelluisse tam persuasum fuit veteribus, ut illi, qui in alia aliqua arte excelleret, nomen ejus datum fuerit. Panætius apud Ciceronem, Platonem *divinum, sapientissimum* & HOMERUM PHILOSOPHORUM; Julianus Æsopum τῶν μύθων Ὅμηρον, vel *Thucydidem* vel *Platonem*; & Polemon Atheniensis, Homerum Σοφοκλέα ἐπικὸν, Sophoclem vero Ὅμηρον Τραγικόν appellant. Illud tandem eruditione sua meruit, ut Indi, quanquam id neget Maximus Tyrius, carmina ejus decantarint, teste Dione Chrysostomo; ut eum Philosophi, Rhetores, Grammatici, Poetæ, Geographi, Medici admirati sint, quemadmodum Eustathius monet; ut cujus mihi nomen excidit, auctor eum ita celebret; Οὐδεὶς οὔτε τῶν τὰ οὐράνια περιεργαζομένων, οὔτε τῶν περὶ φύσιν, οὔτε τῶν περὶ ἦθος, οὐθ' ἁπλῶς περὶ τοὺς λόγους ἐξωτερικοὺς, ὁποίους ἂν εἴποι τις, παρῆλθε τὴν Ὁμηρικὴν σκηνὴν ἀξεναγώγητος, ἀλλὰ πάντες παρ' αὐτῷ κατέλυσαν, id est. *Nemo neque eorum qui cœlestibus rebus, neque qui naturalibus, neque qui moribus, neque in genere qui sermonibus exterioribus* (vel disciplinis gentilium) *operam dant, qualemcunque designet aliquis, præteriit Homeri diversorium, sed omnes apud ipsum diverterunt:* ut qui Homerum non diligant μαίνεσθαι vel *insanire*, Protesilaus apud Philostratum testetur; ut in illo omnium artium vestigia aut perfecta aut certe non dubia reperiri scripserit Quintilianus, utque tandem idem indicendo virtutes ejus plusculis quidem, sed lectu dignissimis verbis extollere non dubitaverit. *Igitur ut Aratus* AB JOVE INCIPIENDUM *putat, ita nos rite cœpturi ab* HOMERO *videmur. Hic enim quemadmodum ex Oceano* (qua metaphora etiam utuntur Dionysius Halicarn. Maximus Tyrius & Eustathius) *dicit ipse amnium vim fontiumque cursus initium capere omnibus eloquentiæ partibus initium & ortum dedit. Hunc nemo in magnis subtilitate, in parvis proprietate superaverit. Idem lætus ac pressus, jucundus & gravis, tum copia tum brevitate mirabilis: nec poetica modo, sed oratoria virtute eminentissimus. Nam ut de laudibus, exhortationibus, consolationibus taceam; nonne vel nonus liber, quo missa ad Achillem legatio continetur, vel in primo inter duces illa contentio, vel dictæ in secundo sententiæ, omnes litium ac consiliorum explicant artes? Affectus quidem vel illos mites vel hos concitatos, nemo erit tam*

Lib. 1 Tusc. Q. — Orat. 7. Suid. — Diss. 7. Orat. 53. Init. procem. — Lib. 12. c. 11. — Lib. 10. c. 1 — Diss. 16. In proœmium.

indoctus, qui non in sua potestate hunc auctorem habuisse fateatur. Age vero nonne in utriusque sui operis ingressu paucissimis versibus legem procemiorum non dico servavit, sed constituit? Nam & benevolum auctorem invocatione dearum, quas præsidere vatibus creditum est, & intentum proposita rerum magnitudine, & docilem summa celeriter comprehensa facit. Narrare vero quis brevius, quam qui mortem nuntiat Patrocli? quis significantius potest, quam qui Curetum Ætolorumque prælium exponit? Jam similitudines, amplificationes, exempla, digressus, signa rerum & argumenta, cæteraque probandi & refutandi, sunt ita multa, ut etiam qui de artibus scripserunt, plurima earum rerum testimonia ab hoc poeta petant. Nam epilogus quidem quis unquam poterit illis Priami rogantis Achillem precibus æquari? Quid? in verbis, sententiis, figuris, dispositione totius operis, nonne humani ingenii modum excedit? ut magni sit viri virtutes ejus non æmulatione, quod fieri non potest, sed intellectu sequi. Verum hic omnes sine dubio, & in omni genere eloquentiæ procul a se reliquit, Heroicos tamen præcipue, videlicet quia clarissima in materia simili comparatio est.

EXPLICATIO VESTIMENTORUM

Quibus Artes & Diſciplinæ

HOMERO

Sacrum facientes amiciuntur una cum

ADDENDIS NONNULLIS

CUm Apotheoſi abſoluta, conſtituiſſem alii operi reſervare explicationem veſtium, quibus figuræ Marmoris tam viriles, quam muliebres ornantur; a ſententia partim typographi rogatu, partim amicorum, quorum in poteſtate vivo, hortationibus depulſus ſum. Ille enim juſtæ magnitudinis opus deſiderabat; hi male me cenſebant facere, ſi quæ parata habebam, diutius, &, ut canit Romanus Lyricus, nonum in annum premerem. Permiſi igitur me eorum voluntati; imo ut plenam ſatisfactionem pararem, impetum cepi non modo adjiciendi explicationem veſtimentorum; verum etiam alia venerandæ monumenta antiquitatis cum inedita, tum edita, ſed quæ ſubtiliorem, quanquam nec mea forte exacta plane, limam deſiderant. Tu igitur, Lector, qui non injucundam exhauſiſti materiam, HOMERUMQUE cælo illatum, omnium artium parentem ac choragum & *ſemperflorentem*, *potitumque ſceptra comitum Heliconiadum*, ſive poetarum, ut Lucretius canit, miratus modo es; accinge te etiam intricatiori, ſed tamen eruditæ materiæ; ſique alicubi in circumſepta tam denſis tenebris ſemita titubaverim, dirige greſſus, & erranti comiter viam monſtra. Quin & antequam Virginum ornatus mecum examines, *vittæ* & *infulæ* ſacerdotali exiguam operam da, atque ex Feſto, vel Atejo Philologo potius diſce eam STROPPUM appellari. *Stroppus*, ait, *eſt*, *ut Atejus Philologus exiſtimat*, *quod Græce* στρόφιον *vocatur*, *& quod ſacerdotes pro inſigni habent in capite*; *quidam coronam eſſe dicunt*, *aut quod pro corona inſigne in caput imponatur*, *quale ſit ſtrophium*. Prudentius *tortam infulam* appellat, & Virginibus Veſtalibus tribuit;

> *Interea dum* TORTA *vagos ligat* INFULA *crines*
> *Fataleſque adolet prunas innupta ſacerdos*:

Lib. 19 c. 30 Et Iſidorus ita de ea loquitur; *Infula eſt faſciola ſacerdotalis capitis alba in modum diadematis*, *a qua vittæ ab utraque parte dependent*, *quæ infulam vinciunt*. *Unde & vittæ dictæ ſunt*, *quod vinciant*. *Infula autem plerumque lata erat*, *plerumque tortilis de albo & cocco*. Empedocles apud Heſychium Mileſium gerit στρόφιον χρυσοῦν *ſtrophium aureum*; quod Suidas tamen στέμμα appellat: in nummo quoque Patiniani Theſauri, regis, vel Jovis caput, uti ex ectypo patet,



STROPPO ornatum occurrit; non ſecus ac Seuthis Thracis in alio apud Seguinum: adeo ut non abs re notet Artemidorus, illi imperium portendi, qui ſomniaverit caput ſe ingens habere, illudque cingi corona, ſtrophio, vel diademate: (Lib. 1. c. 18. Oneir.) τοῦ μὲν γὰρ ἀρχήν τινα προαγορεύει ἐν ᾧ δεήσει αὐτοῦ στεφάνου ἢ Στροφίου, ἢ διαδήματος. Apud Athenienſes ſacrificans puer ſimili ornatu erat inſignis, vel, ut Pollux loquitur (Lib. 8. cap. 9. S. 32.) ὑπὸ χλαμυδίῳ καὶ στροφίῳ περιέρχεται, *chlamydatus ſtrophioque cinctus circumit*, *ariſque ignem imponit*. Sunt igitur *ſtroppi* & *ſtrophia* diademata tortilia, nomen proculdubio a Græcorum στρέφω habentia; deque iis intelligendus eſt, prout eum emendat Salmaſius, Plinius Secundus: *Quædam coronæ per coronas currunt*: *tenuioribus utebantur antiqui* STROPPOS *appellantes*, *unde nata* STROPHIOLA; quibus verbis indicat hiſtoriæ naturalis ſcriptor, tænias tres pluresve inter ſe contortas, unam coronam vel diadema feciſſe; atque ita coronas per coronas, cum ſingulæ tæniæ coronarum vicem præberent, cucurriſſe. Illud autem ſingulare nonnullos apud Heſychium & Suidam στρόφιον *ſacerdotale* vel quod οἱ ἱερεῖς φοροῦσι appellare κίδαριν. Scilicet *Cidaris*, quamvis frequentiſſime pro pileo regio ſumitur, nihil aliud eſt, quam faſcia lata vel diadema,

quo reges Persarum, uti docuit idem Salmasius, tiaras cingebant; hinc quia *strophium* caput, ut κίδαρις tiaram ambit, videntur vocem hanc de *sacerdotali stroppo* etiam explicasse. [Ep. de Coma.] Notandum præterea Scaligerum ad Varronem in describendo „ apice,ita de *Stroppo* commentari; Sum- „ mum autem fastigium vocabant tutu- „ lum. Addebatur virgula ex felici arbo- „ re,quæ in Flaminibus dicebatur STROP- „ PUS; in Flaminicis INARCULUM. Neque enim ullum veterum audivi sic stroppum describere; ac præterea semper persuasus fui, *apicem* virgulam oleagineam esse, cujus summitati aliquid lanæ adjiciebatur. Servius: *Apex proprie dicitur in summo flaminis pileo* VIRGA LANATA, id est, *in cujus extremitate modica lana est*: [Ad lib. 2. Æn.] Festus; *Albogalerus ... cui affigebatur apex virgula oleaginea*. Suetonius quoque apud priorem Grammaticum *apicem pileum sutile* interpretatur, *circa medium virga eminente*: & ipse Virgilius *lanigeros apices* dixit; [L. 8. Æn. v. 664.] quæ loca inter se collata satis puto evincere; male virum illustrem virgulam ligneam *stroppum* appellare; & nullam ob causam apud Festum rescribere *in apice* pro *in capite*; id quod etiam Vossius observat. Sacerdotalem hunc stroppum TORULUM appellat mea ex sententia Amm. Marcellinus: [Lib. 29.] *Hac* (loquitur Hilarius) *linteis quidam indumentis amictus, calceatusque itidem linteis soccis*, TORULO *capite circumflexo, verbenas felicis arboris gestans, libato conceptis carminibus numine præscitionum auctore, cæremoniali scientia supersistit*: alibi: [Lib 16.] *Et Chonodomarus quidem nefarius belli totius incentor, cujus vertici flameus* TORULUS *aptabatur*: quanquam non ignorem Salmasium in brevibus, quas servo, ad auctorem eum notis ultimo loco intelligere vexillum flammeum, sive flammei coloris. *Torus* autem, unde *Torulus* descendit, tortum funem significat, [C. 136. de R. R.] uti ex Varrone, Servio, Isidoro & aliis auctoribus patet; indeque *torus*, vel lectus ex herbis tortis factus nomen accepit, uti recte docet Vir Doctissimus; [Synt. de Torq.] quem tamen nollem scripsisse lectos funibus tendere adeo insolens & inusitatum apud veteres fuisse, ut ingenti probro Alcibiadi verterentur. Nam ne vel Martialem vel Horatium vel Petronium, quippe quos hac in materia *veterum* numero non videtur habere, ad partes vocem; [Od α. v. 440] Grammatici τρητοὺς λεχέας Homeri, exponunt ἱμαντοδέτους; Lucilius apud Nonium *tres a Deucalione grabatos restibus tentos* celebrat; & denique Alcibiadis factum longe aliter interpretandum est. Neque enim talem ob lectum absolute carpitur; sed vitio ipsi vertitur quod in triremibus, in quibus lectos asseribus injicere solebant, fasciis vel institis ad mollius cubandum uteretur, Ἐκτομάς τε καταστρωμάτων ἐν τ͂ τριήρεσι, ὅπως μαλακώτερον ἐγκαθεύδοι κειρίαις, ἀλλὰ μὴ σανίσι τ͂ στρωμάτων ἐπιβαλλομένων; *incisuras constrati navis in triremibus, quo mollius cubaret, stragulis injectis fasciis vel restibus, non asseribus*. Atque ita quidem in Homero consecrato, & hastam puram tenente, ac sedente in Olympo nihil amplius notandum restat. Neque enim, ut multis probavi, mons hic Parnassus est; quem ex Phocide, ut hoc obiter moneam, in Peloponnesum male transfert doctissimus Reinesius. Ut enim Aristotelem recte a se emendatum fuisse doceat, [Lib. 1. c. 25. Var. Lect.] statuit silphium, magydarim dictum, nasci in Parnasso Achajæ monte, huncque Peloponneso Argivorum sedi contribui. Sed Philosophus optime se habet, nec verba ejus mutanda sunt. Nam postquam dixerat aspidis ictum ἐν λιβύῃ sanari non posse; addit, nasci ἐν τῷ σιλφίῳ *inter silphii frutices* ὀφίδιον, cujus remedium lapis est, ὃν λαμβάνουσι ἀπὸ τάφου βασιλέως τ͂ ἀρχαίων; *quem accipiunt a sepulchro regis cujusdam antiqui*. Vir tamen doctissimus rescribit Ἀργαίων: *Argivorum*, inseritque nomen regis Ἄργου; quia Argus Phoronei successor, Peloponnesi rex fuit; & magydaris in Parnasso Achajæ, quæ Peloponneso Argivorum sedi contribuitur, monte nascitur. Mihi autem Aristoteles de Cyrenaica, regione silphii ferace videtur loqui; & licet *magydaris* nascatur in Parnasso, non tamen percipio, qua ratione mons, quem omnis antiquitas Phocidi tribuit, in Peloponnesum possit transferri. Neque enim simile quid vel apud Plinium vel apud Theophrastum, quos laudat, invenitur; traduntque illi tantum, magydarim non in Cyrenaica regione, ubi scilicet verum silphium vel laserpitium venit; verum in Syria & monte Parnasso nasci. Sed, nisi plane fallor, *Achajæ* vox decepit virum πολυμαθέστατον. Nam proprie ita vocatur, ut notissimum, pars Peloponnesi, quæ adjacet Isthmo Corinthiaco, complectens Corinthiam & Sicyoniam; unde nonnunquam tota Peloponnesus ita vocatur, uti clare docet Dionysius Halicarnass. Paris apud Ovidium non aliter Laconicam partem ejus, nisi tamen totam quis intelligere malit, appellat; [Lib. 1. Ep. Herp. 16.]

> *O quoties dices; quam pauper* ACHAJA *nostra est!*
> *Una domus quasvis urbis habebit opes.*

& apud Censorinum legimus, *in Achaja Arcades* esse. [Cap. 19.] Postea hoc nomen latius patuit, & quam ante Ἑλλάδα, tunc *Achajam* vocarunt, & a Peloponneso distinxerunt, eoque nomine complexi sunt Atticam, Bœotiam, Phocidem, victa a L. Mummio Corintho, uti satis multis docuerunt viri eruditi. Cum igitur vel apud veterem, vel forte apud recentiorem, & quidem Martinium legisset Reinesius Parnassum *Achajæ montem* esse, [In Lex.] male primam, non autem posteriorem Achajam intellexit, & ut unus error alium parit, Parnassum Peloponneso adscripsit: quod si verum foret, jam *Hippocrene*, imo tota Bœotia ejusdem regionis partes forent; quia apud Vibium Sequestrum legitur: *Hippocrene Bœotiæ in Achaja*: & Eubœa adjaceret Peloponneso, quia Agathemerus scribit Eubœam παρὰ τ͂ Ἀχαιῶν esse. [L. 2. c. 4.] Sed, ut pergam, virgo Homero proxima, nec non illa, quæ sedenti coronam imponit, CUCULLUM in-

duuntur, affixum, ut videtur tunicæ interiori; quam optime quis cum Vopisco *palliolatam*, explicante Salmasio, vel *cucullatam* vocare possit. Eundem habitum mihi notavi in nummo, quem post doctissimum Seguinum hic exhibeo, nisi forte dicendum sit, tunicæ partem



superiorem in caput reductam & attractam esse. In ultimo segmento marmoris MNHMH induitur vestimentum exterius, paulo infra genua descendens, undique conclusum, syrma habens, & *cucullum*, qualis etiam occurrit in Cæsaris nummo, quem vulgavit Æneas Vicus:



Adeo ut mulierum etiam respectu recte glossarium vetus laudatum Wilthemio in Appendice ad Diptychon Leodiense, *capitium* explicet *summitatem tunicæ*. Multa autem de cucullis, vestibusque quibus affixi fuerunt, monuerunt Ferrarius, Solerius, aliique; & tunicam itidem cucullatam induitur figura apud Boissardum, cui subscribitur,

ET SECURA QUIES ET NESCIA FALLERE VITA.

ac *bardocucullum* tandem ex opinione Tristani, gerit Telesphorus vel Acesius in nummis Antonini, Commodi, Elogabali, & Decii; quorum binos apponendos, ad rem melius oculis subjiciendam, curavi.



Part. 2. Gemmæ. Num. 12. In Anast.

Neque aliter idem hic Deus inter Æsculapium & Hygiam stans cernitur apud Antiquarium Italiæ primum Leonardum Augustini. Similem in Chilperico rege habitum observat Chifletius; sed non satis caute ita interpretatur verba Philostrati; quippe in quibus ne cuculli quidem mentio: cum narret tantum Meleagrum chlamydem rejectam in humerum

A vel cervicem, ut expeditior venationi esset scilicet, habuisse; χλαμύδα τε κροκοβαφῆ ὑπὲρ αὐχένος κολπώσας. Quin & non aliter Æsculapii signum describit, ex mente Tristani, Pausanias; *Signum e quo sit vel ligno vel metallo, neve quis ejus fuerit artifex quisquam omnino possit agnoscere; nisi quis forte ad ipsum Alexanora referat:* φαίνεται δὲ τοῦ ἀγάλματος πρόσωπον μόνον, καὶ ἄκραι χεῖρες καὶ πόδες· χιτὼν γὰρ οἱ λευκὸς ἐρεοῦς καὶ ἱμάτιον ἐπιβέβληται; *Signi ipsius sola se facies, manus & imi pedes ostendunt: partes cæteræ* B *lanea tunica alba & pallio velantur.* At Telesphorus in nummis pallium non gerit; neque manus ejus conspiciuntur; adeo ut nequaquam, id quod magnus ille Antiquarius notat, talis conspiciatur in Nicaensium nummo Æsculapius; neque simili cultu, quem mox describit Pausanias, Hygia ornata sit; Ὑγείας δ' ἐστὶ κατὰ ταυτὸν ἄγαλμα· Οὐκ ἂν οὐδὲ τοῦτο ἴδοις ῥαδίως οὕτω περιέχουσιν αὐτὸ κόμαι τε γυναικῶν αἳ κείρονται τῇ θεῷ, καὶ ἐσθῆτος Βαβυλωνίας τελαμῶνες; *Sed & Hygiæ eodem* C *in loco simulacrum est. Hoc quoque non facile conspicias, velatum enim undecunque est, partim comis, quas deæ mulieres detonderunt, partim vero Babyloniæ vestis laciniis.* Vir contra doctissimus, sequens Amasæi versionem, putat κατὰ ταυτὸν significare, *eodem ferme habitu Hygiæ signum fuisse*; quam explicationem vel ipsa utriusque statuæ descriptio inter se collata rejicit. Quæ autem *laciniæ* vel τελαμῶνες ἐσθῆτος βαβυλωνίας, quibus ea velatur, sint, haud facile dictu est. Constat τελαμῶνας fuisse fascias, D vulnera, quibus alligabantur, & corpora mortuorum, vel aliæ res involvebantur. Hesychius; τελαμών, λῶρος, δεσμὸς ἢ φασκία; an igitur dicemus similiter Hygiæ statuam constrictam fuisse; id quod suadere quodammodo videtur effigies (nisi tamen serpente cingatur) quæ occurrit in nummo M. A. Antonini apud Tristanum: an fascias ornatus causa fuisse appensas? an denique vestem intelligi, quæ viis, tramitibus, vel lineis recte descendentibus esset ornata? quam in rem velim eruditiores inquirant. Quæ in secun- E do ordine, extenso dextræ manus indice, sinistra codicem tenens, canentis habitu sedet; tunicam χιστόν, & utroque in humero fibula constrictam gerit: Julius Pollux: ὁ δὲ χιστὸς χιτὼν περόναις κατὰ τοὺς ὤμους διῄρετο; *Tunica dissoluta*, ut vertit interpres, *fibulis circa humeros connectebatur*; qualem etiam σύμπερτον vel συμπόρπητον Græcos vocasse docuerunt Salmasius & Alb. Rubenius. Hæ tamen tunicæ, quarum partes superiores erant χιστοὶ vel apertæ nec sutura F commissæ, interdum plures fibulas, si nempe manicæ erant longiores, habuerunt; uti patet ex statuis, quas Electis suis inseruit Rubenius Philippus; atque ex Atheniensium mulierum habitu descripto ab Æliano; cujus verba laudans Rhodius nescio quare commentetur, eum muliebres VIDERI innuere tunicas; cum certissimum sit, de nullis aliis auctorem loqui. In nostra autem tunica una tantum fibula est, non secus ac illa qua or-

Lib. 2.

T. 1. p. 611

Lib. 8. c. 13.

Cap. 5. de Acea.

natur Livilla Germanici ſoror in gemma Tiberiana. Nodo huic vel fibulæ nomen proprium ΚΟΜΒΟΣ: Suidas; ὁ κόμβος τῶν δύω χειριδίων ὅταν τις ἅπτῃ ἐπὶ τὸν ἴδιον τράχηλον: id eſt, *Combus eſt duarum parvarum manicarum nodus, quum quis eas circa ſuum collum ligat*; ut vertit Portus Æmilius; qui ſimul ſuum illud toties repetitum N. L. vel *Non liquere* apponit. Mihi hæc verba videntur ſignificare, Græcos fibulam, qua parvæ manicæ, ſi modo eo nomine dignæ ſunt, in humeris conſtringebantur, κόμβον appellare. Sane κόμβος nodus eſt; & Heſychio ἐγκομβωθεὶς explicatur δεθεὶς, id eſt, *illigatus*, *vinctus*, *innodatus*, firmatque Apollodorus apud Auctorem M. Etymologici;

——— τὴν ἐπωμίδα
Πτύξας διπλῶς, ἄνωθεν ἐνεκομβωσάμην.

pro quo apud Suidam πτύξασα διπλῆν, tanquam mulier loqueretur, ſcribitur non incommodo ſenſu, quia ἐπωμὶς eſt veſtis mulierum propria, ut diſertis verbis teſtatur Julius Pollux. (Lib. 7. cap. 13. Onom.) Ut autem κόμβος clarius elucidetur, diſpiciendum eſt, quale veſtis genus *Epomis* fuerit; quod eo libentius facio, quia nemo, quantum equidem ſcio, hanc rei veſtiariæ partem ornandam ſibi vel elucidandam ſumpſit. (L. 1 c. 9. Cinni) Thomas quidem Gatakerus, vir eruditiſſimus, cenſet ex iis fuiſſe, quibus fœminæ indui ſolebant, cum vel oblectamenti cauſa ad hilaria agenda, vel ad ſpectaculum quoddam ſolenne in publicum foras prodirent. Sed ut hoc veriſſimum eſt, facileque auctoritate Chæremonis apud Athenæum poteſt firmari, ita nondum conſtat, quæ ejus forma fuerit. Ego arbitror veſtem vel peplo ſimillimam vel a peplo haud multum diverſam fuiſſe, & Apollodori ita vertenda eſſe verba;

——— *peplum*
Ubi duplicem complicaram, in humero conſtrinxi.

Ut enim peplus ſiniſtrum tegebat humerum, duaſque oras in dextrum adductas fibula connectebat; ita etiam epomis induebatur; atque exinde nomen ſortita eſt; quia vox iſta ſignificat τὸ ὑπερέχον τοῦ βραχίονος, *ſummam partem brachii*, vel humerum ipſum. Scholiaſtes Theocriti (Ad. Idyl. 15.) περονατρίδα exponit, τὸ πέπλον ἢ ἔνδυμα ὅπερ πρῶτον ὑπεζώννυντο; *peplum vel veſtem, quam primum cingebant*: εἴρηται δὲ, pergit, ἀπὸ τοῦ περονᾶσθαι καὶ τῆς ἐπωμίδος ἐπιλαμβάνεσθαι ὡς αἱ Μακεδονίτιδες: *deſcendit autem inde, quod fibula in humero connectitur, ut Macedonicæ*; id eſt, pepli mulierum Macedonicarum. Vocarunt igitur peplum ἐπωμίδα, quia in humero; περονατρίδα, quia fibula eadem in parte corporis conſtringebatur; unde & in Græco epigrammate δίβολον χλαῖναν περονατρίδα apud Salmaſium legimus. (In Vop.) In peplo autem fibulæ uſum fuiſſe variis locis docet Homerus, atque ad eum brevium Scholiorum auctor, nec non Euſtathius; cujus verba, quia elegantia admodum ſunt, adſcribam: πέπλον δέ φασί τινες τὸ ἐνταῦθα μέγαν καὶ περικαλλέα καὶ ποικίλον περιβόλαιον εἶναι, σκέπον τὸν ἀριστερὸν ὦμον καὶ ἔμπροσθεν καὶ ὄπισθεν συνάγον τὰς δύο πτέρυγας εἰς τὴν δεξιὰν πλευρὰν, γυμνὴν ἐῶν τὴν δεξιὰν χεῖρα καὶ τὸν ὦμον: (Ad Od 6. P. 1847.) *Peplum quidam ajunt magnum & perpulchrum & pictum pallium eſſe, tegens ſiniſtrum humerum* (male Rubenius Albertus vertit *dextrum*) *ante & pone adducens duas oras in dextrum latus, nudam ſinens dextram manum & humerum*. Quomodo ſi ornata mulier incedit, *lævorſum amicta* dicitur elegantiſſime & rariſſime: Martianus Capella: (Lib. 6.) *Et cum dicto proſpicio quandam fœminam luculentam, radium dextra, altera ſphæram ſolidam geſtantem*, AMICTAMQ. LÆVORSUM PEPLO, *in quo ſiderum magnitudines*. Unde patet quoad formam induendi, nihil a virorum chlamyde peplum diſcrepaſſe; quam ſiniſtrum quoque humerum texiſſe, in dextro fibula junctam hæſiſſe docuerunt Ferrarius & Rubenius; (In Amor.) firmatque clariſſimum Luciani teſtimonium: ὄρθριος ἀναστὰς ἐκ τῆς ἀζύγου κοίτης, τὴν ἱερὰν χλαμύδα τοῖς ἐπωμίοις περόναις συῤῥάψας ἀπὸ τῆς πατρῴας ἑστίας ἐξέρχεται: *mane ſe levans ex viduo lecto, ſacram chlamydem fibulis humeralibus connectens, a patria domo egreditur*. Atque hæc forte cauſa eſt, cur Virgilius Didonem *chlamyde Sidonia*, Tacitus Agrippinam *aurata*; Euripides contra Oreſtem *peplo* (quod nec obſervare omiſit Euſtathius) (Il B. pag. 171.) & Trebellius Pollio Saturninum *peplo Imperatorio* inſignes faciunt. Illud inſuper obſervandum, fœminas non ſemper peplos in humero dextro fibula, verum etiam in pectore junxiſſe; uti clariſſime patet ex Sophoclis Trachiniis; nummis Antonini Pii, & Caracallæ; (V. 131 Tit. 1 pag. 606. & Tit 2. pag. 225.) atque Grammatico vetuſtiſſimo Bibliothecæ Ambroſianæ Mediolani apud Rhodium; *Fibulæ ſunt quibus pectus fœminarum ornatur, a viris in humeris ceu cingulum in lumbis portantur*. (Il. Ξ.) Homerus quoque noſter canit, Junonem ἑανὸν ſeu peplum ad pectus aureis ἐνεταῖς vel fibulis conſtrinxiſſe; quem locum cum inſpicio, mirari ſubit, cur Doctiſſimus Rhodius, nullius auctoris teſtimonio ſuffultus, fibulam, cujus uſus in caligis eſt, proprie ἐνετὴν videri appellari ſcribat; cum Homerus contrarium doceat, & ἐνετὴν apud Suidam in v. Ἀλλικὰ chlamydi tribuantur. Hunc præterea κόμβον poſteriores Græci κομβίον videntur appellaſſe. Nam in Turco-Græcia Cruſii κόμβια exponuntur *fibula*; & Euſtathius ita commentatur ad Iliada K. Ἀμφὶ δ' ἄρα χλαῖναν περονήσατο, ὅ ἐστι περόναις ἤγουν κομβίοις συνέδησε. Nonnulli *calaſin* vocarunt: Feſtus; *Calaſis tunicæ genus, quod Græci καλάσιριν dicunt: alii dicunt nodum tunicæ muliebris, quo connexa circa cervicem tunica ſubmittitur*. Ultimorum ſententia Scaligero & Voſſio placet; ipſiſque *calaſis* eſt χάλασις, deducta voce ἀπὸ τοῦ χαλᾶν, id eſt, laxare; quia peplus in dextro humero nodatus, laxatur & partem illam corporis nudam relinquit; vel potius

quia supra humerum peplus consutus non est; unde & eidem Festo *Aclassis*, sive *Acalasis* exponitur, *tunica ab humeris non consuta*. Auctori M. Etymologici præterea ἐγκόμβωμα exponitur ὁ δεσμὸς τῶν χειρίδων; adjicitque ab Atheniensibus vocari ὄχθοιβον; in quo mirifice sibi contrarius est; quia Attici ὀχθοίβους nominabant limbos, quibus mulierum vestes prætexebantur, quemadmodum ipse in v. λῶμα, Hesychius, aliique Grammatici testantur. Melius longe est, quod notat, aliis κοσύμβην dici; cum & Hesychio vox ista exponatur δεσμὸς, ἀνάδεσμα, ἢ ἐγκόμβωμα; Suidasque κόσυμβον & κοσύμβην explicet ἀνάδεσμον vel κόμβον τῶν χειριδίων, *vinculum*, *nodum manicarum*. Atque ex hac, cujus vestitum explicare conatus sum figura, illis quæ in superiore & infimo segmento faces attollunt, quæ Homero coronam imponit, nec non aliis patet fœminarum tunicas sæpe manicis caruisse; & brachia earum usque ad primos humeros fuisse nuda; quod etiam non obscure liquet ex illa, quæ tertii ordinis prima sedet cithara canens, & altera, cui ΠΟΙΗΣΙΣ subscribitur; quanquam istæ tunicæ χίσοι non sint, sed in humero consutæ, ut αὐτοψία satis superque docet. Sic idem patet ex quatuor, quarum binæ alatæ sunt, imaginibus, quibus pectorale, ut sic loquar, Dianæ Ephesiæ ornari in ædibus Farnesianis docet nos Claudius Menetreius in explicatione Symbolicæ Dianæ statuæ. Verum intricatiore de vestitu materia parumper omissa, GLOBUS, in quem virgo digitum intendit, quid sibi velit, enodandum est. Ille igitur potest esse vel cœlestis vel terrestris; & virgo forte adstans cæli motus considerat; addens vero

> —— *Canit errantem Lunam, Solisque labores.*

& alia, quæ apud Virgilium sequuntur: vel indicat, uti Kircherus opinatur, Homerum poeti sua mundi opificium & omnia, quæ in eo sunt, divino quodam afflatu cecinisse; quo respiciens, ut antea docui, Silius Italicus tradit, eum *carmine terram, mare, sidera, manes complexum esse*. Non aliam, ut arbitror, ob causam Pythagoras in Samiorum æreo numismate apud Ursinum Fulvium manu globum columnæ impositum tangit; quam quia astronomiæ fuit studiosissimus, motuumque cælestium ab Ægyptiis & Chaldæis, testibus Porphyrio ac Jamblicho, causas edoctus; adeo ut & Plinius narret ipsum naturam sideris Veneris, sive Luciferi vel Vesperi primum deprehendisse. Quod si autem *sphæra* hic denotatur *cælestis*, observandum mundum non habere σχῆμα κωνοειδὲς neque ὠοειδές, uti putabant Orphicis sacris initiati, sed σφαίρας; id quod etiam censuit olim Empedocles, quemadmodum docet Achilles Tatius; qui inter cetera addit: ἐστὶν οὖν ὁ οὐρανὸς σφαῖρα· ὅθεν καὶ τὴν κύκλῳ φορὰν ποιεῖται, *Cælum est itaque sphæra, unde & in orbem movetur*: qua de re, ut & de sphæræ inventoribus multis

(L. 2. c. 8.) (In Isag. in Phæn. c. 7.)

agit Salmasius. Si autem globus terrestris intelligendus venit; constabit auctorem non eos secutum esse, qui terram oblongam, semicircularem, mensæ, caudæ, vel fundæ similem, uti videre licet apud Agathemerum, & Eustathium, verum rotundam faciebant. Nam ipsum Homerum ea in sententia esse memini me docere; & ne notissimos Ovidii versus advocem, Herodotus terram rotundam facit ὡς ἀπὸ τόρνου; quod tamen merito Eratostheni apud Strabonem displicet; quippe qui eam esse σφαιροειδῆ, & inæqualitates quasdam habere affirmat; quæ etiam Achillis Tatii sententia; σφαῖρα μὲν γὰρ ὁ οὐρανὸς· σφαιροειδὴς δὲ ἡ γῆ· διαφέρει δὲ ἑκάτερα· ἡ τὸ μὲν σφαιροειδὲς σχῆμα καὶ ἐξοχὰς ἔχει καὶ κοιλότητας· τὸ δὲ τῆς σφαίρας πανταχόθεν, ἴσον καὶ ἀπὸ τοῦ μέσου κέντρου ἐκβαλλόμενος εὐθείας εἰς τὴν ἐπιφάνειαν ἴσας ἔχον. *Sphæra quippe cælum est, sphæræ similis terra. Est autem utriusque discrimen. Nam sphæricæ similis figura partes quasdam eminentes habet, alias concavas. Sphæra undequaque est æquabilis; & sunt ab ejus centro ad extremum ambitum ductæ æquales inter se lineæ*. Hinc frequenter veteres per globum, tellurem denotabant, quam in rem quæ mihi notata sunt, adjicere non gravabor. In numismatis Julianus apud Tristanum, Caracalla apud Patinum globum tenens RECTOR ORBIS: Hadrianus LOCUPLETATOR & RESTITUTOR ORBIS TERRARUM dicuntur; quo pertinet Athenienses apud Athenæum ludis in honorem Poliorcetæ Demetrii institutis, ipsum pinxisse ἐπὶ τῆς οἰκουμένης ὀχούμενον, *orbe terrarum vectum*; & Julium Cæsarem ex decreto Senatus apud Dionem, ἐπὶ εἰκόνα τῆς οἰκουμένης χαλκῆν ἐπιβαθῆναι, *super imaginem orbis æream incedere*. Ex habito Cæsari honore factum est, ut *orbis* frequentissime in nummis ejus videatur; utque hic mos ad alios Imperatores, regni honorumque hæredes transiret. Capricornus, qui in Augusti, ut postea dictus est, ortum fulsit, ungulis orbem tenet; ut significarent illo sub signo MUNDI DOMINUM, quanquam aliter interpretetur Rubenius, natum esse. Tito equo insidenti *orbem* figura armata, & M. Junio Philippo Jupiter tribuunt; sæpeque Impp. eum manibus tenent, uti præter innumeros nummos testatur Hadriani apud Ferrarium statua. Huic postea Christiani Augusti crucem imposuere; ut significarent, quemadmodum narrant Cedrenus, Suidas, Codinus, se propter fidem in Christum terræ dominos factos esse; terram per globum denotarunt ob rotundam figuram; per crucem vero fidem, ob incarnatum Deum illi affixum, intellexerunt. Jam in Justini & Marciani nummis victoria altera manu corollam, altera globum, cui crux loco victoriæ, quam cæteroquin multi Christiani Impp. retinuerunt, gerit; adeo ut non satis caute hunc morem a Justiniano Magno repetat Joannes Meursius; nisi forte ille primus talem sibi statuam posuerit; priores autem nummis tantum orbem cruce decoratum insculpserint; quam in rem, ni fallor, pluri-

(Ad Sol.) (L. 1. c. 1. Ad Il. H. p. 690.) (Lib. 12.) (Lib. 43.) (In de Nat. Aug.) (Cap. 8. Man.)

bus inquirit Carolus du Fresne; cujus Glossarium ut eruditissimum est, & exspectationem eruditorum superat; ita optime ætatem feret, omnesque illud bonæ mentis capaces, optimo merito semper, dum manebit pretium litteris & antiquitati, admirabuntur. Crispi insuper Cæsaris in nummo apud Patinum cernitur orbis aræ vel basi impositus, cum Ins. BEATA TRANQUILLITAS; quia opera ejus debellatis Francis, Alemannis & Licinio, pax & tranquillitas orbi terrarum erat reddita. Et hinc clarum utique erit, cur Metio Pompusiano capitale fuerit circumtulisse *depictum orbem terræ in membrana*. Licet enim aliæ quoque causæ, ut quod Imperatoriam genesin habere dicebatur, concionesque regum ac ducum (quod male expositum Tomasino optime interpretatur Spanhemius) ex T. Livio circumferret, ipsum occidendi sævissimo tyranno fuerint; hanc tamen non minimam existimo, quia orbis dominus poterat velle videri, qui eum quotidie depictum secum habebat. ITALIA præterea in nummis Titi apud Erizzum, & Antonini apud Tristanum insidet globo terrestri, quia *rerum* erat, ut Rutilius canit, *Domina*; & propter Romam reliquæ omnes regiones, vel ut Romani loquebantur, totus terrarum orbis ipsi parebant. Et, quod notandum, nullæ aliæ provinciæ globum apud sese habent, unam si excipias Britanniam; quæ ut Antonini nummo orbi Oceano imposito insidet; & Hadriani eum pede premit; quia a reliqua Europa divisum regnum, *alter* quasi *orbis* habebatur & nominabatur, uti ex Servio, Floro, aliisque auctoribus patet. Et ne dicam Neptunum, Fortunam, Venerem, aliosque deos & deas in nummis orbem tenere propter imperium, quod in terram habere putabantur; ille qui in marmore conspicitur si terrestris est; terram & mare complectitur, quæ ab Homero descripta fuisse constat. Sic testatur Procopius statuam Justiniani πόλον vel orbem gestare, ὅτι γῆς τε αὐτῷ, καὶ θάλασσα δεδούλωται πᾶσα, *quia terra & mare ipsi subjecta est tota*: Tiberio Val. Maximus tribuit *maris ac terræ regimen*; Constantinusque Monomachus Joanni Episcopo Euchaitensi in Jambicis vocatur γῆς τε θαλάσσης κύριος καὶ δεσπότης. Nam, ut loquitur Strabo, ἡ γῆ ἐστι σφαιροειδὴς σὺν τῇ ὑγρᾷ φύσει, *terra est sphæræ similis cum aqua*.

In Differt. de Numis. Inf. ævi.

Suet. Dom. cap. 10. In vita Livii Differt. 9.

Ad Flor. l. 3. c. 3.

Lib. 1.

Cæterum ut ad vestes e diverticulo tandem redeam, & promissis fidem exhibeam; notandus diligenter ornatus, quo virgo digitum in globum intendens, insignitur. Nam, nisi plane fallor, est vestis ἑτερομάσχαλος, vel *Exomis*; quæ partim fuit tunica, partim pallium: Hesychius: Ἐξωμὶς χιτὼν ὁμοῦ καὶ ἱμάτιον; quia scilicet ab una parte μασχάλην id est *manicam*, ut vertunt eruditi, in quam brachium inserebatur, habebat; ab altera vero instar pallii vel chlamydis potius sive pepli induebatur: nisi diversas vestes describat Grammaticus; *exomidemque* ἱμάτιον respectu Philosophici pallii (quod ita appellatur) explicet, χιτῶνα vero, quia tunicæ etiam nomen erat. Pollux *exomidem* tradit esse περίβλημα καὶ χιτῶνα ἑτερομάσχαλον; neque aliter eam describit Auctor M. Etym. ἣν γὰρ ἑτερομάσχαλος καὶ ἀναβολὴν εἶχεν, ἣν ἀνέδουν τῷ κοσύμβῳ: *unicam enim manicam habebat, & pallium, quod constringunt nodo*; Quin & Hesychio ἑτερομάσχαλος χιτὼν exponitur δουλικὸς ἐργατικὸς ἀπὸ τοῦ ἑτέραν μασχάλην ἔχειν ἐῤῥαμμένην; id est, si Salmasium sequimur, *quod alteram alam habet fibulatam*, sive *nodo strictam*; ut tamen mihi videtur, *sutam*; quia licet ῥαφὶς *acum fibulæ* denotet, non tamen arbitror ῥάπτειν absolute unquam pro *fibula constringere* usurpari; unde & Lucianum vidimus συῤῥάπτειν περόναις dixisse. Hæc ut clarius percipiantur, notandum *exomidas* in genere dici viriles & proculdubio etiam muliebres tunicas manicis carentes; Gellius: *Viri autem Romani primo quidem sine tunicis toga sola amicti fuerunt: postea substrictas & breves tunicas citra humerum desinentes habebant, quod genus Græci dicunt ἐξωμίδας*; quales illæ sunt, quas antea in variis virginibus notavi. Inde hoc nomen datum etiam est vestibus, quæ relinquebant unum brachium & humerum nudum sive exertum, & ab altera μασχάλην parte corporis habebant; quam per vocem si intelligere volumus *manicam*, proculdubio Virgo, quæ ansam huic inquisitioni dedit, tali induitur vestimento; & si manicam excipias, etiam illa, quæ secunda ab Homero descendentis habitu & currentis supra antrum cernitur; quia & illa dextrum humerum exertum, & alterum latus, si brachium demissum foret, plane eodem vestimento tectum habet. Fuit & ἑτερομάσχαλος οἰκετῶν sive *servorum*, quam ab exomide videtur distinguere Pollux; quæque nisi plane fallor, conservatur in tabula Hieroglyphica, quam illustravit Joachimus Camerarius;

Lib. 7. c. 13.

Lib. 7. c. 12.

Lib. 7. c. 13.

Tuni-



Tunica enim quin ſit, dubitari nequaquam poteſt, quia corpus, non ſecus ac vulgaris, totum complectitur; & cingitur; eſt etiam ἑτερομάσχαλος, quia unam tantum manicam habet. Quin, ni fallor, additur etiam ἐγκόμβωμα, quod ſervorum tunicæ proprium eſſe teſtatur Julius Pollux: τῇ δὲ τῶν δούλων ἐξωμίδι καὶ ἱματίδιόν τι πρόσκειται λευκὸν ὃ ἐγκόμβωμα λέγεται ἢ ἐπίβλημα; *Servorum exomidi veſtis quædam affixa eſt alba, quæ ἐγκόμβωμα vel amiculum dicitur*. Nam illud eſſe puto, licet nonnulli chlamydem faciant, quod a tergo veluti vento agitatur, notatum littera A. quodque videtur fibulis forte annexum, tolli potuiſſe; quia Longus narrat Tityrum Philetæ filium ἐγκόμβωμα abjeciſſe, ut celerius iter conficeret: niſi tamen alia veſtis exterior ita vocata fuit; quomodo Varro apud Nonium puellis tribuit *encombomata*; quæ ῥαβδωτὰ, ut Gallorum *ſagula virgata* apud Virgilium, & *auro virgatas veſtes* apud Silium Italicum, facit Gatakerus. Sane puellarum encombomata, cultiora & elegantia aliqua inſignia fuiſſe docere videntur κομβώματα, quæ Suidæ ſunt καλλωπίσματα *ornamenta*; & κομβοῦσθαι, quod Epicharmo pro *ornari* uſurpatur; niſi hæc ſignificatio a veſtium nodis vel fibulis deſcendat; quæ κόμβους vocabant, & in quibus non minimus veſtium ornatus conſiſtebat, ut ex variis auctorum locis, & multis earum figuris apud Joannem Smetium, Laurentium Pignorium, Caſalium, & Rhodium patet; unde & factum forte ut περόνη a Phavorino explicetur κόσμος τίς; & fibulæ in jure vocentur *auro & arte pretioſæ*. Ut igitur fuerint ornatiores illæ virginum veſtes; tamen nondum perſpicio, quo auctore Gatakerus eaſdem *virgatas* faciat. Heſychio quidem κομβώματα ſunt τὰ ἐν ταῖς ῥάβδοις μικρὸν τόρνον ἔχοντα ὑπὸ τῶν παλαιῶν; ſed quamvis ex his verbis certi vix quicquam, ipſo fatente viro doctiſſimo, colligi poſſit, nullo tamen modo *encombomata virgata* nobis repræſentant. Nam Grammaticus ſcribit bullas & nodos in ſceptris vel baculis torno factos a Græcis κομβώματα appellari. Et tale ſceptrum Jupiter gerit in nummo Græco apud Choulium, in alio gentis Juliæ apud Urſinum; eorumque multus uſus in aula Conſtantinopolitana. Codinus Magno Domeſtico tribuit ſceptrum μετὰ τῶν κόμβων ἰνοκοπητῶν, *cum nodis fibratis*; Magni Ducis tradit habere κόμβους χρυσοῦς ἐγκόπτους καὶ κονδύλους ὡσαύτως χρυσοῦς; *bullas aureas inciſas, & ſimiliter condylos aureos*. Sed, ut finiam, Diana etiam in binis Commodi nummis percuſſis ab Epheſiis, atque ab incolis Raphiæ, apud Triſtanum, tunicam ἑτερομάσχαλον cinctam induitur, atque *expapillata*, ut Romani loquuntur, vel curru vecta, vel pedes venationi operam dat.

Lib. 4. c. 18.

Grut. p. 34. Inſ.

Lib. 2.

Illa quæ dextræ antri oræ incumbit, & admiratur quaſi Iliadem ac Odyſſeam cælitum numero adſcriptas eſſe *ſoleas* elegantes gerit. Nam, quemadmodum ex Caſtricio monet A. Gellius, *Soleas* dixere Romani *omnia id genus, quibus plantarum calces tantum infimæ teguntur, cætera prope nuda, &* TERETIBUS HABENIS *vincta ſunt*; unde Virgilius, Ovidius, Tibullus aliique sæpiſſime *vincula* vel *compedes* eas appellant, Græci vero σανδάλια; de quibus egerunt tam multis eruditi viri, ut ne quidem videantur ſpicilegium reliquiſſe. Quæ igitur Lyram in primo antro pulſat, zona, non ſecus ac aliæ, ſub ipſis mammis more mulieribus uſitato ſuccingitur; Apulejus: *Ipſa linea tunica mundule amicta, & ruſſa faſciola prænitente, altiuſcule ſub ipſas papillas ſuccinctula*. Nihil frequentius in nummis occurrit; ipſique adeo viri ita interdum cinguntur, uti clarum eſt ex Her-

Lib 13. cap. 21.

Lib. 2.

cule tragico apud Gasalium, nec non homine, qui in marmore tragœdiam repræsentat. Induitur præterea tunicam talarem manicatam, qualem fere GAVIA gerit apud Onuphrium, & mulieribus convenire monet A. Gellius: *Tunicis uti virum prolixis ultra brachia & usque in primores manus ac prope in digitos, Romæ atque omni in Latio indecorum fuit. Eas tunicas Græco vocabulo nostri chirodotas appellaverunt: feminisque solis vestem longe lateque diffusam decoram existimaverunt, ad ulnas cruraque adversus oculos protegenda.* Latini *stolam*; vestem exteriorem *pallam* vel *pallium* vocant; ut plerique eruditi censent, excepto Rubenio, qui *stolas* non tunicas, sed pallia muliebria, sive, ut Græci loquuntur, *ἀμπεχόνας* facit: quam in virorum eruditissimorum litem ut non inquiro, ita Ciceronem video, atque Petronium *togam virilem*, & *stolam*, tanquam ejusdem generis vestes, opponere; contra Varronem ita loqui: *Accedit quod quæcunque usus causa ad vitam sunt adsumpta, in heis utilitatem quærimus, non similitudinem. Itaque in vestitu cum dissimillima sit virilis toga tunicæ muliebri, stola pallio, tamen hanc æqualitatem sequimur nihilominus:* ubi legendum, *virilis toga tunicæ, muliebris stola*: id est, licet toga virilis ac tunica; stola itidem muliebris & pallium plurimum inter se differant, tamen ab eodem eademve propter utilitatem sumuntur.

In Ant. Vet. Lib. 7 c. 12.

Lib. 7. de L. L.

LYRA supra ostium antri quare ponatur, sat multis a me ostensum est. Addo tantum *λύραν ὀκτάχορδον* celebrari Theoni Smyrnæo cap. 6. de Musica; & Ismaelem Bullialdum corrigere decretum Lacedæmoniorum adversus Timotheum Milesium in notis ad auctorem laudatum: insignemque locum de chordarum in Lyra multitudine exstare apud Nicomachum lib. 2. Enchiridii.

PILEUS in medio antri ore positus, licet satis explicatus sit, tamen iterum ad partes vocandus; quia ansam præbebit in alios pileos, & morem, quo Græci capita valebant, inquirendi breviter. Communiter igitur capite aperto incedebant, uti vel patet ex viro, qui prope antrum stat. Sic apud Lucianum Anacharsis dicit consulto se domi τὸν *πῖλον* reliquisse, ne solus inter Athenienses peregrino habitu esset; interrogatque Solonem, quomodo ille confecta fere ætate τὸν *ἥλιον δὲ μακρῶς* perferre posset, cum contra ipse sudore difflueret, & *ἐμπίπτοντα γυμνῇ τῇ κεφαλῇ* vix perferret. Quando autem caput tegere vellent, attrahebant in illud summam pallii partem, uti patet ex homine qui TRAGOEDIAM, nisi tamen distincta vestis sit, repræsentat. Ulysses apud Homerum

In Gymn

Od. Θ. v. 84

> Πορφύρεον μέγα φᾶρος ἑλὼν χερσὶ στιβαρῇσι,
> Κακκεφαλῆς εἴρυσσε, κάλυψε δὲ καλὰ πρόσωπα.
> *Purpuream magnam vestem prehendens fortibus manibus*
> *Traxit in caput, & texit pulchros vultus.*

Et Hippocrates ἐν τῇ *εἰκόσιν ἱστορεῖται τὸ ἱμάτιον ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀναβεβλημένος, καὶ σκεπόμενος, in statuis cernitur* (male vertitur *traditur*) *pallium in caput rejectum habens, & tectus; vel quia hic ejus mos esset, vel propter peregrinandi studium quo flagrabat, vel ob peculiarem ἐν ταῖς χειρουργίαις morem*; uti Suidas loquitur. Quin & teste Sorano non modo tecto capite pingebatur, verum etiam *ἐν πίλῳ, ὃ παράσημον εὐγενείας, καθάπερ Ὀδυσσεύς, pileatus, ut Ulysses, quod nobilitatis est insigne*. Atque ita quidem communiter Græci capitibus apertis incedebant. Fuerunt tamen & homines, qui variis temporibus illa velabant; variorumque populorum celebrantur pilei. Nam qui opus rusticum faciebant sive rustici *κυνῇ* utebantur: Homerus patri Ulyssis *αἰγείην κυνέην* tribuit, id est, *pileum ex lana vel pelle caprina*: nam recte Eustathius scribit esse *κυνέην* non pugnæ utilem, sed simplex *κάλυμμα τῆς κεφαλῆς*; alibique *κοινῶς λεγόμενον σκιάδιον· ὅπερ Ἡσίοδος πῖλον ἀσκητὸν* appellat; nempe in Operibus

In Vita Hipp.

Od. ω. v. 230.

> —— κεφαλῆφι δ' ὕπερθεν
> πῖλον ἔχειν ἀσκητόν, ἵν' οὔατα μὴ καταδεύῃ
> —— *supra caput vero*
> *Pileum habeto elaboratum, ne aures humefiant.*

Atque ita Suidæ *κυνέη* exponitur *περικεφαλαία, τῶν ἀγροίκων φόρημα*; quam eandem Helotibus etiam Lacedæmoniorum tribuit Myron teste Athenæo. Apud Athenienses ephebi, uti tradit Pollux, *πέτασον* gerebant; *τὸ δὲ ἐφήβων φόρημα πέτασος*: & in theatris sedentes Æginetæ etiam videntur idem capitis tegmen sumpsisse. Nam Suidas testatur Draconem, cum apud eos in theatro propter leges latas laudaretur, ab injectis *εἰς τὴν κεφαλὴν πετάσοις, tunicis, & palliis* suffocatum esse: & alibi in *ἐπιφανῶς ἀγωνισαμένους* vel *egregie certantes, πετάσους καὶ ζώνας* honoris n. causa jactos esse: nisi hoc ultimum solos ephebos gymnasio operam dantes respiciat, quos petasum sumpsisse ex Maccabæorum libris docet Salmasius; quanquam non ignorem alios aliter interpretari. Ut autem Lacones præcipue in bello pileis utebantur, ita & *Thessalici* laudantur; verum non ut illi referebant ovum medium, sed erant ampli, orasque latas habebant; unde *ἡλιοστερὴς κυνῆ Θεσσαλίς* vocatur Sophocli; exponiturque Scholiastæ *πλατύπιλος*; Suidæ vero *πετασός*, alibique eidem *πλατύπιλος* est *κυνῆ Θεσσαλίς*. Et ne quid de *causia*, quam Eustathius facit *κάλυμμα κεφαλῆς Μακεδονικὸν ἐκ πίλου ὡς τιάραν*; de Getis & Hispanis, quos capita velasse ex Ovidio & Seneca constat, dicam, laudantur etiam *pilei Arcadici*. Docui in Observationibus eos celebrari Valerio Flacco,

Lib. 14.

In v. πετασμ.

In Oed. Colon.

Ad Il. B.

> *Ille virum ut contra venientem umbrataque vidit*
> *Tempora, Parrhasio patriæ de more galero.*

nam *Parrhasia* urbs est Arcadiæ: Quin & eorum meminit Arrianus; *ἢ πῖλοι Λακωνικοὶ ἢ Ἀρκαδικοί*: & licet nusquam

c. 4. Tact.

se invenire testetur doctissimus editor, tamen illos observo non modo apud Flaccum, verum etiam auctorem veterem, cujus verba laudat Suidas: ἦν δὲ ἐσθὴς αὐτῷ, φαιὸς χιτὼν ποδήρης· περὶ αὐτὸν ζώνη Περσικὴ καὶ πῖλος Ἀρκαδικὸς ἐπὶ τῆς κεφαλῆς; *Vestis ejus* (Menippi Cynici) *fuit pulla tunica talaris, circa eam zona Persica, & pileus Arcadicus in capite*; apud Statium:

In v. φαιός.

L. 4. Th.

> *His arcus, his tela sudes, hic casside crines*
> *Integit*: ARCADII *morem tenet ille* GALERI.

& tandem apud Polyænum: πῖλον ἀρκαδικὸν ἐπιθέμενος (Polysperchon) καὶ τρίβωνα διπλοῦν ἐμπορπησάμενος καὶ βακτηρίαν λαβὼν ἔφη πρὸς αὐτούς: *Pileum Arcadium imponens, pallium duplex induens, accipiensque baculum dixit ad eos. Qui nos in periculum vocant, commilitones, ejusmodi sunt homines.*

VIRGO, quæ Odysseam repræsentat fascia, circa quam capilli convoluti sunt, caput cinctum habet; quam non modo *vittam*, verum etiam *diadema* appellant: uti Varro apud Festum ex emendatione Scaligeri: *Mulieres opertas auro, purpuraque: arsinea, rete, diadema, coronas aureas, russeas fascias, galbeos, lineas, pelles, redimicula*: Nemesianus,

> *— implicitos cohibe diademate crines.*

& Prudent. lib. II. in Symm.

> *— Crinalis acus, redimicula, vittæ:*
> *Fibula, flammeolum, strophium, diadema, monile.*

Lucretius *anademata* vocat;

> *Et bene parta patrum fiunt anademata, mitræ.*

Antro adstans ignotus vir tunicam atque pallium gerit: quod luce meridiana clarius patet quadratum esse, vel ex panno quadrato constare, & quatuor angulos habere; duos in superiori, duos in inferiori ora; quomodo pallium describit Albertus Rubenius. Sane hic bini duarum extremitatum anguli dependent, unus usque genua, alter usque pedes; reliquos autem, uti ex circumjectione patet, manu & brachio sinistro continet homo noster. Quin & eandem formam observes in pallio TRAGOEDIÆ, nec non in veste, qua Homerus in Olympo residens inferiorem partem corporis habet velatam. Appianus scribit M. Antonium στολὴν τετράγωνον ἑλληνικὴν ἀντὶ τῆς πατρίου, id est, *Pallium pro toga sumpsisse*: Tertulliano *pallium* vocatur *extrinsecus habitus & ipse* QUADRANGULUS: illudque ita loquens introducitur; *omnis Liberalitas studiorum* QUATUOR MEIS ANGULIS *vestitur*; id est, omnes qui studiis operam dant, ut Philosophi, aliique me quatuor latera & angulos habens, induunt. Neque enim, ut verum fatear, ego percipere possum, quomodo

Lib. 5. c. v.

Supplem. Tom. II.

res aliqua τετράγωνος dici possit, nisi quatuor vel æqualia vel inæqualia latera habeat; & quicquid commententur viri doctissimi, arbitror hanc simplicissimam verissimam *quadratarum vestium* explicationem esse. Sic Dionysius Halicarnassensis Lydorum & Persarum Regum pallia facit τετράγωνα τῷ σχήματι; & Strabo haud multo aliter chlamydem describit; quia terram probat esse τετράπλευρον; illique mox tribuit σχῆμα χλαμυδοειδές, *figuram chlamydi similem*; licet revera chlamys non plane fuerit quadrata, ut ut quatuor angulos habuerit. Verum operæ pretium me facturum arbitror, si quæ de veste ea mihi notata sunt adjiciam; & aliquam lucem cum ipsius tum Alexandriæ formæ afferam. Fuit igitur CHLAMYS vestis exterior, in humero plurimum dextro fibula juncta; ita ut lævam tantum corporis partem amiciret: Isidorus; *Chlamys est quæ una parte induitur, neque consuitur, sed fibula infrenatur*; unde patet quam facile dimicaturi potuerint illam colligere, & brachium sinistrum ea loco scuti munire; ut Alcibiadem fecisse memoriæ mandat Plutarchus; τῇ γ' ἀριστερᾷ χειρὶ τὴν ἑαυτοῦ χλαμύδα περιελίξας, τῇ δεξιᾷ σπασάμενος τὸ ἐγχειρίδιον ἐξέπεσεν: non quod putem cum Jano Ulietio, viro doctissimo chlamydis inferiorem partem syrmatis instar dependisse, & militiæ id maxime habuisse usum, ut non caudam illam, quod delicatorum erat, pro impedimento traherent, sed etiam involuto chlamyde brachio ictus, scuti vice, exciperent. Nam nummi, lapides, ipsa denique ratio evincit militantium chlamydes nullum syrma vel caudam habuisse; sed ad genua vel paulum infra ea descendisse. Quæ autem fuerit ejus forma, disputant inter se eruditi: *Macedonicam* a reliquis diversam faciunt alii, alii easdem; Salmasius & Ferrarius illam inferiore parte censent fuisse conclusam, reliquas apertas; Petavius & Rubenius apertas omnes. Quarum opinionum quæ amplectenda sit, Ammonii verba diligenter examinata docebunt: χλαμὺς, ait, καὶ χλαῖνα διαφέρει, καθὸ διὰ πολλῶν ἀπέδειξε Δίδυμος ἐν ὑπομνήματι δευτέρῳ Ἰλιάδος· ἡ μὲν χλαῖνα ἡρωϊκὸν φόρημα. Χλαμὺς δὲ Μακεδονικὸν, μετὰ ἑξακόσια ἔτη τῶν Ἡρωϊκῶν ὀνομασθεῖσα. Σαπφὼ αὕτη γὰρ μέμνηται τῆς χλαμύδος διαφέρειν φησὶ καὶ τῷ σχήματι· ἡ μὲν γὰρ χλαῖνα τετράγωνόν φησιν ἱμάτιον; ἡ δὲ χλαμὺς εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνῆκται; id est, *Chlamys & Chlæna differunt, ut multis ostendit Didymus ad librum Iliados secundum: chlæna enim vestimentum Heroicum, chlamys Macedonicum, post sexcentos ab Heroicis* (alii l. τρωϊκῶν) *nominatum. Sappho enim ipsa* (parum abest quin scribam πρώτη, *prima*, quia sæculo post Trojam expugnatam sexto extremo floruit illa) *Chlamydis mentionem facit. Dicunt & differre figura; chlænamque esse vestem quadratam; Chlamydem vero plane in imo in angustum cogi vel coartari.* Ultima Ammonii verba motus præcipue dederunt, virique maximi ut in diversas abirent partes, fecerunt. Alii enim explicant *in extrema*

Lib. 3.

Lib. 2.

parte undique clauditur; alii; *in infima solum parte rotunda*: alii denique; *in imo in angustum cogitur*; ita ut cunei fere formam & trigonum magis quam tetragonum referret, quam ultimam Ulietii expositionem ego fere, utpote Græcis verbis convenientissimam, secutus sum. Nam συνάγεσθαι dicitur res, quæ cum lata sit, ad finem in angustias coit. Eustathius scribit terram habitabilem ἐφ' ἑκάτερα μὲν εὐρύνεσθαι, ἐπὶ θάτερα δὲ συνάγεσθαι εἰς ὀξύτερον; *utrinque dilatari, alias autem partes in angustias coire*; id est, latiorem inter septentrionem & meridiem esse, arctiorem ab ortu & occasu: Strabo χλαμυδοειδὲς σχῆμα τῆς οἰκουμένης facit, quia, ut ipse loquitur, *extrema longitudinis utrinque in angustum coartantur mari alluente*; & alibi ita loquitur: λέγεται δὲ καὶ χλαμυδοειδές πως τὸ σχῆμα· πολλὴ γὰρ συναγωγὴ τοῦ πλάτους πρὸς τοῖς ἄκροις εὑρίσκεται, καὶ μάλιστα τοῖς ἑσπερίοις; *Dicitur autem hæc figura chlamydi similis; nam in extremis latitudinem valde contrahi animadversum est, præcipue in occiduis*. Cum igitur terra habitabilis sit chlamydi similis, cum Orientales & Occidentales ejus partes coartentur, sequitur hanc fere chlamydis formam; partesque notas litteris A. B. fibula in humero dextra junctas fuisse; optimeque veteres dixisse eam εἰς τέλειον περὶ τὰ κάτω συνάγεσθαι.


Ad Dion


Lib 2

Explicationem sane meam vel veram vel vero proximam esse, fidem faciet Alexandriæ situs Plinio Secundo memoratus: *Metatus est eam Dinocrates architectus pluribus modis memorabili ingenio, xv. millia passuum laxitate insessa, ad effigiem Macedonicæ chlamydis, orbe gyrato laciniosam, dextra lævaque angulos procursu, jam tum tamen quinta situs parte regiæ dicata*. Non igitur circulari forma ad instar aliarum urbium exstructa fuit μέγα τοῦ Μακεδόνος ἄστυ, uti Alexandriam vocat Zacharias Episcopus Mitylenes; sed *orbe gyrato laciniosa*; ita ut in medio orbem referret, atque ab utraque parte lacinias haberet, vel dextra lævaque angulose procurreret. Hanc meam expositionem firmat plane Plutarchus; cujus alioquin verba eruditione præstantes viri obscura judicant; quorumque sensum parum videntur percepisse: τῇ δὲ ἀλφίτων λαμβάνοντες ἐν πεδίῳ μελαγγείῳ κυκλοτερῆ κόλπον ἦγον, οὗ τὴν ἐντὸς περιφέρειαν εὐθεῖαι βάσεις, ὥσπερ ἀπὸ κρασπέδων εἰς σχῆμα χλαμύδος ὑπελάμβανον, ἐξ ἴσου συνάγονται τὸ μέγεθος; id est, ut vertunt; *Polenta in campo nigro usi ad effigiem metati sunt chlamydis orbe gyrato laciniosæ sinum, cujus esset ab directis basibus æqualibus procursus*. Tu, Lector, ut clarior locus sit, observa κυκλοτερῆ κόλπον, *orbem gyratum*; cujus τὴν ἐντὸς περιφέρειαν, seu *in-*

Lib. 5.c.10.

In Dial.





teriorem ambitum, rectæ baſes, non ſecus ac laciniæ excipiebant, faciebantque chlamydis figuram, æqualiter contrahentes τὸ μέγεθος, id eſt, quæ ab utraque parte æqualiter contrahebantur vel coartabantur. Strabo non aliter interpretandus eſt: Ἐστὶ δὲ χλαμυδοειδὲς τὸ σχῆμα τοῦ ἐδάφους τῆς πόλεως. οὗ τὰ μὲν ἐπὶ μήκους πλευρά ἐστι τὰ ἀμφίκλυστα, ὅσον τριάκοντα σταδίων ἔχοντα διάμετρον. Τὰ δὲ ἐπὶ πλάτος οἱ ἰσθμοί, ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων ἑκάτερον, σφιγγόμενος τῇ μὲν ὑπὸ θαλάττης, τῇ δὲ ὑπὸ τῆς λίμνης: *Urbis ſolum chlamydis figuram habet; cujus latera quæ in longum tendunt, aqua circum alluuntur 30. fere ſtadiorum habentia diametrum; latera vero quæ in latum ſunt, iſthmis ſtringuntur ſeptem octove ſtadiorum, qui hinc mari illinc lacu alluuntur*. Diodorus quoque Siculus urbi duos aditus anguſtos tribuit, qui ſunt Plutarchi *baſes*, Strabonis *iſthmi*, quique faciunt ut chlamydis formam referat. Ἀνὰ μέσον γὰρ ὢν μεγάλης λίμνης καὶ τῆς θαλάττης, δύο μόνον ἀπὸ τῆς γῆς ὁδοὺς στενὰς ἔχει, καὶ παντελῶς εὐφυλάκτους. τὸν δὲ τύπον ἀποτελῶς χλαμύδι παραπλήσιον; *Cum enim hinc lacus, illinc mare mediam complectatur, duos tantum aditus a terra eoſque anguſtos & facillimo præſidio tutandos habet: formamque urbis chlamydi ſimilem efficit*. Quæ ut clarius ob oculos ponantur; figuram Alexandriæ, & auctorum verba ex quibus diligenter penſitatis eam, non tamen ad Euclidis præcepta conſtruxi, apponendam curavi.

Lib. 17.

Lib. 17.

AA. Sunt *anguloſi procurſus* Plinii: εὐθεῖαι βάσεις Plutarchi: ὁδοὶ στεναὶ Diodori: τὰ ἐπὶ πλάτος οἱ ἰσθμοὶ ἑπτὰ ἢ ὀκτὼ σταδίων ἑκάτερος; *latera quæ in latum ſunt; iſthmis ſtringuntur ſeptem octove ſtadiorum, quos hinc mare illinc lacus alluit*, Strabonis. Qui tamen ultimi non tam urbis partes, ut priores, deſignant; quam qui eas vel anguloſos procurſus ſequebantur, iſthmos; per quos aditus ad urbem patebat; quod monere volui, ne quis cenſor nimium rigidus & ſeverus carperet.

BB. Notant τὴν ἐντὸς περιφέρειαν *circuli*; ſeu κυκλοτερεῖς κόλπους Plutarchi: atque *interior circulus* ideo vocatur, quia anguloſi procurſus illi juncti ſunt.

CC. *Orbem gyratum* Plinii: κυκλοτερῆ κόλπον Plutarchi: ἀνὰ μέσον Diodori Siculi: ἐπὶ μήκους πλευρὰ Strabonis, ſi nempe bina illa latera integra conſiderentur, quatenus mari vel lacu alluuntur.

DDD. Mare mediterraneum.

FFF. Paludem Mareotim; adeo ut vere ſcribat Alexandriam undique muniri ἢ δυσβάτοις ἐρημίαις, ἢ θαλάσσαις ἀλιμένοις ἢ ποταμοῖς ἢ ἕλεσιν, *aut inacceſſis ſolitudinibus, aut importuoſo mari, aut fluviis aut lacubus*.

H. Hic alicubi fuit magnus portus, cujus ad dextram erat ingredientibus inſula Pharos, ad lævam cautes; & Lochias promontorium in quo regia eſt. Hic portus diligentiſſime, non ſecus ac alii exitus, ſub Ptolomæis a cuſtodibus obſervabantur, nec quiſquam poterat ἄνευ προστάγματος *ſine mandato*; uti teſtatur Strabo l. 2. ſolvere.

I. I. Viæ duæ latiſſimæ, quæ ſeſe medias ad rectos angulos ſecant; Strabo p. 793. quæque columnis erant utrinque ornatæ; Achilles Tatius initio libri quinti, de Amoribus Leucippes.

L. Locus ille, quo cum multa ſtadia progreſſus Clitophon perveniſſet, aliam ſe civitatem videre putabat; cujus pulchritudo hoc pacto diſtinguebatur; ut quam longus eſſet columnarum in rectum diſpoſitarum ordo, tam longus alius ſeſe in obliquum intuentibus offerret; teſte eodem Achille Tatio; qui addit ab Alexandro illi nomen fuiſſe: ἦλθον εἰς τὸν ἐπώνυ-

μον Ἀλεξάνδρου τόπον. Et proculdubio ita vocatus fuit, quia ibi vel in urbe media fuit Alexandri Magni conditorium; uti docuit Casaubonus ad Suetonii Augustum. Sed quem ille *Didymum* vocat, is *Zenobius* est, uti patet ex centuria III. Prov. 94. qui tamen sua ex Didymo & Tharrhæo hausit, quemadmodum initio operis ipse testatur. Conditorium hoc ingressus fuit Augustus, ut puto, & corpus Alexandri inspexit, coronaque aurea imposita & floribus aspersis veneratus est, Dione & Suetonio testibus. L. Septimius Severus illud clausit, ἵνα μηδεὶς ἔτι μήτε τὸ σῶμα τούτου ἴδῃ, *ne quisquam corpus ejus videret in posterum:* quod factum oscitanter satis Suidas Severo sophistæ tribuit, uti notavit Salmasius ad H. Augustam. Aperuit postea Severi filius Caracalla; nam, ut scribit Joannes Antiochenus, *ingressus est* μνῆμα *Alexandri, demptum sibi paludamentum purpureum cum annulo & balteo. & si quid præterea pretiosius gerebat*, ἐπέθηκε τῇ ἐκείνου σορῷ *solio ejus imposuit*. Sed & notandum hoc monumentum videri exstructum esse a Ptolomæo Philopatore. Is enim ob conjectam in custodiam Berenicem, ubi illa injuriæ impatiens venenum hausit, insomniis turbatus, *media in urbe* monumentum construxit, quod Σῆμα tempore Zenobii vocabatur: inque eo majores una cum illa condidit, καὶ Ἀλέξανδρον τὸν Μακεδόνα. Hac quoque occasione examinandus alius ejusdem parœmiographi locus Prov. XXIV. Centuriæ V. ubi narrat Naeræ & Chermiones statuas πρὸ τοῦ βήματος τῆς Κλεοπάτρας, ὃ καλεῖται Μαυσωλεῖον fuisse positas. Nam vel hic scribendum itidem σήματος; vel βῆμα; quod tamen vix credo, eo sensu sumitur, quo *solium* fere apud Florum eadem in historia & alios.

M. Porta Solis.

N. Porta Lunæ. Nam has sibi obversas fuisse tradit Achilles Tatius; easque in his urbis partibus colloco, quia navibus ad Solis portam se pervenisse narrat Clitophon. Ex Nilo enim per fossam manufactam in paludem, ex palude in portum, qui ad portam Solis erat, naves appellebantur, uti patet ex Strab. p. 793. & clarissime p. 800. *E Canopica porta exeunti ad dextram est fossa, quæ lacui jungitur, & Canopum fert: per lacum vero in flumen* (Nilum) *& Canopum & ad Schediam navigatur*. Arrianus libro tertio testatur Alexandrum Canopum cum venisset κατὰ τὴν λίμνην τὴν Μαρίαν navigasse: & Strabo pag. 801. inter Alexandriam & Canopum terrestre iter esse centum & viginti stadiorum; Κάνωβος δ' ἐστὶ πόλις, ἐν εἴκοσι καὶ ἑκατὸν σταδίοις ἀπὸ Ἀλεξανδρείας πεζῇ ἰοῦσιν. Sed quia paludis Alexandrinæ, vel lacus Mareotis mentio occurrit, quia & Alexander Magnus illam navigavit; nequaquam omittendum, Suidam memoriæ mandare Alexandro vehementem imbrem tunc temporis diadema decussisse, eumque ægre evasisse: Εἰς δὲ τὴν λίμνην τὴν ἐν Ἀλεξανδρείᾳ ἀφικόμενος, τὸ διάδημα ἀπέβαλεν ὄμβρου καταῤῥαγέντος, καὶ μόλις ἐπὶ τὴν γῆν διενήξατο. Sed cum omnes auctores testentur, Persis primum debellatis & Dario occiso eum diadema sumpsisse, non videtur hoc verum esse posse. Favet tamen Cedrenus; narratque Alexandrum a Brachmanibus reversum, Ægypto occupata, Alexandriam condidisse, navigasse in palude spretis Chaldæorum monitis; imbribus oppressum diadema amisisse, ac vix salvum evasisse. Favet valde venerabilis Beda, memoriæque mandat Alexandrum Hyrcanis & Mardis captis, *revertentem in Ammone*, id est, Ammoniaca regione *Parætonium condidisse*. Verum & hoc fabulis accensendum, quia Alexander nunquam ex Oriente in Ægyptum reversus est; amissique diadematis historia non in palude, ut censet Suidas, Mareoti, verum in lacubus circa Babylonem evenit & omen fuit morituri Alexandri, uti testantur Arrianus, Diodorus, & Appianus: adeo ut apud Suidam, Cedrenumque scribendum ἐν Βαβυλωνίᾳ; vel potius, quia nova scriptura a veteri nimium abit, erroribus accensendum sit, quibus posterioris ævi scriptores res gestas Magni inquinarunt: qualia plura in dissertationibus de Alexandro Vero & Falso, si otium mihi Deus tribuit, docebo.

Lib. de Temp.

L. 7 l. 17. in Syr.

O. Porta Canopica, Straboni memorata pag. 795. quia per eam Canopum & ostium Nili Canopicum versus iter erat; ejus ad dextram exeunti cernebatur διώρυχ κανωβική, in paludem Mareotim ducta, ut præter Geographum testatur Plinius Lib. 5. cap. 10. *Mareotis lacus a meridiana urbis parte*. EURIPO *e Canopico ostio committitur mediterraneo commercio*. Fuit & prope hanc portam vel certe partem urbis, aquæductus subterraneus, per quem Nili aquam in cavernas totam per urbem derivabant, Cleopatræ opus, si fides habenda Chronico Orientali, quod Latine vertit Abrahamus Ecchellensis: *Hæc aquæductum Alexandriæ construxit, & ad eam adduxit aquam dulcem ex flumine Nilo Ægypti*. Neque enim potuit in alia urbis regione fuisse, uti satis superque ex situ urbis & iis, quæ disputavi, patet. Meminit hujus operis etiam Haitho Armenus cap. LIV. Histor. Orientalis: *Aquam vero, quam bibunt cives Alexandriæ, venire faciunt de flumine Nili, per quendam meatum subterraneum & occultum, & implent multas cisternas, quas habent in civitate ordinatas*: nec non Leo Africanus: *Cuique fere civitatis domui ingens cisterna concamerata, crassisque innitens columnis & fornicibus substructa est: in quas exundans Nilus per aquæductum in planitie magno artificio, extra Alexandriam constructum deductus, sub ejus mœnibus demittitur. Cisternæ porro successu temporis turbidæ ac cœnosæ redditæ, plurimis æstivo tempore languoribus occasionem præbent*. Atque has ad cisternas, & Nili receptacula subterranea forte respiciens Ausonius, Alexandriam *domum fluminis* appellat; tanquam scilicet ibi habitaret, domos & tecta haberet: *Celebrant quidem*, ait in Gratiarum Actione, *solennes istos dies omnes ubique urbes, quæ sub legibus agunt, & Roma de more, & Constantinopolis pro luxu, & Carthago discincta &* DOMUS FLUMINIS *Alexandriæ*; quam vulgatam lectionem etiam Belgicæ nostræ decus olim Daniel Hein-

sius ad Horatium retinet; quia Pindarus urbes & locos fontibus fluviisque cognomines οἰκήματα ποταμῶν appellat;& Græcorum imitator Ausonius propter vicinum fluvium Nilum Alexandriam *domum fluvii:* licet nequaquam ignorem viros eruditissimos rescribere *donum fluminis*; quia cum Ægypti inferior pars mari accepta referatur, & Herodoto aliisque vocatur δῶρον τῦ ποταμῦ; idem etiam de loco, in quo Alexandria, quam κράσπεδον vel *fimbriam* Ægypti eleganter vocat Aristides Tom. III. pag. 562. sita fuit, crediderunt; quæ emendatio ut verisimilis admodum; ita non repugnabo, si quis eam amplecti malit. Fossa igitur subterranea Nilus Alexandrinorum in cisternas admittebatur; quæ num a Cleopatra exstructa sit tamen, ut Arabs ille censet, facit ut dubitem Auctor Belli Alexandrini: *Alexandria est fere*, ait cap.V. *tota suffossa, specusque habet ad Nilum pertinentes, quibus aqua in privatas domus inducitur, quæ paulatim spatio temporis liquescit, ac subsidit. Hac uti domini ædificiorum atque eorum familia consueverunt. Nam quæ flumine Nilo fertur, adeo fertur limosa atque turbida, ut multos variosque morbos efficiat.* Neque enim alia potest intelligi quam Cleopatra, ultima regina Ægypti; quia licet ante eam eodem nomine fuerint soror & conjux Ptolomæi Philometoris, atque Physconis, & aliæ; non tamen illis, verum maritis regibus opus adscriberetur. Deinde nec hoc verum esse potest, quia cum Cæsar bellum gereret adversus Alexandrinos, per quatuor tantum annos non sola, verum cum fratre Ptolomæo, a quo etiam expulsa erat, imperium tenuit; adeo ut satis pateat antiquioris regis illud opus fuisse; & si usum necessitatemque spectemus aquæ dulcis, alicujus ex primis. Per hunc igitur aquæductum Nilus fluebat in specus subterraneos, ibique aqua lapsu temporis, quia turbida & limosa pota nocet, *liquescit*, id est clara fit, limus & sordes subsident, ac fundum cisternarum gravitate sua pressæ petunt; quomodo plane Ovidius *liquefactam undam* dixit, quæ clara fit & limpida. Canit ille Narcissum fontem, in quo se ipse tanquam in speculo cernebat, lacrymis turbasse, atque ita effigiem suam abiisse; & paulo post pectora sua nuda, cum clara iterum aqua foret, vidisse:

> *Quæ simul aspexit* LIQUEFACTA *rursus in unda,*
> *Non tulit ulterius* —— ——

quod nollem mutasset vir Doctissimus.

P. Hic proculdubio fuit porta, cujus nomen nondum repperi: Leo Africanus, licet recentior, eam suo tempore fuisse testatur: *Sita est forma quadrangulari; portæ sunt quatuor: prima quæ orientem spectat ad Nilum constructa; altera quæ meridiem ad lacum Buchiara; tertia versus Barcæ solitudinem ad Occidentem: quarta ad mare mediterraneum, ubi est portus.* Quo ex loco simul patet, Alexandriæ formam valde mutatam esse: neque enim antiquitus fuit quadrangularis; nisi aliquo modo, uti & Strabo chlamydem τετράγωνον facit.

Alexandria autem, vel ἡ τῦ Μακεδόνος πόλις, uti vocatur Auctori vitæ S. Syncleticæ, cum aliis Ecclesiæ Græcæ monumentis a viro Doctissimo Johanne Baptista Cotellerio, edito, in quinque regiones fuit divisa, ἐπωνύμως τῶν πρώτων στοιχείων τῆς ἐγγραμμάτου φωνῆς, *idem nomen sortitas cum quinque primis litteris alphabeti*; uti videntur verba Philonis, de quibus tamen consule Reinesium, interpretanda esse. Una harum regionum pars a regia, Plinio teste, occupabatur; binæ Judaicæ dictæ, ob plurimos in iis habitantes Judæos, qui postea tamen in unam eamque angustissimam compulsi fuerunt, teste Philone. Nec illud omittendem est, Josephum Alexandriæ tribuere triginta stadia longitudinis, decem latitudinis: Μῆκος μὲν γε αὐτῆς τριάκοντα σταδίων, εὖρος οὐκ ἔλαττον δέκα; unde constabit Clitophontem, cum dicit se multa stadia fecisse, postquam ad locum, cui nomen ab Alexandro erat, pervenisset, ad minimum quatuor vel quinque absolvisse: cumque isthmi fuerint *septem octove stadiorum*, teste Strabone, quam proportionem latera ad mediam urbem habuerint. Ex Alexandriæ igitur forma, facile, quæ sit chlamydis, potest cognosci. Neque enim ulla alia est, quam qualem delineandam rudi Minerva curavi: habes circulum gyratum, medium corpus ab utraque parte tegentem; habes angulosos procursus, quorum superior fibula in humero constringebatur, alter magis tamen coarctatus & rotundus fere ad genua dependebat. At *chlænam*, a chlamyde diversam vestem, puto fuisse quadratam instar pallii, & stragularum quibus hodie mendici, quos *Bohemos* Galli, nos *Heidens* vocamus, velantur. Non alia insuper veste induitur puer, qui ΜΥΘΟΝ repræsentat; indeque videtur factum ut stragulas *pallia* veteres vocaverint. Suetonius; *Decubuit super lectum modicella culcita, vetere* PALLIO STRATO *instructum*; quem hujus vocis usum aliquot exemplis firmat Ferrarius, Vir doctissimus.

L. 1. cap 7. Var. L.

L. 2 cap 16. Exc.

Homo præterea noster tunicam gerit; quam non secus ac pallium vel χλαῖναν, vel φᾶρος Heroibus suis tribuit Homerus; Ulysses minatur Thersiti se detracturum

> Χλαῖναν τ' ἠδὲ χιτῶνα, τά τ' αἰδῶ ἀμφικαλύπτει

Et Telemachus

> —— Χιτῶνα περὶ χροῒ σιγαλόεντα
> Δῦνεν καὶ μέγα φᾶρος ἐπὶ στιβαροῖς βάλετ' ὤμοις.

quod & postea Græci, exceptis Philosophis, aliisque qui rigidiorem vivendi rationem sequebantur, imitati sunt. Sed licet *chlæna*, vel *læna*, si Jubæ apud Plutarchum & Servio credimus, fuerit instar pallii vel φάρεος quadrata, puto tamen aliter eam corpus velasse; & quidem fibula fuisse in humeris constrictam, uti diserte docet Homerus Iliade XI. & Odyssea XIX. cum contra φᾶρος tantum circumjicere-

tur; ut Agamemnon e lecto surgens, cum tunicam induisset;

—— Περὶ δ' αὖ μέγα βάλλετο φᾶρος.

quomodo & de Telemacho poetam loqui ex verbis paulo ante laudatis constat. Sed & hoc observandum venit, pallium cinctum non esse, neque fibula in humero coerceri; quæ tamen aliquando facta esse auctores testantur antiqui. Nam Diogenes apud Lucianum διαζωσάμενος τὸ τριβώνιον *cingens pallium dolium, in quo habitabat, sursum ac deorsum per Cranium volutat*: nisi dicamus cingulum non adhibuisse Cynicum, verum medium corpus pallio involvisse, eoque se quasi cinxisse. Sic *chlamydem*, vestem itidem exteriorem, cinctam fuisse videtur docere Apulejus; *Hic incinctus baltheo militem gerebat*; SUCCINCTUM CHLAMYDE *copides & venabula venatorem fecerant*: Nemesianus Dianæ venantis habitum describens;

Quom. Hist. scr.

Lib. 11. Met.

Si chlamys aurato multum subtemine lusa
Corrugesque sinus, gemmatis baltheus arctet
Nexibus: implicitos cohibe diademate crines.

Fibulæ autem in palliis usum fuisse docet Tertullianus: *Pallium, extrinsecus habitus, & ipse quadrangulus, ab utroque laterum regestus, & cervicibus circumstrictus, in fibulæ morsu humeris acquiescebat*: Sed ibi de proprio Cathaginiensium habitu, paliisque cultioribus loquitur, Græcorum circumjectu velabat corpus; Idem: *At enim pallio nihil expeditius, etiamsi duplex, quod Cratetis mora nusquam vestiendo cum ponitur: quippe tota molitio ejus est operire* SOLUTIM. *Id ex uno circumjectu liquet, equidem nusquam inhumano, ita omnia hominis simul contegit*. Verum cum pallium Philosophicum usurpaverint etiam sacerdotes Christiani, & ἀσκηταί; qui fit, ut Damasus Papa epistola, quam ad Acheloum, Euridicum, Severum, Uranium, Philippum & Joannem scripsit, illud HABITUM IDOLI videatur vocare. *Nescio*, ait, *quos ex Ægypto venientes in postulatione contra regulam ecclesiasticæ disciplinæ alienum a nostra professione in Constantinopolitana civitate* CYNICUM *ad sacerdotium vocare voluisse*: mox; *Quanta igitur hæc festinatio fuerit, nescio, ut cum Christianis hic habitus displiceret, tam insolenter totum quod non decuerat ageretur*: & tandem: *Huic homini, qui in* HABITU IDOLI *incedit, nunquam adscribendum est nomen Christiani: quia fieri non potest, ut qui placere gentibus desiderat, nullum nobiscum consortium integræ fidei possit habere*. Nam cum Cynici pallio insignes, & gentiles fuerint, non absque ratione aliquis suspicari possit ejusmodi cultum *habitum idoli* appellari; maxime quia circa illa tempora Christiani pallio Philosophico nuntium remiserant, vestemque communem & civilem habitum sumpserant; unde & Constantino Magno Imperatore Eustathius quidam Episcopos & Presbyteros ad antiquam ἄσκησιν & pallium reducere voluit, uti notavit Salmasius. Verum Holstenius existimat *pallium* vocari *habitum idoli*, forte quod dii gentium eo habitu pingerentur: ideoque id genus vestis graviter in Episcopis improbare tanquam superstitiosum Cælestinum Papam Tom. 1. Concil. Gall. pag. 55. Et sane talis occurrit Æsculapius in nummis Coorrum &(hanc enim particulam sive ϗ subintelligendam esse, quicquid contradicat Tristanus, arbitror) Milesiorum, aliorumque populorum. Verum mihi diligentius hunc locum expendenti, videbatur nonnunquam, per *habitum idoli* intelligendos esse capillos longos & promissos, quibus Maximus more philosophorum se fœdabat, quosque Ecclesiastici doctores deponendos, barbamque alendam esse censebant. Tatian. enim scribit Philosophos alterum ex humeris neglexisse, sive *pallio* (ἱμάτιον, male ab interprete redditur *tunica*) non contexisse; κόμην ἐπειμένους πολλὴν, *capillos demisisse longos*, barbam aluisse & ὄνυχας θηρίων habuisse: Seneca; *Asperum, incultum & intonsum caput, & negligentiorem barbam, indictumque argento odium, & cubile humi positum, & quicquid aliud ambitionem perversa via sequitur, devito*. Inde Epiphanius Massilianos carpit, quod barbam τὴν μορφὴν τοῦ ἀνδρὸς, resecarent, capillos vero τρίχας τῆς κεφαλῆς haberent prolixiores, idque contra constitutiones Apostolicas; & Hieronymus scribit se fugere viros, quibus *fœminei contra Apostolum crines, hircorum barba, nigrum pallium, nudi in patientia frigoris pedes*; quia ea *omnia argumenta sunt diaboli*. Quinimo non aliud in homine isto carpit Damasus; mittitque ad Acholium sibi non placuisse *quod nescio quem Maximum ex Ægypto venientes* COMATUM *vel maxime, cujus habitus juxta Apostolum ignominiosus esset, Constantinopoli Episcopum ordinare voluissent*; & alibi non immerito narrat eos qui ex Ægypto venerant, notatos ab omnibus discessisse, errorem suum condemnantes, *ut amputatis ejus postea capillis, qui non recte fuerat ordinatus, & jacturam capitis sustineret, & quod ambierat esse non possit*. Et Theodoretus lib. 5. cap. 8. scribit Timotheum Alexandriæ Episcopum, eundem Maximum Cynicum εὐθὺς αὐτῇ τῇς κυνικῆς ἀποκείραντα τρίχας *detonsa subito cynica ejus coma*, pro Gregorio episcopum ordinasse. Ordinationi, uti apparet, obstat inter cætera etiam capillus promissus, quem vel ob dictam causam *habitum idoli* vocat, vel quia ex ejus sententia ab Apostolo Paulo vetitus & gentilibus idololatrisque (quos per *idolum* designare potest; ita ut idem sit, ac si dixisset, *in habitu gentilium*) relictus erat.

Ad Pall. Tertull.

T. 1.

Ep. v.

Restat tandem ultimum segmentum, in quo ὁ θαυμαστός, uti appellatur Origeni, Homerus tanquam in adyto templi, velis ab alia ejus parte, ut fieri solebat, docente Salmasio, separato, sedet; & tot Virtutes atque Artes ipsi sacrum faciunt. Sedet autem non *hircorum barba*, ut modo audivimus loquentem Hieronymum, deformatus, sed ornatus lata eadem ac decenti. Philosophi eam in acutum

tum desinentem habere solebant; unde Julianus Imperator ὑπλιώνην βαθεῖαν Marco tribuit; & ipse sibi τ̀ βαθύτητα τ̀ γενεῖν, quia ambo ejusmodi habitum affectabant; uti vel patet ex Amm. Marc. qui memoriæ mandat hunc *hirsuta barba in acutum desinente vestitum fuisse*. Bagoas Eunuchus apud Lucianum salsissime ridet Philosophos, & si prolixitate barbæ censendi sunt, dicit, hircos primas laturos; εἰ γὰρ πώγωνος βαθέος κρίνεσθαι δέοι τοὺς φιλοσοφοῦντας, τ̀ τράγον ἂν δικαιότερον προκριθῆναι πάντων; Veritas apud eundem narrat, Parrhisiadem falsis Philosophis dilaceraturum pallium, & rasurum τ̀ πώγωνα ἐν χρῷ τραγοκουρικῇ μαχαίρᾳ, *barbam usque ad cutem hircina* (male interpres reddit *tragica*) *novacula*. Et nullum clarius exemplum promissi capilli, atque hircinæ barbæ, quam in Callisthene Aristotelis socio, comite Alexandri Magni, & præceptore Lysimachi, cum quo ille sculptus est in Marmore apud Ursinum XLI. cum vocibus ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ. ΛΥΣΥΜ. reliquis litteris detritis.



ΚΑΛΛΙΣΘΕΝΗΣ·ΛΥΣΙΜ

Neque enim adsentiri possum doctissimo commentatori, ad Callisthenem poetam Comicum lapidem referenti: cum quia nullus, quod sciam, eo nomine poeta fuit; tum quia, quem exhiberi putat, non Callisthenes, verum CALLIAS vocabatur, filius Lysimachi cujusdam, Athenæo & Suidæ; & tandem quia non conveniunt filius senili plane vultu, pater juvenili, contrariusque est ordo naturæ. Nullus igitur hic Callesthenes Lysimachi filius, sed Callisthenes, & Lysimachus; cujus licet maximam partem detritus vultus, ita tamen nummis convenit (præcipue æreo quem Illustrissimus Dominus a Netelhorst, ad Concilium Ordinum Generalium Fœderatæ Belgicæ delegatus, & Comitatus Zutphaniensis Satrapa servat, cujusque una in area cernitur Minerva cubito sinistro scuto innixa, dextra manu Victoriam tenens; in altera vero Lysimachi caput eodem plane mento, ore, & naso cum ins. (ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΛΥΣΙΜΑΧ.) ut gutta guttæ similior non sit. Deinde non abit hic habitus ab horridis & asperis viri moribus; nam eum Arrianus scribit τ̀ τρόπον ὑπαγροικότερον; & Plutarchus familiaritatem ejus narrat gravem aliis fuisse διὰ τὸ αὐστηρὸν *propter morositatem*; nec denique mirum Regem & Philosophum jungi; cum benigno semper ille in hunc, a quo præcepta virtutis acceperat, fuerit animo; & misertus tanti viri, non culpæ sed libertatis pœnas pendentis, venenum ei in remedium calamitatum dederit. Sed omisso in quem me *hircina barba* Hieronymi duxit, tramite, notandum TEMPUS, vel virum illud repræsentantem ALAS habere, & mento esse raso.

De ALIS quidem nonnulla monui; sed tamen non ingratam lectoribus rem me facturum persuasus sum, si quæ de DIIS ALATIS notata habeo, veluti ἐπεισόδιον rei vestiariæ interseram. Et ne quid de Harpocrate, Iside, Sole, de quibus alibi ago, dicam, Taautem quidem *Saturno* quatuor alas, humeris affixas, quarum duæ expansæ, duæ demissæ erant, tribuere, ad indicandum eum dormientem videre, vigilantem dormire, quiescentem volare & volantem quiescere; adhæc capiti ejus duas alias affinxisse, quarum altera mentis principatum, altera sentiendi vim indicaret; τοῖς δὲ λοιποῖς θεοῖς δύο ἑκάστῳ πτερώματα ἐπὶ τ̀ ὤμων, ὡς ὅτι δὴ συνίπταντο τῷ Κρόνῳ; *cæteris vero diis alas in humeris duas, utpote cum Saturno volantibus*; testatur Sanchoniaton apud Eusebium. Scilicet cum persuasum haberent *quicquid immortale erat stare nescire, & æternitatem*, uti loquitur Mamertinus, *sempiterno se motu servare*; non potuerunt hanc deorum naturam melius, quam alis exprimere; adeo ut ipse etiam ἱερογραμματεὺς alas capiti habuerit affixas, teste Clemente Alexandrino; & plerumque dii in tabulis hieroglyphicis alati conspiciantur. Nec dubito quin Phœnices & Ægyptios Græci, hos Romani imitati sint; & si non omnes, at saltem multos deos fecerint alatos. Orpheus apud eundem Eusebium Jovi alas tribuit;

L. 1. cap. 10. Præp. Ev.

c. 3. Gen.

6. Strom.

l. 3. Præp.

—— —— πτέρυγες δ᾽ οἱ ἐξεφύοντο
Τῇς ἐπὶ πάντα ποτᾶται. —— ——

Et, si viris eruditis credendum, Jupiter Pluvius alatus cernitur in Antonini Romæ columna.

Musas, Sirenas, Victoriam, Irin, Amorem & Mercurium

non aliter effinxerunt Græci: Porphyrius; τὰς δὲ Μούσας ἐπτέρωσαν καὶ τὰς Σειρῆνας: καὶ τὰ αὐτὰ καὶ τ̀ Νίκην, καὶ τ̀ Ἶριν, καὶ τ̀ Ἔρωτα, καὶ τ̀ Ἑρμῆν; notandusque obiter error viri docti, qui ex verbis paulo post sequentibus colligit Pindarum *omnes deos alatos* facere; cum contra Porphyr. narret poetam eum canere, deos omnes a Typhone fugatos non in homines, sed alia animalia, vel, ut Hygin. loquitur *in feras bestias* se convertisse. Ut autem *Sirenes* virgines alatas fuisse notissimum est, ita de Musis apud alium auctorem, qui quidem nunc occurrat, nihil tale legi. *Victoria* frequentissime pennata in nummis occurrit; neque aliter auctoribus describitur; Ovid. *dubiisque volat Victoria pennis*. Ut enim eleganter Latinus Pacatus dis-

Fab 196.

ſerit: *Recte profecto germana illa pictorum poetarumque commenta Victoriam finxere pennatam, quod hominum cum fortuna euntium non curſus eſt, ſed volatus.* Quin & *albas alas* illi tribuit Silius Italicus:

> *Mecum Honor, & laudes, & læto Gloria vultu,*
> *Et Decus, & niveis Victoria concolor alis.*

Hanc tamen Athenienſes ἄπτερον, id eſt *ſine alis* coluerunt; ne eos deſerere & alios populos petere poſſet: Pauſanias: (Lib. 1.) τῶν δὲ προπυλαίων ἐν δεξιᾷ, νίκης ἐστὶν ἀπτέρου ναός, *Ad veſtibuli dexteram victoriæ alis carentis ſacellum eſt*, cauſam reddit Idem; (Lib. 3.) Ἀθηναῖοι δὲ τὴν Νίκην αὐτόθι ἀεὶ μενεῖν ἐν ἀπτέρου ὄντων; *Athenienſes ſemper manſuram ſecum, quæ pinnis caret, Victoriam interpretantur*: illudque templum adhuc hodie Athenis cerni, teſtis eſt Jacobus Sponius, qui etiam non inelegantem ſed veterum auctoritate deſtitutam rationem (T. Itin. pag. 138.) reddit; ideo nempe exſtructum, quia Theſei de Minotauro victoria tam tarde Athenienſibus nuntiata eſt, ut Ægeus ſe e rupe proxima præcipitaverit. Calamis Mantineæ ad exemplar Athenienſis illius, ἀπτέρου *victoriæ* ſtatuam fecit, apud Pau- (Lib. 5.) ſaniam; & exſtat elegans epigramma Pompei in Victoriæ ſimulacrum, cui fulmen (Lib. 4 Anth.) Romæ alas abſtulit;

> Ῥώμη παμβασίλεια τεὸν κλέος ὄποτ' ὀλεῖται
> Νίκη γάρ σε φυγεῖν ἄπτερος οὐ δύναται.
> *Roma, caput rerum, nunquam tua gloria abibit*
> *Nam nunquam te alis deſeret orba Dea.*

Ac talis cernitur in nummo Poſthumi cum inſ. VICT. COMES AUG. & S. C. nec non in alio Conſtantini Magni cum titulo: SARMATIA DEVICTA apud Patinum: imo & ante eos in ære Titi, cum Inſ. VIC AUG. S. C. apud Ducem Arſchotanum. (De For R.) Fingit quoque eleganter Plutarch. Fortunam deſertis Perſis & Aſſyriis, cum leviter pervolaſſet Macedoniam, Ægyptum, Syriam, & Carthaginem, tranſmiſſo Tiberi, alas & talaria poſuiſſe, ac miſſo volubili globo, Romam, tanquam ibi manſuram intraſſe; Καὶ διαβαίνουσα τὸν Θύμβριν (ὡς ἔοικεν) ἔθηκε τὰς πτέρυγας, ἐξέβη τῶν πεδίλων, ἀπέλιπε τὴν ἄπιστον καὶ παλίμβολον σφαῖραν· οὕτως εἰσῆλθεν εἰς Ῥώμην ὡς μενοῦσα: *Et traſmiſſo Tiberi, ut videtur, alas poſuit, talaria exuit, reliquit infidum & volubilem globum; atque ita Romam, ut ibi manſura, eſt ingreſſa.* Et antequam Victoria relicta ad alios alatos deos me convertam, non ingratum fore Lectori exiſtimo, ſi inſcriptionem veterem ſæculo decimo Carthagine Spartaria in Hiſpania viſam Luitprando, & ab ipſo in Adverſariis poſitam, verum non intellectam, ſubjiciam:

VICTORIÆ. AUGUSTISSIMÆ. C. VALERIUS. FELIX EX VOTO. D. D. CURANTE. MAXIMIANO. URBIS. TURBULA NÆ. PATRONO.

Arbitratur ille hanc poſitam eſſe S. Victoriæ Virgini & Martyri domo Romanæ & paſſæ in civitate Turbela; eamque *Auguſtiſſimam* vocari propter egregiam ejus ſanctitatem. Sed falli virum non indo- (Lib de N. Deor.) ctum illo ſæculo facile perſpiciet is, qui noverit Victoriam nominari *Auguſtam*, & vel a limine ſalutaverit marmora vetuſta.

MINERVÆ *talaria* tribuit Cicero: *Quinta, Minerva, Pallantis filia, quæ patrem dicitur interemiſſe, Virginitatem ſuam violare conantem, cui pinnarum talaria affingunt.* Et illi, quæ *Victoria* eſt cognominata, Phornutus, vel Cornutus potius ex interpretatione Jodoci Velarei: *Adhæc auxiliatricem & Agelaida, id eſt, prædatricem vocant, id quidem ab auxiliando deducentes: nam ad depellendam injuriam atque ferendam opem ſatis eſt inſtructa, unde & VICTORIA eſt appellata:* Paulo poſt: *Deinde alata quoque inducitur ob acrem minimeque retrahendum ad res impetum.* Quin & Athenis in arce Ἀθηνᾶς τῆς Νίκης ſimulacrum fuiſſe alis aureis ornatum ex Ariſtophonte Pythagoriſta, Ariſtophane, & Euſtathio (L. 1. Lect. Att. cap 20. Lib. 27.) probat Græcarum Antiquitatum promus condus Joannes Meurſius. Nonnus eam vocat ἀρηγόνα θεόν: Ἀθήνην Νίκην ἣν καλέουσι; quod cum Lubino nollem vertere, *Marte genitam*, quippe quem nemo ejus patrem facit, verum *auxiliatricem*: illiuſque meminit etiam Euripides;

> Μὰ τὴν παρασπίζουσαν ἅρμασίν ποτε
> Νίκην Ἀθηνᾶν Ζηνὶ γηγενεῖς ἔπι:
> *Non per eam quæ quondam curru vecta tulit opem*
> *Victoriam Minervam Jovi adverſus terrigenas.*

(Lib. 3.) Nec non Arnobius, ſi modo leviſſima mea eruditis placet mutatio: *Quod ſi accipit*, ait, *res fidem, nulla eſt ergo* (Mi- (L. 3. c. 7. Cr. Arn.) nerva) *Mentis filia, nulla Victoriæ, nulla Jovis enata de cerebro:* Meurſius faciebat *Metis filia, nullave Coryſæ*; verum cum nimium recedat a vulgata ſcriptura; cumque *ve* alteri voci junctum, orationem quaſi interrumpat, fingebam nonnunquam: *nulla* VICTORIA, *nulla*; ita ut dicat, non eſſe Minervam, quam *Victoriam* cognominabant. Præterea, ut alii (Lib. 2. Dion.) ſcribunt, Minervam cum Jove contra gigantes ſtetiſſe, ita idem *Victoriæ* tribuit Nonnus:

> Καὶ Διὶ μουνωθέντι παρήγορος ἵκετο Νίκη
> Ἠέρος ἄκρα κέλευθα διαχαράξασα πεδίλῳ.
> *Aut Jovi ſoli relicta auxiliatrix Victoria*
> *Aeris ſummas vias ſecans talaribus.*

utque Minerva Jovis capite prognata, ita etiam Victoria, docente Judæo Philone; (Lib. de Mun. Opif.) Μόνος δὲ, ὡς ἔφην, ὁ ἑπτὰ οὔτε γεννᾷν πέφυκεν, οὔτε γεννᾶσθαι; δι' ἣν αἰτίαν οἱ μὲν ἄλλοι φιλόσοφοι τὸν ἀριθμὸν τοῦτον ἐξομοιοῦσι τῇ ἀ-

μήτρει Νίκη καὶ παρθένῳ ἣν ἐκ τῆς τοῦ Διός κεφαλῆς ἀναφανῆναι λόγος ἔχει: *Solus, ut dixi, septenarius nec natura gignit, neque gignitur. Quam ob causam alii quidem Philosophi numerum eum similem statuunt Victoriæ, matrem non habenti, atque Virgini, quam prognatam e Jovis capite vulgo ferunt:* quanquam hic possit non tam *Victoria*, quam *Minerva Victoria* intelligi, quia alii tradunt numerum septenarium eandem ob causam Αθηνᾶν appellari, τριτογένειαν, Γλαυκῶπιν, Εργάνην, & aliis, quæ dea tulit, nominibus. Et vel ideo *Minerva Victoria* coli potuit, quia hæc plerumque est illius sive ingenii ac rationis opus, ut Aristides & auctor M. Etym. tradunt; quo pertinet Varronem apud Acronem Horatii Scholiastem tradere, *Vacunam Sabinorum Deam esse Victoriam, & ea maxime eos gaudere, qui Sapientia vincunt:* Alexandrum Magnum parta celebri victoria aras *Minervæ* simul & *Victoriæ* exstruxisse; & denique in Nummo Caracallæ apud Tristanum, & alio Pescennini Nigri apud Joannem Vaillant exhiberi MINERVAM VICTRICEM, dextra victoriolam tenentem; tanquam sola foret Νικηφόρος & victoriarum causa: quo pertinet apud Ursinum in Gente Hostilia cerni Victoriam alatam, & galeatam; humero sinistro impositum habentem tropæum, dextra manu gerentem caduceum.

Orat. in Min. Lib. 1. Ep. 10. Curt. l. 8. c. 1. et x1.

Sequitur apud Porphyrium IRIS, quam χρυσόπτερον vocat Homerus; cui etiam *alas* tribuit Virgilius.

L. 4. Æn. extr.

Ergo Iris croceis per cælum roscida pennis
Mille trahens varios adverso Sole colores
Devolat. —— ——

& Apollonius Rhodius

—— —— ἡ δ' ἀνόρουσεν
Ολυμπόνδε θοῇσι μεταχρονίη πτερύγεσσιν.

aliique poetæ.

AMOREM vel Cupidinem alatum esse notius est, quam ut probari debeat; *alas versicolores* ipsi tribuit poeta anonymus;

In Cat.

Marmoreusque tibi, Dea, versicoloribus alis
In morem picta stabit Amor pharetra.

alatos pedes Eustathius l. 2. de Ism. & Ismenes Amor: τὼ πόδε μὴ κατ' ἄνθρωπον ἦσαν τῷ μειρακίῳ, ἀλλ' ὅλον πτερόν. Quin & ipsa Venus *alata* est in gemma antiqua apud Leonardum Augustini centesima quinta decima partis primæ; & alia signatoria, si modo genuina est, apud Ramiresium ad Martialem. Exstat quoque elegans nummus imprimis apud Carolum Patinum, cujus una in area Alexander Magnus, diademate cinctus, in altera puerulus alatus, colliculo insidens, uvam dextra ostentans, sinistra manu vestem, qua superior corpusculi pars velatur, elevans cernitur. Hoc quid sibi ænigma velit, non facile adipisci esse fatetur vir Doctissimus: mihi autem nonnunquam videbatur artificem jungere voluisse duo numina, Bacchum & Cupidinem; quia, ut Terentius loquitur, *Sine Cerere & Baccho friget Venus.* Hoc est quare vinum vocet ἔρωτος τροφὴν Achilles Tatius; quare Euripides νεκρὸν Αφροδίτην esse dixerit Διονύσου δίχα καὶ Δήμητρος; & quare Gnidi circa templum Veneris celeberrimum, omnes arbores vitibus maritatæ, teste Luciano, fuerint; adeo ut non inconcinne scribat Joannes Sarisberiensis, *Bacchum plerumque Venerem expugnare, & tamen in sacello voluptatis nemine reclamante convenire.* Exstat hanc in rem elegantissima gemma apud Antiquarium urbis præcipuum Leonardum Augustini; cerniturque in ea Venus compositis rite capillis decora & nuda plane, manu dextra tenens tres sagittas; sinistra vero lanceam sive thyrsum, quem ambit vineæ ramus racemis onustus, cujusque summitati impositæ sunt spicæ; ad indicandum scilicet Venerem absque illis rebus frigere. Uvas ore petit Cupido alatus, & ante eam sedet Cupido alius vel puerulus carens alis; quo ænigmate, licet vates non sim, arbitror significari amorem vulgarem Cerere ac Baccho ali, sæpissimeque castra mutare & dubiis violare pennis; at cælestem sive purum & pudicum stabilem esse, proptereaque alis carere ac sedere. Et inde forte forte Bacchus Ερεβίνθιος, narrantibus Suida, Hesychio, & Zenobio vocatus est; quia ut ἐρέβινθος est ἐπεργετικὸς πρὸς τὰ ἀφροδίσια, ita etiam ille ad Venerem excitat: ac Venus Μύστις νάματος Anacreonti; licet ejus sensum nequaquam perceperit interpres, & Faber Tanaquillus, vir acerrimi ingenii, locum putaverit esse hiulcum & abruptum. Poeta poculum sibi cælandum describit, jubetque in eo effingi ver, rosas, commessationem; removet autem τελετὰς, quæ ad expiationem scelerum pertinent, tristemque mortis & suppliciorum imaginem continent: deinde mandat, ut Διὸς γόνον Bacchum pingat; quia scilicet,

Cap. 6. Thes.

Lib. 2.

In Am. Lib. 1. c. 6. Pol.

Car. 18.

Μύστις νάματος ἡ Κύπρις
Υμεναίους κροτοῦσα.

id est, *Venus hymenæos plaudens*, vel *nuptiis delectata, est mysta vini, initiata Baccho*, ve *sacrata Bacchi*: utque hic νάμα absolute de vino, ita & *latex* Virgilio usurpatur,

Dixit & in mensa LATICUM *libavit honorem*

Bacchm præterea thyrsum tenentem & currui a tigribus tracto insidentem comitatur Cupido nescio quid manibus tenens, in Trajani apud Patinum; atque in Perperenorum nummo idem ebrius, titubansque & uvam supra caput tollens, a puero parvo alatoque sive Cupidine sustinetur. Quin & in ejusdem gentis numismate in honorem itidem Commodi signato apud Sirmondum, Cupido alatus, cantharum tenens sacratæ Baccho bestiæ, quam Satyrus ducit, insidet, non secus ac in alio L. Aurelii Cæsaris apud Æneam Vicum, jaculum manu continens, quorum ectypos exhibeo.

C. 6. Th.

In Anti. Trist.



Atque ita in marmore apud Boissardum, in annulo apud Gorlæum primo & trigesimo puerili facie & statura Cupido, alatusque uvas tenet. Nisi tamen quis sentiat, Bacchum in Commodi numismate ipsum alatum esse, quia non modo cantharus sacer deo illi, verum & Satyri perpetui comites, & dicatum animal adsunt. Sane *volitantem Bacchum* celebrat Catullus;

Carm. XV.

> *At parte ex alia florens* VOLITABAT *Iacchus*
> *Cum thyaso Satyrorum & Nisigenis Silenis.*

nisi quis interpretari malit, Bacchum florentem, sive ut Pausanias loquitur *ἀνθιον*, huc illuc, modo in hanc modo in illam partem se contulisse; quo sensu frequentissime hæc vox usurpatur. Et Bacchus vel alatus erit, quia ut alæ aves, ita vinum homines attollit; unde & a Diorensibus ψίλας cognominatus est, Pausan. *Θεῶν δὲ σέβουσι οἱ ταύτῃ τόν τε Ἀμυκλαῖον καὶ Διόνυσον ὀρθότατα ἐμοὶ δοκεῖν, ψίλαν ἐπονομάζοντες· ψίλα γὰρ καλοῦσιν οἱ Δωριεῖς τὰ πτερά. ἀνθρώπους δὲ οἶνος ἐπαίρει τε καὶ ἀνακουφίζει γνώμην οὐδέν τι ἧσσον, ἢ ὄρνιθας πτερά: Venerantur horum locorum incolæ præ ceteris Amyclæum & Liberum, quem optime Psilan nominant. Psila enim Dorienses alas vocant. Vinum vero homines, perinde ac volucres alæ incitat & sublevat:* vel ideo deus ille alis erit instructus, quia tam arcte Cupidini junctus est, atque, ut alio loco canit Euripides,

Lib. 1

Lib. 3

> *Οἴνου δὲ μηκέτ' ὄντος, οὐκ ἔστιν Κύπρις*
> *Οὐδ' ἄλλο τερπνὸν οὐδὲν ἀνθρώποις ἔτι.*

Nec, quod nonnulli forte objicient, insolens duorum vel plurium numinum proprietates & insignia uni dari. In nummis apud Tristanum APOLLO, MERCURIUS, NEPTUNUS; CYBELE & MERCURIUS: ISIS & OSIRIS: JUPITER & NEPTUNUS: & in alio apud Patinum Juliæ Mamææ, HERCULES & BACCHUS junguntur. Cujus superstitionis clarissimum exemplum Juno, quæ in templo Deæ Syriæ culta fuit; Lucian. *Ἡ δὲ Ἥρη σκοπέοντί τοι πολυειδέα μορφὴν ἐκφανέει· καὶ τὰ μὲν ξύμπαντα ἀτρεκέει λόγῳ Ἥρη ἐστίν. ἔχει δέ τι καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Σεληναίης, καὶ Ῥέης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ Μοιρέων. Χειρὶ δὲ τῇ μὲν ἑτέρῃ σκῆπτρον ἔχει, τῇ ἑτέρῃ δὲ ἄτρακτον· ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνάς τε φορέει καὶ πύργον, καὶ κεστὸν, τῷ μούνην τὴν οὐρανίην κοσμέουσι; Juno autem si propius contempleris, haudquaquam unius speciei formam præ se fert. Nam in universum quidem, quod vere dixeris Juno est: cæterum habet quippiam & Minervæ, & Veneris, & Lunæ, & Rheæ, & Nemesis & Parcarum. Ac altera quidem manu sceptrum tenet, altera colum, & in capite radios gerit, & turrim & cæstum habet, quo solum Cælestem exornant.* Et nonnunquam suspicatus sum ejusmodi signa PANTHEA fuisse dicta; quale celebratur in Inscriptione antiqua. Neque enim existimo cum viro eruditissimo ejusmodi signum esse, quod unius quidem e legitimis & majorum gentium diis statua esset, eaque vastior, in ejus sive templo, sive æde constituta, sed reliquorum deorum icunculas hinc inde haberet anaglyptas, eo modo quo simulacra vel Victoriolam altera manu sustinere, vel habere posterganeam, vel capitibus supervolantem, ut in nummis quibusdam, videmus. Talia namque simulacra nec in nummis, nec in gemmis, nec in lapidibus occurrunt unquam; nemoque veterum eorum vel levissimam mentionem fecit; sed, uti docui, insignia variorum numinum uni, uti vel ex Harpocrate meo patet, dantur; atque per ista SIGNUM PANTHEUM efficitur; quod, uti in lemmate Ausoniani epigrammatis legitur, *omnium Deorum argumenta habet.*

Tit. 2. p. 42. 45. Tit. 3. p. 177. & Tit. 1. p. 183.

PLUTUS apud Rhodios *alatus* præterea cultus: Philostratus; *Ἐφέστηκε τῇ ἀκροπόλει καὶ ὁ δαίμων ὁ Πλοῦτος· γέγραπται πτηνὸς μὲν, ὡς ἐκ νεφῶν. χρυσοῦς δὲ ἀπὸ τῆς ὕλης, ἐν ᾗ ἐφάνη· γέγραπται καὶ βλέπων· ἐκ προνοίας γὰρ αὐτοῖς ἀφίκετο: Plutus quoque dæmon arci* (Rhodiorum) *præest; pictus autem est alatus quidem, ut e nubibus: aureus vero a materia, in qua apparuit; pictus etiam est oculatus; ad eos enim ex providentia accessit.*

Lib. 2 Icon.

DIANAM alatam in arca Cypseli fuisse testatur Pausanias; *Ἄρτεμις δὲ οὐκ οἶδα ἐφ' ὅτῳ λόγῳ πτέρυγας ἔχουσά ἐστιν ἐπὶ τῶν ὤμων, καὶ τῇ μὲν δεξιᾷ κατέχει πάρδαλιν, τῇ δὲ ἑτέρᾳ τῶν χειρῶν λέοντα; Jam vero Dianam quamobrem alatam fecerint, non facile dixerim. Humeris alæ applicitæ sunt, dextera pardalim tenet, leonem altera.* Qualem in nummo Trajani currui a centauris tracto insistentem, arcu & sagittis armatam cerni arbitratur Tristanus: quo etiam pertinet Matthæum Salernitanum apud Jul. Cæs. Capacium in Antiquitatibus Puteolanis testari, se vidisse Dianæ statuam quindecim cubitorum alatam, & ab uno latere comitatam leone, ab altero panthera: quod valde Pausaniæ locum illustrat.

Lib. 5.

Tit. 1. pag. 404. Lib. 1. pag. 63.

NEMESIS alata laudatur Pausaniæ; *Πτερὰ δ' ἔχον οὐδὲ τοῦτο τὸ ἄγαλμα Νεμέσεως, οὔτε ἄλλο τεποίηται τῶν ἀρχαίων· Ἐπειδὴ δὲ Σμυρναίοις τὰ ἁγιώτατα ξόανα ἔχειν πτερὰ οἶδα ὕστερον· ἐπιφαίνεσθαι γὰρ τὴν θεὸν μάλιστα ἐπὶ τοῖς ἐρᾶν ἐθέλουσιν· ἐπὶ τούτῳ Νεμέσει πτερὰ, ὥσπερ Ἔρωτι ποιοῦσι. Nemeseos neque hoc neque aliud vetus signum alas habet. Apud Smyrnæos, quæ maxima cum religione coluntur signa alas habere postea deprehendi; cujus rei causam suspicor esse, quod cum dea maxime amatoribus præsit, ei ut Amori alas addunt.*

JUSTITIAM *alatam* facit Æneas Sophista; & Pindarus; ut indicarent procul dubio, celeritatem vindictæ divinæ ad punienda crimina.

Ep. pen. In Pyth. & Nem.

MOMUM reprehensionis & convitii deum Alcæus, Comicus antiquus; Μῶμε λαιψηρὰς ἐξέφυγεν πτέρυγας: quia nihil est tam volucre, quam maledicentia, & carpendi alios tetra libido; nihilque citius excipitur, vel latius dissipatur.

Dial. 5. AURORAM talem in nummo Gentis Plautiæ occurrere notat Antonius Augustinus. Et proculdubio respicit illum, in quo apud Ursinum Virgo alata in aere quasi pendens, & quatuor equos contumaces coercens cernitur. Nam & illi *equos roseos* tribuit Ovidius: & Jonem Chium poetam dithyrambicum ἀοῖον ἀστέρα *sidus eoum* vocarunt teste Aristophane in Pace; quia oden fecerat, cui principium erat; Ἀοῖον ἀεροφοίταν ἀστέρα μείνομεν Ἀελίου λευκῇ πτέρυγι πρόδρομον; *Eoum aerivagum sidus exspectamus, albis alis anteambulonem Solis*; uti legere apud Scholiastem licet; quanquam non plane eædem res sint stella, quam luciferum vocant, & aurora.

Lib. 1. Am. El. 8.

L. 3. c. 6. FORTUNÆ alas quoque tribuit Joannes Sarisberiensis; *Quos Fortunæ gratia* ALARUM *suarum remigio ad sublimia subvehit, & extollit; & a quibus qualibet magna domus dispositionis suæ formulam trahit, & habitum mutuatur*: qualis etiam cernitur in variis numismatis, quæ Suaresius & Kircherus luce publica donarunt.

VENTI alati cernuntur in turri marmorea, quam Athenis olim fecit Andronicus Cyrrhestes, quamque Sponius αὐτόπτης itinerario suo eruditissimo inseruit. Et quod notandum in Secundinorum monumento ad Mosellam in provincia Luciliburgensi, ventus alas, inter quas cornu oritur, capiti affixas habet, uti docet Wilthemius. Et ne poetas omnes advocem, ecce Boreæ etiam alas tribuit Ovidius;

Dypt Leodien. L. 6. Met.

Hæc Boreas, aut his non inferiora locutus
Excussit pennas ——

Et mox

—— *pavidamque metu caligine tectus*
Orythyian amans fulvis amplectitur alis.

Noto Valer. Flac. Lib. 1.

—— *Zephyrusque & nocti concolor alas*
Nimborum cum prole Notus.

adeoque sibi placuerunt in hoc figmento, ut & Boreæ filiis Zeti & Calai alas tribuerent; uti Argonauticorum scriptores, & Ovidius docent.

Dial. 2. PACEM in Græcis Locrensium nummis occurrere sedentis habitu & alatam, gerentem caduceum; cum Inf. ΕΙΡΗΝΗ testatur Antonius Augustinus: eademque talis cernitur in nummo Claudii Imper. cum Inf. PACI AUGUSTÆ.

Pag. 104. SOMNI alati effigiem edidit & illustravit nuper vir doctus; & Gruterus insuper testatur in marmore Romæ reperto cerni genium alatum, dormientem, dextra manu in humerum sinistrum, a quo velum retrorsum dependet, posita; sinistra mentum sustinente; crure sinistro in dextro imposito eumque faci inversæ inniti. Genius hic mihi vel somnus est, quia additur SOMNO ORESTILLA FILIA; vel GENIUS SOMNI in alia inscriptione laudatus. Verum, cum monumentum illud positum sit mortuis, arbitror SOMNUM hoc loco *mortem*, quæ in aliis inscriptionibus appellatur SOMNUS ÆTERNALIS, SOPOR, SOMNUS, ΥΠΝΟΣ; & figuram alatam inversæ faci innixam nihil aliud quam animam e corpore migrasse, denotare.

Est quoque simulacrum mulieris alatum, serpentum gyris circumvolutum, & innixum hastæ in pictura hieroglyphica Camerarii; qui arbitratur eam esse naturam, leges quasdam sua naturali prudentia & rediviva procreatione omnibus rebus nascentibus præscribentem. Verum, quia Lunæ comes, & quia similis plane absque alis figura Soli additur, potest Nox esse. Illi alæ tribuuntur, quia celerrime fluit, & vix homines dormientes eam præteriisse sentiunt: quod plane contrarium in DIE, qui Soli additur, obtinet; quia ob labores & ærumnas pluribus mortalibus, rusticis maxime, longus videtur: Fulgent. lib. 1. Myth.

Tum nox stellato mundum circumlita peplo
Cærula rorigeris pigrescere jusserat alis.

LUNA quoque vel DIANA LUCIFERA in nummo apud Tristanum facem accensam tenens, & alata, Faustinam in cælum fert: & Julia Mammæa in Lunæ habitum vel Isidis transformata, alas gerit in alio elegantissimo.

Infamiæ tribuit *alas atras* Silius Italicus: Lib. 15.

Ebrietas tibi fida comes, tibi luxus, & ATRIS
Circa te semper volitans Infamia PENNIS.

Tandemque apud Boissardum in monumento ATHANIÆ EPIERIDIS binæ figuræ muliebres nudæ & alatæ ex totidem cornucopiis emergunt; quæ quid sibi tamen velint, nondum satis perspicio. Et ne infernus mundus ejusmodi figmentis careret, *Eumenidibus* vel *Furiis* etiam alas dat Euripides; Orest. 276.

Α ἆ, τί δῆτα μέλλετ', ἐξακρίζετ' αἰθέρα
Πτεροῖς· τὰ Φοίβου δ' αἰτιᾶσθε θέσφατα.
Ah, ah, quid cunctamini? evolate in ætherem
Alis, & accusate oracula Phœbi.

& alibi eas δρομάδας πτεροφόρους appellat. Seneca Græcum Tragicum sequitur; Her. Oet. 1004.

Quænam ista torquens angue vipereo comam
Temporibus atras squalidis pinnas quatit.

Et apud Virgilium Alecto modo *fuſcas*, modo *ſtygias alas* habet; quanquam aliter Furiæ deſcribantur Pauſaniæ, cernanturque in nummo M. Julii Philippi Cæſaris ab Antiochenſibus percuſſo apud Seguinum. Atque hæc quidem occaſione TEMPORIS, ut in marmore occurrit, ALATI; quorum ſi multa ἀπροσδιόνυσα ſunt, in meliorem partem accipias, Lector, rogo; & quod paululum extra oleas, ut eſt τὸ λεγόμενον, vagatus ſim, dona materiæ non plane injucundæ.

HOMERUS ipſe παντοίας σοφίας ἴδμων, καὶ τῶν λόγων ὠκεανὸς, uti appellatur Joanni Diacono in allegorica explicatione IV. primorum verſuum Iliados libri quarti apud Lambecium Tom. VII. Bibl. Cæſareæ; vel ὁσοφὸς, quo elogio eum ornat Julianus Epiſtola 39. hinc ſequitur in terris Deus; quem honorem eruditionis præſtantis viris habitum eſſe multis exemplis docui; firmatque itidem Empedocles qui teſte Laertio, vivus a Selinuntiis in genua procumbentibus, tanquam Deus adoratus eſt; cuique Pauſanias amicus monumentum fecit, ἢ ἀγαλμάτιόν τι, ἢ σηκὸν οἷα Θεῷ; *aut imaginem quandam parvam, aut ſacellum quaſi Deo*. Sedet autem tunicam indutus, cujus manicæ primis humeris hærent, vel quæ ad medios lacertos deſcendunt. Triplicem mihi tunicarum formam quoad brachia notavi; ſuntque vel manuleatæ, vel parvas manicas habent; vel denique plane iis carent. Ultimum genus cernere licet in Caſtore; & Edeſſæ regulo Abgaro apud Triſtanum; illudque *colobium* vocare ſolent, q. d. mutilum: Iſidorus; *Colobium dictum quia longum eſt & ſine manicis; antiqui enim hoc magis uteban tur*; unde emendandæ Gloſſæ Arabicæ apud Vulcanium; *Levitonarium eſt colobium lineum ſine manicis*; cum vulgo male ſcribatur, *ſine tunicis*; alii tamen parvas iis manicas, quales in Homero obſervavi, & in plurimis marmoribus antiquis, tribuunt; Caſſianus: *Colobiis quoque lineis induti, quæ vix ad cubitum ima pertingunt, nudas de reliquo circumferunt manus*. TRAGOEDIA brachia uſque ad manus velatas habet; quod apud Romanos infame olim fuiſſe, ex Gellio, Cicerone aliiſque docuerunt viri docti. Græci χειριδωτὰς χιτῶνας, vel καρπωτὰς dixerunt, id eſt, μέχρι τῶν καρπῶν χειρίδας ἔχοντας. Et quamvis iis probroſæ fuerint, utpote barbaris ſive Perſis propriæ, tamen Epicurus *manuleatus* a Seneca deſcribitur; Hercules Tragicus apud Caſalium non aliter veſtitur, & denique Tragicis tribuit Lucianus, ſi viro docto fidem habemus: Καὶ τοὺς, ait, ἐμβάδας καὶ τοὺς ποδήρεις χιτῶνας καὶ χλαμύδας καὶ χειρίδας καὶ προγαστρίδια καὶ σωμάτια; id eſt, vertente Vincentio Obſopœo: *Calceos & tunicas ad pedes uſque porrectas, & chlamydes & chirothecas, & ventriculos & corpuſcula*. Eadem ornamenta tragica, exceptis προγαστριδίοις recenſet quoque Julius Pollux: verum σωμάτιον vel σωμάτειον ipſi exponitur *ſtola*; καὶ σκευὴ μὲν ἡ τῶν ὑποκριτῶν στολή· ἡ δ' αὐτὴ καὶ σωμάτειον ἐκαλεῖτο; alibi: σωμάτιον ἡ τῶν ὑποκριτῶν σκευή; videturque ita hæc veſtis dicta eſſe, quia totum corpus cingebat & involvebat: προγαστρίδια redduntur *ventriculi*, Minerva itidem, quemadmodum reor, invicta; quia potius fuere *ventralia* vel veſtimenta brevia ad inſtar thoracis, muniendo ventri tunicæ ſubjecta; uti interpretatur Ferrarius. Sed quod idem alio loco vir eruditiſſimus interpretem carpit, & χειρίδας tranſpoſita voce *tunicas talares manuleatas* vertit, necdum approbare potui: potiuſque ſuſpicor, inter tragicum vel ſcenicum apparatum *chirothecas* fuiſſe. Semus ſane Eleus, Grammaticus apud Suidam *Ityphallis* tribuit *chirothecas florida*; οἱ δὲ ἰθύφαλλοι προσωπεῖα μεθυόντων εἶχον, καὶ χειρίδας ἀνθεινὰς καὶ χιτῶνα μέχρι τῶν σφυρῶν; quod idem Lexicographus ſine auctoris nomine tradit in v. φαλλοφόροι. Quin & tragœdis eundem habitum tribuit D. Chryſoſtomus; Τὰς δὲ χεῖρας καθάπερ οἱ Τραγῳδοὶ, οὕτω μετ' ἀκριβείας ἐνδιδύσκουσι, ὥστε νομίζειν προσπεφυκέναι μᾶλλον αὐταῖς; *Manus vero ſicut Tragœdi tam accurate chirothecis muniunt* (virgines ſacræ) *ut adnatas iis exiſtimes*. Nec dubito idem tradere Pollucem loco eleganti admodum, ſed viris eruditiſſimis, ut mea fert opinio, parum intellecto. Nam poſtquam varia tragicorum ornamenta, & cum iis chlamydem chlænamque recenſuiſſet, addit; Ἐφαπτὶς συνεσπειραμάτιόν τι φοινικοῦν ἢ πορφυροῦν, ὃ περὶ τὴν χεῖρα εἶχον οἱ πολεμοῦντες ἢ οἱ θηρῶντες; *involucrum quoddam puniceum purpureumve, quod manibus circumvolvebant milites vel venatores*. Janus Ulietius arbitratur ἐφαπτίδα fuiſſe inſigne hiſtrionum, quo perſona bellica vel venantis agnoſcebatur, quale hodie fere milites in brachio etiam alligant: Scaliger interpretatur chlamydem, quam brachiis circumvolvebant milites cum ſcuto carerent. Sed hos refellit ipſe Pollux; illum (ne dicam morem talem apud neminem veterum reperiri) quia non *brachium*, verum χεῖρας ſive *manus* nominat; hunc vero, quia chlamydis vel chlænæ jam meminerat, nec de iis tanquam de re parvula, ut indicat συνεσπειραμάτιόν τι, loqui cenſendus eſt. Neque tamen ignoro ἐφαπτίδα chlamydem vel paludamentum ſignificare. Nam, ne alios adducam, ita loquitur Euſtathius; οὐ μὴν δηλαδὴ καὶ αἱ χλαμύδες, ἃς ἐφαπτίδας φασὶν εἰρῆσθαι παρὰ τῷ εἰπόντι, ὅτι εἶχον πορφυρᾶς ἐφαπτίδας, πολλοὶ δὲ καὶ διαχρύσους ζώνας: Auctor fragmenti, quod laudat, anonymus, eſt Athenæus; qui libro quinto his verbis utitur in deſcribenda pompa Antiochi regis; & ex quo conſtat apud Euſtathium ſcribi oportere, διαχρύσους καὶ ζωωτάς, id eſt, *paludamenta auro texta, & animalium figuris variegata*. Quid igitur? puto ἐφαπτίδα Pollucis eſſe *chirothecas*, non tales, qualibus hodie politiores vel ruſtici utuntur; ſed faſcias & lintea, quibus tota manus, & forte ſinguli digiti ſeorſim involvebantur. Hoc eſt quod tradit Muſonius apud Stobæum; διὰ τοῦτο οὐδαμῶς καλὸν οὔτε ἐσθήσεσι πολλαῖς κατασκέπειν τὸ σῶμα, οὔτε ταινίαις κατειλεῖν, οὔτε χεῖράς τε καὶ πόδας περιδέσει πίλων ἢ ὑφασμάτων τινῶν μαλα-

Tom. 2. p. 268. & 519.

In Jove Trag.

Lib. 4. c. 18.

Lib. 1. c. 18. P. 1. de Re veſt.

Hom. 8. Ep. pr. ad Tim.

Ad Nem.

Ad Varr.

Ad Il. Π. p. 1056.

Serm. 1.

κύνειν τούς γε μὴ νοσοῦντας; *Quare minime honeſtum eſt veſtitu nimio operire corpus aut faſciis involvere, aut manus pedeſque circumligatis pannis ac linteis quibuſdam molles ac languidos reddere, cum morbo non ſunt impliciti.* Ut enim apud Pollucem συςρεμμάτιον, ita apud Stobæum περίδεσις ſive *circumligatio* occurrit; utque pedes faſciis, quas *pedules* & περιειλήματα ποδῶν vocant, involverunt, ita aliis manus, & forte, quemadmodum monui, digitos ſingulos. Et hæc quidem occaſione tunicæ manicatæ, quam TRAGOEDIA induitur; quæque non ſecus ac exterior veſtis humum verrit; quarumque de altera ita canit Ovidius

Lib. 3. Am. 1

> *Venit & ingenti violenta Tragœdia paſſu,*
> *Fronte comæ torva, palla jacebat humi.*

Nam ſive tunicam, ſive pallium intelligas, nihil errabis; quia *palla* nonnunquam, quod negant viri eruditi, tunicam ſignificat. Cornificius *chlamydem* i. e. veſtem exteriorem; & *pallam* i. e. interiorem, citharœdo tribuit; *Ut citharœdus cum procedit optime veſtitus*, PALLA *inaurata* INDUTUS *cum chlamyde purpurea coloribus variis intexta*; neque aliter interpretandus Ovidius eſt;

Lib. 3. ad Her.

Lib. 14. Met.

> *—— pallamque induta nitentem*
> *Inſuper aurato circumvelatur amictu.*

Nam non modo *amictui* vel *amiculo*, quod quia exterius veſtimentum eſt, recte *circumvelare* dicitur, opponitur; verum etiam *induere* (quod verbum tunicæ convenit, ut apud Apulejum: *Habebat tunicam indutui, pallium amictui*; & Ovidium,

> *Induiturque humeris cum lato purpura clavo*)

de ea uſurpatur, non ſecus ac apud Plautum

> *—— non ego te indutum foras*
> *Exire vidi palla? ——*

Ad talos autem uſque deſcendiſſe, idem Ovidius alibi docet;

> *Ima videbatur talis illudere palla*
> *Namque hæc in nitido corpore veſtis erat.*

Lib. 3. Amor. El. 4.

videantque eruditi; num *in nitido corpore* poſitum ſit pro, quod Græci ἐν χρῷ dicunt, ſeu *in nudo corpore*; quodque Apulejus exprimit per, *tunicam habere indutui ad corpus*. Hoc enim ſi verum foret, teſtimonium omni exceptione majus haberemus, conſtaretque *pallam* interdum interiorem veſtem ſive tunicam denotare. Neque tamen cum Rubenio Alberto, omnibus in locis *pallam* eo ſenſu ſumi exiſtimo; quia tot auctorum verba contrarium evidentiſſime evincunt, quos ne recenſeam, facit Vir præſtantiſſimus, & rei veſtiariæ veterum peritiſſimus Octavius Ferrarius: quo pertinet Varronem *pallam* inde deducere quod *foras ac palam* geſtetur, quæ quamvis tunicæ exteriori etiam conveniat derivatio, commodiſſime tamen de amiculo exponitur. Ut autem TRAGOEDIA tunicam ad pedes demiſſam induitur, palliumque trahit; ita eundem habitum Tragœdiarum actoribus tribuit Plutarchus: Α ὃ Δοῦρις ὁ Σάμιος Ἀλκιβιάδου φάσκων ἀπόγονος εἶναι προςίθησι τούτοις, αὐλεῖν μὲν εἰρησίαν τοῖς ἐλαύνουσι χρυσόγονον τὸν Πυθιονίκην κελεύειν δὲ Καλλιππίδην τὸν τῶν τραγῳδιῶν ὑποκριτὴν ΣΤΑΤΟΥΣ καὶ ΞΥΣΤΙΔΑ καὶ τὸν ἄλλον ἐναγώνιον ἀμπεχόμενον κόσμον; *Quæ vero his Samius Duris, ſtirpem ad Alcibiadem referens, addit; ad tibiam eum remos concitaſſe, claſſicum modulante Chryſogono Pythonice, hortatorem Callipedem fuiſſe tragœdiarum actorem, recta tunica & ſyrmate, reliquoque cultu, quo prodire in ſcenam ſolet, ornatum, ea Theopompus non prodidit.* Sed ſi ςατοὶ χιτῶνες vel, ut alii loquuntur, ςάδιοι ſive ὀρθοςάδιοι ſunt, interprete Polluce οὐ ζωννύμενοι vel non cinctæ, in marmore contrarium obſervatur; Tragœdiaque tunicam cinctam induitur; quomodo Dio etiam Caſſius ὀρθοςάδιον χιτῶνα Neroni tribuit; qui tamen in nummis citharœdico habitu inſignis cinctam itidem gerit; quæ quomodo conciliari poſſint, niſi exponas *rectas tunicas, quæ ſurſum verſus a ſtantibus* texebantur, ſagaciores excutiant.

cap. 25. Analect.

In Alcib.

Lib. 63.

In ILIADE & ODYSSEA nihil amplius notandum reſtat, niſi quod colorem cæruleum, *thalaſſicum* vocet Plautus; veſtes ipſas *thalaſſinas* Lucretius;

> *Scilicet & grandes viridi cum luce ſmaragdi*
> *Auro includuntur, teriturque thalaſſina veſtis*
> *Aſſidue & Veneris ſudorem exercita potat.*

& Nonio *Cumatilis color* explicetur *aut marinus aut cæruleus*; *tractumque* ſcribat *a Græco quaſi fluctuum ſimilis. Fluctus enim Græce κύματα dicuntur.* Gruterus & Mercerus exiſtimant hoc nomen veſtibus dari non a colore, verum a textura repræſentante fluctus; indeque Varroni apud Nonium eaſdem *undulatas* appellari. Sed ne dicam fluctuum agitationem omnibus coloribus, ut hodie fieri amat, potuiſſe repræſentari, Titinius *colorem cumatilem*, Plautus *thalaſſicum* celebrat, hicque ita exponit *ferrugineum*; & tandem Ovidius non obſcure indicat *undulatas veſtes* a colore nomen habere;

L. 3. Art.

> *Hic undas imitatur, habet quoque nomen ab undis*
> *Crediderim nymphas hac ego veſte tegi.*

Nam deabus marinis ſive nymphis cæruleas veſtes dari, ſat multis exemplis docui; & poeta de variis veſtium coloribus agit, ut vel locum inſpicienti patebit.

Nec alio colore arbitror fuisse *togam regiam undulatam* qua Servius Tullius, Plinio teste, fuerat usus, quam etiam celebrat Varro apud Nonium: *Et a quibusdam dicitur esse Virginis Fortunæ ab eo quod duabus* UNDULATIS *togis est opertum; proinde ut olim nostri reges* UNDULATAS *& prætextas togas soliti sint habere.*

Lib. 8. c. 48.

Sed ut pergam, per *mures*, licet soli sint, non secus ac *ranas* apud Martialem posse intelligi Ranarum & Murium pugnam dubitanter affirmavi; nunc adde ultimam loquendi rationem usurpatam etiam esse Fulgentio,

Lib. 1. Myth.

Quod Mæonius ranarum
Cachinnavit prælio
Parrhasia candicanti
Dente lyra concrepet.

quo ex loco insuper discimus, carmina *Mæonidis* vel *Mæonii vatis*, sive *senis*, ut alii eum appellant, ad lyram fuisse decantata.

ΜΥΘΟΣ tunica caret, soloque pallio corpus, excepto pectore, humero & brachio sinistris velat: quomodo plane ex Lycurgi instituto Lacedæmoniorum pueri ab anno duodecimo, ἄνευ χιτῶνος ἤδη διετέλουν, ἓν ἱμάτιον εἰς τὸν ἐνιαυτὸν λαμβάνοντες, *sine tunica agebant, unum accipientes quotannis pallium*, narrante Plutarcho; quod & firmat Agesilai historia apud Ælianum; nec non Justinus memoriæ mandans juvenibus Lycurgum non amplius una veste uti toto anno permisisse. Quin & *pallia* inter puerilia vestimenta numerat Ulpianus; *Puerilia vestimenta esse ait, quæ ad nullum usum pertinent nisi puerilem, veluti togæ prætextæ, aliculæ, chlamydes,* PALLIA, *quæ filiis nostris comparamus*. Est præterea puerulus noster nudis pedibus; quem habitum & pueris suis præscripsit Lycurgus; & potuit hoc factum esse reverentiæ causa, uti in multis sacris fieri solere apud gentiles constat. Nam & inter Pythagoræ symbola fuit, Ἀνυπόδητος θύε καὶ προσκύνει apud Jamblichum, quod ex Mosaica historia petitum esse affirmat Ambrosius. Apud Cretenses ædem Dianæ Britomartys *præterquam nudus vestigia, nullus licito ingreditur*; & matronæ Romanæ Vestæ ad ædem *nudo pede descendebant*, Solino & Ovidio testibus; unde Glossæ Barthianæ ad Statium, narrantem Atlantam Parthenopæi matrem somni figuris turbatam *plantis ex more solutis* ad Ladonis undas ivisse, ut malum soporem vivente fluvio purgaret, notant: *Sacrificantium more nudaverat plantas*. Sed obvia talia sunt, & viris eruditis notata; quapropter me ad alia convertam, Virginisque quæ faces tollit, habitum inspiciam. Nam præterquam quod *amiculo humeros onerat*, quod quid sit docuerunt Casaubonus, Ferrarius & ipse in observationibus, capillos in vertice nodo constrictos gerit, more Græcis usitatissimo. Hunc habitum Dianæ tribuit Ovidius;

In Lyc. Lib. 7. cap. 13.

Tit. de Aur. & arg. leg.

Lib. 2. Ep. 6.

L. 9. Tr.

L. 2. c. 5

Altera succinctæ religetur more Dianæ,
Ut solet attonitas cum petit illa feras.

quæ propterea dea frequenter in moneta veterum talis occurrit; ita tamen ut capillus interdum in duo membra vel πλέγματα dividatur, & alterum in summo vertice, alterum in occipitio religetur; quemadmodum hi nummi testantur.



In viris ejusmodi ornatus κρώβυλος; in fœminis κόρυμβος, in pueris σκορπίος, notante Thucydidis Scholiaste dicebatur, ac in genere Nicolaus Damascenus appellat κόμην κεκορυμβωμένην.

BOVI *laxata cornua* Plinium a me emendatum tribuere arbitror; nisi forte quis *luxata* interpretari malit, quæ boves pro libitu huc illuc movere instar aurium possunt; uti de *Phrygiæ* bubus memoriæ mandat Aristol. l. 3. c. 9. H. Anim. & de *Indicis* Solinus, Plinius atque Agatharchides.

COMOEDIA tunicam talarem sed per pulpita non tractam gerit, quam Græcos συμμετρίαν appellare reor. Sane Pollux illam Comicis tribuit; estque ipsi χιτὼν ποδήρης ἁλουργὸς κύκλῳ; non secus ac Hesychio ἔνδυμα γυναικεῖον ποδῆρες οὐκ ἔχον συρμα; *vestimentum muliebre talare syrma non habens*. Ut autem propter causas a me allatas Comœdiam fœmina repræsentat, ita non absque ratione eandem puero Theopompus designavit. Nam cum opera Æsculapii sanitati esset restitutus, jussit se ex Pario marmore in lectulo jacentem sculpi, adstantibus salutares manus porrigente deo, & puero μικρῷ *tenero* subridente. Hunc Suidas vel is ex quo sua hausit, indicare arbitratur poetam jocorum esse amantem: Ἐγὼ, ait, συνίημι τὴν φιλοπαίκτην (ita legendum non φιλοπαίςην, quomodo ψηφοπαίκτης ac ψηφοπαικτέω apud eundem & Pollucem inveniuntur) ποιητοῦ ὑποδηλοῦν; adjicit deinde rationem: γελᾷ γὰρ καὶ τῆς κωμῳδίας τὸ ἴδιον διὰ συμβόλων αἰνίττεται; *ridet enim, & comœdiæ proprium characterem per signa indicat*; scilicet & *risus* comœdiis tribuit Claudianus

Lib. 1. in Eutr.

Quo socci superent RISUS, *luctusque cothurni.*

SAPIENTES vel Σοφοὺς Græcis dictos esse, qui in qualibet arte excellerent, docet insignis locus Aristotelis, qui exstat lib. v. Moralium ad Eudemum; τὴν δὲ σοφίαν ἐν τῇ τέχναις, τοῖς ἀκριβεστάτοις τὰς τέχνας ἀποδίδομεν· οἷον Φειδίαν λιθουργὸν σοφὸν

σοφον· & Πολύκλειτον ἀνδριαντοποιόν· ἐνταῦθα μὲν ὖν ὐθὲν ἄλλο σημαίνοντες τὴν σοφίαν, ἢ ὅτι ἀρετὴ τέχνης ἐστιν: Sapientiam autem in artibus attribuere illi solemus, qui in istis sunt exercitatissimi: unde Phidiam sapientem marmorarium, Polycletum sapientem statuarium dicimus; nihil aliud hic sapientiæ nomine, quam artis præstantiam significantes. In marmore antiquo apud Reinesium centesimo quinto & septuagesimo classis XVII. non alio sensu Latinorum DOCTUS occurrit;

NOVERAT HIC DOCTA FABRICARE MONILIA DEXTRA
ET MOLLE IN VARIAS AURUM DISPONERE GEMMAS.

quin & Synesius in Encomio calvitiei scribit canes, *ὧν ὦτα καὶ γαστέρες ψιλαὶ, σοφωτάτυς τῶν κυνῶν εἶναι*; & ita ipsam Sapientiam animalibus tribuit.

Atque hæc sunt quæ monere necessarium valde esse duxi, ut major lux vestibus non modo, quibus figuræ ornatæ incedunt, verum etiam ipsi marmori affulgeret; & finem facerem atque ad tertiam partem transirem, nisi quæ *vestium* de *clavis* & *patagio* mihi notata sunt, ut adjiciam hortaretur materiæ ipsius elegantia.

PATAGIUM igitur cum viris eruditis esse arbitror limbum, fasciam vel segmentum, quod tunicæ circa collum vel fauces assuebatur; indeque recte Festo illud exponi, *quod ad summam tunicam assui solet*. Eodem sensu hanc vocem apud Apulejum (Lib. 2.) occurrere censent nonnulli: *Uberes enim*, ait, *crines leniter emissos & cervice dependulos, & deinde per colla dispersos, sensimque sinuato patagio residentes paulisper ad finem conglobatos in summum verticem nodus adstrinxerat*. Verum mihi Apulejus videtur ipsos crines a fronte usque in collum per tempora contortos, ut frequentissime in nummis animadvertere licet, *patagium* vocare; quia scilicet & verum patagium circa illud erat. Hanc ut firmet opinionem Rubenius adducit elegantem valde Juvenalis locum (Sat. 5.);

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat; & longo jactetur spira galero.

Vult dicere; si quis dubitat Gracchum, Saliari sacerdotio præditum, ut retiarium in arena pugnare, credat tunicæ Saliari purpureæ, & aureæ spiræ de faucibus tunicæ se porrigenti; uti explicat non inerudite Ferrarius; qui tamen Rubenium reprehendit, quod *spiram* putaverit esse *patagium*; sibique nondum exploratum esse fatetur, quomodo quæ de faucibus tunicæ se porrigebat, possit dici jactari longo galero. At mihi nondum constat Rubenium existimasse *spiram* ita debere interpretari; quippe qui verba illa omittat, & hæc tantum ponat;

Credamus tunicæ, de faucibus aurea cum se
Porrigat —— ——

id est, fidem habeamus tunicæ, hunc hominem in arena depugnantem Salium & Gracchum esse; quia illa circa fauces aurea est, vel aureum limbum sive patagium habet. Mox Satyricus alterum non leve minus argumentum subjicit, *spiram* n. *jactari longo galero*. Quod ut percipiatur, observandum, Salios gestasse apices vel pileos fastigiatos in coni formam: Dion. Halicarn. (Lib. 2.) *Καὶ τὰς καλυμένας ἄπικας ἔπικας ἐπικείμενοι ταῖς κεφαλαῖς, πίλυς ὑψηλὺς εἰς σχῆμα συναγομένυς κωνοειδὲς, ὓς Ἕλληνες προσαγορεύυσι κυρβασίας: Gestant etiam capitibus, quos vocant apices, fastigiatos in coni formam pileos: Græci appellant* Κυρβασίας; per *spiram* autem intellige fascias quibus apex sub mento stringi solebat (uti patet ex iis quæ notat Festus in v. *Apiculum* & *Offendices*, atque ad eum Scaliger (Lib. 1. c. 29. de Vet. Jure Pont.)) ne decideret; quas liberas & per humeros fluitantes relinquebat Gracchus, non secus ac sacerdos in Pompiliæ Gentis nummo, prout editur a Jacobo Gutherio.



Licet autem retiarii tunicati fuerint, non tamen illorum tunicæ aureis patagiis ornabantur; & si galerum gestarunt, iste nec offendices videtur habuisse, nec fuisse coni forma, unde facile Gracchus ab aliis distingui poterat, atque ab omnibus cognosci. Imo dubito adhuc, num galero caput muniverint hujus generis gladiatores, uti arbitrantur viri eruditi; cum quia *nudum vultum* ipsis tribuunt Suetonius, Juvenalis, Valerius Maximus; tum quia Juvenalis verba, quibus de Graccho agit, omnibus retiariis aptari nequaquam possunt; & Suetonius, quem adducit Calderinus, non de Nerone retiario, sed nocte per popinas & loca ædilem metuentia vagante agit; tandemque quia nulli usui huic generi gladiatorum galerus fuit, quippe qui rete pugnabant, & illo adversarium in terram trahere conabatur. Sed cum *patagium* ornamentum sit, quod summæ tunicæ solebat adsui; qui factum est, ut Nonio explicetur *aureus clavus, qui pretiosis vestibus immitti solet?* Scilicet nulla inter patagium & clavum fuit differentia, nisi quod hic recte per vestes descenderet, illud vero transversas ornaret; ita ut ambæ forent lineæ diversum nomen propter diversum, quem occupabant in tunicis locum, sortitæ. Nam verissime docuit Rubenius Albertus CLAVUM nihil aliud esse, quam lineam vel latam vel angustam; unde & priscæ ecclesiæ dalmaticis *clavos ex purpura* tribuit Isidorus, *Virgulas* vero *coccineas* Alcuinus. Atque ut patagium *clavus* expo-

nitur Nonio, ita nonnulli apud Servium *nimbum*, vel *limbum* (ut ſcribendum videtur, quia res toto cælo diverſæ ſunt) interpretantur *clavum tranſverſum in veſte*; & Feſtus *ricinium* togam ſcribit eſſe muliebrem, *prætextam clavo purpureo*. Neque enim mihi fit veriſimile, hos viros, quorum ultimus ætate aurea vixit, adeo rerum temporibus ſuis obviarum vixiſſe ignaros, ut quid fuerit CLAVUS veſtium ignoraverint; ſed cum viderent nullam aliam clavorum formam, quam linearum transverſarum & inſtitarum eſſe, eodem nomine has deſignarunt addita differentia, quæ per τὸ *tranſverſum* & *prætextam* ſatis ſuperque palam fit; cum contra clavi proprie & per excellentiam ita dicti *recte deſcendant*. CLAVI igitur lineæ ſunt; unde alii eos VIAS, & TRAMITES, docente Rubenio, appellant; licet obſervaverim hæc nonnunquam auctoribus diſtingui: Auctor paſſionis SS Perpetuæ & Felicitatis: *Et exivit vir quidam miræ magnitudinis, ut etiam excederet faſtigium amphitheatri diſcinctatus purpuram inter duos* CLAVOS *per medium pectus, habens* CALLICULAS *multiformes ex auro & argento factas, efferens virgam quaſi laniſta & ramum viridem, in quo erant mala aurea*, Holſtenio, viro doctiſſimo, *diſcinctatus purpuram inter duos clavos* exponitur purpuream veſtem gerens clavis duobus vel faſciis diſtinctam ſine zona; quæ interpretatio etſi vera ſit, firmetque Rubenii de clavis ſententiam; doceri tamen velim qua ratione dicatur *purpura inter duos clavos* pro, veſte purpurea duobus clavis ornata. Suſpicio quapropter mihi nonnunquam oborta, verba hæc ita ordinanda eſſe: *diſcinctatus purpuram; inter duos clavos, per medium pectus, habens calliculas multiformes*. Et *diſcinctatus purpuram* indicat, hunc virum indutum fuiſſe tunica purpurea diſcincta; uti apud Ciceronem *purpura uſque ad talos demiſſa* de veſte purpurea, vel purpura prætexta legitur; & *purpuram ſumere* dicuntur Imperatores imperium, cujus veſtis purpurea inſigne, capeſſentes: ſequitur, *inter duos clavos, per medium pectus habens calliculas multiformes*; id eſt, tunicam gerebat duobus clavis ab utroque pectoris latere (ubi Rubenius docet fuiſſe clavos anguſtos) inſignem; ipſumque pectus ornatum erat multiformibus calliculis id eſt, ut auguror, lineis, quas pariter Tibullus & Servius *vias*; Rabanus Maurus & Honorius Auguſtodunenſis *tramites* vocaverunt. Nam ut ab *avis avicula*, a *pellis pellicula*, a *cutis cuticula*, ita a *callis*, licet maſculini generis ſit, *callicula* videtur deſcendere. Eodem ſenſu plane apud Homerum οἶμοι id eſt *viæ* occurrunt, eaſque Scholiaſtes & Euſtathius explicant ὁδὺς, ςίχυς κὶ ῥάβδυς; talemque fere veſtem obſervaſſe videor in Roma Aringii ſubterranea, & ςολὰς σωλιωώτας nominat Georgius Cedrenus, explicante P. Jacobo Goar. Idem Auctor paulo ante ita loquitur: *pridie quam pugnaremus video in boromate hoc: veniſſe Pomponium Diaconum ad oſtium carceris, & pulſare vehementer: & exivi ad eum, & aperui ei: qui erat veſtitus diſtinctam* (forte & hic ſcribendum *diſcinctam*) *candidam, habens multas* (alii *multiplices*) CALLICULAS; id eſt, vias, tramites, lineas in veſte. Neque tamen ignoro, doctiſſimum Poſſinum arbitrari *calliculas* eſſe appendices rotundas, ornatus cauſa additas capitibus militarium thoracum in acumen deſinentibus; quæ poterant ex byſſo, purpura, & ſimili materia eſſe interdum e metallo, cujus generis erant tintinnabula & malo-granata in extrema ora ſummi ſacerdotis poſita. Quem ut refellere non eſt animus, maxime quia ejuſmodi ornamenta dependent ex faſciis vel lineis per pectora Sampſonis, Methodii & Germanici deſcendentibus apud Jacobum Goar; ita arbitror eum errare, dum *Galliculas* vel τροχάδες, ut in Gloſſis exponuntur, ad eum modum explicat; & aliquid rotundum & volubile fuiſſe, quia τροχὰς vocatur *Gallicula*, putat. Nam *Gallicula* fuit calcei ſpecies, aliiſque *Gallica* dicitur, uti ex Tertulliani carmine quod in Senatorem Iſiacum compoſuit, Gellio, Juvenalis Scholiaſte, aliiſque patet; & τροχάδες exponuntur Heſychio σανδάλια ἀπὸ τῦ αἰγεία δέρματος. Sic in Iſidori Gloſſis *Kalones* explicantur *Gallicæ mulierum*; quod nullam ob cauſam in *Galeæ* mutat Vulcanius; quia, teſte Feſto, *calones* ſunt *calcei ex ligno facti*. Nihil igitur commune hæc inter ſe loca habent; quia *Calliculæ* in Paſſione laudatæ ſunt ornamenta veſtium, ſive lineæ, ſive (facit enim loquendi ratio, ut ipſe mihi cum nova interpretatione vix placeam) quid aliud; unde in Gloſſis MSS. apud Carolum du Freſne, virum erudititiſſimum, *Gallicula* exponuntur, *calciamenta paſtorum*. *Gallicula ſignum veſtis*. Quicquid ſit, ex loco laudato conſtat binos clavos una in veſte fuiſſe; quod non

Il. A. 24.

Lib. 3. c. 22. p. DLXXI.

In Rit. Gr.



leviter firmat opinionem Rubenii; qui existimat totidem clavos angustos; latum vero non nisi unum fuisse per medium pectus demissum, prout canit poeta;


—— & latum demisit pectore clavum.

sique verum est, matronas in Asia olim, omnesque sacerdotes fere externarum religionum laticlavia veste insignes fuisse; videor eum observasse una cum patagio in figura fœminea, quæ exstat in Caracallæ nummo, quam Tristanus Dianam Alphæam esse arbitratur. Eundem ornatum mihi notavi in pervetusta Urbis Romæ imagine apud Lambecium; variis imaginibus, quæ cum Imp. Leonis oraculis editæ sunt inter Historiæ Byzantinæ scriptores; Carolo Magno, cujus effigiem publici juris fecit Paulus Petavius, & denique multis figuris, quæ exstant in Roma subterranea; quarum unam apponere visum fuit.

T. 3. Bibl. Vindob.

Tunica quidem laticlavia cingitur contra morem Romanorum, uti docuit Manutius; sed firmat opinionem Rubenii in explicando Quintiliano; & quod reprehendit hic in angusticlavia, illud in laticlavia observo; eamque posse cingi, ut purpuræ, id est clavi angusti non recte descendant, vix finit me dubitare figura laudata: *Cui*, ait, *laticlavii jus non erit, ita cingatur, ut tunicæ prioribus oris infra genua paulum, posterioribus ad medios poplites usque perveniant. Nam infra mulierum est, supra centurionum. Ut purpuræ recte descendant, levis cura est, notatur interim negligentia*; id est, negligitur vulgo, ut clavi recte descendant, vel ut pars supra cincturam, respondeat ad amussim illi, quæ infra eam est; negligentesque eo nomine homines habentur; qui simplicissimus & verus istorum verborum sensus est. In eadem præterea Roma subterranea multæ cernuntur figuræ, quæ tunicas binis clavis ornatas gerunt; ita ut eædem per humeros videantur descendere; & non leve pondus adjiciant Rubenii opinioni, censentis *angustos clavos* tam a posteriore, quam anteriore corporis parte fuisse. Sed & idem vir doctissimus ex Eucherio & Sedulio *pænulas clavatas* fuisse conatur probare. Hoc non videtur obtinuisse Rep. Romana vetere; sed tamen Christianos hunc ornatum iis addidisse, docet præterea elegans pænulæ figura, quam ex eadem Aringii Roma exhibeo.

Lib. 11. Inst. c. 3.



Nam duo hic clavi visuntur; estque hæc vera pænulæ figura, non quam vir eruditus laudat, uti jam docuit literatissimus Ferrarius tam in Analectis, quam in Libris de Re Vestiaria, nec non Thomas Bartholinus, vir doctissimus & Daniæ suæ lumen in commentario de Pænula.

Quod tandem ad nomen artificis, mar-

mori inditum, attinet; observavi sæpe illud solum in secundo casu operibus adponi, ΜΥΡΩΝΟΣ inscribitur basi statuæ Deæ tenentis cornu copiæ, teste Choquiero in Antiquitatibus Viennensibus: & nonnunquam suspicabar bina nomina, quæ gemmæ antiquæ cum aliis editæ a Marco Antonio Canini adjiciuntur, ΑΠΟΛΛΟΔΟΤΟΥ ΛΙΘΟ, non significare, *pietra o gemma donata da Apollo*; verum primum esse nomen artificis; alterum nomen artis, & denotare λιθογλυφία vel λιθογλύφον id est sculptorem; qui non Aspasiæ, ast Minervæ vultum gemmæ insculpsit. Neque enim quia in alia gemma, eodem vultu notabili, ΑСΠΑСΟΥ legitur, ambas ad Aspasiam referri debere persuasus sum. Quin potius ΑСΠΑСΟΥ mihi itidem nomen artificis est; galea, hasta, & ægis suadent Minervæ hanc προτομὴν esse; ut jam non dicam, nunquam Aspasiam Ασπασον appellari a veteribus; & in priore galeam ornari gryphe, quod animal ejusdem deæ galeæ tribuit Pausanias.

Lib 4. c. 13.

Jam finem explicationi marmoris imponerem, nisi cum eam typographo traditurus eram, ad me forent allatæ eruditissimæ & humanissimæ litteræ Nobilissimi Viri, & gestis legationibus perquam illustris, Ezechielis Spanhemii. Cum autem a tam præclaro Ingenio non nisi doctissima soleant proficisci, parili, Lector, mecum aviditate cognosces, quæ elucidationi Homericæ consecrationis inserviunt. Male scilicet me habebat vir palliatus prope antrum basi impositus; virum maximum & in hoc studiorum genere exercitum ad miraculum usque consului, atque ejusmodi responsum tuli: „Quod autem tuum de viro illo basi prope antrum insistente, & qui tibi, ut ais, crucem figit, judicium ad arbitrium meum defers, in eo utinam voluntati tuæ obsequi, aut exspectationi satisfacere mihi liceret. Verum cum & alio, tum & hoc ante omnia cupiditati hac in re meæ obfuisse, meisque ad te litteris unam inde moram adlatam noris, quod neque illius marmoris ectypum aut schema haberem hic loci, neque unde nanciscerer scirem, nisi quod demum ante diem unum vel alterum in Kircherii Latio sese mihi denuo videndum præbuit. Neque ideo tamen occurrit hactenus quicquam, quod animum meum in eo, de quo quæris ζητήματι abunde explicet, & in quo declarando me Oedipum audacter apud te venditarem. Philosophum equidem Græcum totus viri habitus, quadrata vestis, volumen quod manibus tenet, consentanea denique similibus palliatorum σοφῶν, quæ adhuc Romæ aut alibi prostant, statuis aut iconibus, figura arguere mihi haud abs re videbatur. Quum vero operis illius artifex, pro more consueto, dicatur in eodem marmore Apollonius n. quidam patria Prienensis, ad Biantem continuo referebam statuam illam palliatam, virum, ut nosti, primarium illius urbis decus, & cui delubrum etiam consecrasse Prienenses e Laertio memineram. Unde nihil mirum aut insolitum videbatur, ut in eodem marmore, in quo nobilissimæ Artes ac Disciplinæ, imo ipsa rerum Natura, vario singulæ habitu ac ritu, ad commendationem Consecrationis illius Homericæ oculis usurpantur; in eodem tanti civis, magni Ionum, ut Biantis tumulo apud Prienenses insculptum, ornamenti, & inter septem Sapientes multorum judicio præcipui, divinisque honoribus a conterraneis suis culti, effigies quoque, opportune ac decenti habitu & loco, a Prienensi artifice signaretur. Neque Faces, quæ ab utroque viri latere occurrunt, quisquam mirabitur, qui eas in Græcorum Sacris ac delubris familiares haud ignorat, iisque non Cererem solum, aut Dianam Lunamve Luciferam, quod & arguunt obvii, ut nosti, veteres nummi, aut Panem cæteroquin, sed & alios Deos ac Heroas ejusmodi δᾳδουχίαις καὶ λαμπαδοφορίαις frequenter ab iisdem cultos. De litera, quam vocant, Tautica, ceu cruce ansata, quæ in monumentis Ægyptiis haud infrequens a Kirchero traditur, cur eadem capiti hujus viri appensa, aut quæ Sphærica veluti addita ei machina, haud ita, ut ingenue fatear, liquet. Tripodem quidem æneum memorant Auctores, cui nomen *sapientis* aut *sapientissimi* inscriptum singulari munere Bianti concessum. Sed neque machinæ illi cum Tripode convenit, neque tripus supra caput, sed ad pedes adponi in monumentis antiquis consuetus. An ad celebre illud Biantis effatum, *Omnia mecum porto*, quidquam eadem spectet machina, tu ipse videris, qui omnia nobis præclara hujus ἀποθεώσεως arcana, ut verus epopta, propinabis. Hæc sunt, quæ Vir Excellentissimus epistola laudata ad me misit; quæque, ut erudita & elegantia sunt absque controversia, ita clare docent, multum lucis marmori accessurum fuisse, si totum se illi elucidando voluisset tradere.

Postquam tam eruditam observationem ab illustrissimo Spanhemio accepi, misit etiam Antoninus Magliabequius raræ eruditionis & humanitatis vir, natusque plane ad promovenda studia, ea quæ notaverat Raphael Fabretti, absque controversia Abbas doctissimus; quæ, quia mirum quantum marmor emendant & illustrant, omittere absque piaculo non potui. Integrum Homericæ Apotheosis argumentum huic lapidi consignatum, habes, ait, apud Kircherium in suo Latio; cujus explicationem ut examinare non vacat, ita in re non parvi momenti incuriam incidenter supplere in Homeri laudem, & veritatis assertionem, ac etiam ut V. C. Gisberto Cupero in eandem expositionem insudanti suppetias pro nostra tenuitate feramus pernecessarium duco. Quamobrem totam Homeri sedentis imaginem hic repeto, quam Tab. III. alteri Bellorii sociam dedi. Hanc itaque quam ex autographo in ædibus Columnensibus Illustrissimus D. Marcellus Severolius semel & iterum mecum recognovit (ut eundem ob ingenii præstantiam & amœniorum studiorum societatem in examen omnium mearum cogita-

Pag. 10.

tionum adhibere soleo) hanc, inquam, si cum Kircheriana conferas, in pluribus eam emendandam esse patebit. Et primo sub priori muliebri figura nos rupto marmore ΚΟΥΜΕΝΗ, eoque suppleto ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ, *Terram matrem*, *Cybelem*, sive *Rheam* plane & perspicue legimus: ipsi vero ΕΥΜΕΛΙΑ nescio unde emersit; hancque ob *dulcia cantica* Homero coronam imponere fingit; quam nos *consensu totius orbis sibi traditam inferimus*. Cybeli autem seu Magnæ Matri, *capitis summi præclarum insigne*, Turrim nimirum emendatio nostra restituit, ubi apud Kircherium columna inter hanc & virum alatum stantem erecta est. Quod si Ægyptia interpretamenta cum Kircherio magis arrideant, *Isidem* cum modio in capite, quam eandem cum Terra Servius & Macrobius constituunt, hic agnoscendam, retenta eadem significatione non abnuerim: & fortasse propior modio, quam turritæ coronæ hic capitis ornatus dici potest; utque distinctius comprehendatur, libet eum seorsim propria magnitudine exhibere. A.


Ad latus hujus ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ ei jungitur ΧΡΟΝΟΣ, sive is Saturnus sit, & æternitatem significet, quod annis saturetur, ut Cicero & Lactantius dixerunt; sive tempus, utpote alas gestans, æternitatis itidem imaginem juxta Platonem & Pythagoricos; sive cælum ipsum, unum & idem cum Saturno ex Varrone; Kircherii interpretationem effugit, quia ipse nulla significatione ΚΙΡΟΝΟΣ legit. Nos igitur cæli terræque in Homeri veneratione consensum, seu utriusque poematis ejusdem (qualiter n. manu suum volumen gestat) æternitatem & nunquam interituram memoriam, polliceri credimus.



Quos Kircherius ad Homericæ sellæ latera *genios astantes Ægyptiaco vestitu & gestu, & in manu alterius flagellum ὀφιόμορφον, symbolum energiæ in profligandis tyranorum vitiis, & vitiosorum hominum flagitiis*, commentus fuit, nos mulierum specie; eam quæ ad dexteram, *Iliadem*, quæ ad sinistram *Odysseam* ex subjectis titulis ΙΛΙΑΣ, ΟΔΥΣΣΕΙΑ,' & ex utriusque symbolis, facili nec longe petita conjectura judicamus. Ensis namque hujus Heroum gesta, & *pugnata sacro bella sub* *Ilio*, exprimit; prout acrostolium sive aphlasta hujus formæ, B, in alterius manu navigationes & maritimos Ulyssis errores, atque adeo ipsam Odysseam demonstrat. Acrostolium, inquam quale in maritimæ potentiæ ostentationem Tyrios in nummis usurpasse, pluries observat Vaillant in Historia Regum Syriæ, & præsertim in Demetrio Nicatore; & proprie ad maris trajectus significandos Neptunum cum eodem acrostolio in manu expressum videmus tam in nummo Vespasiani quarto apud Tristanum, quam in alio Titi apud Oiselium, pro reditu eorundem ex Oriente ad capessendum imperium percussis.


Pag 285. et 289.

Tab. 36.



Adscribitur quoque ab auctore hujus marmoris Homeri illud obscuri argumenti poematium Batrachyomachia (dubitantibus sane vitæ Homeri scriptoribus, hoc est, tam Proclo, quam Auctore anonymo apud Allatium de Patria Homeri in fine suæ præfationis) ut ex muribus in imo folio volumen hinc inde arrodentibus infertur; quod nec pariter Kircherius advertit, Ægyptiis mysteriis, in Græco quamvis poeta & statuario evolvendis intentus.

Index inflexus versus subditum orbem in secunda fascia: C.



In throno illo in extremitate ejusdem secundæ fasciæ nullæ fasces, sed apices huic similes tornatiles.



Facies ejus, quam flaminicam Kircherius vocat, eidem throno insistente ita se habet. E.



Tauro illi gibboſo & monſtroſæ, ut videtur, figuræ, ſimilem vide in nummo Gordiani III. apud Triſtanum. (Pag. 511.)

Ima faſcia, in qua nomina illa ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ, ΧΡΟΝΟΣ, &c. latior eſt; ita ut quatuor hæc nomina, ita ut vides ſubdita capiat, & in voce illa ΑΡΕΤΗ verſus deſinit:

ΑΡΕΤΗ
ΜΝΗΜΗ
ΠΙΣΤΙΣ
ΣΟΦΙΑ.

Hæc a doctiſſimo Abbate notata miſit ad me Magliabequius; cujus eruditionem, virtutem, & humanitatem ſingularis exempli ut admiror, ita publice ei nec non Raphaeli Fabretti gratias habeo, quod me monere tam præclara, & Kircherio, cujus fidem ſecutus eram, omiſſa, voluerint. Ut enim facili patet opera, totus terrarum orbis (nam, docente Æliano, ejus poemata linguam in vernaculam translata Indi etiam Perſarumque reges canebant) Homero, veluti poetarum principi coronam imponit; *Tempuſque* teſtatur carmina ejus non iri abolita, vel a bello Trojano primum certam fidem temporibus conſtitiſſe. (Lib. 12. c. 48.) Nam Cybelem terram eſſe, & turritam coronam gerere ex Ovidio, Arnobio, Servio, aliiſque, nummis, marmoribus docuerunt eruditi. Inde ipſa Dea πυργοφόρος Græcis, *turrita* Propertio, *turrigera* Statio, & Claudiano vocatur. Hæc tamen corona nihil commune habet cum illa, quo eadem dea ornata eſt in nummis Lucillæ, Severi, & Juliæ Mammææ apud Triſtanum. Nam pinnis murorum diſtinguitur, noſtra vero tantum in altitudinem exſurgit, adeo ut *turrifera* non poſſit jure vocari quam Cybeli tribuit Naſo: (Lib. 4. Faſt.)

At cur TURRIFERA *caput eſt ornata corona?*
An Phrygiis turres urbibus illa dedit?

Ego enim *turriferam coronam* exiſtimo murorum pinnis ornari, vel turribus integris, qualem obſervavi in nummo Claudii apud Seguinum & in Lepidi, Antonii, Auguſti apud alios; (Pag. 52.) illam vero quæ deæ capiti imponitur, non incommode *turritam*, & cum Græcis πύργων poſſe appellari. Lucianus Deæ Syriæ tribuit ἀκτίνας καὶ πύργον ἐπὶ τῇ κεφαλῇ; (Lib. 2.) & matronæ nupturæ *coronam turritam* Lucanus, quæ forte in altitudinem exſtructa, & ſimilis fuit illi, quam Juno in Samiorum ære gerit apud Triſtanum, qui poteſt videri. (Tom. 1. pag. 718.) Sic Hieronymus Epiſtola ad Demetriadem, ſcribit eam in ſæculo, *alienis capillis turritum verticem ſtruxiſſe*; & Nazianzenus vetat mulieres ita ſe exornare;

Μὴ κεφαλὰς πυργοῦτε νόθοις πλοκάμοις.

His ex locis patet utique, πύργον, & *turritum verticem* ex capillis in altitudinem exſtructis factum eſſe, ideoque noſtram illam propter altitudinem *turritam coronam* optime vocari; qua, ut hoc addam, aliæ deæ complures præter Cybelem ornatæ ſunt; ut Cybele & Diana Epheſia in Mytilenæorum, Proſerpina in Sardianorum, Furiæ in Philippi Cæſaris apud Abbatem Seguinum; & Magna Mater in Magneſiorum nummis apud Parinum: quod multis inſuper exemplis docere facili opera, ſi id ageretur, poſſem. Notandum præterea Scaligerum ad Feſtum commentari, Lucanum loco modo laudato, *tutulum* deſcribere; verum cum Varro *tutulos* exponat *crines convolutos ad verticem capitis*; & Feſtus *capitis ornamentum, quod fit vitta purpurea innexa crinibus in altitudinem exſtructum*, ego illi opinioni manus dare necdum potui. Nam, quemadmodum ex verbis laudatis luce meridiana clarius patet, *tutulus* fiebat, quando πλέγματα vel naturalium vel adſcititiorum crinium, vitta innexa ſibi invicem in vertice imponebantur, & ita caput multis compagibus extruebatur; uti, ni fallor, videre licet in nummo Heroinæ Juliæ Proclæ, quem vulgavit Seguinus; at contra Lucanus plane coronam deſcribit:

Turritaque premens frontem matrona corona
Tralata vetuit contingere limina planta,

cui, ut docui, utpote longe aliæ, nihil commune cum tutulo, quem Nazianzenus & Hieronymus ante oculos habent, fuit. Atque hic tandem finem commentario meo imponam; & ſi nonnunquam aliena admiſcui, ſcias, Lector, Homerum me imitatum eſſe, qui ſæpe ἐπεισόδια poematibus ſuis interpoſuit; Homerum, inquam, quem de Heroum geſtis πάλη θέσατα ſcripſiſſe, memoriæ mandat Syneſius; (Enc. Calv.) cui Scholiaſtes ejus Nicephorus narrat non ſecus ac Æſopo & Heſiodo veniſſe σοφίαν οὐκ ἀγεννῆ παρὰ τῆς ἄνω Προνοίας; cui *altam mentem* tribuit Claudianus in laudibus Serenæ Reginæ, quemque tantum admiratus eſt Theocritus, ut canat ſe *Muſarum* ὄρνιθας ſive Poetas odiſſe

— ὅσσοι ποτὶ Χῖον ἀοιδὸν
Ἀντία κοκκύζοντες, ἐτώσια μοχθίζοντι.
— *quicunque contra Chium vatem*
Ex adverſo ſtridentes, incaſſum laborant.

F I N I S.

EXPLICATIO
GEMMÆ
AUGUSTÆÆ.



EXPLICATIO GEMMÆ AUGUSTÆÆ.

Misit ad me insigne antiquitatis depositum, vel ectypum gemmæ antiquissimi operis celeberrimus idemque doctissimus vir Joannes Georgius Grævius; & simul rogavit, quæ mea esset de tam illustri vetustatis, ut sic loquar, spolio sententia. Et quanquam multis argumentis edoctus sim, neminem melius viro tam exquisita eruditione prædito tot ænigmata vel certius explicare posse, morem tamen illi gessi, misique quæ putabam sufficere & epistolæ, & gemmæ explicandæ. Sed idem postea, ut fere fieri amat, argumentum retractanti, nonnulla sub manum, ut est τὸ λεγόμενον, nata sunt; quæ si publica donarem luce, rem me non ingratam lectori æquo, & antiquitatis studium æmulanti facturum nescio qua animi divinatione persuasus sum. Cernitur igitur in gemma, uti clarius ex ectypo patet, currus a binis centauris tractus. Insidet illi juvenis laureatus, tunicam & togam vel pallium indutus, & manu dextra fulmen tenet. Adsidet ipsi matrona gravis vultu, posterioremque capitis partem velo tecta; colloque ejus juvenis laureatus manum sinistram imponit. Hinc adstat in ipso curru puerulus galea ornatus, thoracem indutus, manu sinistra baculum tenens, illinc virgo adulta fere & vultu modestissimo. Superne advolat figura muliebris alata coronam protendens. Ante centauros jacent bini homines armati; unusque eorum eos quasi calcat & proterit, tropæum tenet vel humeris impositum, sive ut ex antiquiore gemmæ ejusdem ectypo, quem apud præstantissimum Heinsium vidi, patet, trabi quam brachio tenet, gerit, ac ambo ingentem clypeum manibus sustentant, tandemque prope currum cantharus, vel vas elegantis formæ. Quantum autem & Grævio & mihi videtur, currui insident Augustus & Livia, illisque adstant Octavia & Marcellus; vel Julia atque Tiberius. Scilicet triumphantes solebant utriusque sexus liberos parvos currui triumphali imponere. Appianus triumphum in genere describens, libro de Bellis Punicis; Ἐπιβαίνουσι δ᾽ αὐτῶν ἐπὶ τὸ ἅρμα παῖδές τε καὶ παρθένοι, καὶ ἐπὶ τῶν παρηόρων ἑκατέρωθεν ἠΐθεοι συγγενεῖς. *Vehuntur eodem curru pueri virginesque & in funalibus equis adolescentes consanguinei*: Apud (*a*) Tacitum Germanici Cæsaris currus *quinque liberis onustus est*: apud (*b*) Capitolinum Lucius Verus & M. Antoninus Philosophus *in triumpho liberos Marci utriusque sexus, secum vexerunt, ita tamen ut & puellas virgines veherent*: & libera rep. P. Æmilius Paulus *in aureo curru triumphavit cum duobus filiis utroque latere adstantibus*, uti loquitur Eutropius: quanquam Livius (*c*) narret currum ejus secutos fuisse duos filios Q. Maximum & P. Scipionem in adoptionem aliis datos; minorem vero eorum, quos solos nominis, sacrorum, familiæque hæredes retinuerat domi, quinque diebus ante; majorem triduo post triumphum decessisse; *quos prætextatos curru vehi cum patre, sibi ipsis similes prædestinantes triumphos, oportuerat*; & Valerius Maximus scribat *alterum tantum in curru triumphali fuisse conspectum*. Editus insuper nummus est aureus Ducis Arschotani, in quo Antoninus Pius currui triumphali a quatuor equis tracto cum duobus ex Faustina liberis insistit. AUGUSTUS fulmen tenet, repræsentatque procul dubio Jovem, quem eum esse ad adulationem proni nepotes Romuli non verebantur scriptis suis testari. Scilicet jam pater ante videre sibi visus fuerat *filium mortali specie ampliorem, cum fulmine & sceptro, exuviisque Jovis Opt. Maximi ac radiata corona super laureatum currum, bis senis equis candore eximio trahentibus*; ut narrat Suetonius: cujus verba vel ideo integra adscripsi, quia in mendo mihi cubare videntur, & vix perspicere possum, quo sensu dicatur *laureatus currus*, & cur τὸ *currum* non jungatur voci *trahentibus*. Notum quidem est triumphales currus *deauratos*, *aureos*, *eburnos* dici, sed auctorem *laureatorum* præter Suetonium novi neminem; & bona fide ignoro, num unquam triumphantium currus laureis sertis fuerint ornati. In codicibus Fulvii Ursini legitur *deauratum*; suspicabarque nonnunquam unam vocem propter literarum similitudinem alteram absorpsisse, & scribi debere; *ac radiata corona super laureatam, deauratum currum*; vel, *super lauream*; quomodo sensus longe erit clarior, & verba cohærebunt melius, quia hiulca plane sunt *bis senis equis trahentibus*. Sic radiata & laurea ornatus corona occurrit Cajus Cæsar, Augusti adoptivus filius in nummo Smyrnæorum apud (*a*) Tristanum; Nero in Rhodiorum apud Patinum; Antoninus Caracalla & Alexander Severus apud (*b*) Octavium Stradam. Jovis igitur FULGERATORIS, vel FULMINANTIS, ut in Ins. vetustis appellatur, specie sedet Augustus, Jupiterque a veteribus etiam appellatur; Auctor Consolationis ad Liviam;

> *Nata quod es alte, quod fœtibus aucta duobus,*
> *Quodque etiam* MAGNO *consociata* JOVI.

id quod variis locis facit etiam Ovidius. Unde nihil mirum, fulmen ipsi ab eodem poeta tribui (*c*)

> *Parce, precor,* FULMENQ. *tuum fera tela reconde;*
> *Heu nimium misero cognita tela mihi!*

(*d*) alibi;

> *Ignoscant augusta mihi loca, Dique locorum,*
> *Venit in hoc illa fulmen ab arce caput.*

Et mox *arma*, ac *ignem* appellat (*e*)

a *Lib. 2. An. cap.* 41. b *Cap.* 12. *Ant. Phil.* c *Lib.* 4. *Lib.* 45. *cap.* 40.

a *Tom.* 1. b *Cap.* 6. *Thes.* c *Lib.* 1. *Tr. El.* 3. *v.* 128. *El.* 4. *v.* 78. d *Lib.* 2. *El.* 1. *v.* 35. & *alibi.* e *Lib.* 2. *Trist. v.* 179. *Lib.* 1. *Tr. El.* 1.

Me quoque quæ sensi fateor JOVIS ARMA *timere:*
Me reor infesto, cum tonat, IGNE *peti.*

quæ sane insignis est adulatio, & Augustum alterum Jovem facit. Sic elegantissime Seneca Timagenem Historicum, appellat *fulguritum*: quia Augustus ipsum domo interdixerat, illique erat iratus propter liberiora in ipsum, uxorem & domum totam dicta: *Nemo amicitiam ejus extimuit, nemo quasi* FULGURITUM *refugit: fuit qui præberet tam alte cadenti sinum.* Ut igitur irato Augusto tanquam Jovi fulmen tribuitur, ita & idem ipsi convenit hostes, ut in gemma repræsentatur, debellanti; quia Opt. ille Maximus Deus primum dicitur fulmen sumpsisse, cum gigantes puniret & dejiceret; Ovidius: (*a*)

Jupiter est juvenis, juveniles aspice vultus;
Aspice, deinde manu fulmina nulla tenet.
Fulmina post ausos cælum affectare gigantes
Sumpta Jovi; primo tempore inermis erat.

Quo pertinet duces non modo *fulmina* appellari, ut Scipiones a Lucretio & Virgilio; verum etiam dici tonare & fulminare, quando bella gerunt, & hostes, ut in gemma Augustus, calcant; Virgil. (*b*)

——— *Cæsar cum magnus ad altum*
Fulminat Euphratem bello ———

ubi alii Cajum Cæsarem genitum Agrippa & Julia intelligunt; alii ipsum Augustum; qui & in curru nostro fulminans sedet. Hos vera tradere, & nullum alium quam Augustum ipsum, A. V. C. 724. finito bello Actiaco, Asiam, quæ a partibus Antonii Triumviri steterat, in suam potestatem redigentem, designari a Virgilio pulchre docet vir Eruditissimus, & tam in Patribus, quam profanis auctoribus nec non antiquis nummis & inscriptionibus versatissimus HENRICUS NORIS (*c*) in Illustratione Cenotaphiorum C. & L. Cæsarum. Sic Latinus Pacatus eodem sensu *fulmen* Imperatori tribuit: *Si qui forte sunt barbarorum, qui nondum virtutis tuæ fulmen exceperunt, nominis terrore percussi ac veluti afflati quiescant.* Jam olim Apelles Alexandrum Magnum, ut pateat ejusmodi adulationes vetustas esse, *pinxit fulmen tenentem in templo Ephesiæ Dianæ viginti talentis auri*, teste Plinio (*d*). Domitianus illud in ære gerit apud Erizzum; ipsique tribuit Martialis (*e*). In nummo Antonini Pii Minerva idem a Vulcano petit vel accipit, ut scilicet Imperatori tanquam alteri Jovi donet, apud Patinum; Liciniusque in alio apud (*f*) Tristanum fulmen manu tenet: & Caligula, Suetonio teste, conspectus est plerumque aurea barba fulmen tenens ac fuscinam aut caduceum deorum insignia. Atque ut Augustus Jupiter appellatur, ita & Gorgias Leontinus Xerxem vocavit Περσῶν Ζῆνα; quod nondum satis perspicio quare carpat Dionysius Longinus; maxime quia Auctor libri de Mundo memoriæ mandat Persarum regem δεσπότην καὶ θεὸν appellari solere, Curtiusque & alii testantur deorum eos honoribus cultos esse; Post Augustum vero aliis etiam Imperatoribus vel *Jovis* nomen datum est, vel eo venerunt arrogantiæ, ut ipsi illud una cum insignibus sumerent. Caligula se ipse JOVEM LATIALEM vocavit; in templo Hierosolymitano statuam suam *poni sub nomine Iovis Optimi Maximi*; vel ΔΙΟΣ ΕΠΙΦΑΝΟΥΣ ΝΕΟΥ, id est, *Novi Jovis præsentis* sive *manifesti*, voluit; uti narrant Suetonius, Hieronymus, Philo & Zonaras. Domitianus *Jupiter Ausonius* (*a*) Statio appellatur, & Martialis (*b*) illi tam strenue adulatur;

Ad cœnam si me diversa vocaret in astra
Hinc invitator Cæsaris, inde Jovis:
Astra licet propius, pallatia longius essent,
Responsa ad superos hæc referenda darem:
Quærite, qui malit fieri conviva Tonantis,
Me meus in terris JUPITER *ecce tenet.*

atque in Inscriptione apud apud (*c*) Zamoscium JUPITER DOMITOR ORBIS TERRARUM. CENS. P. P. P. si modo genuina illa est, vocatur. Trajano mortuo videtur, idem honos habitus fuisse; uti patet ex marmore antiquo apud (*d*) Gruter.

I. O. M
TRAIANO
PRO. SAUTE. IMP.
ANTONINI
ET
M. AURELI. CAES
MILITES. CONSISTENTES
MUNICIPII
POSUERUNT.

nisi vel Jovi dederint Trajani cognomen; vel potius particula, ut sæpissime fieri solet, subintelligatur. Hadrianus in nummo apud Scaligerum & Spanhemium, appellatur ΚΑΙCΑΡ ΟΛΥΜΠΙΟΣ ΑΔΡΙΑΝΟC, mutuatus illud cognomen proculdubio a Jove Olympio. Neque aliter eum Thasii, Amphipolitæ, Abydeni, & Smyrnæi, ut videtur, appellant in Inscriptionibus Antiquis, quas diligentissimus & doctissimus Græciæ peragrator (*e*) Sponius edidit; & ludi Smyrnæ agitati *Olympia Adriani*, teste Philostrato dicti sunt. Similiter in Ephesiorum ære apud Spanhemium Commodus appellatur, ΑΥ. ΚΑΙ ΟΛΥΜΠΙΟC ΚΟΜΜΟΔΟC: atque ut Tristanus censet JUPITER JUVENIS, utque jam diu est quod animadverteram, & ad amicos miseram in alio apud Patinum qui & ita explicat in Itinerario, JUPITER EXSUPERANTISSIMUS; quod Jovis veri cognomen servat Inscriptio antiqua Ultrajecti reperta; & jam a Grævio edita;

IOVI O. M. SUMMO
EXSUPERANTISSIMO
SOLI. INVICTO. APOLLINI
LUNÆ. DIANÆ. FORTUNÆ
MARTI. VICTORIÆ. PACI
ANTISTIUS ADVENTUS
LEG. AUG. PR. PR.
DAT.

Pertinaci coloniam Helviam templum exstruxisse eum vocasse JOVEM OPTIM. MAX. HELVIUM ex nummo conatur probare (*f*) Tristanus; quanquam nihil causæ videam, cur non & ipse Jupiter possit intelligi; & ex interpretatione (*g*) ejusdem viri eruditissimi in alio P. Cornelius Salonius Valerianus Cæsar JUPITER CRESCENS dictus est. Et tandem Diocletianus non modo

a *L. 3. Fast.* b *Lib. 4. Geor. extr.* c *Diss. 2. cap. 13.* d *Lib. 35. 12.* e *Lib. 4. Ep. 21. & Lib. 6. Epist. 8;.* f *Cap. [illegible]. Th. T.*

a *Lib. 3. Syl. 4.* b *Lib. 9. Ep. 92.* c *In Anal.* d *P. 31.* e *P. 530.* f *T. 2.* g *T. 3.*

JOVIUS dicitur, uti ex Inscriptionibus antiquis, Panegyricis & (*a*) Lactantio constat, illudque cognomen ad successores Galerium, Maximinum, Licinium aliosque transmisit; sed etiam *Jupiter* appellatus est, uti ex nummis aliisque monumentis docuit omnis antiquitatis peritissimus, & Legationibus gestis Illustris (*b*) Ezechiel Spanhemius. Verum ut Augustus Jovis Fulminantis, ita & Livia *Junonis* habitu sedet; quia scilicet mortalem Deo conjugem dare nefas erat. Non aliter eam vocat Ovidius (*c*);

Cum tibi contigerit vultum JUNONIS *adire,*
Fac sis personæ, quam tueare, memor.

Paulo ante *Veneris* eam *formam*, *Junonis mores* habere, solamque dignam esse repertam toro cælesti cecinit; & (*d*) Octavius Falconerius æreum laudat nummum, cujus in anteriori parte circa caput Liviæ ΛΙΒΙΑΝ ΗΡΑΝ, in aversa vero, quæ Juliæ Augusti filiæ caput habet, ΙΟΥΛΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ occurrit. Sic Octaviæ adulatur nutrix apud Senecam,

—— *tu quoque terris*
Altera Juno, soror Augusti,
Conjuxque, graves vince dolores.

Liviam autem Junonem referre patet ex diademate, atque velo, quo posterior pars capitis velatur. Nam Junonem Maximam, ut Senecæ vocatur, plane describit ita (*e*) Martian. Capella: *Hujus suggestui Junonis subditus consessus, haud indecenter ornatus, ipsa vero* TECTO CAPITE, *lacteo quodam calymmate pænitebat. Cui* GEMMIS INSITUM DIADEMA PRECIOSIS: *nam neque Scythidis vireta, nec Ceraunorum vibrans fulguransque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abesse profunditas. Sed totum illud* SERTUM CAPITIS FULGURANTIS *Thaumantias obtulisse Reginæ cælitum ferebatur*. Sic JUSTITIA in nummo Juliæ vel Liviæ Augustæ apud Æneam Vicum diadema gerit, & *Æternitati* nec non *philologiæ* in deorum ordinem adscribendæ tribuit idem Martianus. Altera divinitatis nota est; pars posterior capitis tecta; qualis LIBERA vel Proserpina; Cybele sive Juno in Sardianorum apud Seguinum; Ceres in Panormitanorum nummis apud Parutam; DIVA PAULINA: DIVA MARCIANA: C. JULIUS CÆSAR inter deos relatus, ne quis forte pontificem respicere ornatum illum existimet, Faustina Constantius Chlorus & Constantinus Magnus apud Tristanum, aliique apud alios dii, Augustæve occurrunt. Quin & ipse Jupiter non aliter describitur (*f*) Martiano: *Tunc Jupiter publica & quæ senatum contracturus assumit indumenta percipiens, apponit primo vertici regalis serti flammantem coronam, contegit* EX POSTICIS CAPUT QUODAM VELAMINE RUTILANTE, *quod ei Præsul operis Pallas ipsa texuerat:* Augustus in Tiberiana gemma consecratus, & forte Jovem, cujus *cum exuviis ac radiata corona* eum in somno viderat pater Octavius, referens, velum capiti circumpositum habet; & tandem, uti tradit Fulgentius, *velato capite Junonem ponunt, quod omnes divitiæ sint semper absconsæ*: qui locus, licet ratio longe petita videatur, docet Junonem ita ornatam incedere. Neque tamen perpetuo Impp. qui inter Deos relati sunt, capitis posteriorem partem velatos fuisse multi nummi evincunt. Divus Romulus (ne quid de laureatis & radiatis dicam) filius Maxentii, capite plane nudo conspicitur in nummo apud Tristanum & Patinum: de quo quid sentiam, facere non possum, quin supponam. Eruditis igitur Antiquariis manus dare nequeo, qui rotundum ædificium, conspicuum in aversa area, templum Romuli esse contendunt; cum omnia evincant mausoleum potius vel monumentum, in quod reliquiæ ejus illatæ sunt, repræsentari. Ducit me eo vox MEMORIA, quæ numismati laudato inscribitur; quamque frequenter *sepulchrum* denotare monuerunt viri doctissimi: deinde aquila culmini ædificii in Patini nummo imposita, quæ animas Impp. in cælum, testibus Dione, Herodiano & plurimis monumentis antiquis, vehere putabatur; tandem structura ipsa, quæ magis sepulchrum, quam templum refert: utpote nullis statuis, columnis, aliisve rebus, quibus ædes sacræ decorari solent, ornata. Præcipuus autem mihi opinionis hujus fons, alius patris Maxentii nummus; cujus una in area conspiciendum sese offert ipse IMP. C. MAXENTIUS P. F. AUG. laureatus; in altera sumptuosissimum templum cum figura in eo seminuda galeata hastam tenente, nec non inscript. CONSERV. URB. SUÆ. Neque enim bene arbitror Goltzium hinc epitheton Romæ expiscari, & censere eam appellari *Conservatricem urbis suæ*; nec alium virum doctissimum recte notare, Maxentium sese vocare CONSERVATOREM URBIS SUÆ; quia ita, Roma Romæ diceretur conservatrix; Maxentius, quod nequaquam verisimile, sibi ipse vivus vidensque templum exstruxisset. Verum Romulus a patre fuit consecratus; uti vel ex inscriptione nummi patet; DIVO ROMULO. N. URBIS. CONS. id est, *nostræ urbis conservatori*; quomodo Diocletianus, Maximianus, & Constantius, CONSERVATORES URBIS SUÆ vel CARTHAGINIS appellantur: & Caracalla in lapide antiquo dicitur *aquam in* SACRAM URBEM SUAM *perducendam curasse*. Necdum enim probare possum eorum sententiam qui CONS. interpretantur CONSULEM, non modo in his, verum etiam in aliis nummis. Nam post Posthumum, Claudium, Numerianum, Diocletianum & Maximianum, quorum in nummis subinde occurrit, raro titulus CONSULIS Romanis Impp. datur; deinde ille per Cos. vel unum C. ut in nummo Commodi apud Joh. Vaillant, solet designari; vel si duo sunt, per Coss. (uti in lapide Genevensi, quem cum aliis elegantissimæ Genevensis Urbis descriptioni subjunxit Jacobus Sponius MESS. pro *Menses*, occurrit) sive etiam per Cos. quemadmodum ex Inscript. antiquis patet, & nummo C. & L. Cæsarum, quem vir doctissimus (*a*) Henricus Noris exhibet in laudato modo opere. Adeo ut ego quovis pignore contendere paratus sim, CONS. nunquam in nummis *Consulem*, sed semper *Conservatorem* vel *Conservatricem* denotare. In Gallieni numismatis legimus: SOLI CONS. AUG. DIANÆ CONS. NEPTUNO CONS. AUG. &c In Saloninæ JUNONI CONS. AUG. quæ si quis per *Consulem* interpretari velit, ne ille profecto ab omni humanitate alienus foret. Et quanquam non ignorem in Inscriptionibus τὸ CONS. interdum Consulatum vel consulem denotare, tamen nihil tale in nummis unquam observatum mihi fuit. Nam hic titulus frequentissime diis tribuitur in nummis atque inscriptionibus; & integer legitur in ære Pertinacis, JANO CONSERVAT. in Juliæ Mamææ,

a *Cap.* 52. *de Mort. Pers.* b *Diss.* 8. c *Lib.* 3. *ex Pon. El.* 1. d *Ad Ins. Athl.* e *Lib.* 1. *de Nupt. Phil.* f *Lib.* 1.

a *Diss.* 2. *cap.* 2.

JUNO CONSERVATRIX, & Trajani, CONSERVATORI PATRIS PATRIÆ; ubi Jupiter Imperatorem protegens intelligendus eſt. Et ſi quis forte exiſtimet aliam rationem deorum, aliam Auguſtorum eſſe, is, uti ſpero, alia omnia ſentiet, ſi velit ad examen revocare ea quæ modo commentatus ſum, & aliud illuſtre exemplum diligenter inſpicere. Nummus eſt Aureliani apud (*a*) Triſtanum; & in ejus una area cernitur juvenile caput comatum, & SOL DOMINUS IMPERII ROMANI; in altera Aurelianus ſtans, ſceptrum tenens, & pateram aræ invergens, nec non, AURELIANUS. AUG. CONS. Vir doctiſſimus *Conſulem* explicat: arbitraturque hæc omnia ita jungi debere: *Aurelianus Auguſtus conſul Sol Dominus imperii Romani*: ut docerent eum eſſe conſulem & Solem imperantem Imperio. Verum elegantior longe hujus nummi ſenſus eſt; nec dubito, quin hinc Sol, licet radiatus non ſit, dicatur *Dominus Romani Imperii*; quomodo idem DOMINUS appellatur in Inſcriptione veteri apud (*b*) Gruterum: inde vero Aurelianus, tanquam deus in terris, & Solis quaſi vicarius, ejuſdem Imperii CONSERVATOR; quia illud regebat, & ab hoſtibus vindicabat, conſervabatque; unde in alio nummo dicitur RESTITUTOR ORBIS. Imo diu ante Aurelianum & Romulum alioſque eorum temporum Imperatores, Auguſtus eodem titulo in nummis ornatur; ut, S. P. Q. R. PAREN. CONS. SUO. id eſt, *Parenti, Conſervatori*. Verum, ut ad inſtitutum redeam, eodem cum Auguſto & Livia curru vehuntur, ut Grævio videbatur, Marcellus & Octavia Auguſti ſoror Marcellique mater. Hoc quamvis probabile admodum ſit, ſuſpicabar tamen nonnunquam, Tiberium & Juliam potius repræſentari. Sculpta ſane hæc gemma fuit poſt A. V. C. DCCXVI. quo Livia matrimonio Neronis abducta in penates Auguſti tranſiit; cumque Octavius ejus nec non Octaviæ pater obierit A. DCXCIV. & Octavia ante fratrem, qui in lucem editus eſt A. DCXCI. genita poſſit videri, quia Suetonio priore loco recenſetur, ſequitur Octaviam fuiſſe annorum fere triginta; quam ætatem currui prope Auguſtum inſiſtens virgo nequaquam repræſentat. At ſi tamen, neque enim ſerram reciprocare meum eſt, Octaviam quis exhiberi exiſtimet; poterit illa, ut diis dii jungantur, Minervam repræſentare, Marcellus vero vel Tiberius Martem. Illa enim, ut fœmina prudens, & *ἐπὶ κάλλει τοσούτῳ σεμνότητα καὶ νοῦν ἔχουσα* Plutarcho deſcribitur in Antonio; eoque forte nomine templum meruit Corinthi, cujus meminit Pauſanias; Ὑπὲρ δὲ τὴν ἀγορὰν ἐστιν Ὀκταβίας ναὸς ἀδελφῆς Αὐγούστου βασιλεύσαντος Ῥωμαίων μετὰ Καίσαρα τὸν οἰκιστὴν Κορίνθου τῆς νῦν; *Ultra forum Octaviæ ædes eſt Auguſti ſororis, qui Cæſari, a quo eſt reſtituta Corinthus, in imperio ſucceſſit:* niſi fuerit ab Octavia exſtructum; quo ſenſu *Metelli ædes*, *Antoniæ templum*, *& Pompeii Magni ædes* apud (*c*) Plinium occurrunt. Puerulus autem Martem juvenem videtur repræſentare, quia totus armatus eſt, & in eum Livia tanquam ſpem Imperii Romani & PROPUGNATOREM digitum intendit. Et ſi Tiberius ille eſt, virgo vero Julia, immane quantum conſortium hoc deorum illuſtratur; quia ut Minerva Jove, ita Julia Auguſto; ut Mars Junone, ita Tiberius Livia A. V. C. 712. (unde patet ætatem valde convenire, cum Marcellus natus ſit A. V. C. 708.) genitus eſt. Premit autem *baculum* manu, in ſignum proculdubio imperii, vel ut indicarent eum ducem Romanorum exercituum futurum. Similem Aglibolus vel Malachbelus Deus tenet in marmore apud Sponium in Miſcellaneis eruditæ Antiquitatis: nec alium forte, ſed *argenteum*, (*a*) teſte Floro, habuit bello ſervili Athenio Paſtor: niſi tamen ſceptrum, quod fuit inſtar haſtæ, ſignificetur. Currus præterea triumphalis non eſt, ut fere in nummis repræſentatur, rotundus, vel ut Zonaras loquitur *ἐς πύργου περιφέρους τρόπον ἐξειργασμένος*; ſed oblongus & poſteriorem partem apertus; non ſecus ac ille, ex quo Tiberius in gemma Auguſtea apud Rubenium deſcendit; *priuſquam forte in Capitolium flecteret, ſe præſidenti patri ad genua ſubmittere volens*; uti fere loquitur (*b*) Suetonius. CENTAURI, qui currui juncti ſunt, dubito num indicent Auguſtum fulminare in Brutum & Caſſium; vel certe uti ex armis patet, milites Romanos, qui eorum partes ſequebantur. Verum hoc ſi ſenſit ſculptor, una cum Floro, Manilio, Ovidio, Lucano campos Philippicos Theſſaliæ, in quibus victus eſt Cn. Pompejus Magnus, & campos Philippicos Macedoniæ vel Thraciæ, in quibus adverſam fortunam partibuſque ſuis exitiabilem experti ſunt Caſſius & Brutus, videtur, quia centauri Theſſaliæ proprii ſunt, confundere. Res autem ſcitu non indigna eſt, quando primum Romani in nummis ſuis vel gemmis aliiſve monumentis expreſſerint centauros curribus vel deorum vel triumphantium junctos. Theſſalia, ut fabulantur, ſemiferos hos produxit, indeque perſuaſus ſum morem hunc originem ſuam debere victoriæ C. Julii Cæſaris Theſſalicæ. Exſtant enim apud Urſinum in Gente Aurelia nummi; cujus una in area cernitur caput muliebre galeatum, cui alæ affixæ ſunt, & COTA: in altera vero, currus cum agitatore tractus a binis centauris laureæ ramos ſiniſtris manibus, dextris bacillos vel aliud quid gerentibus. Fatetur doctiſſimus Urſinus ſibi obſcurum eſſe, quo pertineant bigæ centaurorum ſignatæ: at mihi hic Julii de Pompejo victoria, quam in campis Theſſaliæ Philippicis obtinuit, videtur deſignari. M. enim Aurelius Cotta cum cos. fuerit A. V. C. DCLXXX. vivere adhuc potuit (niſi alterius nomen in nummo legatur) A. DCCV. quo Theſſalia funeſta Magno fuit; & ut amico atque neceſſario, quemadmodum ex Suetonio conſtat, Cæſari honorem haberet; nummos ſignavit animali quidem fabuloſo, ſed quod Theſſaliæ originem debebat. Quin & nummos hos percuſſos auguror ſtatim poſt victum Pompejum, cum nondum decreto Senatus permiſſum Cæſari foret iis vultum ſuum, quod proculdubio alias feciſſet Aurelius, imprimere. Ut enim narrat (*c*) Dio poſt tam celebrem victoriam, varios Cæſari Senatus honores detulit, vocaveruntque *πατέρα τε αὐτὸν τῆς πατρίδος, καὶ ἐς τὰ νομίσματα ἐνεχάραξαν*; *patrem patriæ, & ipſius imagine pecuniam ſignarunt*. Atque inde hoc ad alios tranſiit; ut ad Auguſtum, quemadmodum ex gemma patet. Cernuntur etiam currubus juncti in Domitiani & Trajani nummis apud Triſtanum & Patinum; qualem ſe in Gaza Farneſiana conſpexiſſe teſtatur Illuſtris Spanhemius. Bacchum atque Iſidem currui inſidentes, trahunt in Juliæ Severi nummo, quem edidit præſtantiſſimus & vita longiore dignus Seguinus. Quin & Apollini conſecrati ſunt, uti conſtat ex Gallieni Imperatoris nummis; in quibus centaurus ſagittarius, vel temonem & globum tenens cernitur cum Inſ. APOLLINI CONS. AUG. quomodo non puto explicari debere Manilii verſus;

Et Phœbo ſacer ales, & una gratus Iaccho
Crater, & duplici centaurus imagine fulget.

a *Tom.* 3. b *Pag.* 34. c *Lib.* 35. *cap.* 5. & 10. *l.* 34. *cap.* 8.

a *Lib.* 3. *cap.* 19. b *Cap.* 20. c *Lib.* 44.

Nam Poeta ſigna cæleſtia deſcribit, & poſt navem Argo ſequi canit *alitem* (ſcribendum enim *ales* cum melioribus Codd.) *Phœbo ſacrum* ſive corvum; prope ipſum eſſe, vel ſimul cum illo oriri Craterem & Centaurum. Quid autem CANTHARUS, vel vas anſatum prope currum jacens ſignificet, licet difficile dictu ſit, arbitror tamen eum indicare. Centauros *οἰνοπότας* & vino deditos eſſe, uti ſatis conſtat ex fabulari hiſtoria; nuptiis Pirithoi & Deidamiæ, nec non (*a*) Euripide canente, *θίασον ἱπποβάταν κενταύρων* venire *ἐπὶ δαῖτα τῶν θεῶν κρατῆρά τε βάκχου*. VICTORIA autem ſuperne advolat coronam lauream imponere volens vel Liviæ vel potius Auguſto; qui quidem caput cinctum ſimili corona habet, ſed hanc proculdubio tanquam Imperator gerit: illa ad eum defertur propter debellatos hoſtes. Et quod nequaquam omittendum eſt, nullæ in ambabus *δαφνίδες* ſive fructus apparent, adeo ut factæ ex lauru ſterili ſint; de qua ita loquitur (*b*) Plinius: *Sterilem vero earum (quod maxime miror) triumphalem: eaque dicunt triumphantes uti. Niſi id a D. Auguſto cœperit, ut docebimus ex ea lauru quæ ei miſſa a cælo minima altitudine, folio criſpo ac brevi, inventu rara:* quod quomodo factum ſit mox docet: *Sunt & circa D. Auguſtum eventa ejus digna memoratu. Namque Liviæ Druſillæ, quæ poſtea Auguſta matrimonii nomen accepit, cum pacta eſſet illa Cæſari, gallinam conſpicui candoris ſedenti aquila ex alto abjecit in gremium illæſam. Intrepideque miranti acceſſit miraculum, quoniam teneret roſtro laureum ramum onuſtum ſuis baccis. Conſervari alitem & ſubolem juſſere aruſpices, ramumque eum ſeri, ac rite cuſtodiri. Quod factum eſt in villa Cæſarum fluvio Tiberi impoſita juxta nonum lapidem Flaminia via, quæ ob id vocatur ad gallinas: mireque ſylva provenit. Ex ea triumphans poſtea Cæſar, laurum in manu tenuit, coronamque capite geſſit, ac deinde Imperatores Cæſares cuncti.* Sed quia laureæ coronæ mentio incidit, veluti *πάρεργον* adjiciam, quæ olim de civica corona & lauru ante fores palatii poſita miſi ad virum Ampliſſimum, mihique amiciſſimum Henricum Copez, urbis Sylvæducenſis Scabinum.

Si Imperator forem, ob ſervatos ſacros Auguſtorum, primorumque civium vultus (ſervantur enim, quando ectypis Antiquitatis ſtudioſis mittuntur) civica te donarem. Nunc cum eam explicare, non autem dare queam, feres quæ mei juris & tui guſtus ſunt. *Civica* tamen erit, ſed non ex querna fronde, verum variis Auctorum locis (in quibus explicandis glaucoma virorum eruditorum oculis offuſum eſt) contexta. Nec de uſu ejus libera Rep. (cui enim non dictus Hylas?) loquar, ſed quid factum illi ſit, poſtquam ad unum ſumma rerum fuit delata, docebo; ut pro Imperatoribus Imperatorum ornamenta remittam, & ſi non pari, haud abſimili tamen munere munus tuum, quod mihi accidit gratiſſimum, penſem. Civica igitur CORONA erat quernea, & dabatur a cive ſervato illi, qui eum in prælio ſervaſſet, ut teſtem vitæ ſalutiſque perceptæ, quemadmodum videre licet apud A. Gellium Lib. v. Noct. Attic. Cap. vi. Illa multos Romanorum Libera Rep. donatos fuiſſe ex Livio, Dionyſio, aliiſque patet; coronaturque proculdubio ea in nummo Ducis Arſchotani rariſſimo, M. Lepidus inſidens equo & tropæum humeris gerens cum hac Ins. M. LEPIDUS. AN. XV. PR. H. O. C. S. id eſt, *Annorum XV. Prætextatus, hoſtem occidit, civem ſervavit.* Poſtquam ad unum res rediit, ei tanquam ſoli civium conſervatori cum aliis ornamentis civica corona data eſt. Auguſto eam decretam fuiſſe docet (*a*) Dio; *Cæſari, quum orationem de ejurando regno, ac dividendis provinciis habuiſſet, multi erant honores decreti, n. ut ante ipſius domum in palatio lauri ponerentur, ac ſuper eas coronæ quernæ ſuſpenderentur, quod perpetuus eſſet hoſtium victor & civium ſervator.* Hæc verba docent laurus, & quidem virides accreſcentes, ante fores collocatas fuiſſe; unde & in nummo Auguſti apud Sebaſt. Erizzum binæ laurus occurrunt, quas recte ex hoc loco & inſtituto ille inpretatur: firmat idem Ovidius I. Metamorph.

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabis; mediamque tuebere quercum.

Nam & hic *ſtare ante fores*, ut apud Dionem *προτίθεσθαι πρὸ τῶν βασιλείων*, *ponere ante palatium* legitur. Sed ſi fuere in loco patulo, diſpiciendum ſedulo, quomodo corona civica ſuper eas potuerit ſuſpendi; quod factum fuiſſe Dio narrat, cujuſque rei reſpectu Ovidius eam *mediam*, q. in medio iſtarum arborum poſitam, appellat. Paſchalius (*b*) cenſet querceam coronam quæ ornabat poſtes domus Auguſtæ, lauro fuiſſe circumdatam, & propterea eam Ovidium *mediam* appellare: quod a veritate alienum plane eſſe omnes auctores teſtantur. Dio ſane & Ovidius eas diſcernunt, & civicam ſuſpenſam fuiſſe clariſſime docet (*c*) Suetonius. Puto igitur ab utroque portæ palatinæ latere laurus fuiſſe, & propterea Poetam eas *poſtibus Auguſtis* cuſtodes apponere; inque medio earum ſupra fores in fronte ædium coronam civicam fuiſſe, eam inde *mediam* vocari, & recte dici *ſupra laurus* ſuſpendi. Non igitur erant junctæ, ſed vicinæ; altera n. laurus in terram defixa, virens, creſcens, uti clariſſime patet ex verbis Ovidii mox laudandis; altera vero parieti affixa. Eo reſpiciens (*d*) Calpurnius ultimam *vicinam arborem* videtur vocare;

Me quoque facundo comitatus Apolline Cæſar
Reſpiciat, montes nec dedignetur adire,
Quos & Phœbus amat, quos Jupiter ipſe tuetur:
In quibus Auguſtos viſuraque ſæpe triumphos
Laurus fructificat, VICInaque *naſcitur arbos.*

Alii tamen aliter ſentiunt, & vel explicant de myrto, vel palma conjuge; vel legunt *divinaque* (quod defendit Reineſius in variis Lectionibus) vel *Erycinaque*. Sed mihi *vicina arbor* nonnunquam eſſe videbatur quercus, ex qua coronæ civicæ fiebant, quæ ante fores Auguſti erant lauro proximæ. Ovidius (*e*);

Singula dum miror, video fulgentibus armis
Conſpicuos poſtes, tectaque digna Deo.
En, domus hæc, dixi, Jovis eſt, quod ut eſſe putarem
Augurium menti QUERNA CORONA *dabat.*
Cujus ut accepi dominum, non fallimur, inquam,
Et magni verum eſt hanc Jovis eſſe domum.

Eadem elegia mox *lauru appoſita* canit poſtes velari, & illi civicam ſuperponi.

Cur tamen APPOSITA *velatur janua* LAURO
Cingit & Auguſtas arbor opaca fores?

a *V. 1059. Aulid.* b *Lib. 15. c. 35.*

a *Lib. 35.* b *L. 7. c. 9. de Cor.* c *Claud. 17. Tib. 26.* d *Eccl. 7.* e *l. 3. Triſt. El. 1.*

Num quia perpetuos meruit domus ista triumphos
An quia Leucadio semper amata Deo?
Ipsane quod festa est, an quod facit omnia festa?
Quam tribuit terris, pacis an ista nota est?
Utque VIRET *semper laurus, nec fronde caduca*
Carpitur æternum sic habet illa decus?
Causa superpositæ scripto testata coronæ,
Servatos cives indicat hujus ope.

Sed quid est *causa scripto testata*? sc. addita erat inscriptio OB CIVES SERVATOS, quæ in numismatis Augusti cum eadem corona cernitur. Postquam autem CIVICA cœpit appendi foribus Impp. quasi propria eorum & pars Majestatis habita: quod expendens Seneca, eam elegantissime describit: *Nullum ornamentum principis fastigio dignius pulchriusque est, quam illa corona* OB CIVES SERVATOS. *Non hostilia arma detracta victis, non currus barbarorum sanguine cruenti, non parta bello spolia. Hæc divina potentia est, gregatim & publice servare; multos autem occidere & indiscretos incendii ac ruinæ potentia est*: & (*a*) Valerius Maxim. scribit *corona ob cives servatos danda postes Augustæ domus sempiterna gloria triumphare*. Atque ex eo, quod fuerit tantæ dignitatis, lucem capit jocus Augusti apud (*b*) Quintil. uti recte interpretatur (*c*) Casaubonus. Sed hæc cum ita sint, miraberis mecum procul dubio (*d*) Paschalium tradere, coronam civicam super foribus privatorum suspensam fuisse, atque a domo principis ad eorum ædes sensim transisse, vel certe ibi visam fuisse civicam pictam, aut quavis alia ratione effigiatam. Nam hæc fidei totius Antiquitatis adversantur; & vel Cæsarum zelotypia, qui ægre ferebant insignia sua aliis dari, novam sententiam condemnat. Producit tamen (*e*) Ovid. loquentem de sacris, augurio, & templis augustis.

Augeat imperium nostri Ducis, augeat annos;
Protegat & nostras querna corona fores.

Nostras; id est, ejus ex mente, *fores Ovidii*; Sed *protegat* potest commode significare, *defendat*; deinde in uno Vaticano eleganter scribitur *meritas*; & in optimis codicibus *vestras*; ut ad Germanicum referatur, cujus tutelam gesturum Augustum hac loquendi forma, vel certe eum quoque Imperatorem fore optat. Quod ex Tertulliano affert, nihil ad rem facit; quia in publica lætitia, omni frondium genere januas ornare & coronare, solebant. Sed acrius telum ex Auctore carminis ad Pisonem petit;

Hinc quoque servati contingit gloria civis
Altaque victrices intexunt limina palmæ.

Nam ut *palma*, ita & *quercea corona*, quæ est gloria servati civis, debuit suspendi, quomodo sane argumentari is debet, qui his ex verbis probabit, privatorum ædibus coronam civicam fuisse appensam. Sed hoc telum facili declinatione corporis eludam: omnisque ille conatus in fumum abibit, si præcedentes versus, sine quibus bini hi intelligi difficulter possunt, in medium afferantur. Ita igitur canit, quisquis est, non minimi nominis Poeta.

Nos quoque pacata Pisonem laude nitentem
Exæquamus avis; tamen etsi bella quierunt,
Non periit virtus, licet exercere togatæ
Munera militiæ, licet & sine sanguinis haustu
Mitia legitimo sub judice bella movere.
Hinc quoque servati...

Opponit militiam bellicam avorum, & togatam Pisonis; & licet illa quiescat, tamen hanc exercere, & sub judice bella movere, id est, patroni munere fungi, reosque in judicio defendere, quæ maxima apud Romanos laus, eum posse canit: & hinc addit *contingere gloriam servati civis*; quando sc. causa patronus vincit; nec civicam coronam dicit esse foribus suspendendam, *sed palmas intexere alta limina*. Scilicet solebant Oratores & caussidici victoriam in foro partam testari appensa pro foribus palma, ut ea via clientes plures pararent; quemadmodum loco eleganti docet Lucianus libello, quem Ῥητόρων διδάσκαλον inscripsit; quo etiam respicit Juvenalis (*a*)

— rumpe miser tensum jecur, ut tibi lasso
Figantur virides scalarum gloria, palmæ.

Adeo ut nihil Paschalius evincat, qui late quidem de coronis, sed non accurate scripsit, & cum judicio ubique fere legendus est. Sed ut totum pensum bona fide absolvam, adjiciendum est, quid coronæ illi post Augustum, factum; & quærendum, num privatis, ut Libera Rep. fieri solebat, data etiam sit. Tiberius, ut ex (*b*) Suetonio constat, eam suscipere noluit; Caligula ea coronatus urbem intravit, docente eodem, *primo die phalerato equo, insignisque quercica corona, & securi, & cetro, & gladio, aureaque chlamyde*: Claudius (*c*) eam Palatinæ domus fastigio affixit, inque nummis ejus cernitur cum Ins. EX S. C. OB CIVES SERVATOS. vel S. P. Q. R. P. P. OB. C. S. ac sine dubio sequentes (*d*) Impp. eadem sibi servata, palatia sua exornarunt. Cernitur sane in Galbæ, Vitellii, Vespasiani nummis cum inscriptione solenni; in Trajani cum litteris COS. P. P. S. P. Q. R. OPTIMO PRINCIPI; in L. Aurelii PRIMI DECENNALES COS. III. quia illi una cum Marco, *oblata est corona civica*, teste Capitolino. Militibus tamen, qui civicam meruerant, dabatur illa, non a Duce exercitus, verum Imperatore vel Cæsare; Corbulo apud Tacitum (*e*). *Si singulis manipularibus præcipua* SERVATI CIVIS CORONA *Imperatoria manu tribueretur, quod illi & quantum decus, ubi par eorum numerus adipisceretur, qui attulissent salutem & qui accepissent*. Vitio hæc verba laborare putant viri eruditi Lipsius, Paschalius, Pichena, Freinshemius; leguntque *aspiceretur*. Scilicet in castris Pæti erant binæ legiones, seu VI. millia hominum, quæ a Vologese obsidebantur; eos ut liberaret Corbulo, videtur duabus auxilio venisse, & inde dicit, *parem numerum aspici posse, si vincerent, eorum qui attulissent salutem & qui accepissent*. Sed tamen lectio vulgata non videtur contemnenda; nec inde sequitur, quod objicit Paschalius, coronam Civicam eos etiam adepturos vel habituros, qui servati erant. Libera Rep. civis servatus servatori propria manu coronam dabat, ut docet Gellius (*f*); nec non Cicero orat. pro Plancio; *Ad id etiam*, ait, *gregarii milites faciunt inviti, ut coronam dent civicam, & se ab aliquo servatos esse fateantur*: & Polybius scribit, Tribunos coegisse servatos, ut salutis auctores coronarent, si ultro id facere nollent. Sic Plinius (*g*) tradit, Africanum *de patre accipere coronam noluisse apud Trebiam*; ne scil. illi beneficium imputaret, vel ostenderet beneficium se dedisse, cui natura erat obstrictus. Apud Tacitum (*h*) igitur, qui servati

a *L.2.c.1.* b *L.6.c.3.Inst.* c *Suet.Aug.cap.25.* d *Lib.7.cap.10.* e *Lib.1.Fast.*

a *Sat.7.* b *Cap.19.* c *Cap.17.* d *Cap.5.* e *Lib.15.An.12.* f *L.5.c.6.* g *Lib.16.cap.4.* h *L.3.A.c.21.*

erant, adipisci coronas debebant ab Imper. non ut sibi servarent, sed ut servatoribus imponerent: neque enim, *Imperatoria manu tribueretur*, aliter videtur explicari posse. Hinc Apronius Procos. eam sine Tiberii consensu dare noluit: *Quo prælio Rufus Helvius gregarius miles* SERVATI CIVIS DECUS *retulit; donatusque est ab Apronio torquibus & hasta: Cæsar addidit* CIVICAM CORONAM, *quod non eam quoque Apronius jure proconsulis tribuisset, questus magis quam offensus*. Tiberius namque veluti manente libera Rep. omnia administrabat; eaque via dominationem sibi stabiliebat; inde cum penes Impp. solos *Civicæ coronæ* dandæ jus esset, non offensus facto Apronii, sed questus quodammodo est, ut videretur proconsulibus jus se vetus relinquere: qua de re etiam præter Suetonium loquitur Gellius (*a*); qui docet, nisi alia historia sit, Apronium incertum quid ageret, Imperatorem consuluisse. Tempore Neronis eam M. Ostorius P. Ostorii legati filius meruit, tradente iterum Tacito (*b*). Nam locis illis

a *Cap.* 32. *L.* 5. *cap.* 6. b *Lib.* 12. *cap.* 31. *Lib.* 16. *cap.* 15.

de Ostorio filio, non patre & filio, ut censet Paschalius, loquitur; nec dicit eum non illico adeptum civicam esse; verum postea Romæ a Principe, quæ est sententia ejusdem. Nam & hoc inde probari nequaquam potest, & talia scribere est ariolari; quanquam a vero non alienum sit Principem eam more solenni concessisse: priore loco ita Tacitus loquitur: *Qua pugna filius legati M. Ostorius* SERVATI CIVIS DECUS *meruit*; altero eum esse dicit, *multa militari fama*, & CIVICAM CORONAM *apud Britanniam meritum*: agit de metu, quem Nero ex virtutibus Apronii conceperat, propter quas & eum occidi fecit; nec de patre potest Tacitus (*a*) exponi; quia eum in provincia mortuum esse narraverat; filiusque hoc tempore longinquis in agris apud fines Ligurum agebat. Aliud exemplum datæ privatis coronæ civicæ sub Impp. præbet nobis Inscriptio XX. Classis VIII. apud Reinesium; & in ea L. CORNELIUS L. F. dicitur IN CLASSE RAVENNATE (ita enim vir Doctus scribendum judicat) CORONAM CIVICAM meruisse.

a *Lib.* 12. *A. c.* 39.

FINIS.

NUMISMATA
ANTIQUA
EXPLICATA.

NUMISMATA ANTIQUA EXPLICATA.

MIRUM in modum me studium oblectat, quod numismatis vetustis illustrandis impenditur; & plurimam nec vulgarem sive translatitiam iis eruditionem contineri cum viris doctrina præstantibus persuasus plane sum. Hinc sæpe horas, quibus vaco a negotiis publicis, tam venerandis almæ antiquitatis reliquiis dare soleo; nec tantum miror manus artificum, verum etiam excutio, quid sibi ænigmata, quibus Græcorum & Romanorum nummi signati sint, velint. Natum hinc non spernendum spicilegium; factumque ut in nonnullos, qui mihi obscuriores, neque satis explicati videbantur esse, diligentius, si qua tamen in me diligentia est, inquisiverim. Et licet res sit difficilis admodum divinationibusque obnoxii argumenti, posthabitis tamen lividorum morsibus, & umbraticis ætatis nostræ Zoilis, operæ pretium me facturum existimavi, si lucubratiunculæ meæ specimen exhiberem, & nonnullis exemplis docere conarer, multa etiamnum superesse in hoc studii genere illustranda, doctissimosque viros aliis, ut sic loquar, lampada tradidisse.

Carolus igitur Patinus (a), raræ vir eruditionis, & antiquitatis egregius admirator, nummum elegantem edidit; in cujus una area conspiciuntur Hadriani & Sabinæ vultus; in altera, figura sinistra manu hastam, dextra binas spicas, quales etiam ad pedes ejus sunt; tenens cum Ins. CAΛITΩN.

Hoc nomen mihi nequaquam mutilum, verum integrum esse, & referri debere videtur ad incolas oppidi Pannoniæ Inferioris, cui nomen apud Ptolomæum Σάλις. *Spicas* figura, sive muliebris sive virilis, tenet, quia Pannonia frugum feracissima; atque, ut Solinus (b) loquitur, *solo plano uberique Dravo Savoque inclytis amnibus circumflua*; unde eodem symbolo TRES GALLIÆ in Galbæ; ALEXANDRIA in Augusti; AFRICA in Hadriani Impp. nummis ornatæ sunt. Hos quinetiam *Salitas* in Decii apud (c) Tristanum numismate *Scleitas* appellari censeo; eumque cum eruditis antiquariis non ad Hyrcaniæ populum, oppidum Σάλη inhabitantem; verum ad *Salitas* nostros refero; quia EI. & I. in marmoribus & nummis, nisi in (d) Patiniano E. extritum sit vetustate, promiscue frequenter ponuntur, & Decii oriundi erant Pannonia, quam ob causam in patris nummo PANNONIÆ etiam occurrunt. Neque enim mihi unquam fiet verisimile, Hyrcanos in alio quasi orbe habitantes, & inimico Romano nomini imperio parentes, hunc honorem habuisse, vel habere fuisse ausos Imperatori, penes quem veluti divisione orbis cum Parthis facta, Occidentis erat imperium. Nec quicquam id existimantibus favet Philippi nummus; in quo hinc ex sententia Tristani cernitur dea veste ad pedes demissa, cantharum dextra, sinistra manu hastam tenens, & comitata cane, cum Inscriptione ΥΡΚΑΝΩΝ; quippe qui ab Hyrcanis, a quibus nomen habet Hyrcanum mare, percussus nequaquam est. Conatur id quidem probare vir doctissimus, sed infeliciter: simulque aliis erroribus, ut vara vibiam sequitur, sese implicat. Nam Hyrcani finitimi quidem sunt Assyriis, teste Xenophonte; verum illam Assyriam nunquam Leuco-Syriam appellarunt veteres. Nomen istud datum est Cappadociæ, regionisque ejus incolæ ab aliis *Syri*, ab aliis *Assyrii* (hæc nomina sæpe confunduntur) & *Leuco-Syri* dicti sunt: quia habitantes extra Taurum Syri colore erant adusto, uti memoriæ mandat (a) Strabo. Deinde Arabia Petræa non erat prope Hyrcaniam, nec propterea ejus caput *Hyrcana* in honorem Philippi, qui natus erat Bostræ, nummum signare potuit. Servius quidem *Hyrcaniam* facit *Arabiæ sylvam*; & Virgilii *Hyrcanas tigres* interpretatur *Arabicas*; sed Grammaticum doctissimum errare jam longum est, ex quo persuasus sum: quamvis Maro alibi, ejusque exemplo Seneca *Hyrcanos* & *Arabas* jungant: quia, ut arbitror, gentes ambæ erant bellicosæ & longe remotæ; Arabiaque nec non Hyrcania sylvis ac feris abundabant. Sic nunquam probare potui Κοδύτας, Indiæ intra Gangem populum, in honorem Domitiani nummos signasse; id quod tamen affirmare non dubitat Tristanus; quia nummus inscribitur ΕΠΙ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΥΔΟΥΤΑ. Neque enim eousque reverentia Romani Imperii processit; & fabrica numismatis Græca plane est; sedetque in eo dea turritam coronam gerens capite, dextra tenens spicam & papaver, sinistra hastam. Quod si quis divinationi in re tam obscura locus; mihi videtur nomen populi, qui se *Neocoros* esse signat, omissum esse, ἐπὶ Κυδύτα significare nomen magistratus, & descendere ἀπὸ Κυδύτας; uti in Inscriptione antiqua Theophrastus vocatur filius Μελάντα, id est, Μελάντου; & Lyttiorum urbs statuam erexit Matidiæ Augustæ, ΔΙΑ ΠΡΟΤΟΚΟΣΜΟΥ ΦΛΑΟΥΙΟΥ ΚΟΜΑΣΤΑ sive κομάστου; qui genitivus primæ declinationis in multis nominibus usitatus est. Nec aliter ego equidem sentio de Indiæ sive vera sive fictitia *Nysa*; eamque urbem nunquam existimo nummos percussisse in honorem Romanorum Impp. Cernitur quidem Deus Lunus in nummo ΝΥΣΑΕΩΝ apud Patinum; sed nequaquam dubitandum est, num ad Nysam Armeniæ Minoris, vel Arabiæ, vel

a *Num.* 1. b *Lib.* 2. *c.* 16. c *T.* 2. d *Trist. Patin.*

a *Lib.* 12. & 16.

Thraciæ, vel Ægypti, vel denique Indiæ debeat referri, quia a fide plane alienum est, Indos tot fluminibus & maribus divisos hanc reverentiam habuisse Marco Aurelio. Idem statuendum de Caracallæ numismate in quo Satyrus hircum cornubus tenet, cum Inf. ΝΥΣΑΕΩΝ; maleque & hic ad Indiam decurritur; cum proculdubio ejusmodi nummi originem suam debeant urbibus majestatem Romanam colentibus. Illustris quapropter Spanhemius meliori jure Seguinianum numisma (in quo occurrit Deus Lunus, & ad pedes ejus caput bovis, cum ΕΠ. ΣΤΡ. ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ. Β ΝΥΣΑΕΩΝ) ad Eubœæ, cujus insigne caput bubulum, refert; & Tristanus alium Caracallæ ad Nysam urbem Arabiæ. Et hac occasione non omittendus Alexandri Magni nummus, cujus in aversa area cernitur monoceros cornu in cantharo Bacchi requiescente cum literis ΝΥΣΑΕΩΝ. Vir qui doctissimas lucubrationes de unicornu scripsit; notat illud ænigma ad Nysam Indicam, quæ Libero Patri sacra, posse referri, simulque dubitat, num sculptum potius fuerit ΝΙΚΑΙΕΩΝ in memoriam Nicææ urbis Bithyniæ ab Al. Magno ibi conditæ, teste Justino Libro duodecimo. Sed auctor ille non celebrat Nicæam Bithyniæ, verum Indiæ, quam Alexander ex nomine victoriæ condidit: deinde Nicæa Bithyniæ non posita est a Magno, neque ab eo nomen accepit. Lysimachus urbem istam captam & restauratam post Alexandri mortem uxoris nomine *Nicæam* dixit, cum ante *Ancore*, (*Elicore* scribitur in Ordine Præcedentiæ Patriarcharum) vel *Antigonia* vocaretur, testibus Strabone & Stephano: tandemque de fide illius nummi una cum Spanhemio, certissimo harum rerum judice, quia animal istud fabulosum est, dubito: nisi dicamus Macedones, quia antiquiores auctores monoceron celebraverant, ad captandam gratiam Principis sui, ejusmodi emblemate nummos signasse. In Philippi tandem nummo non repræsentatur dea; sed Bacchus habitu plane & vultu fæmineo; cantharum, proprium insigne, dextra; sinistra hastam tenens, & comitem trahens pantheram. Ipse sic Dionysus eandem feram apud se habet in Severi & Commodi; currui insidet a binis pantheris tracto in Decii & nescio cujus populi nummis apud Tristanum & Patinum; inque nonnullis similiter plane cantharum manu tenet; adeo ut recte Arnobius celebret *in Liberi dextra pendentem potorium cantharum*. His explicatis restat, ut qui HYRCANI nummum percusserint, aperiam. Stephanus *Hyrcaniam* scribit esse urbem Thraciæ, vicum Palæstinæ prope Judæam; & *Hyrcanium πεδίον* Lydiæ attribuit. Bacchus sane a Thracibus & Asiæ Minoris incolis fuit admodum religiose cultus: unde dubium mihi equidem est, ad quem populum referri tam insigne monumentum debeat. Sed postquam omnia ad examen revocavi; ultimis illud adjudicandum esse censeo; quia Laodicenses, Coi, Thessalonicenses, Ephesii Philippi patris etiam vultu nummos signarunt; Antiochenique, Cycizeni, Magnetes una cum *Hyrcanis* Juniorem Philippum æri indiderunt; duosque nummos, quorum in uno cernitur caput muliebre turritum & ΥΡΚΑΝΗ, in altero Dea tenens cornucopiæ & gubernaculum cum lit. ΥΡΚΑΝΩΝ, ad eandem gentem referre non dubitat Doctissimus Sponius. Hoc autem Υρκάνιον πεδίον, vel *Hyrcanus campus*, ut Livius loquitur, nomen accepit ab Hyrcanis, quos Persæ eo in coloniam deduxerant, teste (*a*) Strabone; postea a permistis, ut verisimile est Macedonibus, *Macedones*

a *Lib.* 13.

Hyrcani fuerunt dicti, quemadmodum apud (*a*) Plinium & (*b*) Tacitum legere licet. Urbem *Hyrcaniam* vocat Eusebius vel Hieronymus; Υρκάνων nummus; & in Ordine Præsidentiæ Patriarcharum, quam post alios Beveregius edidit, celebratur in Lydia Episcopus ὑρκανίδος. Ne cui autem mirum videatur, Bacchum fœmineo ornatu exhiberi, breviter expediam, quid veteres de deorum suorum natura senserint. In ea Orpheum secuti erant opinione deos, utriusque sexus participes, sive mares & fœminas esse. Lactantius (*c*): *Nisi forte existimabimus, Deum, sicut Orpheus putavit, & marem esse & fœminam, quod aliter generare nequiverit nisi haberet vim sexus utriusque*. Servius (*d*): *Secundum eos, qui dicunt utriusque sexus participationem habere numina.* rursus: *Non mirum est cum supra dixerimus ἀρσενοθηλεῖς esse omnes deos*; alibi: *Numina utriusque sexus videntur ideo, quia incorporea sunt, & quod volunt, assumunt corpus*. Atque hoc de ipso etiam Jove persuasum habebant tam Græci quam Latini, uti præter Valerium Soranum & Varronem apud Augustinum, quorum verba laudavit Doctissimus Vossius Pater, docet (*e*) Evagrius, & (*f*) Julius Firmicus: *Hi quoque*, ait hic, *Jovem in duas dividunt potestates, naturam ejus ad utriusque sexus transferentes, & viri & fœminæ simulacra ignis substantiam deputantes*: nec non Orpheus apud Auctorem libri de Mundo;

> *Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.*

id est, vertente Apulejo;

> *Jupiter & mas est, estque etiam nympha perennis;*

Et, ne dicam Macrobium Μοῖραν; Petronium *Fortunam*; Virgilium *Venerem*, de qua videri possunt (*g*) Vossius, (*h*) Seldenus & (*i*) Meursius, DEUM appellare, Plutarchus tradit Μητέρα τὴν σελήνην τῶ κόσμω φύσιν ἔχειν ἀρσενόθηλυν. Orpheo Minerva dicitur esse Αρσεν καὶ θῆλυς; a Brachmanibus Deum coli, cujus dextrum latus virile, sinistrum muliebre erat, (*k*) Porphyrius in fragmento libri de Styge, quod exstat apud Stobæum, & plenius editum est ab Holstenio: Albricus Philosophus Mercurium de viro in fœminam & de fœmina in masculum se mutasse, cum volebat, & ideo pictum esse cum utroque sexu: & lanceam pro virili columque pro muliebri sexu illi tribui tradunt. Et denique de *Fortuna* ita loquitur (*l*) Lactantius: *verum Philosophi ne aliquando errent, in re stulta volunt esse sapientes: qui Fortunæ sexum mutant; eamque non* DEAM, *sicut vulgus, sed* DEUM *esse dicunt*; ubi nullam ob causam nodum in scirpo Betulejus quærit, multaque de *Fortuna mascula* addit, quæ nihil ad rem faciunt. Atque ita Aristides Bacchum narrat esse ἄῤῥενα καὶ θῆλυν; Porphyrius apud Eusebium θυλύμορφον; talemque effingi solere auctor est Phornutus. In Bacchico sane triumpho, quem præfert vetus marmor in ædibus Hasdrubalis Matthæi, Bacchus ipse curru vehitur cultu & vultu muliebri, teste Hieronymo Aleandro, eumque *muliebri & delicato corpore* pictum fuisse testatur Isidorus in Originibus. Neque aliter occurrit in nummo Alexandri Severi, quem COLONIA AUGUSTA PIA METROPOLIS SIDON per-

a *L.* 5. 30. b *lib.* 2. *An.* 47. c *L.* 4. *c.* 8. d *Ad l.* 2. 6. & 7. *Æn.* e *L.* 6. *c.* 7. *Th. Gent.* f *L.* 1. *H. Eccl. cap.* 11. g *Lib.* 1. & L. 1. *Anal.* h *cap.* XI. *de D. Syr.* i *l.* 1. *c.* 8. *Cypri* k *Lib. de If. & Ofir.* l *L.* 3. *c.* 29.

cussit, vel in alio ABΩNOTEIXITΩN apud Patinum & Spanhemium, Theodoretus (*a*) quoque memoriæ mandat Emesæ gentiles ecclesiam *Διονύσῳ τῷ γύνιδι* sive *semimari*; ac in ea simulacrum *καταγέλαστον καὶ ἀνδρόγυνον* consecrasse; & denique Bochartus opinatur, Arabes eam ob rationem deum *Baccham* appellare, adeo ut nihil mirum sit Liberum ita ornatum in nummis occurrere; & Hipparchum Stagiritam, Aristotelis, teste Suida, propinquum inquisivisse olim: *τί τὸ ἄῤῥεν καὶ θῆλυ παρὰ θεοῖς*.

II. Alius apud Patinum nummus est; cujus una in area cernitur Domitianus Imperator laureatus, & IMP. CÆS. DOMIT. AUG. GERM. IMP. P. P. VIII. CENS. PER. P. P. in altera vero sacrificium; ara ardens; vir togatus & libans; citharœdus; alius corollam tenens; victimarius vel popa; hostia, figura muliebris jacens & gerens cornucopiæ cum Inf. CONSECRATIO. & S. C.



Et primo quidem vel vitio cælatoris, vel ejus qui nummum delineavit, male scribitur, IMP. P. P. VIII. cum debeat esse, IMP. TR. P. VIII. quemadmodum non modo ipsa ratio suadet, verum etiam alius Domitiani nummus cum eadem plane epigraphe apud Erizzum. Deinde in nummo præter CONSECRATIONEM sacrificium exhiberi pulcherrimum, inque eo Imperatorem stare habitu sacrificantis; spectandam esse notam S. C. quæ tempus cusi nummi indicat; huc spectare Suetonii (*b*) verba. *Occisum enim Domitianum populus indifferenter, miles gravissime tulit, statimque eum* DIVUM *appellare conatus: paratus & ulcisci, nisi duces defuissent: quod quidem paulo post fuit*: ego certe non perspicio quo pertineant; nisi forte existimet vir eximius Domitianum a Senatu inter Deos esse relatum. Verum hæc si ejus fuit mens, non videtur animadvertisse Tranquillum narrare, Senatum adeo lætatum esse, *ut repleta certatim curia non temperaret, quin mortuum contumeliosissimo atque acerbissimo acclamationum genere laceraret; scalas etiam inferri, clypeosque & imagines ejus coram detrahi, & ibidem solo affligi juberet: novissime eradendos ubique titulos, abolendamque omnem memoriam decerneret*. Non igitur CONSECRATIO ad Domitianum potest referri, qui ne quidem a militibus, quippe qui *conati* tantum sunt id facere, consecratus est: sed ad alium; cujus consecratio eo notabilior, quia incidit in annum, quo Domitianus ludos sæculares fecit, sive imperii septimum. Si quis igitur divinationi locus; arbitror vel JULIÆ vel filii Domitiani parvuli, quem ex Domitia sustulit, CONSECRATIONEM nobis ob oculos poni. Nam Domitianus Juliam D. Titi filiam perdite amatam, & ex abortu mortuam diis adscripsit. DIVA JULIA vocatur eam ob causam in Nummis & a Martiale (*c*); qui alibi eleganter fingit Juliam, inter deos n. relatam, filio Domitiani parvulo neturam aurea fila;

> *Ipsa tibi niveo trahet aurea pollice fila,*
> *Et totam Phryxi Julia nebit ovem.*

id est, Parcæ munere fungetur, & vitam longissimam, beatissimamque, licet inimica Domitiæ matri, unde additur *τὸ ipsa*, sit, tibi tribuet. Et quia Juliæ mentio, facere non possum, quin nummum ejus, quantum equidem scio, ineditum, quem mecum communicavit pietatis & doctrinæ egregius vir Joannes Smetius, adjiciam. Cernitur in una area Juliæ vultus, & JULIA. TITI. IMP. F. in altera elegans sacrificium, quod celebrat ipse Imperator paludatus & armatus parazonio; sacerdos pateram in aram incensam effundens, adjectis tribus aliis figuris cum victima; quemadmodum ex ectypo clarissime patebit.



Hoc Sacrificium quo referendum sit, fateor me ignorare: nam quo minus Juliæ consecrationem repræsentari credam, facit *τὸ* DIVA omissum; adeo ut vel ob concordiam conjugalem, vel aliam causam signatus nummus videatur. Est autem ille, uti apparet, perforatus; quod num a veteribus, quos (*a*) Chifletius & Joannes Macarius credunt nummos remedii loco e collo suspendisse; an vero a recentioribus factum sit, aliis discutiendum relinquo. Verum, ut eo, unde digressus sum redeam, filium Domitiani consecratum esse, non modo nummi, in quibus vocatur DIVUS CÆSAR IMP. DOMITIANI. F. & stellis illatus insidet globo cælesti; Domitiaque sacrificans, appellatur DIVI CÆS. MATER; verum etiam Statius, Martialis, & Silius Italicus, quorum verba aliis sunt laudata, testantur. Atque hinc semper existimavi Cæsarum (ita voco hæredes imperii designatos) primum consecratum non fuisse Saloninum Valerianum,(qui, cum foret Gallieni & Saloninæ filius, a Valeriano Imp. est factus *Cæsar*, & in numismatis appellatur DIVUS CÆSAR VALERIANUS PRINCEPS JUVENTUTIS; cujusque CONSECRATIO aquila in cœlum ipsum ferente denotatur) sed Domitiani filium parvulum. Nec quicquam est, quod miremur infantem DIVIS adscriptum esse; cum & Senatus quondam censuerit filiolæ Poppææ, quartum intra mensem defunctæ honorem DIVÆ, & pulvinar ædemque & sacerdotem decernendum, teste (*b*) Tacito; apud quem propterea Nero eam *Divinam infantem* in laudatione Poppææ, appellare non dubitavit.

III. Singularis raritatis & elegantiæ nummus exstat apud Seguinum; illiusque in una area cernitur Tiberius laureatus, & TIBEPIΩ. KAIΣAPI. ΣEBAΣTΩ. ΓOPTYNIΩ. in altera Augustus radiatus, &, KAIΣAPI. ΣEBAΣTΩ. KPHTEΣ EKOPAY; non secus ac in alio: KAIΣAPI. ΣEBAΣTΩ. K. ΓHΓΩN EKOPAY.

Quid ultimæ sibi litteræ velint fatetur se ignorare vir doctissimus: at Joannes Vaillant ex aliis integrioribusque nummis explicat EΠI KOPAYΠOY. putatque signatos eos esse, *sub prætore Corlupo*. Insolentia nominis, quippe quod nec Græ-

a *L. 3. c. 7. H. Eccl.* b *Cap. 22.* c *Lib. 9. Ep. 1. Lib. 6. Ep. 3.*

a *Cap. 18. Anast. Childer. in Gem. Basil.* b *Lib. 25. c. 33. Lib. 16. c. 6.*

cum nec Latinum est, movet me, ut credam alia hic via utendum esse. Distinguo igitur E. ΚΟΡ. Λ. vel E. ΚΟΡ. ΛΥ. vel ΕΠΙ. ΚΟΡ. ΛΥΠΟΥ. id est: *sub Cornelio Lupo*. Hic proculdubio pro-consule, vel pro-prætore, quem cum παρέδρῳ sive *Adsessore* Cretæ Tiberius, (*a*) teste Dione, præfecit, eam provinciam rexit; & forte est Cornelius Lupus, Claudii tempore artibus Suillii damnatus, uti (*b*) Tacitus narrat, quique absolute *Lupus*, Claudii amicus & Consularis dicitur Senecæ. Nihil autem frequentius in nummis quam vox ἐπὶ, tempus signans quo nummus signatus est. Nec sane hoc monerem, nisi, antequam pergam in explicando Tiberiano nummo, alios aliquot ad examen revocare constituissem. In Claudii enim cernitur figura alata hastam puram tenens, & ante ejus pedes serpens cum inf. ΧΡΕΣΧΟΥ ΨΙΛΩΠΑΤ: mire fluctuat eruditissimus Tristanus; & quanquam videat deletam particulam Ἐπὶ, & nummum signatum esse *sub Chrescio*, nullus tamen intelligit, quid sibi *psilo patria* velit; & ad insulam Ioniæ proximam decurrit: cum *Chreschius* cognomen *Psilopatris*, vel, uti scribendum judico, *Philopatoris* tulerit. Elegantissimus alius Britannici ita distinguendus est: ΜΗΤΡΟΠΟΛΕΣ (pro ΙΣ) ΒΑΛΟΙΟΥ: ΕΠΙ. ΜΙΝΑΙΟΥ; ita ut sub Minæo, vel Minæo præfecto sit signatus. Elagabali apud Patinum numismata inscribuntur. Π. ΝΟΥΒΙΟΥ ΡΟΥΦΟΥ, *sub Nobio Rufo*, ut vertit vir doctissimus. Verum *Nobia* gens nulla Romæ; intelligendusque est *Novius Rufus*: sic Βαλέριος est *Valerius*, Βιργίλιος, *Virgilius*; Βιταλίων, Vitalio; Οκταβία *Octavia*, Σεβῆρος *Severus*, tam in nummis quam marmoribus. Et alius, ex majoribus forte nostri, eodem nomine occisus est a Septimio Severo, teste (*c*) Spartiano; quem arbitror laudari in inscriptione tempore Pertinacis posita:

SENTENTIAM. QUAM. TULIT
L. NOVIUS. RUFUS. LEG. AUG.

In nummo Decii Junioris ΕΠΙ ΔΟΡΥΛΑΟΥ, nihil aliud significat, quam nummum eo vel urbi Sali, vel Pannoniis imposito signatum esse; adeo ut mirer existimare obscurum hoc esse, cum & hoc Tristanus animadverterit, & *Dorilaus* etiam nomen proprium sit apud Strabonem libro decimo. In altera nummi nostri area Tiberius vocatur ΓΟΡΤΥΝΙΟΣ: sed mihi videtur vel extrita vel omissa esse littera N. ita ut idem sit quod ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ, a quibus ille signatus. Neque enim mihi unquam fiet verisimile, id cognomen datum esse Tiberio cum jure civitatis (ita commentatur præstantissimus antiquarius) a Gortyniis donaretur: vel Imperatorem Romanum urbis, cujus jam dominus erat, cognomine se voluisse appellari. Firmat plane conjecturam meam C. Cæsaris apud Patinum nummus; qui hinc exhibet ΓΑΙΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ. ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΣΕΒΑΣΤΟΝ laureatum; inde ΓΕΡΜΑΝΙΚΟΝ. ΚΑΙΣΑΡΑ itidem laurea corona ornatum, & ΓΟΡΤΥΝΙΩΝ; eamque scripturam nullam ob causam in dubium vocat doctissimus editor; cum significet Gortynios nummum signasse. Atque ita sæpissime populorum nomina in nummis obvia sunt: quod cum minus observarint viri eruditi, subinde lapsi sunt. In Claudii numismate legitur ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. & in altera ejus area; ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ ΣΕΒΑΣΤΟΣ. Erizzus arbitratur Claudium dictum *Macedonum Augustum* sive *Principem*; propterque similem epigraphen Tristanus Vitellium, Pa-

a *Lib.* 57. b *Lib.* 13. *cap.* 46. *In Apoc.* c *Cap.* 13.

tinus Neronem faciunt *Augustum Macedonum*; cum tamen vox Μακεδόνων absolute ponatur, nihilque aliud significet, quam nummos eos a Macedonibus percussos esse; Αὔγουστος autem pertineat ad alteram nummi partem, jungique debeat cum illa hoc modo ΤΙ. ΚΛΑΥΔΙΟΣ. ΚΑΙΣΑΡ. ΣΕΒΑΣΤΟΣ, inde accedit, ΜΑΚΕΔΟΝΩΝ. Similiter Domitiani nummus inscribitur ΔΟΜΙΤΙΑΝΟC ΚΑΙCΑΡ CΑΜΙΩΝ, non quia *Cæsar Samiorum*, quod ridiculum foret, fuit vocatus; sed quia æs a Samiis signatum est. Sic recte Spanhemius, vir Illustris, judicat nummos gazæ Mediceæ, cum Ins. ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΙΔΟΝΙΩΝ, aut ΤΥΡΙΩΝ percussos esse a Sidoniis & Tyriis in honorem Demetrii Regis Syriæ; non autem referri debere ad peculiarem aliquem Sidonis vel Tyri regem. Nec omittendus insignis Neronis nummus; cujus una in area cernitur Solis caput radiatum, & ΡΟΔΙΩΝ ΝΕΡΩΝ CΕΒΑΣΤΩΝ, id est, Tristano interprete, *Rhodiorum Neronensium Augustorum*; quæ quid sibi velint fateor me ignorare. Nec est quod de scriptura cum alio dubitemus; quippe quæ integerrima est, & nullo vitio laborat. Sed, quod miror oculatos homines fugisse, alio legenda est scriptura ordine; ut ΤΩΝ ΡΟΔΙΩΝ, qui nummum scilicet feriundum curaverunt; & ΝΕΡΩΝ ΣΕΒΑΣ, id est, Νέρωνος Σεβάστου. Sic nunquam probare potui in nummis Hispaniæ jungi a viris doctis TARRACO vel TOLETO PIU. licet una in area conspiciantur binæ istæ voces; verum persuasus sum PIU. vel PIUS, referri debere ad nomen regis, quod in altera area est; licet urbes nonnunquam PIÆ appellentur; & parum accurati in observandis generibus tunc temporis fuerint. Huc pertinet Antonii nummus apud Joh. Vaillant; cujus in aversa parte cernitur prora navis & astrum cum Ins. IMP. CN. DOMIT. AHENOBARBUS. IMP. Nam τὸ IMP. quod primo loco ponitur, referendum est ad Antonium, qui in altera nummi area cernitur; vel incuria artificis bis exprimitur, quia in nummo Ducis Arschotani omittitur. Hanc autem vocum transpositionem, quam modo in Rhodiorum nummo vidimus, & distinctionem, cum non observaret Nonnius in explicanda Goltzii Græcia, bis insigniter lapsus est. In Delphorum enim nummo putat exstare Ευρυδέλφων Δῆμος; cum faciendum sit, quamvis vox Δέλφων in medio ponatur, Ευρυδῆμος. Δέλφων: quorum illud nomen magistratus est, qui ita & in aliis sæpe occurrit monumentis. Faustinæ nummo inscribitur Τ. ΑΙΛΙΟC ΔΙΟΝΥCΙΟC. ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ. Μ. Aurelii ΚΑΜΡΕΙΤΗΣ (si modo viri nomen proprium) ΝΥCΑΙΕΩΝ; Lepidi; ΔΙΟΦΑΝΤΟC. ΚΩΙΩΝ. Augusti; ΚΑΛΛΙΠΙΔΗΣ. ΚΩΙΩΝ. Neronis Γαῖος Ποσυμ. Λαοδικέων; quod & in aliis apud Tristanum, Erizzum & Patinum observare licet. Idem Nonnius in Atheniensium ære scribit ΙΩΝ ΑΘΗΝΑ, quo alludi putat ad Ionem Xuthi filium, qui olim Athenis imperavit, & terram Atticam *Ioniam* vocavit; cum aliunde initio sumpto legendum sit ΑΘΗΝΑΙΩΝ. Atque ut clarius pateat, quas turbas det non observata in nummis & marmoribus distinguendi ratio, adjiciam inscriptionem, quæ exstat apud (*a*) Sertorium Ursatum.

a *Lib.* 1. *Sect.* 6. *Mon. Patav.*

D. M.
PARTHENO
PEO. AUG.
DISPUERNE
FESTA. CON
JUNCX. ET
MERCURI
ALIS. VIR
EJUS. B. M.
FECERUNT.

Ex quarta linea vir doctissimus facit vel DISPUERNA, vel melius DISPUERNEA FESTA: hocque fabrili imperitia mendum irrepsisse credit, quia nihil DISPUERNE cum FESTA; cujus alterum putat esse prænomen; ex AUG. tandem facit AUGUSTALI, intelligitque sacerdotem Augusto dicatum & a Tiberio institutum, vel Augustanum militem. Nolo hæc multis refellere; verum ita hæc verba distinguenda & legenda existimo: PARTHENOPEO. AUGUSTI. DISP. VERNE. id est *Dispensatori vernæ*. E pro Æ. ponitur; illudque in nummis & marmoribus obvium esse inter omnes constat, & ego alio loco doceo. Quin & idem titulus in aliis apud (*a*) Gruterum marmoribus occurrit; ut,

PIETATI
FORTUNÆ. PRIMIG
VOTIS. SUSCEPTIS
SALVIS. AUGUSTIS
M. AURELIO. ANTONINO. ET
L. AELIO. AURELIO
FOTUNATUS. VERNA
DISP. EORUM
ET. AURELIA. SUSCEPTA LIB.

IOVI. O. M.
CONSERVATORI
CALLISTUS. AUG.
NOSTRI. VER
NA. DISPEN.
SATOR. ET. COR
NELIA. EJUS
PRO. SE. ET. SUIS.

Et in alio, (*b*) lapide laudatur ANTROCIUS VERNA EXDISP. id est, *exdispensator* Augustorum; adeo ut hinc explicatio marmoris Patavini plane firmetur.

IV. Apud Goltzium nummus est æreus Nisæorum; inque ejus una area cernitur spica cum littera M. & voce ΟΒΟΛΟΣ; in altera homo fere nudus, scaphæ insistens & nummum porrigens cum Inf. ΝΙΣΑΙΩΝ. Sæpe mecum putavi, quid hoc ænigma sibi vellet; & licet conjectura nata sit, tamen adhuc hæreo; nec sententiam meam proferrem; nisi crederem licere etiam dubia interdum extrudere, ut alii incitentur ad diligentius ea illustranda. Veteres igitur mortuorum ori nummum vel obolum imponebant, ut Charonti naulum persolverent, quemadmodum ex Luciano, Juvenale, Apulejo, Propertio, Aristophane, Etymologici Auctore, Suida & Callimacho docuit Meursius. Hujus superstitionis arbitror hic splendida vestigia exstare. Nam homo cymbæ insistit; nudus fere est, obolum manu porrigit, tanquam vecturæ pretium. Præterea ΟΒΟΛΟΣ inscribitur; quomodo & nummum vocat (*c*) Lucianus non solum loco a Meursio laudato, verum etiam alibi: *Divitibus autem, o lepidissimum caput, hæc nostro nomine annuncies quæso: Quid, o vani, aurum tantopere custoditis? quid excruciatis vos ipsos supputantes usuras & talentum aliud super aliud accumulantes*, οὓς χρὴ ἕνα ὀβολὸν ἔχοντας ἥκειν μετ' ὀλίγον, *quos unum obolum habentes oportet post parvum tempus venire*. (*a*) Siculus narrat Græcorum de inferis fabulas cum Ægyptiorum ritibus convenire; atque inde Philosophos sua sumpsisse; ad hæc vere apud eos portitorem vel eum qui cadavera trans Nilum vehit, vocari Charontem, τὸ δ' ἐπίβαθρον νόμισμα τὸν ὀβολὸν τῷ πορθμεῖ δίδοσθαι: Joannes (*b*) Sarisber. *Experto crede in manus eorum millies incidi, & ut aliquid de fabulis mutuemur, portitor immitis Charon, qui nemini pepercit unquam, istis longe clementior est. Stipe siquidem vel triente solet esse contentus.* Proprio cæteroquin nomine Δανάκη vocabatur, uti præter Auctorem M. Etym. & Suidam, quos laudat Meursius, docet alio loco idem Suidas (*c*); Ἐστὶ λίμνη ἐν ᾅδου, ἣν διαπορθμεύονται οἱ τελευτῶντες, τὸ νόμισμα ὅπερ ΔΑΝΑΚΗ καλεῖται τῷ πορθμεῖ διδόντες: Hesych. Δανάκη ... ἐλέγετο δὲ καὶ ὁ τοῖς νεκροῖς διδόμενος ὀβολός. Præterea nominabatur Καρκάδοντα, nisi Suidas in ea voce corruptus sit. Colligere vectigal illud fingebatur Æacus; Lucianus (*d*) Καὶ ὁ τελώνης Αἰακὸς ἀγανακτήσει, μηδ' ὀβολὸν ἐμπολῶν; *Et Æacus qui colligendo vectigali præest stomachabitur, quod tanto tempore ne obolum quidem lucri fecerit.* Soli autem ab hoc tributo immunes erant Ægialenses Peloponnesi incolæ; quia Ceres filiam Proserpinam quærens, quid illi factum esset, ex iis (*Hermionenses* tamen hoc fecisse memoriæ mandat Zenob. Cent. 1. Prov. 7.) cognovit, quemadmodum docet Suidas: Πορθμήϊον ait, ὁ μισθὸς τοῦ ναύτου. Καλλίμαχος

Τοὔνεκα καὶ νέκυες πορθμήϊον οὔτι φέρονται,

Ἐν Αἰγιαλῷ γὰρ καταβάσιόν ἐστιν ᾅδου, ἐς ὃ ἀπελθοῦσα ἡ Δημήτηρ ἔμαθε παρὰ τῶν περιοίκων περὶ τῆς κόρης, καὶ ἐδωρήσατο αὐτοῖς, ὡς λέγει, ἄφεσιν τοῦ πορθμηΐου: *Nautæ merces, naulum: Callimachus,*


Ideo etiam mortui naulum nullum afferunt.

In Ægialo enim est descensus ad inferos, in quem descendens Ceres, ex accolis, ubi Proserpina esset, cognovit: ipsisque, ut canit Callimachus, nauli remissionem donavit: Qui Callimachi locus integrior legitur apud Auctorem (*e*) M. Etym. corrigiturque a Casaubono & Cantero, sed tamen absque Suida difficulter intelligi potest. Goltzii insuper nummus æreus est, & obolus Charonti datus ex eodem metallo fuit: Lucianus: Διὰ τοῦτο ὦ Ἑρμῆ, τὸ μὴ πολὺ τοῦ χαλκοῦ διαφέρον: οἶδα γὰρ τὸν χαλκὸν, ὀβολὸν ὡς οἶσθα παρὰ τῶν καταπλεόντων ἑκάστου ἐκλέγων: *Propter hoc ne o Mercuri, quod parum ipsi æri* (aurum) *præstat? Nam æs novi, uti qui a singulis vectoribus* (*quod & tu ipse non ignoras*) *obolum colligam*: æreosque obolos laudat auctor anonymus apud Suidam in v. Στάτηρ.

V. Nummum exhibeo, qui licet supposititius & malæ notæ sit, dignus tamen mihi visus est ut post Reinerum Reineccium, qui eum mutilum valde exhibet in Historia Julia, edatur; quia ansam dabit inquirendi diligentius in *sepulchrum memoratissimum dignatumque inter* VII. *omnium terrarum spectacula memorari*, ut Gellius; vel *monumentum usque ad* VII. *miracula provectum*, ut Val. Maximus loquitur;

a *Ins.* 8. *pag.* 78. & 7. *p.* 18. b *In.* 67. c *In Dial Mort.*

a *Lib.* 1. *Bibl. p.* 87. b *L.* 5. *cap.* 2. *Policr.* c *In v.* Ἀχέρουσία. d *In Char.* e *v.* Δανάκη *cap.* 4. *Lect. Lhenes.*






Cernitur ipsa Artemisia vultu decoro & regio, diademate vel certe ornatu muliebri frontem ornata, posterioremque capitis partem velata amiculo, cum Inf. ΑΡΤΕΜΙΣΙΑΣ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑ; in altera vero parte monumentum superbum, tribus zonis exsurgens quarum infima columnis, media statuis, suprema statuis itidem aliisque rebus, &, ni fallor, navibus est decorata; angulis, qui videri possunt, summi ædificii binis binæ statuæ, ita ut in aliis etiam totidem fuisse videantur, insistunt; toti moli tectum fastigiatum gradibus in pyramidis formam sese attollens; illique currus, cui quatuor equi juncti sunt, imponitur; curru vehitur vir cui figura alata coronam, ut equidem conjicio, imponit; & infra scribitur ΜΑΥΣΩΛΕΙΟΝ. Mausolus igitur Cariæ regulus, *ubi fato perfunctus inter lamenta & manus uxoris funere magnifico sepultus est, Artemisia luctu atque desiderio mariti flagrans uxor ossa cineremque ejus mixta odoribus contusaque in faciem pulveris, aquæ indidit ebibitque: multaque alia violenti amoris indicia fecisse dicitur. molita quoque est ingenti impetu operis, conservandæ mariti memoriæ*, SEPULCHRUM ILLUD MEMORATISSIMUM DIGNATUMQUE NUMERARI INTER VII. OMNIUM TERRARUM SPECTACULA, uti loquitur A. Gellius. In Dialogis mortuorum fingit Lucianus (*a*) Mausolum se reliquis defunctis apud inferos præferre, quia Cariæ partisque Lydiæ rex fuerat, insulas nonnullas subegerat, Miletum usque, Ionia vastata, progressus & forma decorus bellicisque rebus clarus fuerat; τὸ δὲ μέγιστον ὅτι ἐν Ἁλικαρνασσῷ μνῆμα παμμέγεθες ἔχω ἐπικείμενον, ἡλίκον οὐκ ἄλλος νεκρός, ἀλλ' οὐδὲ οὕτως ἐς κάλλος ἐξησκημένον ἵππων καὶ ἀνδρῶν ἐς τὸ ἀκριβέστατον εἰκασμένων λίθου τοῦ καλλίστου, οἷον οὐδὲ νεὼν εὕροι τις ἂν ῥᾳδίως; *Quodque est omnium maximum, Halicarnassi monumentum habebat singulari magnitudine sibi impositum, quale mortuorum nemo possidet, neque ejusmodi pulchritudine exstructum, equis atque viris, pulcherrimo e saxo absolutissimo artificio expressis, adeo ut quis haud facile simile templum inventurus sit*. Sed operæ pretium est audire celeberrimum Naturalis Historiæ scriptorem (*b*) Plinium: *Scopas*, ait, *habuit æmulos eadem ætate Bryaxin & Timotheum, & Leocharem, de quibus simul dicendum est, quoniam pariter cælavere Mausoleum. Sepulchrum hoc est ab uxore Artemisia factum Mausolo Cariæ regulo, qui obiit Olympiadis centesimæ anno secundo. Opus id, ut esset inter* VII. *miracula, ii maxime artifices fecere: patet ab austro & septentrione sexagenos ternos pedes, brevius a frontibus, toto circuitu pedes quadringentos* XI. *attollitur altitudine* XXV. *cubitis; cingitur columnis* XXXVI. *Ab oriente cælavit Scopas, a septentrione Bryaxis, a meridie Timotheus, ab occasu Leochares: priusquam peragerent, regina Artemisia, quæ mariti memoriæ id opus exstrui jusserat, obiit. Non tamen recesserunt, nisi absoluto jam, id gloriæ ipsorum artisque monumentum judicantes: hodieque certant manus. Accessit & quintus artifex. Nam supra pteron pyramis altitudine inferiorem æquavit* XXIIII. *gradibus in metæ cacumen se contrahens. In summo est quadriga marmorea, quam fecit Pythis. Hæc adjecta* CXL. *pedum altitudine totum opus includit*. Quæ verba proculdubio ante oculos habuit nummi ingeniosus admodum artifex; & revera mentem eorum optime & clarissime percepit. Nam & columnæ hic sunt, quadrigæ, quatuor facies, & supra pteron pyramis. Græci πτερὸν, eorumque exemplo Plinius, appellant omnem extremitatem & summitatem corporum, montium, ædificiorum, aliarumque rerum: nec absurde viri eruditi πτερύγιον, cui D. N. Jesum Christum diabolus imposuit, suspicantur Josepho (*a*) ἄκρον, id est, *summitatem* vocari. *Super pteron* igitur vel super summos Mausolei muros exstructa pyramis est. Pyramides per excellentiam vocantur moles, certamine & opibus Ægyptiorum regum, unde eleganter Plinius (*b*) vocat, *illorum pecuniæ otiosam ac stultam ostentationem*, exstructæ; & una cum Mausoleo VII. orbis miraculis annumeratæ; a lato in angustum desinentes. Et ita *Pyramidem* recte vocat Plin. fastigium vel tectum Mausoleo impositum, quod erat quadratum ad formam inferioris ædificii, quodque in acumen se contrahebat gradibus viginti quatuor; qui paulo decrescentes Pyramidem efficiebant. Errat Dalechampius, quique eum sequitur Leo Allatius, dum gradus a Pyramide separant; neque enim video quid sibi aliud hæc verba velint: *viginti gradibus ad Pyramidis basin collocatis*. At nulli gradus ad Pyramidis basin; ipsa Pyramis gradibus XXIV. adscendebatur, hique Pyramidem efficiebant, uti clare verba Plinii demonstrant, & nummus ad eorum sensum a nescio quo artifice factus. Sed in nummo IV. vel V. gradus sunt; Plinius memorat quatuor & viginti; ad hæc Pyramis non æquat inferius ædificium; quod tamen eam fecisse satis clare narrat naturalis historiæ conditor. Verum tam exiguo spatio magnificentissimum opus comprehendi nullo modo potuit; & præcipua ac potior ejus pars est expressa; quia *Pyramis*, licet altior fuerit, & suppositam sibi molem æquaverit, eadem tamen forma fuit; & ex quatuor vel quinque gradibus, tota qualis fuerit, facile potest perspici. Quinimo si circino rationem inimus, palam fiet hos quinque gradus quinquies auctos reliqui sepulchri altitudinem plane æquare. Verum restat major difficultas, non absque ratione mota a Dalechampio atque Leone Allatio. Cum n. altitudo inferioris ædificii fuerit pedum 37½. Pyramidisque par celsitas; & numerus is duplicatus faciat pedes LXXV. reliqui LXV. tribuendi sunt soli quadrigæ; cujus tantam altitudinem fuisse non est verisimile. Cubitum viri præstantissimi affirmant complecti pedem & dimidium; quos Plinium (*c*) alio loco sequi illustri exemplo clarum utique fiet. Nam colossum Rhodium altum scribit fuisse *septuaginta cubitos*; at illo antiquior Festus eidem *centum & quinque pedes* tribuit; recteque notat Dalechampius, quicquid tandem commentetur Allatius, idem esse LXX. *cubitorum, & pedum centum ac quinque*. Cubitus enim, ut vel docent Vitruvii (*d*) verba, *E cubito enim cum dempti sunt palmi duo, relinquitur pes quatuor palmorum*, valet pedem cum dimidio; & si addere placet triginta quinque pedes illis LXX. exacte pedes centum & quinque fient. Alii tamen cubitum faciunt pedum duorum: cornu monocerotis Plin. *media fronte cubitorum duum*

a *Lib.* 10. *cap.* 19. b *Lib.* 36. *cap.* 5.

a *Lib.* 15. *cap.* 14. *Ant.* b *Lib.* 36. *cap.* 12. c *Lib.* 34. *cap.* 4. d *Lib.* 3. *cap.* 1.

emi-

eminet, Solino vero *ad longitudinem pedum quatuor*; & Heroni *ὁ πῆχυς cubitus* dicitur *ἔχειν πόδας δύο continere pedes duos*. Hanc mensurandi rationem si Plinius sequitur, restabunt pedes XL. qui, cum etiam ingentem satis altitudinem faciant; vel dicendum est, quadrigas has opere mirabili fuisse, vel numeros apud Plinium esse corruptos. Quicquid sit, non plane insolita fastigia in Pyramidem gradibus adscendentia Asiaticis fuisse, docet templum Jovis, quod Mylassæ hodie etiamnum exstat; atque ab eruditissimo Sponio Itinerario suo insertum est. Satis igitur puto me illustrasse *dives sepulchrum*; finemque scribendi facerem; nisi hæc omnia immane quantum turbaret Vitruvius (*a*); describatque nobis Mausoleum alia longe forma, quam Plinius (*b*). *In media*, ait, *Mausoleum, ita egregiis operibus est factum, ut in* VII. *spectaculis numeretur. In summa arce media Martis fanum habens statuam Colossi, quam acrolithon dicunt, nobili manu Leocharis factam. Hanc autem statuam alii Telocharis, alii Timothei putant esse, in cornu autem summo dextro Veneris & Mercurii fanum ad ipsum Salmacidis fontem*: & infra: *Relinquitur nunc quoniam ad explicationem mænium eorum sum invectus, tota, uti sunt definiam. Quemadmodum enim dextra parte fanum est Veneris & fons suprascriptus, ita in sinistro cornu regia domus: quam Rex Mausolus ad suam rationem collocavit. Conspicitur enim ex ea ad dextram partem forum, & portus, mæniumque tota definitio, sub sinistra secretus sub montibus latens portus; ita ut nemo possit, quid in eo geratur adspicere, nec scire, ut rex ipse de sua domo remigibus & militibus sine ullo sciente, quæ opus essent, imperaret*. Sane Doctissimus Allatius his verbis scribit Vitruvium faciem Mausolei aperire; quod si verum, nihil tam alienum a descriptione Plinii esse, unusquisque mecum proculdubio sentiet. Verum ille præter Mausoleum alia insignia opera, quæ Halicarnassi spectabantur, describit; & nulla quam hæc verba: *In Media Mausoleum, ita egregiis operibus est factum, ut in septem spectaculis numeretur*; monumento nostro conveniunt; reliqua alio referenda, & plane, ut ajunt, *ἀπροσδιόνυσα* sunt. Scilicet Vitruvius de domibus lateritiis verba faciens, recenset etiam illam, quam Mausolus rex ædificavit: *Item Halicarnassi potentissimi regis Mausoli domus cum Proconnesio marmore omnia haberet ornata, parietes habet latere structos, qui ad hoc tempus egregiam præstant firmitatem; ita tectoriis operibus perpoliti, ut vitri perluciditatem videantur habere*. Hæc eadem domus, quam verbis laudatis scribit in sinistro cornu fuisse; nihilque commune cum Mausoleo habet, ut pote a vivo Mausolo exstructa; quemadmodum etiam docet Plinius (*a*): *Antiquissima quod equidem inveniam, Halicarnassi Mausoli domus Proconnesio marmore exculta est, lateritiis parietibus*. Inde Vitruvius pergit narrare Mausolum magno acumine & sollertia ad ædificandum fuisse; natum Mylassis animadvertisse Halicarnassi locum naturaliter esse munitum, emporium idoneum, portum utilem, locumque theatri curvaturæ similem: *Itaque*, addit, *in imo secundum portum forum est constitutum, per mediam autem altitudinis curvaturam præcinctionemque platea ampla latitudine facta, in qua media Mausoleum*. Non igitur sepulchrum magnificentissimum, vel *μέγαν ϗ ἐς κατασκευὴν περίβλεπτον*, uti vocatur Pausaniæ (*b*), describit solum; sed locum a Mausolo electum, & mox *arcem* dictum: quæ omnia clarius ex schemate, quod delineavi, patebunt.



AA. Curvatura & præcinctio ex montibus, ut credo, naturaliter facta: vel, locus similis curvaturæ theatri.
B. Media altitudinis curvatura.
C. Martis fanum in summa arce media.
D. Platea lata.
E. Mausoleum. **F.** Forum. **G.** Portus. **H.** Domus regia. **I.** Portus obscurus sub montibus. **L.** Cornu summum sinistrum. **M.** Cornu summum dextrum. **N.** Veneris & Martis fanum, & fons Salmacidis, memoratus etiam Straboni.

Atque ex his clarum est, Vitruvium Plinio nequaquam adversari; & aliquid humani pati eruditos, qui tot illum verba sepulchro describendo impendere arbitrantur. Verum nunc videndum restat, num Artemisiæ nostræ meminisse Aristophanes, numque Mausoleum contemnere potuerit Anaxagoras Philosophus. Ita igitur Comicus in Lysistrata per interpretem loquitur:

Quippe si quis vel pusillam fæminis ansam duit
Nil remittent impudentis postmodum ferociæ;
Quin statim instruentque classem, seque mox ad prælium
Comparabunt navigantes instar Artemisiæ.


Q. Sept. Florens de Artemisia Mausoli conjuge scribit Aristophanem loqui; & magni ingenii judiciique vir Leo Allatius dubitat, num de Artemisia Lygdamidis filia intelligendus sit: quæ velim viris doctis non excidissent. Nam licet non satis constet, quo anno obierit Aristophanes, nullus tamen Artemisiam Mausoli conjugem imperantem attingere potuit: cum mortuus sit vel fine Olympiadis XCVII. vel initio sequentis. Ecce fabularum ultima fuit *Plutus*, acta anno IV. Olymp. XCVII.

a *Part.* I. *p.*362. b *Lib.* 2. *cap.* 8.

a *Lib.* 36. *cap.* 6. b *Lib.* 8.

nec multo post eum legem mortalitatis explevisse veteres Grammatici notant: ἐν τούτῳ δὲ τῷ δράματι συνέστησε, ajunt, τῷ πλήθει τὸν υἱὸν Ἀραρότα, καὶ οὕτω μετήλλαξε τὸν βίον, παῖδας καταλιπὼν τρεῖς: *Hac fabula opulo filium Ararota commendavit, & ita mortuus est, liberos tres relinquens:* deinde Lysistrata acta est anno quarto Olympiadis XCII. uti docet Samuel Petitus, quo tempore, Ecatomnus Mausoli & Artemisiæ pater adhuc in vivis erat. Mausolus autem in sua principia resolutus est Olympiade CVI. (male enim arbitror Plinium mortem ejus adscribere anno secundo Olympiadis centesimæ, & auctorem Olympiadum anonymum anno primo Olymp. CIII. uti facile ex annorum, quibus Cariæ reges usque Alexandrum magnum regnarunt, numero, si id ageretur, probari posset) illique succedens Artemisia binis, quibus Reip. gubernaculis admota fuit, annis Mausoleum exstruere cepit; Idrieumque anno III. Olymp. CVII. successorem habuit. His adde Aristophanem dicere non simpliciter, ut interpres vertit, *navigantes*; verum Ναυμαχεῖν ἐπὶ πλεῖν ἐφ' ἡμᾶς, id est, *adversus nos*, Athenienses, *prælio navali decertare*; quod cum nunquam fecerit Mausoli soror, neque etiam temporum ratio conveniat, nullo jure viri eruditi de illa agere arbitrantur Comicum; & æque male dubitant, cum non alia quam Artemisia Lygdamidis filia, quæ cum Xerxe Græciæ bellum intulit, & fortissime ad Salamina pugnavit, vel possit vel debeat intelligi. Anaxagoram Philosophum Mausoleum adspicientem scribit Diogenes Laertius dixisse: Τάφος πολυτελὴς λελιθωμένης ἐστὶν οὐσίας εἴδωλον; *Sepulchrum magnifice exstructum lapidearum est divitiarum imago.* Sed & hoc num fieri potuerit, dispiciendum sedulo est. Ut enim Diogenes testatur, Anaxagoras, vigesimum, cum Xerxes in Græciam trajiceret, ætatis annum egit, vixitque duos & septuaginta. Rex ille Regum Græciam invasit, Atticam vastavit, Athenas incendit a. 1. Olymp. 75. quo tempore Anaxagoras viginti annorum erat; quibus si addas annos LII. ut fiant LXXII. non ultra Olympiadem LXXXVIII. superstes fuisse potuit; cum Mausoleum exstructum primum sit Olymp. CVII. Imo Apollodorus ἐν τοῖς χρονικοῖς apud eundem Laertium, diserte scribit, Anaxagoram natum esse Olympiade LXX. mortuum vero primo *octuagesimæ octavæ*, quod intervallum duobus & LXX. annis constat. Quum igitur ratio temporum luce meridiana clarius ostendat, Anaxagoram videre non potuisse Mausoleum; sequitur vel Diog. Laertium putasse illud a priore Artemisia, quomodo & Plinius alicubi easdem reginas confundit, exstructum esse: vel potius Anaxagoræ Clazomenio tribuere, quod alterius & junioris est.

VI. Nummum nunc optimæ notæ & argenteum exhibeo, cujus ectypum a Joanne Menningio consulis urbis hujus filio nactus sum. Raritate sua est notabilis admodum, cum quia nondum ab ullo, quod sciam, editus; tum quia præter templum sumptuosissimum exhibet Antinoi vultum cum Inscr. ANTINOOC ΔΙΛΟΣ.



Nihil opus est docere quis fuerit *Antinous*, & quo cultu eum affecerit Hadrianus, varique in Imperatoris gratiam populi. Hoc templum proculdubio unum ex iis est, quæ in variis oppidis ipsi extructa tanquam Deo vel Heroi sint; ut Mantineæ in Arcadia, teste Pausania; Antinoiæ, quæ urbs fuit Ægypti, ab Antinoo ita dictæ; D. Hieron. *Tumulos mortuis templaque fecerunt, sicut usque hodie vidimus. E quibus est Antinous servus Hadriani Cæsaris, cujus & Gymnicus agon exercetur Antinoius, civitatem ex ejus nomine condidit, & statuit prophetas in templo.* Quæ proculdubio in aliis multis præterea exstructa fuerunt locis. Sed præcipue notandum in nummo *Hadriani Ganymedem*, ut vocatur Prudentio, appellari DIVUM; & Latinam vocem Græca civitate donatam esse. In aliis nummis ΗΡΩΣ, vel ΑΓΑΘΟΣ ΗΡΩΣ, vel ΘΕΟΣ, confuso Heroum atque Deorum cultu, quem alioquin distinctum fuisse multis iisque haud vulgaribus auctorum locis docere possem, nominatur. Sed & Græci, quos Latini DIVOS, & DIVAS dicere solebant ΘΕΟΥΣ & ΘΕΑΣ appellabant. Nummus apud Erizzum inscribitur; ΘΕΟΣ ΘΕΟΥ ΥΙΟΣ, id est, DIVUS AUG. DIVI JULII FILIUS; & apud Goltzium ΓΙΟΥΛΙΟΣ ΚΑΙΣΑΡ ΘΕΟΣ; alius Claudii; ΘΕΑ ΔΡΟΥΣΙΛΛΑ & ΘΕΑ ΣΕΒΑΣΤΗ: Tiberii in Creta percussus ΘΕ ΣΣΕΒΑΣΤΟΣ ΕΛΕΥΘ. Sic Publius Carvilius Marinus, qui tempore Philipporum Pannoniæ & Mœsiæ legionibus præfuit, imperatorque ab iis est salutatus, testibus Zosimo & Zonara, vocatur ΘΕΟΣ ΜΑΡΙΝΟΣ apud Seguinum; quem nummum ediderunt etiam Strada & Georgius Chanlerus, sed male eum *Mapinum* nominant, Græcasque litteras in Latinas transformant. Nec Latini hunc morem respuerunt; & in nummis legimus: DEO AUGUSTO; cum alioquin, ut monui, Imperatores DIVI, Augustæ DIVÆ nominarentur; quod ultimum Græci interdum per ΘΕΙΟΣ & ΘΕΙΑ exprimunt, ut nummis ex multis apud Goltzium constat. Cæterum quia Antinoi mentio, non possum facere quin meam de marmore a Leonardo Agostini, viro eruditissimo edito, sententiam aperiam. Cernitur in eo juvenis intecto capite caduceum tenens, jacens in arietis dorso nudus, fere ita ut ab eo ferri vel in cælum vel in aliam regionem videatur. Doctissimus editor *Mercurium* esse arbitratur, quia Pausanias narrat Corinthi fuisse æneam Mercurii statuam, cui appositus erat aries. Verum mihi diligenter vultus lineamenta perpendenti, & consideranti, nec talaria nec tempora alata sive petasum hic cerni; nonnunquam suborta opinio, ANTINOUM repræsentari. Sane eodem plane vultu, eodem capillitio decorus non modo in nummis variis, verum etiam in gemma alibi apud Agostini (a) occurrit. *Caduceum* autem tenet, quia Mercurii in habitum effictus est, vel Mercurius esse putabatur. Sic idem insigne gerens in nummis equo insidet; vel conatur domare pegasum, vel pedum pastorale gerit, bovi adstat & talaria pedibus habet annexa; inque unius adversa area cernitur *aries* apud Erizzum, Stradam, Tristanum & alios antiquarios. Ut enim ex innumeris auctoribus monumentisque antiquis constat, *caduceus* insigne Mercurii proprium est, non modo apud Græcos & Romanos, verum & Ægyptios. Nam & horum Mercurius canino capite (ridicule Gutherius lib. 1. cap. 25. Jur. Pontificii scribit, se nummum Isidis matris subjicere, quæ equino capite denotatur) insignis sistrum atque caduceum gerit in nummis Faustinæ ac Juliani, & talis describitur Apulejo: (b) *Nec*

a *Gem.* 40. *Part.* 1. b *Lib.* 11. *Met.*

mora, cum dei dignati pedibus humanis incedere prodeunt: hic horrendum attollens canis cervices arduas, ille superum commeator & inferum, nunc atra nunc aurea facie sublimis, læva caduceum gerens: & Servio: *Qui capite canino pingitur, hunc volunt esse Mercurium, ideo quia nihil est cane sagacius*. Lucianus quoque refert Mercurium, postquam dux fuisset Isidi in Ægyptum trajicienti, ex adolescente se fecisse κυνοπρόσωπον; adeo ut nihil mirum sit Albricum Philosophum memoriæ mandare, *aliquos eum cum capite canino pinxisse*; quod non ita pervulgatum esse, miror notare doctissimum virum; cum nihil frequentius in Ægyptiorum, quos per *aliquos* intelligere debemus, sacris sit. Nec mirum Antinoum Mercurii in habitum formari videbitur, si quis repetere velit, quæ hac de superstitione & more mutandi mortuorum statuas in deorum speciem notavi ad Apotheosin: quibus adde Theocritum (*a*) canere, Venerem non permisisse ut Ptolomæi uxor Berenice Acheruntem transiret, verum eam in templo collocasse, & suos honores tribuisse illi, id est fecisse ut iisdem statuis & sacrificiis coleretur,


Ἐς ναὸν κατέθηκας, ἑᾶς δ᾽ ἀπεδάσαο τιμᾶς.

Quin & Antinoi simulacra Bacchum referebant apud Mantinenses; Pausanias (*b*): αἱ δὲ Ἀντινόη εἰσὶν αἱ πολλαὶ Διονύσῳ μάλιστα εἰκασμέναι: *Antinoi imagines multæ Liberum Patrem referunt*; atque in nummis *Pan* appellatur. Octavius enim Falconerius nummum testatur in Museo Barberino reperiri, cujus in anteriori parte Antinoi effigies pectore tenus, sinistra baculum retortum humeris innixum tenentis, cum Inscript. ANTINOΩ ΠΑΝΙ: in aversa vero Victoria gradiens, & circa eam VICTORIA AUG. Nullus ego dubito, quin hic nummus a Mantinensibus percussus sit. Arcades enim præcipua religione Panem colebant; unde *Deus Arcadiæ* Maroni; τοῖς Ἀρκάσι ἐπιχώριος θεός Pausaniæ; aliisque a locis regionis laudatæ, in quibus adorabatur, *Mænalius* ac *Tegeæus* appellatus fuit. Pedum autem gerit, quia Pan custos ovium armentorumque. Ipse apud Lucianum: καὶ τὰ ποίμνια δὲ εἰ θεάσαιο μου ὁπόσα περὶ Τεγέαν καὶ ἀνὰ τὸ Παρθένιον ἔχω, πάνυ ἡσθήσῃ· ἄρχω γὰρ τῆς Ἀρκαδίας ἁπάσης; *Jam greges ovium si videas, quot in Tegea & Parthenio habeo, valde delectareris: impero enim toti Arcadiæ*: Inde *ovium custos* Virgilio (*c*), Græcisque Νόμιος, Ἄγριος, Ἀγρότης vel Ἀγρεύς, quo ultimo nomine Athenis colebatur testibus Apollodoro apud Hesychium & Auctore M. Etymol. appellatur. Nec aliam ob causam Antinous Mercurio assimulatus in Bithyniensium nummo, apud Tristanum, baculum gerit pastoralem. Nam Mercurius apud Arcadas natus est, & cum populo pascendis gregibus pecoribusque dedito eandem proculdubio artem exercuit; nisi dicamus utriusque Dei Panis n. & Mercurii insignia, id quod fieri sæpe solere docui, Hadriani deliciis tributa esse. Observandum autem præterea, in alia area nummi VICTORIAM repræsentari, illamque acceptam quasi Antinoo Pani ferri. Nam *Pan nemorum bellique potens* est apud Flac. Valerium; στρατιώτης, *bellator* Longo dicitur; ante prælium invocatur apud Diod. Siculum (*d*); στρατηγός, Polyæno teste, fuit, primus aciem invenit, phalangi nomen dedit, cornu dextrum instituit & sinistrum; & tandem Athenienses ipsi adscribebant victoriam Marathoniam, uti videre licet apud Herodotum, Pausaniam & Lucianum. Cæterum quemadmodum in

a *Id.* 17. b *Lib.* 8. c *Lib.* 1. *G.* d *Lib.* 1.

ΔΙVΟΣ retinetur Latinorum V. ita eadem remansit in voce Græca; sed quæ usurpata est Martiali, Ausonio, aliisque ad Suetonii Augustum laudatis Casaubono auctoribus. Nam in Philippi patris nummo scribitur: ΕΦΕΣΙΩΝ. Α. id est, πρώτων. ΚΑΤΑΠΛΑVC, id est, *classis*, *adventus navis*, uti vox ea in Isidori glossis exponitur, vel κατάπλους, ut Græci loquebantur; neque vocem corruptam esse cum Patino existimo; sed ut ita explicem, facit triremis illi addita. In Valeriani numismate apud Seguinum, ΜΕΝΑΝΔΡΟV & ΝVΣΑΕΩΝ Latinam scribendi rationem servant: in Inscriptione contra apud Sponium Latina, Y. frequenter, pro V. ponitur; ut SECYNDINYS. REPYRGARI, &c.

VII. In Constantini Hugenii, Nobilissimi & Doctissimi Viri, Serenissimo Arausionensium Principi a Secretis, gazophylacio nummum inspexi elegantissimum, cujus una in area cernitur caput fœminæ cum Inſ. IMP. DOMIT. COS. XV. in altera avis insistens ramo olivæ;



Putabam ineditum hoc cimelium esse, sed postea deprehendi Franciscum Angelonum illud lectissimis nummis suis inseruisse atque explicasse. Ita enim commentatur: Come facesse stampare a se stesso la seguente medaglia, non so comprendere: poiche l' effigie e del Domitiano, ma la capigliatura e affatto lunga, crespa, inanellata, & acconcia in guisa, che altro, ch' essere di femina, non puo giudicarsi. Vi ha sopra una gentil corona d' alloro, e lettere descritte con Cos. XV. ergendosi, dal fornire della gola un ramoscello, non so se d' alloro o di palma: & ha nel rovescio una cornacchia su un ramo di lauro, in atto di gracchiare, con S. C. nel disotto. Simile animale fu gia amato da Minerva, avendolo fatto diventare uccello, di bella giovane, che egli era per prima, e cio per difendere quella da Nettuno, che n' era inamorato, e servissene fin che mossa dallo sdegno, per l' accusa fatta contra le figliole di Cecrope, di bianco, ch' egli era, la cangio in nero, come ora si vede; e discacciolla, togliendo in suo luogo la Civetta. Volse forse Domitiano esprimere tal favola in simile rovescio, come quegli, che si studiava di rappresentare Minerva in vari modi. Alcuni hanno voluto, che la cornacchia sia simbolo di concordia, peroche congiunti il maschio e la femina una volta insieme, si osservano inviolabile fede, mentre vivono, non usando giammai alcuno d' essi con altri, ne essendo morto l' uno, si accompagna piu quel, che rimane: anzi se ne sta in luoghi solitari, fuggendo qualunque compagnia. Verum ex lineamentis vultus diligenter inspectis conjecturam feci deam hanc FORTUNAM PRÆNESTINAM esse; quæ Domitiano *toto imperii spatio annum novum commendanti lætam eandemque semper sortem dare assueta, extremo tristissimam reddidit*, quemadmodum loquitur Suetonius (*a*): quæque talis plane cernitur in nummo gentis Plætoriæ apud Ursinum. Nec insolens nomini Cæsaris, non vultum ejus, sed aliud quid addi in una eademque area. Apud Seguinum Claudii nummus inscribitur, ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΣΕΒΑ-

a *Cap.* 15.

ΣΤΟΥ, & in ſuperiore parte, ΥΠΕΡΙΩΝ, cum capite muliebri turrita: quæ ut ipſam urbem repræſentat vel inſulam Rhodum; ita ΥΠΕΡΙΩΝ referri debet ad Solem in altera area coronam tropæo imponentem; vel gignendi caſu vox hæc legenda, ita ut ad Claudium referatur, iſque dicatur eſſe Sol vel Ὑπερίων. Similiter junguntur, AUGUSTO. DIVI. F. & tria ſigna militaria LEG. IV. LEG. VI. LEG. X. apud eundem; atque apud Patinum ΚΑΙϹΑΡΟϹ & ſpica, id quod in multis Græcis obſervare etiam licet; & præcipue in *Pylæmenis Evergetæ*, Cappadociæ regis nummo, quem non ita pridem edidit Sebaſtianus Fæſchius. Nam cernitur in eo caduceus & ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΥΛΑΙΜΕΝΟΥ ΕΥΕΡΓΕΤΟΥ. Quin & idem vir eruditus teſtatur in nummis quos ipſe ſervat caput Dianæ adſcriptum habere, ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΦΙΛΑΔΕΛΦΟΥ. ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ; nec non Herculem ſtantem ΒΑΣΙΛΗΟΣ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ ΘΕΟΥ ΝΙΚΑΤΟΡΟΣ ΣΩΤΗΡΟΣ. Et ſimilia in aliis Domitiani nummis obſervare licet; Cererisque capiti adſcribitur, IMP. DOMIT. AUG. GERM. & Minervæ, IMP. DOMIT. AUGUST. GERM. COS. XII. Quæ in altera area cernitur avis, non *cornix*; ſed *corvus* eſt; quem ſæpiſſime videmus ramo lauri pedibus inſiſtere, uti præter nummos docent gemmæ apud Gorlæum. Erat ſcilicet avis auguralis, & Apollinis comes; unde frequentiſſime tam in numiſmatis quam lapidibus tripodibus jungitur; Statio vocatur *comes tripodum*; Plinio dicitur, *in auſpiciis ſolus habere intellectum ſignificationum ſuarum*: & Æliano (*a*) appellatur θεράπων & ἀκόλουθος Apollinis. Hic autem non *cornix*, ut ſcribit vir Doctiſſimus, album colorem nigro mutare coactus eſt; quia Coronidis adulterium Apollini nuntiaverat, uti præter Hyginum Ovidius (*b*) narrat;

> *Sperantemque ſibi non falſæ præmia linguæ*
> *Inter aves albas vetuit conſidere corvum.*

Cornix autem, quæ ante Coronis dicta fuerat, filia Coronei, in avem mutata a Minerva, factaque comes illius inculpata eſt; cum Neptunus eam comprimere in littore ſpatiantem vellet; ſed in locum ejus ſucceſſit noctua, quia vis facta Minervæ nuntiaverat Cecropis filias ciſtam, in qua clauſus erat Erichthonius, aperuiſſe & inſpexiſſe; Ovidius;

> *Acta deæ refero. pro quo mihi gratia talis*
> *Redditur, ut dicar tutela pulſa Minervæ*
> *Et ponar poſt noctis avem. mea pœna volucres*
> *Admonuiſſe poteſt* ——

Mentem poetæ non ſatis cepit Lactantius Placidus; maleque putat Coronidem virginem etiamnum, ciſtulam laxatam vidiſſe; quemadmodum ex ejus verbis patet: *Coronis ſupradicta, nobiliſſima virginum, cuſtodibus laxatam ciſtulam & inſpectam, cum draconem reperiſſent*, (n. filiæ Cecropis cuſtodes ciſtæ) *divulgavit: quamobrem dea eam a ſe alienavit. Quæ cum ſolitudine in litore oblectaretur, Neptunus procul conſpecta, Venere ejus incaluit; cui cum vim afferret, ab eadem dea propter virginitatem tenaciter cuſtoditam in avem cornicem converſa eſt; ita ut templo deæ ſubmoveretur*. Sed hæc, ut monui, ab Ovidii mente aliena plane ſunt; quippe qui canit eam in avem mutatam, vidiſſe ciſtam a Cecropis filiabus aperiri. Mirum igitur nequaquam eſt corvum addi deæ præſidi oraculi celeberrimi in Italia: Suetonius (*a*), *Vicina vero urbi oracula etiam disjicere conatus eſt: ſed majeſtate Præneſtinarum ſortium territus, deſtitit: cum obſignatas devectaſque Romam non reperiſſet in arca, niſi relatas rurſus ad templum*. Strabo: Πραίνεστος δ' ἐστὶν ὅπου τὸ τῆς Τύχης ἱερὸν ἐπίσημον χρηστηριάζον; *Apud Præneſte autem fanum & oraculum Fortunæ eſt celebre*: quibus addatur omnino Cicero libro ſecundo de Divinatione. Et notatu inſuper digniſſimum eſt, ante deam non modo lauri ramum cerni, verum etiam eam corona ex eadem arbore caput cinctum habere. Eſt enim laurus, uti docet præter alios Fulgentius (*b*) Apollini dicata & fatidica; perſuaſumque habebant comeſtam conferre ad numinis afflatum, & vaticinantes inde δαφνηφάγους dixere, uti Scholiaſtes Heſiodi obſervat. Apollo ipſe in gemma apud Gorlæum tertia ramum lauri manu tenet; & Martianus Capella ſcribit Delium *ramale laureum* geſtare, vocatque *divinatricem eandem conjecturatricemque virgam*. Apud Val. Flaccum (*c*) Mopſus vaticinaturus

> —— *Vittamque comamque per auras*
> *Surgentem lauruſque rotat* ——

Alibi de eodem canit;

> *Hic vatis Phœbique fides non vana parentis*
> *Mopſus: puniceo cui circumfuſa cothurno*
> *Palla ima ferit alba pedes, vittataque frontem*
> *Caſſis, & in ſummo laurus Peneia cono.*

Et rurſus cum Jaſon Phineum oraret, ut iter edoceret; diceretque inter cetera *Jovis optimam prolem*, id eſt, Palladem, non Herculem, ut quidam nugatur, ipſi puppim inſtituiſſe (*d*);

> *Ille ducem nec ferre preces, nec dicere paſſus*
> *Amplius; hic demum vittas laurumque capeſſit,*
> *Numina nota ciens.* ——

VIII. In Antonini Pii nummo, quem Doctiſſimus Patinus edidit cernitur Diana multimammia, qualis in Epheſiorum, & multorum aliorum populorum vel auro vel argento vel ære occurrit cum Inſ. ΑϹΤΥΡΗΝΕ.

Hæc vox licet obſcura valde ſit & necdum, quod equidem ſciam, explicata, mihi videtur eſſe Dianæ cognomen, a loco in quo colebatur, & cujus incolæ nummum proculdubio ſignarunt, deſumptum. Strabo (*e*) Troadem deſcribens teſtis erit omni exceptione major; Εἶτα Ἄστυρα κώμη καὶ ἄλσος τῆς Ἀστυρηνῆς Ἀρτέμιδος ἅγιον; *Deinde Aſtyra pagus, & lucus Aſtyrenæ Dianæ ſacer*: iterum: *Myſiæ propinquum pagum Aſtyra vocant*: ἣν δὲ πολίχνη ποτε, ἐν ᾗ τὸ τῆς Ἀστυρηνῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν ἄλσει: *Erat olim oppidulum, in quo Dianæ Aſtyrenæ templum in luco*. Ab hac, non autem Italiæ urbe *Aſtyra*, ut Stephanum ſcribere commentatur Gyraldus, Diana nomen accepit. Neque enim tale quid Ethnicographus tradit; ſed poſtquam dixit *Aſtyram* etiam eſſe Italiæ regionem; adjicit vocis Aſtyræ eſſe gentile *Aſtyrenus*, & ab eo gentili deſcendere Dianæ Aſtyrenæ cognomento templum. Ἔστι καὶ χώρα Ἰταλίας. τὸ ἐθνικὸν Ἀστυρηνός. ἀφ' οὗ τὸ τῆς Ἀστυρηνῆς Ἀρτέμιδος ἱερόν. Nec quemquam movere debet in nummo noſtro E. pro H. poni; cum nihil tam in iis quam

a *L.* 1. *An. cap.* 47. 48. b *F.* 202.

a *Cap.* 63. *Tib.* b *Lib.* 7. *Myſ.* c *Lib.* 1. d *Lib.* 4. e *Lib.* 13.

marmoribus frequentius ſit. In Athenienſium nummis ΑΘΕ pro ΑΘΗ, ſeu ΑΘΗΝΑΙΩΝ: in Thebanorum ΘΕΒΗ pro ΘΗΒΗ; Phæſti urbis Cretæ, ΘΕΣΕΤΣ pro ΘΗ. & in aliis ΜΕΤΡΟΠ. pro ΜΗΤΡΟΠΟΛΙΣ: quomodo in Latinis nummis eadem littera pro Æ occurrit; ut in Gordiani AMBROCIE PETRE, pro *Ambroſiæ Petræ*; in Ciceronis, quem Lambecius in Commentario de Bibliotheca Cæſarea Vindobonenſi edidit, MINERVE pro MINERVÆ: in Veſpaſiani apud Spanhemium; PACI ORB. PERP. AC. ET. i. e. *Æternæ*: qualia etiam ex marmoribus facili opera adduci poſſent. Sed mihi ad ASTYRENAM DIANAM redeundum eſſe ſentio; ſi monuerim E pro AI in nummis non modo Græcis ultimi ævi, verum in longe vetuſtioribus etiam occurrere; ut in Caracallæ apud Triſtanum (*a*); ΚΟΜΟΔΟΥ ΚΕ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ. Diana autem, ſi modo integra, nec ætate attrita nummi noſtri inſcriptio eſt, ACTΥΡΗΝΕ abſolute vocatur; quomodo deorum dearumque cognomina abſque prænominibus, ſæpe additis vocibus *Deus* & *Dea*, apud auctores, & in numiſmatis marmoribuſque occurrunt. Apud doctiſſimum Seguinum ΠΕΡΣΙΚΗ eſt *Diana Perſica*; apud Goltzium ACTIACUS Apollo, ERYCINA Venus & ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΣ Hercules; in nummo Caracallæ ex ſententia Triſtani ΑΛΦ. vel ΑΛΦΑΙΑ *Diana Alphæa*; in Deliorum ΔΗΛΙΟΣ *Apollo*, ΔΗΛΙΑ *Diana*: in Trajani ΒΥΖΑΝΤΙΝΑ ΖΩΤΥΡΑ *Diana* vel *Hecate*: in Valeriani: ΘΕΑ ΚΛΑΖΟΜΕΝΗ, dea ibi, niſi ipſa urbs deſignetur, culta; & forte *Diana*, quam urbis effigies in alio apud Lambecium manu tenet, cum Inſ. ΘΕΑ ΚΛΑΖΟΜΕΝΙΩΝ. in Auguſti, & Neronis ΘΕΑΣ ΣΙΔΩΝΟΣ, vel *Europa* vel alia; unde ſimul patet recte Stephanum notare Σιδῶν etiam eſſe gentile. Livius, ut in Apotheoſi monui, celebrat *Deum Penninum*; & Servius *Deam* eodem nomine; *Denique loca ipſa, quæ rupit, Apenninæ Alpes vocantur; quamvis legatur a Penina dea, quæ ibi colitur Alpes vocari*. In via Appia repertum eſt ſignum Minervæ cum baſi, cui inſcriptum erat:

ΘΕÀΝ ΜΑΓΑΡΣΙΔΑ
Τ. ΙΟΥΛΙΟC....
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

per quam *Minervam* deſignari patet ex ſacrificio quod ei apud Arrianum (*b*) obtulit Alexander; uti recte in notis ad Stephanum de Urbibus monet Holſtenius; quæ propediem cura Theodori Rycquii digeſtæ & auctæ in lucem prodibunt. DEA CYRRHESTICA vel SYRISCA celebratur in lapide antiquo, ex opinione Reineſii; DEA AVENTIA Avantici oppido Helvetiæ culta in aliis apud Patinum: DEUS NISÆUS eſt *Bacchus*; uti conſtat ex collari pantheræ captæ in Pamphylia; cui inſcriptum erat Armenia lingua, teſte Philoſtrato (*c*): ΒΑΣΙΛΕΥΣ ΑΡΣΑΚΗΣ ΘΕΩ ΝΥΣΑΙΩ: apud Colchos fuit culta a Phaſide fluvio proculdubio dicta Φασιανὴ θεὰ, quam *Rheam* eſſe ex cymbalo, quod tenet, & leonibus ὑπὸ τῷ θρόνῳ arbitratur non abſque ratione Arrianus (*d*): Dianam Pergæ cultam περγαίαν vocat Philoſtratus: (*e*) Callimacho Μουνιχίη eſt *Diana Munichia*: in Excerptis ex lexicis veteribus *Iſis* exponitur φαρία; & abſolute ita etiam vocatur in Calend. Ruſtico (*f*), quæ alias, uti ex nummis palam eſt, ISIS PHARIA vel FARIA appellatur; *Dea Hyblæa* culta Hyblis in Sicilia laudatur Pauſaniæ; illaque forte cernitur in nummo apud Goltzium quam

a *T.* 2. b *L.* 2. c *L.* 1. *cap.* 1. *de vita Apol.* d *In Periplo.* e *L.* 2. *de v. Sop.* f *Grut. p.* 139.

Hyblam majorem ſignaſſe ex inſcriptione ΜΕΓΑΛΑΣ ΥΒΛΑΣ conſtat: & tandem Cybele in inſcriptione apud eundem Reineſium, virum maxumum appellatur ΘΕΑ ΔΙΝΔΥΜΕΝΑ. Cereſque abſque ulla adjectione Α'ΕΛΕΥΣΙΝΑ: Et ne vulgata moneam, Mercurium *Cyllenium*, Venerem *Cypriam*, Nemeſin *Rhamnuſiam*, Herculem *Oetæum Deum*; Neptunum *Tænarium Deum*, Apollinem *Clarium* appellari; ipſa hæc *Aſtyrene* Diana, niſi plane fallor, cernitur in gemma apud Leonardum Auguſtini, quam Claudius Menetreius cum aliis imaginibus ſubjunxit Symbolicæ Dianæ Ephæſinæ ſtatuæ explicationi. Nam ACT. ſunt priores nominis deæ litteræ, & commode explicari poſſunt ACTΥΡΗΝΗ.



Apud Leonar Augustinum in Gemma

Ectypum appoſui, cum quia liber ille inter rariſſimos eſt, tum quia Diana mihi anſam præbet emendandi nobilem admodum Euſebii locum. Scilicet obſervare hic licet Dianam multis mammis circa pectus pendentibus in orbem, qualis & alia ejuſdem numinis vel Iſidis in laudato libro conſpicitur ſtatua, ornatam. Nullam enim ego præter Dianam & Iſidem, cujus Macrobius (*a*) *continuatis uberibus corpus omne denſari, quia terræ vel rerum naturæ altu nutritur univerſitas ſcribit*, Deam ita effingi ſolere novi, niſi quod in marmore apud Boiſſardum talis occurrit ΦΥΣΙΣ ΠΑΝΑΙΟΛΟC. Eruditiſſimis eam ob cauſam viris Giphanio & P. Fabro, qui *Cererem mammoſam* explicant *multimammiam*, nunquam aſſenſum dare potui; ſemperque exiſtimavi magnam inter hæc vocabula eſſe differentiam. Nam *multimammia* dea eſt, quæ multas; *mammoſa* vero mulier, quæ non multas, ſed grandes mammas habet. Sic *labioſus* qui ingentia labia: *lacertoſus*, *toroſus*, qui magnos ſolidoſque lacertos & toros; *ventrioſus* apud Plautum qui magnum ventrem & exſtantem habet, vel cui, ut Perſius canit,

Pinguis aqualiculus propenſo ſeſquipede extat.

a *Lib.* 1. *cap.* 20.

Vicus *Fortunæ Mammosæ* laudatur in regione urbis XII. Lucretius virginem crassam & mammis cum grandibus appellat *geminam & mammosam*; canitque eam ab iis qui vera rerum vocabula abjiciunt, & fœminis tribuunt, quæ non sunt illis commoda, appellari *Cererem*; quia Ceres scilicet ita solebat pingi.

At gemina & mammosa, Ceres est ipsa ab Iaccho:
Simula, Silena ac Satura est: labiosa, Philema.

Nam Cererem *gravem*, *fœminam* vel geminam facit Martianus Capella (*a*): *Cum his grata Ceres, admodum* GRAVIS *fœmina, alumnaque terrarum ac nutrix mortalium videtur*: eamque *mammosam* fuisse docet unus instar omnium Arnobius: (*b*) *Æsculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus*; alibique idem scribit Lucretii Musam prædicare *ab Iaccho Cererem mammosam*; quanquam poeta non celebret *Cererem mammosam*; verum virginem vel mulierem geminam & mammosam canat appellari *Cererem ab Iaccho*, a blandientibus sexui fœmineo. *Mammosam* autem eo, quo dixi, sensu sumi debere satis evincit Laberius, qui exoptat fœminam *non mammosam, non annosam, non bibosam, non procacem* apud A. Gellium (*c*). Neque aliter Vesta, quam eandem cum Cerere faciebant Theologi gentilium, describitur Porphyrio apud Eusebium (*d*); sed ejus verba ita corrupta sunt, ut sensum nullum recipiant: Καὶ τὸ μὲν, ait, ἡγημονικὸν τῆς χθονίας δυνάμεως, Εςία κέκληται ἧς ἄγαλμα παρθενικὸν ἐφ᾽ ἑςία; ἱδρυμένον· καθὸ ἢ γονιμος ἡ δυναμις, σημαίνεσιν αὐτὴν γυναικὸς εἴδει πρὸ μαςῶ: *Id quod est in terrena vi princeps atque primarium, Vesta nominatur, cujus simulacrum virginea specie juxta focum excitari collocarique solet: quatenus autem fœcunda vis illa est, eandem uberum tenus muliebri forma expressam voluerunt*. Verum si Vesta usque ad mammas fuit forma muliebri; inde sequi videtur vel avem vel piscem vel anguem vel aliud monstrum inferiori parte corporis retulisse; cum tamen ab omnibus, tanquam fœmina optimo jure describatur. Legendum igitur conjunctis vocibus προμαςῶ; & mulier προμαςος est *mammosa*, quæ grandes habet mammas, instar mulierum vel gravidarum, vel infantibus suis juxta PIETATEM ROMANAM, quemadmodum nummis inscribi voluit Flavia Maximiana Theodora, uxor Constantii Chlori, ubera præbentium. Inde postea τροφός vel *nutrix* vocatur; *Atque hunc ad modum vim illam terræ tot symbolorum varietate explicatam venerantur*: ὡς μὲν παρθένος καὶ Εςία ἡ κεντροφόρος; ὡς δὲ τοκὰς ἡ τροφός; *ac virginis quidem Vestæ nomine, quatenus ea centrum universi complectitur: parentis, quatenus nutrit*. Quibus in verbis, non secus ac in aliis Vesta virgo, & Vesta MATER, quemadmodum Ciceroni (*e*), in nummo D. Juliæ piæ, & Inscriptione apud Gruterum vocatur, describuntur; ita tamen ut mihi dubium valde sit, quid illa cum centro universi habeat commune. Scio quidem Philolaum apud Stobæum (*f*) πῦρ ἐν μέσῳ περὶ τὸ κέντρον constituere, eumque ἑςίαν τοῦ παντὸς καλεῖν, καὶ Διὸς οἶκον, καὶ μητέρα θεῶν; sed nihil hoc cum Eusebii loco videtur habere commune; uti vel patet ex iis quæ ex opinione Pythagoricorum de eodem argumento disputant Aristoteles (*g*) & Plutarchus (*h*). Suspicatus quapropternonnunquam sum, scribi oportere δενδροφόρος; quia virides arbores signum quasi sunt virginitatis & virginis terræ, pauloque post Ceres propter fruges & res sativas dicitur esse terra χλοηφόρος. Ut autem προμαςός mihi est mulier mammosa; ita eadem Græcis pari ratione appellatur μεγαλόμαςος; quomodo etiam *ventrosus* in Glossis exponitur προγάςωρ & πρόκοιλως; & πρόχειλος est labiosus, vel prominentibus labiis & crassis homo. Atque hæc quidem occasione Astyrenæ, & Multimammiæ, vel POLYMAMMÆ DIANÆ, quas voces in antiquis numismatis, a me tamen necdum visis vel ulli antiquario memoratis, reperiri scribit Vossius (*a*), mihi notata sunt, illamque relinquerem, nisi monendus fores, Lector, Stephanum notare in urbe Cariæ vel Phœniciæ, uti illa vocatur Corinnæ & Bacchylidi, ex quibus recte Ethnicographum interpretatur Bochartus, Minervam cognomine Αςυρὶν fuisse cultam. Ἐςι καὶ πόλις Φοινίκης κατὰ Ῥόδον, ἐν ᾗ ἐτίματο ἡ Ἀθηνᾶ Αςυρίς: deinde multa adhuc in Eusebio (*b*) restare illustranda, ut binis insuper exemplis docere breviter conabor: τῶν δὲ καιρῶν, ait, σύμβολα οἱ Κώρυτες, τὸν Κρόνον βυκολῶντες: *Occasionum varietatem Curetes Saturni nutricii repræsentant*. Sed neminem ego novi veterum, qui memoriæ mandet Curetas Saturnum educasse; putoque verba hæc verti debere: *Saturnum fallentes*: nam, uti ex historia fabulari, ipsisque adeo nummis notum est, Curetes occultantes armorum sonitu Jovis pueri vagitum, fefellerunt Saturnum; qui ipsum instar aliorum devorare volebat. Hinc *Jovis nutritores* dicuntur; & βυκολέω *decipio* non solum Luciano significat; verum etiam Hesychius ita commentatur: Βυκολοιῶντες ἀπατῶντες: Βυκολῶν ἀπατῶν, σοφιζόμενον. Altero loco agit de Bacchi matre: Τίς ἦν ἡ τῶτον γεννήσασα, εἴτε Σελήνη τις λέγοιτο, εἴτε Περσεφόνη: *primum qua matre genitum esse Bacchum dicent, Luna an Proserpina*. Scio Ciceronem (*c*) varios Dionysos vel Bacchos recensere; interque eos unum, natum Jove & Proserpina, unum itidem Jove & Luna: sed ut mirari soleo Consulem Romanum optimum, & oratorem disertissimum non meminisse Bacchi ex *Semele* geniti; ita apud Eusebium particula τις mihi auctor quasi est, ut rescribam Σεμέλη. Nam de Luna nota est; cum contra plures Semelæ, & omnes æque ignotæ esse potuerint.

IX. Neronis apud eundem Virum Doctissimum signatur nummus figura muliebri superiorem corporis partem nuda, hastam & cornucopiæ tenens, cum Inf. ΔΗΜΟΣ ΡΩΜΑΙΩΝ. Hunc in Thraciæ parte, quæ *Romania* dicitur, signatum nequaquam judico; quia Neronis Imp. tempore Byzantium nec *Nova Roma*, nec regio suburbicaria, ut sic loquar, *Romania* dicta fuit. Nullus igitur alius, ut mihi equidem videtur, potest intelligi populus quam ROMANUS; qui Græca epigraphe usus est, quia Nero Græcis valde delectabatur. Huc pertinet & Commodi Imp. numisma inscribi ΡΩΜΑΙΩΝ ΗΡΑΚΛΕΙΩΝ; quod factum a Romanis, non quia Byzantini appellati fuerunt *Herculei*; (quod tamen adhuc quæro) sed quia Commodus dici voluit *Romanus Hercules*, testibus Dione & Lampridio.

X. Nummus Constantini inscribitur CONSTANTINIANA DAFNE: inque illo sedet victoria alata ramos tenens utraque manu; & ante eam fixum est tropæum cum captivo, cujus manus post tergum revictæ sunt. Hæc verba quid sibi velint, non explicat vir eruditus, & Oedipo opus esse putat. Ego nullus dubito quin cum Valesio & Spanhe-

a *Lib.* 1. b *Lib.* 6. c *Lib.* 3. *N. Att. c.* 12. d *Lib.* 3. *Præp Evang.* e *Orat. pro Dom.* f *Cap.* 25. *Ecl. phys.* g *L.* 2. *c.* 13. *de Cælo.* h *In v. Numæ.*

a *Lib.* 2. *c.* 25. *de Idol.* b *Lib. eod. præp.* c *Lib.* 3. *de N. Deor.*

mio intelligendum ſit caſtrum DAPHNE, quod Conſtantinus Magnus ad ripam Danubii exſtruxit in Mœſia; a quo milites in notitia imperii CONSTANTINI DAPHNENSES & BALISTARII DAFNENSES nominati ſunt. Et, niſi fallor plane, caſtrum hoc ſive φρούριον, uti appellant Procopius, cernitur in alio Conſtantini nummo, cui inſcribitur PROVIDENTIA AUGG. quia maxima pars Providentiæ Imperatoriæ eſt, limites bene munitos ſervare; unde Procopius ſcribit Conſtatinum οὐκ ἀσύμφορον judicaſſe ταύτῃ n. Daphne φυλάσσεσθαι τὸν ποταμὸν ἑκατέρωθεν. Et proculdubio Victoria ſedet in nummo, quia Gothos atque Sarmatas Thraciam diripientes profligavit; quo ſpectat SARMATIA DEVICTA, uti in aliis nummis ſcribitur. Fuit etiam DAPHNE ſuburbium Conſtantinopoleos; cujus Stephanus meminit: Ἔστι καὶ προάστειον Δάφνη ἐν τῷ στόματι τοῦ Πόντου, ἐν ἀριστερᾷ ἐπὶ τὸν ἀνάπλουν ἀνιοῦσιν, ὃ λέγεται Σέργιον; *Eſt & ſuburbium Daphne in ore Ponti ad ſiniſtram ſurſum navigantibus, quod dicitur Sergium*. Hic eſt, ubi Conſtantinus Helenæ Matris ſuæ ſtatuam collocavit, & locum Αὐγουστεῖον dixit: Suidas: Ἔστησε δὲ καὶ ὁ Μέγας Κωνσταντῖνος εἰς τὸ ἀσκεπὲς τῆς Δάφνης στήλην τῆς ἑαυτοῦ μητρός; ἐξ ἧς ὠνόμασε τὸν τόπον Αὐγουστεῖον: *Erexit Conſtantinus Magnus in aperto Daphnes loco ſtatuam ſuæ Matris, a qua locum Auguſtæum nominavit*. Neque enim puto Cardinalem Baronium (*a*) recte ex his verbis docere; apud Antiochiam ad Daphnidis lucum celebrem memoriam Helenæ fuiſſe, dictam *Auguſtale*; ibique Imp. Conſtantinum Matris ſuæ ſtatuam collocaſſe. Nam *Daphne* hæc fuit prope Conſtantinopolim, uti conſtat ex Heſychio Mileſio & Auctore Chronici Alexandrini, qui narrant inſuper Conſtantinum Matris ſuæ ſtatuam columnæ impoſuiſſe, & locum Αὐγουσταῖον appellaſſe.

Atque hæc quidem ſpeciminis loco ſunt; finemque numiſmatum explicationi imponerem, niſi cenſerem reip. litterariæ intereſſe, ſi ante examinarem opinionem Nicolai (*b*) Bergerii. Vir ille doctiſſimus libro raræ eruditionis & Gallici idiomatis conſcripſit hiſtoriam viarum militarium Romanorum; inque eo tradere non dubitat Aſinium Pollionem primum fuiſſe Romæ, qui bibliothecam numiſmatis (*Medailles*, quaſi dicas, *Metallias*, vel *Metalliones* appellat) ornavit. Utque doceat, non hodie aut heri primum eruditos ejuſmodi theſauris colligendis operam dediſſe, addit Atticum Ciceronis familiarem de iis librum conſcripſiſſe; & inter doctiſſimi Romanorum Varronis opera, unum eſſe de *Metallionibus*, in quo non ſolum nomina, verum etiam imagines virorum illuſtrium ex nummis delineatas publicaverit. Error inſignis originem ſuam debet male intellectæ voci IMAGO; qua arbitratur Latinos effigies hominum nummis impreſſas proprie deſignaſſe. Plinium (*a*) ita interpretatur; *Tranſiit & a diis ad hominum ſtatuas atque imagines multis modis*. Sed illo, ut & proximis capitibus hiſtoriæ naturalis ſcriptor ne quidem nummorum mentionem facit; ſtatuaſque & imagines, ſive pictæ, ſive fictæ, ſive ex ære, aliave materia duriore factæ fuerint, recenſet. Sic cum Cicero (*b*) ſcribit, *Demoſthenis imaginem ſe in ære vidiſſe*, ad nummos nullam ob cauſam recurrit: & Suetonium narrat memoriæ mandare, ſe vidiſſe numiſma Auguſti, in quo Turinus vocabatur; *Thurinum*, inquit, *cognominatum certa probatione tradiderim, nactus puerilem imagunculam ejus æream veterem ferreis ac pæne exoleſcentibus litteris, hoc nomine inſcriptam: quæ dono a me Principi* (Hadriano) *data inter cubiculares colitur*: qua interpretatione, licet & eadem placuerit Sebaſtiano Erizzo (*c*), nihil abſurdius, vel a mente auctoris alienius eſt; uti unuſquiſque facili deprehendet opera. IMAGO quin etiam vox generalis eſt, & de omni effigie uſurpatur; ut de *picta*, apud Plinium (*d*): *Imagines adeo ſimilitudinis indiſcretæ pinxit*: de ærea vel ex alia materia facta apud eundem (*e*): *Alexandrum amicorumque ejus imagines ſumma omnium ſimilitudine expreſſit*. Cicero (*f*) Tanagrææ meretricis ſtatuam, modo *ſimulacrum e marmore*, modo *ſignum*, modo *imaginem* appellat; Tacitus (*g*) *imagines quæ marmore aut ære finguntur* celebrat; & inſcriptio antiqua *imagines argenteas*; cereamque effigiem (*h*) Plinius non aliter nominat. Varro præterea & Atticus de *Imaginibus* libros ediderunt, inque iis magnorum virorum effigies maximam proculdubio partem ex ſtatuis & picturis deſumptas repræſentarunt: Plinius (*i*); *Imaginum amore flagraſſe quoſdam teſtes ſunt & Atticus ille Ciceronis edito de his volumine; & Marcus Varro benigniſſimo invento inſertis voluminum ſuorum fœcunditati non nominibus tantum ſeptingentorum illuſtrium, ſed & aliquo modo imaginibus non paſſus intercidere figuras, aut vetuſtatem ævi contra homines valere*. Quod ſi quis exiſtimet has doctorum effigies ex nummis expreſſas eſſe, ne ille toto, quod ajunt, erraret cælo. Nam plerique Græcorum nummi, in quibus viri illuſtres duceſque cernuntur ſuppoſititii ſunt; & Romæ ante tempora C. Julii Cæſaris nullius προτομὴ nummis eſt indita; ſtatuæque apud utrumque populum ſive æreæ ſive marmoreæ, ſive cereæ frequentiſſimæ fuerunt.

a *T.* 3. *An.* b *Lib.* 5. *c.* 15.

a *Lib.* 34. *c.* 4. b *In Orat.* c *In Diſſ. de Num.* d *Lib.* 35. *c.* 13. e *L.* 34. 8. f *Orat. pro Domo.* g *In vita Agr.* h *L.* 35. 2. i *L.* 35. 2.

INSCRIPTIONES
ET
MARMORA
ANTIQUA
EXPOSITA ET ILLUSTRATA.

INSCRIPTIONES ET MARMORA ANTIQUA EXPOSITA ET ILLUSTRATA.

PLurimum inservire priscis locis intelligendis marmora antiqua, sive ea figuris, sive inscriptionibus sint notabilia, tot exemplis docuerunt viri eruditi, ut ea de re dubitare sit hominis ignari plane & ab omni humanitate alieni. Et si forte quis ejusmodi ingenio præditus inveniatur; inveniet hic, ut spero, unde meliora discere, & quod omnes præstantis ingenii homines affirmarunt, etiam, si tanti, amplecti possit. *Avem* igitur *Stymphalidem* in nummo Gentis Valeriæ apud Ursinum arbitrantur exhiberi viri eruditissimi: verum ego persuasus sum veram earum avium effigiem nobis exhibere marmor Oxoniense centesimum nonum & trigesimum, in quo, quemadmodum ex ectypo patet, Hercules unam clava occidit.

I. Fundus mihi hujus opinionis Pausanias (*a*), Arabiæ volucres, quibus idem nomen erat, describens: Αὗται μέγεθος μὲν κατὰ γέρανόν εἰσιν οἱ ὄρνιθες, ἐοίκεσι δὲ Ἴβεσι, ῥάμφη δὲ ἀλκιμώτερα φέρησι, καὶ ὐ σκολιὰ ὥσπερ αἱ Ἴβεις: *Gruibus quidem illæ sunt magnitudine pares, forma ibibus persimiles; rostra tamen validiora, neque ut ibes adunca habent*. Optima revera hæc marmori conveniunt; estque gruibus avis illa par magnitudine, & Ibi similis; neque tamen rostrum tam incurvum habet, uti haud difficulter ex Mensa Pignorii Isiaca patet. Et quamquam Pausanias dubitet, num Arabiæ atque Arcadiæ *Stymphalides* eadem fuerint forma; nondum tamen video, ad quem alium laborem Herculis hoc marmor possit referri; non secus ac aliud quod in monumentis Romæ non ita pridem editis exstat, quodque exhibet Herculem sagittis tres aves eadem magnitudine ac forma, qua nost a illa est, petentem; uti memini me haud Heinsium τὸν μακαρίτην, omnisque quondam humanitatis & eruditionis promptuarium καὶ ἔμψυχον βιβλιοθήκην videre. Ipsas quidem paulo post Stymphalidas πρὸς τῷ ὀρόφῳ templi Dianæ Stymphaliæ sculptas esse Pausanias scribit; sed qua forma fuerint, memoriæ non mandat; & in postica parte templi adjicit virgines esse e candido marmore, cruribus ὀρνίθων insignes. Hæ quamvis aliquantum Valeriæ Gentis numismati conveniant, tamen si perpendantur accuratius, patebit diversas plane esse, & nihil cum ave Stymphalide, ut docti existimant viri, habere commune. Nam in nummo signata avis toto corpore excepta προτομῇ corvum refert; Pausaniæ vero virgines nil nisi σκέλη avium habuerunt, atque a Stymphalidibus, quod diligenter notandum, distinguuntur, utque postea clarius patebit, Sirenes sunt. Nec opinioni meæ obstare debet, eundem, aliosque auctores narrare Stymphalidas ab Hercule sagittis confectas; Pisandrum & Apoll. Rhodium, crepitaculorum sonitu fugatas; Apollodorum χαλκέοις κροτάλοις excitatas & sagittis interfectas esse; in lapide vero Oxoniensi Heroem clava uti. Raro enim figmenta conveniunt; & quod Horatius canit, *pictoribus atque poetis*, idem *sculptoribus* merito aptatur. Nam iidem Heroem nostrum puerum quoque finxerunt, leonina pelle insignem, & mala aurea Hesperidum tenentem; uti patet ex statua apud Joan. Baptistam Ferrarium in libro, quem *Hesperidas*, vel *Malorum Aureorum Culturam* inscripsit; frustraque nonnulli Herculis filium repræsentari existimant. Parili ratione eundem Stymphalidas & Lernæam anguem clava occidentem puerum fecerunt; cum hos labores tamen exantlaverit, postquam ad justam ætatem pervenit, & infans serpentes tantum binos neci dedisse fingatur. Atque ita in nummo Heracleotarum apud Patinum, & in alio Veri apud Tristanum barbatus clava hydram occidit; cujus eadem plane forma, ac illius, quæ in Oxoniensi marmore cernitur, nisi quod septem ibi, hic sex capita (alii auctores illi octo, alii novem, vel quinquaginta, vel centum tribuunt) conspiciantur. Et ut hoc obiter moneam, simili semper ætate labores κατ᾽ ἐπιταγὴν Εὐρυσθέως, uti loquitur Zenobius (*a*); id est, *ex præcepto, & jussu Eurysthei*: non autem *subsidio*, quemadmodum reddit interpres, perficiens in nummis effingitur. Nam in Caracallæ numismate adultus taurum domat; in Antonini eundem, hydram Lernæam & equos Diomedis; in Albini mala Hesperidum manu gerit; in Getæ eadem petens draconem custodem impugnat; in Antonini Pii carpit; in Macrini Threiciam Amazona baltheo; in alio ejusdem Imp. & Maximiani numismate cervum cornubus spoliat; in Gordiani Cerberum oppugnat; in Antonini Pii eundem trahit; in Maximiani aprum Erymanthium collo impositum habet, & denique leonem Nemeæum *brachiorum nexibus nudus* elidit, vel τὸν αὐχένα σφίγξας τοῖς βραχίοσι ἀπέπνιξε, uti Suet. & Diodor. mire hunc nummum illustrantes, loquuntur. Quod autem veteres fabulantur Stymphalidas spiculis emissis homines occidisse, videtur originem suam debere iis, quæ de Arabiæ avibus narrat Pausanias: fuisse n. illas instar leonum ac pardorum infestas hominibus, involasse in venatores, rostrisque eorum pectora, ferreis licet loricis munita forent, transverberasse. Atque ita quidem veram avium Stymphalidum formam ex mar-

a *Lib.* 8.

a *Cent.* 6. *prov.* 26.

moribus erui: ſed quale tandem erit monſtrum,quo gens Valeria nummos ſignavit? Sirenem facit Urſinus Fulvius; Harpyiam Antonius Auguſtinus: quia, illis *virgineos vultus* tribuit Ovidius (*a*),

Ne tamen ille canor, mulcendas natus ad aures,
Tantaque dos oris linguæ deperderet uſum,
Virginei vultus & vox humana remanſit.

ita his eoſdem Virgilius,

Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame. ——

Et certe ſi ratio aliqua dari poſſet, cur gens Valeria ejuſmodi nummo ſignaſſet, facile crederem monſtrum illud Harpyiam referre; quia Heraclitus (*b*) Sirenas, τὰ μὲν σκέλη ὀρνίθων, τὸ δὲ σῶμα γυναικῶν ſcribit habuiſſe; at contra Harpyias appellat γυναῖκας ὑποπτέρους; id eſt, *volucres puellas, virgines volaticas*, ut Claudianus & Iſidorus (*c*) loquuntur: vel virgines, quarum totum corpus in aves, excepto vultu, erat converſum, quas cerni etiam in Titi & M. Aurelii nummis exiſtimat ſtudii hujus peritiſſimus Car. Patinus. Sed cum nulla utique ratio afferatur, ſuſpicatus nonnunquam ſum, purum putum corvum in Valeriæ gentis nummo ſpectari; galea tamen clypeo & haſta armatum, propter auxilium Valerio qui inde Corvus ſive Corvinus dictus eſt, ſingulari adverſus Gallum pugna præſtitum; & hoc portentum acceptum referri debere imperitiæ artificis; quam in rem velim diligentius alii, quibus plus otii eſt, inquirant. Notandum præterea Doctiſſimum Patinum (*d*) in nummo Græco exiſtimare repræſentari avem Stymphalidem; cum ego nihil ſimile obſervem; ſed tantum columnam, cui Pallas armata inſiſtit; Herculem nudum & gradientem, dextra manu tenentem virgam, ſiniſtra clavam & pellem leoninam, & denique Cupidinem parvulum alatum (niſi ſculptor hallucinetur inſigniter) ſagitta heroem petentem.

II. MATRES DEÆ frequenter jam inde a temporibus Pertinacis & Severi celebrantur in marmoribus vetuſtis; egoque elegans earum & ineditum ectypum nactus ſum; quod antequam exhibeam, non abs re me facturum arbitror, ſi nonnulla moneo de Deabus, quæ & MATRES a Græcis & Romanis nominatæ ſunt. Et in genere quidem ita appellantur deæ, quæ pepererunt: Varro apud Auguſtin. lib. VII. de Civ. Dei: *Diis quibuſdam Patribus, & Deabus* MATRIBUS *ſicut hominibus ignobilitatem accidiſſe*. Specialiter autem CYBELE; quippe quæ deorum omnium genetrix audit, Μήτηρ, vel Μήτηρ τῶν θεῶν, vel ΜΗΤΗΡ ΠΑΝΤΩΝ ΡΕΙΑ, uti ex variis Pauſaniæ & aliorum auctorum locis, & Inſcriptionibus (*e*) patet, vocatur: Lucretio autem *Divina Mater & Idæa*, Virgilio *Berecynthia Mater*, Valerio Flacco *Mygdonia Mater*, & Prudentio (*f*) abſolute itidem *Mater*; & in marmore tandem Arundelliano Magneſii & Sipyli jurant per ΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ. CERES vocata fuit Δημήτη quaſi γημήτης τις οὖσα, uti explicat Auctor Magni Etymologici (*g*) & a Siculis Δαμάτηρ, quemadmodum ex nummo apud Spanhemium (*h*) conſtat: unde in Inſcriptione apud Tomaſinum appellatur CERES MATER MAXIMA FRUGIFERA; & in alia, Goltzio, MATER AGRORUM; Varroni *Ops Mater* celebratur, & *Tellus Terra Mater*; *Lua Mater* Livio; atque apud Aurelium Victorem vulgus TELLUREM MATREM *Deoſque inferos precatur, ſedes impias uti Gallieno darent*. In lapide antiquo (*a*) memoratur ΜΗΤΗΡ ΤΡΙΚΑΡΑΝΟΣ ΜΕΓΑΛΗ; quæ proculdubio eſt HECATE, a Porphyrio, narrante Euſebio, dicta τρικάρηνος, ab Orpheo τρισοκέφαλος; a Lycophrone τρίμορφος & τριαύχενος, a Seneca *triformis* & Valerio Flacco *tergemina*. In lapide antiquo apud Reineſium ISIS MATER; in nummo Juliæ Piæ apud Joannem Vaillant, antiquariæ rei haud vulgariter peritum virum, VESTA MATER conſpicitur; neque aliter eam vocat Cicero, vel Virgilius (*b*)

Dii patrii Indigetes, & Romule, Veſtaque Mater
Quæ Tuſcum Tiberim & Romana palatia ſervas.

Romanis *Statæ Matris*, Feſto teſte, ſimulacrum in foro colebatur; atque a multis celebratur *Mater Matuta*. Quin & Elei Minervam Μητέρα venerabantur, quia cum Hercules Elidem diripuiſſet, fœminæ orbatam virili robore patriam miſeratæ, illi vota fecerunt, ſi gravidæ primo cum viris congreſſu fierent, teſte Pauſania. Et Diana itidem virgo dea, eodem titulo honoratur in Inſcriptione veteri apud Gruterum (*c*);

TEMPLUM. DIANÆ
MATRI. D. D. APU
LEJUS. ARCHITEC
TUS. SUBSTRUXIT.

Tandem Deæ, quas Ματέρας vel *Matres* vocabant cultæ fuerunt in oppido Siciliæ; cui Εγγύιον nomen, quemadmodum memoriæ mandat Plutarchus (*d*) iiſque ex Creta allatis templum erexit Merion, docente Diodoro Siculo (*e*); quanquam non ignorem Ciceronem in Verrinis *Matrem Magnam & Idæam auguſtiſſimum & religioſiſſimum templum* eodem in oppido habuiſſe ſcribere. Poſtea in variis inſuper regionibus, non autem in Britannia ſola, uti opinatur Seldenus, MATRES DEÆ cultæ fuerunt; non tanquam forent præſides partus vel θεαὶ γενετυλλίδες, id quod putat Reineſius (*f*), ſed totius regionis curam gerentes, & pro variis locis varia cognomina ſortitæ; ita in Inſcriptionibus Gruteri laudantur MATRES CALLAICÆ, SUEBÆ, VAPTHIATES, PANNONIORUM ET DALMATIARUM: quæ proculdubio earum regionum vel locorum ſunt deæ tutelares. In lapide vetuſto apud Sponium præterea MATRES GERUDATIÆ, occurrunt;

MATRIBUS
GERUDATIABUS
JULIA. MINIA
V. S. L. M.


In alio Noviomagienſi apud Joh. Smetium, MATRES MOPATES. Atque ut ex multitudinis numero patet, plures fuere ſimul cultæ, & quidem, uti ex variis marmoribus (*g*) colligo, tres. Totidem enim occurrunt Deæ ſtantes apud Gruterum, addita hac inſcriptione;

a *Lib. 5. Met.* b *Lib. de Incred.* c *In Epigr. & Gloſſis.* d *C. 5. Th. p. 98.* e *Inſcr. 1. p.* MLXXIII. f *Hym. in Rom.* g *P. 156.* h *C. 26. de Donar. l. 4. de L. L. & l. 1. cap. 1. de R. R.*

a *Inſ. 2. p.* MLXXIII. b *L. 1. Ge.* c *Lib.* V. d *In vita Marc.* e *Lib. 4. Bibl.* f *Ep. 19.* g *P.* XCII.

HONOREM
DOMUS. DIVI
NÆ. DIS. MATRABUS
VICANI. VICI. PACIS.

Inque elegantiſſimo lapide inedito, hodieque Clivis, quo ex arce Wiſſenſi translatus eſt, exſtante, tres etiam deæ, mira & barbara veſte exornatæ ſedenteſque conſpiciuntur, addita inſcriptione, quæ nos dubitare non ſinit eas MATRES DEAS eſſe.



Firmat hanc opinionem mirum quantum alia inſcriptio necdum, quod equidem ſciam, luce publica donata; & baſi marmoris inſculpta, in quo trium dearum pedes apparent;

MATRIBUS. ARSACIS. PA
TERNIS. SIVE. MATERNIS
M. AUR. LU. VERONIUS. VE
RUS. PE PRÆFECTI. PRO. SE
ET. SUIS. V. S. L. M.

Et Gruterus teſtatur in pago Vachlendorff, ſive Vacallinæo inſcriptionem repertam eſſe, ſupra quam ſedebant tres Deæ, ſinu pleno fructuum eaſque vocari MATRONAS VACALLINEHAS. Et cum totidem deæ ſedeant in lapide, cujus baſi inſcribitur, teſtibus viris præclariſſimis Raphaele Fabretti (*a*) & Jacobo Sponio (*b*);

SULEVIS. ET. CAMPESTRIBUS
SACRUM. L. AURELIUS. QUIN
TUS LEG. VIIX. GEMINÆ
VOTVM. SOLVIT. LÆTUS
LIBENS. DEDICAVIT. VIII. K.
SEPTEMBRES. BRADUA. ET
VARO. COSS.

ſuſpicio nonnunquam mihi eſt oborta, tempus edax conſumpſiſſe vocem ejus primam MATRIBUS; & pro SULEVIS, ſcribi oportere SUEVIS vel SUEEVIS, uti & alibi duplex EE, II, AA, & VV, occurrunt; tandemque CAMPESTRES *Matres* eſſe, quæ campis, agriſque præſident. Nam & paulo ante memoratas MATRES PATERNAS ET MATERNAS, quarum illæ etiam occurrunt in lapide inedito,

MATRIBUS
FRISAVIS PATERNIS

nullas alias eſſe arbitror, quam quæ curam majorum geſſerant, vel populi univerſe ſumpti, vel etiam certarum familiarum. Sic MATRES BRITTÆ loci ejus regioniſve præſides ſunt; marmor ineditum;

MATRIBUS
BRITTIS
L. VAERIUS
MIL. LEG. XXX.
V. V.
V. S. L. M.

Neque tamen ternarius hic numerus (de quo operæ pretium eſt videre Raphaelem Fabretti, libro laudato) perpetuus eſt, & ſæpe una Dea MATER vocatur, quæ itidem vel pago, vel certo loco præſidet. Nam apud Boiſſardum exſtat ſtatua muliebris faberrime facta, & cornucopiæ tenens, cum Inſ. MATER VILLÆ. FAGNÆ: & apud Gruterum lapis inſcribitur; MATRI. (niſi tamen hæc vox non ſecus ac ſequens pluralis numeri eſt) ET. PATRIBUS. & alius, MATRI AUG. &c. Hæ Deæ MATRES nonnunquam AUGUSTÆ cognominantur, non ſecus ac Ceres, Diana, Venus, Juno, Iſis & aliæ, quemadmodum ex Inſcriptionibus patet; quarum quinta pag. XC. ita ex Chobieri Antiquitatibus Viennenſibus legenda eſt:

MATRIS. AUGUSTIS
CA. TITIUS. SEDULIUS
EX VOTO

Appellari præterea eas MATRONAS; & Inſcriptiones quæ loquuntur vel de MATRONIS ſimpliciter, vel de MATRONIS ACERNEHABUS, AUFANIIS, HAMAVEHIS, ROMAUCHIS, RUMÆHABUS, VACALLINEHIS, de nullis aliis quam Deabus Matribus explicandas eſſe arbitror. Aufaniæ etiam celebrari in Inſ. apud Noviomagenſes (*a*) reperta videntur;

MATRONIS
AUFANIABUS
T. ALBINIUS
JANUARIUS
E. L. M.

& forte cultæ fuerunt in pago, cui nomen *Aufana* vel *Auſana*, uti male ſcribi videtur apud Antonin. in Itinerario, prope Treviros. Sic MATRONÆ VIDEANTIÆ ſunt Deæ Vediantiorum, Galliæ Narbonenſis populus eſt, tutelares; Inſ. apud Sponium;

MATRONIS
VEDIANTIABUS
P. ENISTALIUS. P. F.
CL. PATERNUS CEMENELENSIS
OPTIO. AD. ORDINE. Δ. LEG. XXII.
PRIMIGENIÆ. PIÆ. FIDELIS
L. M.

Idemque Vir Doctiſſimus has deas HERAS appellari credit in Inſ. Aquitanica;

a *Diſſ. de Aquæd.* b *Arc Ign. De.*

a *A.* 1628.

FANO. HER. AUSC.
ORRITS. HE SACRUM
G. VAL. VALERIANUS.

Nam una cum auctore notitiæ Vasconiæ *Herarum Auscarum* hic mentionem fieri, easque *Auscis*, clarissimis Aquitanorum præfuisse autumat. Auctor hujus notitiæ est Arnaldus Oihenartus; sed apud illum pag. 445. inscriptio paulo aliter legitur; neque ille de *duabus Heris* facit mentionem; & mihi videtur Herculem apud plerasque gentes cultum æque commode posse intelligi. Fortunam cæterum *Heram* vocat Ennius apud Ciceronem (*a*)

Vos ne velit, an me regnare HERA, *quidque ferat fors,*
Virtute experiamur: ——

& *Hecaten Tergeminam Heram* vel *Heram nocti* Val. Flac. lib. I. ac v. In Inscriptione 38. Classis quintæ apud Reines. FLAMINICA HERÆ occurrit; sed *Hera* ex opinione viri doctissimi, est Ἥρα vel *Juno*: & apud Catullum *rapidi Tritonis Hera* est Minerva. Quin & DOMINÆ nullæ mihi aliæ, quam MATRES, MATRONÆ, vel HERÆ sunt: Inf. apud Grut.

MESTRIUS. MARIINUS
PICTOR. CONSTITUIT
PRO. SALUTE. SUA. ET
SUORUM
FANUM. DOMINARUM.

Atque hæc quidem occasione DEARUM MATRUM mihi publicis curis distracto notata sunt; iisque antequam valere dicam, facere non possum, quin illustrem elegantem Procli Archiepiscopi Constantinopolitani locum, qui exstat in laudatione B. Chrysostomi Latine tantum edita, & forte habita, cum post annos quinque & triginta Imperatore Theodosio Juniore, & ipso Patriarcha, cadaver Chrysostomi Constantinopolim est relatum; uti legere licet in Epitome Vitæ Chrysost. quam una cum Palladio edidit EMERICUS BIGOTIUS vir illustris & Galliarum clarissimum lumen. Ille igitur Proclus ita loquitur: *Omnem locum omni liberavit errore. In Epheso artem Midæ nudavit* (al. fugavit) *in Phrygia Matrem, quæ Deorum dicebatur, sine filiis fecit: in Cæsarea publica meretricia honoris vacua spoliavit: In Syria Deum impugnantes Synagogas evacuavit*: quibus verbis nihil aliud significat, quam divina eloquentia fecisse Chrysostomum, ut dii illi, qui nati dicebantur Cybele, crederentur tantum esse vana ingenii humani figmenta; quomodo B. Augustinus l. 7. c. 26. de Civ. Dei fere locutus est: *Vicit Matris Magnæ omnes Deos filios, non numinis magnitudo, sed criminis*. Sed quid erit, *artem Midæ nudavit* sive *fugavit*? fateor hic mihi aquam hærere; faciliusque arbitror nodum solvi posse, si Græca non invidisset nobis temporis injuria. Suspicabar nonnunquam *artem Midæ* esse *artem Magicam*; quia illa admodum Ephesi floruit; & Midas posset videri ea quæ tangebat in aurum eadem arte convertisse; mysteriisque Orphei, itidem magi, ut plerique veterum credunt, fuit initiatus. Et Magos quidem in urbe ea fuisse multos, satis superque ex Apostolorum Actis (memoriæ enim vitio B. Chrysostomus scribit in præfatione Epistolæ ad Corinthios primæ, *Corinthi* rem eam accidisse) & Plutarchi Alexandro patet; unde Clemens Alex. in Protr. scribit Heraclitum Ephesium vaticinatum esse, in libris quos in templo Dianæ deposuerat, Νυκτιπόλοις, Μάγοις, Βάκχοις, Λήναις, Μύσταις: & ἐπῳδαί τινες δυσπαρακολούθητοι vocantur ἐφέσια γράμματα; quibus Lydiæ Regem Crœsum in rogo usum esse scribit præter Suidam Eustathius (*a*); & Diogenianus tradit *Ephesias litteras* fuisse incantationes, quas qui pronuntiabant, victores evadebant. Affert exemplum Suidas Milesii & Ephesi inter se depugnantium, cujus ultima verba ita se habent: φανερῶν δὲ γενομένων καὶ λυθέντων αὐτῶν τριάκοντα τὸ ἑξῆς πεσεῖν τὸν ἐφέσιον, Portus & Schottus ita vertunt, ac si triginta litteras a talo Ephesii abstulissent; Erasmus, tanquam succubuisset, post victos adversarios triginta. Sed nec de adversariis nec de litteris loquitur; verum scribendum: φανερῶν δὲ γενομένων καὶ λυθέντων αὐτῶν, &c. id est, *cum litteræ illæ animadverterentur & demerentur per triginta vices cecidisse luctatorem Ephesium*: Eustathius, (*b*) ὧν γνωσθέντων καὶ λυθέντων, τριακοντάκις τὰ ἐφεξῆς πεσεῖν τὸν Ἐφέσιον. Quin, quod notatu revera dignissimum, ipsa illa Ephesia Diana, tam superstitiose non modo ibi, verum etiam aliis in urbibus culta Μάγος vocatur Tatiano: Ἀφροδίτη δὲ γάμου πλοκαῖς ἥδεται, μάγος ἐστὶν Ἄρτεμις, θεραπεύει ὁ Ἀπόλλων: *Venus nuptiarum complexibus gaudet; Diana magiam exercet, Apollo medicinam*. Et huc, ni fallor, pertinent litteræ, quæ ἐπὶ τοῖς τῆς ποσὶ Ἐφεσίας Ἀρτέμιδος; id est, *in* (male vertit interpres *sub*) *pedibus Dianæ Ephesiæ* erant scriptæ, teste Diogeniano apud Apostolium; vel ἐπὶ ποδῶν καὶ ζώνης καὶ στεφάνης, quemadmodum Plutarchus apud Eustathium ad Homeri Odysseam memoriæ mandat; cum verisimile admodum sit litteras has incantationes magicas fuisse, eamque ob causam, ut laudati auctores scribunt, non potuisse intelligi. Tandem ut *artes Midæ* designant *magiam*, ita eodem sensu *artes Dardaniæ* Columellæ usurpantur;

At si nulla valet medicina repellere pestem
Dardaniæ veniant artes ——

Et Clemens Alexandrinus (*c*) narrat Midam Phrygem ab Odryso edoctum τοῖς ὑποτεταγμένοις tradidisse ἔντεχνον ἀπάτην, *artificiosam fraudem*, quæ non incommode de γοητείᾳ & magia potest exponi; & alibi litterarum Ephesiarum, ut hoc addam, originem refert (*d*) ad Dactylos Idæos; docetque eas non simplices litteras, verum voces integras fuisse.

III. Misit ad me Amplissimus idemque Doctissimus Vir HENRICUS COPEZ Reip. Silvæducensis Scabinus inscriptionem brevem quidem sed elegantem, & probe urbem eam in pago Rummel non ita pridem inventam. Hanc a me paulo longius explicatam aliis invidere nolui;

C. JANUARINUS
SEXTUS
INTERPRES
VIVOS. SIBI
FECIT.

CAJUS hic vocatur JANUARINUS, nomine a Januario mense deducto: ita celebratur JANUARINIUS in Inf. apud Gruterum (*e*)

a *Lib.* I. *off.*

a *Ad Odys.* φ. b *P.* 1864. c *In Protr.* d *L.* I. & 5. *Strom.* e *I. p.* XLVI.

HERCULI
JANUARINIUS
MODERAT. COL
EQUITUM. D.D.

Similiterque fere a *Secundus* SECUNDINUS ; a Decimus , DECIMINUS ; a Marcellus MARCELLINUS, & alia ab aliis nominibus derivantur. Quin ipsi menses in nomina vel cognomina cesserunt. In Digestis (*a*) *Favius Januarius* Papiniano salutem dicit: A. u. c. 1040. *Pomponius Januarius*; A. 1080. *Aurelius Januarius* coss. fuerunt. Præterea *T. Flavius. T. F. Januarius; P. Albius P. L. Januarius; Æmilius Januarius; Q. Ælius Januarius; Januarius servus; Januarius conjux Eutychiæ; Januarius Ingenuus; T. Januarius Florianus, aliique*; ad hæc *Januaria filia Q. Magii Hilarionis; P. Januaria; Januaria Ælia* in lapidibus veteribus laudantur. *Vibrius Januarius* in Insc. apud Reinesium (*b*) & *Januaria* in Confessionibus Martyrum Saturnini, Felicis, Dativi, & aliorum occurrunt. Et hac occasione insigne sphalma notandum viri Eruditi, qui Indices Inscriptionum summo cum labore & assiduitate concinnavit. Putat enim in monumento 11. pagina DCCCCLXXVIII. laudari JANUARIAM PORCIAM RHODINEM, cum tamen illud ita editum sit,

D. M.
JANVARIS
SERVI. PORCI
Æ. RHODINES
SEVERIA
SEVERINA.

& nulla laudetur *Januaria*; sed servus *Januaris* i. e. Janitor sive θυρωρὸς Porciæ, nisi ultimum S. mutandum in I. vel, *Januaris*, sit nomen proprium. Sic, ne quid de MARTIIS JUNIISQ. dicam, in iisdem lapidibus occurrit AURELIUS APRILIS; M. DOMITIUS, APRILIS; APRILIS REPENTINI FILIUS; imo, quod nequaquam omittendum, in Inf. 11. p. DCLXXXV. APRILIS MATER Q. GEMINI SURIACI. Alius vocatur NOVEMBER in Inf. 7. pag. DCCCCLXXXII. & 22. Epistolæ XLI. Reinesii ad Rupertum; ado ut mirum nequaquam sit, nostrum illum JANUARINUM nominari. Cognomen est SEXTUS; quomodo multi alii vel *primi*, vel *Secundi* &c. fuerunt vocati. In lapidibus memorantur; L. ALFIUS. L. F. PRIMUS. T. ÆLIUS PRIMUS; & Græco cognomine ALFIUS PROTUS. T. ÆBUTIUS SECUNDUS, ΚΑΣΙΟΣ ΣΕΙΚΟΥΝΔΟΣ; S. ÆLIUS TERTIUS. P. ÆLIUS QUINTUS, aliique plurimi. ANIANA DEUTERA in Inf. apud Reinesium (*c*); in Historia Romana, *M. Antonius Primus* dux Vespasiani celebris bello Vitelliano; *C. Plinius Secundus*; in c. ult. epistola Pauli ad Romanos Τέρτιος & Κούαρτος; & alii memorantur. Quæ res cum notissima sit, miror eam non observasse Doctissimum Meursium; eumque in Exercitationibus Criticis notare L. Bennium magisterii pagorum munus primum obiisse; cum in lapide antiquo homo ille L. BENNIUS PRIMUS appelletur, & proinde cognomen PRIMI, non secus ac alii, tulerit. Sed quod præcipue notandum venit, C. JANUARINUS SEXTUS dicitur esse INTERPRES. Est hæc vox πολύσημος; imo non modo varias, verum etiam elegantes recipit significationes. Et quidem INTERPRES is vocatur, qui inter duos eadem lingua utentes medius est vel μέσος; qui pactionem, conventionem, & con-

a *L. 94. de Sol. & Lib.* b *Baluz. T. 2. Misc.* c *P. 285. Ep.*

tractus conficit; quemque alio nomine *proxenetam* vocant: Asconius; *Sequestres sunt, apud quos pecunia deponitur:* INTERPRETES *per quos inducitur pactio*: quo sensu sæpe Plauto (*a*) usurpatur; Milite;

Quin tu tuam rem cura potius, quam Seleuci: quæ tibi
Conditio nova & luculenta fertur per me INTERPRETEM.

Curculione;

Quod te præsente istic egi, teque INTERPRETE.

id est; te proxeneta, te conciliatore; sicque Juno a Didone apud Virgilium (*b*) vocatur *interpres curarum*, sive, explicante Servio, *media & conciliatrix*; quia illa quasi media erat inter Didonem atque Æneam, conabaturque Carthaginiensium reginam, & Trojanum ducem connubio jungere stabili. Pretium, quod hi interpretes accipiebant Latini *proxeneticum* (*c*); Græci ἑρμηνευτικὸν id est *interpretativum seu interpretis honorarium*, ut Ictus (*d*) loquitur, vocabant; idemque munus præstabant hominibus diversæ linguæ, quemadmodum ex jure constat. Atque ita Isidoro (*e*) INTERPRES inde deducitur & derivatur, *quod inter partes medius sit duarum linguarum, dum transfert*. Tales fuerunt illi qui mercatoribus aderant, in urbe Colchicæ Regionis Dioscuriade. Nam eo cum ex omnibus nationibus confluerent peregrini, Romani necesse habebant ad negotiationes peragendas Interpretibus uti: Plin. (*f*) *Reliqua litorum feræ nationes tenent. Melanchlæni, Coraxi urbe Colchorum Dioscuriade juxta fluvium Anthemunta, nunc deserta, quondam adeo clara, ut Timosthenes in eam* 300. *nationes dissimilibus linguis descendere prodiderit. Et postea a nostris* CXXX. INTERPRETIBUS *negotia ibi gesta*. Hinc & ipsi Legati eo nomine nonnunquam veniunt; quia inter populos pacem & fœdera facere solent: Fal. Flaccus (*g*)

Regius Eois Myraces INTERPRES *ab oris*
Venerat, ut Colchos procul atque Æetia Parthis
Fœdera damnato non irrita jungeret auro.

Erant præterea alii *interpretes*, qui legatorum ab exteris & diversa lingua utentibus gentibus ad Senatum vel Impp. missorum verba interpretabantur; faciebantque ut Senatus Oratores, illi contra Senatum intelligerent: qui videntur INTERPRETES DIVERSARUM GENTIUM appellari in vetere Inscriptione laudata Goltzio. Cicero (*h*); *Si Pœni in Senatu nostro sine* INTERPRETE *loquerentur*: alibi; *ita quemadmodum in Senatu semper est aliquis qui Interpretem* postulet, *sic isti nobis cum Interprete audiendi sunt*: Julius Firmicus (*i*): *Reddit etiam sic per noctem collocatus Imperatorem aut potentissimorum Iudicum* INTERPRETES. Unde veluti rem miraculo proximam extollit Plinius (*k*), Mithridatem maximum sua ætate regum *solum mortalium viginti duabus linguis locutum esse, nec de subjectis gentibus ullum hominem per* INTERPRETEM *appellatum ab eo, annis* LVI. *quibus regnavit*. Talem *Interpretem* arbitror *Menandrum* fuisse laudatum Pomponio Icto (*l*); *Et ideo in quodam* INTERPRETE *Me-*

a 3. 1. *Dox.* 2. 5. 6. 4. 1. 6. b 4. *Æn.* 608. c *L.* 3. *de proxen.* d *L.* 1. §. *ult. D. de verb. Oblig.* e *L.* 10. *Etym.* f *L.* 6. *c.* 5. g *L.* 6. h *L.* 2. *Div. L.* 5. *F. n.* i *L.* 3. *Mat. c.* 8. k *L.* 25. *c.* 2. l *L.* 3. *D. de Capt.*

nandro, qui, posteaquam apud nos manumissus erat, missus est ad suos: & Ciceroni (*a*); *Neque enim sine causa de Cn. Publicio Menandro, libertino homine, quem apud majores legati nostri in Græciam proficiscentes* INTERPRETEM *secum habere voluerunt, ad populum latum, ut is Publicius, si domum revenisset, & inde rediisset, ne minus civis esset*. Rosinus (*b*) comitem eum facit legatorum legum conquirendarum causa in Græciam profectorum, sive decem virorum, qui leges XII. Tabb. composuerunt. Impugnat eum Reinesius (*c*), contenditque hunc hominem esse Publicium Menandrum libertinum, quem Magno Pompejo indiscreta specie similem fuisse Valerius Maximus (*d*) & Plinius (*e*) narrant; indeque putat patere tempus, quo legatos in Græciam secutus est, & simul stuporem mangonis istius sive Rosini. Sane voces *legum conquirendarum causa* apud Ciceronem non reperiuntur, verum (ne dicam Rosinum adjicere potuisse explicationis causa) libertinus Pompejo similis & æqualis *Publicius* quidem, non autem *Menander* vocatur; adhæc si legati in Græciam missi sunt tempore Pompeii, quo jam Græca lingua maximo in usu Romæ erat, nondum perspicere possum, quare Cicero dicat, *apud majores*; & mox; *multi etiam* (ut sc. Menander ille) *superiore memoria*; quæ nequaquam conveniunt Pompeii temporibus, quibus Cicero vixit; adeo ut alium vix dubitem fuisse *Cn. Publicium Menandrum interpretem*, quibuscunque tandem Romanorum legatis (nam qui Decemviris adfuit *Hermodorus Ephesius* vocatur Plinio; (*f*) nisi forte plures iis additi sint) apparuerit; alius *Cn. Publicius* Pompejo similis. Huc pertinent etiam INTERPRETES, quos Magistratus Romani in provincias cum imperio missi apud se habebant, ad desideria provincialium intelligenda: Cicero; (*g*) *Varius est in Sicilia* INTERPRES, *quo iste* INTERPRETE, *non ad Græcam linguam, sed ad furta & flagitia uti solebat*: quales arbitror Julium Firmicum appellare *potentissimorum judicum Interpretes*; id est, præfectorum prætorio, urbis, & vice sacra judicantium, qui etiam *maximi* Judices vocantur in Codice (*h*); *Vel in provinciis apud earum moderatores, vel in hac alma urbe apud competentes* MAXIMOS JUDICES: quam legem, cum lata sit a Justiniano Imp. mirari satis non possum Hadriano adscribere Gutherium (*i*). Præter hos mihi occurrunt INTERPRETES sacri; & quidem vel Dii, vel homines. Nam Mercurius erat Deorum Interpres, Jovisque placita ad homines ferebat: Virgil. (*k*)

> *Nunc etiam* INTERPRES DIVUM, *Jove missus ab ipso*
> *(Testor utrumque caput) celeres mandata per auras*
> *Detulit* ——

Quo numero etiam dæmones a gentilibus habebantur, quos πορθμεύοντας Plato appellat; qui hominum preces ad Deos, & horum jussa ad illos reportant: Apulejus (*l*): *Cæterum sunt quædam divinæ mediæ potestates, inter summum æthera & infimas terras, in isto intersiti aeris spatio, per quas & desideria nostra & merita ad Deos commeant: hos Græco nomine* δαίμονας *nuncupant. Inter terricolas Cælicolasque* VECTORES *hinc precum inde donorum, qui ultro citroque portant hinc petitiones inde suppetias, ceu quidam utriusque* INTERPRETES *& salutigeri*. Atque ab hoc officio Mercurius Græcis Ερμῆς, παρὰ τὸ ἐρῶ id est λέγω, uti legere licet apud Auctorem M. Etym. vocatur; eoque respiciens Servius ita commentatur, INTERPRES DIVUM, *Hermes: expressit verbum de verbo*. Quin & Apollo Platoni vocatur πάτριος τῶν Ελλήνων ἐξηγητὴς, teste Oenomao apud Eusebium Libro v. Præparationis. Alii DEORUM INTERPRETES erant homines; quos alias *vates, aruspices, ariolos, augures, conjectores* vocabant; qui ostenta, portenta, prodigia, somnia, & quæcunque a diis mitti putabantur signa, victimarum fibras, volatus, garritus avium, per quæ diis futura prædicere persuasum habebant, interpretabantur & explicabant. Virgilius (*a*);

> *His vatem* (Helenum) *aggredior dictis, & talia quæso:*
> *Trojugena*, INTERPRES DIVUM, *qui numina Phœbi,*
> *Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis*
> *Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.*

Servio optime exponitur, *vaticinator: qui mentem deorum mortalibus publicas*: rursus;

> *Tertius, ille* HOMINUM DIVUMQ. INTERPRES *Asylas,*
> *Cui pecudum fibræ, cæli cui sidera parent,*
> *Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes.*

Erudite idem Grammaticus commentatur: *Deorum quos interpretatur, hominum quibus interpretatur, & divinas indicat mentes* INTERPRES *vocatur*; similiterque fere Isidorus (*b*), nisi quod ad ipsos Theologos, qui sacra & mysteria exponebant, ut erant Romæ Pontifices, in Eleusiniis Ιεροφάντας, videatur recte extendere; *Sed & qui inter Deum, quem interpretatur, & homines quibus divina indicat mysteria* INTERPRES *vocatur*; Ita Sulpicio Severo Joseph dicitur esse *mirus somniorum Interpres*; & Judæa mulier *interpres Legum Solymarum* Juvenali; Ciceroni celebrantur *Augures, interpretes Jovis O. Max. Conjector & interpres somniorum*: *Astrologi interpretes*, (quomodo eos alicubi etiam appellat Plinius) *cæli*: *interpretes portentorum, qui Galeotæ tum in Sicilia* vocabantur; & alibi *aquila* ipsi, quia omina præbebat; deorumque quasi voluntatem homines docebat, *interpres & satelles Jovis* appellatur; adeo ut & volucres deorum quodammodo *Interpretes* possint vocari, quia eorum mentes aperiebant, ut eleganter canit Ovidius (*c*), cujus versus facere non possum quin adscribam;

> *Sed nihil ista juvant: quia linguæ crimen habetis;*
> *Dique putant mentes vos aperire suas.*
> *Nec tamen id falsum: nam, Dis ut proxima quæque,*
> *Nunc penna veras, nunc datis ore notas.*
> *Tuta diu volucrum proles, tum denique cæsa est:*
> *Juveruntque Deos indicis exta sui.*

Græcis ostentorum explanator Εξηγητὴς appellatur. Nam licet hæc vox generalem recipiat sensum, significetque etiam *Juris*, ut Cicero loquitur, *interpretem*; atque adeo eum qui πᾶν ὁτιοῦν πρᾶγμα exponit, si fides habenda Suidæ & Auctori M. Etymologici; præcipue tamen eo nomine is venit qui sacra, ritus, ceremonias & osten-

a *Orat. pro Balb.* b *L. 8. c. 2. Antiq.* c *Ep. 28.* d *L. 9. c. 14.* e *L. 7. c. 12.* f *L. 36. c. 5.* g *Act. 5. in Verr.* h *L. 6. ubi caus. stat.* i *In de offi. D. A.* k *L. 4. Æn. v. 355.* l *Lib. de Deo. Socr.*

a *L. 3. Æn. v. 359.* b *L. x. Et.* c *Lib. 1. Es.*

ta in-

ta interpretatur. Heſychius: Ἐξηγητὴς ὁ περὶ ἱερείων καὶ διοσημείων ἐξηγούμενος: Harpocration: Ἐξηγητὴς ὁ ἐξηγούμενος τὰ ἱερά: Julius Pollux, Ἐξηγηταὶ δὲ ἐκαλοῦντο, οἱ τὰ περὶ διοσημείων καὶ τὰ τῶν ἄλλων ἱερῶν δικάζοντες; *Dimittuntur judicia, ſi prodigia incident. Exegetæ vero vocabantur, qui prodigia & alias res ſacras judicabant*; qualia etiam apud Auct. M. Etym. & Suidam legere licet. Huc pertinet libros rituales dici ἐξηγητικοὺς, quales ſcripſerunt Anticlides & Clidemus, teſte Athenæo; nec non Sophoclis Scholiaſtem alicubi notare ἐξήγησιν proprie de rebus divinis & excellentibus, ἑρμηνείαν de vulgaribus & paſſim obviis uſurpari; eandemque vocem hoc ſenſu apud Demoſthenem, Herodotum, ut ἔπεμπε θεοπρόπους ἐς ἐξηγητέας (*a*), *vates ad prodigiorum interpretes miſit*, LXX. Interpretes, ut εἶπα ἐν τοῖς ἐξηγηταῖς, καὶ οὐκ ἦν ὁ ἀπαγγέλλων μοι αὐτό; alioſque auctores frequenter occurrere. Apud Pauſaniam (*b*) certe Philiſtus ſcribit Hyblæos, Sicula gens eſt, τεράτων καὶ ἐνυπνίων ἐξηγητὰς, *oſtentorum & ſomniorum interpretes eſſe*: idem viros, qui antiquitates patrias, quarum utramque paginam dii, eorumque ſimulacra faciebant, interpretantur, vocat vel abſolute ἐξηγητὰς, vel ἐξηγητὰς τῶν ἐπιχωρίων, occurruntque apud ipſum *Exegetæ Argivorum, Eleorum, Meſſeniorum, Patrenſium, Sicyoniorum & Trœzeniorum*; & neſcio an ad hos, an vero ad alios interpretes referendi ſint Ἑρμηνέες ἐν Αἰγύπτῳ quos Herodotus (*c*) ſcribit oriundos a pueris Ægyptiis, quos Pſammitichus commiſerat Ionibus & Caribus in Ægyptum prope Nilum translatis erudiendos; quanquam non incommode Hieroglyphicorum explanatores & ſacerdotes queant intelligi. Præterea τῶν ἱερῶν ἐξηγηταὶ *ſacrorum interpretes* celebrantur Dionyſio Halicarnaſſenſi (*d*); & οἱ τοὺς χρησμοὺς ἐξηγούμενοι *oraculorum interpretes* Zachariæ Mitylenæo. Quin & Plutarchus (*e*) Timotheum Athenienſem abſolute Ἐξηγητὴν appellat, id eſt Hierophantam, Myſtagogum, ſacrorum Eleuſiniorum interpretem, vel ut Tacitus loquitur, *Antiſtitem cæremoniarum*; de quo loqui Arnobium, nonnunquam ſubdubitavi; *Apud Timotheum*, ait, *non ignobilem Theologorum virum, nec non apud alios æque doctos, ſuper Magna Deorum Matre, ſuperque ſacris ejus origo hæc ſita eſt, ex reconditis antiquitatum libris, & ex intimis eruta*. Non abhorret ſane argumentum; ſicque hominis ætas, de qua nihil definiunt eruditi, conſtabit. Plutarchus (*f*) inſuper memoriæ mandat Pontificem Maximum eum obtinuiſſe locum, quem Προφήτης vel Ἐξηγητὴς vel potius Ἱεροφάντης apud Græcos. Et ne de iis agam, qui libros in patriam linguam transferunt, qui aliorum ſcripta eadem lingua vel editis commentariis vel viva voce exponunt, quos omnes Cicero INTERPRETES appellat; ut; *Non converti ut* INTERPRES, *ſed ut orator ſententiis iiſdem*: alibi; *Grammatici* INTERPRETES *Poetarum*; rurſus; *Chryſippus Stoicorum vaferrimus* INTERPRES; & tandem; *Nullam artem literis ſine* INTERPRETE & doctore, & ſine aliqua exercitatione percipi poſſe; ne, inquam, de his agam, inquirendum reſtat, qualis CAJUS JANUARINUS SEXTUS fuerit INTERPRES. Et quanquam res plane dubia ſit; quia ſimpliciter nulla facta mentione rei, cujus erat explanator, INTERPRES vocatur; a vero tamen alienum non videtur, eum vel portenta expoſuiſſe, aruſpicinamque exercuiſſe; vel adfuiſſe potius Magiſtratui Romano in provincia, ut *Varius* Ciceroni laudatus, in Sicilia Verri; quia exempla allata docent ejuſmodi viros abſolute INTERPRETES appellari. Obſervent præterea Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ ſtudioſi, Epiſcopos vel presbyteros ad concilium, cujus membra alia lingua loquebantur, miſſos *Interpretibus* uſos eſſe; Synodus Romana habita ſub Bonifacio II. Lampadio & Oreſte Coſſ. *Theodoſius Echinienſis civitatis Epiſcopus per* INTERPRETEM *dixit*: alibi: *Theodoſius Echinienſis civitatis epiſ opus provinciæ Theſſaliæ per* INTERPRETEM *dixit*.

a *Gen.* 41. 24. b *L.* 5. c *L.* 2. *c.* 154. d *L.* 3. e *In Dial.* f *In Num.*

IV. Apud Noviomagenſes reperta, & a Joanne Smetio, viro Antiquariæ rei ſtudioſo admodum in Antiquitatibus Noviomagenſibus edita eſt inſcriptio vetus; ſed tamen nec hic omittenda, cum quia per multum temporis in ſcriniis meis latuit, tum quia nonnulla illuſtrationi ejus inſervientia mihi notata ſunt;

I. O. M.
DOMES
TICO
BRATO
VETERA
NUS. L. M.

Notiſſimum eſt Jovem appellari *Optimum Maximum*; ſed raro DOMESTICUS cognominatur: neſcioque num alibi idem titulus occurrat. Significat autem BRATO (quod nomen exoticum, non autem Romanum eſt) Jovem Larem familiarem, tecti domuſque cuſtodem, ut Arnobius loquitur, fuiſſe, ſuæque familiæ curam & tutelam geſſiſſe. Hieronymus (*a*); *Nullus fuerit locus, qui non idololatriæ ſordibus inquinatur, ſed in tantum ut poſt fores domorum idola ponerent, quos* DOMESTICOS *appellant* LARES, *& tam publice quam privatim animalium ſuorum ſanguinem funderent*: Paulo *ante* TUTELAS *appellat*: *Roma Orbis Domina in ſingulis inſulis domibuſque* TUTELÆ *ſimulacrum cereis venerans ac lucernis, quam ad tuitionem ædium iſto appellant nomine*: Tertullianus (*b*) *Deos Domeſticos* in Apologetico: DOMESTICOS DEOS, *quos Lares dicitis, domeſtica poteſtate tractatis, pignerando, venditando, demutando, aliquando in cacabum de Saturno, aliquando in trullam de Minerva: ut quiſque contritus atque contuſus eſt, dum diu colitur: ut quiſque dominus ſanctorum expertus eſt domeſticam neceſſitatem*. Atque ut hic Minerva & Saturnus, ita Jupiter in Inſcriptione *Deus Domeſticus* appellatur, & privata religione inſtar laris familiaris a Bratone cultus eſt. In agris venerabantur SYLVANUM DOMESTICUM; Auctor finium regendorum: *Nam omnis poſſeſſio tres Sylvanos habet. Unus dicitur* DOMESTICUS, *poſſeſſioni conſecratus: alter dicitur Agreſtis, paſtoribus conſecratus: tertius dicitur, Orientalis, cui eſt in confinio lucus poſitus, a quo inter duo pluresve fines oriuntur*: ejuſque mentio etiam in Inſ. veteri apud Gruterum: SILVANO. DOMES. SACRUM: quem & in alia mutila celebrari crediderim;

SILVANO
D S
CLAUDI
QUIETUS

id eſt, ut ſupplendum judico, DOMES, ſive *Domeſtico*. Ovidio præterea celebratur PHOEBUS DOMESTICUS, Lib. XV. Metamorph.

Dii, precor, Æneæ comites, quibus enſis & ignis
Ceſſerunt, diique Indigetes, Genitorq; Quirine,
Urbis & invicti genitor, Gradive, Quirini,
Veſtaque Cæſareos inter ſacrata Penates;
Et cum Cæſarea tu PHOEBE DOMESTICE, *Veſta*

a *C.* 58. *in E, ai.* b *C.* 13.

Scilicet, ut testatur idem alibi (a), *palatia* Augusti erant *sacrata laurigero Phœbo*; isque Deus non modo eo in loco cum Cæsarea Vesta templum habebat, verum etiam tutor erat & conservator, larque quasi domesticus domus Augusti. Et, ne Græcos omittam, apud Corinthios, teste Hesychio *Ceres* Επoικιδίη culta fuit; quæ proculdubio curam habuit rei familiaris, & victus; cujus illa præses, utpote *frugum mater*, erat. Æginetæ coluerunt publice Apollinem Δωματίτην, tanquam urbis præsidem, & domuum conservatorem. Schol. Pindari: παρ' Αἰγινήταις Δελφίνιος μεὶς ἄγεται, Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερός. ἐν ᾧ ἴσως φησὶ γεγενῆσθαι τὰ Νέμεα. πεφιλῆσθαι γάρ φησι τὸν μῆνα τοῦτον ὑπὸ τοῦ Ἀπόλλωνος. καὶ εἴη ἂν ὁ μὴν οὗτος ἐν ᾧ θύουσιν Αἰγινῆται Ἀπόλλωνι οἰκιστῇ καὶ Δωματίτῃ, καθά φησι Πυθαίνετος: *Apud Æginetas Delphinius mensis agitur, Apollini Delphinio sacratus; in quo forte canit Nemea fuisse celebrata. Ajunt enim hunc mensem ab Apolline amari. Et sit ille mensis, in quo Ægenitæ sacrificant Apollini Conditori & Domestico: quemadmodum scribit Pythænetus*: & tandem apud Spartanos, teste Pausania (b), Καρνεῖος cognomine Οἰκέτας, id est, *Domesticus*, cultus fuit.

V. Nullum abhinc plurimis annis itinerarium majore cum voluptate & alacritate animi evolvi, quam viri præstantissimi JACOBI SPONII. Nam tam diligenter reliquias morientis Græciæ inspexit; tam feliciter præclarissimarum urbium, quibus Europa & Asia superba erat quondam, cadavera lustravit; tot Inscriptiones, Nummosque inter Turcarum Scythicam barbariem, & barbaram ferocitatem quasi languentes deportavit; ut fateri cogar vix aliquem nostri sæculi peregrinantium operam melius posuisse, aut tam præclaris spoliis onustum patriæ esse redditum. Verum cum nonnullæ Inscriptiones majorem lucem videantur requirere, nec illi ipsi Eruditissimo viro, nec aliis ingratum fore persuasus sum, si quid de iis sententiam, in medium attulerim: Tom. 3. part. 1. pag. LXXXIV. Ed. Lugdun.

Α ΠΟΛΙC. ΜΑΡΚΟΝ ΚΑΛΗ...
ΓΑΙΟΥ. ΥΙΟΝ ΒΥΒΛΟΝ ΤΟΝ
ΠΑΤΡΩΝΑ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΤΑ
ΕΡΜΑΙ ΗΡΑΚΛΗΙ.

id est, interprete viro præstantissimo: *La ville de Corfou consacre a Mercure & a Hercule, Marcus*; at mihi hic sensus displicet; videbaturque quondam talis esse. *Urbs Marcum Cæle... Caii filium Byblum patronum & Benefactorem Mercurio Hercule honoravit*; sive, *ejus in honorem erexit statuam, quam vocant Hermeraclem*. Honor apud veteres singularis fuit statuam alicui ponere; sed major longe atque illustrior, dei statuam in honorem viri de Rep. bene meriti erigere; quem habitum fuisse Marco vix sinit me dubitare cum ipsa loquendi forma, tum exulans particula καὶ sive &, quæ addita, ut reor, foret, si hic homo vel statua ejus fuisset dedicata Mercurio & Herculi; non secus ac in alia, quæ exstat part. 2. pag. 141. Quod si autem quis viri doctissimi opinionem præferat; is tamen facile mihi concedet statuam Marci Mercurio & Herculi fuisse dicatam; non secus ac Germanici in Inscriptione præcedente; quæ ita vertenda est: *Urbs statuam Germanici Tiberii Cæsaris filium..., Diis consecravit*, & sequente,

ΙΟΥΛΙΑΝ ΘΕΟ
ΔΩΡΑΝ ΑΡΕΤΗΣ
ΕΝΕΚΕΝ ΘΕΟΙΣ.

a *Lib. 3. Art. 389.* b *Lib. 3.*



id est; *Statua Juliæ Theodoræ propter virtutem ejus, diis posita vel dicata est*; qua loquendi forma nihil est frequentius in marmoribus vetustis. Nec immerito statua diis illis consecratur; quia patronorum proprium est aliquem lingua sive oratione, cujus præses Mercurius censetur, defendere: Hercules vero in tot populos & homines beneficus fuit, ut optimo jure Εὐεργέτης, non secus ac σωτήρ, DEBELLATOR, DEFENSOR, VICTOR, POLLENS, POTENS, qui tituli in nummis & inscriptionibus frequentes sunt, vocatus sit; Marcique evergetæ statua ipsi dedicetur. Nec infrequens in laudatis monumentis copulativam particulam omitti; ut, JOVI JUNONI MINERVÆ: ISIS SERAPIS: quod non factum est, ut nonnemo arbitratur, quia deorum nomina ad designandum unum idemque numen sunt conjuncta. Nam Isis & Serapis, Jupiter, Juno & Minerva (quanquam non ignorem quid Zeno apud Diogenem Laertium, & alii gentilis theologiæ interpretes sentiant) hic distinguuntur; & causam errori præbuit omissa solenni more conjunctio ET. Sic ex Marmore Oxoniensi,

SILVANO. HERCULI. LIBERO
TI. JULIUS. ALEXANDER. DO. DIIS. SANCTIS.

tres illi dii in unum conflari ex nova opinione deberent; sed quo minus id fieri queat, vetant DII SANCTI. Et ne dicam in alio marmore; ΑΠΟΛΛΩΝΙ ΑΡΤΕΜΙΔΙ; multaque talia in Gruteri volumine occurrere; idem in nummis observare licet: quod cum non animadverterint eruditi antiquarii, nescio quas nobis coloniarum deductiones obtruserint. Antonini Pii nummi sunt apud Tristanum cum inscriptionibus: ΚΩΙΩΝ ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ. & ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ; illique nihil aliud quam concordiam Coorum & Milesiorum, horumque & Smyrnæorum; non autem colonias hinc vel inde missas, & datum propterea uni populo duplex nomen, ob oculos nobis ponunt. Nam

non ſemper addi vocem ΟΜΟΝΟΙΑ, vel illa omiſſa, copulativam particulam, indubitatæ fidei numiſmata teſtantur. Antonini laudati nummus apud Patinum inſcribitur, ΑΜΙϹΟϹ ΑΜΑϹΤΡΙϹ; quæ urbes concordiam ſuam datis dextris & interpoſita ara teſtantur. Nec aliter explicare ſoleo Gordiani nummum; in quo cernitur bos vel Apis, & ΕΦΕϹΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ; quia alius inſcribitur; ΚΟΙΝΟΝΙΑ ΕΦΕΣΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ; & alius, in quo Diana Epheſia navi inſiſtit, coronamque imponit Imperatori; ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ΟΜΟΝΟΙΑ apud Petrum Bellorium: in alio Caracallæ Synnadenſes, Dorienſes, & Iones concordiam ſuam teſtantur cum Inſ. ϹΥΝΝΑΔΕΩΝ ΔΩΡΙΕΩΝ ΙΩΝΩΝ: in Alexandri Severi occurrit, ΑΓ. ΤΟΥΧΗ ΤΕΡΕΒΙΝΤΙΝΩΝ ΚΑΡΧΗΔΟΝΩΝ, *Bona Fortuna Terebintinorum & Carthaginienſium*; in Elagabili ΑΠΑΜΕ. ΗΡΑΚΛΕ. id eſt *Apameæ & Heracleæ*; in Gordiani ΚΟΛΟΦΟΝΙΩΝ ΚΛΑΡΙΩΝ, *Colophoniorum & Clariorum*; in Antinoi ΙΟΥΛ. ϹΑΛΩΝΙ. ΑΝΚΥΡΑΝΟΙϹ, *Julienſibus, Salonitis, & Ancyranis*: & denique Commodi, ΛΑΟΔΙΚΕΩΝ ΕΦΕΣΙΩΝ cum Diana Epheſia & viro togato aquilam nec non ſceptrum tenente apud Petrum Bellorium & Triſtanum. Atque ex his exemplis clariſſime patet populos eos vel concordiam junxiſſe, vel ſimul templa erexiſſe, vel nummos ſignaſſe; &, quod probandum præcipue ſumpſeram, particulam ΚΑΙ ſæpe omitti ſolere; nec propterea ad alias explicationes, licet ingenioſas, decurrendum eſſe. Et quamvis, ut ad inſcriptionem revertar, hæc ita ſeſe habeant; mihi tamen prior ſententia magis arridet: arbitrorque hoc elogium ſculptum fuiſſe in ſtatua, quæ inferiore parte Mercurium, ſuperiore Herculem referebat; uti illa, quam Herculi Prodicio adjecit Pighius. Nam jamdudum in ea fui opinione, non ſatis recte Andream Schottum ejuſmodi ſtatuas *bifidas* (quod tergis inter ſe obverſis, vel junctis capitibus, quemadmodum videre licet apud illuſtrem Spanhemium, fieri poteſt) appellare; exiſtimavique optime animadvertiſſe Triſtanum *Hermeraclas*, ſive diductis vocibus, *Hermas-Heraclas*, ita dici; quia caput Herculis impoſitum erat baſi quadratæ, Mercurium (cujus ſimulacra, teſte Macrobio aliiſque multis, quadrato ſive τετραγώνῳ ſtatu figurabantur ſolo capite addito) referenti. Docet præterea hoc monumentum beneficiis dignam gratiam retuliſſe urbes. Sic Inſcriptio apud Sponium (*a*) Mylaſſæ inventa teſtatur populum vel columnam vel ſtatuam erexiſſe Menandro, quem vocat, ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ ΚΑΙ ΕΞ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΓΕΓΟΝΟΤΑ: alibi Titus Antonius Alfenius Marcum Aurelium Severum Antonium vocat ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ; Pergameni non aliter appellant Cajum Antium Aulum Julium Quadratum; populum Romanum Laodicenſes ad Lycum fluvium habitantes; Senatuſque Areopagiticus & populus Athenienſis Berenicem filiam Agrippæ Regis (*b*) ΜΕΓΑΛΩΝ ΒΑΣΙΛΕΩΝ ΕΥΕΡΓΕΤΩΝ ΤΗΣ ΠΟΛΕΩΣ ΕΚΓΟΝΟΝ. Tribus Antiochis poſuit Athenis ſtatuam Claudii Attici Herodis Marathonii ΕΥΝΟΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΗΝ ΠΑΤΡΙΔΑ: quam in rem locus admodum elegans exſtat apud Nonnum (*c*): Ειδέναι δὲ χρὴ, ὅτι πολλάκις καὶ Ευεργετῶν διεργεσίαι ἐν ταῖς στήλαις ἀνεγράφοντο, ὥσπερ ἡ τοῦ Λεύκωνος, τοῦ ἄρχοντος Βοσπόρου ἀνεγράφη ἐν Ἀθήναις. Atque hoc, vel quando nomina in tabulas referebantur, quod Athenis videtur fuiſſe, non ſecus ac voce præconis proclamari, uſitatum, vocat Lucianus ἀναγράφειν ἐν τοῖς Εὐεργέταις, vel Ευεργέτην. Lib. de Gymnas. Ὥστε Εὐεργέτης ὑμῶν ὁ ἀνὴρ ἀναγεγράφθω, καὶ χαλκοῦν αὐτὸν ἀναστήσατε παρὰ τοὺς ἐπωνύμους ἐν πόλει παρὰ τὴν Ἐθήναν; *Itaque hic vir benemerens de vobis appelletur, & ſtatuam ejus æream juxta archontes eponymos* (id eſt, quorum nominibus annus notabatur) *in arce in templo Minervæ dedicate*; ut verba illa interpreti nequaquam intellecta vertenda ſunt. Tyrannicida pretium non occiſi tyranni, ſed everſæ dominationis petens ita loquitur; οὐκ ἂν ἐν τοῖς Ευεργέταις ἀνεγράψατε; *Nonne iis qui de Rep. bene meriti ſunt adſcripſiſſetis?* Et Philoſophia Parrhiſiadem, poſtquam in piſcatore Philoſophorum mores enarraſſet, cenſet eum adſcribendum eſſe benefactoribus; καὶ φίλον ἡμῖν καὶ διεργέτην ἀναγεγράφθαι. Et ſane notat hic titulus, eum, cui datur, bono Reip. natum, bene de ea meritum, denique in eam *beneficum*, quomodo Græcam vocem interpretatur Seneca, eſſe; regibuſque veluti magnus honor datus eſt. Oſiridem, ſimul ac fuit natus, inſignitum eo docet Plutarchus (*b*), voce cælitus miſſa: Μέγας βασιλεὺς Ευεργέτης, Οσιρις γέγονε: Antigonus, victis ſed clementer habitis Spartanis, ab omnibus Græcis, teſte Suida, idem nomen meruit, & Titus Ælius Hadrianus Antoninus in Inſ. veteri (*b*) appellatur Ευεργέτης καὶ σωτὴρ Αδριάνης Μοψυεστίας τῆς Κιλικίας; Cyrum majorem non aliter appellatum ab Armenis teſtis eſt Xenophon; idemque nomen Mithridati Ponti & Ptolomæo Ægypti regibus datum eſſe memorat Strabo (*c*). Catonem Uticenſes Ευεργέτην καὶ σωτῆρα dixerunt, narrante Plutarcho; & apud Lucianum Cratonem quendam Charontis ſcapham ingreſſurum Mercurius alloquitur his verbis; Κατάλειπε τὸ γένος, καὶ δόξαν, καὶ εἰ ποτέ σε ἡ πόλις ἀνεκήρυξεν Ευεργέτην; *Depone proſapiam gloriamque, & ſi te aliquando urbs beneficum proclamavit*. A Perſarum quoque regibus hic honor nonnullis habitus eſt: Herodotus (*d*) narrat enim Phylacum Ευεργέτην βασιλῆος ſcriptum eſſe, Evergetaſque illis ὀροσάγγας dici. Quin & Dii ipſi ita vocantur, quia ſcilicet multis beneficiis mortale genus afficiunt: Inſcriptio (*e*),

ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ
ΘΕΑΙ ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ
ΚΑΙ ϹΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΕΥΚΛΕΙΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΤΗΙ
ΟΙ. ΜΑΡΩΝΙΤΑΙ
ΑΝΕΘΗΚΑΝ.

Atque, quod ſingulare admodum, etiam homines, qui deos ſumma religione colunt; quomodo Auctor de Fluminibus Lilæum Paſtorem appellat. Ευεργέτην Lunæ, quia eam ſolam venerabatur, & myſteria illius celebrabat.

VII. Alia poſita eſt Juliæ Auguſtæ (*f*):

ΙΟΥΛΙΑΝ ΣΕΒΑΣΤΗΝ ΕΣΤΙΑΝ
ΝΕΑΝ ΔΗΜΗΤΡΑ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ.

Vir præſtantiſs. vertit; *Juliam Auguſtam Veſtam novam Cereri conſecrat Senatus*; verum mihi hæc verba ita videntur debere interpretari: *Juliam Au-*

a *Part.* 1. *pag.* 164. 116. 142. & 146. b *Part.* 2. *pag.* 35. 219. c *In Expoſ. Fab. Naz.*

a *L.* 1. *cap.* 20. *de Clem.* b *Inſ.* 5. *pag.* CCLV. c *L.* 10. & 17. d *Lib.* 8. *cap.* 85. e *I. pag.* LIX. f *P.* 93.

gustam Vestam, *Novam Cererem consecrat*. Similiter plane Sabina Hadriani uxor *Nova Ceres* vocatur, in alio lapide (*a*):

> ΣΑΒΕΙΝΑΝ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ. ΣΕ
> ΒΑΣΤΗΝ. ΝΕΑΝ. ΔΗΜΗΤΡΑ. ΑΥ
> ΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ. ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΓΥ
> ΝΑΙΚΑ ———

quæ itidem non satis bene redduntur. *Les Tribus ont honoré de cette inscription l'Imperatrice Sabine nouvellement consacrée a Ceres....* cum sensus omnino flagitet. *Dedicarunt statuam Sabinæ Reginæ Augustæ*, *Novæ vel Junioris Cereris*. Nec insolitum Augustis vel dearum nomina ferre, vel insignibus Cereris, aliarumque exornari. Neronis uxor Statilia Messallina *Ceres* est; Julia Domna *Cybele*, & *Ceres*; Plautilla *Venus Victrix*, *Genetrix*, & *Felix*; Julia denique Mammæa, *Isis*, *Luna*, *Ceres* vel *Fecunditas* & *Victoria* in variis nummis apud Tristanum: ne jam dicam Liviam *Junonem*, Cleopatram *Lunam* atque *Isidem* appellari & instar earum dearum ornatas in numismatis & marmoribus cerni. *Nova* autem *Ceres* vocantur Julia, & *Sabina*, ut a veteri illa & tot fabulis nobili dea distinguerentur. Eodem plane modo Ptolomæus Lagidarum ultimus, & Antonius VIR. R. C. nec non Imperator Antoninus Caracalla Νέοι Διόνυσοι dicti sunt: Cleopatra Νέα Ἶσις apud Plutarchum; vel ΘΕΑ ΝΕΩΤΕΡΑ in nummo Regis Christianissimi apud Joh. Vaillant: Commodus Imp. JUPITER JUVENIS in nummo; Alexander pseudomantis, apud Lucianum, Νέος Ἀσκλήπιος, Cajus Cæsar Ζεὺς Ἐπιφανὴς νέος, *Jupiter præsens* vel *Manifestus Novus*; uti legere licet apud Philonem & Zonaram; idemque, νέος Διόνυσος, teste Eustathio (*b*); Ἔτι δὲ καὶ τοῦ Αὐτοκράτορος Γαΐου τοῦ καὶ Καλλίγολα ἐκεῖ προσαγορευθέντος διὰ τὸ ἐν στρατοπέδῳ γεννηθῆναι. οὗτος μὲν γὰρ ὑπερφρονήσας ὡς εἰκὸς ἐπὶ κάλλει, νέος τε Διόνυσος ἐκαλεῖτο, καὶ διονυσιακὴν πᾶσαν ἐνδύων στολὴν, ἐδίκαζεν: *Inde & Caii* (n. insania apponenda est deliramento Ceycis) *quem Caligulam dicunt cognominari*, *quia in castris genitus erat*. *Hic enim propter pulchritudinem*, *ut verosimile*, *superbiens*, *&* NOVUS BACCHUS *vocabatur*, *& Bacchicum induens babitum jus dixit*. Τὸ Νέος autem verti semper *Novus*, quia ita jam olim locutus est Vell. Paterculus (*c*) Antonii mores describens; *Cum ante* NOVUM *se* LIBERUM PATREM *appellari jussisset*. Præterea in inscriptione Juliæ posita, ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟΥΣ ΣΤΕΦΑΝΟΥΣ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ, non significat, *propter pietatem in coronas*; *sed præter pietatem in coronas*, sive sumptum in coronas factum. Nam Senatus indicat Dionysium Apollonotimi filium, propriis impensis erexisse Juliæ Augustæ statuam & basin; idque præter pecuniam quam coronis, quibus illa ornabatur, impenderat. Et elegantissime Græci ita vocant sumptum in res sacras (Julia enim hic Dea est) factum; eodemque sensu occurrit ΕΥΣΕΒΕΙΑ in marmore Oxoniensi (*d*):

> —— —— ΔΕΔΟΧΘΑΙ ΤΩΙ
> ΔΗΜΩΙ. ΕΠΑΙΝΕΣΑΙ. ΜΕΝΔΙΚΑΙΟΝ
> ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ. ΚΥΡΗΝΑΙΟΝ. ΑΡΗΤΕΣ. Ε
> ΝΕΚΕΝ. ΚΑΙ. ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ. ΤΗΣ. ΕΙΣ. ΤΟ.
> ΙΕΡΟΝ.

placere populo honorare Mendicæum Dioclis filium Cyrenæum ob virtutem & pietatem erga templum.

a *Part.* 2. *p.* 223. b *Ad Il.* I. *p.* 776. c *L.* 2. *c.* 12. d *App.* 5.

Illum enim vel templum Deliorum ornasse vel donaria in eo suspendisse, satis inde patet, quod mox vocetur Εὐεργέτης τοῦ ἱεροῦ καὶ Δηλίων. Nec sane incommode Græcorum vox, per Latinorum PIETAS redditur. Est enim hæc elegantiæ raræ & exquisitæ; quod licet a viris doctissimis sit annotatum, facere tamen non possum quin pluribus moneam, lucemque ea occasione nummis, inscriptionibus, & auctoribus affundam. PIETAS igitur vel deorum est vel hominum. JUNO PIA celebratur in Inscriptione veteri apud Gruterum (*a*); *Deus Pius* Lactantio: *Deus enim quoniam* PIUS *est*, *animal nos voluit esse sociale*: Arnobius (*b*); *Deos aliquis credit* PIOS, *beneficos*, *mites*. Nihilque ea vox tunc aliud significat, quam Deum benignum, clementem erga homines & φιλάνθρωπον esse; unde alio loco Lactantius (*c*) ita loquitur: *Sed tamen quoniam clemens est*, *&* PIUS *erga suos Deus*, *ad eos ipsos eum misit*, *quos oderat*. Hominibus PIETAS tribuitur vel deorum respectu vel aliorum hominum. Illo sensu PII omnes vocantur qui deos rite, pie, juste & caste colunt, uti plurima apud Ciceronem & alios auctores exempla docent. Atheniensium populus vocatur PIUS Lucretio, uti recte arbitror notare Jacobum Nicolaum Loensem, quia pietatis curam præ ceteris habent erga deos; unde eos Εὐσεβεστάτους facit Josephus (*d*); &, ne D. Pauli verba adducam, Eustathius urbem Eurycomin laudans summopere, scribit eam ὑπὲρ τὰς χρυσᾶς Ἀθήνας, εἰς θεοὺς Εὐσεβῆ, εἶναι, vel pietate Athenas superare. Et nonnunquam putavi in rarissimo apud Seguinum Antonini Pii nummo, cujus in aversa area scribitur ΠΕΙΩΝ ΕΦΕCΙΩΝ, Ephesios se propter cultum Dianæ *Pios* appellare; quanquam inficias ire nolim, *pietatem* eorum erga Imperatorem etiam celebrari; vel utriusque areæ inscriptionem ita jungi posse: Τ. ΑΙΛ. ΚΑΙCΑΡ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟC ΠΕΙΩΝ: ut inde sequatur ΕΦΕCΙΩΝ, a quibus scilicet nummus in honorem Pii signatus est. Sic πείων erit idem quod πεῖος; ut Κάδμος & Κάδμων; σπάρτος & σπάρτων; Λαῦσος & Λαύσων; Μίλος & Μίλων eadem nomina sunt; quemadmodum ex Stephano, Palladio, & Theocrito facili opera probari, si id ageretur, posset. Frequenter PIETATEM suam erga deos in nummis Romani Impp. testantur; sed notandi isti in primis, in quibus Mercurii statuæ adjicitur PIETAS. Antonius Augustinus (*e*) miratur, quare veteres RELIGIONEM & PIETATEM Mercurio affinxerint; causamque se nescire ingenue fatetur; quam quærit & reddere conatur Tristanus (*f*). Sed, pace viri his in studiis exercitatissimi, RELIGIO nequaquam Mercurio repræsentatur; & RELIG. AUG. in nummo occurrit, quia M. Antoninus videtur summa relligione coluisse facundiæ & eloquentiæ, quam unice sectabatur, præsidem deum. Syriam Deam veneratus fuit, reliquorum Numinum contemptor Nero: Minervam Domitianus. An, si nummi exstarent cum dearum illarum effigie, & Inf. RELIGIO AUG. continuo dicemus religionem vel Syria Dea vel Minerva repræsentari? In Decii Junioris, Q. Herennii Etrusci, Messii Decii, & M. Aurelii Carini *Mercurius*; in Maximi, Gordiani, Herennii Decii, Philippi Junioris, Salonini & Tetrici nummis instrumenta sacrificiorum, nec non PIETAS AUG. conspiciuntur; & in Juliæ Mammeæ apud Stradam templum cum porticibus, inque ejus medio statua Ephesiæ Dianæ cum Inf. PIETAS MAMMÆÆ; quorum alii testantur Impp. devotos

a *L.* 6. *c.* 10. b *Lib.* 7. *L.* 4. *c.* 11. c *L.* 2. *con. Apion.* d *Dial.* 2. e *T.* 1.

numini Mercurii, Mammæam Dianæ fuisse, illamque Deæ huic templum extruxisse; alii vero eos religiosos fuisse admodum & multum sacrificasse; quæ præcipua apud gentiles PIETAS habebatur. Nam in Valeriani Junioris numismatis expressæ sunt duæ figuræ sacrificantes apud aram ignitam, astro intermedio; in Sabinæ ara, in Pescennini Nigri figura muliebris stolata stans, dextra pateram aræ infundens, cum Inf. PIETATI, PIETAS AUG. vel AUGG. apud Joannem Vaillant, antiquariæ rei studiosissimum virum. In Antonini ære PIETAS victimam ad aram ardentem trahit; in Faustinæ, Lucillæ Plautillæ eadem tenet acerram, vel thus altari injicit; & denique *aras* reliquo sacro cultui præponere non dubitat Mamertinus (*a*): *Nam primum omnium, quanta vestra erga deos* PIETAS? *quos* ARIS, *simulacris, templis, donariis, vestris denique omnibus* (legendum proculdubio *nominibus*) *adscriptis, adjunctis imaginibus ornastis, sanctioresque fecistis exemplo vestræ venerationis*. Nisi tamen, quod mihi nonnunquam in mentem veniebat, Impp. instrumentis, quorum in sacrificiis usus, signarunt nummos, ut publice testarentur, se non Christianos, verum deorum gentilium cultui deditos esse. Homines, ut pergam, præterea PII sunt adversus se invicem; & quidem primo Imperatores, Reges, Principes, & Magistratus in cives suos; præcipueque tunc vox ea, notat clementiam: Claudianus;

—— mitis precibus, pietatis abundans,
Pœnæ parcus erat. ——

rursus;

Sis pius in primis: nam cum vincamur ab omni
Munere, sola deos æquat clementia nobis.

Inscriptio elegantissima apud Gabrielem Simeoni; VIRTUTE. FORTISSIMO. ET. PIETATE CLEMENTISSIMO. D. N. FLAVIO. CONSTANTINO: neque aliter interpretandus videtur Lampridius (*b*) Imperatorem Const. alloquens: *His jungendi sunt Diocletianus, aurei parens sæculi, & Maximianus, ut vulgo dicitur, ferrei: ceterique ad* PIETATEM *tuam*. Nec omittendus insignis apud Joh. Vaillant Galbæ nummus; in quo hinc cernitur; SER. GALBA. IMP. CÆSAR. AUG. P. MAX. TR. POT. laureatus, inde figura togata ramum tenens sinistra & dextra coronam imponens Imperatori ramum itidem tenenti cum Inf. SENATUS PIETATI AUGUSTI & S.C. id est, Senatus ob clementiam Galbæ hunc nummum signari jussit. Sic Constantius Cæsar armatus dat figuræ in genua procumbenti manum, addita inscriptione: PIETAS AUGG. ut significaret hostibus vel aliis se pepercisse. Inter caussas, ob quas Antoninus PII cognomen meruit, etiam clementia & mansuetudo recensetur a Spartiano; cujus verba integra adscribenda sunt, quia & alias ejus cognominis rationes affert. PIUS *cognominatus est a Senatu, vel quod socerum fessa jam ætate, manu, præsente Senatu levaverit (quod quidem non satis magnæ pietatis est argumentum, quum impius sit magis qui ista non fecerit, quam pius qui debitum reddat) vel quod eos quos Adrianus per malam valetudinem occidi jusserat, reservavit: vel quod Adriano contra omnium studia, post mortem infinitos atque immensos honores decrevit: vel quod quum se Adrianus interimere vellet, ingenti custodia & diligentia fecit ne id posset admittere: vel quod vere natura erat clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecit*. Quæ rationes licet multiplices videantur, ad duo tamen capita commode referri possunt; pietatem n in Hadrianum patrem eundemque Principem vivum vel mortuum, & clementiam. Si plures Imperatores uno eodemque tempore Reip. Romanæ admoti forent, iisdem, ut in nummo Pupieni, PIETAS MUTUA tribuitur; id est, amor, benevolentia erga se invicem; vel, ut in aliis explicatur, CARITAS MUTUA, AMOR MUTUUS, FIDES MUTUA AUGG. Illo sensu vox hæc obvia est in panegyrico, quem Mamertinus (*a*) Maximiano & Diocletiano dixit: *Interim tamen, dum mihi ante oculos pono quotidiana vestra colloquia, conjunctas in omni sermone dextras, joca seria communicata, obtutu mutuo transacta convivia; illa me cogitatio subit, quanam animi magnitudine ad revisendos exercitus discesseritis*, PIETATEMQUE VESTRAM *utilitate reip. viceritis*: in alio itidem incerti auctoris, qui dictus ex Maximiano & Constantino: *Quid enim rebus humanis contingere potuit aut nobilius ad gloriam, aut certius ad salutem, quam quod pristinæ vestræ* CONCORDIÆ, *perpetuæque* PIETATI *hoc quoque pignus accessit summorum nominum arctissima conjunctione venerabile, ut Imperatori filiam collocaverit Imperator?* Ut autem Imperatorum PIETAS adversus sibi parentes, ita horum adversus eos est, quando debitum obsequium, honoremque iis præstant. Lucio Vitellio, qui Claudium Imperatorem omni arte demeruerat, valdeque coluerat, Senatus statuam pro rostris posuit, cum inscriptione: PIETATIS IMMOBILIS ERGA PRINCIPEM. In Antonini Pii & Commodi nummis occurrit PIETAS vel PIETATI SENATUS; & Senatorum pro se indignantium *pietatem* laudat Augustus (*b*); iisdemque eam tribuit Domitianus (*c*), nisi tamen hic clementia designetur; *permittite patres a* PIETATE *vestra impetrari (quod scio me difficulter impetraturum) ut damnatis liberum mortis arbitrium indulgeatis*. Nec Æmonam censeo vocari aliam ob rationem PIAM, quam quia Imperatori Theodosio fidem servavit, & obsidionem Maximi fortiter tulit, a Latino Pacato (*d*): *Nec* PIA *Hæmona cunctantim ubi te affore nuntiatum, impulsis effusa portis, obviam provolavit*. Sic PIETAS EXERCITUUM, quam memini me in nummo quodam vidisse, & LEGIO PIA nihil aliud notant quam fidelitatem: Dio (*e*) narrans defectionem Camilli Dalmatiæ præfecti, & militum fidem in Imperatorem: *Jussit* (Claudius) *duas legiones, Septimam & undecimam, Claudias & Fideles & Pias etiam a Senatu agnominari*: quæ ultima cognomina in Gruteri magno opere etiam exstant, & variis Romanorum Impp. præcipue Gallieni nummis apud Johannem Vaillant. Observandumque legionem, quoties pietatem & fidem erga principem testabatur, PIÆ cognomen meruisse; unde LEG. I. ADI. VI. P. VI. F. id est *Legio prima adjutrix sextum Pia, sextum fidelis*; LEG. I. ITAL. VII. P. VII. F. *Legio prima Italica septimum pia, septimum fidelis*; & LEG. II. PART. V. P. V. F. eademque VI. P. VI. F. in nummis Principis illius occurrunt: Videantque Eruditi, num in Inscript. CXXIII. Classis VI. apud Reinesium celebretur ALA AUGUSTA PIA FELIX vel FIDELIS XXII. ita ut ala per tot vices nomina illa meruerit. E contrario iis, qui aliquid in Imperatorem committebant, Græci ἀσέβειαν tribuebant; Dion; Ἐπεὶ τό γε ὑβρίζεσθαι πρός τινος καὶ τὸ ἀσεβεῖσθαι πρός τινος (ἀσέβειαν τε γὰρ ἤδη καὶ τὸ τοιοῦτον ὠνόμαζον καὶ δίκας ἐπ' αὐτῷ πολλὰς ἐσῆγον) ἥκιστα προσεποιεῖτο: *Injurias aliorum impietatemve in se (jam enim*

a *Cap. 6. Gen.* b *C. 15. Hel.*

a *C. 12.* b *Suet. cap. 3.* c *Suet. cap. 66.* d *C. 37.* e *L. 60.* f *L. 57.*

impietatis nomen id generis peccatis tribuebatur) *penitus diſſimulabat*. Tandem vox hæc ſignificat obſequium, reverentiam quam ſanguine vel alia neceſſitudine juncti ſibi invicem, quam cives patriæ, quam vivi mortuis debent. Alcuinus, *Religio eſt quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant curam, ceremoniaſque affert*. PIETAS *per quam ſanguine conjunctis, patriæque benevolis, officium diligenſque tribuitur cultus*. Æneas toties PIUS vocatur Virgilio, quia patrem & filium incendio extulit; unde & PIETAS in nummo Antonini Pii adſcribitur duci Trojano patrem gerenti, ad indicandam ejus quoque in patrem Hadrianum pietatem. Anapias & Amphinomus, propter parentes ſenio confectos & incendio Catanenſi ereptos, Ε'υσεβεῖς dicti ſunt; & locum Ε'υσεβῶν χῶρον *piorum regionem* Siculi appellarunt, teſtibus Pauſania (*a*) & Conone: eamque hiſtoriam Pompei filius nummis ſignavit, uti ſignificaret ſuam in patrem pietatem, quemadmodum notat Anton. Auguſtinus (*b*). Nec omittenda fabula eſt Agatarchidis Samii, quam conſervavit auctor de Fluminibus; in Mæandro fluvio ſcilicet lapidem gigni, quem inventum οἱ Ε'υσεβεῖς ὑοὶ in templo Matris Deum ponunt; indeque nunquam ἀσέβειαν committunt; ἀλλὰ φιλοπάτορες ὑπάρχουσι καὶ πρὸς τοὺς προσήκοντας συμπαθοῦσιν. Hyginus (*c*) recenſet, *qui piiſſimæ fuerunt vel piiſſimi*; adjicitque exempla filiorum filiarumque, qui debito amore parentes proſecuti ſunt. Aurelius Victor ſcribit Alex. Severum *matris cultu, quæ nomine Mammæa erat, pluſquam* PIUM *fuiſſe*; & Paterculus (*d*) nec non Appianus (*e*) teſtantur, propter inſignem in patrem amorem, Metelli Numidici filium, PIUM cognominatum eſſe. Sic & *pietas* iis tribuitur, qui ſoceros colunt: Tacitus (*f*); *Hic interim liber honori Agricolæ ſoceri mei deſtinatus profeſſione* PIETATIS *aut laudatus erit aut excuſatus*; iis, qui fratres, filios, filias, uxores, vel vice verſa omneſque ſanguine junctos, adeo ut recte Cicero (*g*), quem Alcuinus expreſſit, ſcribat; *pietatem eſſe, quæ erga patriam, aut alios ſanguine conjunctos officium obſervare moneat*. Ipſe namque ita loquitur in Epiſtolis ad Atticum (*h*): *Cum bellum eſſe in Syria magnum putetur; videaturne pietatis eſſe meæ, fratrem relinquere*: Catullus;

> *Egregium narras, mira pietate, parentem,*
> *Qui ipſe ſui gnati minxerit in gremium.*

Inde in Inſcriptione veteri mulier quædam dicitur fuiſſe, *eximiæ erga liberos pietatis*, & in aliis obvii ſunt; MARITUS. PATER. FRATER. FILIUS PIISSIMUS. PIENTISSIMUS. UXOR. CONJUX. PIISSIMA & PIENTISSIMA: quibus nihil aliud denotatur quam debitum officium atque obſequium. Apud Juſtinum (*i*) Lycurgus fratris filio Charillo regnum, quod retinere poterat, reſtituit; *ut intelligerent omnes, quanto plus apud bonos* PIETATIS *jura, quam omnes opes valerent*. L. Antonius, propter ſuam in M. Antonium IIIvirum & fratrem, Ε'υσέβειαν vel pietatem vel amorem, teſte Dione, *pietatis* cognomen ſumpſit; unde & in nummis Antonii cernitur PIETAS Coſ. Cum autem tam diverſis modis aliquis *pius* dicatur, inde ad tollendam ambiguitatem, ſæpe addi ſolet, in quem quis pius vel impius ſit: apud Ciceronem (*k*) *impius adverſus deos immortales*; & *pius in parentes* occurrunt: & in Inſ. veteri, apud Gruterum SECUNDINA. LIBERTA. IMPIA. ADVERSUS. PATRONUM SUUM. Quin & hinc ſimul patet *pios* eos dici, qui alios ſanguine non junctos, ſed tamen benefactores debite obſervant; honoremve iis habent; uti *ſacer ſenatus M. Aurelio Litophoro.....* ſtatuam poſuit ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ ΕΝΕΚΑ; propter pietatem quam ipſi debebat ob officia præſtita, & quia bene de ipſis meritus erat, in Inſ. veteri apud Sponium. Idem nomen iis tribuitur, qui patriæ, ut ille loquitur, ipſam vitam deberi exiſtimant. Vellejus (*a*); *Cujus* PIETATI *plenam populus Romanus gratiam retulit*; quia bello ſociali multum Romanos juverat, iiſque fidem datam præſtiterat. Val. Maximus (*b*); *De qua ne queri quidem tanta veræ* PIETATIS *conſtantia niſi poſt fata ſuſtinuit*; nam Scipio Africanus in exilium actus nunquam vivus propterea patriam laceravit; ſed ſepulchro inſcribi curaverat; *ingrata patria ne oſſa quidem mea habes*. Verum hæc obvia ſunt; notandumque potius Ε'υσέβειαν & pietatem iis tribui, qui mortuis debitum honorem habent, iiſque juſta perſolvunt. Ex Capitolino conſtat nonnullos cenſuiſſe Antoninum *Pium* dictum, quia Hadriano mortuo infinitos honores habuit; & hanc rationem amplecti non dubitat doctiſſimus Caſaubonus; putatque ipſum ludos in honorem Adriani Puteolis inſtitutos PIALIA vel Ε'υσέβεια vocaſſe. Sane ita eæ voces Græcis & Latinis ſumuntur: Inſcriptio vetus;

> ΘΕΟΙϹ ΚΑΤΑΘΟΝΙΟΙϹ
> ΙΟΥΛ. ΑΚΜΗΙ, ΣΥΝΔΟΥΛΗΙ
> ΑΚΤΙΟϹ. ΤΡΟΦΙΜΟϹ.
> ΜΝΗΜΗϹ. ΚΑΙ. ΕΥϹΕΒΙΑϹ.
> ΧΑΡΙΝ
> ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Et Romanis tam magni momenti res viſa fuit, mortuis juſta perſolvere, ut per excellentiam hoc officium *pietatem* appellaverint: Servius (*c*); *Qui enim de* PIETATIS *generibus ſcripſere primum locum in ſepultura eſſe voluerunt. Unde cum pontificibus nefas eſſet cadaver videre, magis tamen nefas fuerat, ſi viſum inſepultum relinquerent*. Lactantius; *Ultimum illud & maximum* PIETATIS *officium eſt, peregrinorum & pauperum ſepultura: quod illi virtutis, juſtitiæque doctores prorſus non attigerunt*: & *plena pietate* fœmina, in Inſ. veteri apud Reineſium (*d*), dicitur eſſe, quæ marito ſuo monumentum erexit;

> D. M.
> P. CRITONI. JANUARIO. VIX. AN. XLV.
> ANIANA. DEUTERA
> CUM. QUO. VIXIT. ANN. XXXVII. CONIUGI. B. M.
> QUÆ. PIETATE. PLENA. HOC LIBENS. FECIT.

Adeo ut non abſque ratione Cajus Cæſar PIUS cognominatus ſit, cum matris fratriſque cineres, quo magis pietas emineret, adierit venerabundus, & ipſe in urnas condiderit, Suetonio teſte. Verum nec tandem omittendi nummi alii, in quibus PIETAS rariſſimo ſenſu occurrit. Eſt enim Theodoræ Auguſtæ elegans admodum, in quo fæmina ubera præbet infanti cum Inſ. PIETAS ROMANA; qua denotare volunt Theodoram infanti ſuo ipſam ubera præbuiſſe, debitumque præſtitiſſe officium, quod mirum in modum commendant Plutarchus & Favorinus (*e*). In nummo Titi Veſpaſiani PIETAS AUGUSTA eſt, cum figura muliebri velata ſtante inter binas figuras togatas, dextras ſibi jungentes; quo ſymbolo procul dubio amor mutuus Titi & Domitiani fratrum (*f*) vel certe illius in

a *Nar.* 43. b *Dial.* 2. c *Fab.* 254. d *L.* 2. *cap.* 15. e *Lib.* 1. *B. Civ.* f *C.* 3. g *L.* 2. *de Inv.* h *L.* 3. 6. i *L.* 3. *cap.* 2. k *L.* 3. *offic.*

a *L.* 2. *cap.* 16. b 5. 3. 2. c *Ad l.* 6. *Æn.* d *Ep.* 35. e *Lib. de Lib. Educ. Apud Gell.* 12. 1. f *Suet. cap.* 9.

hunc, quippe quem *a primo imperii die consortem successoremque testatus est*, significatur. Figura quoque militaris & togata dextras sibi porrigentes, tertia velata stans inter priores media, PIETATI AUGUSTÆ in numismate Juliæ Piæ, caritatem mutuam Severi & Caracallæ vel Caracallæ & Getæ nobis ob oculos ponunt. In Gallieni nummo Imperator dextram porrigit Augustæ, additurque PIETAS AUGG. ut testarentur amorem conjugalem. Verum difficilioris sensus est nummus Domitillæ, uxoris Vespasiani & Domitiani, in quo figura muliebris sedens, & ante ejus pedes puerulus: Matidiæ, Marcianæ filiæ, matris Sabinæ, quæ conjux fuit Hadriani; in quo figura muliebris inferiorem corporis partem velata, binis pueris manum imponens: Otaciliæ Severæ; in quo fæmina stolata stans cum globo & hasta, & ante pedes icuncula: tandemque Posthumi; in quo figura muliebris stans cum quatuor puerulis; quorum duo stant ad pedes, reliqui duo brachiis gestantur; cum inscriptionibus PIETAT. vel PIETAS AUG. cernuntur. Et forte Posthumus ita nummos signavit, quia virtute sua Gallos eorumque liberos defendit; vel pauperibus infantibus alimenta præbuit. Otacilia in Philippum filium testatur amorem suum, illique, mortuo forte patre, tradit orbis imperium: Domitilla DIVA tuetur Domitiani filium parvulum. Matidia autem manus imponit binis infantibus suis, nempe Sabinæ, quæ nupsit Hadriano, & Matidiæ juniori; nisi forte interiore sensu designetur pietas in pauperes; quia Trajanus, cujus mater Matidiæ Marciana erat soror, ALIMENTA ITALIÆ id est *parvulis civibus*, uti explicanda illa ex Plinio sunt (*a*), constituit; & Hadrianus, teste Spartiano, *pueris ac puellis, quibus etiam Trajanus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adjecit*. Quam ad rem si referendus nummus, insignis sane & semper laudanda hæc PIETAS est. Galba Imp. sedet manumque imponit figuræ togatæ, additis verbis, PIETATI AUGUSTI; per quam nequaquam intelligendos esse censeo pueros alimentarios; sed amorem principis erga populum Romanum adoptato Pisone. INDULGENTIA PIA POSTUMI, Imperatorque togatus sedens, & manum homini in genua prolapso porrigens, nihil aliud quam clementiam denotat. Et denique in nummis Antonini Pii, uxorisque ejus Faustinæ cernitur PIETAS cum templo, quod Hadriano inter deos relato exstructum fuit; nisi tamen illud, quod in nummo Faustinæ occurrit, Senatus ipsi mortuæ & consecratæ decrevit, quia in alio ejusdem Augustæ nummo legitur PIETAS AUG. id est, ut arbitror, Augusti vel Antonini Pii, additurque non secus ac in alio templum sex columnarum.

VII. Alia inscriptio (*b*) exstat apud eundem elegans admodum, sed non satis diligenter, ut mihi equidem videtur, explicata:

ΦΛΑΟΥΙΟΣ. ΖΕΥΞΙΣ. ΕΡΓΑΣΤΗΣ
ΠΛΕΥΣΑΣ. ΥΠΕΡ. ΜΑΛΕΑΝ. ΕΙΣ
ΙΤΑΛΙΑΝ. ΠΛΟΑΣ. ΕΒΔΟΜΗΚΟΝΤΑ
ΔΥΟ —— ——

Flavius Zeuxis maitre ouvrier devant faire voile au de la du Cap Malée en Italie avec 72. batimens: tanquam scilicet hic homo secum habuerit naves duas & septuaginta; & quod nequaquam Græcis verbis conveniens est. MALEA est Laconicæ promontorium navigantibus periculosum valde; uti patet ex Græcorum proverbio: Μαλεάδε κάμψας ἐπιλάθου τῶν οἴκαδε. *Maleam flectens eorum, quæ domi sunt, obliviscere*: id est, naufragium tibi & mortem impendere existima. Hinc Itali & Asiatici negotiatores cursum eum omiserunt, mercesque Corinthum, unde facile vel in Ægæum vel in Jonium mare transvehi poterant, deportarunt, teste Strabone (*a*). Flavius igitur Zeuxis monumentum sibi vivus erigens, tanquam rem admirandam plane & stupendam illi voluit inscribi, *se per duas & septuaginta vices promontorium Maleam superasse, cum ex Asia Italiam peteret*. Notandus autem insignis Devarii error; qui in Indice Eustathii operosissimo, duobus locis *Maleam* facit promontorium Cretæ; quod nemini Geographo in mentem venit, nec ipsi, quem laudat, Eustathio unquam. Nam pag 119. notat antiquos *Theben & Thebas* dixisse; non secus ac *Athenam & Athenas*; *Cretam & Cretas*; & promontorium Μάλειαν καὶ Μαλείας; similiter pag. 1468. observat Μάλια in usu esse numero singulari, & Μάλειαι plurali: quomodo Κρήτη & Κρῆται similiaque occurrunt; quin disertis ibidem verbis memorat Menelaum Spartæ regem ex Malea profectum esse Cretam; quod utique fieri non poterat, si Cretæ promontorium foret. Verum proculdubio deceptus est vir eruditus verbis, quæ exstant pag. 1469. *Scribitur etiam* (n. in versu Homerico (*b*)) *Malius lapis: Malium enim promontorium ante portum Phæstiorum*. Cum autem Phæstus sit urbs Cretæ Africæ & Meridiei (Meurs. in Creta sua Scylacis verba mutila laudat, & Lectori incauto facile persuaderet eam ad Septentrionem fuisse positam) obversa, videtur credidisse Devarius Malæam etiam esse Cretæ promontorium. Sed ita confunditur Malæa vel Malea Laconicæ, & Malium Cretæ; quæ inter se diversa esse secunda & ultima syllaba indicant satis superque; ne dicam præter Eustathium Scholiastem eadem commentari & μάλιον facere πρὸς τῆς φαιςίων πόλεως ἀκρωτήριον; quod valde miror Meursio in doctissima Cretæ descriptione ne nominatum quidem esse. In alia quæ exstat p. 141. laudatur FURIUS SABINUS AQUILA TEMISITHEUS: Vir doctissimus hunc hominem oriundum arbitratur Temesa urbe vel Italiæ, vel Cypri; verum cum gentile Τεμέσης sit, teste Stephano, Τεμεσαῖος vel ταμασίτης, nec mihi fiat verisimile ab ullo urbis vel loci nomine tale gentile derivari, persuasus sum esse nomen proprium; vel cognomen. Sic *Dositheus* appellatur Grammaticus qui sententias Hadriani collegit; in Inscriptionibus notus est Οἰκουμένιος, Δοσίθεος Ασκληπιόδοτος. Plinio laudatur *Dositheus* Astrologus, MISITHEUS *præfectus prætorio & totius urbis, tutor Reip.* in lapide antiquo (*c*), & apud Capitolinum (*d*): & denique Τιμησιθέος Tragicus, variis fabulis scriptis sed deperditis clarus occurrit apud Suidam nec non *Timasitheus* athleta apud Pausaniam; quod nomen unum idemque est cum nostro, quia sæpe E. & I. inter se mutari solent:

VIII. In Indice populorum Atticæ Num. XXXII. exstat alia, quæ digna etiam est, ut illustretur;

ΤΟΝ. ΥΙΟΝ. ΜΥΗΘΕΝΤΑ
ΕΦ. ΕΣΤΙΕΣ. ΤΕΙΝ. ΘΕ
ΕΙΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Nec non alia Num. CXLI.

—— ΘΥΓΑΤΕΡΑ. ΜΥΗΘΕΙΣΑΝ
ΑΦ. ΕΣΤΙΑΣ. ΔΗΜΗΤΡΙ. ΚΑΙ. ΚΟΡΗ. ΑΝΕ
ΘΗΚΕ.

illam reddit vir doctissimus: *initié au foyer sacré*

a *In Pan.* b. *P.* 151.

a *Lib.* 8. b *Od.* Γ. v. 296. c 4. *pag.* 439. d *In Gord.*

de Deesses; hanc vero: *Initiatam mysteriis sacri foci Cereris & Proserpinæ*. Verum quemadmodum ex secunda inscriptione patet, Ταῖν θεαῖν non est genitivi, sed dativi casus; adeo ut jungi debeant, Ανέθηκαν ταῖν, & ανέθηκε Δημήτρι καὶ Κόρῃ, atque in ambabus, μυηθεῖσα ἀφ᾽ ἑστίας. Hoc quid sit, ut verum fatear, mihi perobscurum est; arbitratus tamen nonnunquam sum Atheniensium pueros dici μυηθέντας ἀφ᾽ ἑστίας, quia parentes eos mysteriis Cereris initiare solebant, quemadmodum ex Donato & Terentio observavit Meursius (*a*). Huc pertinet Suidam scribere illum qui ἀφ᾽ ἑστίας initiabatur Atheniensem esse; ἀφ᾽ ἑστίας μυηθῆναι; ὁ ἀφ᾽ ἑστίας μυούμενος Αθηναῖος ὤν; quia scil. soli Atheniensium liberi ea ætate initiabantur. Et ita forte loquuntur Græci quia id primum videtur factum, postquam puerum natum curriculo παρὰ τὴν ἑστίαν *circa focum*, sacris, quæ Αμφιδρόμια vocantur, uti Hesychius, Harpocration, Auctor M Etym. aliique docent, tulissent, vel quia ἀφ᾽ ἑστίας propter Vestam, cui primum sacrificabatur, proverbii vicem obtinet; significatque nihil aliud, quam *ab initio*; & in lapidibus laudatis, *a prima pueritia, a prima infantia*. Exstat hæc loquendi ratio apud Aristidem (*b*); Α'ρξάμενος δὲ ἀφ᾽ ἑστίας ἐκάθηρε τὴν Ε'λλάδα, id est, *a lare, a patria, a Thebis*; quia Hercules primo patriam liberavit, fecitque ne amplius Orchomeniis tributum penderent Thebani; inde Græcas & tandem alias gentes adiit; adeo ut non satis clare Canterus vertat (*c*) *A Vesta deinde exorsus*: Idem alibi; πρῶτον μὲν ἀφ᾽ ἑστίας ἀρξάμενοι τὴν ὁμόνοιαν ἐνδείξασθαι quibus verbis non significat *concordiam a Vesta auspicandam* esse, sed Græcos primum a se ipsis incipere, & concordes esse debere inter sese; quomodo Eustathius ἀφ᾽ ἑστίας explicat ἐκ τῶν κρειττόνων *a diis*; ἢ ἐκ τῶν οἰκείων, *a propriis, a sese*: Iterum (*d*): τὴν δ᾽ οὖν ἀρχὴν ἀφ᾽ Ε'στίας εἶναί μοι, καὶ πείθειν ἐμαυτὸν πρῶτον, id est, *ita tamen ut a me ipse* (nihil enim huc facit Canteri Vesta) *inciperem*. Atque hæc loca vel ideo adduxi, ut clare pateat ἀφ᾽ ἑστίας significare tempus vel aliud, a quo res quæpiam incipitur; nec posse verti in laudatis Inscript. *initiare mysteriis sacri foci*.

IX. Inter Inscriptiones Genevenses ab eodem viro eruditissimo cum accurata Genevæ descriptione edita est elegans admodum; quam addere visum fuit, si quid forte industria mea lucis ei fœnerari queat.

PATRONO. COLON
IIVIR. AER. IIIVIR
LOCORUM. P. PERSEQUENDORUM.

Ultima dignitas Sponio est; *intendent des bastiments publics*, id est, *curator operum publicorum*. Coquier in Antiq. Viennensibus non aliter explicat: Il fut depuis, ait, creé l'intendent des ouvriers & des bastimens publics sous le nom de præfectus fabrum & de IIvir Loc. p. p. Verum in dividendis inter colonos agris, erant *subsecivi*, qui habebantur juris publici, & coloniæ civitative dabantur; cumque, ut loquitur Aggenus, *hujus juris loca plerumque proximi possessores invaderent, & oportunitate loci irritati agrum obtinerent*; creati in coloniis IIVIRI vel plures, qui curam eorum agrorum, aliorumque publicorum gererent, & si qui a privatis essent occupati, restituerent in publicum; unde in alia Inf. apud Gruterum (*e*) appellantur CURATORES LOCORUM PUBLICORUM JUDICANDORUM: qua ex ultima voce Goltzius in Thesauro male facit *Judicandæ*. Exemplum hujus rei est apud Sueton. (*a*): *Subseciva, quæ divisis per veteranos agris carptim superfuerant, veteribus possessoribus ut usucapta concessit*: & in Inf. apud Sponium (*b*); Decimus Secundinus V. C. proconsul Curatoribus & Defensoribus (non recte Decimus vocatur *Curator & Defensor*) Amfissensium Salutem dicit, eosque hortatur, UT NULLA INVADENDI PUBLICUM RELINQUATUR OCCASIO; adeo ut non absque ratione ejusmodi Magistratus in coloniis fuerint. Utque tandem rem furto ablatam, servum fugitivum *persequimur*; ita & IIVIRI recte possunt dici *loca persequi*; quæ ab aliis occupata sunt.

X. Exstat apud Gruterum (*c*) elegans marmor, de quo nihil monerem, nisi viderem virum non ineruditum graviter in eo explicando lapsum esse.

HORTORUM. CUSTODI. VIGILI
CONSERVATORI. PROPAGINIS
VILLICORUM.
DUM. TUA. POMIFERUM. CUSTODIA. PROTEGIT. HORTUM
TERROR. ET. INFESTIS. FURIBUS. INGUENERIT.
LAMPSACIOS. MELIOR. NON. IMBUET. HOSTIA. CULTROS
QUAM. VENIET. NOSTRA. VICTIMA. CÆSA. MANU.

Posita hæc inscriptio est Priapo; sed qui *cultri Lampsacii* sint non usque apertum est. Jacobus Philippus Tomasinus (*d*) scribit veteres cultros splendentes ac bene tersos vocasse LAMPSACIOS, deducta origine a λαμπαύω id est *splendeo*; unde & Lampsaci urbis originem doctiores Grammatici non male nec longe nimis petita notatione deduxerunt. Id ultimum facit certe Auctor M. Etymologici; verum non utitur voce λαμπαύω, quæ Græca non est, sed dicit Lampsacenis oraculum datum esse, ut ibi urbem conderent ὅπη ἂν αὐτοῖς λάμψῃ; inde postquam fulminasset, vidisse eos locum & urbem exstruxisse. Hæc autem Tomasini ratio mihi nunquam probata fuit; sed auctor hujus epigrammatis dicit; Si Priapus bene hortum servat, furesque arcet, meliorem illi hostiam (quam *asinum* fuisse ex Ovidio, aliisque auctoribus constat) cæsam ab eo iri, quam Lampsaceni offerebant; apud quos natus non modo ex Venere Priapus, verum a quibus præcipua religione colebatur; Nam ut canit Priapejorum auctor (*e*),

Mortales tibi Lampsacum dicarunt.

Et ipse alibi urbis illius se civem nominat (*f*):

Quam si perdidero, patria multabor, & olim
Ille tuus Civis, Lampsace, Gallus ero.

Hinc est quod *Lampsacenus Deus* vocetur Servio; & *Hellespontiacus Priapus* (Lampsacus enim ad Hellespontum sita) Virgilio, Petronio, Ovidio, Arnobio, & Sidonio: variisque nominibus eum Lampsaceni insigniverint, uti clarum est ex eleganti apud Gruterum (*g*) Inscriptione:

ΙΘΥΦΑΛΛΩΙ. ΚΟΡΥΝΗΦΟΡΩΙ
ΚΗΠΟΦΥΛΑΚΙ. ΚΛΕΠΤΟΜΑϹΤΙΓΙ
ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ. ΚΑΙ. ΕΥΔΟΚΙΑΣ
ΧΑΡΙΝ
ΛΑΜΨΑΧΙΩΝ ΚΟΙΝΩΝΙΑ.

a C. 16. *Eleu.* b *Tom.* 1. *orat. in Herc.* c *Orat. de Conc.* *T.* 2. d *Tom.* 3. e *Pag.* CC.

a *Dom. cap.* 9. b *Part.* 2. *p.* 5. c *Inf. pag.* XCV. d C. 28. *de Donar.* e C. 76. f C. 35. g *P.* 95.

Ubi

Ubi gentile nomen est *Lampſacius* (X enim pro K ponitur) Stephano omiſſum. Et ita *Lampſacii cultri* ſunt *Lampſaceni*; non ſecus ac Martiali (*a*) *Lampſacii verſus*;

Non mea Lampſacio laſcivit pagina verſu.

Hunc autem præcipuum Lampſacenorum deum eſſe, Venere & Baccho genitum affirmat Pauſanias (*b*): Λαμψακηνοὶ δὲ ἐς πλέον ἢ θεὺς τὺς ἄλλυς νομίζυσι, Διονύσυ τὲ αὐτὸν παῖδα εἶναι καὶ Ἀφροδίτης λέγοντες; *Lampſaceni eum præ cunctis diis venerantur, Bacchi & Veneris filium dicentes*: quod ultimum etiam docent Schol. Apollonii Rhodii & Diod. Siculus; non autem Strabo (*c*), ut commentatur Caſpar Scioppius. Nam is Priapum facit filium Bacchi & Nymphæ: Εἴτε τῷ λέγεσθαι Διονύσυ καὶ Νύμφης τῶν θεῶν, ὁρμησάντων ἐπὶ τῷ τιμᾶν αὐτὸν τῶν ἀνθρώπων: id eſt: *Sive venerari eum ceperunt homines, poſtquam dicebatur Bacchi & Nymphæ Deorum*, ſive, *qui erant dii*, *filius*. Ecce *Nymphæ* tantum, non Veneris mentio; niſi forte illa a Geographo ita appelletur, ut Juno apud Callimachum (*d*) Νύμφη Διός; Diana in Inſc. NYMPHA nec non mater Evandri *Nympha Mænalis* ab Ovidio I. Faſtorum. Verum tutius per *Nympham* intelligere, *Nympham Naidem* vel *Chionem*, cujus filium Priapum eſſe docet Scholiaſtes Theocriti ad Id. primum. Ceterum revocat mihi vox hæc in memoriam inſcriptionem veterem, in qua Doctiſſimus Sponius (*e*) *Nympham Napé* ſe putat inveniſſe. Exſtat ea in Indice populorum Atticæ; & inter cetera hæc verba continet; ΤΟΝ ΔΕ ΠΕΡΙΒΟΛΟΝ ΤΗϹ ΙΕΡΑϹ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΕΝ ΑΥΤΗ ΝΑΟΥϹ ΔΗΜΗΤΡΑϹ ΚΑΙ ΚΟΡΗϹ: *Les autres étoient*, ait, *dediez a Neptune, au Soleil, a Ceres, a Proſerpine, a Bacchus, a Diane, a Pluton, a l'Abondance, & a la Nymphe Napé*. Sed Νάπη ſignificat *lucum* vel *ſylvam*; dicitque Publius Licinius Priſcus Juventianus, ſe *muro ſacram ſylvam circumdediſſe*, & ἐν αὐτῇ n. ſacra ſylva vel νάπῃ fuiſſe templa Cereris, Proſerpinæ & indeque Nymphæ *Napææ* vocantur Virgilio (*f*), & in Inſcriptione antiqua apud Gruterum (*g*).

X. Inter Deos Deaſque, qui hominibus medicinam facere putabantur fuit etiam MINERVA; Latinis eam ob cauſam MEDICA, Græcis ΥΓΕΙΑ dicta; de qua multa monere poſſem, niſi viderem pleraque obſervari Joanni Henrico Meibomio ad Jusjurandum Hippocratis. Sed tamen viſum fuit ea adjicere, quæ ipſum fugerunt, ut pluribus elegans deæ cognomen illuſtretur: MEDICA igitur non modo celebratur p. Victori, ſed etiam in lapide antiquo (*h*):

MINERVÆ MEDICÆ
CABARDIÆ
VALERIA. SAMMONIA
VERCELLESIS. V. S. L. M.

Et in binis aliis apud Reineſium Virum Clariſſimum (*i*). Hanc ob cauſam alibi (*k*) MINERVA MEMOR dicitur INDULGENTIA MEDICINARUM COELIAM JULIANAM INFIRMITATE GRAVI LIBERASSE; & (*l*) CAPILLOS RESTITUISSE eandem legimus, AURESQUE ARGENTEAS illi fuiſſe ſuſpenſas. Quarum Inſcriptionum illam neſcio quare ſuppoſititiam exiſtimet eſſe Boxhornius; in hac vero quare vir doctus reſcribat INAURES; cum gentiles videantur, partes corporis, quæ ſanatæ erant ſive argento, ſive alia materia factas, diis in ſignum gratiarum oblatas, in eorum templis ſuſpendiſſe. Sic & MINERVÆ propter ſanatum Patrona gratiæ referuntur, in Inſ. veteri Græca

ΑΘΑΝΑΙΑ Ι ΠΟΛΙΑΔΙ
ΧΑΡΙϹΤΗΡΙΟΝ
ΥΠΕΡ. ΤΗϹ. ΤΟΥ. ΠΑΤΡΩΝΟϹ
ϹΩΤΗΡΙΑϹ

Hinc Lucianus (*a*) fingit Mercurium proclamare, ut ſinguli dii rebus ſuis ſint intenti, nec Minerva rem medicam, nec Æſculapius oracula, nec Apollo omnia curet; καὶ μήτε, ait, τὴν Ἀθηνᾶν ἰᾶσθαι, μήτε τὸν Ἀσκλήπιον χρησμῳδεῖν, μήτε τὸν Ἀπόλλω τοσαῦτα μόνον ποιεῖν, ἀλλ' ἕν τι ἐπιλεξάμενον μάντιν, ἢ κιθαρῳδὸν ἢ ἰατρὸν εἶναι: & Proclus in Timæum notat *Vaticinia & ſanationes Minervæ*, quam interpretatur ille providentiam divinam, munera eſſe: eandemque ob cauſam arbitror Alex. Magnum opera Philippi Acarnanis periculoſiſſimo morbo liberatum *Æſculapio & Minervæ ludos celebraſſe*, apud Curtium. Neque tantum ſola hæc dea, verum etiam alii, licet medicæ arti non præfuerint, *medici* fuerunt appellati. Neptunus enim in inſula, cui nomen Tenos, ὁ Ἰατρὸς cultus fuit, teſte Philochoro, quem illuſtrat Triſtanus (*b*), apud Clementem Alexandrinum, Jupiter apud Lucianum conqueritur ſe olim omnia fuiſſe, μάντιν καὶ ἰατρὸν; ſed poſtquam Apollo apud Delphos oraculum conſtituit, Æſculapius Pergami officinam aperuit &c. ipſum contemni cœpiſſe. SALUTARIS idem vocatur in Inſc. (*b*)

JOVI
SALUTARI
ULPIANUS
GRAVI. INFIRMI
TATE. LIBERATUS.

& Σωτὴρ Ariſtidi (*d*) ἐν νόσοις καὶ πᾶσι καιροῖς βοηθῶν. ISIS SALUTARIS, in alia apud Sponium (*e*) occurrit

I. S. I. P. D. M.
ISIDI. SALUTARI
PRO. SALUTE. Q. VERGILI
MODESTI. CASSIA. MAT.
V. S. D.

quod cognomen etiam apud Gruterum (*e*) exſtat; quanquam inficias ire nolim, eam ob aliam cauſam, v. c. quia navigantium curam gerebat, ita poſſe appellari. Sic & SILVANUS SALUTARIS in Inſcr.

SILVANO. SALUTARI
L. MANLIUS. SATURNIUS
EX. VISO. POSUIT.

qui & ita vocatur in alio lapide apud Donatum l. 3. Ro. Ant. Et magnæ Matris effigies in pulcherrimo æreo nummo Fauſtinæ Antonini Pii filiæ, cum hac epigraphe MATRI DEUM SALUTARI, Leonibus inclyta conſpicitur, teſte Claudio Menetreio in Expoſitione Statuæ Dianæ Epheſiæ. Quin & Hercules medicinam Meſſanæ exercuit; οὗτος δὲ, ait Ariſtides (*f*), ἐν Μεσσήνῃ τῆς Σικελίας νόσων τε ἁπασῶν ἐκλύεται; indeque *Æſculapius*

a *Lib. 9.* b *Lib. 9.* c *Lib. 13.* d *Hym. in Del. 7. p.* XXXIX. f *N. 174.* g *L. 4. Geor. 1.* p. MLXXIV. h *Inſ. 3. p.* MLXVII. i *Inſ.* 81. & 98. k *Claſ.* XI. *pag.* LXXXI. l *p.* MLXII.

a *In Deor. Conc. f.* b *T. 2. p. 411. T. 3. p. 374. In Icar.* : *p.* MLXV. d *Orat. 1.* e *Arg. Ign. D.* f *Inſ. 15. pag.* LXXXIII.

cognominatus est. Idem; *Quod si vera est Thasii seu Macedonis hospitis opinio, qui pæanem a me compositum visus est sibi quondam canere, cui accinebatur* Ἰὴ παιὰν Ἡρακλὲς Ἀσκληπιέ, *Io pæan Hercules Æsculapi, pulchra erit ista quoque Callinici* (1. Herculis) *cum Servatore* (1. Æsculapio) *conjunctio*. Sed ut tandem ad Minervam redeam, cognominatur illa CABARDIA, a loco, uti arbitror; unde & alibi, GABARDIACENSIS appellatur (*a*);

MINERVÆ.
CABARDIACENSI
MARIA. C. MARI
UMBRONIS F.
V. S. L. M.

Qui tamen locus num in Italia fuerit, quia Trebiæ & Placentiæ lapides inventi; an vero alibi; ac inde in Italiam illatæ Inscriptiones istæ sint, numque aliis auctoribus memoretur, fateor me ignorare; nisi quod videam Doctiss. Reinesium NABAPΔH huc, nescio quo jure, referre, in Inscript. vetustis.

XII. Gruterus (*b*) inscriptionem e Pinelli schedis exceptam & elegantem edidit:

FLAMMA. SIC. VIX. AN. XXX
PUGNAT. XXXIIII. VICIT. XXI
STANS. VIIII. MIS. IIII. NAT. SRVS
HUI. DELICATUS. COARMIO. MERENTI. FECIT.

Thomas Reinesius (*c*), vir Doctissimus pro SIC. leg. SEC. & exponit SECUTOR. PUGNAT ipsi est *pugnavit*, vel *pugnarum* NAT. SRVS, *natione Syrus*; ex HUI. facit HUIC: additque DELICATUM etiam fuisse e grege Secutorum, non secus ac Flammam, & inde se COARMIONEM appellare. Hæc quamvis omnia probem, restare tamen præcipuum arbitror, quare n. addatur STANS VIIII: quod mihi equidem elegans & significare videtur gladiatorem hunc novies *stantem* vicisse. Secutorum, ut docti docuerunt, arma fuerunt gladius, clypeus & galea; eos Artemidorus scribit ἀεὶ διώκειν, *semper insequi*; & Isidorus Secutorem *ab insequendo retiarium* censet esse dictum. Is igitur STANS PUGNAT qui non insequitur alium, qui immobilis stat, nec mutat locum; adversariique ictus vel corpore eludit vel clypeo avertit, vel illi in eodem loco manens alios infert; quam pugnandi rationem non ineleganter nobis ob oculos ponit Auctor carminis ad Pisonem;

Arma tuis etiam si forte rotare lacertis,
Inque GRADU CLAUSIS *libuit* CONSISTERE MEMBRIS,
Et vitare simul, simul & captare petentem.

Nam & ita de vera militia loquebantur; unde *statarius miles*, & *hostis gravis armis statariusque* apud Livium occurrunt; qui scilicet, ut cum Plauto loquar, non cedit loco, sed *statim rem gerit*. Græci ejusmodi pugnam in qua scilicet scuto & gladio res geritur, σαδίλω appellant, camque opponunt jaculationi, quemadmodum ex Homero (*a*) ac Apollonio Rhodio (*b*) constat; nisi tamen quis censeat, præcipue apud Homerum σαδίλω denotare *prælium pedestre*; non secus ac apud Nicolaum Damascenum (*c*): Δεινὸς ἦν καὶ θῆρας αἱρεῖν, ἐν σαδίᾳ τε μαχῃ καὶ ἀπὸ ἅρματος καὶ ἵππου μάχεσθαι; *Adhæc in venatu feras interficere, pedestri equestrique pugna, ac de curru dimicare promptissimus habebatur*: Et ne dicam *statariam comœdiam* opponi *motoriæ*, & esse eam, quæ non multo motu atque discursu peragitur, quæ actores, ut Cicero in Bruto loquitur, habet *statarios*, *characteremque*, teste Donato, *statarium*; idem Græci elegantissime mercatores, qui nunc in hanc, nunc in illam urbem, mercium vendendarum causa commeant, πλανήτας; eos qui in una urbe manent σαδιαίους nominant: Themistius (*d*); τίνι οὖν με τῶν ἀλλακτικῶν ἐγγράφουσιν, οἱ κατήγοροι; μῶν τῷ πλανήτῃ ἢ τῷ σαδιαίῳ: *Cuinam igitur eorum, qui in commerciis versantur artificum me mei accusatores adscribunt; vagone illi atque oberranti, an in urbe commoranti*; uti optime reddit Dionysius Petavius. Inde in marmore sequitur MIS. IIII. quo significat Delicatus Flammam quatuor missum esse & rude donatum, adeo ut pugnaverit per vices quatuor & triginta; iisque vicerit XXI. stans VIIII. & missus fuerit quater; qui numeri in unam summam redacti priorem exprimunt. Erat autem laus athletæ insignis, semper rectum stetisse, nec unquam cecidisse; Græcique tales Ἀπτώτους vocabant, uti docet Reinesius (*e*) ad Inscriptiones antiquas.

a 8. *p.* LXXXI. b *p.* 334. c *Ep.* 44. *ad Daum.*

a *Il. N.* v. 314. b *l.* 1. *Arg.* c *L.* 1. *Exc.* d *Orat.* IV. e *Clas.* 5. *Ins.* 40.

GISBERTI CUPERI
DE
UTILITATE,
QUAM EX
NUMISMATIS
PRINCIPES
CAPERE POSSUNT,
DISSERTATIO.

UTILITAS
QUAM EX
NUMISMATIS
PRINCIPES
CAPERE POSSUNT.

SI qui ſunt, qui exiſtimant in certiſſimis Magnitudinis Majeſtatiſque Romanæ teſtibus, & ſplendidis æternæ Urbis, ita probæ notæ vetera numiſmata & antiqua vocare ſoleo, ſpoliis, inexhauſtum eruditionis, & omnium antiquitatum penu reperiri, in his ego nomen meum profiteor. Semper enim ſtatui, & multis haud abſque ſingulari animi lætitia exemplis edoctus ſum, nullum fere nummum a Græcis vel Romanis ſignatum eſſe, ex quo non, ſive inſcriptiones, ſive humanas figuras, ſive Deos, & Heroas, ſive urbes, ſive opera publica, & res abſque numero alias ſpectes, immenſus fructus capi poſſit. Sed non eſt conſilium mihi de his, vel de hiſtoria utriuſque populi, ex illis, tanquam certiſſimis fundamentis illuſtranda, nec de dignitatibus, magiſtratibuſve, tot titulis & honoribus Succeſſorum Magni Alexandri, & Auguſtorum Romanorum; nec de dorum dearumque nominibus, inſignibus, aris, templis, & quæ hujus alteriuſve generis plura ſunt agere. Nam quamvis ejuſmodi res immane quantum inſerviant cognoſcendæ veræ antiquitati & genuinæ, majus tamen & auguſtius, intentatumque aliis forte molior opus: ſedetque docere, ſi modo quid in me artis & induſtriæ eſt, ex priſca hac ætatis memoria plurimum poſſe te proficere, qui ſummæ reip. admotus es, & cujus pectus tam præclararum rerum inſedit amor; vel SALUTAREM MONETAM magnum momentum adferre, ad formandum recte CONSERVATORIS & ORBIS & URBIS SUÆ animum (*a*). Hic dabitur tibi multorum exemplorum in illuſtri poſita monumento documenta intueri; hic tibi tuæque Reip. quod imiteris capies; hic fœdum inceptu, fœdum exitu, quod vites. Ut enim Q. Fabio Maximo, & P. Scipioni, majorum imaginibus viſis, animi vehementiſſime accendebantur ad virtutem, menteſque ſuas præclariſſima Romanæ Reip. lumina cogitatione tam excellentium hominum conformobant: ut Tullius Paeto proponit eaſdem virtutis incitamentum & præmium gloriæ; ut C. Julio Cæſari Gadibus Herculeis Alexandri ſtatua ſtimulos ſubjecit; ut tandem Themiſtoclem quieſcere non ſinebant tropæa Miltiadis; ita ego nullus dubito, quin ſpectatis tot OPTIMORUM Imperatorum, Regum, Principum, Legiſlatorum vultibus, flamma gloriæ in pectore tuo creſcat; ſimulque viſis tyrannis, peſtium generis humani & publici doloris triſtium ſpeculorum flagitiis ſceleribuſque exhorreſcas. Ut autem gentiles, ſpurciſſimæ licet caligini immerſi, nihil fere publicæ vel privatæ rei aggrediebantur, niſi adhibitis diis; ut PIETATEM ſuam deo, cujus numini majeſtatique præ reliquis erant devoti, vel aris, ſacrificiis, inſtrumentiſve ſacro cultui dicatis, teſtabantur Cæſares; ita procul dubio fateberis verum Deum ΠΑΝΔΗΜΟΝ, SOSPITATOREM, TUTATOREM, SALUTEMQ. HUMANI GENERIS primas ſibi partes depoſcere; nec ſecurius te Reip. navem cujus ad clavum ſedes, quam hoc AUSPICE & COMITE gubernaturum. Sic Pertinax, Macrinus, Pupienus, aliique Impp. fatentur ſe auguſtum faſtigium & imperium, cui totus terrarum orbis faſces ſubmiſit, debere PROVIDENTIÆ; ſic QUIETEM ſuam illi tribuunt Diocletianus & Maximianus Chriſtiani nominis internecivo odio ardentes, eleganti ſcriptura, PROVIDENTIA DEORUM QUIES AUGG. ſic ipſa in Conſtantini nummo ſedet, virgamque in globum intendit, ut conſtaret, tellurem, non tam ab Imp. quam a Deo regi. Exclude igitur, Chriſtiane, neceſſitatem, quam Mileſius Thales omnia ſuperare affirmat; exclude Diocletiani FATA VICTRICIA, quibus ipſos deos, atque adeo JOVEM O. M. alligabant; exclude cæcam & humanarum rerum dominam, legibuſque ſolutam FORTUNAM; exclude Epicuri peſtiferum placitum, quo deus compreſſis manibus ſedet, nullarumque rerum tenetur cura, præterquam nectaris & ambroſiæ; & damna tandem omnes qui deum vel nullum eſſe, vel non curare humana eructant. Deus enim CONDITOR & STATOR mundi, te primum in locum provexit; & ſummo honore circumdedit; ſique forte tibi imponit prava perſuaſio, & ferre illi acceptos titulos damnata animi pervicacia dedignaris, nec tam ſerenæ Majeſtatis immenſas vires, nec tuam ipſe perſpicis obnoxiam naturam. Convincet certe te numiſmatis Impp. ethnicorum inſcripta DEORUM PROVIDENTIA, vel ΠΡΟΝΟΙΑ; & ſi hæc mutare te in melius non poteſt, convincent te per metalla ſua Chriſtiani Auguſti. Ut enim olim Reges, qui comiter colebant majeſtatem Romani imperii, ſuis & Cæſarum vultibus ſignabant nummos (cujus rei illuſtria documenta ſunt Auguſtus in Rhœmetalcis & Cotys Thraciæ, Mar. Aurelius in Abgari Edeſſæ, Juſtinianus in Athalarici, Anaſtaſius in Thelæ Gothorum regum auro & argento) ita illi meliori proculdubio jure, vel cruce, vel Chriſti nomine, vel effigie, accepto a Juſtiniano Rhinotmete more, metalla ſignarunt; ut REGI REGUM, RECTORI REGENTIUM diademata ſua deberi, a deo ſe eſſe coronatos, quo titulo Juſtinianus, Michael Ducas Angelus Commenus, Ludovicus Pius, aliique inſignes ſunt, non tam ſe quam CHRISTUM regnare, & ſe tandem CHRISTI SERVOS eſſe cum Juſtiniano faterentur. A Deo igitur Reip. admote, eum ſancte e-

a *Liv.*

tiam cole, caſte adi, atque illi prima ſemper officia deberi exiſtima. PIETAS AUGUSTI, RELIGIO AUGUSTI, licet Mercurio vel Dianæ, vel aliis ementitis numinibus devota, totidem tamen ſtimuli ſint ad ſarta tecta ſervanda dogmata, quæ Chriſtus, Verus ille RESTITUTOR GENERIS HUMANI, ut titulum Gallieni huc advocem, juſſit, & ſanguine ſuo ſanxit, ac rata fecit. O quam pulchrum, quam eximium, quam regium cum malo licet Principe Commodo nominari AUCTOREM PIETATIS? O quam ſplendidum & magnificum cum Hadriano poſſe teſtari SACRA eſſe RESTITUTA! O auream & Imperatore dignam ſententiam TIBI SOLI REX REGNANTIUM! Hanc olim in auro, Chriſti effigie inſigni, ſcripſit Leo Flavius Iſaurus; ut illum publice proclamaret omnium auctorem beneficiorum, & abjectis ejuratiſque humani ingenii commentis, repudiata Martyrum, Confeſſorum, & Sanctorum ſuperflua veneratione, ſolum Deum, cujus omnia plena ſunt, cujus per omnes terras tractuſque maris cælumque profundum præſentiſſimum fertur numen, abſque interpretibus, abſque primæ, ſecundæ, tertiæ & interioris, ut ſic loquar, admiſſionis amicis, prout ſanxerant anilia philoſophorum gentilium placita, colendum eſſe providentiſſime ſtatueret, doceretque quotidiano uſu cives ſuos. Si igitur tanti habita ethnicis PIETAS adverſus Deum, ut ea nummos percuſſerint; ſi Apoſtolus Paulus laudare non dubitat aliquo modo Athenienſium in diis colendis ſtudium; ſi Eccleſiæ non minimum lumen Auguſtinus, auctum a Deo credit Romanis imperium, quod cordi illis eſſet, quamvis falſa religio, ſummumque hominis officium etſi non re, ipſo tamen propoſito tenerent; Si Geta SECURITATEM IMPERII adſcripſit aræ ignitæ; ſi denique PIETATE ſublata fidem ac ſocietatem generis humani, & unam excellentiſſimam virtutem tolli neceſſe eſſe judicaverit ſummus & Conſul & Orator, quanta cura tibi, cui ſumma in tanta luce Deus judicium, reliquis obſequii gloria relicta, dedit, vera religio, quæ omnium rerum ſcaturigo eſt, ex qua pendet FELICITAS civium, mercium abundantia & SÆCULUM FRUGIFERUM, uti vel per ſuam PIETATEM in nummis Antonii cornucopiæ tenentem teſtantur gentiles, fovenda eſt & excolenda? Magna te non modo commoda, verum etiam laudes ſequentur immenſæ; perſonabuntque uno ore omnes per te ſe vivere, per te navigare, SALVO te SALVAM fore patriam, nihil te RECTORE Reip. triſte accidiſſe; & denique te re vera θεοφιλῆ, quo præclaro titulo poſt Crœſum alii reges ornantur, eſſe. Nec dubito, quin te inflammaturus ſit PONTIFICIS MAXIMI ſplendidus honor, quem ſe geſſiſſe nummis teſtatur Chriſtianus Imperator. Poſtquam enim fato conceſſit Lepidus; exemplo Auguſti omnes fere Impp. in nummis non modo MAXIMOS ſe appellarunt PONTIFICES, verum etiam multa fecerunt pro ſacroſancta poteſtate. Conſtantinus inde, cui merito convenit in aliorum Principum fabuloſa ave Phœnice deſignata FELIX TEMPORUM REPARATIO, & quæ ipſius in nummis fulget, CLARITAS REIP. quia primus Auguſtorum calcato dæmonum cultu, & relictis craſſis perpetuiſque quaſi tenebris, cælo miſſam Veritatis lucem amplexus fuit; Conſtantinus (a), inquam, UBIQUE VICTOR, & communis, nec ulli regioni alligatus epiſcopus, ſe PONTIFICEM MAXIMUM dixit; illumque alii imitati ſunt uſque ad Gratianum Principem, cui propter debellatos Alemannos non immerito tribuitur, REPARATIO REIP. Atque ut Chriſtiani Auguſti leges de Religione, Sacris, Epiſcopis, diebus feſtis, hæreticis tulerunt; ut indixerunt concilia; ut iis præſiderunt, & illorum placita ſanxerunt; ita tu VERE PONTIFEX ejuſmodi inſiſte veſtigiis; & utrumque ſacrum fœdus, veluti certiſſimam normam ſequens, CHRISTI DOMINI DEIQUE NATI, ac humana præcepta non minus in ſua, quam Judaica olim gente damnantis, voluntatem & leges tanquam φιλόγειςος RECTOR amplectere; & adhibitis ſacris Codicibus, primæ & ſanguine divino quaſi reſperſæ Eccleſiæ doctoribus, piis omnium judicio & doctis abſque controverſia ſæculi tui viris, ſi quæ hæreſes naſcantur, quantum Reip. ſalus patitur, exſcinde & reprime. Ita igitur animatus capeſſe tuto Remp. & comitabitur te proculdubio SAPIENTIA PROVIDENTISSIMI PRINCIPIS Conſtantini; id eſt, prudentia tam pace quam bello remp. bene gerendi; teſtabunturque cives, tibi convenire celebratum principis ingeniorum & doctrinæ Platonis dictum, *Beatum fore terrarum orbem, cum aut ſapientes regnare, aut reges ſapere inciperent*; ipſiuſque viri venerandum & auguſtum vultum æquo jure tuis quam Auguſti, quo duce talem cenſuerunt ſtatum fuiſſe impoſitum orbi terrarum, metallis inſcribent. Dabitur ita navem Reip. ipſis in ſæviſſimis tempeſtatibus atque procellis regere; dabitur, inter infeſtos minanteſque ſcopulos verſeris licet, evadere; dabitur eam inſtar Trajani & Severi Alexandri a belluis & monſtris liberam quieti & portui reddere feliciter. Atque hanc prudentiam, ut uſu longo comparare ſæpe obvium, ita intereſt civium ipſis ab initiis ea te præditum eſſe; parabiturque facili opera per exempla memoriæ veteris, & evolvendis tot clariſſimorum virorum rebus geſtis. Minervæ ſacrata avis in Domitiani, Nervæ, Trajani, & Conſtantini Nummis; ipſa dea cum Muſarum præſide APOLLINE, & HERCULE MUSARUM hanc viam quaſi præſcribunt & inculcant. Ariſtoteles doctor inclytus & apex Philoſophorum, quique unus optime perſpexit quid in cognitione rerum ſalubre ſit & frugiferum, ALEXANDRO ſuo auctor eſt evolvendi alacriter majorum res geſtas. AUGUSTUS ex utriuſque linguæ auctoribus præcepta publice & privatim ſalubria excerpit, atque ad RECTORES provinciarum aut urbis magiſtratus mittit: Baſilius Leonem filium hortatur, ut nunquam hiſtoriam veterem de manibus deponat; & ita proculdubio paribus ſuffragiis damnarent ferocitatem Gothorum procerum, qui convitiis lacerare non dubitarunt Theodorici regis conjugem Amalaſuntham, quod Athalaricum filium & in ſpem florentis regni genitum, Romanis imbueret Græciſque litteris. Hac PIETATE, hac SAPIENTIA ſuccinctus, arripe etiam humanam PROVIDENTIAM; & quod maximum, dignumque ſemper ÆTERNA MEMORIA opus eſt, corpus imperii ab hoſtibus redde tutum, & exſtrue cum Diocletiano, qui non dubitat hanc curam PROVIDENTIAM vocare, munimenta. SALUTEM PROVINCIARUM Rhenum, SALUTEM REIP. DANUBIUM appellant Poſthumus & Magnus Conſtantinus; SECURITATEM PUBLICAM Euphratem forte, certe fluvium Rex Regum HANIBALLIANUS; ſignificantque iis arceri hoſtes, fluminaque non minimi momenti propugnacula eſſe. Hoc conſilio D. Auguſtus conſtitutam Principis nomine Remp. mari Oceano aut amnibus longinquis ſepſit; Hadrianus (nam quam alii invidiam dicunt, quid vetat vocare PROVIDENTIAM?) medium inter Perſas & Romanos abdicata Meſopotamia Euphratem currere juſſit; exemplumque nuper triſte patria fuit, cum Rhenus per nudas quaſi arenas fluens, & aquis orbata foſſa Druſi, Gallos in viſcera ejus admiſit; & murus ille immor-

a *Euſeb. l. 4. cap. 24. de vita Conſt.*

talis, liceat ita cum Nilo Rhenum vocare, SALUSQ. olim PROVINCIARUM tunc SALUTEM PUBLICAM fere perdidit. Ut enim ante aliquot sæcula divisus ad principium agri Batavi veluti in duos amnes Rhenus, qua Arenacum, Vadam, Trajectum, Castra Albiniana, & Lugdunum prævehitur, omnem traxit aquarum molem; & qua ripam Gallicam Vahalis radit, licet latior, placidior fluxit tamen; ita nunc hujus violentia formido & horror accolarum est cursuique rapidissimo vix objecti magnis sumptibus aggeres resistunt; ille ægre undas suas propellit; sive eam calamitatem introduxit arenis vallatum prope armamentarium Romanorum Rheni ostium, sive fossa Drusiana, patris sui, ut sic loquar, undas intercipiens, sive fossa Corbulonis, media inter Lugdunum Batavorum & Mosam fluens, sive Lecca, vel alveus, in quem disjectis molibus Rhenum, effudit Cl. Civilis; sive quod omnia mutare amat tempus. Sed sentiret ipse cum terris, quas ambit, nunc captivitatem suam RHENUS, pœnasque lueret dati TRAJECTUS, nisi ægre Reip. singulari Dei INDULGENTIA datus foret IMP. TERRA MARIQUE OPTIMUS, idemque LIBERATOR PATRIÆ, & CONSERVATOR REIP. quem omnibus, quæ RECTOREM ex nummis formant, dotibus, ornatum esse non sine insatiabili gaudio adspicimus & miramur. Verum ut ad propositum revertar, RESTITUTOR EXERCITUS, Probus, RESTITUTA LEGIO Aureoli; EXERCITUS BRITANNICUS, GERMANICUS, ILLYRICUS, DACICUS limites muniendos firmis præsidiis; legiones justo milite, non, sine exercitus robore, numero explendas esse te docent: NERONIS DECURSIO optimum militem exercitatum, proculque ac castris habendos, qui, ut Æmilius olim Paulus disseruit, in conviviis exercitus ducunt, ubi castra locanda, quæ loca præsidiis occupanda sint sciunt, testatur; DISCIPLINA tandem Hadriani & Antonini Pii suadet (a) summum tuum munus militem continere; disciplinamque militarem præcipuum decus & stabilimentum esse imperii, atque in ejus sinu ac tutela serenum tranquillumque beatæ Reip. statum acquiescere. Reddita rep. ab hostium injuriis & minis tuta, rebusque ad eum modum compositis, ut si bello lacesseris, superesse tibi vim & voluntatem palam sit resistendi, ad reip. membra viva id est cives, quorum ipse consilium, mens, & spiritus vitalis es, animum applica; utque PIETATEM erga Deum, ita amplectere JUSTITIAM erga homines, dominam illam & reginam omnis virtutis; & quæ sola bonorum virorum titulos donat, quæ bellum internecivum vitiis indicit, quæ pestem humani generis injustitiam domat; & ipso quasi nomine te hortatur; *Honeste vivere, alterum non lædere, & suum cuique tribuere.* vel *βουλεύειν καλῶς, κρίνειν ὀρθῶς καὶ πράττειν δικαίως, bene consulere, recte judicare, & juste facere*; unde olim Minervam sapientiæ deam, *Tritonida* dictam esse affirmabat Democritus. Atque ut Jovi JUSTITIA adsidere, vel ipsa Jupiter esse fingitur; ita perpetuus comes tibi & adsessor sit; exemploque Augusti potentiam tuam instar boni RECTORIS virtute hac, absque qua nec mundus, nec urbs, imo nec exiguus hominum cœtus regi potest, temperantis JUSTITIAM in æde mentis tuæ colloca. THEMIDIS olim, id est, JUSTITIÆ nonnulli statuam ferri jusserunt in concionem; sed pulcherrimi facinoris auctor eris, si illi te ipse substituas, ostendasque te jure culto, & partium dictis revocatis ad examen, vivam THEMIDIS statuam, vel, si mavis, templum esse. Sic memoriæ proculdubio inscribes æternæ, Ægyptios, dedicatis apud Thebas centumgeminas simulacris judicum manibus carentium, eorumque principe oculis in terram dejectis, significare judicem te nec blandis alloquiis, nec donis, nec litigantium personis aliquid tribuere debere. Sic aberit omnis falsa lis, atque aliena invadendi rapiendique tetra ac feralis libido. Sic ut FISCI JUDAICI CALUMNIAM SUSTULIT D. Nerva, ita tu turbam gravem paci, pessimum genus hominum delatores, veluti piaculares publicæ sollicitudinis victimas cum Trajano dabis tempestatibus, & Domitiani aurea verba animo inscribes, *princeps qui delatores non castigat irritat*. Sic HONOR ET VIRTUS Galbæ & Vespasiani latera cingent tua; neminem nisi vel toga vel sago benemeritum provehes; verissimum Platonis placitum, *Remp. duabus rebus contineri præmio & pœna*; nec non Antisthenis verbum esse censebis; *nullam rem citius civitatem pessum dare, quam neglectum bonorum & malorum discrimen*. Ut enim, cujus benigna luce recreamur, Sol iisdem radiis cœnum durum reddit, & ceram liquidam, ita eadem dextra, digna bonis præmia, pœnas impiis repende; ut umbra corpus, quamcunque se in partem flectit, sequitur, ita honor VIRRUTIS perpetuus sit comes; utque Romæ nemo templum Honoris ante calcatam potuit ingredi ædem Virtutis, ita non nisi bene meritos honoribus extolle atque exorna. Tot hinc Syriæ, Ægypti, Parthiæ, aliarumque terrarum reges SOTERES & EVERGETÆ, quid aliud te divinos istos titulos veluti speculum inspicientem docent, quam ut nobilissimo ardore mentis, & clarissimo animi impetu feraris ad Augusti & aliorum Impp. Augustum symbolum OB CIVIS SERVATOS; habeasque semper ante oculos Titi Vespasiani memorabilem vocem, qua usus est, cum in neminem vel uno die fuisset beneficus, *Amici, diem perdidi*, sive, ut loquitur Theodosiani temporis, & oris diserti orator; *τήμερον οὐκ ἐβασίλευσα· οὐδένα γὰρ εὖ πεποίηκα?* Digna sane sententia, quæ non argenteis, non aureis, sed adamanteis litteris scripta palatii tui frontem exornet; nec quicquam magis te inflammare debet ad gloriam SERVATORUM CIVIUM, & splendidum titulum EVERGETÆ, quam tanti Impp. quorum alter PACEM ORBI TERRARUM dedit; alter diem perdit, se purpura & imperio exit, quando beneficium collocavit apud neminem. CLEMENTIA igitur, quæ in Vitellii & Albini nummis conspicitur, quæ PIETATIS nomine venit; quæ tam excelso ponitur loco, ut ob eam Antoninus PIUS vocatus sit, & Poeta non dubitet canere;

> *Sis* PIUS *inprimis: nam cum vincamur ab omni*
> *Munere, sola deos æquat* CLEMENTIA *nobis*,

te summopere decet; felixque eris, si tua illustrat tempora, CLEMENTIA TEMPORUM, quam Tacitus adhuc sibi vindicat hodie. Sic CLEMENTIA in Vitelli, & C. Julii Cæsaris ante se habens olivam paciferam, & ΚΡΑΣΙΣ cernitur in Othonis nummis, MODERATIONISQUE ac CLEMENTIÆ famam usque adeo affectavit Tyberius, ut tam illustribus symbolis æra signaret (a); licet foret sævitiæ immensæ, nec eum fortuna nec solitudines protegerent, tormentaque pectoris & suas ipse pœnas fateretur. Sed ecce tibi cum PIETATE sua Matidiam Augustam infantibus manus imponentem. Quid quæso illa aliud ob oculos ponit inspicienti, quam summum decus tuum esse, curam pauperum & pupillorum seriam habere? D. Augustus egenis, minoribusque XI. annis pueris con-

a *Valer. Maxim.*

a *Tacitus.*

giaria dedit frequenter; Nerva PLEBEI URBANÆ FRUMENTUM CONSTITUIT: Trajanus ALIMENTA ITALIÆ dedit; Hadrianus adjecit incrementa piæ liberalitatis, idque HILARITAS comitata binis infantibus, cornucopiæ & palmam tenens videtur significare; Antoninus Pius PUELLAS FAUSTINIANAS, M. Antoninus NOVAS instituit; & te exemplo suo quasi incendunt ad colendam PITATEM omnibus laudatam gentibus. ÆTERNA certe nomen tuum sequetur gloria, si non alimenta modo statuas pueris puellisque, sed eos in uno etiam loco alas. Jam enim inde ab infantia parentem te publicum experientur, discentque ipsi agere crescendo bonos cives; & splendidam hanc LIBERTATEM tuam, non modo in viros transcripti dignis celebrarunt laudibus; verum si forte ingrati animi veneno fuerint afflati, nec voce laudare velint nunquam satis laudatam INDULGENTIAM; compositi mores, vera pietas, ipse denique incessus loquentur, te cum Nerva parvulos recipientem foventemque veram esse TUTELAM, ut hoc nomen omni alii regioni aptem, ITALIÆ. Istam in alios cives PIETATEM Hadriani LIBERALITAS; Augusti Trajani Severi CONGIARIA; Galbæ QUADRAGESIMÆ REMISSÆ; Hadriani RELIQUA VETERA HS. NOVIES ABOLITA, & VEHICULATIO ITALIÆ REMISSA; Tiberii CIVITATES ASIÆ RESTITUTÆ, hodie etiamnum celebrant, & te veluti admonent, miseris & egenis auxilia ferri civibus deberi, vectigalibus, si modo temporum patitur conditio, populum atterendum nequaquam esse. Et ut tot præclari vultus ad LIBERALITATEM, INDULGENTIAMQUE calcar addunt, ita iidem populum accendent ad liberali manu, & benevolo animo subveniendum Reip. cum sciant & CHRISTUM olim viso Tiberii numismate, sycophantis Judæis dixisse, *Date Cæsari quæ Cæsaris sunt*; & quotidiana experientia doceat, neque quietem gentium sine armis, neque arma sine stipendiis, neque stipendia sine tributis posse haberi. (*a*) RESTITUTA insuper MONETA & ÆQUITAS AUGUSTI lances æquas tenens, quid suadet aliud, quam non modo in rebus omnibus, verum etiam in ponderibus & mensuris, quæ falsa Deus ipse pœna, quam impiis in parentes inflixit, sancita abominatus est, servandam; teque acerbum MONETÆ, quæ quam gravissimum bellum plus nocet propter divortia commerciorum, adulterina, exactorem esse debere. Sic cum novas deterioresque nummorum formas invenisset Heliogabalus, eas omnes dissolvit Severus, & ob præstitum tam singulare orbi Romano beneficium RESTITUTOR MONETÆ audiit; tantique hujus rei cura momenti semper visa est, ut Numerianus SACRAM nummis inscripserit MONETAM. Sed præcipue, quantum conniti animo potes, quantum labore contendere, fac ut similis sis legum, quæ ad puniendum non iracundia, sed ÆQUITATE ducuntur; & cum causam vel rei vel actoris æquam esse judicas, Curionis, *vincat utilitas*, veluti certissimam pestem fuge. Hæc ÆQUITAS jubet, ut non modo alteram partem audias, verum ponas etiam amici vel inimici personam, postquam induisti judicis; sique forte plures in Rep. ordines sint, commoda eorum defendas, non divellas; atque omnes eadem contineas ÆQUITATE; quam summam rationem & sapientiam Solon olim secutus, tanto temperamento egit, ut ab utroque ordine parem gratiam referret. Atque hic est ubi locum sibi PATIENTIA, si modo ita explicanda, Hadriani deposcit; quippe quæ docet audire omnium desideria magnæ ÆQUITATIS & indolis, fastidium & iram infra te esse debere. In CEREREM hinc, UBERITATEM & ANNONAM AUGUSTI tanquam speculum, inspice; & magnam PROVIDENTIÆ humanæ partem esse existima, alimenta populo curare pretio salubri; & simul civibus tuis tribue DONA GALLIENI. Mercurius est, comitatus cane, crumenam gerens & caduceum; illudque ænigma procul dubio complectitur munimenta reip. nervos belli, HILARITATEM & FELICITATEM TEMPORUM, vel, ne te diutius suspensum teneam, pacem & mercaturas: pacem caduceus, mercaturas Mercurius negotiationibus lucrisque præpositus Deus, (*a*) NEGOTIATORQUE eam ob causam & CENSUALIS dictus, crumena lucrum & divitias, canis vigilantiam designant; docentque ut mercatorum propria est vigilantia, utque illi lucris licitis (neque enim aliorum auctor esse potest deus) rem augent optime; ita tuum esse munus, pacem civibus largiri; atque in id unum præcipue incumbere, ut in viscera Reip. orientis atque occidentis gazæ, Erythræi & Glacialis Oceani splendida advehantur spolia; & deportentur in omnes terras. Beneficium populo R. ab Augusto, QUOD VIÆ MUNITÆ SUNT, præstitum; VIÆ MUNITÆ Claudii; VIA TRIANA, VIA ROTABILIS ejusdem; NILUS in Adriani, MELES in Sabinæ nummis cornucopiæ tenentes, in quam rem enitendum tibi sit, ut commercia floreant, clarissime docent. Beabis scilicet remp. tuam, si singularem viis in regionibus terrestribus curam, singularem portubus, (cujus curæ insigne exemplum est PORTUS OSTIENSIS AUGUSTI Neronis, & PORTUS TRAJANI, quo OPTIMUS ille & PROVIDENTISSIMUS PRINCEPS accessum Italiæ tutiorem ex sua pecunia reddidit navigantibus) singularem, inquam, portubus in maritimis adhibes; & manibus pedibusque anniteris, ut fluvii navigabiles non modo SECURITATEM PUBLICAM, verum etiam præstent parvis sumptibus omnium ABUNDANTIAM rerum. Ita disposito & ordinato reip. statu, optimo jure nummis inscribes SÆCULI FELICITATEM; vel figuram tenentem caduceum & cornupiæ, vel Fortunam puerulum blandientum genubus habentem impositum. Interioris enim hæc ænigmata sensus sunt, quam prima apparet fronte. Nam quemadmodum caduceus & cornucopiæ designant pacem, quæque ex ea originem suam habet, omnium rerum, quibus utimur & fruimur, copiam; unde & olim Cephisodorus Athenis fecit simulacrum Pacis tenentis Plutum; ita (*b*) FORTUNA SALUTARIS, vel, ut relictis gentilium nugis loquar, DEUS OPTIMUS MAXIMUS, qui vere humanarum rerum regimen obtinet, tribuet non Plutum a Fortuna gestatam, qualem olim Xenophon Atheniensis & Callistonicus Thebanus fecerunt, verum opes atque gazas civibus tuis, adjicietque Hadriani in nummis laudatam BEATAM TRANQUILLITATEM. Quod si forte exemplo tot Augustorum consortem imperii existimes e Rep. esse; CARITAS MUTUA, PIETAS MUTUA, AMOR MUTUUS, CONCORDIA AUGG. vos inflamment ad amplectendam tanti momenti & reip. utilissimam virtutem. Ut enim nec quod nos tegit cœlum, nec quam calcamus, terrra, absque concordia, quam semel jussit & præscripsit Deus, stare potest, ita nec regnum sine ea neque resp. Jam olim Numidarum Rex Micipsa (*c*) filios monuit, CONCORDIA RES PARVAS *crescere*, *discordia maximas dilabi*; sententiæque illi multum se debere jactavit Augusti gener Agrippa. Hinc CONCORDIA gubernaculum tenet, quia ut navis absque eo, ita nec resp. absque concordia regitur; tenet cornucopiæ, ut ostendat, sese præstare abun-

a *Tacitus*.

a *Inf.* 5. b *Inf.* c *Sall. Sen.*

abundantiam, fontemque esse certissimum & scaturiginem omnium rerum quas cives jure sibi deposcere queunt. Mente tam divinis quam humanis artibus instructa præditus, tot præclarissimis dotibus ornatus, quid non præstabis civibus tuis? SÆCULUM proculdubio FRUGIFERUM & FECUNDITATEM Albini; LÆTITIAM FUNDABIS cum Tacito; OPTIMUS PRINCEPS cum Trajano & Severo; AMPLIATOR CIVIUM audies cum Pio Antonino; omnibusque regionibus ADVENTUS tuus, ut Severi Septimii, erit FELICISSIMUS; ac ni caliginem veterem, sordidasque superstitiones, pretiosissimo sanguine suo delevisset Christus, ADVENIENTI tibi aras incenderent, vina funderent, & thura primis digitis sacræ injicerent flammæ. Nihil erit, quod te loco movere, vel imperium concutere queat. Si bella oriantur, & male fidos vicinos times, LEGIONES RESTITUTÆ, PIETAS, FIDES, CONCORDIA MILITUM, VIRTUS EXERCITUUM, limites singulari PROVIDENTIA muniti regiones tuas facile tutas præstabunt. Bella sume, expeditionique te accinge, non AUSPICIBUS DIIS Baccho & Hercule, ut Severus, non SOLE INVICTO COMITE, ut Maximus, non HERCULE COMITE ut Maximianus, non APOLLINE PROPUGNATORE, ut Valerianus, sed GLORIA ORBIS TERRARUM, ut verissime in nummis vocatur Christus, auspice & comite; OBSEQUENTEMQUE magis FORTUNAM experieris quam Pius Augustus; MANENTEM eam cum Commodo senties, & meliori jure tibi BONUM EVENTUM spondebis quam Galba, vel Vespasianus vel Geta; habebisque tandem comitem INVICTAM VIRTUTEM Caracallæ, & Trajani VIRTUTEM ET FELICITATEM. Concipe SPEM BONAM cum Pescennio Nigro; FELIXQUE non secus ac Severi erit PROFECTIO tua: Te flumina trajicientem cum Gordiano Victoria alata, & coronas gerens, quasi jam de hostium clade certa sequetur; & victorem eadem cum Treboniano Gallo reducet; milesque spoliis hostilibus onustus, & LIBERATI CIVES celebrabunt te cum Severo INVICTUM, ingeminabuntque Jo triumphe, vel Jo SATURNALIA, qua lætitiæ nota Claudii nummi insignes sunt. Perpetuus tamen expeditionum tuarum COMES sit, non tam MARS PROPUGNATOR, quam MINERVA VICTRIX; id est, non cæco impetu, & inconsiderato, furiis quasi incitatus prælia sume; verum ardorem illum animi vigoremque corporis ratione tempera atque arte militari; facque ut non extra te positus videaris, sed in periculis etiam & ducis optimi, & militis fortissimi munere fungaris; quod longe securius esse significat proculdubio Mæonii senis Pallas pro Græcis victoribus; & ejusdem Mars ἀδάμαστος pro Trojanis stans triumphatis. Atque quemadmodum ALAMANNIA & FRANCIA devicta GAUDIUM fuerunt Constantino imperante ROMANORUM, ita debellatis ex hostibus sentiet populus tuus LÆTITIAM, & FELICITATEM Hadriani Clodiique Albini tenentem cornucopiæ ac caduceum; spondebit sibi SECURITATEM PERPETUAM & LIBERTATEM PUBLICAM (nam & sub Bono Principe LIBERTAS est, nec angustis rerumpub. terminis illa concluditur) esse a te tanquam a D. Nerva RESTITUTAM: quemadmodum præterea DACIA CAPTA, ARMENIA, & ASIA RECEPTA indicia sunt FELICITATIS TEMPORUM, ita patria defensa, calcatique hostes eandem præstabunt, & loquentur te cum Constantino UBIQUE VICTOREM, DOMITOREM, EXUPERATOREM, si non BARBARARUM & OMNIUM GENTIUM cum filio ejus Constantio, at saltem earum, quæ te bella sumere coegerant: & sic PACEM FUNDABIS, & præclara elogia titulis adscribes tuis TERRA STABILITA, PACI PERPETUÆ, quorum illud in hoc in Augusti nummis conspicuum est. Hinc igitur ubi felicior dies affulget, & dulce nomen PACIS TUÆ civium aures mulcet atque animos, inprimis VICTORI, CONSERVATORIQUE DEO gratias habe; atque ad hoc PIETATIS officium te gentilium etiam exempla incendant. Non dicam tot Romanorum duces victores, vota nuncupata Jovi in Capitolio cæsis & victimis & hostium ducibus solvisse; Trajanum mihi vide, OPTIMUM illum PRINCIPEM, qui arcum triumphalem I. O. M. inscripsit; vide mihi Albinum, qui VICTORIAM JOVIS esse testatur. Exemplum tuum populus sequetur omnis, utque S. P. Q. R. PRO SAL. ET RED. CÆS. I. O. M. VOTUM PUBLICUM SUSCEPIT, ita ille Christo vere OPTIMO, vere MAXIMO, vota non cæsis victimis, sed precibus & gratiarum actionibus persolvet. Hinc Hadriani exemplo, RESTITUTORIS urbium, quas belli calamitas afflixit, titulum para; ut ita patriam non secus ac Galba ROMAM possis vocare RENASCENTEM, & cum Vespasiano illi dicere RESURGES. Sic veluti de cœlo missum te intuebuntur omnes propter SECURITATEM, cujus auctor es, PUBLICAM & FELICEM TEMPORUM REPARATIONEM: sic non SPES FELICITATIS ORBIS cum seniore Philippo, sed ipsa FELICITAS, & cum Posthumo, propter debellatos, totidem reip. tuæ monstra, hostes, & pacem datam, HERCULES PACIFER: cum Tito amor & deliciæ, neque enim quicquam aptius ad firmandum imperium, quam diligi, nec alienius, quam timeri gentis tuæ diceris; sic denique ut Carthago se FELICEM vocat SALVIS AUGG. & CÆSS. ut Romani convaluisse credentes Germanicum gratulantes concinebant, *Salva Roma, salva patria, salvus est Germanicus*; utque in theatro quondam clamatum fuit,

Lætare incolumis Roma salvo Principe:

ita paribus gaudiorum signis illa ovabit, VOTAQUE DEO, quacunque in regione fueris, faciet PRO SALUTE, FELICI PROFECTIONE, REDITU, INTROITU: & SEN. POPULUSQ. tuus, tibi non secus ac OPTIMO PRINCIPI PIO felicibus singulorum annorum auspiciis precabitur lubens merito ANNUM NOVUM FAUSTUM FELICEM. Verum enim vero, ut PAX absque fœderibus non sancitur, ita patere, ut hæc tibi ante oculos ponam, veluti certissimum vinculum societatis humanæ. Illam igitur licet cum inferiorum longe virium hoste, licet cum diversæ religionis, imo pessimæ superstitionis hominibus percussa sit, serva diligenter. Cogita non modo FIDEM PUBLICAM designari in Vespasiani nummis per binas manus tenentes caduceum atque fruges, & ita illam causam atque originem esse PACIS diuturnæ atque ABUNDANTIÆ; verum etiam Sabinos & ROMANOS medio sacrificio pacem jungere, & Deum testem, adhibere; illum esse vindicem ultoremque scelerum ac perjuriorum, illi non hominibus imponi; illius majestatem non principis, quem fallis, dignitatem lædi. Nunquam animo pestiferum Constantiensis Concilii placitum, *Hæreticis non esse habendam fidem*, sit infixum; Barbaris, Scythis, Turcis & Tartaris, tam portentosa opinionum monstra relinque. Et licet male feriati homines te ad rumpendas leges pacis incitare conentur; tu tamen instar SOLIS INVICTI, cujus cursum nec spurcissimæ flectunt tempestates, nec horrida ventorum vis, ne flectaris unquam a recta via; illosque veluti inimica requiei tuæ & deo exosa animalia expelle. Sed ut vela contraham tandem, hæc omnia tibi JUSTITIA, ÆQUITAS, PIETAS erga cives, inno-

cens ac ſimplex animus, RELIGIO, & ille, qui in nummis conſpicitur cruci affixus cum veriſſimo elogio (*a*); ΚΟΣΜΟΥ, ΤΟ ΛΥΤΡΟΝ. ΑΙΜΑΤΟΣ. ΘΕΟΥ. *Sanguis Dei, mundi redemptio*; cujuſque femori, quem morem ſtatuæ etiam gentilium ſervant, inſcribitur REX REGUM, DOMINUS DOMINORUM, tribuet larga & liberali manu. ΕΝ ΤΟΥΤΩ ΝΙΚΑ Conſtantinus olim flammantibus ſideribus ſcriptum non ſine ſacro horrore adſpexit; nec cruci victoriam, ſed ipſi Chriſto (ut indubitata nummorum, in quibus verba illa cingunt primas Divini nominis literas, fides ſingulari teſtatur cum inſpicientium voluptate) adſcripſit; *& tranſverſa X litera ſummo capite circumflexo Chriſtum in ſcutis notavit* (*b*). Ille igitur tibi conjugique tuæ tribuet CONCORDIAM FELICEM Caracallæ & Plautillæ; huicque FÆCUNDITATEM LUCILLÆ, & Antonini Pii VENEREM FELICEM. Ille non Sol dabit ÆTERNITATEM IMPERII & PERENNITATEM Severi & Gallieni, id eſt, munimenta & ſubſidia dominationis, filios; vel PROPAGINEM IMPERII, quam Caracalla & Plautilla junctis manibus exoptant: & ut in Fauſtinæ nummo VENUS GENETRIX caduceum gerit; ita FÆCUNDITAS Auguſtæ conjugis tuæ PACEM & QUIETEM largietur civibus, reprimetque eorum conatus, quos vacua domus ad novas res agitandas impellit. Ille præterea, non Juliani Apis vel latrator Anubis præſtabit SECURITATEM PUBLICAM: ille certior quam Apollo Æmiliani vel Domitiani Jupiter, CONSERVATOR: Ille, non Capitolinus, DEFENSOR SALUTIS, SPONSORQ. SECURITATIS PUBLICÆ; Ille non Mars PROPUGNATOR, CUSTOS, & STATOR imperii; Ille vere PRÆFECTUS, repudiato Severi Jove, & vere PACATOR, Sole rejecto, ORBIS; Ille TUTATOR, LIBERATOR, INVICTUS, SOSPITATORQ. Ille non Auguſtus, non Otho PAX ORBIS TERRARUM; Ille denique, non Galba, vel Trajanus, vel Magnus Antoninus, quos ſacro titulo vane ornavit adulatio, SALUS GENERIS HUMANI, tibi dabit MEMORIAM ÆTERNAM & FELICEM Divi Conſtantini; ÆTERNITATEM Philippi apud cives tuos; facietque ut GLORIA, cujus curriculum immenſum eſt, te donet immortalitati. Hinc poſtquam tibi, patriæque ſatis vixeris, non currus Romuli, nec Conſtantini, non Antinoi gryphes vel Pegaſus, non Cæſarum aquila; ſed Angeli, beati illi Summi Numinis Miniſtri, animam humano carcere, & vinculis corporeis liberam in cœlum ferent, & ipſe, in quo SPEM PERPETUAM habuiſti, CHRISTUS, verus, ſi fas mihi ita loqui, ΖΕΥΣ ΠΑΝΔΗΜΟΣ, LIBERATOR & EXSUPERANTISSIMUS, te recipiet; CHRISTUS, quem Meſſiam eſſe in Auguſti nummis ſignatæ PAX PERPETUA, PAX ORBIS TERRARUM olivam tenens, & SALUS GENERIS HUMANI indicant aliquo modo: quia SALUTEM ipſo tempore, quo numiſmata percuſſa ſunt, miſeris & fœdiſſimo ſuperſtitionis atque ignorantiæ cæno immerſis populis attulit; Angeli dulciſſima ac divina vocum concordia in ortu DEI DOMINIQUE NATI pacem celebraverunt, & Propheta illum *Principem Pacis* fore prædixerat; *Pacis*, ſcilicet, ſanctis piiſque animis tantum cognitæ; quam, ut Impp. Romani RESTITUTAM orbi ſuo QUIETEM vocant PACEM AUGUSTOR. ita nos optimo jure appellare poſſumus PACEM DEI: CHRISTUS, quem veniſſe JUDÆA CAPTA Veſpaſiani & Titi; FISCUS JUDAICUS Nervæ utinam cæcos, & obſtinatos malo ſuo, docerent Judæos! cum abominatio deſolationis, id eſt, SIGNA MILITARIA, imagines Cæſarum & aquilæ, propria legionum numina, ducibus Vitellio, Ceſtio, Veſpaſiano & Tito contaminaverint loca dilecta quondam Jehovæ; ſpectaculum Orientis templum deletum, tot miraculis mons Sion celebris aratus; urbis funditus everſa; & omnis gens dura ſervitute maximam partem preſſa ſit; cogaturque alienæ dominationis ſubire jugum; quæ omnia, cum Deus, ut ſic loquar ΚΑΤΑΙΒΑΘΗΣ hominem indueret, eventura, ſacra oracula cecinerant, & ipſe ille AUREI PARENS vere SÆCULI contumacis populi certas miſerias dolens monuerat: CHRISTUS (repeto enim nomen dulciſſimum & per quod SALUS parta eſt HUMANO GENERI) Eccleſiæ fundamentum, orbis terrarum ſecuritas, Regum Majeſtas, & Imperantium SAPIENTIA tibi aſcendenti manus porriget, te RECIPIET SIDERIBUS, & digna gratis præmia virtuti pietatique ſpectatæ, qua eſt Deus ille noſter LIBERALITATE & INDULGENTIA PIA perſolvet. Sic videbis humanas mentes cogitationeſque ſuperante cum gaudio SPEM PUBLICAM, ſive calcantem annoſi draconis caput Θεάνθρωπον; ſic ſenties immenſa cum animi lætitia ſecuram & BEATAM TRANQUILLITATEM, tranquillam jucunditatem, jucundam felicitatem, & felicem æternitatem; fruerique SECURITATE PERPETUA, atque in Conſtantii numiſmatis obvia REQUIE, abſque ullo tamen merito tuo, OPTIMORUM MERITORUM.

F I N I S.

HOMERICÆ
APOTHEOSIS
IN ANTIQUO LAPIDE DESIGNATÆ
NOVA EXPLANATIO:
ITEM DE DELPHICI TRIPODIS USU,
ET DE
ENGASTRIMYTHORUM MUNERE


CONSCRIPTA GALLICE

AUCTORE SCHOTT

Regis Pruſſiæ Conſiliario, & ejuſdem Bibliothecæ, ac Muſei Cuſtode.

Reddita Latine Interprete Petro Facciolo Sac. Th. Doctore Coll. & in Seminario Patavino Rhetoricæ Artis Præceptore.

ARTICULORUM, ET CAPITUM
INDEX.



Lapis in Marinensi Columnensium Principum ditione erutus Homeri Apotheosin repraesentans

APOTHEOSIS HOMERICÆ NOVA EXPLANATIO

VIRO CLARISSIMO

DE LA CROZE

BIBLIOTHECÆ REGIS PRUSSIÆ CUSTODI.

CUM tibi in ſermone aliquando injeciſſem, monumentum illud antiquum ſuperiore ſæculo prope Romam inventum, & Homericam Apotheoſim continens, nondum ſatis eſſe explanatum, mirari viſus es: & non immerito quidem. Quis enim iis, quæ tot eruditiſſimi Viri hac de re in lucem ediderunt, perſuaderet ſibi quiſpiam adjici poſſe? Verum ut intelligas me nihil temere, nihil non cogitate dixiſſe, quæ ratiocinando, conjiciendoque aſſequutus fueram, hæc litteris conſignanda putavi; Paucioribus tamen, ut fieri potuit, omiſſis rebus non neceſſariis, & doctiſſimorum hominum quibus cum mihi futura res eſt, ratione, ut æquum eſt, habita. Rem expendes pro illo quod tuum eſt veritatis ſtudium, & quæ firmioribus tibi nixa videbitur fundamentis, in hanc te partem dabis. Ubi vero repertum ſit monumentum hoc, quique in eo explicando elaborarint, te commonefacere ſupervacaneum judico. Noſti illud Romæ inter præcipua Ædibus Columnenſibus ornamento eſſe, quod docti convenæ, & rerum, quæ raræ ſint, cupidi viſendum curant. Neque te præterit, præter celeberrimum virum Kircherium, qui publici illud juris in ſuo *Latio* fecit, clariſſimum quoque virum Cuperum (*a*) abſolutum opus confeciſſe, ubi rationem diſtincte reddit de Spanhemii nunc fato functi, & Nicolai Heinſii, circa obſcuriores Lapidis locos, ſententia; & præterea Gronovium magni nominis hominem in ſuis monumentis, quorum titulus (*b*) *Theſaurus Antiquitatum Græcarum*, non illum præteriiſſe. Preſſior (*c*) Wetſtenii apprime docti explanatio nota pariter tibi eſt. Nullus enim dubito, quin ab eruditiſſimo Fabricio, qui in ſua (*d*) *Græca Bibliotheca* ejus meminit, id intellexeris. Lapidis formam addo eandem quæ in lucem prodiit, mutatione nulla vel exigua facta. Verum quia eruditione cumulatiſſimus Abbas Fabrettus, cum eum iterum in diſquiſitionem vocaſſet, nonnulla in forma a Kircherio prodita, ſeveriore ſtylo digna deprehendit, quod Maliabecho Florentino doctrina præſtanti viro per litteras ſignificavit, ut hic cum Cupero ſuos tum commentarios elucubrante hac de re communicaret; harum litterarum exemplum, cujuſmodi (*a*) in ſua ſcripta Cuperus contulit, hic ſubjiciendum putari.

a *Apotheoſis Homeri &c. Ed. Amſt.* 1683. b *Tom. II. Tab. XXI.* c *In Diſſert. de Fato Scriptorum Homeri* §. 5. d *Tom. I. p.* 153.

CAPUT PRIMUM.

Emendati Lapidis Forma.

INtegrum Homericæ Apotheoſis argumentum huic Lapidi conſignatum habes apud Kircherium in ſuo Latio; cujus explicationem ut examinare non vacat, ita in re non parvi momenti incuriam incidenter ſupplere in Homeri laudem, & veritatis aſſertionem, ac etiam ut V. C. Giſberto Cupero in eandem expoſitionem inſudanti ſuppetias pro noſtra tenuitate feramus, perneceſſarium duco. Quamobrem totam Homeri ſedentis imaginem hic repeto, quam Tab. III. alteri Bellorii ſociam dedi. Hanc itaque, quam ex autographo in ædibus Columnenſibus Illuſtriſſimus D. Marcellus Severolius ſemel & iterum mecum recognovit (ut eundem ob ingenii præſtantiam & amœniorum ſtudiorum ſocietatem in examen omnium mearum cogitationum adhibere ſoleo), hanc, inquam, ſi cum Kircheriana conferas, in pluribus eam emendandam eſſe patebit. Et primo, ſub priori muliebri figura nos rupto marmore ΚΟΥΜΕΝΗ, *eoque ſuppleto* ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ, Terram Matrem, Cybelem, *ſive* Rheam *plane & perſpicue legimus: ipſi vero* ΕΥΜΕΛΙΑ *neſcio unde emerſit; hancque ob* dulcia cantica *Homero coronam imponere fingit; quam nos* conſenſu totius Orbis ſibi traditam *inferimus. Cybeli autem ſeu Magnæ Matri*, capitis ſummi præclarum inſigne *Turrim nimirum emendatio noſtra reſtituit, ubi apud Kircherium columna inter hanc & virum alatum ſtantem erecta eſt. Quod ſi Ægyptia interpretamenta cum Kircherio magis arrideant,* Iſidem, *cum modio in capite, quam eandem cum Terra Servius & Macrobius conſtituunt, hic agnoſcendam, retenta eadem ſignificatione, non abnuerim: & fortaſſe propior modio, quam turritæ coronæ hic capitis ornatus dici poteſt; utque diſtinctius comprehendatur, libet eum ſeorſim propria magnitudine exhibere.* (A)

a *Apoth. &c. p.* 194.


A



Ad latus hujus ΟΙΚΟΥΜΕΝΗΣ *ei jungitur* ΧΡΟΝΟΣ, *sive is Saturnus sit, & æternitatem significet, quod annis saturetur; ut Cicero & Lactantius dixerunt; sive tempus, utpote alas gestans, æternitatis itidem imaginem juxta Platonem & Pythagoricos, sive cœlum ipsum, unum & idem cum Saturno ex Varrone; Kircherii interpretationem effugit; quia ipse nulla significatione* ΚΙΡΟΝΟΣ *legit. Nos igitur cœli terræque in Homeri veneratione consensum, seu utriusque Poematis ejusdem (qualiter n. manu suum volumen gestat)* æternitatem & nunquam interituram memoriam *polliceri credimus.*

Quos Kircherius ad Homericæ sellæ latera genios adstantes Ægyptiaco vestitu & gestu, & in manu alterius flagellum ὀφιόμορφον, symbolum energiæ in profligandis tyrannorum vitiis, & vitiosorum hominum flagitiis, *commentus fuit, nos mulierum specie; eam quæ ad dexteram,* Iliadem, *quæ ad sinistram,* Odysseam, *ex subjectis titulis* ΙΛΙΑΣ, ΟΔΥΣΣΕΙΑ, *& ex utriusque symbolis, facili, nec longe petita conjectura judicamus. Ensis namque hujus Heroum gesta, &* pugnata sacro bella sub Ilio, *exprimit; prout Acrostolium sive aphlasta hujus formæ,* (B)

B



in alterius manu navigationes, & maritimos Ulyssis errores, atque adeo ipsam Odysseam demonstrat. Acrostolium, inquam, quale in maritimæ potentiæ ostentationem Tyrios in nummis usurpasse, pluries observat Vaillant in Historia Regum Syriæ, & præsertim in Demetrio Nicatore; & proprie ad maris trajectus significandos Neptunum cum eodem acrostolio in manu expressum videmus, tam in nummo Vespasiani quarto apud Tristanum, quam in alio apud Oiselium Tab. 36. pro reditu eorundem ex Oriente ad capessendum imperium percussis.


Adscribitur quoque ab Auctore hujus Marmoris Homeri illud obscuri argumenti Poemation Batrachomyomachia (dubitantibus sane Vitæ Homeri Scriptoribus, hoc est, tam Proclo, quam Auctore Anonymo apud Allatium de Patria Homeri in fine suæ præfationis) ut ex muribus in imo solio volumen hinc inde arrodentibus infertur; quod nec pariter Kircherius advertit, Ægyptiis mysteriis in Græco quamvis Poeta & Statuario evolvendis intentus. Index inflexus versus subditum Orbem in secunda fascia: (C)

C



In throno illo in extremitate ejusdem secundæ fasciæ nullæ fasces, sed Apices huic similes tornatiles, (D)

D



Facies ejus quam Flaminicam Kircherius vocat, eidem throno insistentis ita se habet. (E)

E



Tauro illi gibboso, & monstrosæ, ut videtur, figuræ, similes vide in nummo Gordiani III. apud Tristanum.

Ima fascia, in qua nomina illa ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ, ΧΡΟΝΟΣ, *&c. latior est, & in voce illa* ΑΡΕΤΗ *versus desinit.*

ΑΡΕΤΗ.
ΜΝΗΜΗ.
ΠΙΣΤΙΣ.
ΣΟΦΙΑ.

Atque ita animadversiones, emendationesque hujus lapidis Abbas Fabrettus absolvit; cujus rei alibi rationem, ut quisque intelligat (*a*) in iis reddit, quæ Romæ Anno MDCLXXXIII. typis commisit. Aliorum interpretationes e vestigio videamus.

a *Syntagma de Columna Trajani pag. 346. & seq.*

CAP. II.

Hominum Eruditorum Interpretationes.

I. P. KIRCHERI.

Doctissimus Vir hic e Societate Jesu Lapidem dividit in tres ordines, sive gradus, supremum, medium, & infimum. Primo in loco sententia sua Jovem constituit in Parnasso sedentem, audientemque preces sex Imaginum, quas totidem Urbes interpretatur nomine Musarum, sive Charitum, quæ de Homeri gloria sollicitæ sunt, utpote ejus hominis, per quem tantopere creverit ipsarum honor. In altero quinque mulieres cum sene numerat, Homeri merita gestibus quasque suis indicantes. Quæ Princeps sedet, hanc poesim judicat. Altera ostendens globum, manumque, præclarum Homeri de Mundi mole, deque iis rebus universis, quæ in eo continentur, loquentis ingenium, ejus sententia, demonstrat. Tertia videtur ipsi divina Poetæ monumenta magna cum admiratione intueri. Reliquas duas in antro positas missas facit, idque ait unum, alterum manu tenere lyram, Iliadis volumen alteram, refertque Arcum, atque Pharetram Cupidinem insignia plerumque significantia, ad Deorum, Dearumque amores, quorum Ilias referta est. Sedem, quam semper fere Nymphæ, Musæve incolunt, eam quam Lucianus, & Fabularum Scriptores describunt, Antro indicari arbitratur. Senem, Flaminem aliquem, sive Homeri Sacerdotem interpretatur, qui sui ducat esse muneris recenti Divo Ægyptiorum more rem divinam facere. Hoc postremum ex facibus, & littera *Tautica* sive Cruce ansata colligit, quam a Sacerdotis tergo se se detegere arbitratur, quæ tanquam signa in templis, aris, manibus sacrarum imaginum apud Ægyptios reperiri passim affirmat. In tertio denique gradu cumulate totum opus, sive modis omnibus Homericam Apotheosim expendit. Quandoquidem postremus hic Lapidis locus obscurus esse non potest, sive gestus Figurarum inspicias, sive nomina, me hic immorari necesse minime erit. Nihilominus satis ex ipsius Kircherii verbis cognosces, quæ statui ad hujus epistolæ calcem addere, tum ut quæ dicturus sum confirmem, tum ut tibi librum non ita parabilem, quem fortasse non habes, consulendi laborem imminuam. Illud hic mihi quasi prætereunti notandum videtur, quod de loco, ubi inventus hic Lapis est, animadvertit litteratus ille Vir, quem locum hodie *Frattochia* dicunt, in Antiquorum agro Ferentino jacentem. Nimirum eum esse contendit, ubi Imperatoris Claudii Villa, ac Templum constructa sunt. Itaque quoniam eo se frequenter Imperator ille conferre consueverat, & in Græcis interdum litteris summa cum voluptate versabatur, præcipue vero omnia Homeri, quem in deliciis habebat, carmina memoriæ mandaverat, quod valde probabile est, Kircherius colligit, ejus jussu, atque expensis hunc Lapidem elaboratum fuisse. Atque hoc tempus, sive æram dicas, apte definit.

II. CUPERI.

Kircherii explanationem cum nequaquam Cuperus probaret, proposuit aliam, quæ ipsi magis ad rem videtur, magisque ad veritatem accedere. Ut plene hujus Viri doctissimi sententiam intelligentia assequare, optimum duco me ipsius proferre verba, ex ejus libri Præfatione desumpta.

A *Ut autem exemplo Architectorum*, inquit, ad Lectorem Sermone instituto, *brevi in tabella formam operis exhibeam, ecce Tibi, quæ mea de tam eleganti Lapide sit sententia.* HOMERUS *barba & capillo decorus, inferiorem corporis partem tectus, diademate caput cinctus, sceptrum sive hastam tenens, nec non comitem habens Aquilam, tamquam* Novus Jupiter, *insidet* monti Olympo. *Hinc sequuntur Musæ, dulci vocum concordia ejus, uti Jovis apud Hesiodum, animum demulcentes, variis vestibus, ut tunica palliolata* σχίτῳ, *epomide, exomide*, ἑτερομασχάλῳ, *supparo, aliisque exornatæ*. Undecim numero *sunt*, B *quia* Ilias *atque* Odyssea illis adscriptæ, *stant in antri ostio, quemadmodum patet ex* pileo, Ulyssis sive Odysseæ, *atque* Arcu cum Pharetra, Iliadis *insignibus*. *Prope antrum basi insistit* Vir pallio quadrato amictus, *sive ille ipse sit* Homerus *carmina sua canens, sive* Linus, *sive* Lycurgus, *sive* Pisistratus, *uti censebat Clarissimus Heinsius; an vero* Pittacus, *quemadmodum Illustrissimo visum fuit Spanhemio*. Decipitur hoc in loco Cuperus. Neque enim Pittacus, at Bias est, quem Illustrissimus Spanhemius hic putat designari, ut infra videbimus. *A tergo Viri posita est* machina, C *cujus supremæ parti adjicitur* Character Ægyptiacus, *vel* Littera, *ut vocant* Tautica, *qua, si figura hæc* Homerum *repræsentat, videtur notare Artifex*, Ægypto illum oriundum *esse, id quod nonnullos Veterum memoriæ mandasse constat. Hinc aperit se clarior rerum series, & quem modo Olympo insidentem conspeximus Homerum, in templo sedet, variis Artibus ipsi sacrum facientibus.* ΕΥΜΕΛΙΑ *designat divinam carminis pangendi artem, modulationem aptam, & veteribus toties laudatum, nostrisque auribus fere incognitum rhythmum. Sed cum me Illustrissimus, nec non eruditissimus* Abbas Raphael Fabretti *certiorem fe-* D *cerit, in ipso marmore reperiri* ΚΟΥΜΕΝΗ, *& figuræ muliebri caput turritum esse; melius erit intelligere, Orbem terrarum testari, Homerum Principem esse Poetarum.* ΧΡΟΝΟΣ *significat tempus Mythicum, usque ad bellum Trojanum tantum extendi, atque ab eo temporum & annorum ordinem, veramque historiam initium habere; vel Poesin Homeri in omne ævum duraturam loquitur; alasque tergo affixas habet, quia nihil tempore velocius. Hinc occurrit* HOMERUS *sceptrum manu tenens; atque latera ejus cingunt* ILIAS *&* ODYSSEA, *parvulis virginibus adumbra-* E *tæ, quia libri Poetarum* filiæ, θυγατέρες, κόραι, *illique horum* parentes, *solent appellari.* ILIAS *armatur* ense, *propter bella & cædes;* ODYSSEA *vero* aplustre, *propter errores Ulyssis tenet.* MURES *prope* ὑποπόδιον *chartulas rodentes, vel notant Batrachomyomachiam ab ipso scriptam; vel invidos, instar murium corium, chartas similesque res rodentium, ejus famam vellicasse & lacerasse.* ΜΥΘΟΣ *additur, quia fabulæ & fictiones ex sententia plurimorum veterum proprius Poeseos character;* HISTORIA, *quia bellum Trojanum gestum, & Troja deleta est; aliæque insuper in utroque opere historiæ recensentur.* ΠΟΙΗΣΙΣ, F *quia verba ligata sunt, & Homerus non modo Heroico carmini, verum etiam aliis omnibus originem dedit.* ΜΥΘΟΣ *præterea puer est, quia in fabulis omnia perspici nequeunt, sed instar puerorum semper in iis explicandis hæremus; nec non quia pueri sacrificiis adhiberi solent; unde &* guttum *sive* gutturnium, *ad vinum aræ infundendum, cum* patera *tenet, non secus ac* HISTORIA *ex* acerra *sumptas micas thuris duobus primoribus digitis aræ injicit. Miræ adstat* Bos *formæ; sed ejuscemodi Cariam, cui Priene artificis Archelai pa-*

tria vicina, gignere, Plinius & alii docent. TRAGOEDIA *Viro*, COMOEDIA *Muliere, id quod absque ratione factum non est, repræsentata sequuntur; quia Poeta noster* Τραγικῶν ἡγεμὼν ϗ διδάσκαλος, *nec non Comœdiæ* Πατὴρ *existimatus est; argumentaque & operis regulam ac normam Tragicis & Comicis quasi præscripsit.* ΦΥΣΙΣ *denotat singularem rerum naturalium cognitionem Homerum habuisse, naturæ fuisse, ut Macrobius loquitur, conscium; & cœlum, stellas, mare, terram, animalia, plantas, additis convenientibus epithetis descripsisse diligenter; Mathematicum, Astronomum, Astrologumque eundem fuisse,* ϗ τῶν φυσικῶν κατὰ ςοιχεῖα ἀρχηγόν. *Puerilis illi habitus, quia in mysteriis illis, & abstrusis indagandis rebus, propter plurima incognita, pueri veluti & infantes sumus, atque uti loquitur eleganter Seneca:* in vestibulo ejus hæremus; illa arcana non promiscue nec omnibus patent; reducta & in interiore sacrario clausa sunt; ex quibus aliud hæc ætas, alia, quæ post nos subibit, adspiciet. ARETH *significat illam Philosophiæ partem, quæ virtutem colit, & mores format, ab Homero luculenter describi; quo respicit Horatianum illud:*

> Trojani belli Scriptorem, maxime Lolli,
> Dum tu declamas Romæ, Præneste relegi:
> Qui quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non,
> Plenius ac melius Chrysippo & Crantore dicit.

MNHMH *adest; quia belli Trojani memoriam tradit, & plurimas historias vetustiores, antiquitates, vocabula antiqua, nec non priscum loquendi servat characterem. Per* ΠΙΣΤΙΝ *intelligo Rhetorum contentionem, quam Latini* Probationem *appellant; arbitrorque auctorem Marmoris nos docere velle Rhetorices, artisque bene ac ornate dicendi regulas apud Homerum inveniri.* ΣΟΦΙΑ *tandem agmen claudit, quia Poetæ* σοφοὶ *vocantur, antiquissimique Poetæ & Musici Philosophi fuerunt; eorumque omnium Poeta noster* σοφώτατος; *ut & Philosophorum Princeps,* προπάτωρ ϗ ἀρχηγὸς τῦ Πλάτωνος ϗ Αριςοτέλυς λόγων, *& Geographiæ* ἀρχηγέτης; *unde multi olim de Philosophia Homerica scripserunt, & Philosophi placita sua ejus, tanquam certissima auctoritate, defendebant.*

Vides Cuperum, & Kircherium inter se non minimum discrepare. Hic monumentum in tres partes, sive gradus dividit, Cuperus vero tantummodo partitur in duos. Senex monti insidens, si Kircherium audis, Jupiter, si Cuperum, ipse Homerus est. Alter Montem Parnassum arbitratur, alter Olympum. Cuperus undecim hic musas agnoscit, novem jam cognitis additis duabus aliis, Iliade scilicet, atque Odyssea: Kircherius vero magna in dubitatione versatur, utrum musæ sint aut Charites, & Genios potius atque indices Urbium judicat. Ad duo simulacra in antro posita quod attinet, Kircherius nihil definit; nisi quod Volumen in alterius manu Iliadem esse credit; Arcum autem ac Pharetram Deorum, Dearumque amores, de quibus in Iliade sæpissime, exhibere. Qua in re Cuperus progreditur longius. Etenim duarum musarum imagine Iliadem una cum Odyssea arguit denotari. *Pileum* quem ad earum pedes ipse videt, ad Odysseam refert, ut *Arcum* ac *Pharetram* ad Iliadem, monumenta Homeri præcipua. Neque vero de Sene ad antrum accedente, Kircherii, & Cuperi una est, atque eadem sententia. Per Kircherium, Sacerdotem indicat ille Senex: Per Cuperum aut Ho*merum* ipsum, aut *Linum*, aut *Lycurgum*, aut, ut scribit alibi (*a*) *Cinæthum Chium*, aut *Orpheum*, aut fortasse Thebanum quemdam Virum in Magistratu (*Antistitem* vel προφήτην *Thebanum*) Homeri, si Heliodoro credis, Parentem. De *Machina* a tergo senis pallio amicti collocata, idem uterque sentit. Videtur utrique character Ægyptiacus, ut Littera *Tautica* seu Crux Ansata: quod si senex, qui machinam a tergo habet, ut Cuperus conjicit, Homerum exprimit, vero simile censet, Homeri, quem nonnulli Scriptorum Veterum ab Ægypto oriundum esse volunt, hisce notis Patriam significari Artificem voluisse. Hominum duorum fama notissimorum, & in quo dissident, & in quo consentiunt, de Lapide mihi ad explicandum proposito, sententiam habes.

III. SPANHEMII.

Imaginem palliatam Antro proximam, & litteram *Tauticam* ab ejus vertice eminentem, & machinam a tergo positam clarissimus Vir Spanhemius, nec aliud præterea quidquam, attigit. Patet id ex ejus ad Cuperum epistola ab hoc eodem (*b*) prodita. Præstantissimus ille Vir Philosophum Græcum palliata imagine existimat indicari. Arguit id ex ejus vestitu, ex Volumine quod manu tenet, ejusque cum antiquis aliis Philosophorum statuis Romæ, & alibi inventis, similitudine: & quia Artifex Prieneus erat, Spanhemius Philosophi Biantis, qui præcipuum Prienes decus fuit, & cui a suis civibus divini honores habiti sunt, simulacrum esse concludit. Philosophum hunc inter artium, ac disciplinarum Genios in Homericæ Apotheoseos honorem congregatos ab Artifice statutum esse valde putat probabiliter. Cur magis, magisque in sententia maneret, fuere præclara hujus Philosophi merita, quibus tanquam totius Joniæ splendor habitus fuit, & multorum judicio, inter septem Sapientes Græciæ principem locum obtinuit, constructa quoque in sui honorem delubra consecutus. Quod ad faces attinet, quas ab utroque Philosophi latere intuetur, ad Veterum consuetudinem illas revocat, quas non modo ad Cereris, Dianæ, Lunæ, Panos, verum ad aliorum quoque Deorum, atque Heroum cultum in templis servabant. Ad litteram vero *Tauticam* quod pertinet, sive Crucem Ansatam, quæ hujus Philosophi capiti imposita est, quæque Sphæricam machinam ab ejus tergo positam pertingit, Spanhemius se in rei ignoratione versari ingenue fatetur. Tripodis quidem aurei ab Joniis Piscatoribus reperti illi in mentem venit, qui cum oraculi responso ejus ætatis *sapientissimo* decerneretur, ad Biantem delatus est. Verum molem hanc non esse Tripodi similem detegit, qui alibi in monumentis antiquis ad pedes imaginum, nunquam super caput, ut illa, statui consuevit. Tandem interrogat, num referri machina possit ad scitum illud Biantis ἀξίωμα: *omnia mecum porto*. Digna sunt quæ exarentur eadem magni hujusce Viri verba. Habeto ipsissima. *Quod autem tuum* (inquit ad Cuperum epistola) *de Viro illo basi prope antrum insistente, & qui tibi, ut ais, crucem figit, judicium ad arbitrium meum defers, in eo utinam voluntati tuæ obsequi, aut exspectationi satisfacere mihi liceret. Verum cum & alio, tum & hoc ante omnia, cupiditati hac in re meæ obfuisse, meisque ad te litteris unam inde moram adlatam noris, quod neque illius Marmoris ectypum aut schema haberem hic loci, neque unde nanciscerer scirem, nisi quod demum ante diem*

a *De Apotl. &c. p.* 35. 36. b *Ibid. p.* 193.

te diem

te diem unum vel alterum, in Kircherii Latio sese mihi denuo videndum præbuit. Neque ideo tamen occurrit hactenus quicquam, quod animum meum in eo, de quo quæris ζητήματι *abunde explicet, & in quo declarando me Oedipum audacter apud te venditarem.* Philosophum *quidem* Græcum, *totus Viri habitus, quadrata vestis, volumen quod manibus tenet, consentanea denique similibus palliatorum* σοφῶν, *quæ adhuc Romæ aut alibi prostant, statuis aut iconibus, figura arguere mihi haud abs re videbatur. Quum vero operis illius Artifex, pro more consueto dicatur in eodem Marmore Apollonius n. quidam patria Prienensis, ad* Biantem *continuo referebam statuam illam palliatam, Virum, ut nosti, primarium illius Urbis decus, & cui delubrum etiam consecrasse, Prienenses e Laertio memineram. Unde nihil mirum aut insolitum videbatur, ut in eodem Marmore, in quo Nobilissimæ Artes ac Disciplinæ, immo ipsa rerum Natura, vario singulæ habitu ac ritu, ad commendationem Consecrationis illius Homericæ, oculis usurpantur; in eodem tanti civis, magni Ionum, ut Biantis tumulo apud Prienenses insculptum, ornamenti, & inter septem Sapientes multorum judicio præcipui, divinisque honoribus a conterraneis suis culti, effigies quoque opportune ac decenti habitu & loco a Prienensi artifice signaretur. Neque* Faces, *quæ ab utroque Viri latere occurrunt, quisquam mirabitur, qui eas in Græcorum Sacris ac Delubris familiares haud ignorat, iisque non Cererem solum aut Dianam Lunamve Luciferam, quod & arguunt obvii, ut nosti, veteres nummi, aut Panem cæteroquin, sed & alios Deos ac Heroas ejusmodi* δᾳδουχίαις καὶ λαμπαδοφορίαις *frequenter ab iisdem cultos. De* Litera, *quam vocant* Tautica, *ceu* Cruce ansata, *quæ in Monumentis Ægyptiis haud infrequens a Kircherio traditur, cur eadem capiti hujus Viri appensa, aut quæ Sphærica veluti addita ei machina, haud ita, ut ingenue fatear, liquet. Tripodem quidem æneum memorant Auctores, cui nomen* Sapientis, *aut* Sapientissimi, *inscriptum, singulari munere Bianti concessum. Sed neque machinæ illi cum Tripode convenit, neque tripus supra caput, sed ad pedes adponi in Monumentis antiquis consuetus. An ad celebre illud Biantis effatum:* Omnia mecum porto, *quidquam eadem spectet machina, tu ipse videris, qui omnia nobis præclara hujus* ἀποθεώσεως *arcana, ut verus epopta, propinabis.*

IV. HEINSII.

Nicolaus Heinsius circa duos Lapidis locos sententiam suam exposuit. I. Arcum, Pharetram, neque minus Lyram, quæ omnia in antro vides, Apollinis ait esse insignia. *Sed & hæc cum scribo,* (*a*) Cuperus inquit, *præstantissimus Heinsius mittit, se, cum in transcursu marmor consuleret, Arcum & Pharetram in vestibulo antri, uti & Lyram, pro Apollinis insignibus cepisse.* II. Vir palliatus Antro proximus videtur ipsi Pisistratus, qui Homeri scripta collegit, dignus propterea qui in Parnasso collocaretur. Qua in re Ægyptiaca nota, quam in hominis hujus capite vides, dubium Cuperum facit. *Heinsius putabat* (*b*), inquit ille, *Pisistratum esse, qui Homeri scripta, ante dispersa, in unum corpus collegit, atque ita posteris conservavit; hocque nomine Artificem ingeniosum hanc illi Statuam in Parnasso deberi opinatum; & tandem codicem manu tenere, scripta brevia ac libellos solitum complecti, qualis in Statuis Oratorum passim apparet. Verum hæc omnia dubia ut sint, facit* Tauticus, *ut verbo Kircherii utar,* character, *qui capiti hominis imminet &c* Quod de Arcu, Pharetra, Lyraque Apollinis Heinsius primo loco ait, id est, quo, mea sententia, propius ad veritatem accedit, quam cæteris quæ legeris, aut alii, de quibus verba faciam, assecuti in hoc explicando Lapide conjectura fuerint. Ac si Heinsius in re detegenda longius progredi voluisset, nihil prope dubito, quin ille fuisset absolutam Lapidis explanationem traditurus. Quod infra me planum facturum confido, ubi aliorum etiam quorumdam hominum sententias litteratorum ob oculos tibi posuero.

V. GRONOVII.

Magni nominis Vir Gronovius referens hunc Lapidem in suo (*a*) *Thesauro Antiquitatum Græcarum*, quod ipse sentiebat id silentio prætereundum non censuit. Idem atque Cuperus generatim sentit, & in aliquo tantum obscuriore loco, quem peculiari observatione dignum putat, commoratur. Quæ in hujus Lapidis interpretatione ad rem meam faciunt, hæc tantum attingam allaturus inferius alia, prout res tulerit. Primo palliatum, & prope Antrum positum hominem expendit, eumque sapientem aliquem Ægyptium arbitratur. Persuadet id sibi ex Hieroglyphica littera quam a tergo ejus cernit, & in capite. Hac ratione permotus minime dubitat, quin ille Homeri præceptor sit a quo Ægyptiorum doctrinis imbutus fuit, quas æque calluit atque Græcorum. Deinde ad imaginem, quæ in Antri vestibulo est, quæque volumen dextera tenet, læva saxo incumbit, animum ille adjicit. Per eam Homerum juniorem, & a Doctoris Ægyptii disciplina exeuntem exhiberi affirmate pronuntiat. Volumen, quod illa manu gerit, & juvenilis, decensque vultus, qui Homeri effigiem in altiore lapidis loco sitam imitatur, illa sunt quibus Gronovius tanquam fundamentis nititur. Simulacrum illud quod in antro est, quodque Citharam pulsat, ejus opinione sapientem quamdam antiquorum temporum fœminam repræsentat, quæ ad scribendum Homero præcipua lumina suppeditaverit. Dubitat, nihilominus utrum *Daphne* sit, an *Sybilla* Tiresiæ Filia, an *Helena*, an vero * *Phantasia*. Ille, ut & Cuperus (atque adeo & Westenius, uti infra videbimus) Pileum in Antri vestibulo ad figuræ pedes esse putat; interim aliquid quod præteriit alios, hic ille perpendit. Nimirum hærere Pileo Zonam, & hanc Ulyssis esse. At satius est ipsum Gronovium audire: en ejus verba. *Id vero*, inquit, de proposito monumento loquitur, *quum & heic & ubique conspici mereatur, tum in explicationem sui impendet facile libros & vel uberrima commentaria. Sed ne ab instituto discedam, brevibus omnia peragam. Est enim in hoc Marmore* duplex Homeri thronismus; *qui sic conficitur, ut non modo sit augustus in sede illa, ubi partes eruditionis versantur, sed etiam culmine montis receptus, Musas se ipso inferiores videat. Ibi igitur sedet* non in templo, *ut dixere aliqui,* sed inter velaria *Homerus, dextra volumen, sinistra hastam tenens, coronatus ab imagine terræ, ut ubique coronatus & coronandus significetur; adstante alato Tempore, & duo volumina ostentante, propter quæ ipsa coronam accipit; stipantibus latera ejus Iliade* gladium in vagina *ferente, item Odyssea*

a *De Apoth. & p.* 30. b *Ibid. p.* 35.

* Hanc Fœminam Ptolomæus Hephestion Trojanam historiam longe ante Homerum scripsisse, eamque Historiam Homerum consuluisse testatur.

a *Tom. II.. Tab. XXI.*

aplustre elevante, quæ emblemata ultro se satis explicant. Quin etiam hæ patri non ut filiæ adsident, sed confirmant sellam ejus & fulcrum; idque ad reverentiam insidentis ingeniculatæ. Mures scabello appositi sunt, quos aliquid arrodere non video, nec in hoc sacro loco vel actu invidiæ. Quod si Batrachomyomachia innueretur, cur ranæ quoque non conspiciuntur? Subest aliud: & sive mures sunt, sive glires, per eos licet colligere captam Trojam præbuisse occasionem divinis illis Operibus: ad quam explicationem faciunt, quæ Viri docti protulerant de Sminthо & Apolline Sminthеo. *Sequitur Ara, cui tamen antestat fabularum Genius* ΜΥΘΟΣ *tanquam Camillus, ferme cinctu & habitu Gabino, respiciens & rogans Homerum ut horam adolendi dictet, liquorem adfusurus. Adstat &* Historia, *sacrificantium prima libans aliquid thuris, solo pollice & indice digito tenens; utpote primas in utroque Opere partes possidens. Adstat etiam Bos, ut videtur, dictus* ΚΑΜΗΛΙΤΗΣ, *si audire placet Suidam, a quo nec abludit Aristophanis* ΓΥΛΙΑΥΧΗΝ, *etsi non de bove, vel ipsis vel Musis sacrificandus, ex ritu Pythagoræ apud Ciceronem 3. Nat. D. 36. Sequitur* Poesis, *duas faces elevans, ita, ut ultra velum flamma promineat, vel ad solemnitatem Sarificii, vel ut extra stantibus scintilla aliqua hujus sacri, quod in operto Vatum est, alluceat. Sequuntur* Tragœdia *&* Comœdia, *dexteram promittentes, vel in agnoscenda divinitate Homeri, vel in faciendis jam votis ad statuam & aram ejus, ut in utroque multa exempla præbentur in nummis antiquis, ut ita manu & voce venerentur, prout loquitur Suetonius Claudio cap. 12. qui sic explicandus. Verum Tragœdia altior quam Comœdia; etiam Tragœdia habitu virili, quum ista mulieris, quod præclare explicat Lucianus in Saltatione. Sed & manifeste Comœdia in exomide, ut vocat Festus. Sequitur* Natura, *aversa & puerili in formam lascivientis, & ex quatuor adstantibus puellis proximam aut monstrantis aut arripientis, quæ & omnes pulchræ & sibi pariter similes dissimilesque, ut in eis ita ostendat hoc habitu suo naturam artificiose ambulantem, ut ait Cicero Lib. III. Nat. Deor. cap. XI. Harum prior & eminentior est* Virtus, *ad similem consensum, atque etiam præ admiratione, quum ubique se mirabiliter servatam ab Poeta sciat, manum tollens; illamque in eadem serie sequitur* Memoria, *quidquid adest, tacite tranquilleque adspiciens, & quidquid sit* in capitis repositorio *abdens, seque vel maxime viguisse in Heroe isto conscia. Ante istas duas ratione tabulæ ac cælaturæ sic exigente, postremam velut portionem hujus thiasi faciunt* Fides, *digito attingens labia, ut multi sic occurrunt, brachioque sinistro, cujus manu etiam tenet volumen, fidei velut tabulas complexum, circumdat cervicem* Sapientiæ, *etiam ut Virtus, velatæ, atque adeo junctæ se invicem confirmant continentque, quum etiam Sapientia tenere videatur volumen sinistra, dextra superiori pectori sic admota, ut mentum fere illi innitatur; ita scilicet re apud Homerum constituta, ut fidem maximam & Trojanis & vetustioribus rebus præbuerit, sed sapientiæ suæ, quæ & ipsa maxima fuit, innixam; quæ quidem omnia vocabula, quantopere pertineant ad Homerum, patet ex una illa Maximi Tyrii Dissertatione, quæ quidem est præstantissima, ac numero decima & sexta. Hæ igitur omnes longo ordine Majestatem Homericam testantes, solemne festum ejus comitantur, cantantque:*

ES NUMEN ET TE MUNDUS ÆTERNUS TENET.

Hæc ita quum inferius in communi Græciæ eruditione agantur, majora in sublimiori parte *apparebunt. Primo enim illic, quum Homerus non contentus Græcis, etiam satiari voluerit doctrinis Ægyptiorum, occurrit* Ægyptius, *quem do*ctorem *suum celebravit Homerus; unde ibi in basi statutus conspicitur, ab tergo & superne appositam sibi habens Literam Ægyptiam, de qua multi egerunt. Ab eo progrediens* Homerus juvenis *(eum enim esse colligas facile ex hoc juvenili & accubante altius senili vultu, convenientissimo utroque) cum carminum volumine venit in Nympharum antrum, in cujus ingressu dedicata est Cithara vel Lyra, egregie & ex prisco ritu, ut constat, & de Syringe narratur ab Achill. Tat.* VII. 475. (a): *vel quasi sacra, perinde ut Apollinem dicunt in antro Bacchi Citharam cum tibiis dedicasse, teste Diodoro Sicul.* III. 59. (b): *vel ex communi more, quum ab paxillis suspensas fuisse Citharas, ut prompte possent arripere, aut quod instar donarii in aliquo ædium loco dedicarent, scribat Scholiastes Pindari pag. 12. ad Oden* I. (c) *Ibi præter Arcum & Pharetram est &* Pileus & Zona, *non aliter quam Cato dicebat Polybium sicut Ulyssen velle rursus in Cyclopis antrum ingredi, oblitum illic & pilei & Zonæ.* (d) *Adstat* Fœmina *manu dextra volumen tenens, sinistræ pollice fides Citharæ pulsans, quæ non potest alia esse, quam fœmina vetusti temporis erudita, ex cujus scrinio supponitur didicisse non pauca Homerus, sive illa sit* Daphne, *aut* Sibylla Tiresiæ filia, *teste Diodoro Siculo* IV. 68. *sive* Helena *aut* Phantasia, *quas collegit Allatius de patria Civis sui cap.* IV. *Unde satis patet constitisse inter Veteres fœminæ adjutorio usum fuisse Homerum. Ille igitur sic formatus denique tendit ad Musas, & per singulas vadens, salutata per ordinem Calliope, Urania, Terpsichore, Erato, Melpomene, Thalia, Euterpe, Polyhymnia, Clio, ita denique nondum cœlo (id enim Diis datum, & Claudius jubebatur cœlo intra dies* XXX. *excedere, Olympo intra diem tertium apud Senecam, unde hæc* ΑΦΙΕΡΩΣΙΣ *quoque dicenda potius ex nummi Cari, quam* ΑΠΟΘΕΩΣΙΣ) *sed insidet Olympo, diadematus, involutus limo, hastam quoque tenens pro divinitate, quam in illo adspicientes Urbes posuerat circa Statuam ejus sedentis Ptolemæus Philopator apud Ælianum Var. 13. 22. Ita per Musas progressus est ad istud culmen quod suspicerent.*

—— Heliconiadum comites, quorum unus Homerus
Sceptra potitus, eadem aliis sopitus quiete est.

VI. WETSTENII.

Quia * Wetstenii explicatio aut nihil aut parum a Cuperi discrepat, non est hic opus multis. Homo pallio indutus, & antri vicinus Homerus illi videtur, qui peracta consecratione relatus inter musas fuerit. Novem recenset: sex in montis cacumine, in medio tres. Duæ reliquæ, quæ in antro sunt imagines, Iliadem, atque Odysseam ejus, ut & Cuperi sententia repræsentant. Cum hoc, & Gronovio illi convenit de figura semicirculi arcui,

a Ἀνάκειται δὲ σύριγξ, ὀλίγον ἔνδον τῶν τε σπηλαίου θυρῶν.

b Τὸν Ἀπόλλωνά φασιν εἰς τὸ ἄντρον τοῦ Διονύσου τήν τε κιθάραν καὶ τοὺς αὐλοὺς ἀναθέντα.

c Ἐπὶ πασσάλων ἔκειντο αἱ κιθάραι διὰ τὸ ἑτοίμους εἶναι εἰς τὸ ἀναλαβεῖν, ἢ ὅτι ὡς ἀνάθημα ἐν τινι τόπῳ τοῦ οἴκου ἀνάκεινται.

d Τὸν Πολύβιον, ὥσπερ τὸν Ὀδυσσέα βούλεσθαι πάλιν εἰς τὸ τοῦ Κύκλωπος σπήλαιον εἰσελθεῖν, τὸ πίλιον ἐκεῖ καὶ τὴν ζώνην ἐπιλελησμένον.

* *Joh. Rodolphi wetstenii Dissert. de Fato Scriptorum Homeri pag. 152.*

pharetræque propiore, quam nomine Pilei donat. Locus integer quem addo, ut ne quidquam omittam, te plura docebit. *Archelaus Prieneus*, inquit, *insignem Homeri ἀποθέωσιν in Lapide summa arte elaboratam dedit, cujus figuram admirabilem Athanasius Kircherius in Latio suo nobis sistit, explicationem satis eruditam eidem adjungens. Quia vero in argumento ἀδήλῳ quisque suo abundare potest sensu, nos observationibus eruditissimi Abbatis* Fabretti, *singulari* Magliabechi *Polyhistoris Florentini liberalitate adjuti, nostram ἐπίκρισιν superaddere non dubitamus. Totum Monumentum in tres ordines est discretum, supremum, medium & infimum. In rupis summitate Jupiter est hasta ornatus & aquila stipatus, Virgines pro Homeri ἀποθέωσει intercedentes respiciens: Virgines in primo ordine conspiciuntur sex, quas non Urbes pro Homero orantes, uti vult Kircherius; in secundo vero tres, quas itidem non Charitas, sed omnes novem junctim Musarum numerum conficere auguramur; omnes enim simili modo vel instrumentis musicis, vel libellis instructas videmus, & duo hi ordines ita conditi apparent, ut eos res in cœlo apud Jovem gestas exponere credamus. In medii ordinis extremitate Vir est supra basin collocatus, volumen manu gestans, quem nos Homerum in Deorum numerum relatum ac a Musis receptum interpretamur; habet autem secum duas Virgines in antro stantes, sive Nympharum sive Musarum illud sit receptaculum, quibus Lyra superius apponitur, in terra Pharetra & Sagittæ cum Pileo visuntur; utraque autem in manibus volumen gestat, quas Iliadem & Odysseam, res tum belli tum pacis exponentes, ac omnium Vatum instrumentis celebratas, & velut Opera divina in Musarum habitacula admissas conjicimus. Infimus denique ordo, quid in terris pro Homero gestum sit, clarissime indicat, nam singulari velo a superioribus est discretus, & cetera idem confirmant. Etenim a tergo Homeri in sella locati, dextra volumen, sinistra sceptrum flore lothi insignitum tenentis adstat οἰκουμένη, non εὐμελία, ut Kircherium erudite corrigit Illustris Fabrettus, Terra Mater, Cybelis turrigeræ in capite figura repræsentata, quæ utraque manu coronam Lauream Homeri capiti imponit. Huic comes adjungitur* ΧΡΟΝΟΣ *Tempus, Viri alati forma exhibitum, ut significetur, consensu totius Orbis atque omnium sæculorum suffragio hanc gloriam tanti ingenii Viro deberi; eandemque perpetuo duraturam, quoad ejus Opera sint superfutura. Hæc ipsa vero egregie designantur per duas mulieres ad thronum genubus flexis collocatas, quarum altera ad dextram Gladium manu gerens, subscripta voce* ΙΛΙΑΣ, *librum Iliadis Heroum fortia facta describentis; altera ad sinistram Acrostolium sive ἄφλαστον manu extollens, itidemque* Ὀδυσσείας *nomen subscriptum habens, Odysseam propter maritimos Ulyssis errores demonstrat. Ante Homerum Ara est cum adjuncto Bove & Puero simpulum catinumque gestante. Aræ adstat Historia; quasi thura manu aræ inspersura, hanc* Ποίησις, Κωμῳδία, Τραγῳδία, *elatis manibus sacrificium approbantes sequuntur; denique in ultimo angulo* Φύσις, Ἀρετή, Μνήμη, Πίστις, Σοφία, *Natura, Virtus, Memoria, Fides & Sapientia, congregatæ sunt, ut omnibus his dotibus exornatum Poetam ἀποθέωσιν meruisse omnibus spectatoribus constaret.*

CAP. III.

Novæ Conjecturæ. Animadversiones operi præfigendæ.

I. APOLLO.

INter cæteros qui in hoc explicando Lapide curam posuere, neminem propius quam Heinsium, qui Arcum, Pharetram, Lyram quæ in ingressu speluncæ sunt, Apollinis insignia interpretatur, ad veritatem accessisse, eumque, si ulterius meditando pergere voluisset, probabiliter totius rei mysterium fuisse aperturum superius dixeram. Lumen hoc in nostrum commodum convertamus, & ad id quo ille non contendit eo utamur. Et sane non modo hic Apollinis signa video, verum & ipsum Apollinem inter musas, quæ eum circumstant; quod nobis Ausonius objicit: (*a*)

> *Mentis Apollineæ vis has movet undique Musas.*
> *In MEDIO residens complectitur omnia PHOEBUS.*

Totum præterea ejus Oraculi apparatum deprehendo, quod perficit ut hic Apollinem Delphicum agnoscam, Veterum scriptis celebratissimum. Præter Arcum, & Pharetram, quæ ejus signa esse consueverunt, præter Lyram, quæ illum indicat, alias etiam præcipuas notas, raro in antiquis monumentis simul expressas, hic vides: Cujusmodi cum Arcu, & Pharetra, Cortina est, pro qua Cuperus, Gronovius, & Wetstenius Pileum nominant: cujusmodi etiam est Phœbas Phœbi sacerdos, quæ prope illum in antri vestibulo cernitur; qua, Musæ nomine, Homeri Odysseam significari cum Cupero Wetstenius arbitratur; Gronovius vero Homerum juniorem adhuc; tametsi pectus extans, & oblonga vestis aperte Fœminam arguat. Effigiem in spelunca sitam, gerentemque manu altera Lyram, plectrum altera esse Apollinem Delphicum evincunt. Plana hæc per se se & aperta videntur mihi, eaque firmis mox nitar argumentis confirmare.

II. PARNASSUS.

Pro conjectura tantum habeatur quod de Apolline diximus. Artificem non Olympum, ut Cuperus, & Gronovius contendunt, sed Parnassum, ut Kircherius, & Heinsius asserunt, designandum sibi proposuisse credendum erit. Duos quidem vertices mons hic alter habet; unus vero, quod observavit (*b*) Cuperus, in Lapide apparet. Plurimi tamen faciendum, ut equidem sentio, hoc quod objicitur nequaquam est. Uno vertice potuit Artifex contentus esse, qui ad id satis erat, quo ille animum intendebat. Interim perfecit, ut alium etiam nobis intelligendum relinqueret. Id consecutus est strata super antrum Apollinis via, qua Musarum una cursu videtur contendere. Via hæc non recta ad Parnassi cacumen tendit, sed ad partem alteram, quam effingendam Opifex minime duxit. Sed antrum quod subter est nullum relinquit hac de re dubitandi locum. Neque enim inter scriptores antiquos quispiam, quod quidem noverim, existentis antri in Olympo similis mentionem facit, quæ de Parnassi antro passim occurrit. *Corycium* ab antiquis dictum est, quod (*c*) Pausanias tradidit, quodque magnitudine,

a *Idyll.* 20. b *Apoth. p.* 25. c *Pausan. lib.* x. *p.* 877. *ed. Lips.*

atque ſpatio ſuæ ætatis reliquis omnibus antepo-nit. *Huic antro* (inquit, ex Romuli Amaſæi interpretatione) *nomen inditum a Corycia Nympha. Omnium vero, quæ unquam viderim antrorum, quod ſpectetur digniſſimum hoc mihi viſum eſt*. Et plurimum ex diverſis locis antrorum enumeratione facta, ſubjicit: *Verum hæc omnia* (antra) *quæ enumeravimus*, MAGNITUDINE *facile ſuperat* ANTRUM CORYCIUM: *qui introjerit, ſine ulla face longiſſime progredi poteſt*. AB IMO SOLO AD SUPERIOREM PARTEM, *quæ pro tecto eſt*, SATIS MULTUM INTEREST SPATII. Antro Lapidis de quo loquimur apte hujuſmodi verba congruunt, quod altum, & amplum eſſe facile illud argumento eſt, quod Apollinis, Pythiæque imagines, tametſi ſtantes, ad tectum haudquaquam pertingunt.

III. PYTHIA.

Alterum Antri ſimulacrum Pythiam hoc eſt Apollinis Sacerdotem, meo quidem animo, non vero Sibyllam præ ſe fert, licet non raro ab eruditis altera pro altera accipiatur. Sibylla quocumque tempore, quocumque loco divinandi facultatem habebat. Phœbas vero in templo Apollinis Delphici, non alibi, divino afflatu concitata, e Tripode reſponſa dabat; quod prudenter (*a*) Petitus obſervavit. *Quæ Sibyllam*, inquit, *ab aliis vatibus diſcrimina ſecernunt, non modo indoctum, ſed & eruditum vulgus hactenus fugerunt..... Fuit enim in Sibylla univerſalis quædam præſagiendi facultas, qualis nulli alii Vatum tributa: neque tempori aut loco cuipiam peculiari addicta fuit, ut Pythiæ, ſed quovis loco & tempore vaticinari poterat. Quippe eam vim nacta ab ipſo conceptu; cum Pythia non ſemper neque pro arbitrio, ubi interrogaretur, reſponſa dare poſſet, ſed occaſionem, atque, ut ſic dicam, tempeſtivitatem præſtolari cogeretur, donec Numen ipſam inviſeret: ſemel enim tantum ſingulis menſibus afflari ſolitam Plutarchus tradit. Sed neque alibi quam Delphis in templo Apollinis, neque quovis ejus templi loco, ſed in adyto & ſpecu, tripodique inſidens vaticinari poterat. Longe alia ratio Sibyllæ, cui vis illa ſemper præſto, quovis loco & tempore: neque Tripode illi, aut fatidica aqua, aut lauro opus erat, utpote natura Vates, & in poteſtate habens furoris illius uſum, quo futura præviderct*. Digna viſa eſt mihi hujuſmodi animadverſio, quam hoc loco ad alia properans exſcriberem. Firmiore nixam fundamento, quam Cuperi duabus illis Figuris in Antro collocatis duarum novarum nomine Muſarum Iliadem atque Odyſſeam offerri putantis, magis naturæ conſentaneam meam conjecturam te judicaturum confido. Præterquam quod ſingularis eſt opinio hæc quam (*b*) in ſuis monumentis eruditius confirmare contendit, Iliadis, atque Odyſſeæ hoc quoque loco ſignificatio videtur prorſus ſupervacanea; quandoquidem ad ſedis latera, cui in Deorum numerum Homerus relatus inſidet, præclara hæc duo Poetæ monumenta in infimo Lapidis loco, longe alia ratione indicantur.

IV. JUPITER.

De ſene, qui e jugo montis eminet idem ſentio. Excogitare rationem nullo modo poſſum, cur ille Homerus dicendus ſit, & cur duplicem unius hominis, in uno monumento voluerit Apotheoſim Artifex effingere. Nihil dico de præpoſtera, ſi hoc ſumas, Cælatoris forma, quæ, ut videbimus, ita apte eſt inventa, ita apte diſpoſita, ut quæ aptiſſime. Cæterum ſenis conformatio, indumentum, quod dimidium ejus corpus tegit, cujus rei Fabularum Scriptores eas & graves rationes reddunt, quæ cum Homero nequaquam congruunt, & haſta, ſive ſceptrum, quod manu gerit, præcipue vero Aquila quæ ad ejus pedes jacet, certiſſima ſunt omnia hæc Jovis argumenta, qua ratione in ſexcentis numiſmatis, aliiſque monumentis antiquis illum deſignatum videas, Homerum, ſi ſedulo inveſtiges, vel ſemel fortaſſe non videas. Hac profecto ratione ductus Kircherius hic Jovem deprehendit, uti etiam diligentiſſimus, atque eruditiſſimus Addiſonius in libro quem tum ſuperioribus diebus mecum pro tua humanitate communicaſti, cujus Titulus *Remarks on ſeveral Parts of Italy*: quamquam hic fallitur, dum Jovem manu tenentem fulmen deſcribit, cujus meminit nemo alius, nullumque veſtigium apparet. Quæ ſequuntur ejus verba ſunt: (*a*) *I can't leave the Baſſo Relievo's, vvithout mentioning one of 'em, vvhere the Thought is extreamly noble. It is call'd* Homer's Apotheoſis, *and conſiſt's of a Groupe of Figures cut in the ſame Block of Marble, and riſing one above another by Four or Five different Aſcents*. Jupiter *ſits at the Top of it, vvith a* Thunderbolt *in his hand &c.* Fulmen cum eo, quod hoc in loco facturus Jupiter eſt, male cohæret, qui non extat hic flagitium aliquod ulturus, at meritum, ac virtutem compenſaturus. Non eſt hic Jupiter κεραυνοφόρος *fulmen ferens*, ſed Ζεὺς Μειλίχιος *Jupiter ſuavis* Athenis, & in pluribus aliis Græciæ Urbibus, teſte (*b*) Pauſania, (*c*) Thucydide, aliiſque antiquis Scriptoribus, peculiari quadam ratione cultus; aut potius Jupiter *Heliconius* ita appellatus quod in Helicone aliquando detineretur, Muſaſque Filias ſuas præcipua quadam cura foveret, ut Lylius Gyraldus animadvertit in ſua Hiſtoria Deorum his verbis (*d*): *Heliconius quoque Jupiter, ut Heſiodi in Theogonia Expoſitores tradunt, dictus eſt, ſuper ea Heſiodi verba*: Καὶ βωμὸν ἐρισθενέος κρονίωνος: aram potentis Jovis in Helicone: *ubi ejus ſedes erat, unde &* Heliconius. In Theologiæ principio Heſiodi locus occurrit, & Scholiaſtis expoſitio hiſce expreſſa verbis: Ερισθενέος) μέλλων αὐτοῦ λέγειν τὴν δύναμιν, εἶπεν ἐνταῦθα τὸ ἐρισθενέος ἤγουν αὐτὸν τὸν Δία ἐν Ελικῶνι δὲ ἦν βωμὸς, ὡς εἴρηται, τοῦ Διὸς τοῦ Ελικῶνίου.

V. STATUA.

Dubitationis prope nihil oboritur circa novem mulierum idola, ſi univerſa cogitatione complectaris. Ipſe numerus omni dubitatione ſublata novem eſſe muſas evincit: mox vero inſpiciam ſingulas. Illud vero ad cognoſcendum difficile eſt, quis hic palliatus homo ſit, qui eſt juxta antrum, quique noſtros tantopere interpretes implicavit. Equidem initio ſtatim una cum Kircherio ſacerdotem eſſe cenſui, verum non ſacerdotem, ut ille, Ægyptium, at ipſius Apollinis Sacerdotem putabam. Hoc ſtat fundamento, quod Kircherius conjicit, quia ſuper caput, atque humeros hujus hominis molem Ægyptiacam ſe videre arbitratur, quæ litteram *Tauticam*, ſive Crucem anſatam imitetur, & ad ejus latera faces duas: ejuſque auctoritas cæteros omnes doctos homines ad id deprehendendum induxit, & hac ſuper re in ſuam ſententiam pertraxit. In hoc tamen nihil aliud quam

a *Petr. Petit. de Sibylla Lib. III. cap. 1.* b *Apoth. &c. pag. 28.*

a *P. 343.* b *Pauſan. Lib. I. p. 90. &c.* c *Thucydid. Lib. I. cap. 126. &c.* d *Pag. 103. ed. Amſt.*


Tripodem video, quod plane infra hac epistola me probaturum confido. Hic Tripus, ut crederem hominem ipsi incumbentem Apollinis sacerdotem esse, prope perfecit. Sed cum deinde cogitando intelligerem nihil hic hoc sacerdote opus esse, quoniam Phœbas, quippe quæ Apollinis sacerdos propria pro Artificis forma satis esse poterat, cumque perspexerim alibi sacerdotibus caput vittis ferme cingi, aut laureis sertis coronari, eosque instrumenta, quæ ipsorum munus postulat gestare, & operi semper imminere, ut in antiquis omnibus monumentis patet, quarum rerum nullum hic vestigium apparet, his permotus rationibus non potui quin a prima, quam animo imbiberam, opinione discederem: & donec maturius aliam, quæ mihi obversatur expendero, præstantissimi viri Spanhemii sententiam amplector, qui hunc hominem Græcum esse Philosophum arbitratur, & præsertim celeberrimum Biantem, e septem Græciæ sapientibus unum, per quem Prienes ipsius, & hujus Artificis, qui in hoc formando lapide laboravit, Patriæ decus tantopere crevit. Habitus hujus Imaginis, atque indumentum Philosophum aptissime decet, & eum generalis Formæ partem non esse, ipse ejus situs aperte demonstrat; sed nihil aliud esse nisi statuam Basi, sive Hylolatæ hærentem; quem *Abacum* appellat Kircherius, æque abs re aberrans, atque Abbas Fabrettus *Thronum* nuncupans. Rationibus hisce, quibus Artifex adduci potuit, ut hoc in loco Biantis statuam collocaret, egregia, atque evidens addi potest moralium hujus Philosophi sententiarum descriptio, quæ apud Ausonium interrogationibus, & subjectionibus continetur, & pulchrior est quam ut prætermittenda videatur. eam habe:

(*a*) *Quænam summa boni? Mens quæ sit conscia recti.*
Pernicies Hominis quæ maxima? Solus homo alter.
Quis Dives? Qui nil cupiat. Quis pauper? Avarus.
Quæ dos Matronæ pulcherrima? Vita pudica.
Quæ casta est? de qua mentiri fama veretur.
Quod prudentis opus? Quum possit nolle nocere.
Quid stulti proprium? Non posse & velle nocere.

Cum Philosophus hic, qui inter septem Græciæ sapientes numerabatur, suis præclaris dotibus reliquos superarit, & hi ipsi, misso ad eumdem aureo Tripode, quem Jonii Piscatores repererant, quemque Oraculorum *Sapientissimo*, ut observavit Spanhemius, dandum esse responderat, eidem Principem locum concesserint, ut hujus rei memoriam revocaret, hujus Philosophi Statuæ, quo nihil aptius poterat excogitare, Tripodem Artifex addidit. Optime de posteritate meritus est scalptor hic Archelaus, qui magni Biantis statuam, & iconicam imaginem, quæ nobis deerat, quamque diligentes nostri homines adhuc accuratissime conquisierant, hac nobis ratione commendavit. Ut huic incommodo occurreret Italus quidam adulterinorum numismatum artifex, hujus Philosophi effigiem superiore sæculo formare statuit, eamque numismate, quorum magnam tum copiam elaboravit, exhibere. Antiquarum rerum studiosi hujusmodi numismata, a loco ubi pleraque confecta sunt, *Patavina* nuncuparunt. Quadringenta & amplius collegi, quæ adumbravi diligenter, ut ea

a *Ausonii Sapientes p.* 287.

aliquando publici juris facerem: & quia inter cætera quæ collegi & hoc Biantis habeo, minime molestum tibi futurum arbitror ejus hic exemplar intueri.



CAP. IV.

Singulæ Lapidis partes explicatæ.

HIsce Procemii loco positis, juxta eam quam animo mecum finxi, &, ut mihi persuadeo, ipsius Artificis normam, locus hic est Lapidem explicandi. Sive ego generice universum opus considero, sive rationem, qua illud perfectum est, per partes expendo, Archelaum hunc artis peritiam, ingenium, & acerrimum judicium præ se tulisse intelligo.

Quoad formam spectat, non ea modo quæ Homericæ Apotheosis propria sunt effingenda sibi proposuit, quod omnes hactenus judicarunt, sed & omnem pompæ apparatum, & auxilia, quibus eam putat perfectam esse, & momenta, quæ huic rei causam afferre potuisse existimavit, simul omnia hoc Lapide exhibenda statuit. Rem ibi Musis cum Apolline, tum cum Jove apparet esse, in tres actus prorsus alios re tota divisa. Primo quidem qui in medio lapidis est Opifex initium objicit rei peragendæ, quam ad Apollinem nonnullæ musæ referunt, ut ejus quoque suffragio ad Jovem eant rogatum Homeri consecrationem. Altero, qui sublimem locum obtinet, rei progressum exprimit, quo Musæ Apolline probante, ad Jovem ipsarum Parentem, ut & ipse assentiatur, proficiscuntur. Tertio, sive postremo, qui ima parte lapidis hæret, totius rei eventum, scilicet celebratam solemni ritu Homericam Apotheosim indicat. Singulos hos actus scrutabimur aliquanto minutius.

PRIMUS ACTUS.

Musæ duæ ad primum aggrediendum opus viam muniunt. Eas Artifex perinde finxit, quasi merita Homeri exponant, utpote dignus sit, qui in Deorum numerum recipiatur. Utrum harum musarum prima *Clio* sit an *Polyhymnia*, an vero *Melpomene*, in dubium (*a*) Cuperus vocat. Mea quidem sententia *Clio* est; idque minime dubitanter pronuntio, quoties in gestis posterorum memoria dignis, quæ divinis Homeri Poematis continentur, mentem defigo. Clio enim, juxta (*b*) Apollonii Interpretes, Historiæ præsidet: quod Ausonius etiam (*c*) aliquo Idyllio confirmat, ubi leguntur hæc:

Clio GESTA canens, transactis TEMPORA Reddit.

Et cum illa nomen suum derivet ἀπὸ τῶ κλείω *laudo*, aut quemadmodum (*d*) *Cornutus* vult ἀπὸ τῶ κλέος a gloria quam ex laudibus quibus cumulantur, Poetæ referunt, non poterat illa quin Home-

a *p.* 27. b *Lib. III. Argonaut.* c *Idyll.* 20. d *De Nat. Deor. c.* 14.

ro, qui summopere gloria præstitit, maximo, & præcipuo studio faveret. Sedet illa manu dextera volumen tenens, historiæ cui præest index, uti diximus, læva autem manu Lyram, cujus inventionem ei acceptam refert Poeta Græcus in Anthologia.

(*a*) Κλειὼ καλλιχόρου κιθάρης μελινδέα μολπήν.
Clio dulcisonæ CITHARÆ modulamina PROMPSIT.

De secunda Musa Cuperus nihil, nisi forte (*b*) Uranie est juxta Heinsii sententiam. Nullus relictus videtur mihi dubitandi locus. Cernitur illa se sistere cum Clio locutura. Cælatum est ejus Idolum ad significandos perpetuos cœlestium corporum motus. Globus ante ejus conspectum positus quadrato saxo hæret, ut intelligas firmiter nixa stare, & perpetuo divina opera superfutura; digito Globum hunc monstrat, inque eum videtur oculos convertere, ut se in Astrologiæ potissimum studiis occupari declaret. Etenim Ausonius inquit:

Uranie COELI MOTUS scrutatur, & Astra.

Uraniæ nomen, quod ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ (*a cœlo*) cum his omnibus aptissime congruit. Ita illa composita est, ut ab ea Clio res cœlestes audire videatur, quibus abundant Homeri carmina: Ut nihil aptius Artifex potuerit fingere, quam in Homerica Apotheosi duabus hisce Musis rem primum aggrediendi provinciam demandatam esse.

Postquam Clio, & Uranie operi hac ratione manum admoverunt, noveruntque Homerum dignum qui inter Deos referretur, Apollini in antro stanti rem proponendi munus *Calliopes* est. Non male Archelaus Calliopes munus hoc esse statuit. Est illa Rhetoricæ artis, atque eloquentiæ præses, teste (*c*) *Phornuto*, sive *Cornuto*: quæ opinio ducitur ab ipso Musæ nomine, quod ab ejus *scita voce* ortum est: ἀπὸ τῆς καλῆς ὀπῆς. Erat illa præterea Poetarum, ac Poeseos peculiaris Patrona.

CARMINA Calliope libris HEROICA mandat;

Ut Ausonius etiam testatur. De Musa hac Cuperus nihil definit. Hoc unum dicit, eam ibi esse, ut Iliadem, atque Odysseam nuper in Deorum numerum receptas contempletur: *Quæ dextræ antri oræ incumbit* (*d*) inquit ille, *& admiratur quasi Iliadem, & Odysseam cœlitum numero adscriptas esse* &c. Quod cum iis quæ Kircherius de hoc Lapide in suis commentariis dixit, valde cohæret. Fortasse volumen quod manu gerit, geritque etiam in antiquo marmoreo sepulchro, quod publicum Sponius (*e*) reddidit, propria ejus Musæ nota fuit. Fortasse etiam hanc imaginem cum effingeret, ad illud Artifex retulit animum, quod suorum operum initio Poetæ facere consueverunt, ut a Diis implorantes opem ad Calliopem plerumque confugerent; qua a consuetudine Homerus noster minime discessit. Quamobrem inter cæteras magis idonea Musa hæc erat ut ad Apollinem Homeri consecrationem referret, utpote ejus hominis, qui in Arte Poetica, cui illa præerat, admirabiles progressus fecerit. Ipsa ejus conformatio, quæ absolutum sermonem consequi & responsi postulata probantis expectationem poterat, comitari illam manifeste demonstrat. Habitus ejus audienti similis, & gestus illam satis ostendunt. Aspectus Apollinis Calliopem intuentis decenter compositus, qui ejus est, qui suaviter ad gratiam loquatur, paratum esse pro meritis Homero hujusmodi honorem & ipsum confirmare satis indicat. Pythia denique quæ in antri ostio ad Apollinis latus est, & Calliopem etiam aspicit, huic complicatam Schedam, qua Apollinis continetur approbatio, dextera manu videtur offerre. Hisce Actus primus perficitur.

ACTUS SECUNDUS.

Superiore Lapidis parte alter exhibetur Actus, ubi eo habitu Jupiter cernitur, quo eum ego antea descripsi. Cuperus, qui sibi persuadet hunc esse Homerum, uti etiam Gronovius, & Wetstenius, nec non Illustrissimus Spanhemius in suis scriptis (*a*) alibi, ubi de hoc Lapide loquitur: Cuperus, inquam, num cum Jove *Mnemosyne* musarum mater, an *Euphemia* illarum altrix, an *Calliope* ex iis una loquatur, nihil affirmate pronuntiat. Equidem adducor potius ut credam *Polyhymniam* esse quæ aliarum sororum suffragiis, Jovem rogatum veniat. In sublimi Artifex eam loco posuit, ut cum Jove Parnassi jugum tenente colloqueretur commodius, & intelligeretur facilius: ex hujus tamen Musæ habitu, gestuque colligitur facile eam dicendi finem fecisse, & attentis auribus responsum Jovis excipere, rei eventum ad sorores delaturam. Modestus cultus, & caput vitta tectum, quam verecunde suo fungatur munere patefacit satis; & gravis totius corporis conformatio, qua hujus Musæ speciem cælavit Archelaus, iis apte Virtutibus respondet, quas eidem Veteres tribuerunt. Rhetorici illa ornatus, ut & artificiosi gestus, teste Poeta quodam apud (*b*) Lylium Gyraldum, inventrix habetur:

RHETHORICO dictat Polyhymnia musa COLORES.

& Ausonio teste:

SIGNAT cuncta MANU, loquitur Polyhymnia GESTU.

Præterea, cum a Græcis vocibus πολὺς, & μνεία, quæ musam hanc *memoria præstare* significant, nomen illa suum deducat, apertius hinc etiam potest esse Artificis consilium, cur has hoc tempore illi partes dederit. Numerosa oratio, ad sententiarum varietatem accommodata vox, fidelis memoria, decens actio, sunt omnes res ejusmodi, quarum causa non potest non audiri studiose æqua, & rationi consentanea petitio. Et sane conversus ad Polyhymniam Jupiter, eamque benignis, & amicis oculis intuens, se eidem obsecuturum, & in Deorum numerum Homerum recepturum satis ostendit.

Musa quæ pone Polyhymniam est, quæque hilaritatem, & animi tranquillitatem præsefert non est nisi Erato, juxta Cuperi quoque sententiam. Hymnorum illi inventionem acceptam Antiquus quidam (*c*) Poeta refert:

Ὕμνους ἀθανάτων ἐρατὼ πολυτερπέας εὗρεν.
Ast Erato DIVUM jucundos repperit HYMNOS.

Ei tribuitur etiam Cithara, & quia harum rerum

a *L. LXVII. n.* 21. b *p.* 27. *Apoth.* c *loc. cit.* d *p.* 152. e *Miscellan. Erud. Antiq. p.* 44.

a *De Usu & Præst. Num. Antiq. Diss. V. pag.* 489. *ed. Amst.* b *Syntagm. de Musis p.* 564. c *Anthol. L. LXVII. num.* 21.

peculiari quodam studio ducitur, Chorea, atque Lætitia. Ausonius testis est:

> *PLECTRA gerens Erato, SALTAT pede, carmine vultu.*

Cum hæc ejus facultas sit, hoc munus, vix gratissimum assentientis Jovis responsum excepit, cum præ lætitia saltare cæpit, tripudiare, cumque de Homeri gloria præcipuo quodam modo sollicita esset (hymnos enim ille in Deorum laudem cecinerat) adeo abrepta lætitia fuit, ut tripudians excidere sibi Lyram siverit, quam super Apollinis antrum, in semita relictam vides. Meo quidem animo hanc Lyram manu antea gestavit Erato: Etenim cur hoc in loco Artifex ad ornamentum modo Apollinei Antri, aut signum, quod nonnulli hujus Lapidis Interpretes contenderunt, Lyram constituerit, nihil esse video. Antrum, ipsius forma, & multo magis Apollo, & Phœbas in eo stantes indicant. Si tanquam Antri nota Lyra esset ibi posita, non ad lævum Antri latus, ubi est, sed recta ad dimidium sine ulla dubitatione illam Artifex extulisset. Neque erat operæ pretium Antrum Lyra seorsum superiore in loco sita designare, cum in interiore sit altera: Ut ne conferendum quidem sit utrum illud probabilius videatur, an hoc, hanc esse Citharam Eratus, quæ jam stat altero sublato pede, estque tota Choreas ducenti similis. Qua in re mirari satis non possum singulare Kircherii judicium, qui longe aliud hanc musam opus agere deprehendit, omninoque contrarium. (*a*) *Altera* (inquit) *profundo reverentiæ, & venerationis actu, veluti in terram procidua, submisso vultu, extensaque in altum manu* (Jovem) *supplicare videtur*. O præclarum tanti hominis judicium!

Euterpe sequitur. Illa sedet, & si Kircherio fidem habes, manu dextera duas faces exhibet; cui non assentitur Cuperus. Etenim (*b*) infra videtur adhuc ambigere. Ego vero duas putarim tibias, quas invenisse Euterpe dicitur. Id congruit cum illo Ausonii:

> *Dulciloquis CALAMOS Euterpe FLATIBUS urget.*

Illam Archelaus festivam exprimit, tum ut ejus hoc tempore oblectationem, tum etiam notam propriam significaret: nempe jucunditatem, & lætitiam, ut patet ex ipso nomine: est enim a Græco vocabulo εὐτερπὴς, *hilaris, jucundus*.

Terpsichore, quam ita ut sequeretur, cælavit Archelaus, Erato, atque Euterpem admonere videtur, ne duabus Musis aliis recentis Divi laudes, ut apparet, jam celebrantibus molestæ sint, ab immodica sibi lætitia temperent. Hujus rei causa manum digitumque tollit. Hoc enim digiti motu indici silentium consuevit. Hic pro re nata quasi præteriens animadverto, ubi cuipiam cum alterius incommodo strepenti silentium injungitur, ea plane ratione qua hoc loco Musa, digitum cum manu extolli; ubi vero agitur de arcano alicui credito reticendo, admoto ori digito illam silentii admoneri. Hoc alterum confirmat Ovidius cum de Harpocrate Ægyptiorum ait.

> (*c*) *Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.*

Ad Terpsichorem redeo, quæ nomen habuit παρὰ τῦ τέρπειν τὺς χορὺς, quia *hilaritatem* illa, & *choream* amabat. Citharizandi præstantius aliis facultas tribuitur illi:

> *Terpsichore affectus CITHARIS movet, imperat, auget;*

Etiam Ausonius ait in Idyllio, de quo supra. Hinc, ut notavit doctissimus (*a*) Gyraldus, eam ex Veteribus nonnulli *Citharistriam* nuncuparunt. Manu Citharam illa tenet, at imitationis vitio non apte expressa forma: quod equidem ægre fero: Etenim si perfectus, ut spero, ex hac quoque parte Lapis fuit, accuratum hujus rei exemplum ad discrimen inter Veterum Lyræ, Citharæque formam demonstrandum, quæ est res nondum satis explicata, summopere profuisset. Fortasse hæc quæ diximus alium quempiam datum hominem ad excutiendam rem diligentius excitabunt.

Quæ duæ sequuntur Musæ in concinendis recentis Divi laudibus, ut diximus, occupatæ sunt. Fortasse jam voti compotes Jovi cantibus gratias agunt. Primum illud mihi probatur magis. Hæc igitur modo duæ hoc in Lapide Musæ canunt, non, quod Cuperus putavit, omnes: *Sequuntur Musæ*, inquit ille, quæ ex ejus præfatione desumta verba (*b*) superius attulimus, *dulci vocum concordia ejus* (Homeri) *uti Jovis apud Hesiodum, animum demulcentes.... Undecim numero sunt &c.* Addisonius, de quo (*c*) supra, iisdem utitur prope verbis. *Immediately beneath him* (Jupiter) *are the Figures of the Nine Muses, suppos'd to be celebrating the Praises of the Poet.* Musas hasce duas, cum peculiarem notam nullam habeant, difficile factu est, ut nomine distinguas. Si Lapis ipse, unde hac ex parte exemplum male desumtum videtur esse Romæ conspici forte posset, minus fortasse ad intelligendum difficultatis oboriretur. Sed aliæ interim, non possunt esse illæ duæ, nisi Musæ quæ reliquæ sunt, *Melpomene*, scilicet, ac *Thalia*. Utraque Theatris præest: Alteri cordi est Tragœdia:

> *Melpomene TRAGICO proclamat mœsta BOATU,*

Comœdia alteri:

> *COMICA lascivo gaudet sermone THALIA.*

Ut Ausonius etiam testatur. In honorem Homeri illæ canunt, cujus monumenta ad Theatri ornatum, atque elegantiam tantopere consecutis temporibus profuerunt. Antiquos Poetas Tragicos, comicosque Homeri lectione plurimum profecisse, aperte, & ut solet, erudite (*d*) Cuperus pluribus demonstravit. Dignus locus est qui consulatur. Harum utriusque musarum partes etiam ita clare, ut fieri potuit, Scalptor expressit. Illarum cantus te audire prope credas. Quæ tabellam læva manu tenet, simul dextera mensuram temporis videtur metiri.

ACTUS TERTIUS.

Tertio, qui & postremus est, Actu, quique, ut commodius spectatorum oculis objiceretur, in imo Lapidis loco situs est, & est totius operis præcipua pars, cælatur æque apte, æque egregie ut cætera, ipsam Homericæ Apotheosis pompam expressit. In templo peristromatis intus ornato pe-

a *Infra pag.* 54. b *pag.* 27. c *Metamorph. lib.* IX. *v.* 693.

a *Syntagm. de Musis, pag.* 564. b *cap.* 9. c *p.* 29. 30. d *p.* 77. *seq. Apoth. &c.*

ragitur Actus. Templum esse ibi Gronovius negat, & adducitur facilius ut credat tantum inter velaria Homerum esse. *Sedet (a)*, inquit, *non in Templo, ut aliqui dixere, sed inter VELARIA Homerus*. Verum minime dubitandum est, quin ibi templum sit. Columnæ tractu lapidis stantes æquali spatio distinctæ, & earum quæ extant epistylia id quibusvis facile persuadeant. Peripetasmata quæ columnis hærent, reliquam earumdem partem involvunt, & ad majorem sacri loci, ubi perficienda Homero Apotheosis erat, divinusque præstandus cultus, majestatem explicata sunt. Homerus quippe qui hic primas agit, excedere formam hominis videtur; utque præsens divinus status postulat, ante aram sedet. Hæc ara signata est duabus notis ΑΛ, quæ in exemplari manifestum est esse duo ΑΑ, & sine ulla controversia Artificis nomen indicant, quod omnino explicate superiore Lapidis loco legitur. ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ prætermisso Græcorum more ΥΙΟΣ. Ne unus quidem Interpretum ad has litteras animum adjecit. Terra (ΟΙΚΟΥΜΕΝΗ) ac Tempus (ΧΡΟΝΟΣ) Homeri capiti coronam imponunt: quod argumento est *quocumque loco, quocumque tempore*, ejus merita nota fore. Poetæ jam modo Divi sedem fulciunt Ilias, & Odyssea, (ΙΛΙΑΣ, ΟΔΥΣΣΕΙΑ) duo ejus eximia monumenta. Aliquot sub ejus pedibus volumina jacent, quæ profecto alia sunt ejus scripta, aut duorum illorum operum aliquot exempla. Mures, sive sorices ad Poema, cujus titulus Βατραχομυομαχία, plerique Interpretum referunt. Hoc tanquam evidens argumentum Wetstenius putat ad probandum Homeri Poema hoc esse: quod prodidit *(b)* iis scriptis quæ nos superius protulimus in hæc verba. *Ipsa denique* Βατραχομυομαχία *partim ab Herodoto Suidaque ei*, (Homero) *tributur, partim in vetustissimo Marmore*, Αποθέωσιν *Homeri referente, & in agro Marino, ante lustra circiter tria reperto, eidem asseritur; ibi enim duo musculi sub pedibus Homeri visuntur, addita vocula* ΜΥΘΟΣ, *quo aperte fabula de Muribus ab Homero conficta innuitur*. Idem sentire doctissimum *(c)* Kusterum ex ejus priore opere, ubi de hoc locutus Lapide eadem plane ratione, qua Kircherius, cujus etiam verba refert, sententiam explicat suam, planum est. Habe quod ille de muribus hisce ait: *(d) In vetusto Marmore* ἀποθεώσεως *Homericæ duo musculi sub pedibus Homeri visuntur addita vocula* Μῦθος, *quo haud dubie* βατραχομυομαχίας *auctor Homerus censetur*. Infirmo opinio hæc nititur fundamento. Non enim ad mures, verum ad Sacerdotem juniorem aræ proximum spectat illud Μῦθος; eamque refellit alias rectissime Gronovius, qui, si *Batrachomyomachiam* exprimere hic Artifex voluisset, unam saltem inter mures Ranam, eum collocaturum fuisse, optimo jure contendit. Quamquam nec in eo quod conjicit hæc pusilla animalia ad *Apollinem Smintheum* spectare, videtur ille mihi rem tangere felicius. Hoc enim a re, qua de agitur, non potest esse non remotissimum. Hi mures, sive Sorices, qui vivis prope similes, Homeri scripta rodere videntur, quos ille premit pedibus, mea sententia, hujus magni Hominis invidos egregie significant. Zoilus Sophista Amphipolites, hinc *Homeromastyx* cognomento dictus, hujusmodi est, qui contra Homerum scribere non dubitavit, conatus, si res illi cessisset, pro viribus tam fixis hærentem radicibus gloriam labefactare. Ex quo hoc ille consecutus est, ut qui eum alienis laudibus obtrectando imitarentur, ipsius nomine appellarentur.

(a) Ingenium magni Livor detrectat Homeri:
Quisquis es ex illo ZOILE nomen habes.

Ex quo illud manifeste colligitur, quod quis in re aliqua excellat, Censuræ, atque Invidiæ immunem non fore. Pluribus bonarum Artium, Disciplinarum, Doctrinarumque Geniis recentem Divum veneraturis, eique omni ratione sacra facturis tota Templis distincta est planities. Hoc porro sacrificium nihilominus esse magnificum, quam quod Jovi fieri consuevit, ex Tauro ante aram constituto, qui Jovi pariter immolabatur, & ex Sacerdote Juniore jam jam libaturo certo certius intelligas.

Qui, post doctissimum, & litteratissimum Cuperum, qui hunc Lapidis locum graviter, copioseque interpretatus est, pluribus eumdem vellet explanare, perinde faceret ac si *post Homerum Iliadem* scribendam susciperet. Duo modo digna sunt quibus immoremur. Alterum instrumentum est quod Iliadis Figura dextera manu gerit. Alterum in vocabuli ΜΝΗΜΗ explicatione versatur, quo ex iis quæ in Homerici Templi vestibulo sunt imaginibus una imago notata est.

Ad illud ΜΝΗΜΗ quod attinet *Historiam* Cuperus interpretatur. *Referendam autem* Μνήμην, *vel* MEMORIAM *(b)*, inquit, *ad* HISTORIAM *censeo &c.* Hoc vero probari posset, si nullam peculiarem effigiem hoc in Lapide Historia haberet, quam aræ proximam habet thura dantem. Omnem dubitationem tollit illud quod subter legitur ΙΣΤΟΡΙΑ. Conatur ille quidem hanc difficultatem tollere distinguens ea quæ ante, quæ simul, quæque post obsidionem Trojæ evenere. Ad illa prima censet vocabulum ΜΝΗΜΗ respicere, ad reliqua ΙΣΤΟΡΙΑ. Putat etiam dictione illa ΜΝΗΜΗ hoc posse fortasse intelligi, Homerum de nobis optime esse meritum, qui antiqua Urbium nomina, quæ ipsius temporibus perierant, aut vetera instituta, moresque Græcorum, aut ipsa vetusta vocabula, & a quotidiano sermone tum intermissa, quibus non raro usus Homerus est, suis scriptis posteris commendavit. *Non igitur in re obscura, & conjecturis obnoxia erraturum me puto (c)*, inquit, *si dicam*, HISTORIAM *præcipue respicere illa tempora, quæ acciderunt irato Achille, & Ulysse Ventis jactato;* MEMORIAM *vero, quæ vel paullo vel longe iram illam, bellique Trojani initium præcesserunt, &c.* & paullo inferius: *(d) Conservavit adhæc antiqua Urbium nomina, licet illæ suo tempore aliis forent insignes .... Et si ad minoris momenti res, quæ tamen scitu perjucundæ & necessariæ sunt, descendere volumus; non modo* MEMORIA *recte illi tribuitur, quia, teste Athenæo, conservavit* τὴν ἀρχαίαν τῶν Ἑλλήνων κατάστασιν, *verum etiam, quia memoriæ prodidit voces priscas, multasque veluti mortuas revocavit in lucem*. Quæ conjiciendo pronuntiavit doctissimus ille vir, multis adductis exemplis illustrat erudite. Sed ut libere, quod sentio dicam, non hisce videtur mihi rem acu tetigisse. Historia enim, quodcumque tandem tempus, sive ante, sive post Trojæ obsidionem spectes, semper Historia est: cætera vero quæ ille momenta profert, non videntur mihi esse tanti, quamobrem credendum sit peculiari hoc in Lapide simulacro illa Artificem indicare voluisse. Referrem ego potius illud ΜΝΗΜΗ ad res notas illas

a *sup. p. 19.* b *De Fato Script. Homeri §. 1.* c *Lud. Kusteri Hist. Critica Homeri pag. 40.* d *pag. 63.*

a *Ovid. Remed. Amor. Lib. I. sub fin.* b *Apoth. &c. pag. 1.2.* c *p. 1.3.* d *p. 104.*

quidem

quidem, at non ſcriptas, aut ad *eorum quæ geſta ſunt vel evenere*, & *memoria tantum hominum tenebantur ſcientiam*, quam Homerus habuit ſingularem: Illud vero ΙΣΤΟΡΙΑ ad Facta, ſive caſus litteris traditos, aut Monumentis, quæ firmam, & certam habeant auctoritatem conſignatos. Nomen illud ΜΝΗΜΗ, quod *memoria* latine reddas, & ſententia mea inter ſe, opinor, cohærent: & effigies hoc notata nomine rem confirmat: etenim velamine tota involuta cum ſit, obſcuritatem, quæ cum rebus poſteritati voce modo traditis conjungi plerumque ſolet, ſatis apte poteſt ſignificare. Gronovio quidem hæc involuta effigies eadem eſt ac ΣΟΦΙΑ, *Sapientia*. At (a) Cuperi a quo ΜΝΗΜΗ eſſe dicitur, probabilior hoc loco mihi videtur opinio. Et ad alias imagines, quæ in Homerici Templi veſtibulo ſunt, quod attinet, decipitur Gronovius. Quæ digitum ori admovet & eſt ΑΡΕΤΗ *Virtus*, ut recte Cuperus animadverrit; ΠΙΣΤΙΣ *Fides* eſt Gronovio; & eam quæ ſublata manu ſtat, quæque revera ΠΙΣΤΙΣ eſt, hic pro ΑΡΕΤΗ ſumit. ΣΟΦΙΑ, quæ Puellæ cujus capiti Calantica impoſita eſt, effigiem præ ſe fert, illam a tergo ſequitur, quam ego interpretor *cognitionem poſteris voce ſubinde traditam*, & hæc eſt ΜΝΗΜΗ. Si in hujus dictionis, nempe ΜΝΗΜΗ, quæ in Lapide extat, explicatione meam conjecturam probas, ut nihil quod opponat habet Amicus noſter doctiſſimus Vignolius, nihil dubitanter defendam, duobus hiſce ΜΝΗΜΗ, & ΙΣΤΟΡΙΑ Lapidis Auctorem nominibus uſum eſſe, ut Homerum & probe quæ a majoribus voce tradita ſunt calluiſſe, & recte in Hiſtoriæ litteris proditæ, & auctoritate firmatæ cognitione verſatum eſſe oſtenderet. Multo minus vero ſimilis videtur mihi Kircherii ſententia (in hac porro re propemodum nihil a Gronovio diſcrepat) qui hoc nomine ΜΝΗΜΗ nihil aliud quam *præſtantem* Homeri *memoriam* intelligit, qui tametſi cæcus foret, tot caſus ſcribendo complexus eſt una adjutus ope memoriæ. Nam præterquam quod nondum certum eſt an Homerus cæcus unquam fuerit, qua de re inter Veteres, Recenteſque plurimi jure dubitant, nihil minus quam cæcus hoc in Lapide ille eſt, cum illi ineſſe oculis ita aperti ut cæteris imaginibus videantur: cæterum id Archelai formæ repugnabat, qui non naturales Homeri affectiones, ſed tantum facultates, & doctrinas, quas ille ſibi aſſidua contentione, improbiſque laboribus pararat, & gloriam præterea quæ ejus mortem conſecuta eſt, deſignandam hoc in Lapide ſibi eſſe ſtatuit. Hunc igitur ego Lapidem tanquam verum, hominum litteratorum at ignobilium indicem intueor, qui cum bonis, ut dicunt, fortunæ careant, cujuſmodi Homerus noſter erat, gloria, atque honoribus poſt fata plerumque habitis contenti eſſe coguntur.

Inſtrumenti quod in Iliadis manu vides, ea forma, itaque ſpecialis eſt, ut Interpretes eam declarandi labor, & cura torqueat. Abbas Fabrettus in ſuis hujus Lapidis emendationibus ut ſuperius videre licet, Wetſtenius *Enſem* nuncupant, ſive *Gladium*, uti & Addiſonius, cujus hæc verba ſunt: *Theone* (Kneeling Woman) *holds a ſoword in her hand, to repreſent the* Iliad. *or actions of Achilles*. Kircherius illud tanquam enſem deſcribit, cujus cuſpis in Lunæ ſpeciem curvata ſit; pauciſſimis rem abſolvit: *Primus* (Genius) *genuflexus dextera enſem amplectitur, apice in Lunæ formam arcuato*. Inter hunc, & Cuperum convenit enſem eſſe: putat tamen, ut & Gronovius enſem eſſe in Vagina reconditum, cujus apex dimidium Lunæ orbem referat. *Ilias*, (a) inquit, *propter cedes .... Enſem tenet, cujus vaginæ extrema pars utrinque quaſi falcata, & in ſe flexa eſt: qualem me non memini in aliis marmoribus, vel nummis videre.* Ex his verbis ſatis colligitur dubitare adhuc de re hac illum eruditiſſimum hominem, qui ne unam quidem aliam, quæ hujus enſis vaginam imitetur, in ullo antiquo monumento reperiat. Sed fac reperiri: Belli argumento, cujuſmodi Iliadis eſt non ne longe aptior eſſet e vagina eductus, quam reconditus in eadem enſis, qui clementiæ potius hac ratione, paciſque inſigne eſt? Quare non enſem inſtrumentum illud, & multo minus vagina incluſum ego quidem puto, ſed aliud militare inſtrumentum ſecuri aciem utrinque habenti ſimile, quæ a Veteribus dicebatur vulgo *Bipennis*, πέλεκυς, Ἀξίνη &c. qua Amazone, & Antiquorum temporum Heroes in expeditionem profecturi utebantur. Talem Pentheſileæ Quintus Smyrnæus tribuit: (b)

> *Δοιὼ δ' εἷλετ' ἄκοντας ὑπ' ἀσπίδα, δεξιτερῇ δὲ*
> *Ἀμφίλυπον βυπλῆγα.*

> *Duas ſumſit ſagittas ſub aſpidem. Dextra vero ANCIPITEM SECURIM* (i. e. Bipennem)

Ancæus apud Ovidium hujuſmodi aſcia aciem habente utrinque armatus erat:

> (c) *Ecce furens contra ſua fata BIPENNIFER*
> *Arcas.*

Theſei contra Amazonas victoriam Statius referens, hujus ſecuris, iis quæ ſequuntur, meminit:

> (d) *Ante Ducem ſpolia, & duri Mavortis imago*
> *Virginei Currus, cumulataque fercula criſtis*
> *Vt triſtes ducuntur equi, truncæque BIPENNES.*

His contentus locis, alios miſſos facio, quorum magnam copiam in ſuas in Statium (e) *Animadverſiones* doctiſſimus Barthius congeſſit. *Bipennis* figura, quæ in pluribus Numiſmatis, aliiſque antiquis monumentis occurrit intuenti, magnam habet cum hoc Iliadis inſtrumento ſimilitudinem, & fortaſſe cum exemplari quod in Lapide eſt majorem habet, unde videtur deſumtum exemplum non prorſus accurate. Si certior fieri vis, quæ Petitus de Amazonibus ſcripſit, fac conſulas. Plurima tibi ſe ſe offerent *Bipennis* exempla, cujus eadem eſt, atque hujus, de qua loquimur, ſecuris forma. Quocirca concedes profecto, Vir præſtantiſſime, jure Archelaum in Iliadis manu hoc inſtrumentum collocaſſe; quandoquidem in bello inter antiquiſſima nobis per profanam Hiſtoriam prodita, hujus Libri argumentum verſatur.

Poſtquam ego, quæ hactenus legiſti ſcripſeram, ſumma cum voluptate intellexi ſententiam meam a Spanhemii nunc fato functi ſententia minime diſcrepare. Cum enim præteritis diebus in Bibliotheca, quæ ab illo Illuſtriſs. Viro nomen adhuc ſibi vindicat, nonnulla monumenta ſcrutarer, cumque de *Apotheoſi Homerica* Cuperi librum, cujus exemplum apud illum alterum erat, forte evolviſ-

a *p.* 105. *Apoth.*

a *pag* 50. b *Lib. I. v.* 157. c *Metam. Lib. VIII. v.* 591. d *Theb. Lib. XII. v.* 523. e *Thcm. II. p* 566. *ſeq.*

ſem, deprehendi, ad marginem (*a*) loci ubi Cuperus hoc inſtrumentum appellat *Gladium*, Spanhemium hæc manu propria ſcripſiſſe: *Bipennis videtur in ſchemate, non Gladius: Prior illa Heroum geſtamen, & Theſei, Smyrnæ Amazonis, Cabirorum in nummis*. Tanti viri ſuffragio confirmatus, eſſe ſecurim antiquam, eam quæ in Iliadis manu eſt, pro certo habeo.


CAP. V.

Nonnulli Loci Illuſtrantur.

NUnc aliquos Lapidis locos, qui te, cum mihi honoris cauſa fors obtulit, ut meam tibi ſententiam exponerem, torquere videbantur, in diſquiſitionem revocare neceſſe eſt. Primus ad Apollinem ſpectat, quem tibi perſuades ex muliebri veſtitu, qui hic apparet, non poſſe cognoſci. In altero de Cortina agitur in antro collocata, cujus forma ad antiquum pileum quam proxime accedit. Tertius tandem Tripodem reſpicit, qui a Philoſophi Biantis tergo eſt, quique non viſus eſt tibi Tripodas imitari, qui in nummis & monumentis aliis antiquis ſæpe inſpici conſueverunt.

I. APOLLO MULIEBRI VESTITU.

Quod ad Apollinem attinet prorſus mulieris habitum hoc in Lapide præ ſe ferre inficias non iverim. Indumentum, habitus, ac totius oris conformatio id evincunt. Hæc tamen nihil Interpretibus impedimento eſſe debent, quominus Apollinem judicent, quoniam fieri non poteſt, ut ſæpe alibi eodem habitu Deum illum exhiberi, eos lateat. Tres Nummi ex Regio Muſeo mihi credito ſatis firmo ſunt ad rem probandam argumento.




Primus, qui Auguſti eſt, Apollinem *Actium* refert, eadem ferme ratione, qua in eo de quo loquimur Lapide, illum videas, tenentem læva manu Lyram, plectrum dextera, muliebri veſtitu, & a tergo pendente ab humeris ad pedes amictu. In altero, qui Neronis eſt, Apollo, ſeu potius Nero ipſe Apollinis effigie, eadem indutus ratione eſt, & fidibus canit. In tertio vero Antonini Pii nummo, *Apollo Auguſtus* ita Fœminæ ſimilis eſt, ut nota Viri nulla prorſus appareat. Hæc tria exempla ſatis ſunt, niſi vehementer erro, ut omnem tibi hac in re ſcrupulum eximant. Nihilominus quartum quoque ſubjicio ex Commodi Numiſmate, quod pariter in eodem κειμηλιαρχίῳ ſervatur.

a *Apoth. p.* 49.



Hic muliebri veſtitu, prorſus ut in cæteris antea, & in eo, de quo ſermonem inſtituimus, Lapide, *Apollinem Palatinum* vides. Iſtiuſmodi exempla eo certiora ſunt, quod nomina Figuris addita omnem prorſus dubitationem tollunt: quibus ſublatis non facile factu eſſet Apollinem cognoſcere; nec mirum eſt hoc in Lapide cognoſci non potuiſſe: quippe non eſt Apollo proprio notatus nomine. Cum id genus alia offenderunt, decepti ſæpe ſunt celeberrimi inter noſtros antiquarum rerum amatores, quorum plura afferre poſſem exempla, niſi brevitatis cupiditate tenerer. Duo tantum habe, quæ mihi modo in mentem veniunt.

Cuperus (*a*) ad ſuorum operum calcem aliquot antiqua numiſmata explicaturus unum ex Muſeo *Huygens* affert, cujus ex parte altera caput eſt lauro redimitum, erecto contra os ejuſdem arboris ramo, his additis litteris *Imp. Domit. Aug. Germ. Cos. IV.* ex altera vero parte Corvus nititur lauri ramo, his aliis additis S. C. *Senatus Conſulto*. Habetur etiam ſimile numiſma in Regio Muſeo Berolini; en exemplum.



Hoc in numiſmate Cuperus Fœminæ, & nominatim *Fortunæ Prænestinæ* caput agnoſcit, quod expreſſum hic putat potius quam Domitiani, aut Palladis, quemadmodum, quem is refellit, Franciſcus Angelonus putavit. En ipſius verbis: *Ex lineamentis vultus diligenter inſpectis conjecturam feci Deam hanc* FORTUNAM PRÆNESTINAM *eſſe; quæ Domitiano*, toto imperii ſpatio annum novum commendanti lætam, eandemque ſemper ſortem dare aſſueta, extremo triſtiſſimam reddidit, *quemadmodum loquitur Suetonius: quæque talis plane cernitur in nummo Gentis Plætoriæ apud Urſinum*. Hæc mihi Cuperus, tametſi ex hac conjectura, quam ille erudite, ut ſolet, conatur pluribus corroborare, ingenium hominis video, non perſuadet. Quam ſimilitudinem inter caput, quod in hoc cernitur numiſmate Domitiani, & illud, quod extat in alio Familiæ *Plætoriæ* deprehendere vir ille doctiſſimus potuerit, plane non video. Ut enim cætera prætermittam manifeſta diſcrimina, corona caret hoc alterum, & lauri ramo. Nonne Apollinem Fœminæ ſimulacro hunc potius dicas? Corvus illi quam maxime congruit: eſt ille Apollini ſacer, ut hæc Æliani verba declarant: (*b*) Νεὼς δὲ Ἀπόλλων τιμᾶναι ἐν τῷ χωρίῳ ἐκείῳ, ὑπερῶν ἱερὰς (κόρακας) εἶναί φασιν

a *Apoth. &c. pag.* 247. b *Hiſt. Animal. Lib. VIII. cap.* 18.

αὐτῆς *Templum vero* APOLLINI *ſacrum in eo loco colitur*, CUI CORVOS SACROS *eſſe ajunt*. Idem Ælianus Corvum appellat (*a*) alibi θεράποντα, item ἀκόλουθον Ἀπόλλωνος, *Apollinis Famulum & Pediſſequum*. Cur conſecraretur inde profecto factum eſt, quia divinationis ſpeciem quamdam hic Oſcen corvus habet, dum varie crocitans temporum mutationem portendit: docet id nos Plinius: (*b*) CORVI *ſingultu quodam latrantes, ſeque concutientes, ſi continuabunt* VENTOS; *ſi vero carptim vocem reſorbebunt, ventoſum* IMBREM (præſagiunt.) Elianus, quem ſupra nominavi, ait ferme eadem. (*c*) Κόραξ δὲ ταχέως καὶ ἐπιτρόχως φθεγγόμενος, καὶ κρούων τὰς πτέρυγας καὶ κροτῶν αὐτὰς, ὅτι χειμὼν ἔσαι κατέγνω πρῶτος: CORVUS *excitato & volubili ſono crocitans, & alarum plauſu ſe concutiens*, TEMPESTATES PRÆMONSTRAT. Hæc etiam ratio eſt quamobrem in Deorum transfiguratione, in Corvum Apollo mavult, quam in aliud quodpiam animal mutari. Ovidius ita loquitur;

(*d*) *DELIUS IN CORVO, Proles, Semeleia Capro,*
Fele ſoror Pœbi, nivea Saturnia Vacca,
Piſce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

Ideo Statius appellat Corvum *Comitem Tripodum*.

(*e*) *Non COMES obſcurus TRIPODUM, non fulminis ardens*
Victor ades, flavæque ſonas avis unca Minervæ.

Auſonius eum appellat *Phœbeium oſcinem*

(*f*) *Tris quorum ætates ſuperat PHOEBEIUS OSCEN.*

Epitheta ſunt hæc & alibi repetita in antiquis nummis, & cælatis lapidibus, ubi ſæpe Corvus inciſus eſt cum Apolline, aut Tripode illius Num minis ſigno. Cernitur in medio Tripodis in Vitellii numiſmate expreſſus, ubi inſcripta ſunt hæc: *XV. Vir Sacris Faciundis*. In alio numiſmate Imperatoris Gordiani a Patareis (ΠΑΤΑΡΕΩΝ) cuſo, ac per (*g*) Triſtanum, & (*h*) Patinum in lucem edito Corvus incumbit parvo globo ad pedes Apollinis, qui indutus eſt muliebri ornatu, & manu dextera lauri ramum exhibet, poſito ab ejus tergo Tripode, quem cortina tegit, ſerpens circumdat. Antiquus Annulus, quem in lucem Gorlæus dedit in ſua (*i*) *Dactyliotheca*, Corvum monſtrat Tripodem intuentem. In veteri onyche ejuſdem (*k*) *Dactyliothecæ* ad Apollinis pedes jacet: & Cuperus, qui materiam hanc in ſuis eruditis ſcriptis, quorum titulus (*l*) *Harpocrates*, accurate tractat, alia plura profert in hanc rem exempla. Præter exempla hæc, eſt etiam parvus nummus M. Antonii, & M. Lepidi, cujus ex parte altera Corvus eſt, cum ſimpulo, & lituo augurali; ex alteria varia ſacrificiorum inſtrumenta, ut hæc omnia Augurem fuiſſe M. Antonium, Lepidum vero Sacerdotem, atque Pontificem, oſtenderent. In Regio quoque κειμηλιαρχίῳ cujus ego cuſtos, ſervatur nummus hic, cujus exemplum propono, ut in quem noſtri omnes antiquarum rerum ſtudioſi prolapſi ſunt, errorem corrigam, qui publici eum juris cum fecerint, pro corvo, ut in exemplari eſt, Gallum exhibuere.



Satis eſt ut Goltzii, Urſini, Patini, aliorumque ſcripta conſulas, id ut intelligas. Hoc magis corvus præcipuus eſt, quia Gallus, tametſi eum in antiquis monumentis, tanquam Sacerdotum, & Pontificum inſigne aliquando videas, Auguribus tamen accommodatus non eſt (Augurum porro præſertim cauſa cuſa eſt averſa hujus nummi pars) Corvus autem avis eſt vere Auguralis. Teſtatur id aperte Plinius cum ait: (*a*) CORVI IN AUSPICIIS SOLI *videntur intellectum habere ſignificationum ſuarum*. Quod T. Livius de Tribuno pl. M. Valerio, qui poſtea *Corvinus* cognomento dictus eſt, memorat, rei de qua agimus præſidio eſt: Etenim Adoleſcentis Romani jam manum cum Gallo qui eum provocarat, conſerentis galeæ Corvus cum inſediſſet, id augurii pro certo rei animoſe ſuſceptæ proſpere gerendæ argumento acceptum eſt: (*b*) *minus inſigne certamen humanum* (hæc ſunt Hiſtorici verba) *numine interpoſito Deorum factum. Namque conſerenti jam manum Romano* CORVUS *repente in Galea conſedit, in hoſtem verſus; quod primo* UT AUGURIUM *cœlo miſſum, lætus accepit Tribunus &c.* Hujus rei meminit (*c*) Manilius iis verſibus, quibus quod de Corvo Apollini ſac.o diximus, magis magiſque comprobatur.

Et cum militia Volucris CORVINUS adeptus
Et ſpolia, & Nomen, qui geſtat in alite PHOEBUM.

Addo præterea aliquot Phædri verſiculos, quibus Junonem cum Pavone, qui in ejus tutela eſſe dicitur, loquentem inducit;

(*d*) *Fatorum arbitrio partes ſunt vobis datæ;*
Tibi Forma, Vires Aquilæ, Luſcinio Melos,
AUGURIUM CORVO, læva Cornici Omina.

Errorem hunc, quem in Antonii, & Lepidi nummo emendavi, jam ante Morelus viderat, quod ex epiſtola ad Perizonium miſſa de numiſmatis conſularibus, ac poſtea ab hoc ad uſum publicum (*e*) prodita manifeſte patet. Verum, quia præeuntem alii hac in re ſecuti non ſunt, ne Vaillantus quidem, qui numiſmata Conſularia in apertum protulit, quod animadvertit optime (*f*) Perizonius, tum ut rem corroborarem, tum ut errorem, qui altas radices egit, evellerem, accuratum hujus Nummi exemplum proferre, quod Morelus negligendum putavit, operæ pretium duxi. Non opus erit pluribus, ut probem laurum, qua in Domitiani nummo redimitum caput eſt, & Apollini, & magis etiam Corvo accommodatam eſſe; res enim notior eſt, quam ut pluribus indigeat. Vel ipſa hujus arboris epitheta, ab antiquis Poe-

a *Lib. I. cap. 47. & 48.* b *Hiſt. Nat. XVIII. 35. ſub ſ.* c *Hiſt. Animal. Lib. VII. c. 7.* d *Metamorph. Lib. V. v. 319.* e *Lib. III. Theb. v. 506.* f *I dyl. XI.* g *Comment. Hiſtor. Tom. II. p. 512.* h *Num. Impp. ær. p. 375.* i *Tom. I. An. 10. Ed. Ult.* k *Tom. II. Gem. 3.* l *pag. 70. ſeq.*

a *Plin. lib. X. cap. 12.* b *T. Liv. Lib. VII. cap. 26.* c *Aſtronom. Lib. I. v. 779.* d *Phædri Fab. XVIII. Lib. III.* e *In Diſſert. de Ære Gravi, pag. 144.* f *Ibid. p. 247. 248.*

tis sæpissime usurpata, (a) *Apollinea*, *Delphica*, *Fatidica*, *Phœbea*, *Gratissima Phœbo*, & alia nullum relinquunt dubitandi locum. Sed cur in mea magis sententia maneam, hoc scilicet Domitiani numisma Apollinis caput offerre, id in causa est, quia effigiem hanc imitari video numinis hujus alias, quæ in antiquis monumentis aliis, & in nummis superius propositis apparent. Duo præterea alii ad rem stabiliendam suppetunt Domitiani Nummi; quorum alter Palladis caput monstrat, & posteriore ex parte Noctuam ejusdem Deæ plerumque sociam; Cereris caput alter, & canistrum spicis plenum ex parte aversa. Horum nummorum capita Domitiani nomen, titulique circumeunt, ex parte altera extant Litteræ S.C. ut in aliis antea legimus: sed alio tempore cusos esse varii Consulatus numeri evincunt. Ex quo licet colligere, præcipui erga tria hæc Numina obsequii ergo, hos tres Nummos Domitianum eadem forma, & eodem ære feriri jussisse; quos omnes tres, tametsi majore forma, quam quæ in exemplari appareat, Franciscus Angelonus (b) divulgavit.

Ex Sperlinghii *Dissertatione* de raro Tranquillinæ Gordiani uxoris numismate, Amstelodami Anno M. DCLXXXVIII. Typis commissa, alterum exemplum hauriam. Numisma hoc ex una parte Fœminam Principem hanc præ se fert, his additis litteris: ΦΟΥΡ. ΤΡΑΝΚΥΛΛΙΝΑ CЄB. ex altera vero Fœminæ stantis effigiem, tenentisque læva manu Lyram, plectrum dextera, ibique leguntur hæc: ΕΠΙ ΑΙΛ. ΑΡΙCΤΟΝΕΙΚΟΥ ΓΕΡΜΗΝΩΝ. Adeo venusta est posterior hæc effigies, ut illam non modo Deam Sperlinghius, sed etiam Venerem judicet; & hoc fundamento nixus hac imagine Tranquillinam ipsam significari sibi persuadet. Admiratione digna sunt ipsius verba, & digna quæ audias. *In altera pagina hujus nummi* (c), inquit, *Deam quandam sculptam video, Citharam in ara positam pulsantem, cui plectrum in manu dextra .... Deæ autem habitum esse inficias ibit nemo, cum perpetuum sit Deos & Deas nudos fere in nummis & statuis sculpi, idque aliis non tribui, nisi qui Diis comparantur. Hinc ipsam Tranquillinam Augustam sub Deæ habitu in nummo hoc expressam satis judico; nam alias matronarum pudor prohibebat sic incedere, & nudatas prostare; at Dii, cum non corpora humana essent, sed Animæ, Genii, & Spiritus, in quibus nihil impudicum aut fœdum visu, sed omnia sancta & adoranda, hinc nudi pingebantur & sculpebantur. Ad cujus Deæ dicam Tranquillinam hic referre speciem? Veneris ni fallor congruit, est enim figura delicatissima, series membrorum apta, tenella, omnium elegans συμμετρία, pes, sura respondet, secundum illud Homeri:*

—— μηροὶ
Εὐφυέες, κνῆμαί τε, ἰδὲ σφυρὰ καλ᾽ ὑπένερθε.

Quæ tantæ pulchritudinis & formæ Deam maxime decent. Sententiam hanc suam eruditus iste Vir adeo etiam animo imbibit, ut doctissimum Tristanum arguere minime dubitet, propterea quod in alio ejusdem Tranquillinæ Nummo, quem Chalcedonis incolæ ferierunt, speciem similem sublatam cycno, in suis (d) commentariis ubi eamdem offert, Apollinem judicet: Venus est enim potius, si Sperlinghium audis. *Nam quod de Apolline Dn. Tristan hunc nummum intellexit, frustra est*, inquit pag. 547.

a *Vid. Rob. Stephani Thes. Ling. Lat. voce* Laurus. b *In Historia Augusta p.* 82. c *Dissert. ad Num. Tranq. pag.* 44. *seqq.* d *Trist. Comment. Tom. II. pag.* 549.



Si minus rem expendendi ansam Tristani sententia dedisset, Sperlinghium in hunc errorem incidisse mirarer minus. Verum præter exempla, quæ nos adduximus, in antiquitatis studiosorum libris, & præsertim in *Historia Regum Syriæ* apud Vaillantum, sæpissime mulieris prorsus nudæ imagine Apollo objicitur: & quod ad hunc alterum, quem Tristanus proposuit, nummum attinet, Cycnus, quippe Apollini dicatus ales, quemadmodum Corvus, certum est Apollinis indicium: Veneris vero insignia sunt Speculum, Pomum, Piscis, Concha; & inter aves Columba, Passer. Ne in his eruditorum hominum erroribus diutius commorer, ad Tristani commentarios, ubi rem certissimam, & perspicuam reddit, te remitto. Addam id unum, Vaillantum in Nummo hujus, de quo Sperlinghius, simili, Apollinem agnoscere, quod in illius (a) de Imperatorum Græcis Nummis opere facile videas. Habe Vaillanti verba: *Apollo muliebri habitu ornatus stans Lyram columnæ impositam tenet, ante palma arbor, cui serpens est involutus, cum inscriptione:* ΕΠΙ Μ. ΑΥΡ. ΝΑΙΒΙΑΝ. ΓΕΡΜΗΝΩΝ. *sub Marco Aurelio Næviano Germenorum.* Harduinus eadem plane ratione loquitur, ubi agit (b) *de nummis Urbium, & populorum.*

Præter ea quæ attuli monumenta, quibus muliebri habitu Apollinem sæpe exhiberi intelligimus, alia præterea multa producere possem ad id probandum testimonia, nisi hoc prohiberer, veritus ne sim longior. Niobis illud in præposterum Apollinis, ac Dianæ se vestiendi morem asperius locutæ proferre possem, quorum altera adolescens Fœmina succincta viri cultu incedebat, alter homo adolescens fœminæ ritu promissa ad talos veste. Testis in suis fabulis Hyginus est, cujus hæc sunt verba: (c) *Ex ea* (Nioba) *procreavit* (Amphion) *liberos septem, totidemque filias. Quem partum Niobe Latonæ anteposuit, superbiusque locuta est in Apollinem &* DIANAM*: quod illa* CINCTA VIRI CULTU *esset, &* APOLLO VESTEM DEORSUM *haberet.* Et revera ad genu indutam veste ex antiquis monumentis Dianam audias:

NUDA GENU, vestem RITU succincta DIANÆ.

Ita de Venere ad Adonidem delicias suas properante Ovidius (d) cecinit. Id in suis in Callimachum observationibus (e) Spanhemius copiose tractavit. Propertium producere quoque possem, apud quem veste longa indutus Apollo est.

PYTHIUS IN LONGA carmina VESTE sonat.

Sed duos, aut tres antiquorum Poetarum locos juvat diligentius expendere. Ovidius institutum in-

a *Vaill. Num. Impp. Græc. pag.* 158. b *pag.* 64. *ed. ult.* c *Hygin. Fab. IX.* d *Metam. Lib. X. v.* 536. e *p.* 134. *seq.*

ter Apollinem, & Pana de canendi arte certamen referens, hæc de Apolline scripsit:

(a) Ille caput flavum, lauro Parnasside vinctus
VERRIT HUMUM, Tyrio saturata Murice PALLA;
Distinctamque LYRAM gemmis & dentibus Indis
SUSTINET A LÆVA: tenuit MANUS ALTERA PLECTRUM.

Describitur hic Apollo palla longa, læva manu Lyram sustinens, plectrum dextera, qualem prorsus in nostro Lapide hujus Dei imaginem vides. Una Laurus deest, fortasse exscriptoris in curia, qui in exemplari, ubi omnino credendum videtur laurum inesse, Apollinis caput non satis exquisite perpendit. Esto tamen, desit: In aliis monumentis (ut Nummi, quos antea vidimus, argumento sunt,) sine hujusmodi corona Apollinem inspici, novum non est. Satis est cæteras, quas Ovidius commemorat, in nostro Lapide Dei hujus videre notas.

Eadem ferme ratione Phœbum Tibullus describit.

(b) HIC JUVENIS casta redimitus tempora Lauro
Est visus nostra ponere sede pedem.
NON ILLO QUIDQUAM FORMOSIUS ulla priorum
Ætas, humanum nec videt illud opus.
INTONSI CRINES longa cervice fluebant;
Spirabat Tyrio myrtea rore coma;
Candor erat, qualem præfert Latonia Luna,
Et color in niveo corpore purpureus.
Ut Juveni primum VIRGO deducta marito
Inficitur teneras ore rubente genas.
Ut cum contexunt amaranthis alba puellæ
Lilia, & autumno candida mala rubent;
IMA VIDEBATUR TALIS ILLUDERE PALLA,
Namque hæc in nitido corpore VESTIS erat;
Artis opus raræ, fulgens testudine & auro
Pendebat LÆVA garrula PARTE LYRA.
Hanc primum veniens PLECTRO modulatus eburno
Felices cantus ore sonante dedit

Venustas, decor, elegantia, quibus Puellæ Apollo comparatur, & præterea palla, ac Lyram gestandi ratio, quæ hic a Tibullo expressa vides, in ejusdem Numinis specie, quæ in nostro Lapide est, omnia occurrunt intuenti.

In Apollinis Hymno inter ceteras ejus laudes, neque pulchritudinem, neque ornatum Vestium, neque pretiosa arma, quorum pleraque in nostro Lapide designata sunt, Callimachus prætermittit.

(c) Χρύσεα τῷ Πόλλωνι, τό, τ'Ενδυτὸν ἥτ' Επιπορπὶς
Ητε Λύρη, τό, τ' Αεμμα τὸ Λύκτιον, ἥτε φαρέτρη
Χρύσεα ϗ τὰ Πέδιλα ......
Καὶ κεν ἀεὶ Καλὸς. ϗ ἀεὶ Νέος.

Aurea sunt Apollini & AMICTUS & Fibula
Et LYRA & ARCUS Lyctius, & PHARETRA
Aurei sunt etiam CALCEI .....

a *Ovid. Metam. Lib. XI. v. 166.* b *Lib. III. Eleg. 4.*
c *Callim. Hymn. in Apoll. v. 33.*

Quin etiam SEMPER FORMOSUS & SEMPER JUVENIS est.

Nomen Ε'νδυτὸν longum præsertim indumentum significat ejus simile, quo in hoc Lapide indutus Apollo est, teste Spanhemio in suis in hunc locum commentariis: *Apollinis ἐνδυτὸν dictum videtur* (a) (sunt hæc ejus verba) *de veste ejusdem seu Palla Citharœdica, eaque Talari, qua subinde in nummis antiquis amictus occurrit Citharam gestans hic Deus.* Idque magnus ille vir pluribus erudite confirmat.

Paucissima mihi dicenda supersunt, ut quod mihi quidam Amicus noster opposuit, quodque fortasse posset cuipiam negotium facessere, refellam. Nimirum, tamesi juvenis Apollo est, venustus, Puellæ cultu ornatus, revera tamen maris hominis naturam non exuere. Interim vero effigiem, qua de agimus, sinum, sive pectus dicas, instar Puellæ, seu mavis Mulieris, tumidum habere, haudquaquam obscure inspicimus. Hæc objicienti tria paucis repono. 1. Primum omnium in ipso Lapide opus esset rei veritatem exquirere, utrum vere Imago hæc ita extans pectus habeat, ut exscriptor nobis obtulit; est enim cur dubitemus. 2. Quod si etiam ita ita res esset, defensione tamen non careret, quoniam utramque naturam, ut nosti, Diis, Deabusque suis Veteres tribuere. Atys, qui idem est atque Apollo, aut Sol, ut doctissimus Borremansius in suis (b) Variis Lectionibus, Arnobii, & Macrobii auctoritate copiosius probat, de se apud Catullum ita loquitur:

(c) Quod enim genus Figuræ est quod ego non haberim?
EGO MULIER, ego Adolescens, ego Ephebus, ego Puer,
Ego Gymnasii fui flos, ego eram decus Olei.

3. Cujusmodi pectus habet quæ in Lapide Figura est, hujusmodi, in monumentis aliis, & Nummis quos supra ostendimus, Figuræ Apollinis habent. Vide præter cæteros Antonini Pii Nummum, quem hoc in Articulo habes numero tertio. Sed ad Apollinem quod attinet, satis & fortasse plusquam satis. Ad Articulum alium pergamus.

II. CORTINA.

In Antri medio ad pedes Apollinis, ac Pythiæ æquali spatio ab utroque Antri latere distans collis parvus exsurgit, cui Arcus hæret, ac Pharetra. Inter hujus Lapidis Interpretes, in hujus collis imaginem primus omnium Cuperus defixit oculos, quem Gronovius, & Wetstenius secuti sunt, ab eodem Cupero nihil recedentes. Hic utitur hisce verbis. (d) *Altera autem res colliculum referens, cuique ligulæ, vel amenta Pharetræ sunt imposita, quia* REVERA PILEUS *est, peregrinationem Ulyssis designare videtur*. Pileus igitur est, Cuperi sententia, idque ita pro certo habet, ut nihil prorsus dubitet; ratus præterea Ulyssis errores, de quibus in Odyssea Homerus agit, per eum designari. Nihilominus fateor, hanc mihi sententiam probari minime potuisse. Quod ab ea me revocat, quodque solum potest illam convellere, est ipsius formæ communem pilei formam longe, multumque superantis magnitudo. Satis est si Idola Lapidis inspicias, ut pileum, quod ipsi contendunt eorum capitibus omnino ἀσύμμετρον esse intelligas. Hoc inter præcipua descriptionis præcepta

a *Observ. in Callim. p 63.* b *Ant. Borremansii Var. Lect. pag. 43.* c *Epigr. LXIV.* d *Apoth. pag. 29.*

est, τῆς συμμετρίας *commensus* rationem habendam esse, ne rerum species majores, minoresve referantur, quam in pictis tabulis, aut anaglyptis exprimendæ figuræ postulant; & nihil est cur suspicemur Archelaum, qui alioquin quam gnarus, & peritus artis fuerit, hic Lapis abunde cæteris ostendit, eum errorem offendere potuisse, quem in rudi homine, & in arte Tirone non feras. Neque illud dici potest, pro libidine positam hic esse figuram hanc, aut tantum ut illi Arcus, ac Pharetra innitatur. Id in tam præclari operis Artificem injuriosum esset suspicari. Aliud quippiam igitur investigemus oportet, quod simul ad Apollinem referri possit, ad cujus pedes Figura est, inter cætera ejusdem Numinis insignia.

Nihil occurrit aptius quam quod communiter Latini Cortinam appellarunt, ὅλμον Græci. Ego Latinos secutus sermone Gallico *Cortine* appellabo: neque enim scio utrum peculiare Galli nomen indiderint, neque tantum audeo, ut verbi novi auctor esse velim. Est Vasis genus vacui, sive concavi intus, extra convexi, putamini ovi bifariam transversum secti similis, aut crateri inverso: qui Phœbei Tripodis, cujus superiore parte Cortina erat, operculum esse consueverat. Hinc est quod Cœli Hemisphærio Varro Cortinam comparat: (*a*) CAVA CORTINA, inquit, *dicta, quod est* INTER TERRAM ET COELUM, AD SIMILUTUDINEM CORTINÆ APOLLINIS. Ennius in eandem sententiam locutus:

(*b*) *Quæque freto* CAVA *Cæruleo* CORTINA *receptat.*

Montem (*c*) Ætnam Virgilius describens, concavam Theatri superficiem, aut vasa concava certis locis ut sonum facilius redderent, disposita, *Cortinæ* nomine explicat.

Carmineque irriguo MAGNI CORTINA THEATRI
Imparibus numerosa modis canit arte regentis.

Rem corroborat Hadrianus Turnebus, priori adhærens sententiæ: *Theatri* CONCAVITATEM *convexam*, *&* SINUOSAM *Maro in Ætna* CORTINAM *appellat*, (*d*) ait ille ad hunc Virgilii locum: additque hæc: *Nam id de Vasis, quæ in Theatro, ἠχεῖα vocabantur, non tam dici crediderim, quam de* TOTA EJUS STRUCTURA, *quæ sic modificata est, ut numerosæ voces ad spectatorem proveniant.* quæstionem hanc non attingit Matthæus Martinius, eandem tamen *Cortinæ* formam tradit. (*e*) CORTINÆ *Nomen*, inquit, *impositum videtur primo illi tegmini, quod in summitate extendebatur* IN SINUOSAM CAPACITATEM, *ut esset tanquam* CORTINA COELI, *seu Cœlum Tabernaculi; & hujus quidem Cortinæ erat præcipua necessitas ad prohibendas pluvias, ut quæ sub eo erant, in sicco forent.* Et paulo post: *Similis* (Cortina) VASI PATULO ET INSTAR COELI CONCAVO. En ipsam, quam in nostro Lapide habes, Cortinæ formam. Omnino patet ejus convexitas, quæ respondentem instar dimidii globi interiorem procul dubio cavam indicat capacitatem.

Rem rursus Cortinæ etymologia confirmat. Varro eo loco, de quo antea, nomen hoc (*f*) derivat a vocabulo *Cors* sive *Chors*, qui locus est cinctus parietibus, quo pulli gallinacei continentur Scaliger in suis *Conjectaneis* Varronis locum ita explicat: CORTINAM *dictam volo a rotunditate, quod ut* CORTES *ita hæc* ROTUNDA *esset.* Cato in originibus, quem (*a*) Vossius nominat, id expresse pronuntiat: *Mapalia vocantur, ubi habitant. Ea quasi* CORTES, ROTUNDA *sunt.* Idem Lipsius (*b*) sentit, atque Martinius, de quo supra. Certum tamen est scriptores hos, non integrum globum intelligere, cujusmodi non est Cortinæ figura, sed globum concavum, eumdemque dimidium. Tres Auctores illi, quæ Servius suis in (*c*) Virgilium commentariis de hujus nominis origine plura tradit, communi sententia improbantes a Græco χόρτος *septum* nomen illud deducunt. In eo tamen quod nomen illud *a corio Pythonis*, Servius derivat, non inepte mihi videtur facere: quandoquidem in monumentis antiquis, quorum mox aliquot exempla proferam, corio hoc contecta plerumque Cortina est: tametsi enim Tripodem Cortina tegit, Cortinam ipsam tegit Serpentis corium: Ita ut rationi etymologia utraque æque sit consentanea, æque probabilis. Cæterum Cortinæ, & *Cortium* hoc est septorum usus ad omne pullorum genus æque tutandum, propemodum erat idem; Ac Tripodem tegebat Cortina, quemadmodum olla tegitur, aut ahenum; tametsi ad usum alium, de quo mox verba faciam, eodem tempore illa inserviret.

Negandum non est pro Tripodde Cortinam sæpe usurpari, ut partem pro toto. Evincitur id ex illo Virgilii.

(*d*) *Neque de Phœbi* CORTINA *fefellit,*
Dux Anchisiade.

Hoc est dato ex Tripode Apollinis responso, Æneam deceptum non esse. Et alibi idem Poeta:

.... (*e*) *Tremere omnia visa repente*
Liminaque Laurusque Dei, totusque moveri
Mons circum, & mugire adytis CORTINA *reclusis.*

Valerius etiam Flaccus in *Argonauticis* pro Tripode utitur hoc vocabulo:

(*f*) *Phœbe mone, si Cumææ mibi conscia Vatis*
Stat casta CORTINA *domo.*

Et antiquæ (*g*) Philoxeni, aliorumque Glossæ ita interpretantur Cortinam, ut sit Δελφικὸς τρίπους Ἀπόλλωνος. Quæ cum ita sint, recte dici potest pro Tripode hic positam Cortinam esse, ac tanquam oraculorum signum quæ ex Tripode Apollo pronuntiabat, ad ejus pedes in Antro fuisse ab Artifice collocatam. Id in pluribus aliis, quorum nonnulla mox afferam, monumentis fieri consuevit. Cernitur enim ad Cortinæ latus Apollo, cum cæteris aliis, quibus ornarii solet, insignibus.

His exemplis perfectum est, ut prope communis isthæc esset opinio, inter Tripodem, atque Cortinam, sive usum, sive formam inspicias, nihil alias discriminis interesse. Scaliger Cortinam (*h*) describit ut sit τρίπους, & λέβης, tametsi neutrum fuerit. Id unum discriminis agnoscit Samuel Pitiscus, quod *Cortina* Latinum nomen est, *Tripus* Græcum. *Apollini Tripodem*, (*i*) inquit, *quæ Latinis est Cortina, proprium esse voluerunt.* Petrus Danetius (*k*) explicat Cortinam pro *Tri-*

a *Varro Lib. VI. de L. L.* b *Ennii Fragm. ex incert. Annal. lib. pag.* 121. *ed. ult.* c *Joseph. Scalig. Catalecta Virgil. p.* 40. d *Adversar. Lib. VI. cap.* 20. e *Lexic. Etymolog. voce* Cortina. f *Lib. VI. de L. L.*

a *In Etymologico, voce* Cortina. b *De Milit. Rom. L. II. Dial. IV. p.* 58. 59. c *Lib. III. Æn. v.* 92. *& Lib. VI. Æn. v.* 347. d *Lib. VI. Æn. v.* 347. e *Æn. Lib. III. v.* 90. f *Lib. I. v.* 5. g *pag.* 44. h *In Conject. ad Varron. pag.* 156. i *In Not. ad Suet. Aug. cap.* 52. k *In Diction. Antiq. pag.* 345.

pode, h. e. *ſellam tres habentem pedes*. Franciſcus Pomejus in eamdem ſententiam (*a*) loquitur, poſt Natalem Comitem: qui eadem habet in ſua (*b*) mythologia. Celeberrimus Hofmanus (*c*) Profeſſor Baſileæ Tripodem, rotundum vas ait fuiſſe: *Namque & Tripus vas rotundum erat*. Quod de Cortina uni Tripodis parti juncta verum eſt, cujus illa operculum erat. Plures alios idem ſentientes Auctores miſſos facito.

Inter Cortinam itaque, ac Tripodem diſcrimen plane illud intercedit, quod inter partem, ac totum. Tripus erat moles integra, unde dabantur reſponſa. Integra tamen non erat, niſi Cortina operiretur: Operiebatur porro quoties quis oraculum iverat ſciſcitatum; & quoties Tripodi Phœbas inſidebat. Plures antiqui Scriptores illa diſtinguunt: ut egregie Sidonius Apollinaris, cætera quoque Apollinis quæ vides in Lapide ſigna his veſibus ad unguem complexus.

(*d*) *Quid Cyrrham vel Hyantias Camœnas,*
Quid doctos Heliconidum liquores,
Scalptos alitis hinnientis ictu,
Nunc in carmina commovere tentas,
Noſtræ o Lampridius decus Thaliæ?
Et me ſcribere ſic ſubinde cogis,
Ac ſi DELPHICA Delio tuliſſem
INSTRUMENTA tuo? Novuſque APOLLO,
CORTINAM, TRIPODAS, CHELYN, PHARETRAS,
ARCUS, Grypas, agam, duplæque frondis
Hinc baccas quatiam, vel hinc corymbos.

Præter diſtinctionem hanc, præcipuum Cortinæ uſum ad tegendum Tripodem fuiſſe, ſatis clare uno verſu Prudentius indicat:

(*e*) *Delphica damnatis tacuerunt ſortibus antra*
NON TRIPODAS CORTINA TEGIT non ſpumat anhelus
Fata Sybillinis Fanaticus edita libris,
Perdidit inſanos &c.

Sed aliud quippiam certius ex Polluce ſuppetit, qui nos Græcum docet nomen, quo Cortina ſignificabatur. Ecce illius verba: *τὸ δ᾽ ἐπίθημα τῦ τρίποδος κύκλον καὶ* Ολμον *δεῖ καλεῖν. Επεὶ δὲ τῦ Δελφικῦ τρίποδος τὸ ἐπίθημα, ᾧ ἐγκάθηται ἡ προφῆτις,* ολμος *καλεῖται*; *Tripodis autem Operculum* CIRCULUM *appellare oportet &* Ολμον. *Quoniam & Delphici* TRIPODIS OPERCULUM, *cui Vates inſidet*, ΟΛΜΟΣ *vocatur*. Ex quibus non modo inter Tripodem, & Operculum, quod a Græcis *ὅλμος* dicitur, diſcrimen intelligis, verum etiam operculum ipſum, cui Pythia inſidebat, figura fuiſſe circulari. Quod veriſſimum eſt, ſi de loco dictum intelligas, quoad Tripodem, quem tegebat illud proxime pertinebat. At ſi hujus operculi integram figuram conſideres, concava erat, & inſtar ſphæræ mediæ, ut ex (*a*) allatis antea Varronis, Ennii, & Virgilii locis patet. Id etiam ſibi, re diligenter ad trutinam revocata, in animum Peireſchius induxerat, quod in hujus Viri (*b*) *Vita* præſtantiſſimi, Gaſſendus nobis prodidit. Interim Cortinam ad perfectæ ſphæræ normam factam fuiſſe, contra Peireſchium in ſuis in *Callimachum* (*c*) *obſervationibus* Spanhemius contendit. Illud enim Figuræ genus apud Græcos nomen *ὅμος* indicat, quod nomen Pollux, ut paullo ante vidimus, cortinæ tribuit.

Haud equidem inficias iverim Græcum illud *ὅλμος* perſæpe ſphæram, aut corpus omnino rotundum, & Sphæræ ritu factum ſignificare: Illud tamen certum eſt nomen hoc corporibus quoque mediæ ſphæræ ſimilibus non raro commune eſſe. Auctores, quorum meminit (*d*) magnus ille vir, Nicander, Athenæus, Heſychius non ſolum ita interpretantur ut *ὅλμος* ſit *Lapis rotundus*, & *Pila*, ſed etiam MORTARIUM, POCULUM, CORNU INSTAR CYLINDRI; quorum in duobus poſtremis non rotunda figura apparet, ſed hujus rotundæ, & globoſæ figuræ dimidium, cujuſmodi eſt hoc in Lapide Cortinæ figura. Quod adeo meam ſententiam non infirmat, ut potius confirmet. Itaque ſi perfectam rotunditatem, & prorſus globoſam vocabulo Græco *ὅλμος* ſignificari vis, ſatis eſt ſi in Tripode *ὅλμον* inſpicias, ut *ὅλμῳ* cum Cratere conjuncto globum omni ratione videas. Et revera hujuſmodi eſt figura, quam plura antiqua exhibent monumenta, ubi Tripus *ὅλμῳ* ſeu cortina opertus eſt. In noſtro quoque Lapide ille eſt, ab aliis, ut brevi probabimus, nondum cognitus. Interim illa vide in hiſce Nummis diſtincte expreſſa.

a *In Pantheo Myth. p.* 31. b *Lib. IV. p.* 349. c *In Lexico Hiſtorico, voce* Tripos. d *Lib. VIII. Epiſt,* 9. e *Apotheoſ. v.* 436.

a *Lib. X. cap.* 23. b *pag.* 67. c *Lib. X. Anno* 1630. c *Ezech. Spanh. Obſerv. in Callim. pag.* 389. d *Ibid.*



Primus ille Vitelii eſt, ſatis notus, de quo jam antea pro re nata locuti ſumus. Alter eſt Antinoi, hominis apud Hadrianum gratioſi, a (*a*) Conſtantino Lando in lucem editus. Tertius tandem eſt C. Caſſii a Spanhemio proditus in ſuis (*b*) *obſervationibus in Cæſares de Imperatore Juliano*. Tripodas opertos eſſe, & ὅλον, *Cortinam* eorum operculum crateri impoſitum rotunditatem perficere ſphæræ ſimilem, ex tribus nummis his manifeſte patet. Res ita clara eſt, ut dubitari minime poſſit. Ad hæc exempla Spanhemius animum ſi adjeciſſet, de forma τοῦ ὅλμου *Cortinæ* quo tecti Tripodes ſunt, non videtur fuiſſe dubitaturus. Id obſervatione dignum eſt, quod Magnus iſte Vir Caſſii nummum loco ſupra citato, referens, ac rotundam quæ in Tripode eſt figuram, tanquam ſphæram intuens, neque de Cortina interim cogitavit, neque de iis, quæ in ſuis in Callimachum *obſervationibus* dixit, ubi globoſam figuram Cortinæ eſſe oportere contendit: *Cette Medaille* (*c*), inquit, *a d'un cote' le Portrait, & l' Inſcription de la Liberte', avec le nom de* M. Aquinus Leg. *ou Legatus, & de l' autre un Trepied avec une ſpe're au deſſus*. h. e. *Nummus hic effigiem, Nomenque Libertatis exhibet ex parte altera, additis* M. Aquinus Leg. aut Legatus; *ex altera vero Tripodem cum Sphæra deſuper*. Ille etiam *Machinam Sphæricam* (*d*) appellavit figuram quæ ab hujus Lapidis ſimulacri, palliati inquam hominis tergo eſt: neque interim opertum Cortina Tripodem agnovit, quod recepi me brevi eſſe probaturum. Hac ratione in Tripode poſita Cortina cernitur in antiquo Sepulchro, quod eſt in Muſeo ad Divæ Genovefæ Lutetiæ, quod in ejus (*e*) *deſcriptione* Molinetus publicavit. De operculo tamen in ſuis ille interpretationibus, nihil. In diſputatione de antiquis Tripodibus, quam inter (*f*) *Miſcellanea Eruditæ Antiquitatis* Sponius retulit, rem hanc non ita paucis complexus eſt, ut idem ſepulchrum prætermitteret.

Tot eximios Antiquitatis ſtudioſos Cortinæ formam non animadvertiſſe, atque adeo nullum de eadem quempiam feciſſe verbum, mirum eſt. Quod in Sponio mirabilius debet videri, qui cum ſibi de antiquis Tripodibus agendum eſſe ſtatuerit, de ſingulis inveſtigandis, deſcribendiſque partibus, ipſa rei natura admonebatur. Admirationem tamen Vignolius auxit, ex quo de mea hac in re eumdem feci opinione certiorem. Officioſus hic familiaris meus teſtatus eſt ſe in Gallia ex Sponio audiendo accepiſſe, apud eumdem eſſe Peireſchii ſcripta autographa, idque eumdem per litteras ad P. *la Chaiſe* editas illas quidem, ad nos tamen nunquam collatas ſignificaſſe. Etenim ſi ita res eſt quid eſt quod, quæ de Cortinæ forma inſtar medii globi facta ad plures eruditos homines Peireſchius ſcripſit, in his autographis ſcriptis Sponius non viderit, neque vero legerit quæ alii Peireſchio reſcripſerunt? aut ſaltem quæ de hoc Viro præſtantiſſimo, cujus ille Chartas habebat, Gaſſendus edidit in ejus Vita, non evoluerit?

Non unus Peireſchius eſt, qui rectam Cortinæ imaginem animo ſibi effinxerit. Idem præſtitit Giphanius in ſuis (*g*) *Collectaneis* in Lucretium; Idem Ludovicus de la Cerda e Societate Jeſu in ſuis Commentariis in(*h*) Virgilium: *Tripus erat Vas ingens*, inquit, *Tripodem tegebat* CORTINA, *quæ nihil aliud quam* INTEGUMENTUM ET OPERCULUM TRIPODIS: *huc aſcendebat Pythia editura Oraculum, quæ ideo dicebatur loqui ex Tripode* (*a*) Plinium appellat, cujus ſunt hæc de Cortina verba: *Ex ære factitavere &* CORTINAS TRIPODUM *nomine* DELPHICAS, *quoniam donis maxime Apollinis Delphici dicabantur*. Ad quem locum quaſi præteriens animadvertit la Cerda ex ære Cortinam fuiſſe factitatam. Nihilominus tamen de Cortinis aureis mentionem facit (*b*) Suetonius: *Argenteas Statuas*, de Auguſto locutus inquit, *olim ſibi poſitas, conflavit omnes: ex quibus* AUREAS CORTINAS *Apollini dedicavit*. Fortaſſe ſellæ erant ad parvorum Tripodum formam elaboratæ, Apollinique ſacræ, ut ſuis ad eum Plinii locum, quem poſt la Cerda exaravi, notationibus vult Harduinus. Fortaſſe etiam veræ Cortinæ erant, aut Delphici Tripodis opercula, quibus magni illorum temporum Viri Principes Apollinem donare cenſueverant. Neque enim, ut ex iis quæ dicam poſtmodum conſtabit, pro ratione, qua ad hujus Dei oraculum adhibebantur, diutius illa opercula poterant inſervire. Opus igitur erat, ut ſæpe recentes cortinæ in promptu eſſent, quæ aliarum uſu tritarum loco ponerentur: Cujus rei ope Apollinis Templo divitiæ comparabantur, cujus Sacerdotes, miniſtrique alii hinc ad agendam vitam ſubſidia capiebant, & emolumenta. Inter eos qui probe Cortinæ formam, uſumque intellexere, fortaſſe etiam celeberrimus *Dichinſon* in libro *Delphi Phœnicizantes*, referri poteſt; tametſi aberravit aliquanto longius, cum ait cortinam Tentorii ſimilem fuiſſe, quæ Tripodi imponeretur. *Uti nos hemiſphærium*, (*c*) inquit, *ſic Tripodem Cortina Tentorii ad inſtar involvebat*. Intus ille quidem Doctiſſimus Vir rem inſpexit; at cum Tripodem cum Arca Fœderis a Moſe conſtructa conferre voluerit, nonnihil a veritate recetlit.

Ut ad nomen ὅλμος redeamus, ad ipſum Tripodem indicandum, ſæpe illud uſurpatum fuiſſe, recte obſervat (*d*) Spanhemius. ὅλμος, ait Vir hic doctiſſimus, *non ſolum de Pythiæ ſupra Tripodem ἕδρῃ, ſeu ſedili, ſed inde de* TRIPODE IPSO *juxta Etymologum, Zenobium, Suidam, alios dictus; dum & inde proverbio datum locum volunt*, ἐν Ολμῳ εὔνησε, *vel* ἐν Ολμῳ ἐκοιμήθη, *ſeu ut illud e Pauſaniæ Lexico refert Euſtathius Il.* Α. *p.* 836. ἐν Ολμῳ ἐκοιμήσω, *vel* μαντικὸς ἐγένȣ, *Vates factus es*.

Quæ cum illis exemplis congruunt, quibus antea probavi eamdem apud Latinos ſignificationem Cortinam habuiſſe, quo nomine cum de ſolo Tripode agebatur, ſæpe illi ſunt uſi: ex quo, ſive formam, ſive uſum ſpectes, rem eamdem fuiſſe Cortinam, & ὅλμον rurſus intelligis. Neque vero Lapis noſter unus eſt, qui ſine Tripode Cortinam habeat. In aliis quoque monumentis antiquis idem videas. Ex duobus nummis, qui in Regio hujus Urbis Muſæo ſunt, ſatis liquido res conſtabit.



a *In Selectis p.* 98. *edit. Ult.* b *pag.* 270. c *pag.* 270. d *ſup. p.* 72. e *pag.* 34. f *pag.* 118. *ſeqq.* g *p.* 399. h *Lib. III. Æn. v.* 92.

a *Lib. XXXIV. cap.* 3. b *In Vita Auguſti cap.* 52. c *Delph. Phœniciz. pag.* 118. d *Obſerv. in Callim. pag.* [illegible].

Corti-

Cortinam, & Lyram insignia Apollinis, quem præcipuo quodam Neapolitani Veteres honore colebant, in primo, qui ejusdem etiam Gentis est, Nummo vides. In altero (cujus corrasis injuria temporis litteris, quinam illum ferierint ignoramus) Apollinem stantem aspicis, gestantem humeris arcum, ramum Lauri manu, cubitoque Lyræ, quæ Cortinæ imposita est, incumbentem. In Syriæ Regum, quorum Historiam *Vaillant* confecit, nummis pluribus, idem ille Deus Cortinam spectatur insidens. Inter horum Nummorum, & nostri Lapidis cortinas id intercedit unum discriminis, quod hujus Cortina contecta nulla re est, ut ex iis nonnullæ, quæ in Numismatis superius allatis, Tripodas tegunt: In his vero, quorum exempla jam modo proposui, Serpentis Pythonis pelle obtecta Cortina est, ut quadratæ maculæ quæ occurrunt intuentibus facili negotio cuilibet persuadent. Hoc ad alia properans notabo Virum fama celebrem Ant. Augustinum Archiepiscopum Tarraconensem, Cortinam eam quæ est in Neapolitanorum nummo, a me paullo ante producto, sumsisse pro monte *Sipylo*, ubi Parthenope, quæ alias Neapoli nomen dedit, condita creditur. En ejus verba prout ex Hispano sermone Andreas *Schott* illa latine reddidit. (*a*) *In Numismate hujus Urbis Lyra visitur, & mons Sipylus, quo condita sepulchro Parthenope existimatur*. Si nihil aliud contra sententiam hanc afferri possit, ut eam rejicias, satis est si formam intueare. Quæ enim inter Lyram, & montem magnitudinis comparatio? Hujus vero Nummi imagines æquales sunt, & si quid est, Lyra major est. Fingi porro potest Lyra aut æqualis, aut etiam monte major? Hinc profecto est, quod Octavian. *Sada*, qui postremus hos Dialogos Italico sermone prodidit, huic sententiæ assentiri non potuit, & jure hanc esse Cortinam judicavit.

Cæterum ex vocabulo *Cortina*, nomen ortum est *Cortinipotens*, quo nomine nuncupatus Apollo est a Lucilio in (*b*) fragmentis, ubi hæc habes: *Hunccine ego unquam Hyacintho hominem* CORTINIPOTENTIS *deliciis contendi?* Ad quem locum animadvertit Franciscus *Dousa* in suis (*c*) Notationibus, optime Apollinem erga Hyacinthum animatum hoc fuisse nomine appellatum. (*d*) *Cortinipotentem Apollinem dixit Lucilius, quod Cortinæ*, i. e. *Tripodi præsit*. Non est prorsus notum Apollinis cognomen hoc: quandoquidem apud Gyraldum, qui Deorum cognomina accurate collegit, nulla fit Apollinis *Cortinipotentis* mentio, cui in perfecta alioquin *Deorum Historia* locum esse decuit. Aliud præterea (*e*) reperitur Apollinis cognomen, quod cum illo recte congruit; quoniam alia quidem linqua, idem revera nomen est, ἔνολμος scilicet, de quo Sophocles in Tragœdiis, cujusque Cœlius Rhodiginus rationem reddit: *Partemque eam* (*f*) inquit, *in qua sederet* (Pythia) *vocari* Holmon, *unde a Sophocle Apollo dicatur* Enholmos: *quin & Vates dici* Enholmides *quodam genere videntur, ratione eadem*.

Hæc tibi de Cortina dicenda putavi. Si immoratus diutius sum, quam mihi ab initio animo proposueram, id perfectum est, quia rem mihi præ manibus habenti dignum hujusmodi cura visum est argumentum, quod Antiquariis diligentioribus, eamdemque materiam ex professo tractantibus negotium aliquando facessit. Sed multa alia, quæ habui dicere, veritus ne tibi molestus essem, silentio præterivi. In hoc tamen mihi placeo, quod satis multa mihi dixisse videor, quibus id saltem evincerem, ut vere Cortinam esse credendum sit, quæ hoc in Lapide ad Apollinis pedes cernitur, non vero pileum, ut nonnulli eruditi homines existimarunt. Si plura scire aves, aliasque Cortinæ significationes cognoscere, *Etymologicum* Vossii, *Glossarium Du Cange* & Pitisci *Lexicon Antiquitatum Rom.* fac consulas. Jam ad molem quæ est a Philosophi Biantis tergo, gradum facio.

a *Dial. V. De Num. Antiq. pag.* 76. b *Satyr. Lib. VII. pag.* 40. c *Ibid. p.* 121. d *Lib. XXIX. cap.* 20. *Adversar.* e *Histor. Deor. Syntag. VII. p.* 246. f *Lib. VIII. Lect. Antiq. cap.* 15.

III. TRIPUS.

Molem hanc Tripodem esse, jam antea diximus. Id esse persuasum tibi, ubi quæ scripsi de Cortina legeris, pro certo habeo; præsertim si hujus Lapidis figuram qua de agitur, cum Tripodum in Numismatis nonnullis antea positis impressorum figuris aliis conferre tibi libuerit. Tam plana mihi, tamque ad intelligendum facilis videtur res, ut mirari satis non queam, quid unquam ita falli tot antiquitatis amatores potuerint, quorum longa experientia erat, doctrina eximia; & in primis Kircherius, & Abbas Fabrettus, quorum utrique ipsum Lapidem Romæ percommode licuit expendere, curavitq; uterq; ut illum aut explicaret, aut meliore in lumine collocaret. Nihilo tamen secius rem in disquisitionem vocabo, cum id agatur solum ut tam novi erroris originem patefaciam, eodemque tempore ob oculos dignum observatione exemplum ponam, quo quantopere apud homines præjudicata opinio polleat, facile intelligas.

Hujus erroris fons, atque origo mehercule fuit Kircherii auctoritas. Prout Hieroglyphicis notis, in quibus præcipuo quodam studio versatus fuerat, ejus animus imbutus erat, unius generis figuras esse ille putavit, eas omnes quæ ipsi inter se similes viderentur: & quia figura de qua loquimur, ansatam Crucem, aut potius Crucem furcæ similem valde imitatur, duabus additis facibus, id excogitavit, ut litteram *Tauticam* esse diceret, notam inter Hieroglyphicas apud Ægyptios usitatam. Tametsi id ille sibi commentus est, præcipue cum de Græco alioquin lapide ageretur; qui tempore eundem confecti sunt, qua ille eximiæ doctrinæ causa valebat auctoritate procul dubio pertracti, hoc sibi inconsiderate arrogarunt.

Ut clare pateat, nihil hic esse tale, sed tantum Tripodem, recte me facturum arbitror, si qua Diodorus Siculus Delphicum Tripodem describit, tibi rationem objiciam. *Erat* (*a*) inquit, *machina* TRES BASES (sive pedes) *habens, ex quibus tribus pedibus* TRIPUS *dicta*: Εἶναι δὲ τὴν μηχανὴν ΤΡΕΙΣ ἔχουσαν ΒΑΣΕΙΣ ἀφ' ὧν αὐτὴν ΤΡΙΠΟΔΑ κληθῆναι. Quod Athenæus confirmat his: (*b*) Τρίποδα ἢ τὴν ὑπόβασιν ἔχοντες, Τρίποδες ὠνομάζοντο. TRIPODES *autem in universum appellarunt, quia* TERNIS PEDIBUS *infima pars sustinebatur*. Itaque si certum est Delphico Tripodi tres bases, sive pedes neque plures, neque pauciores fuisse, investigare oportet, utrum hi tres pedes, in hoc de quo agimus Lapide conspiciantur.

Illos hic facile reperio, hac ratione eosdem enumerans. 1. Non, ut adhuc interpretes judicarunt, hic Faces sunt, quod in hujus Lapidis emendatione (*c*) superius allata deprehendit etiam Abba Fabrettus: verum hujus Tripodis duo pedes, sive bases sunt; & quem pedem, sive basim Litteræ *Tauticæ* aut Crucis ansatæ putarunt, tertius Tripodis pes est, seu, ut cum Diodoro loquar, tertia basis. Ratio hæc est, quia non, ut nostri Interpretes crediderunt, Philosophi humeris, aut capite fulciuntur tres pedes hi, sed a Biantis tergo ad saxum, simulacri basim descendunt. Id facile planum fit aliquanto accuratius intuenti, & parvæ fasciæ quæ Tripodis pedes, ut firmiores sint, colligant, manifeste patent. Tripodum quos (*d*) antea proposuimus figuræ, & in primis Antinoi

a *Lib. XVI. Biblioth. p.* 428. b *Deipnosoph. Lib. II. p.* 38. c *p.* 60. d *Plutar. in Solone p.* 80. *Val. Max. L. IV. c.* 7. *&c.*

Nummus, has transversas fascias ostendunt, itaque apertam rem efficiunt, ut nihil sit quod objici contra possit. Sublatum his igitur est quod primum, ac potissimum iis quæ de Tripode diximus, adversabatur. Nihilo minus apte cætera cohærent.

2. Quod existimabatur superior litteræ *Tauticæ* tractus, seu transversum Crucis brachium, nihil aliud est quam crateris ora, cui Cortina hæret, quique supra cernitur hujus oræ semicirculus, ipsa Cortina est, quam rem paulo ante pluribus complexi sumus. His corroborari Spanhemii sententia potest, cui subscripsi adhuc, donec quod videretur probabilius occurreret. Hoc illud est quod Homo, qui eodem in loco cernitur, Biantis Prienei, eadem atque Archelaus in Patria nati, signum est. Hunc Philosophum ut indicaret Artifex, ab ejus tergo Tripodem constituit, ejus aurei Tripodis causa, quem Piscatores nescio qui reperere, de quo jam antea locuti sumus, & loquemur in præsens: est enim proprius hic loquendi locus; quoniam (*a*) factum hoc alioqui valde notum, non prorsus eadem ab omnibus ratione narratur. Hujus Tripodis causa exorta controversia est, quam nonnullæ Græciæ civitates suscepere: ad oraculum *Delphicum* delata res est, cujus responso Tripus ejus ætatis *sapientissimo* debebatur. Memoriæ prodidit Aristot. Discipulus Theophrastus, ad Biantem illum Tripodem initio statim allatum esse, eum ad Thaletem misisse, hunc ad alium, atque ita aliquandiu orbe peracto ad Biantem rediisse, a quo Delphos missum esse.

Colligere facile hinc licet ab Archelao designari nulla ratione melius sapientem Biantem ejus Civem potuisse, quam addito Tripode, tanquam nota. Sed eodem tempore credi potest, non ad universam Lapidis ideam hunc Tripodem pertinere, at forte apponi tanquam additamentum. Et quidem, si reapse ad rem hic Tripus esset, nihil erat cur adderetur Cortina, cum hæc ad Apollinis pedes in Antro appareat.

3. Quæ Crucis ansa nostris Interpretibus visa est, est ipsius Tripodis ansa, supra pedem posita, ex adversa parte conspicienda, & quæ visæ sunt facularum flammæ, quæ ineleganter delineatæ sunt, ut fidem facit Abbas Fabrettus, appellatæ *apices formatiles*, sunt reliquæ duæ Tripodis ansæ, quarum non conspicitur cavum, fortasse quia tantum visuntur a latere, ut etiam pedes quibus illæ respondent, quod profecto ex ipso Lapide certius fiet. Hujus generis Tripodes *ansati* vel *auriti* ab antiquis appellati sunt. Καὶ τέτων ἔνιοι ὠτώεντες, *Horum quidam* AURITI *sunt*; inquit (*b*) Athenæus. Horum in funebri Patrocli apparatu Homerus quoque meminit.

(*c*) Καὶ τρίποδ᾽ ὠτώεντα δύω καὶ εἰκοσίμετρον
Et Tripodem ANSATUM duarum, & viginti mensurarum.

Et alibi:

(*d*) Καὶ τρίποδ᾽ ὠτώεντα φέρειν
Et TRIPODA AURITUM ferre.

Ex pluribus id Numismatis comprobatur, in quibus manifeste patent Ansæ. Plurima exempla suppeditat unus Goltzius. Ad rem probandam satis sunt duo Crotoniatarum numismata, quæ sine Cortina Tripodas exhibent; extant enim Ansæ perspicuæ: illa ego descripsi.



a *Plutarch. in Solone p. 80. Val. Max. l. IV. c. 7.* b *Lib. II. Deipnosoph. p. 38.* c *Homer. Il. Ψ. v. 264.* d *Ib. v. 513.*

Si ad hoc adjunctum, & ad Homeri, atque Athenæi, quos testes produxi, locos adjecit animum præstantissimus Callimachi Interpres, hos parvos circulos, qui ex Tripodis istis patent, nihilque aliud quam Ansæ sunt, non ille profecto poma, at serta laurea censuisset; neque ad proposita Victoribus in Ludis Pythicis præmia revocasset: *In pulcherrimo Nummo a Crotoniatis cuso* (*a*) inquit ille, *cum tribus non* coronis, *ut in alio Crotoniatarum nummo apud Goltzium, sed* POMIS *desuper, noto itidem Pythiorum præmio &c.* Hi enim circuli intus vacui, ut annuli, sunt, non vero pleni quales deberent esse, si poma forent. Quos in Altero Numismate vides, illi margaritis, aut gemmis distincti sunt.

4 Magna, & rotunda figura, quam super Biantis caput aspicis, *Crater* est, seu ahenum Tripodis Cortina tecti: quandoquidem hic Tripodis locus dignior est, quippe oraculi causa, de quo mox verba faciemus, major erat ejus usus, Athenæus rotundam formam, Mundi, Solis, Lunæque globo similem Tripodi tribuit. (*b*) *Veteres*, inquit, *qui primi humaniorem victum mortalibus instituerunt, cum globosum esse Mundum arbitrarentur, ex Lunæ atque Solis figura, quæ manifesto rotunda est, in opinionem adducti, perpetuam in Orbem conversionem illius esse, ac ideo Mundo, qui omnia circumplectitur, æquum putavisse similia multa ut fierent, quæ illius formæ ac speciei congruant. Itaque & Mensam fabricatam esse orbiculatam &* TRIPODAS *Diis sacratos* ROTUNDOS; Καὶ τὰς Τρίποδας τὰς τοῖς θεοῖς καθαγιζομένας φθόεις κυκλοτερεῖς. Hoc Athenæi ductus loco, rotundum, ut notavimus antea, Hofmanus esse Tripodem pronunciavit. At certum est, non hic de integro Tripode Athenæum loqui, cujus formam probe callebat, ut ex alio, quem attuli, loco constat. Superiorem modo Tripodis partem, quæ præcipua erat, ille intelligit. Pars ea *Crater* seu ahenum Tripodis cortina tecti, ut antea diximus, erat. Hæ duæ simul conjunctæ partes, absolutum alioqui globum, aut κύκλον exhibent, cujus citato superius loco, Pollux meminit: Inferior vero pars, seu ahenum Græce γάστρα, seu γάστρη dicitur, *Alvus*, Venter, quæ pars est Tripodis interior. Hoc nos Pollux edocet, inferiores, humani corporis partes commemorans: (*c*) Καὶ Γάστρα Τρίποδος παρ᾽ Ὁμήρῳ: & VENTER TRIPODIS *secundum Homerum*. De aliis Vasorum generibus locutus in eamdem ferme sententiam verba facit: (*d*) Ὡς τὰ μέσα τῦ ἐμπύρε Τρίποδος Γάστρα κατ᾽ Ὅμηρον. MEDIETAS *autem* TRIPODIS *igniti* VENTER *secundum Homerum*. Eadem prope repetit Cœlius Rhodiginus: (*e*) TRIPODIS MEDIA *Homerus vocavit* GASTERA Homeri loci, quibus horum Scriptorum uterque nititur, nullus dubito quin sint hi: Alter Iliadis, ubi Achillis sollicitudinem, ut Patrocli fato functi corpus conservaretur, his verbis Homerus exprimit:

(*f*) ..... Ἑτάροισιν ἐκέκλετο δῖος Ἀχιλλεὺς
Ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι Τρίποδα μέγαν ὄφρα τάχιστα...
Οἱ δὲ λοετροχόον Τρίποδ᾽ ἵστασαν ἐν πυρὶ κηλέῳ,
Ἐν δ᾽ ἄρ᾽ ὕδωρ ἔχεαν, ὑπὸ δὲ ξύλα δαῖον ἑλόντες
Γάστρην μὲν Τρίποδος πῦρ ἄμφεπε, θέρμετο δ᾽ ὕδωρ.
..... *Sociis jussit divinus Achilles*
Ad ignem statuere Tripodem Magnum quam celerrime...
Hi vero lavatorium Tripoda statuerunt ad ignem ardentem,
In (ipsum) *autem aquam fuderunt: subtus autem ligna capientes*

a *Observ. in Callimach. p.* 130. b *Lib. XI. Deipnos pag.* 489. C. c *Lib. II. cap.* 4. d *Lib. XIII. cap.* 22. e *Lib. VIII. Lect. Antiq. cap.* 15. f *Homer. Il. Σ. v.* 343.

VENTREM quidem TRIPODIS ignis ambiebat, calefiebatque aqua.

Alter est Odyssteæ, ubi repetit Homerus eadem ad verbum:

(*a*) .... Ἀρήτη δὲ κατὰ δμωῇσιν ἔειπεν
Ἀμφὶ πυρὶ στῆσαι Τρίποδα μέγαν ὅττι τάχιστα.
Αἱ δὲ λοετροχόον Τρίποδ᾽ ἵστασαν ἐν πυρὶ κηλέῳ,
Ἐν δ᾽ ἄρ᾽ ὕδωρ ἔχεαν, ὑπὸ δὲ ξύλα δαῖον ἑλοῦσαι
Γάστρην μὲν Τρίποδος πῦρ ἄμφεπε, θέρμετο δ᾽ ὕδωρ.

.... Arete autem Ancillis dixit,
Ut ad ignem Tripodem ponerent magnum quam celerrime;
Hæ autem lavatorium Tripoda statuerunt ad ignem ardentem,
Aquam vero infuderunt, subtus autem ligna accendebant sumpta,
ALVUM quidem TRIPODIS ignis circumdedit; calefiebat autem aqua.

Non de Delphicis quidem Tripodibus his locis Homerus loquitur, sed de aliis ad calefaciendum aquam instrumentis constantibus e tribus pedibus, cujusmodi apud nos ahena sunt. Sed cum horum, & Delphici Tripodis eadem forma esset; nisi quod hic alios magnitudine superabat, hac eadem ratione horum Tripodum ahenis, videtur nomen Γάστρη, *Venter* datum. Hinc simili saltem sententia, apud (*b*) Athenæum Pherecrates ad Calicis, quo bibebant mulieres, depressum in medio, & large fuscum rotundum ambitum significandum, hoc usus nomine est. Hi calices materia tenues erant, forma magni, & capaces, itaque Fœminarum siti antiquis temporibus accommodatissimi.

Φασὶ δ᾽ αὐταῖσι βαθείας κύλικας ὥσπερ ὁλκάδας
Οἰναγωγὰς περιφερεῖς, λεπτὰς, μέσας γάστριδας.

Mulieribus autem profundos calices, onerariæ navi partes
Qua vinum vehitur, tenues, IN MEDIO VENTROSOS.

Ut ut res sit, hoc certum est illud nomen ei, de de qua loquimur, Delphici Tripodis parti respondere. Cui enim aptius rotundum, & concavum hujus molis ambitum, quam Ventri compares? Tum Figura, tum murmur, quod illud valde imitatur, quod in humani corporis ventre commovetur, quod pariter ex Delphici Tripodis, ut mox dicam, ventre prodibat, rem ab omni prorsus dubitatione vindicant. Quæ similitudo hoc videtur verior, quia in crateris medio umbilicus etiam quidam est, de cujus usu suo loco dicam. Hinc ex aliqua parte factu fortasse est, ut locus, ubi oraculum Delphicum situm erat, *umbilicus* appellaretur, quod illi nomen Veteres, uti nosti, posuere: ex aliqua inquam parte; etenim huic nomini dedisse causam etiam Cavernæ potest, unde e terra ventus ad oraculum exibat exprimendum, ut a fabulis ductam, quam earum scriptores tradunt, rationem omittam. Illud interim compertum est emissarium, quod in * Phialarum nonnullarum medio erat olim græce dictum ὀμφαλὸς *umbilicus*. Commemorat id Athenæus (*c*) *Asclepiades Myrleanus*, inquit ille, *libris, quos scripsit de Cratino βαλανειομφάλους ait fuisse dictas*, (Phialas) *quod eorum* UMBILICI, *& balneorum testudines consimiles forent*. Rationem reddit his verbis: (*a*) *Timarchus libro quarto de Eratosthenis Mercurio, per jocum fictum, inquit, hanc vocem,* (βαλανειομφάλους) *quisquam existimavit, quoniam Athenis balneorum plurima, cum* CIRCULARI *figura sint, emissarium* IN MEDIO *habent, cui æneus* UMBILICUS *insidet*: Διότι τὰ πλεῖστα τῶν Ἀθήνησι βαλανείων κυκλοειδῆ ταῖς κατασκευαῖς ὄντα, τὰς ἐξαγωγὰς ἔχει κατὰ μέσον ἐφ᾽ οὗ χαλκοῦς ὀμφαλὸς ἔπεστιν. Si in antiquorum Phialis hujusmodi foramina dicebantur *Umbilici*, videtur illud quoque probabile eodem donatum fuisse nomine parvum, ac rotundum os, quod in crateris in Tripodibus collocandi imo erat. Utrum notarit hæc quispiam antea, me præterit: ego quidem certe nihil nactus sum tale, aut in Sponii de Tripodum *Dissertatione*, aut Spanhemii in Callimachum *Observationibus*, ubi argumentum hoc uberius, ac fusius, tractat, aut in alio quopiam eorum monumento, qui hac eadem de re scripserunt, quod & accurate quidem consuluerim. Atqui multorum ad Oraculum Delphicum pertinentium, & quidem gravium adjunctorum cognitio inde pendet, quæ explanari adhuc non potuerunt, ut id me jam nunc demonstraturum confido.

CAP. VI.

Notationes Peculiares.

I. Usus Tripodis.

Ut ad Ventris Tripodis murmur veniam, quod ut paulo ante dixi, ferme idem est atque ilud quo intestina hominis aliquando miscentur sed plenius, atq; sonantius, satis est ad rem probandam, utverum Tripodis apud oraculum, usum patefaciam; cujus usus manca adhuc habita notio est. Illud universe scitum est, super Antri Phœbei os, unde vaticinus ventus emittebatur, molem illam constitutam fuisse, in eaque insedisse Pythiam, responsa daturam. In quo autem stato sederet loco, scitum haudquaquam est. In Cortina nonnulli quidem putarunt, quos recte sentire comperi. Eam vero alii in ipso cratere collocarunt. Ex horum numero videtur esse celeberrimus Van Dale: etenim in typo ex ære, quem in erudito ejus opere (*b*) *de Oraculis Veterum* habes, in parvi Tripodis cratere Pythiam sedentem vides. Hanc eamdem animo opinionem (*c*) Sponius imbibit, aut ut melius dicam, aliam imbibere non potuit, cum Cortinam, & Craterem Tripodis, sive ahenum promiscua habeat. Inde videtur orta opinio hæc, quod in animum plures induxerunt, ut crederent Apollinis, seu ut ajunt, Dæmonis spiritum se se in hujus Sacerdotis Ventrem, per ipsius genitales partes insinuare consuevisse; unde commodius illa divino, seu ut ajunt, impuro spiritu compleretur; quam opinionem gravibus Van Dale confutavit argumentis, quamque absurda illa sit jam modo perspicuum erit.

Non tantum ut sederet Phœbas, Tripus constitutus erat. Gravior alius erat ejus usus, magisque necessarius. Sed cum in hoc præcipue Oraculi mysterium situm esset, mirandum non est, si minus aperte hac de re scriptores veteres locuti sunt, cujus silentii rationes facile assequi conjectura licet: Nam sciscitantibus ipse Apollo respondebat, non vero Pythia, cujus longe aliud, ut mox dicam, munus erat. Hoc Apollinis os in Tripodis ventre e-

* Erat Vas angusto collo & prælongo ad sugendum. *Buleng.* de Conviv. ap. Pitiscum.
a *Homer. Odyss. θ. v.* 433. b *Lib. XI. Deipnos. p.* 481.
c *Lib. XI. Deipnos. p.* 501.

a *Ibid.* b *pag.* 141. c *In Dissert. de Tripod.*

rat, cujus murmur vocem imitabatur, excitabaturque murmur vento, quem Apollinis halitum non inepte dixeris, & e Caverna, ut Ethnici dicunt, prodigiosa exibat, quoties locuturus Deus erat. Locuturus, inquam; etenim tum modo hic Ventus flabat, cum re ipsa Deus responsa daret: cujus rei constans non erat eventus. Quod Appio contigit, idque pluribus complexus est (*a*) Lucanus, satis erit ad id declarandum. Gerentibus inter se bellum Pompejo, & Cæsare, causa publicæ rei, quam facile cuivis est intelligentia consequi, oraculo obstructum os est.

(*b*) *Quod SILUIT postquam Reges timuere futura,*
Et superos vetuere loqui.

Appius tamen Pompejo amicus clausi Delfici Templi januas aperiri jussit.

(*c*) ...... *MULTOSQUE obducta per ANNOS*
Delphica Fatidici reserat penetralia Templi.

Et perfecit ut oraculum audiret, tametsi nihil Sacerdos non egerit, locuta inter cætera in hæc verba, ut ab hoc illum consilio revocaret:

...... *MUTO Parnassus hiatu*
CONTICUIT, pressitque Deum: seu Spiritus istas
Destituit Fauces.....
...... seu sponte Deorum
Cirrha silet......
Seu Pæan solitus Templis arcere nocentes
ORA quibus solvat, nostro non invenit ævo.

Quidam Lucani Interpretes credidere, id hoc postremo versu indicare Pythiam voluisse, Apollini eum deesse, cujus ore futura prædiceret. Sed rei naturæ magis consentaneum est hanc ejus fuisse sententiam, Apollini eum deesse, cujus gratia vaticinaretur. Ita sensit Brebœuf, qui duos posteriores versus, his duobus aliis reddidit:

Soit enfin que la Terre ait rebuté les Dieux,
Ils n'ont plus de Science ou de BOUCHE en ces lieux.

H. e. tandem Terra Divos repulit,
Quid loquantur illi non habent, aut illis occlusa lingua est hisce locis.

Atque hæc eo videtur verior interpretatio, quod ubi minis Appii Sacerdos coacta ex parte respondit, Poeta subjicit, cætera Apollinem suppressisse, & fauces obstruxisse:

(*d*) *Cætera suppressit, FAUCESQUE OBSTRUXIT Apollo.*

Ut magis hæc intelligas, fac animum ad illa advertas quæ de Cratere seu labro Tripodis, & Cortina, sive operculo prædiximus. Utrumque conjunctum simul concavum globum efficit. Cæterum sonora utriusque materies erat: Ac de Labro quidem id Sponius affirmate pronuntiat: Utrum vero de Cortina idem dicendum sit, nihil est cur dubitemus. Quæ cum ita sint, illud facile est ad intelligendum, vento e terra in cavum globum per profundum foramen, quem umbilicum dixit, vi erumpente, quemdam sonitum, aut potius rumorem majorem excitari consuevisse, qui tonitrus etiam fragorem ratione aliqua imitaretur; si qua ventus flabat vim consideres. De hoc in terræ visceribus spirante vento loquitur Justinus Historicus: (*a*) *In hoc rupis anfractu*, inquit, *media ferme montis altitudine, planicies exigua est, atque in ea* PROFUNDUM *terræ* FORAMEN, *quod* IN ORACULA *patet. Ex eo frigidus Spiritus* VI QUADAM *velut* VENTO *in sublime expulsus, mentes Vatum in vecordiam vertit.* Tanto hic Ventus impetu quandoque erumpebat, ut Templum, montemque concuteret, nisi exaggerandi causa, eo quem jam (*b*) ante attuli loco, Virgilius ait:

.... *TREMERE omnia visa repente*
Liminaque Laurusque Dei, totusque MOVERI
MONS circum, & MUGIRE adytis CORTINA reclusis.

Hic idem Ventus, quo tremebat quidquid cavernam circumstabat, eodem tempore mugitum quemdam in cavo Cortinæ spatio reddebat. Hic ille mugitus, seu rumor Cortinæ est hoc vento ex antro excitatus, quem Apollinis *vocem* Veteres nuncuparunt. Id imitatus Lucanus loquentem hunc ventum ait:

(*c*) *Ut vidit Pæan vastos telluris hiatus*
Divinam spirare fidem, VENTOSque LOQUACES
Exhalare solum....

Hujus venti violentia perfectum fortasse est, ut in sublimi Tripodis loco, scilicet Cortina Phœbas consisteret. Cum enim non ut Craterem modo tegeret Cortina adhiberetur, sed ut murmuri etiam in Tripodis ventre commovendo inserviret, necesse erat, ut desuper aliquis insisteret, ne venti impetu auferretur Cortina, aut in terram dejiceretur. Probabile etiam est id muneris Pythiæ injunctum fuisse, ut strepentem rumore cavum Tripodem moderaretur, ut quod ipsi liberet, videretur, ut quod ipsi liberet, videretur aliqua ratione Apollo loqui. Neque enim, ut verum fatear, ego quidem video, quam quis recte iis possit argumentis adversari, quibus Van Dale probavit, totam hanc Oraculorum Ethnicorum rationem callide a Sacerdotibus communem credendi facilitatem ad suam utilitatem referentibus, fuisse excogitatam. Idque mihi persuadeo magis, ex quo rerum Delphici Tripodis usum comperi, qui artis calliditatem perspicue prodit. Id perpetuum est, quoties spirabat ventus, commoveri Tripodem consuevisse; quod ex eo Lucani loco aperte constat, ubi de Pythia loquitur, quæ Appium decipere nititur, & ubi alia leguntur etiam Oraculi adjuncta quæ propositæ a me hujus rei qua de agimur formæ respondent. En tibi Lucani verba

(*d*) .... *Deum simulans,* (Pythia) *sub pectore ficta quieto*
Verba refert, nullo CONFUSÆ MURMURE VOCIS
Instinctam sacro mentem testata furore,
Haud æque læsura Ducem, cui falsa canebat,
Quam Tripodas, Phœbique fidem. Non RUPTA TREMENTI
VERBA SONO, nec VOX ANTRI COMPLERE CAPACIS

a *Lib. V. Pharsal. v. 67. seq.* b *v. 113.* c *v. 69.* d *Luc. Lib. V. v. 197.*

a *Lib. XXIV. cap. 6.* b *pag. 70.* c *v. 82.* d *V. 149. Lib. V.*

SUFFICIENS SPATIUM, nulloque horrore comarum
Excussæ Laurus, immotaque culmina Templi,
Securumque Nemus, veritam se credere Phœbo
Prodiderant. Sentit TRIPODAS CESSARE furensque
Appius.....

Hæc postrema verba ita intelligi debent, ut aut rumorem, qui flante vento, & ex profundo foramine prodeunte, in Ventre Tripodis nunquam deerat, significent, aut cortinæ ejusmodi quæ sub sensus caderet motionem indicent excitatam vento per illud spatium, quo Crateri Cortina jungebatur emisso, & rumorem, aut sonum edente bovis mugitus similem. Fortasse sonus hic vim etiam acquirebat, augebaturque artificioso quodam, & in Tripodis capacitate ingeniose aptato instrumento, quod pro libidine Pythia moderaretur. Gregorii Nazianzeni Scholiastes, quem (*a*) Van Dale appellat, hanc videtur conjecturam corroborare, cum ait fatidicos quosdam calculos (ψήφυς μαντικὰς) qui consulto oraculo concuterentur, in phiala (φιάλη) hoc est cratere, seu ventre Tripodis esse: ἐν τούτῳ τῷ ἱερῷ ἦν ὁ Τρίπυς, καὶ αἱ ψῆφοι αἱ μαντικαὶ. Καὶ αἱ μὲν μαντικαὶ ψῆφοι ἦσαν ἐν τῇ φιάλῃ τῦ τρίποδος. ἡνίκα ὖν ὁ μαντευόμενος ἐρώτα περὶ τῆς μαντείας, αἱ ψῆφοι ἥλλοντο καὶ ἐκινῦντο ἐν τῇ φιάλῃ. τότε ὖν ἡ Πυθία ἐνεφορεῖτο, καὶ ἔλεγεν ἃ ἤθελεν ὁ Ἀπόλλων. Quæ ita latine interpretatus est Van Dale: *Et erant hæ sortes Divinatoriæ IN PHIALA TRIPODIS. Quando igitur ille, qui ad Oraculum consulendum advenerat, interrogationes suas instituerat, SORTES ILLÆ IN PHIALA AGITABANTUR ET MOVEBANTUR: ac tunc Pythia implebatur, & proferebat illa quæ volebat Apollo.*

Ut auctus redderetur sonus, Crateris, & Cortinæ, materies ahenorum, quibus nos utimur, non potuit esse crassior. Immo tenuior fuisse videtur, si de Tripode Delphico conjici quippiam potest, ex Peireschii Tripode, cujus craterem hac ratione Sponius describit: (*b*) *Est Crater hic ita tenuis & subtilis, ut vix chartæ Pergamenæ crassitudinem æquet, sonumque ederet acutissimum, nisi ærugo a vetuste contracta eam hinc inde perforasset fidissetque; siquidem alter ejusdem magnitudinis, proportionis & materiæ, quem confici curavimus, peracutum & admodum penetrantem sonum edidit.* Sed ex altera parte fieri non poterat ut moles tam exilis venti hujus impetum, & Pythiæ supra insistentis onus diutius ferret. Necesse igitur erat novas identidem efficere, unde exercendæ erga sacrum locum liberalitatis, opportuna & laudabilis Viris Principibus objiciebatur ratio, hujusmodi molibus dedicandis. Quod quidem non erat exigui momenti: erant enim istiusmodi donaria ex puro, putoque auro plerumque conflata: atque ita facile Templo divitiæ, ac ministris parabantur. Hinc facilis erit intellectu Suetonii locus, de quo (*c*) antea, ubi ait Augustum postquam argenteas statuas ipsi honoris causa positas, liquari jussit, Cortinas aureas Apollini sacrandas fieri jussisse: *Argenteas Statuas olim sibi positas, conflavit omnes, ex quibus* AUREAS CORTINAS APOLLINI DEDICAVIT. Si magnus erat hujus molis sonitus, credendum est murmur, seu voces inde emissas non fuisse satis claras, & interpunctis ad intelligendum intervallis distinctas. Hoc quoque nos Van Dale docet, ex Nonno Gregorii Nazianzeni Interprete, cujus verba (*d*) affert, quibus ille vocem Apollini non articulate exprimentem tribuit. En ejus verba: Δεῖ δὲ νομίζειν, εἶναι τὸν ἀνδριάντα ἐν Δελφοῖς, καὶ αὐτὸν φωνὴν ἄναρθρον ἀποπέμποντα. *Existimandum vero est, Statuam in Delphis, etiam ipsam* VOCEM INARTICULATAM *edere*. Aberravit quidem sua conjectura Nonnus, dum Apollinis statuæ confusam hanc vocem concessit, quam statuam, cum minime viderit, esse in Templo Delphico judicavit. *Putandum est*, inquit, (δεῖ δὲ νομίζειν) *esse aliquam statuam* &c. cum indistincta vox hæc prodiret ex Tripode. Sed si ad vocem spectes, dignus est cui fides habeatur, quod potest quilibet intelligere: & si hic *Dionysiaca* conscripsit, ut (*a*) nonnulli putarunt, hac in re sententiam suam ita explicavit, ut Interpretes, aliosque doctos homines, qui hoc argumentum tractarunt, valde torserit, ita tamen ut meam causam definiat, & unus tueatur. Id ibi habes, ubi de Apollinis oraculo, quod (*b*) Cadmus sciscitatum ierat, in hæc verba loquitur;

> Δελφὸν ἀσιγήτοιο μεσομφαλον Ἄξονα Πυθῦς
> Μαντοσύνην ἐρέεινε, καὶ ἔμπνοα Πύθιος ἄξων
> Κύκλον ἐπ' αὐτοβόητον ἐθέσπισε κοιλάδι φωνῇ.

> *Delphicum NON SILENTIS MEDIUM AXEM PYTHII.*
> *Vaticinium interrogavit. Et spirantia Pythius Axis*
> *CIRCULUM SUPER PER SE SONANTEM divinatus est VOCE CONCAVA.*

Hic locus totus est a me. 1. Initio statim cernitur Apollo *loquens* (ἀσίγητος) quemadmodum & (*c*) alibi Nonnus ait, ἀσίγητοι βίβλιοι, *Libri loquentes*, ἀσίγητος, θάλασσα *mare strepens*. 2. *Umbilicus in medio* (μεσόμφαλον) hoc est profundum Crateris foramen, ut interpretatus sum (*d*) ante 3. Hic Umbilicus est tanquam Polus *Axis*, id est lineæ rectæ, quam statim ventus efficit, per umbilicum ingressus, unde ad sublimem pervenit Cortinæ partem. 4. *Circulus* (κύκλος) qua voce Pollux quoque utitur; eo craterem proxime Cortina tangit. 5. Idem circulus (αὐτοβόητος) *per se sonans*: quia hujus soni causa ignota erat oraculum consulentibus. Et (*e*) alibi hujus soni meminit Nonnus, in hæc verba de Pythia, ac Tripode locutus.

> Πυθιὰς ὀμφήεσσα θεηγόρος ἔκλαγε πέτρη
> Καὶ Τρίπυς αὐτοβόητος.

> *Pythia vocalis divina planxit petra*
> *ET TRIPUS PER SE SONANS.*

6. Tandem respondebat Oraculum (Κοιλάδι φωνῇ) voce e cavo Tripodis exeunte, quem Cortina Crateri imposita tegebat. Peculiari digna sunt duo hæc postrema adjuncta observatione; quem locum, & quos ante protuli, si quis aptius explanare possit, huic ego istiusmodi laudem minime gravate concedo. Saltem dixisse satis adhuc mihi videor, ut præcipua, quibus Oraculum resonabat, artificiose accommodata instrumenta intelligas, quidquid religiose caverint Scriptorum Veterum plerique, ut nos de hoc mysterio celarent.

Antequam huic argumento finem impono, necesse est Tripodis magnitudinem, prout in nostro Lapide apparet, parumper expendere. Simul at-

a *Diss. de Orac. pag.* 156. b *In Dissert. de Tripod.* c *p.* 76. d *De Orac. p.* 155.

a *Guil. Cave, Oudin. &c.* b *Lib. IV. Dionys. p.* 128. c *Vid. Henr. Stephani Thes. Ling. Gr. Tom. III. p.* 779. d *P.* 88. e *Dionys. Lib. XIII. p.* 358.

que ejus altitudinem conspexi, captus admiratione sum, inque eam me partem dedi, ut crederem ab artis suæ præceptis Archelaum Artificem aberrasse in eo, quod ad rerum, quæ hic repræsentantur, proportionem attinet, qua de re verba superius fecimus loco suo. At ubi rem perpendi, ipse me ab omni admiratione revocavi; tantumque abest, ut, quod putarem olim, illum errasse existimem, ut hoc quoque, quemadmodum reliquis Lapidis partibus, aliud præterea præclarum artificii sui specimen dedisse ille mihi videatur. Ita enim de Pythia munus ex Tripode peractura suum loquuntur Veteres, ut sublimitatem Tripodis conjicias: Plerumque ajunt illam *ascendere*.

Id sæpe Diodorus ait, cum Templum Delphicum captum narrat a Philomelo Phocæensium Principe, unde ortum bellum, *sacrum* dictum. Initio Diodorus ait (*a*) per Philomelum *coactam Pythiam ut in* TRIPODEM ASCENDERET, *unde oraculum redderet*: *Τὴν Πυθίαν ἠνάγκασεν ἀναβᾶσαν ἐπὶ τὸν Τρίποδα δοῦναι τὸν χρησμόν*. E vestigio commentitiam oraculi originem commemorans (*b*) *ταύτῃ δὲ κατασκευασθῆναι μηχανὴν, ἐφ' ἣν ἀναβαίνουσαν, ἀσφαλῶς ἐνθουσιάζειν, καὶ μαντεύεσθαι τοῖς βουλομένοις. Εἶναι δὲ τὴν μηχανὴν τρεῖς ἔχουσαν βάσεις*. *Isti vero* (Pythiæ) *fabricatam fuisse machinam*, IN QUAM ILLA ADSCENDENS, *tuto ac sine periculo enthusiasmo afficeretur, ac vaticinaretur volentibus. Habere autem Machinam illam tres pedes*. Tandem ad Philomelum rediens ait, (*c*) *minis adegisse Pythiam ut* TRIPODEM CONSCENDERET: *διηπειλήσατο καὶ συνηνάγκασε τὴν ἀνάβασιν ποιεῖσθαι ἐπὶ τὸν τρίποδα*. Strabo, cujus verba jam jam affero, (*d*) eadem utitur voce: Pythiam Tripodem *ascendere*, & præterea addit *Altum* fuisse Tripodem. *ὑπερκεῖσθαι δὲ τοῦ στομίου τρίποδα ὑψηλὸν, ἐφ' ὃν τὴν Πυθίαν ἀναβαίνουσαν*. Extat igitur hoc in Lapide exemplar seu mavis archetypus, & quod quidem noverim, unus, unde veram Tripodis altitudinem agnoscas, cujus perfecta species comprehendi animo nondum potuit. Quæ quidem notatio aliquam afferet utilitatem iis, qui delineandi studio ducuntur, ut congruentem altitudinem effingant, non vero minorem, quod fieri plerumque consuevit, quoties Delphicum Tripodem exprimendum tabulis sibi statuerint. Qui imagines, quas habes apud Van Dale (*e*) *de Oraculis Veterum*, ex ære cælavit, cùm hujus proportionis cognitione careret, Delphicum Tripodem tertia, & amplius parte, quam oportebat minorem exhibuit. Alia præterea multa suppetunt exempla talia, quæ mihi censeo prætereunda. Intelligendum illud tamen est, sermonem de altitudine tantum Tripodis, me hic instituisse; non vero de latitudine, cujus minus apta videtur mihi hoc in Lapide imago. Hæc certe cum hujus molis usu non congruit, qualis erat temporibus illis, & exemplaribus iis illa minus respondet, quæ in Numismatis, & antiquis monumentis aliis existunt, in quibus satis lata est hujusmodi moles, & solidis, firmisque suffulta pedibus. Nullus dubito, quin id ei sit dandum vitio, qui Lapidem exscripsit, ut qui inepte hanc partem ex vera forma desumserit. Hoc mihi persuadeo potius, quam Archelao, qui cæteroquin ingenium, & artificium præ se tulit ubique suum, hunc errorem culpæ vertendum esse. Sed prætermittendum esse Tripodem tempus admonet, in quo explicando moratus sum diutius quam putaram: Cujus causa gloriari liceat, gravia quædam, & præclara de Oraculo Delphico, per me prodita, non satis adhuc explicate cognita. Supra cætera clare mihi demonstrasse videor, quæ doctissimi Interpretes a tergo palliati hominis, se hoc in Lapide deprehendisse arbitrati sunt, eorum hic nihil esse; sed esse Tripodem, & totum Tripodem cortina opertum, qualem Antiqui Scriptores describunt, & Nummi superius propositi, intuentibus objiciunt.

a *Diod. Sic. Lib. XVI. cap. 25. fine.* b *Cap. 26.* c *Cap. 27.* d *Strab. Lib. IX. p. 419.* e *pag. 140.*

II. ENGASTRIMYTHI.

Versanti hactenus in Delphico Tripode, ejusque usu, nova res sensim mihi venit in mentem, cujus ope perobscuram, & involutam inter eruditos homines excitatam de *Engastrimythis* quæstionem me explicaturum confido, de quibus fecere verba Scriptores Veteres & qui res sacras, & qui non sacras conscripsere. Convenit inter omnes (*a*) *Engastrimythos*, seu *ventriloquos*, fuisse genus quoddam hominum qui se futura prædicere profitebantur: At de iis qui id profiterentur, aut de ratione, qua id profiterentur, non convenit.

Plerique putarunt hos fuisse homines ea facultate præditos ut ventre loquerentur, aut ea verba promerent, quæ ex ipsorum Ventre, vel etiam ex remoto aliquo loco egredi viderentur. In hanc rem afferri exempla solent, (*b*) Joanne Brodæo, (*c*) Edmondo Dichinsonio, (*d*) aliisque proposita. Verum ut testimonia dimittam, quæ suspicione non carent, ubinam gentium legimus fuisse penes Veteres rationem aliquam tradendi aliis artem hanc, facultatemque communicandi? Atqui hoc modo cavendum erat, ne, his hominibus decedentibus, genus id omne tolleretur. Cujus rei argumenta ab antiquis ducta Scriptoribus jure, & eo magis desideramus, quia huic opinioni ex iis nonnulli id rei considerantes repugnant. Exemplum habes in Plutarcho, qui absurdam, puerilem, & in Deum injuriosam eorum opinionem appellat, qui contendunt in *Engastrimythorum* corpora se se Deum immittere, eorumque ore loqui: *Εὔηθες γάρ ἐστι*, (*e*) inquit, *καὶ παιδικὸν κομιδῆ τὸ οἴεσθαι τὸν θεὸν, αὐτὸν ὥσπερ τοὺς Ἐγγαστριμύθους, Εὐρυκλέας πάλαι, νυνὶ Πύθωνας προσαγορευομένους, ἐνδυόμενον εἰς τὰ σώματα τῶν Προφητῶν, ὑποφθέγγεσθαι, τοῖς ἐκείνων στόμασι, καὶ φωναῖς χρώμενον ὀργάνοις. Καταμιγνὺς ἀνθρωπίναις χρείαις οὐ φείδεται τῆς σεμνότητος, οὐδὲ τηρεῖ τὸ ἀξίωμα καὶ τὸ μέγεθος αὐτῷ τῆς ἀρετῆς*. *Est enim nimis quam* PUERILE & FATUUM *opinari, ipsum* DEUM IN CORPORA VATUM, *quos olim* ENGASTRIMYTHOS, *Eurycleas nunc* PYTHONAS *nominant*, SE IMMITTERE, *eorumque ore loqui, & voce pro instrumento uti. Qui enim Deum humanis immiscet necessitatibus, is majestati ejus non parcit, neque dignitatem & magnitudinem potestatis ejus conservat*. Satis apertus hic locus est, & quamvis post vocem *Eurycleas*, Interpres Xylander addidit hæc, *quod e ventre sermonem fatidicum promerent*: Satis est si in Græca verba conjicias oculos, ut intelligas nihil tale Plutarchum dixisse, sed tantum *engastrimythorum* ore, & voce Deum uti, ubi se se in eorum corpora insinuarit.

Duo doctrina clarissimi Viri, Hermolaus Barbarus,* & Gerardus Joannes Vossius ad veritatem aliquanto magis accesserunt. Judicavit illorum uterque *Engastrimythos* homines fuisse, qui vitreis quibusdam vasis uterentur, aut ex alia materia fa-

a *Vid. Selden. de Diis Syris p. 120. Ed. Lips. & Addit. Andr. Bayeri p. 208. seq. Vid. L. Allatii Syntagm de Engastrimytho.* b *Miscell. Lib. VIII.* c *Delph. Phœnic. c. IX.* d *Vid. Allatii Synt. de Engastrim. cap. IV.* e *Plutarch. Defect. Orac. p. 414.*

ctis, quæ dicebantur γάστραι, quorum ope futura prænuntiabant. (*a*) *Hermolaus Barbarus*, inquit (*b*) Leo Allatius, *scribit se arbitrari, eos qui in Vaticiniis Pelvibus utuntur, dici a Græcis Engastrimantes, quæ vox ab Engastrimytho non ita disparatur, quoniam γάστρη* GENUS SIT VASIS, *cujus formam alii aliter accipiunt*. Et Maimonides cum in suo (*c*) *de Idololatria* tractatu dixisset: *Sunt inter Divinatores qui utuntur arena vel lapidibus.... alii speculum ferreum vel* VITREUM VAS *inspiciunt*. Hæc Vossius addidit: *γαστρομαντεία hæc nuncupatur: nempe ἀπὸ τῆς γάστρης*, VASE VITREO AC VENTRICOSO. Verum cum hæc sentientes Litteratissimi illi Viri nulla Veterum auctoritate nitantur, & ne unum quidem exemplum afferant, quo reperiatur uspiam vas γάστρη dictum, quod quidem exemplum quam maxime erat necessarium; minime mirandum est, si qui eos consecuti sunt, huic sententiæ assentiri non potuerunt; quemadmodum ipsi a recepta ad illa usque tempora sententia recesserunt. Idque ab omnibus jure factum censeo: Neutri enim ullo suam persuasionem argumento comprobarunt: Proindeque jure mihi sperare videor, quæ conjiciendo collegi gratiora fore: Etenim veri similibus saltem argumentis, quæ dixero, me probaturum confido.

Interior Tripodis pars γάστρη, seu γάστρα *Venter* appellabatur; cujus rei nonnullos antea produxi Testes. Illud probavi præterea ex hujusmodi Ventre confusam emitti vocem consuevisse, quæ Apollinis, seu Oraculi nomine audiebatur. Tandem scitum est nomen Græcum μῦθος, quod *fabulam* plerumque significat, non raro pro *Sermone* generatim accipi. Id in Tractatu (*d*) *de Engastrimytho*, exemplis pluribus Allatius evincit: μῦθος, inquit, *& pro sermone vero & collocutione, sive loquela, qua duo vel plures inter se oratione conferunt, & confabulantur, accipitur. Plato lib. 6. de Legibus: μῦθον μυθεῖσθαι dixit, pro λέγειν. Homerus Iliados A.* Κρατερὸν δ' ἐπὶ μῦθον ἔτελλε. *&*: ἔδδεισεν δ' ὁ γέρων, καὶ ἐπείθετο μύθῳ. *&*: κέλεαί με δῖε φίλε μυθήσασθαι. Henricus Stephanus plura alia congessit exempla in suum (*e*) Thesaurum Linguæ Græcæ, ad vocem μῦθος, quibus omnis tollitur dubitatio. Nonne hæc satis sunt, ut credamus *Engastrimythum* fuisse eum hominem, qui quæ ex Ventre Tripodis confusius edita essent, exprimeret clarius, & explicaret? Has itaque *Engastrimythorum* fuisse partes judico; ut veri Apollinis Interpretes essent; genus hominum omnino necessarium, cum non ita articulatim Tripus pronuntiaret, ut ad intelligendum Interprete opus non esset.

Primis Temporibus hoc munere mulieres fungebantur, & Phœbas erat, ut ita dicam, *Engastrimytha*. Videtur contra sentire, ut probe novi, Van Dale (*f*) *in Dissertationibus de Oraculis*, ubi id in *Tractatum de Divinationibus Judæorum Idololatricis* transfert, qui ad me non pervenit. At certum est ponendam saltem esse hoc in numero Phemonoem antiquiorem Apollinis Sacerdotem, & Phemonoem aliam posteriorem, de qua Lucanus, ubi Appii mentionem facit, loco jam (*g*) ante appellato. Illæ enim in exponendo Oraculi responso occupatæ fuerunt, idque Hexametris versibus perfecerunt. Hoc de antiquiore (*h*) testatur Pausanias: Μεγίστη δὲ καὶ παρὰ πλείστων ἐς Φημονόην δόξα ἐστὶν, ὡς Πρόμαντις γένοιτο ἡ Φημονόη τοῦ Θεοῦ πρώτη τὸ ἑξάμετρον ᾖσε. *Maxima vero fuit nominis celebritate Phemonoe, ut quæ* DEI INTERPRES *prima fuerit, prima etiam* SENARIIS VERSIBUS *Oracula decantarit*: Et paulo post ipsius Pythiæ responsum (*a*) affert, hisce tribus expressum versibus hexametris:

> Ἀγχοῦ δὴ βαρὺν ἰὸν ἐπ' ἀνέρι φοῖβος ἐφήσει
> Σίντῃ Παρνασσοῖο. φόνου δὲ Κρήσιοι ἄνδρες
> Χεῖρας ἁγιστεύουσι, τὸ δὲ κλέος οὔ ποτ' ὀλεῖται.

> *Phœbi missa manu sternet lethalis arundo*
> *Parnassi Vastatorem. Tunc cæde piabunt*
> *Hunc Cretes; facti nec fama abolebitur unquam.*

Idem de altera Lucanus:

> (*b*) *Phemonoem errore vagam, curisque vacantem*
> *Corripuit* (Appius) *cogitque fores irrumpere Templi...*
> .... *Sic plena laborat*
> *Phemonoe Phœbo.....*
> *Extremæque sonant domita jam Virgine voces:*
> „ *Effugis ingentes, tanti discriminis expers*
> „ *Bellorum, Romane, minas: solusque quietem*
> „ *Euboici vasta lateris convalle tenebis.*
> *Cætera suppressit, faucesque obstruxit Apollo.*

Si oraculum in Tripodis Ventre, Apollinis ore prolatum utraque Phemonoe versibus interpretata est, utraque ex *Engastrimythorum* numero vere fuit. Se se mihi offert (*c*) Euripidis quoque locus, ubi Apollinis Sacerdos Tripodem conscendisse dicitur, & canere (profecto versibus) Oraculum, quod magno clamore Apollo fuderat:

> Θάσσει δὲ γυνὴ Τρίποδα ζάθεον
> Δελφὶς ἀείδους Ἕλλησι βοὰς
> Ἃς ἂν Ἀπόλλων κελαδήσῃ.

> *Mulier vero sedet supra sacrum Tripodem*
> *Delphica* CANENS *Græcis Oracula*
> *Quæ* APOLLO IPSISONORE EFFATUS FUERIT.

Dicamus præterea nos aliquid. Videntur hæ principio Sacerdotes ex *Engastrimythis* fecisse, &, antequam hæc Viris daretur provincia, eam diutius tenuisse. Primis enim temporibus, cum minime divitiis oraculum abundaret, necesse mehercule erat impensæ parcere, cum ita nondum fructuosum Oraculum esset, ut multis alendis hominibus sufficeret; Itaque una Fœmina satis erat ad sonum Tripodis temperandum, atque interpretandum Oraculum: Ut in parvis oppidis unus plures exercet artes; in magnis vero una Ars plures habet partes, quibus plures homines victui sibi comparant necessaria. Unam Pythiam Oraculum explicantem Diodorus Siculus (*d*) commemorat: Et id a majoribus auditione acceptum, solas Mulieres Oraculi fuisse Interpretes aperte testatur (*e*) Pausanias: Οὐ μέντοι τά γε ἥκοντα ἐς μνήμην ἐς ἄλλον τινὰ, ἐς δὲ γυναικῶν μαντείαν ἀνήκει μόνων. *Communis tamen hominum opinio, priscæ memoriæ auctoritatem secuta*, SOLAS *agnoscit* MULIERES ORACULORUM INTERPRETES.

Objiciet cum Van Dale fortasse aliquis, hoc videri supra fidem, potuisse id muneris Pythiam exequi, quæ, ut communi consensu Scriptores

a *Correct. Plin.* b *Syntagm. De Engastrimytho p.* 422. c *Cap. XI. Sect.* 7. d *Cap. I. p.* 419. e *Tom. II. p.* 982. e *pag.* 153. f *pag.* 91. g *Lib. X. pag.* 809. h *pag.* 812.

a *Lucan. Pharsal. Lib. V. v.* 126. *seq.* b *In Jone v.* 91. c *Lib. XVI. Bibl.* d *Lib. X. p.* 810.

affirmant, in Tripode sedens furiose ululabat; neque veri videri simile, tunc illam loquentem intelligi potuisse. En quæ habentur apud Lucanum:

Pectore bacchatur demens....
Spumea tunc primum rabies vesana per ora
Effluit, & gemitus, & anhelo clara meatu
Murmura: tunc mœstus vastis ululatus in antris
Extremæque sonant, domita jam Virgine, voces.

Exaggerari furorem hunc, aut etiam fingi, ut non desunt qui arbitrentur, & ego quoque arbitror, nolo dicere. Esto, vera fuerit hujusmodi agitatio; & si stricte disputamus, hoc minime ægre do, me nihil deprehendere, quod videatur accidere non potuisse. Vi venti sub terra flantis, & horribili sonitu, qui in Ventre Tripodis mugiebat, fieri poterat ut obtunderetur quodammodo Pythia, & in aliquem furorem ageretur: præcipue si verum est, quod dicitur, hoc vento Templum, ac Montem tremere. Certe hæc est Sponii sententia, cui nolo, nisi cogar, adversari: (*a*) *Verisimile*, inquit, *videtur, hoc sono Pythonissas in furorem actas fuisse, sicut in Bacchi Orgiis Cymbalorum tinnitus Bacchantes & Tigrides commovebat, & furentes reddebat.*

Respondeo itaque, quod, ut opinor, in mentem cuilibet facile veniat, Pythiam tum solitam Oraculum interpretari, cum commoveri desierit, & venti murmur cessarit. Quis enim sibi persuadeat, furente vento, excitatis clamoribus, & ululatibus, quibus totum circumsonabat vehementer Templum, versus ita proferre potuisse Pythiam, ut possent ab iis, qui Oraculum poscebant, exaudiri? Oportet quidem certe non defuisse Pythiæ Oraculi interpretandi facultatem: reapse enim interpretata est, ut ex utriusque Phemonoes, quod attuli, exemplo, & aliis, quæ missa feci, plane patet. Notandum interim est, per Lucanum, ubi a furore revocata est, responsum Pythiam dedisse:

EXTREMÆQUE sonant DOMITA JAM VIRGINE voces.

Quo loco quin interpretationem de *Brebœuf* subjiciam, imperare mihi non possum; optime enim assequitur mentem Auctoris:

Alors d'un ton PLUS FOIBLE, & d'un SOMBRE langage,
La Paix t'attend, dit-elle, &c.
h. e. *Tum remissiore vocis sono, & involuto sermone*
Pax te manet, inquit illa, &c.

Et quidem (*b*) *Domitorem Maris* Neptunum appellat Virgilius, quia quoties libet, ille sedat mare, & affirmaturus melle vini asperitatem leniri, ac temperari, ait:

(*c*) *Dulcia mella..... duri Bacchi DOMITURA Saporem.*

Ex quibus colligo, potuisse Pythiam non solum Cortinam, in Tripode regere, & oraculum sciscitantibus suis clamoribus, horrentibusque signis terrorem incutere quod præcipuum ejus munus erat, sed etiam Apollinis verba, seu confusas Oraculi voces interpretari, ac inter primos, & antiquiores *Engastrimythos* recenseri & potuisse, & debuisse.

a *Diss. de Tripod.* b *Æn. V. v. 799.* c *Georg. IV. v. 101.*

Mutata profecto ratio est, cum pretiosis (*a*) Oraculum circumfluit donis, quibus illud Græci, & Barbari cumularent, ut Ministri dicere potuerint, quod eorum nomine Plutarchus ait: Ἡμῖν ἢ λαμπρότερα καὶ κρείττονα καὶ σαφέστερα σημεῖα τούτων ἀναδίδωσιν, ὥσπερ ἐξ αὐχμοῦ τῆς πρόσθεν ἐρημίας καὶ πενίας, εὐπορίαν καὶ λαμπρότητα καὶ τιμὴν πεποιηκώς. *Nobis autem Apollo splendidiora, meliora & apertiora his signa præbuit, ex tanto, qui præcessit squalore, solitudine, pauperie, ad tantas copias, splendorem honoremque nos evehens.* Donec paupertatis causa, sumptuum ut tenues essent, ratio habenda erat, plura uni Pythiæ officia committebantur: Ubi vero crevit nominis celebritate Oraculum, & sæpius poscebatur, atque ita divitias auxit, de duobus quibus antea fungebatur muneribus alterum Pythiæ ademptum est, scilicet Oraculum interpretandi, & Sacerdotis modo munus relictum. Id ipsum postea arduum factum est, ut duabus vel tribus Pythiis, aut Sacerdotibus, uno tempore opus aliquando fuerit, cujus rei nos (*b*) admonet Van Dale juxta Plutarchum. Alia præterea peculiaris, nec exigui momenti causa procul dubio fuit, quamobrem hæc rerum mutatio contingeret. Nimirum cum Græcis versibus oraculi responsa ex more referrentur, fiebat sæpe ut Sacerdotes hæ inepte se gererent, vel quia Poesis præcepta illæ minime tenebant, vel quia composita ab aliis carmina ad verbum recitanda, non satis fideliter per injuriam memoriæ mandabant. Hinc factum est, ut acutiores homines jocarentur, quod etiam Van Dale recte (*c*) animadvertit apud (*d*) Plutarchum. Ut hujusmodi incommodum tolleretur, imminueretur que eodem tempore Pythiæ labor, inter meliores Poetas ille quærebatur qui & apte versus facere, & Oraculi reddere responsa posset, inde *Engastrimythorum* munus, quod initio penes mulieres fuerat, factum Virorum modo proprium, qui carminibus fusius complectebantur, quæ sive ligata, sive soluta numeris oratione Phœbas pronuntiaverat. Id memoriæ prodidit Strabo: (*e*) *Oraculum ipsum ajunt esse cavam profunde specum, aditu non admodum lato: ex ea spiritum efferri furoris Divini efficacem. Supra orificium Tripodem situm* SUBLIMEM, *quo* CONSCENSO *Pythia, ubi spiritum exceperit, vel carmine, vel soluta oratione sortes ab ea pronuntiari: porro* POETAS *esse quosdam Fani Administros, qui ea* (quæ Pythia pronuntiaverat) IN VERSUS NUMEROSQUE DISTENDANT. Φασὶ δ' εἶναι τὸ μαντεῖον ἄντρον κοῖλον κατὰ βάθους, οὐ μάλα εὐρύστομον. ἀναφέρεσθαι δ' ἐξ αὐτοῦ πνεῦμα ἐνθουσιαστικόν. ὑπερκεῖσθαι δὲ τοῦ στομίου τρίποδα ὑψηλὸν, ἐφ' ὃν τὴν Πυθίαν ἀναβαίνουσαν, δεχομένην τὸ πνεῦμα, ἀποθεσπίζειν ἔμμετρά τε καὶ ἄμετρα. ἐντείνειν δ' καὶ ταῦτα εἰς μέτρον Ποιητάς τινας ὑπουργοῦντας τῷ ἱερῷ. De iisdem Poetis Plutarchus quoque loquitur in hæc verba: (*f*) Πολλῶν δ' ἦν ἀκούειν ὅτι ποιητικοί τινες ἄνδρες ἐκδεχόμενοι τὰς φωνὰς, καὶ ὑπολαμβάνοντες ἔτι κάθηνται τοῖς χρησμοῖς ἐκ τοῦ προστυχόντος περιπλέκοντες. *Multos quoque audivisses qui dicerent* POETAS *quosdam etiamnum apud Oraculum desidere, qui* VOCES EXCIPERENT, *iisque subito* VERSUS ET NUMEROS *tanquam vasa quædam circumplicarent.* Adjungam etiam Euripidis locum inducentis Jonem Apollinis Filium, altum in Templo Delphico, qui instituto cum Oraculi In-

a *Plutarch. de Orac. Pyth. p. 408. fine.* b *Diss. de Orac. p. 103.* c *Ibid. p. 160.* d *De Orac. Carm. non redd. p. 390.* e *Lib. IX. p. 419.* f *De Pyth. Orac. p. 407. B.*

terpre-

terpretibus sermone, eos hortatur, ut proprio ore Consulentibus grata responsa referant:

(a) Ἀλλ' ὦ Φοίβου Δελφοὶ θέραπες
Τὰς Κασταλίας ἀργυροειδεῖς
Βαίνετε δίνας . . .
Φήμας τ' ἀγαθὰς τοῖς ἐθέλουσι
Μαντεύεσθε
Γλώσσης ἰδίας ἀποφαίνειν.

Sed o Delphici Phœbi Ministri ad
Castaliæ limpidos
Ite vertices.....
Omniaque læta cupientibus
Oracula consulere
PROPRIA LINGUA exhibentes.

Satis, ut mihi videntur, confirmant testimonia hæc, præter mulieres Apollinis Sacerdotes, certos quosdam aliquando fuisse prope periculum Poetas, qui Interpretum vicem gererent, & quæ perturbata Pythia dixerat, clarioribus versibus exprimerent: ac propterea jure a me eodem sensu, quo superius Pythiam, hos Poetas *Engastrimythorum* nomine nuncupari.

III. HOMO PALLIATUS.

Ex his, quæ hactenus de *Engastimythis* diximus, factum est ut e vestigio nescio quid conjecturæ afferre minime dubitem, quod antea facere, opportuno cæteroquin loco, ausus non fueram. Hoc ad palliatum hominem, & ante Tripodem, ad Antri Apollinei latus constitutum pertinet. Hunc ego, secundum Spanhemium Philosophum Biantem esse dixeram, ut fateor ab hac opinione me prorsus non recedere. Nihilo tamen secius ad eam partem accedere licet, & credamus probari posse, eum esse *Engastrimythum* ad majorem Oraculi hic exprimendi splendorem, ab Opifice exhibitum. Nihil ejus repugnat vestimenti genus: Officium enim hoc Poetæ quoque Strabone, & Plutarcho teste, exequebantur: Quot vero Poetæ in Antiquariorum libris, eadem ratione suis involuti palliis objiciuntur? Unus Bellorius libro, cujus Titulus: (b) *Veterum Illustrium Imagines ex Nummis, Gemmis &c.* multa suppeditabit exempla, quibus nullus dubitationi relinquatur locus. Accomodatum quoque Poetæ *Engastrimytho* complicatum volumen est, quod ille dextera manu tenet, quandoquidem reddere oraculum versibus, illorum hominum partes erant, quos antequam poscentibus enuntiarent, non dubito quin exaraverint. Quam in rem notare operæ pretium est, quod Plutarchus ait superius citato loco, hos Poetas versus suos prima quaque materia, quæ occurreret, circumplicare. (ἐκ τοῦ προστυχόντος περιπλέκοντες). Basis quidem, cui hic Homo hæret, non videtur satis apte congruere, ob ea, quæ superius attuli, rationum momenta. Sed in promptu responsio est, id ipsum quod pro basi accipitur, murum esse circa Antri os constructum, tum ut Tripodem fulciat, tum ut impedimento sit, quominus e caverna erumpentis venti vis, ejus os aliqua ratione lædat. Opponi illud etiam potest, hoc posito, duas hoc in Lapide Cortinas esse, & ambas data opera, & ad propositum finem directo ab Artifice expressas; cum illa altera sententia, tanquam Figura, & alterius rei signum Tripus appareat: Ut verum fatear, id mihi momentum grave visum est, quamobrem commoverer, non tamen quapropter convincerer, ut manus darem. Etenim Artifex, quæ in caverna peragerentur, & hæc vidente nemine intus in Templo Delphico peragi consueverant fortasse Cortina altera in Antro posita indicavit, altera vero in Tripode collocata, quæ extra, oraculi causa perficerentur. Cæterum cum Cortina, quæ in Antro est, sit Apollinis nota, cumque, si hanc posteriorem sententiam amplectimur, totus Tripus *Engastrimythi* esse nota debeat, cur ab eodem universo Sculptoris artificio rejiciendæ omnino sunt notæ duæ, quarum altera ab altera, ut totum a parte tantummodo distinguatur, cum tres Lyræ extent eodem in opere, tanquam Apollinis, & duarum musarum Clius, & Eratus, notæ cumque præsertim Apollinis, & Clius notæ sint ad unguem similes, neque ullum, ne exiguum quidem, inter eas discrimen appareat? Hæc mihi visa sunt talia, quibus pristinam sententiam mea iterum in disquisitionem vocarem, & Philosopho Bianti hic non valde necessario Poetam *Engastrimythum* anteferrem hominem apte hunc locum occupantem, utpote eum, cui cum oraculo res est, quique ad rem qua de agitur, est accomodatissimus. Si quæ assecutus sum conjectura, tu probas, tamquam idonea, & vera probabo & ego, sin minus, ab illa sententia discedendum putabo, & ad Philosophum Biantem confugiendum, aut expectandum, an quidpiam Eruditus aliquis vir rectius istis impertiatur.

IV. HOMERICUM NUMISMA.

Scribendi finem facerem, si a re alienum esse putarem, te paucis adhuc detinere proposito Numismate, quod circulus exiguis & ipse orbibus distinctus ambit, quem *conturniatum* appellant, quoque Homericam ajunt Apotheosim repræsentari. Habetur hoc Numisma in *Descriptione Musei Pharnesiani Parmæ* a Pedrusio anno 1709. edita. Tomo 5. Hujus eruditissimi e *Societate Jesu* viri liber nondum ad me pervenit. Sed ex Actis eruditorum Lipsiæ quæ legi, in hujus rei cognitionem veni, ad illum locum, ubi hujus quinti *Tomi* meminerunt. En tibi ad verbum quæ eruditi illi homines de hoc Numismate prodiderunt. *Imperatorum Nummis maximi moduli, quidam alii præmittuntur, iique Conturniati, quemadmodum appellantur, ex quibus primus memoriæ* HOMERI, *Poetæ celebratissimi quondam, infinitisque Marmoribus, Signis, Statuis, Nummisque culti, renovandæ inservit. Adversa ejus facies ostentat* IMAGINEM, *aversa* ΑΠΟΘΕΟΣΙΝ HOMERI, *qua & Marmor, in agro Ferentino inventum, quod Nobilissimus Cuperus illustravit, superbit. Homerum enim designat figurarum altera sedens, divinitatis causa hastam tenens, cui Victoria porrigit coronam, & Aquila Divinos honores denuntiat; altera velo obducta, quæ cornucopiæ gestat, Juno est; prope quam Mars cinctu militari manum tollit. Inferiorem Nummi partem Neptunus cum Delphino; & Amphitrite ad latus Tauri, junco marino a tergo enato, prostrata exornat. Hunc Nummum Cl. Pedrusius Argivis deberi credit, proptereaque Junonem adesse, editam quippe Argis in lucem, summaque ibi superstitione cultam; quanquam eam & Homeri causa, expeditionem Græcorum adversus Trojam, Junonis auspiciis susceptam Iliade describentis, locum hic tueri posse lubens largitur. Quid cæteris figuris, Marte, Victoria, Numinibus Marinis innuatur, ex bellis quæ cecinit Homerus, ex præstantia Poematum ejus, atque ex navigationibus cum totius exercitus Græci, tum Ulyssis, facile est colligere.*

Simul atque hæc legi Nummi similis qui est in Regio museo, cujus ego sum custos, mihi

a *Euripid. Jone v. 93.* b *Public. Romæ fol.* 1685.

venit in mentem. Id cujusmodi sit, ex accurato exemplari quod subjicio, compertum fiet.



Hujus nummi altera pars Homeri caput exhibet; aversa autem sex figuras continet, duas sedentes, duas stantes, duas in terra jacentes: quæ simul extant omnia in Pedrusii nummo. Victoriæ effigiem hic ille deprehendit, ad alteram Figurarum quæ sedent accedentem, & præterea Aquilam: earum Figurarum quæ sedent alteram velo obductam esse ait, eamque cornucopiæ manu gestare. Prope illam agnoscit Martem manum extollentem; in inferiore vero Nummi parte duas Figuras stratas, easque Neptunum affirmat esse, & Amphitritem. Noster quoque Nummus easdem imagines, & eodem habitu exhibet; ita ut tanta utriusque similitudine proposita, nihil dubitandum sit, quin Pharnesiani Musei Nummus, & noster unius sit generis, & ejusdem. Quæ cum ita sint, cumque, teste Pedrusio, eo nummo Homerica ἀποθέωσις contineatur, facere non potui quin meam sententiam hac epistola declararem, cujus argumentum est Homericæ ἀποθεώσεως monumentum.

Equidem ad Homericam Apotheosim hoc numisma referri posse non puto; & ne quid dissimulem, adulterinum judico. Hoc saltem certum est, Numisma Musei Regii, cujus ego exemplum obtuli, recens esse elaboratum, & opus esse fama celebris Joannis Cauvini Patavini. Egomet archetypos in Parisiensi Sanctæ Genovefæ museo vidi, inter multos alios hujus Patavini hominis Numismatum studiosi, qui ibidem servantur. In hujus Parisiensis Bibliothecæ descriptione eos Molinetus retulit ad amussim expressos, ac typo ex ære ab homine perito arte laboratos. Ibi etiam, de quo loquimur, Nummus est. Hic tamen eruditus Vir notationem addit, qua dubitat utrum ad Homericum Numisma hæc pars aversa pertineat, ac fatetur, quid illa sibi velit se intelligentia minime complecti. En ejus verba: (a) *Comme je ne sai, inquit, si ce Revers appartient a ce Medaillon, & que d' ailleurs j' en ignore l'explication, je me contenterai de rapporter les Figures, qui y sont repré sentées. Il y en a six; dont la premiére est un Jupiter assis, tenant en sa main une pique; la seconde est une petite Victoire, qui semble venir au devant de lui. La troisiéme est une Cerès, ou la Déesse de l' abondance, accompagnée de son type ordinaire. Au milieu on voit le Dieu Mars, & un Aigle à ses pieds. Enfin les deux derniéres figures, qui sont au bas de la Medaille, qui est coupée en deux, nous font voir les symboles de deux differens fleuves; ce sont deux hommes couchez de leur long, qui ont proche d'eux, ou les animaux qui habitent le pays qu' ils arrosent, ou les poissons qu' ils renferment dans leur sein, & qui les font distinguer des autres rivieres* hoc est. Cum mihi minime compertum sit, „ utrum ad hoc Numisma aversa pars illa spectet, „ & quid illa cœteroquin indicet, me pretereat, „ id unum agam, ut imagines, quæ ibi exprimuntur, objiciam. Sex ibi vides: quarum prima Jupiter est, qui sedet, hastamque manu tenet. Altera parva Victoria est, quæ videtur occurrere. Tertia est Ceres, sive Copiæ Dea, gestatque simul propriam notam: In medio situs Mars est, & ad ejus pedes Aquila. Tandem duæ postremæ figuræ, quæ in inferiore Numismatis parte collocatæ sunt, (est enim illud in duas distributum partes) duorum signa inter se distinctorum fluminum nobis exhibent: Nempe duo homines strati sunt, qui secum aut ejus regionis, quam illa rigant, animalia habent, aut pisces, quos suo illa alveo continent, quibus illa signis ab aliis fluviis dignoscuntur. „ Intelligimus ex his Molinetum, & Pedrusium de hujus aversæ partis figuris non idem sentire. Ille sedentem ad lævum latus effigiem Jovem judicat; Pedrusius vero Homerum inter Deos relatum. Penes hunc Figura altera cum Cornu Copiæ Juno est; penes Molinetum Ceres. Huic duæ videntur fluvii species in imo loco positæ: Pedrusio Neptunus, & Amphitrite: Ad Martem modo, & Victoriam quod attinet, idem illi sentiunt; ex vestibus enim, gestibusque habent quare illas imagines ab aliis facile secernant. Ut ut res sit seu pro hoc, seu pro illo ratio stet, nihilo minus certum est tum Molineti numisma, tum id cujus ostendi exemplar, adulterinum esse. Quod est præjudicii loco, quamobrem Pedrusii Nummo duobus his aliis ad unguem ut vidimus simili, & ex eadem officina desumto, non sit pluribus insistendum.

Fac Pedrusii Numisma germanum esse: Videamus interim, utrum Pedrusii Interpretatio locum habere possit. Minime vero gentium, ut ego opinor, & ante dixi. Nihil aversa pars ejus continet, quod Homero respondeat: multo vero minus ejusdem Apotheosi. Imago quæ a læva parte est nihil habet cum hoc Poeta commune magis quam cum Jove, quem ibi Molinetus agnoscit. Hujus imaginis muliebris prorsus habitus est, ut ex juvenili, & imberbi vultu ejus, ac sinu etiam apparet: quæ nec Jovi congruunt, nec Homero, & huic multo minus, quem valde barbatum ubique videas, & barbatum ab Antiquis Scriptoribus describi audias. Quod si cuipiam in mentem veniat dicere imberbem Homerum fingi, propterea quod illum consecravit Antiquitas, in magnis ille versetur angustiis, si id probare argumento aliquo jubeatur. Tantum enim abest ut ulli argumento locus esse possit, ut eos etiam, qui hanc vitam viventes minime barbati fuerint, in hisce solemnibus pompis, barbati a Veteribus fingerentur. Exempli causa, Romulus, tametsi incederet sine barba, ex quo consecratus fuit, prolixa barba propositus fuit, ut videre licet in Nummo Consulari C. Memmii, quem Patinus, & Vaillantus, secundum Ursinum publici juris fecit; & ne aliunde repetamus exempla, relatus jam inter Deos Homerus cernitur in Nummis, & nostro hoc Lapide satis conspicua barba. Unum satis est, ut ab aversa hujus nummi parte Homerum, ejusque Apotheosim rejiciamus. Cæterum Aquilæ habitus, quæ teste Pedrusio Deorum nuntia divinos honores Homero defert, huic muneri non respondet; etenim convertit alio caput, non autem erga imaginem, quam Homeri putat Pedrusius. Tandem mulier quæ Cornu Copiæ gestat, ut ut velo nonnihil obducta sit, non potest esse iccirco Juno; neque enim Pavonem secum habet, neque sceptrum, quæ plerumque in antiquis monumentis videas, neque aliam, qua illa ab aliis distinguatur, notam.

Ut meam plane sententiam patefaciam, ego mihi persuadeo jure Molinetum judicasse, nihil aver-

a *Descript. Biblioth. Sanc. Genov. p.* 112.

ſam partem hanc ad Homerum ſpectare, cujus ſignum ne unum quidem deprehenditur. Quod eo probabilius videtur, quia in dies videmus Patavinorum Numiſmatum formas ſæpe mutari, & averſas illorum partes alias cum aliis commutari, & aliorum capitibus addi, quod harum rerum ſtudioſos latere nequit.

Cum itaque hic noſter Nummus, ut oſtendi, Patavinus ſit, vero ſimile eſt, averſam alterius partem, & alteri ſubjectam capiti, cum Homeri capite conjunctam fuiſſe; neque de hac re dubitabis, ubi hanc eamdem averſam partem in alio germano Numiſmate, una cum Imperatoris Auguſti capite, noveris inveniri. Fac modo Goltzium evolvas (*a*) *in Vita hujus Principis ex nummis*, idque tibi pleniſſime perſuadebis. Id nanciſcere pariter in libro Æneæ Vici Parmenſis, ubi ille (*b*) *Imagines, & Nummos duodecim ſuperiorum Romanorum Imperatorum* deſcribit. Non eſt hujus rei oblitus Comes *Mezzabarba*, qui de Imperatorum Nummis agens his verbis utitur (*c*) DIVUS AUGUSTUS PATER, *Caput Auguſti*, AV. *Figura militaris ſtans dextram elevans inter duas alias, quarum alia ſedens, ſiniſtra Cornu Copiæ tenens, alia ſtans* (ſedet illa quidem in Nummo, ſed ita ut in errorem is facile induci potuerit) *cum haſta pura, Victoria in medio, Aquila, & Monſtra.*

Ex his certa res eſt, & ne tantillum quidem dubitari poteſt, quin multo aptius ad Auguſtum hæc averſa pars referatur, ubi in Deorum numerum relatus fuit, ut illa voce DIVUS ſatis docet Inſcriptio Capitis, quam ad Homerum, cui uſquequaque inepte accommodaretur. Auguſtum ipſum ob res bello præclare geſtas Figura Martis exprimit. Prope Victoria ſtans, quas devictis hoſtibus ille reportavit, indicat. Ad ejus pedes Aquila, Imperatorum, Imperiique Romani inſigne proprium, divinos huic Viro Principi habitos poſt mortem honores præcipue denotat: Noſti enim hanc Romanos oppleviſſe opinionem, ut laude dignos Viros Principes, ubi conſecrati fuerant, hujus Avis ſublatos alis, cœlis inſeri arbitrarentur. Quæ ad Auguſti Martis nomine expreſſi latera mulieres ſedent, Italiæ, Romæque Genii illæ ſunt, quo tranquillitatem, ac Pacem, copiæ, & otii parentem Auguſtus revocaverat. Sedentes illæ iccirco exhibentur: & Italia, quæ ad dexterum latus eſt, Cornu Copiæ geſtat. Hujus poſterioris forma eadem eſt atque illa, quæ in Hadriani, & Antonini Pii Nummis exſtat, ut & in Conſulari Nummo Gentis Mutiæ a celebratiſſimis Antiquarum rerum (*d*) ſtudioſis in lucem edito. Hoc in Nummo Romam, & Italiam ſtantes, proprio ſignatas nomine, utrinque alteram alteri porrigentes manum vides. Lævum Roma locum occupat, non ſecus atque hoc noſtro in Nummo. Manu dextera gerit hic illa haſtam, clypeum læva, Imperii virtute aucti, viriumque argumenta. Pro Clypeo Globum habet in Goltzii Nummo, univerſi Terrarum Orbis indicium, quem oſtentat a ſe ſubactum, & accipientem jura. Ita in Gentis Mutiæ Nummo hic globus oſtenditur, quem pedibus Roma premit. Hujus globi cauſa afferre poſſe me Ovidii verba puto, quæ mihi modo recurrunt:

(*e*) *Gentibus eſt aliis tellus data limite certo;*
Romanæ ſpatium eſt URBIS, & ORBIS idem.

a *Goltzii Auguſt. ex Num. cap. XXX. n. XI.* b *Cæſar. Imag. ex Nummis in Auguſto n. 30.* c *Mediob. Biragi Num. Impp. Rom. pag. 44.* d *Urſin. Patin. Vaillant. Beger. & aliis.* e *Ovid. Faſtor. Lib. II. v. 683.*

Ad hunc Nummum ea meus jam fato functus (*a*) Avunculus animadvertit, quæ meam firmiorem reddunt ſententiam. Victoria ad Romam accedit, ut magnum Victoriarum numerum, quas conſecutus Auguſtus eſt, indicet, & conſuetudinem nuntiandi ſæpe res ab ejus copiis bene geſtas. Figuræ in inferiore jacentes parte pacem, tranquillitatemque terra, marique reſtitutam, opinor, ſignificant. Senex Oceani eſt index: eſt enim illi valde ſimilis, cujus ſtatua Romæ eſt in *Viridario Cæſarinorum*, cujus etiam formam propoſuit Laurentius Vaccarius libro, cujus Titulus (*b*) *Antiquarum Statuarum Urbis Romæ Icones.* Ibi idem gubernaculum cernitur, monſtrum idem quod noſtro in Nummo, quemadmodum eadem utrique ſunt cornua capitis. Editione poſtrema Pomponii Melæ, quam habemus Gronovii opera, (*c*) Statuæ, quæ in Vireto Cæſarinorum ſervatur, forma deſcripta: ſed pro cornibus Oceani capiti additis, duas pilas Cælator exhibuit, quæ nihil ſignificant; cum ex altera parte vehementes concitati maris motus, efferatæ belluæ, atque detrimenta cornibus inferentis furoribus ſimiles ſignificari per illa cornua poſſint. Hinc ſine dubio ab (*d*) Euripide appellatus eſt Oceanus *Ταυρόκρανος Tauriceps*, aut *Taurinis cornibus inſignis*,

Πόντον Ωκεανὸς οἱ
Ταυρόκρανος ἀγκάλαις
Ἑλίσσων

Pontum OCEANUS
TAURINIS CORNIBUS inſtructus cubitis
Volvens.

Spanhemius (*e*) ubi de Nummis agit, hunc locum referens, in hanc rem notat per Heſiodum, atque Heſychium hujuſmodi epithetis Neptunum deſignari. At cum ex antiquo Lapide hujus Numinis caput exhibet, ille fallitur. Neque enim cornua quæ ibi extant, Bovis, aut Tauri ſunt, qualia cenſet ille Auctor præſtantiſſimus, & qualia, ſi Neptuni caput ſit, revera deberent eſſe: ſed Hirci, aut Capræ, qualia in antiquis monumentis Campeſtrium, ac Sylveſtrium, Deorum capitibus addita videas, quod ille ipſe vir eruditiſſimus (*f*) obſervat. Cæterum hujus capitis conformatio, ejus diductum, & ridens os, barba hircina, menti latera cana, & raſa, certo arguunt hunc eſſe Pana, aut Satyrum, in quos aptius hæ notæ quadrant, quam in maris Deum, quem ut reliquis omnibus, ita & oris habitu, ab illis neceſſe eſt valde fuiſſe remotum. Ut omnis tollatur dubitatio, ſatis eſt ſi in Oceanum Viridarii Cæſarinorum oculi convertantur, de quo jam ante, & in caput hujus Dei, in antiqua lucerna expreſſum, cujus mentionem facit Bellonius exemplari propoſito (*g*) *de Lucernis Veterum Sepulchralibus.* Ad hoc poſtremum caput quod attinet, nullum in ſuis commentariis verbum Bellorius facit; at meus Avunculus, qui Bellorii opera (*h*) iterum typis committi juſſit, Commentarios Itali hominis latine reddens non putavit prætermittendum, quin hoc eſſe Oceani caput oſtenderet. Meus itaque Avunculus in hujus Dei cornua, ſatis conſpicua, & ſingulares, quibus ab aliis diſtinguitur, notas, oblivione quadam oculos non opportune defixit. Cæterum (*i*) alibi hæc cornua commemorat, ubi Oceani in antiquo Jaſpide formati ima-

a *Begeri obſervat. in Num. Antiq. p. 56.* b *edit. Romæ 1584.* c *Lib. III. cap. 1. p. 68.* d *Oreſt. v. 1380.* e *De uſu & pr. N. Diſſ. VII. p. 369. ed. Lond.* f *Ibid. pag. 391. fine.* g *Part. III. n. 35.* h *Berol. 1702. fol.* i *Theſ. Brand. Tom. I. p. 75.*

ginem explicat, & ubi Euripidis quem ſuperius in medium attuli, locum in diſquiſitionem minute revocat, & Interpretum, qui hujus Auctoris verba tranſtulerunt, nonnullos errores emendat non infeliciter.

Altera Figura quæ hoc in Nummo Oceano e regione jacet, perſpicue Nilus eſt: certe cur id conjectem, appoſitus perfecit Hippopotamus. Si verum aſſequor conjectura, hinc illud poſſis intelligere, Ægyptum, cujus hic Flurius index eſt, in ſuam Auguſtum ditionem redegiſſe. Meam de hoc Auguſti Numiſmate ſententiam, quaſi præteriens dicendam putavi, quem nondum equidem ſatis explanatum fuiſſe comperi.

Hæc de Auguſti Nummo cujus averſam partem, de qua nos loquimur, cuum Homeri capite Cauvinus fortaſſe conjunxit, ut novum alium Nummum perficeret. Hoc itaque videtur magis credendum, id, ut jam dixi, per errorem factum fuiſſe, & Homeri caput, averſæ huic parti, cui nullo modo reſpondet, per imprudentiam additum, pro Auguſti capite cum Inſcriptione DIVUS AUGUSTUS PATER, quam ipſe Cauvinus ita confecerat; ut etiam ex hujus Numiſmatum ſtudioſi hominis formis compertum fit, quas Molinetus(a) prima tabula publicavit. De Auguſti Numiſmate, tanquam de exemplari verba feci, quod, ut eadem ratione ſæpe alia, Cauvinus imitatus eſt. Et ſane Superiorum duodecim, & aliorum etiam qui conſecuti ſunt rara Imperatorum Numiſmata Romanorum, hunc adulterinorum numiſmatum Patavinum Artificem imitatum eſſe perſpicimus. Verum cum jam noverim hunc hominem plures hac ratione Nummos, & eorum etiam qui primi Imperatores fuerunt, elaboraſſe, qui ex ejus ingenioſi hominis, & Numiſmatum ſtudioſi commentatione, ac libidine primum prodiere, affirmate pronuntiare non auſim, Auguſti Nummum quem eſſe putatem, revera germanum eſſe, propterea quod nunquam germanum exemplar inſpexi. Nihilominus tamen magnopere probabilis res eſt; ille vero alter, qui Homeri caput oſtentat, ejuſmodi eſt, ut uſquequaque adulterinam ſuam formam aperte prodat: Utcumque ſit, id tamen certum eſt hujus Poetæ Apotheoſim, quam ſe deprehendiſſe Pedruſius ſibi perſuaſerat, locum hic habere nullo modo poſſe.

Habes quidquid de eximio monumento, quod Homericam hoc Lapide Apotheoſim exhibet, mihi dignum viſum eſt quod ad te ſcriberem, & præterea illa monumenta habes, quibus quæ in ejus explicationem ab aliis antea dicta ſunt probare non potui. Præterquam quod id in me recepi, cum colloquiis poſtremis inter nos habitis familiariter in Bibliotheca Regia ſimul verſaremur, alia prorſus peculiari ratione multo magis ſtatui, me hanc tibi epiſtolam mittere. Neceſſitudine ſcilicet quæ inter Cuperum, teque intercedit, quæ ad vera illius Eruditiſſimi Viri hoc in argumento, in quo verſor ſenſa intelligenda, mihi maxime profutura viſa eſt. Cum hoc ille argumentum eruditione tractaverit non vulgari; qui cæterum nunc ætate provectus eſt, atque utinam diutius, fortunateque vitam vivat; non poſſum quin ad ipſum præcipue animum convertam in ea re, cujus curam non habere non poterit. Si qua in re me peccaſſe deprehenderit, quod quidem, in eo argumento, quod vel Doctiſſimis tot Viris perobſcurum viſum eſt, mirandum tanquam inſolens nequaquam eſſet, pergratum mihi fecerit, ſi pro ſua comitate monuerit, ut id ipſum ad meam utilitatem referam. Si vero quæ hactenus diſputavi a veritate minime recedere, & quibus uſus ſum argumentis ea firmo niti fundamento viderit noſtra, ut mihi blandior, honoris cauſa comprobabit, quod mihi erit præjudicii loco, quamobrem cauſa ſuperior evadam, & loco pignoris, quapropter hæc ab omnibus probatum iri pro certo habeam. In quo quidem recreat valde me, & alacrem eſſe jubet ea, qua, omnium conſenſu, & admiratione, litteratiſſimus ille Vir eſt animi moderatio, eademque ab eo facile illud mihi alterum pollicetur; cæterum, ſi forte noſtra probare non poſſit, & ſi quid quod apponat, habeat, certus ſum fore, ut ea ingenii ſuavitate, qua homines devincire ſolet, mecum agat. Quod illum in tui præſertim gratiam erga me facturum confido. Ut id agas, enixe te rogo, & ut plurimi te facio, ſic me futurum beneficii memorem certo ſcias. Vale. Dabam *Berolino*. Nonis Jul. An. 1714.

P. S. Cum jam ante eam hujus Lapidis interpretationem, cujus auctor Kircherius eſt, ad meæ Epiſtolæ calcem me additurum promiſerim, id modo præſtandum cenſui. Ubi in ſuo (*a*) *Latio* ille multa de ipſo Homero complexus eſt, de ejus Patria, eximia ſapientia, tantaque apud Veteres exiſtimatione, ut conſtructis ad ejus gloriam Templis, divinis honoribus coleretur, hac ratione Lapidem interpretatur.

Dividitur hoc Monumentum ἀποθεωτικὸν *in tres Ordines, Supremum, Medium & Infimum. In ſupremo ordine vides* Jovem Parnaſſo Monti *inſidentem, ſceptro una cum Aquila adſiſtente, conſpicuum, quæ auctoritatem, potentiam, & Majeſtatis ſuæ amplitudinem demonſtrant: Is converſa ad aſſeclas ſuos facie, quaſi pro Apotheoſi Homerica ſupplicantes, audire videtur; ſunt vero ſex Figuræ, ſive Muſarum, ſive ſub Charitum formis Civitates, quæ eum in numerum Deorum aſſumi poſtulabant; quarum prima rupi* Parnaſſi, *Lyra inſignitæ inſiſtens, gravis habitu, dextra manu lateri inſerta, altera veſtimenti ſyrma tenens,* Jovem *audacter alloquitur, quaſi diceret: quid tibi videtur de magno* Homero, *& tua, & divina Palladis Virtute imbuto? Tune illo honore, pro quo ſupplicamus, dignum æſtimas? Altera vero, profundo reverentiæ & venerationis actu, veluti in terram procidua, ſubmiſſo vultu, extenſaque in altum manu, idem ſupplicare videtur. Tertia rupi Parnaſſeæ inſidens, faces* Jovi *exhibet, meritumq;* Homeri *exponit, quo doctrina & ſapientia, divina Poeſeos arte mundum illuſtravit. Quarta, vultu ad Jovem converſo, binisque digitis ſublevatis, altera manu volumen tenens, a* Jove *beneficium, velut per modum adjurationis extorquere velle, occulte innuit. Quinta & Sexta, quaſi quid agendum conſultare videntur; Illa quæ ſedet, libro in manu tento, divinum in* Homero *Poeſeos ſtudium monſtrat, quo & divinos honores a* Jove *ſibi concedi debere, luculenter innuit. Atque hæc eſt vera & legitima Gratiarum apud* Jovem *de* Homero, *in Deorum numerum recipiendo, ſupplicatio. Græca vero ſub* Jovis *pedibus inciſa epigraphe, nil aliud ſignificat, niſi Statuarii, ſive hujus Apotheotici Schematis, Inventoris, ſive Sculptoris nomen & patriam, prout verba Græca docent:*

ΑΡΧΕΛΑΟΣ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΠΡΙΗΝΕΥΣ ΕΠΟΙΗΣΕ.

id eſt:

Archelaus Apollonii
Prieneus fecit.

a *Cabin. de S. Genev. p.* 74.

a *Kircherii Latium p.* 83.

In ſecundo Ordine pariter ſex Figuræ continentur, quæ & ipſæ meritum Homeri geſtibus exprimunt; & prima quidem ſedens Poeſin innuit, Lyram ſiniſtra, plectrum dextra, veluti in actu ſonandi conſtituta tenet; globum in menſa tenet, quem ſecunda figura manu indicat; & aliud nihil ſignificare videtur, niſi meritum Homeri, quo Poeſi ſua Mundi opificium, & omnia quæ in eo ſunt, divino quodam afflatu deſcripta cecinit. Tertia vero figura rupi ambabus innixa manibus, veluti exſtaſi quadam abrepta, & attonita Divinos Homeri labores contemplari videtur. Sequuntur jam Quarta & Quinta figura antro inexiſtentes, quarum prior Lyram Orphicam manu monſtrat, dextra plectro inſtructa; aſſecla vero Iliadis volumen monſtrat; in quo amores Deorum Dearumque omnium, qui per Arcum & Pharetram Faſciaſque, Cupidinis ſymbola recte indicantur, exhibentur. Antrum vero hoc aut Nympharum, aut Muſarum habitaculum notat, de quo ampliſſime Lucianum, cæteroſque Mythologos agentes vide. Erat enim proprium Nympharum Muſarumque antra inhabitare.

Sexto tandem loco, ſimulacrum Flaminis abaco inſiſtentis exhibetur; dextra volumen tenens, ſiniſtra pectus premit, & converſa ad Deas facie ſententiam definitivam exſpectare videtur, promptumque ſe exhibet ad debitorum Homero ſacrificiorum Ægyptio ritu faciendorum exhibitionem; quæ omnia duæ Faces accenſæ, cum Tautici Characteris figura, proprio Ægyptiorum in ſacris obeundis ſymbolo intermedio notant; & eſt Crux anſata, quæ Aris Templiſque Niloticis ubique inſculpta, nec non omnibus Ægyptiorum Numinum manibus inſerta ſpectatur, cujus virtutes & proprietates in Hieroglyphicis noſtris Operibus, OEdipo, Obeliſco Pamphilio & Alexandrino Minervali, nec non in Linguæ Coptæ reſtitutæ Theſauro, una cum altiſſimarum rerum, quas per eam Hieroglyptæ ſignificabant, interpretatione, quam uberrime expoſuimus, ad quæ Lectorem remittimus.

Tertius tandem ordo monſtrat Jovis executivam Apotheoſeos ſententiam, quæ quam belliſſime hic exprimitur. Et primo quidem, veſtibulo Templi Deorum Cortinam obtenſam vides, qua myſteria humano ingenio inacceſſa, & a ſolo Homero penetrata innuuntur, juxta illud: procul hinc procul eſte profani. Quæ ſane pulchre per quaternas decenti habitu exornatas Virgines, ſub actu ſtuporis & admirationis denotantur: unaquæque digito labris impoſito ſilentium ſuadet, quemadmodum olim Harpocratem quem & Sigalionem a Silentio dicunt, Ægyptii exprimere ſolebant, juxta illud Ovidii:

> Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.

Itaque more Ægyptiorum Virginem, quæ σοφίαν refert, digito labris admoto expreſſit hujus monumenti auctor, ut ſuaderet, neque de Patria & ortu Homeri, neque de ejus apud homines converſatione, neque de Operibus Deorum afflatu confectis, temere loquendum, utpote quæ omnem humanam ſuperarent æſtimationem, atque adeo ſilentio, quod capere nequeas, ſupprimendum potius, quam voce explicandum cenſeas: in quo videlicet, ut infra ſcriptæ voces notant, Φύσις, Ἀρετὴ, Μνήμη, Πίστις & Σοφία: id eſt, Natura, Virtus, Memoria, Fides & Sapientia eo dotium cumulo Homerum exornarunt, ut ἀποθέωσιν merito ſuo adeptus ſit. Φύσις quidem, ſeu Natura ſub forma pueri, qui Virginis, digito ori admoto ſilentium ſuadentis veſtem quaſi vellicare videtur, denotat inacceſſa Naturæ ſacramenta; quæ ea de cauſa, non niſi ſub umbratili fabularum integumento in Operibus ſuis hymniſque, divinitate confertis deſcripſit Homerus, ſolo ſilentio coli & adorari debere. Sunt autem quatuor potiſſimum, quibus Homerus mundum in admirationem rapuit. Virtus, Memoria, Fides & Sapientia quæ ſub forma Charitum adumbrantur. Per Virtutem indicant robur, & vim in ingenio Homeri eluceſcentem, qua Poeticis ſuis cantibus, non ſecus ac Amphion & Orpheus ſaxeos ferocium hominum animos, ad veram vivendi normam reduxit. Memoria adeo excelluit, ut quicquid ſcripſit, cum cæcus eſſet, ſolius memoriæ efficacia & vigore dictaverit, & omnium præteritorum Scriptorum monumenta, ſola prælectione facta, tenaciſſimæ mentis amplitudine & capacitate retinuerit, quod merito quidpiam in eo divinum arguit. Alexandrum Magnum, tanti Homerum feciſſe Plinius aſſerit, ut devicto Dario Rege Perſarum, cum inter ſpolia ſcrinium nobiliſſimum, & immenſa lapidum pretioſorum copia exornatum ipſi fuiſſet oblatum; mox ut viderit, excuſſis ex eo pretioſis margaritis, illud librorum Homeri cuſtodiæ tradiderit, ut pretioſiſſimum humani ingenii opus, quam maxime diviti opere ſcrinii ſervaretur. Fidem, non humanam tantum, ſed & fidem ſuam in Deum, unicam rerum omnium cauſam, in hymnis ſuis profeſſus, quam profundiſſime demonſtravit; cæteram vero Deorum Dearumque turbam, non niſi Divinarum Virtutum effluxum aſſeruit, ut proinde eum non immerito Plinius fontem ingeniorum, primumque doctrinarum & antiquitatis parentem vocet, ex quarum rerum notitia ſophiam ſeu ſapientiam adeptus, Divinarum humanarumque rerum cognitionem adquiſivit.

Sequuntur jam quatuor aliæ Muſæ, & ſunt ΚΩΜΩΙΔΙΑ, ΤΡΑΓΩΙΔΙΑ, ΙΣΤΟΡΙΑ; * & Comœdia quidem humanarum actionum ideas, ut quid fugiendum, quid amplexandum, ante oculos mortalium poſuit. Tragœdiis autem infelices hominum in ſublimi fortunæ vertice conſtitutorum exitus, ad cautelam expoſuit. Hiſtorias omnium præteritorum temporum ita feliciter attigit, ea facundia deſcripſit, ut in iis aliquid, humanis rebus altius indigetaverit; unde ei merito ob harum virtutum cumulum divini honoris tituli decreti ſint; fueritque Hecatombes, id eſt, centum boum ſacrificio honoratus, ut bovis figura Aræ appoſita apprime docet; thus quoque, & thymiamata, vinumque, quæ omnia per aſſiſtentem figuram, ſimpulum manu dextra & læva pateram, ſeu catinum thuriferum tenentem, denotantur; quam cerimoniam & actu, manu ſupra aram extenſa, & digitis thus ſpargentibus, exercere videtur.

Sequitur tandem actus ipſe Apotheoſeos; Vides Homerum throno inſidentem, ſceptro flore loti inſignito læva, dextra Iliadis volumen tenentem, majeſtate vultus conſpicuum, duobus Geniis throno utrinq; adſiſtentibus, Ægyptiaco veſtitu & geſtu adornatis, quorum primus genus flexus dextra enſem, apice in Lunæ formam arcuato, altera ſolii ſpondam amplectitur; per gladium efficacia & robur in perſuadendo, per ſpondas, ſoliditas in ſcribendo deſignatur. Alter Genius in manu flagellum ὀφιόμορφον, quaſi in aera vibrat, qua vis, & energia in Tyrannorum vitioſorumque hominum flagitiis profligandis ſignatur. Terminatur tandem ultimus actus ἀποθεώσεως, per impoſitionem coronæ Laureæ, quam ipſi alii duo Genii ſuperioris ordinis im-

* Kircherio per imprudentiam ΠΟΙΗΣΙΣ Poeſis excidit, quæ inter Muſas quarta eſt, de qua illi ſine ulla controverſia propoſitum erat dicere; & quæ revera in Lapide eſt.

ponunt. Infra vero ponuntur : ΕΥΜΕΛΙΑ, ΚΙΡΟΝΟΣ, ΙΛΙΑΣ, ΟΔΥΣΣΕΙΑ, ΟΜΗΡΟΣ, ΜΥΘΟΣ. *Per Eumeliam dulcia cantica, & reliqua* Iliadis & Odyſſeæ *Opera Omeri, ſub abdito Mythologiæ ratiocinio deſcripta denotant. Quæ pulchre ſane deſcribit* Silius *l.* 14. *de* Homeri *ἀποθεώσει canens :*

Atque hic *Elyſio* tendentem limine cernens
Numinis effigiem, caſta cui vitta ligabat
Purpurea effuſos per colla nitentia crines.
Dic, ait, hæc quoniam Virgo, cui luce refulget
Præcipua frons ſacra viro, multæque ſequuntur
Mirantes animæ, & læto clamore frequentant.
Qui vultus? quem, ſi Stygia non eſſet in umbra,
Dixiſſem facile eſſe Deum. Non falleris, inquit,
Docta comes Triviæ, meruit Deus eſſe videri;
Et fuit in tanto non parvum pectore numen.
Carmine complexus terram, mare, ſidera, manes,
Et cantu *Muſas*, & *Phœbum* æquavit honore:
Atque hæc cuncta, prius quam cerneret ordine terras,
Prodidit, &c.

ADDITAMENTUM.

CUM Diſputationem hanc, antequam typis commendaretur, Lenfantus, cujus præclara ſunt, & nota merita, quemadmodum concupierat, legiſſet; eam ad Auctorem una cum litteris remiſit, ita officioſe conſcriptis, ut eas in lucem edere Diſputationis Auctorem puduiſſet, niſi duas, treſve notationes continerent, quas ille ſibi libens arrogaret, quæque, niſi fallitur, ex acerrimo judicio exiiſſe videbantur.

LENFANTI ad Auctorem Epiſtola.

„ Præclaram Diſputationem tuam, quam ſumma legi animi voluptate, tibi remitto. Indoles tua, acumen, induſtria, doctrina recondita, quæ tua ſunt, ubique ſe produnt. Laudes, quæ ab omnibus illam manent in poſterum, tibi gratulor. En tibi nonnullas exigui momenti animadverſiones, quibus, prout tibi libuerit, utere. Vale. „

Pag. 319.

Cur ad Junonis Sacerdotis pedes additum ſit illud Μῦθος, ægre intelligentia conſequor. Si ibi Μυστὴς eſſet, & fortaſſe eſt, nihil haberem, quod contradicerem. Licet etiam credere, vitiatum hoc loco Lapidem eſſe, aut male effictum, & aliam imaginem deſiderari, quæ offerat *Fabulam* Μῦθον, quæ juxta ordinem *Hiſtoriæ* præeat.

Pag. 320.

Vocem Μνήμην ita equidem interpretarer, ut ſit ipſa memoria, quæ Homericæ Apotheoſeos cauſa exultet, quippe quæ Homero tot res, tamque admirabiles ſuppeditaverit. Velo obducta eſt, ut ſe tegat, & præterita cuſtodiat, prohibens ne illa pereant.

F I N I S.

ACHATES
TIBERIANUS,
SIVE
GEMMA CÆSAREA,

Antiquitate, Argumento, Arte, Hiſtoria, prorſus incomparabilis,

Et cui parem in Orbe Terrarum, non eſt reperire,

D. AUGUSTI APOTHEOSIN

Imp. Cæſ. Tiberii, Auguſtæque Juliæ Domus,

Seriem, & Iconas, Genteſque Bello captas

REPRÆSENTANS,

Ante annos prope mille & ſeptingentos cælata, quæ in Sacro Regis Chriſtianiſſimi Gazophylacio aſſervatur,

Et Perſonarum, figurarumque, quæ in eo Cymelio viſuntur exſculptæ, nova Notitia & Explicatio, Notis Hiſtoricis illuſtrata:

Auctore JACOBO LE ROY, libero Barone S. R. I.

AUGUSTISSIMO

CÆSARI,

LEOPOLDO

AUSTRIACO,

ROMANORUM

IMPERATORI,

PRINCIPI CLEMENTISSIMO.

Eleganter olim Crispus Passienus, Orator Romanus, ad Augustum Cæsarem dixit : Qui ad te audet scribere , Cæsar , magnitudinem tuam ignorat ; qui non audet , humanitatem . *Hac ego fisus , mitto, ad sacræ Cæsareæ Majestatis tuæ pedes, Monile Cæsareum, Augustorum tam Romanorum, quam Byzantinorum Cæsarum, Regumque Cypriorum , & deinde Francorum manibus tractatum . Gemmam dico, imo, Historiam Augustam. Apotheosim Augusti, Tiberianam Aulam; nobilissimam historiæ Romanæ partem* GEMMA *hæc, seu picturata tabula & Gemmeus Liber complectitur. Sed quia non probe ab Interpretibus hactenus intellectus , nova interpretatione , ex priscis numismatibus & scriptoribus dilucidare conatus sum. Hunc qualemcumque laborem meum, Sacræ Majestati vestræ ad genua submissus, præsento; &, licet admirandus hic* Achates , *qui hisce meis lucubrationibus argumento fuit , hodie in Cæsareo gazophylacio non asservetur , nihilominus, jure optimo ,* Augustum Cæsaris nomen *appellandum existimavit: siquidem totus fere ejus sensus ad dignitatem Cæsaream* Cæsarumque *historiam referendus : meritoque reddimus ,* QUÆ SUNT CÆSARIS, CÆSARI.

Sacræ Cæsareæ Majestatis vestræ

Humillimus & obsequentissimus Cliens

JACOBUS LE ROY,

Liber Baro S. R. I.

L E C T O R I.

DIligentiſſimus Naturæ genius Plinius lib. XXXVII. tractaturus de Gemmis, ſcribit cap. I. Pyrrhum, qui adverſus Romanos bellum geſſit, habuiſſe *Achaten, in qua* IX. *Muſæ & Apollo citharam tenens ſpectarentur, non arte, ſed ſponte naturæ ita diſcurrentibus maculis, ut Muſis quoque ſingulis ſua redderentur inſignia.*

Si res ita ſe habuit, arcanum profecto Naturæ miraculum dici debet: uti hic *Achates Tiberianus*, portentoſum humani opus ingenii. Prioris ſchema, ad intelligentiam ſui, nulla interpretatione indigebat; hujus intellectu difficile, ideoque diu me ab interpretatione deterruit: ſed Gemmæ claritas animum dedit, ut hos conatus meos publici juris facerem.

Hor. -------- *Si quid noviſti rectius iſtis,*
Candidus imperti: ſi non, his utere mecum.



GEMMA GRANDE SIVE A[illegible] [illegible] MANU PROPRIA EXCEPIT PETRUS PAULUS RUBENS PICTOR [illegible]

ACHATIS TIBERIANI, SIVE GEMMÆ CÆSAREÆ, NOVA NOTITIA ET EXPLICATIO NOTIS HISTORICIS ILLUSTRATA.

Unde Gemma hæc Augustæa ad Regis Francorum manus delata.

ASSERUNT Historiæ Augustæ Scriptores, Trajanum Augustum dum bella externa ingruerent, species Imperatorias, Gemmeamque supellectilem vendidisse, ne Romanos nimiis exactionibus exhauriret. Credibile autem est, Constantinum Augustum dum Bysantium, (quam novam Romam appellavit) conderet, ut statuas plerasque eximias, ita & species & cymelia Augustæ supellectilis secum Bysantium abstulisse.

Hanc deinde, Turcis aliisque hostibus Constantinopolitanum Imperium adorientibus, ab Imperatoribus esse divenditam.

Balduinus II. Flander, Imperator Constantinopolitanus, Anno M. CC. XLVIII. Bysantio pulsus a Palæologis, Franciam, Angliam, aliaque Regna peragravit, ut suppetiis undique conquisitis, reditum sibi ad Imperium Bysantinum muniret. Sacras Dominicæ Passionis Reliquias, Cymeliaque omnia secum abstulit, & Regibus oppignoravit ac vendidit, ut pecunia corrogata hostes suos Bysantio pelleret.

Inter alia cymelia Achates hic TIBERIANUS, & quia aliis Sacris Reliquiis mistus erat, historiam sacram continere creditus.

In ista temporum nocte, qua ante istos quadringentos annos (& quod excurrit) Europam oppressit Barbaries, & velut Scytismus quispiam Orbem occuparat, Historia prisca, & politioris Litteraturæ omni cognitione extincta; Græculi in quorum manus Gemma hæc devenerat, Romanarum Antiquitatum ignari, ut pretium lapidi adderent, (seu revera sic conjectarent) *Josephum*, in Ægypto olim *regnantem*, *sub Rege suo* hic expressum esse crediderunt.

Petrus Gassendus in vita Peireskii lib. 3. pag. 288. ait, quod *Exornata illa circum fuerat Christianis figuris, & epigraphis a Græco quodam Imperatore, adeo ut cum* Balduinus *eam oppignorasset* D. Ludovico, *ac postmodum tandem venisset in manus* Caroli *Regis, nomine* Quinti, *& crederetur sacram quandam continere historiam, in gazophilacium Sacelli Basilicæ, seu (ut vulgo indigitant) Sanctæ Capellæ, quasi donarium religiosum fuerit illata*, inibi etiamnum asservatur, sæpiusque vidi manibusque contrectavi.

RECte a Themistio Philosopho dictum est: *Imagines veteris Artis ad admirandum indigent tempore, accuratisque oculis.*

NICOLAUS FABRITIUS PEIRESKIUS, Regius in Aquisextiano Consilio Senator, priscorum Cymeliorum admirator & conquisitor solertissimus; & intelligentissimus, Cæsaris Octaviani Augusti Apotheosin, hac Gemma describi, potissimamque Augusti Aulam, ac prosapiam, illa contineri observavit: ut testatur Petrus Gassendus in historia vitæ ejus lib. 3.

JOANNES TRISTANUS Toparcha sancti Amandi, in *Commentariis Historicis Imperatorum Romanorum*, quos anno M. D. C. XXXV. Parisiis Gallico idiomate edidit, hanc Gemmam Cæsaream æri incisam in lucem dedit, & explicatione quoque eam illustrare conatus est: verum haud ea ut mihi videtur, felicitate, qua multa & difficillima numismatum ænigmata enodavit.

Nec enim cuiquam in antiquitate vel mediocriter versato umquam persuadebit, illum qui Pegaso vehitur DIVUM AUGUSTUM esse; ipsam namque Gemmam accurate inspicienti facile patebit; faciem illius non respondere lineamentis faciei Augusti, quam in nummis videmus.

Quis etiam credet, illum radiato & velato capite, JOVEM esse? quem numquam videre est nec fictum nec pictum velato capite, nisi apud Martianum Capellam, posterioris ævi Scriptorem. Adhæc, quis umquam vidit Jovem imberbem, nisi in aliquibus Gordiani & aliorum nummis? in quibus Cæsaris imberbis caput Jovi attribuitur.

Nec est quod quispiam objiciat Jovem Anxurum qui imberbis erat, Servio teste. Ille etenim juvenili specie fingebatur, ut & Jupiter Casius apud Achillem Tatium; cum ille qui in hac Gemma expressus est, jam provectæ ætatis sit. Quin etiam ipsum Jovem Anxurum Barbatum videmus in Nummis Augusti, apud Goltzium, Tab. LXXV.

Jam quis concedet illum qui Galeatus & Paludatus Trophæum humeris portat, Numerium Atticum esse? qui D. Augustum in Cælum ascen-

dentem se vidisse jurarat. Quid enim illi Senatori & Prætorio cum galea & Trophæo? nam quod Trophæum illud existimat esse mortalitatis exuvias quæ Augusto in Cælum properanti excidunt prorsus nugari est.

Quid dicam de Antonia & Livia, quibus versa vice nomina imponit? ut facile cognoscent ii qui earum effigies in nummis perspicient. Cum etiam rationi magis consentaneum sit Antoniam Matrem Germanicum amplecti; Liviam vero Augustam Tiberio filio assidere.

Volumen autem, quod Germanicum manu tenere ait, ego quidem in Gemma hac non reperio, ubi nihil aliud Germanicum tenere video, quam ansam clypei sui.

Nec illud quoque perplacet, quod arbitratur Captivum illum qui Liviæ assidet, servum aliquem aut Libertum ejus esse, qui verba Tiberii & Germanici notis excipit, cum gestus ille & schema, læva caput sustinentis, Captivi sit, aut Provinciæ subactæ: non vero Notarii, ut infra latius docebimus.

Præterea quem ipse ÆNEAM esse afferit, est ipsa Roma quæ Orbem manu tenet.

Post Peireskium & Tristanum, Monile hoc, interpretari cœpit Albertus Rubenius Petri Pauli Filius, Philippo IV. Hisp. Regi in Sanctiore Concilio a Secretis, cujus dissertationem de hac Gemma conscriptam excudi curavit Antuerpiæ, Gasperius Gevartius, ejusdem urbis Archigrammateus.

Hic itaque scriptor operi suo præfixit, non inversam, ut Tristanus, sed rectam faciem hujus Achatis, parentis sui cura in æs incisam, ad cujus intelligentiam, proxime accessit, sed in personis designandis in segmento ejus superiore & inferiore remur aberrasse.

Ergo ut sententiam meam breviter exponam, censeo Gemmam hanc continere non reditum Germanici e Germania ut Tristanus existimat, sed potius profectionem ejus in Syriam, quamvis eam sculptam esse reor aliquo tempore post profectionem ejus, quod evincit Trophæum illud, quod Drusus Tiberii filius portat.

Illi enim Ovatio decreta est Anno U. C. 772. cum Germanicus jam esset in Syria. Nec iis se angustiis adstringere voluit artifex, ut ipsam profectionis historiam simpliciter exhiberet, sed totam Tiberii aulam, Juliamque familiam, cælo terraque illustrem & gloriosam commonstrare, & una ob oculos ponere voluit: hinc & *D. Julium*, *D. Augustum*, *Drusum Germanicum*, atque etiam *Drusum Tiberii filium* adjunxit, qui eo tempore quo Germanicus ex urbe profectus est, in Dalmatia erat.

Porro ut Gemmæ istius interpretatio clarior fiat, in tria Segmenta eandem partiri visum est, superius, medium, & inferius.

SEGMENTUM I.

Superiori quidem Gemmæ segmento ista continentur.

ROMA DEA, galeata, paludamento succincta, Orbem Terrarum manu utraque gestans, Divum *Augustum Cæsarem*, *Corona radiata*, veloque sacro insignem, ac sceptrum sive hastam manu gestantem, humeris dorsoque suo impositum, in cælum evehit.

At *C. Julium Cæsarem*, laureatum, & clypeum utraque manu tenentem, pede suo ad tibiam ejus adducto leviter in altum attollit.

Quod equidem haud temere ab artifice factum existimo.

Augustus enim, longo mitique Imperio, & clementia, amorem omnium, reverentiam & justam venerationem Romanorum promeritus, in cælum ascendit.

C. Cæsar autem, ob vi invasos honores, Consulatum & Dictaturam raptam, Regis appellationem ambitam, Senatui invisus, per civile bellum tronum ascendit, quod adeo cruentum fuit, ut ex Pompeii militibus super quater centena millia occidisse feratur. Ideoque a familiarissimis cæsus, vix ab OCTAVIANO CÆSARE & Marco Antonio consecratus & in cælum missus est.

Illum autem Pegaso seu equo alato vectum, *Drusum Germanicum esse credo*, Germanici Cæsaris Patrem; nec enim facies ejus, quam in nummis expressam habemus, multum ab hac differt.

Laurea autem coronatus est, ob victoriam Germanicam. Pedo Albinovanus in Elegia de morte ejus:

Cingor Apollinea victricia tempora Lauro.

Ut vero hic ab equo alato in cælum invehitur, ita Catullus post Callimachum comam Berenices in cælum a Pesago portatam tradidit. Sed hic Drusum censeo equo pennato insidere, ut Luciferum referat, cui adolescentes Principes comparant Veteres. Virgilius lib. 8. de Pallante:

Qualis ubi Oceani, &c.

Quos Versus in Græcos vertit in honorem Maximini junioris Fabilius Græcus Litterator, ut ex Capitolino constat. Ovidius:

Surgit Iulæo juvenis cognomine dignus,
Qualis ab Eois Lucifer exit aquis.

Claudianus de Honorio:

Quis nos Luciferum roseo cum Sole niteri
Credidit.

Quin etiam aliquot ante mortem Drusi diebus, Lucifer non apparuit. Pedo de morte ejus:

Sidera quin etiam cælo fugisse feruntur,
Lucifer & solitas destituisse vias.
Lucifer in toto nulli comparuit orbi,
Et venit, stella non preeunte, dies.

Unde non male illum Luciferi equo imponunt, quasi post mortem suam vice ejus Orbi lucentem.

Luciferum autem in alato equo semper videmus in gemmis antiquis. Claudianus de Raptu:

Dum meus humectat flaventia Lucifer arva
Roranti provectus equo.

Ovidius:

—— Admisso Lucifer albus equo.

Sane Pedo Albinovanus fingit *Drusum* a Venere ex rogo ereptum, & in stellam Hesperon mutatum esse, dum ita canit in Mœcenatis obitum:

Quæsivere Chori Juvenem, sic Hesperon illum
Quem nexum medio solvit in igne Venus.
Quem nunc in fuscis placida sub nocte nitentem
Luciferum contra currere cernis equis.

Ita enim intelligo locum illum quem Interpre-

tes haud capiunt, & per *Juvenem illum* intelligo *Drusum Germanicum*, cujus obitum paullo ante celebrat, ut in principio ejusdem Elegiæ

Defleram Juvenis tristi modo Carmine fata.

Nec scio quare Scaliger velit hic non intelligi Elegiam de morte *Drusi*; qui, ut ait, post Agrippam mortuus est: sed potius Epicedium *Marcelli*; cum illud modo magis conveniat *Druso*, qui uno ante Mœcenatem anno obiit; quam Marcello qui multis antea annis.

Hespero etiam, qui idem cum Lucifero, equum tribuunt Poetæ. Statius 6. Theb.

Roscida jam novies Cœlo dimiserat astra
Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes
Mutato nocturnus Equo.

Drusus manum extendit versus Augustum quasi eum alloquens, eo gestu, qui pulchre describitur ab Apulejo lib. 2. Metam. *Ac sic aggeratis in tumulum stragulis & effultus in cubitum, suberectusque in thorum, porrigit dextram, & adinstar Oratorum conformat articulum, duobusque infimis conclusis digitis, cæteros eminentes porrigit, & infesto pollice clementer subrigens infit Thelephron.* Sic & Fulgentius de Virgilii continentia: *Itaque compositus in dicendi modum, erectis in jotam duobus digitis tertium pollicem comprimens, ita verbis exorsus est.*

Quia vero Luciferum Venus

—— *Ante alios astrorum diligit ignes.*

Ideo habenas Drusi qui hic Luciferum refert, moderatur Cupido, cujus sub effigie absque dubio, expressus est filius ille Germanici, *cujus effigiem habitu Cupidinis in æde Capitolinæ Veneris Livia dedicavit, Augustus in cubiculo suo positam, quotiescumque introiret, osculabatur, ut refert Suetonius* cap. 7. in Caligula.

Præterea in Drusum, *Romæ Deæ*, *Divi Augusti*, *Divi Julii*, & *Cupidinis* oculi sunt intenti. Ita ut Pegasi equi ungulas *Globo Terrarum* impositas *Roma* etiam attollat.

Cæterum, lapsus ex equo schema, quod in Gemma hac, expressum cernitur, *Drusum* hic denotare quoque evincit, ejusque infelix fatum: pes enim dexter herois equitis, non (ut equitantis naturalis est habitus) recte juxta primum equi crus, & coxam sese dimittit; sed retro supra postremum equi crus & coxam se extendit, quod schema lapsabundum equitem, ejusque crurifragium denotat, quo vulnere, trigesimo die quam id acciderat mortuus est, & *C. Julii* tumulo conditus, *laudatusque* est a Cæsare Augusto vitrico: & supremis ejus plures honores additi.

Sed mihi hæc, ac talia consideranti in incerto judicium est, num is inquam *Cupido* manu ad maxillas equi admota non videatur lapsum *Drusi* velle prohibere.

ANNOTATA.

ROMA DEA. Non tantum Roma infinitam hominum omni virtutum genere præcellentium seriem progenuisse, cæloque adscripsisse dicta est: sed & urbs ipsa *Roma*, cælo recepta a priscis celebratur. Hinc CL. Rutilius Numatianus vir Consularis in Itinerario, sic Romam invocat.

Exaudi Regina tui, pulcherrima Mundi
Inter sidereos, ROMA, recepta polos.
Exaudi, genitrix hominum, genetrixque Deorum,
Non procul a Cælo per tua templa sumus.

Flavius Manlius, & ipse vir Consularis, lib. 4. Astronomiæ, ita fatur.

Gallia per census, Hispania maxima bellis,
Italia, in summa, quam rerum maxima ROMA
Imposuit terris, Cæloque adjungitur ipsa.

Unde colligo, quod prima & Princeps hujus *Gemmæ* forma & persona sit, illa

Terrarum Dea, Gentiumque Roma
Cui par est nihil, & nihil secundum.

Ut ait Martialis lib. 12. Epig. 8.

Vereque de illa ante mille & ducentos annos, Divus Paulinus Nolanus Præsul cecinit.

Sedes, ROMA, *Petri*, *quæ Pastoralis honoris*
Facta CAPUT *mundo*, *quidquid non possidet armis*,
RELLIGIONE TENET.

CORONA RADIATA. A Patre visus fuit per somnium mortali specie amplior, cum fulmine, sceptro, & radiata corona, ut refert Suetonius, cap. 94. Post illum omnibus Imperatoribus consecratis illa dabatur, ut ex nummis constat. Lucanus:

Fulminibus manes radiisque ornabit & astris.

Plinius in Panegyrico: *Horum unum si præstitisset alius illi jamdudum radiatum caput, & media inter Deos sedes auro staret, aut ebore, augustioribus aris & grandioribus victimis invocaretur.*

VELOQUE SACRO INSIGNEM. Ut sæpe videmus Imperatores & Augustas in nummis post Apotheosim: ut notat Anton. Augustinus Dialogo 2. Velum est Symbolum Æternitatis, quam velato capite videmus in nummis Faustinæ & aliorum. Hinc & Martianus Capella lib. 1. ita Jovem fingit: *Tunc* (inquit) *Jupiter publica & quæ Senatum contracturus assumit indumenta percipiens apponit primum vertici regalis serti flammantem Coronam, contegitque ex posticis caput quodam velamine rutilante quod ei præsul operis Pallas ipsa texuerat.* Sic etiam Eusebius de vita Constantini lib. 4. c. 73. de nummis signatis post mortem ejus. *Jam vero in ipsis nummis exsculptæ formæ quæ una parte Beatum hunc nostrum velato capite repræsentabant: altera parte quadrigis instar Aurigæ insidentem demissa illi cœlitus manu dextra exceptum.* Cujus nummi figuram exhibet Card. Baronius ad annum Christi 337. Sed fallitur: cum ait hoc non reperiri de nullo alio Imperatore inter Divos relato, & censet Christianorum hoc inventum esse.

SCEPTRUM SIVE HASTAM. Omnibus enim *Deorum simulacris hastæ adduntur*, ut ait Justinus lib. 43.

HUMERIS DORSOQUE SUO IMPOSITUM. Quos amamus humeris portamus. Sic M. Tullius Cicero gloriabatur se in exilium pulsum, *ipsis Romæ humeris* in Italiam esse revectum.

C. JULIUM CÆSAREM. Faciem C. Julii refert, & cum hic *Apotheosis Divi Augusti* exprimatur, indignum fuisset, *Divum Julium*, in Juliæ domus serie omitti, is enim est

Qui fessus bellis, assertæ munera prolis:

Primus iter nostris ostendit in æthera Divis.

Ut Papinius ait Sylvarum lib. 1. in Equo Domitiani Aug. & Horatius:

Micat inter omnes Julium sidus,
Velut inter ignes luna minores.

ET CLYPEUM UTRAQUE MANU TENENTEM. Nimirum quia dicebatur Clypeus, & Assertor Romani Imperii, adversus gentes barbaras. Quo elogio sæpius honoratus fuit.

DRUSUM GERMANICUM ESSE CREDO. Elegantissimum Drusi elogium exstat apud Vellejum Paterculum, his verbis: *Cura deinde atque onus Germanici belli delegata Druso Claudio, fratri Neronis, adolescenti tot tantarumque virtutum, quot & quantas natura mortalis recipit, vel industria percipit; cujus ingenium utrum bellicis magis operibus, an civilibus suffecerit artibus, in incerto est. Morum certe dulcedo ac suavitas, & adversus amicos æqua ac par sui æstimatio inimitabilis fuisse dicitur. Nam pulchritudo corporis, proxima fraternæ fuit. Sed illum magna ex parte domitorem Germaniæ, plurimo ejus gentis variis in locis profuso sanguine, fatorum iniquitas, Consulem, agentem annum tricesimum, rapuit.*

SEGMENTUM II.

Medio Gemmæ segmento ista continentur.

Augustali solio insidet TIBERIUS, qui superiores corporis partes nudas, inferiores habet tectas, ut *Jovem* referat, qui ita fingebatur ab Antiquis, ut constat ex Porphyrio apud Eusebium lib. 3. de præpar. Evang. c. 9.

Hinc etiam sceptrum aut hastam tenet, quæ Jovi semper tribuitur. Vide I. Rycquium in Capitolio suo, cap. 19.

Crepidas quoque, sive soleas gestat, ut videmus Jovem in Statuis antiquis, vide Boissardum parte 3. Antiquit. Sic etiam Jupiter Olympius crepidatus erat.

Nec Jovem solum, sed omnes alios Deos Græci, & Romani qui ab iis Deos sumpserant, cum crepidis aut soleis finxerunt, ut videmus in monumentis antiquis: hinc Juvenalis Satyra 3.

Phæcasiatorum vetera ornamenta Deorum.

Huc referri debet id quod Suetonius narrat cap. 4. de Domitiano, qui Virginum *certamini præsedit crepidatus purpureaque amictus toga græcanica, capite gestans coronam auream.*

Lituum læva Tiberius tenet ob Auguratum quo omnes Imperatores ornabantur, ut notat Gutherius lib. 1. de Jure Pontif. c. 15. Sic apud Virgilium lib. 8. Æneid.

Ipse Quirinali Lituo, parvaque sedebat
Succinctus Trabea.

Sic & Plutarchus in Romulo tradit, illum Lituum gestasse, & Numam & Ancum videmus in nummis cum Lituo, ut etiam D. Julium, & Augustum Cæsarem, apud Goltzium in Augusto Tab. 23. & Tab. 45.

Illud autem indumentum ex Squammis Serpentum contextum non dubium ÆGIDA esse, quam Imperatores Romani portabant ad imitationem Jovis, hinc Martialis lib. 14. Epig. 179.

Dic mihi Virgo ferox, cum sit tibi cassis & hasta,
Quare non habeas Ægida? Cæsar habet.

Videri quoque possunt apud Jac. Stradam folio 87. & 99. numismata Caracallæ & Alexandri Severi cum Ægide.

Assidet *Tiberio* in eodem solio ad dextrum latus *Livia* ejus Mater, tunicata, etiam laureata, utpote quæ *Augusta* erat, & dominationis fere *socia* & Imperii consors, ita ut litteræ *Tiberio* scriptæ, etiam matri ejus inscriberentur, teste Dione lib. 57. Quod miror (*inquit Rubenius*) non animadversum esse a Tristano, qui mutatis partibus, personam *Liviæ*, tribuit *Antoniæ*, & contra; quam Peireskius & nos, *Liviam* esse censemus, ipse *Antoniam* nominat. Sed ut argumentum suum illi reponam, nullam veri speciem habet, *Antoniam* quidem, quæ demum a Cajo Cæsare *Augustæ* titulum obtinuit, in Augustali throno locatam esse, *Liviam* vero Augustam Tiberio adstare.

Papavera autem manu gestat, quæ felicitatem publicam indicant, & in omnibus Augustarum statuis Romæ videmus, ut etiam in nummis.

Quia vero Gubernaculum Navis Liviæ appositum cernitur, hinc credo illam hic fictam esse sub specie BONÆ FORTUNÆ P. R. Fortunæ enim *Gubernaculum navis attribuebant Antiqui*, ut ait Galenus in sua Suasoria, videndus etiam Lactantius lib. 3. Institut. Divinar. cap. 39.

Captivus ille, qui sellæ Augustorum assidet, Armenius quidam est, aut Armenia ipsa, quam eodem prope cultu videmus apud Ant. Augustinum Dialogo 3. in nummis æneis L. veri, cum Inscriptione

TRIB. POT. IIII. IMP. II. ARMEN. S.C.

Qui habitus pulchre describitur a Philostrato lib. 1. Iconum in Rhodogune: sed de Orientalium Tunicis, Sarabaris, & Tiaris, aliisque indumentis, videndus Brissonius, de Regno Persarum. Illud solum dico ex hac Armeniæ Tiara perspicuum, quæ sint apud Virgilium, *redimicula mitræ*; & apud Lucretium *Anademata*.

Sedet autem Armenia tristi gestu, caput manu sustentans, ut in nummis Vespasiani & aliorum Judæa, aliæque regiones devictæ: Libanius in excidio Trojæ, describens mulierem Trojanam: *præterea cervix cum facie nutabat; deinde e manibus dextra caput sustinet.* Sic etiam Polygnotus pinxit Sarpedonem apud Inferos, capite in utramque manum incumbentem, teste Pausania in Phocicis.

Tiberium vero Armeniam in potestatem P.R. redegisse, præter Vellejum & Suetonium testatur Horatius:

Claudi virtute Neronis
Armenius cecidit.

Et Armenia quidem hic sculpta est, non Pannonia, Dalmatia, aut aliæ regiones a Tiberio domitæ, ob paritatem exempli. Ut enim Tiberius Armeniæ devictæ Tigranem Regem imposuit, ita & Germanicus missus fuit in Syriam, ut Armeniæ motus componeret, cui etiam Regem dedit Zenonem Polemonis Regis Pontici filium. Videndus Tacitus lib. 11. Annal.

Retro post Liviam Aug. adstat *Drusus junior* Tiberii Aug. filius, quod dubium nulli erit, qui Drusi ipsius effigiem ex nummis cum hac conferat.

Et Trophæum quidem fert, ob res in Germania bene gestas. Quapropter Patres decrevere ut ovans urbem introiret, ut notat Tacitus lib. 2. Annal.

Manum vero extendit versus Augustum, cui ut

Deo vota suscipit pro salute Tiberii & P. R. Orantium enim ille habitus est, ut manibus extensis in cælum precentur, ut ait Apulejus de mundo post Aristotelem. Nisi forte magis placeat, illum manum tendere ad Orbem quem *Dea Roma* manu portat, ut successione sibi debitum. Per Sphæram enim Imperium designatur, ut notum est ex nummis in quibus Titus a Patre Orbem accipit, Nerva a Senatu, Hadrianus a Trajano, &c. hinc & in Imperatorum manibus Sphæram collocant. Videndus Lindenbrogius ad lib. 21. Ammiani Marcellini.

Assidet *Druso* juniori *Livilla* ejus uxor stolata, & lævæ manui columnatim innititur, quasi phantastica, dextram ad Sphingem sedis suæ pedem extendit.

Quod vero Tristanus tot mysteria inveniat in sphynge hac, quam ait sudarium manu tenere ut lacrimas abstergat, mihi plane ridiculum videtur. Sphinges enim faciebant, sellas & lectos sustinentes, ornamenti causa; ut ex Callixeno Rodio in Ptolomæi pompa clare constat apud Athenæum lib. 5. Sudarium autem quod ipse vidit, nihil aliud est quam lacinia stolæ Livillæ.

Cæterum Tristanus *Juliam* Augusti filiam existimavit, quam Rubenius & nos Livillam dicimus. Sed perpendant Eruditi an credi debeat, (inquit Rubenius) *Vomicam illam Domus Cæsaris Augusti, hic expressam esse, & quidem sub* Tiberio, *qui infesto semper odio illam prosecutus, mox ut principatum adeptus est, extorrem, infamem, & post interfectum Agrippam, omnis spei egenam, inopia ac tabe longa peremit. Incidit autem mors* Juliæ, *(Tacito teste) in annum Julianum LIX. ab urbe condita* 767. *At certum est gemmam hanc cælatam esse post reditum* Germanici *e Germania, qui contigit exeunte anno Juliano LXI. aut ineunte LXII. duobus nimirum post Juliæ mortem annis.* Itaque rectius meo judicio cum Peireskio *Rubenius* censuit esse *Liviam* seu *Livillam* Germanici sororem, nuptam *Druso Tiberii filio*; quam Juliam de qua Vellejus histor. II. ita scribit.

Fœda dictu, memoriaque horrenda in ipsius domus tempestas erupit. Quippe ejus filia Julia, per omnia tanti parentis ac viri immemor, nihil quod facere aut pati turpiter posset femina, luxuria, libidine, infectum reliquit; magnitudinemque fortunæ suæ peccandi licentia metiebatur, quidquid liberet, pro licito judicans; vide & Senec. de benef. lib. 6. cap. 32.

Ad lævum Tiberii latus adstat *Antonia* Aug. Drusi uxor, Cæsaris Germanici mater, & ipsa laureata, hæc *Germanicum* filium suum expeditioni bellicæ a Tiberio jussæ accinctum, perque caput suum jurantem complectitur, qui & sago & paludamento insignis, clypeum tenet, & ocreas quoque in utroque crure portat, unde patet quod Vegetius tradit lib. 1. cap. 15. nempe *pedites scutatos, ferreas ocreas in dextris tantum cruribus portasse*, in posterioris temporis militia obtinuisse, ut notavit Lipsius lib. 3. de militia Romana. Sic & Homerus Heroibus suis binas ocreas attribuit; & Virgilius Æneæ,

Tum leves ocreas electro auroque recocto.

Et frustra La Cerda, qui, ut conciliet Virgilium cum Vegetio, censet Virgilium Æneæ equestrem armaturam tribuere, cum Æneas numquam ex equo pugnet, sed aut pedes, aut ex curru.

Retro *Germanicum* sedet uxor ejus *Agrippina* volumen manu tenens, ut alias sæpe Augustæ & illustres fœminæ; non stolata ut *Livia*, *Antonia*, & *Livilla*, sed chlamidata, ut quæ perpetuo in castris cum marito suo versans, munia Ducis quandoque obibat: hinc illæ Tiberii querelæ, apud Tacitum 1. Annal. Nihil *relictum Imperatoribus, ubi fœmina manipulos intervisat, signa adeat, largitionem teneat.*

Sic Agrippina Claudii spectaculis præsedit chlamide aurata, ut tradunt *Tacitus* 12. Annal. & Dio. Sic Dido apud Virgilium ad venationem proficiscitur.

Sidoniam picto chlamydem circumdata limbo.

Zenobia quoque Imperiali sagulo, perfuso per humeros habitu se ornabat, ut ait Trebellius Pollio.

Juxta matrem adstat filius puer *Caligula* & ipse militari habitu & clypeatus, ut qui

In castris natus patriis, nutritus in armis, &c.

Dextram manum elevatam tenet, quo statu semper videmus vigiles qui in excubiis agunt in Columna Trajana. Consule Ciacconium in explicatione ejusdem num. 22. 109. & 114.

Hinc eodem gestu cernitur in nummis Claudii *Constantia* expressa. Designatur ergo, Caligulam a puero, cum manipulario habitu inter milites educabatur, jam tum officiis militaribus se exercuisse.

Calcat etiam arma hostium ob victorias Patris; & solus *Caligula* hic expressus est, non fratres ejus *Nero* & *Drusus*, quia ipse Patrem in omnibus expeditionibus comitatus est. Vide Suetonium.

Illud notandum, nec *Germanicum*, nec filium ejus *Caligulam*, caliga militari indutos esse, sed calceo aut socco qui totum pedem tegit, ut digniores militum videmus in Columna Trajana, Antoniana, & aliis antiquitatis monumentis; maxime quando ocreas portant. Ita in libello, qui notitiæ Imperii subjungitur, de rebus bellicis Thorocomachus describitur, *Soccis etiam, hoc est calceamentis, & ferratis ocreis indutis, superposita galea & scuto, ac gladio lateri aptato, arreptis lanceis in plenum, pedestrem subiturus pugnam miles armabatur.*

ANNOTATA.

AUGUSTALI SOLIO INSIDET TIBERIUS CÆSAR. De moribus Imp. Tiberii, sic Lipsius c. 6. de Principum inclinatione agens.

Quid Tiberium *Romanum Principem loquar? res pernota est, bonum fuisse, donec* Germanicus *ac* Drusus *superfuere; mixtum virtutibus ac vitiis, matre incolumi; post in omne scelus, flagitium, & infamiam prorupisse, ut ipsum quoque interdum non factorum solum (animo torquente) sed vitæ pœniteret.*

ÆGIDA, hanc pulchre describit Quintus Calaber, lib. 14. & Virgilius lib. 8.

Ægidaque horrificam divinæ Palladis arma
Certatim squammis serpentum, auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore Divæ
Gorgona desecto vertentem lumina collo.

Ad quem locum Servius: *Ægis est proprie munimentum pectoris æreum, habens in medio Gorgonis caput, quod munimentum si in pectore numinis fuerit, Ægis vocatur, si in pectore hominis, sicut in antiquis Imperatorum statuis videmus, Lo-*

rica dicitur. Martialis lib. 7. Epig. 1. ad Loricam Domitiani.

Accipe belligeræ crudum thoraca Minervæ,
Ipsa Medusææ quem timet ira Deæ.
Dum vacat, hæc, Cæsar, poterit Lorica vocari:
Pectore cum Sacro sederit, Ægis erit.

LIVIA: de ea Vellejus Paterculus histor. lib. II. *Nobilissimi & fortissimi viri Drusi Claudiani filia, genere, probitate, forma, Romanarum eminentissima, quam postea conjugem Augusti vidimus, quam transgressi ad Deos Sacerdotem ac filiam, tum fugiens mox futuri sui Cæsaris arma, cujus bimum hunc Tiberium Cæsarem, vindicem Romani Imperii, futurumque ejusdem Cæsaris filium, gestans sinu, per avia itinerum vitatis militum gladiis uno comitante, quo facilius occultaretur fuga, pervenit ad mare, & cum viro Nerone pervecta in Siciliam est.*

In ejus memoriam *Porticus Liviæ* excitata, de qua Naso in Fastis sic Posteritatem alloquitur:

Disce tamen, veniens Ætas, ubi LIVIA *nunc est*
PORTICUS, *immensæ tecta fuere Domus.*

PAPAVERA. Cererem quandoque referunt, cujus habitu sæpe finguntur, ut docet Tristanus in Commentariis Historicis ad Numisma VIII. Antonini Pii. Cereri autem Papavera sacra sunt, ut ex Phurnuto & aliis constat.

BONÆ FORTUNÆ. Ut autem Livia hic ornata est insignibus FORTUNÆ, ita etiam in antiquo Numismate Augusti; in quo ab una parte visitur Augustus Laurea coronatus, ut Apollo; ab altera, Livia, Papavera, temonem Navis, & Cornucopiam tenens. Vide Tristanum Tab. 3.

CAPTIVUS ILLE QUI SELLÆ AUGUSTORUM ASSIDET, sedens mœrens, & columnato brachio caput sustentans, forsan Phraates est Parthorum Rex, qui Regno extorris Augusti fidem & auxilium imploravit, & ab illo in Regnum est restitutus: sedet enim supplicis habitu ad pedes & suppedaneum Liviæ & Tiberii. Hinc Horatius de illo:

—— *Jus Imperiumque Phraates*
Cæsaris accepit, pedibus minor.

GERMANICUM. De morte ejus ista leguntur apud Suetonium in Caligula. *Obiit autem (ut opinio fuit) fraude Tiberii, ministerio & opera Cn. Pisonis. Qui sub idem tempus Syriæ præpositus, nec dissimulans offendendum sibi aut Patrem, aut Filium, quasi plane ita necesse esset, etiam ægrum Germanicum gravissimis verborum ac rerum acerbitatibus, nullo adhibito modo, affecit: propter quæ ut Romam rediit, pene discerptus a Populo, a Senatu capitis damnatus est.*

Omnes Germanico corporis animique virtutes, & quantas nemini cuiquam contigisse satis constat, Formam & fortitudinem egregiam, ingenium in utroque eloquentiæ doctrinæque genere præcellens: benevolentiam singularem, conciliandæque hominum gratiæ ac promerendi amoris mirum & efficax studium. Formæ minus congruebat gracilitas crurum, sed ea quoque paulatim repleta assidua equi vectatione post cibum. Hostem cominus sæpe percussit. Oravit causas etiam triumphalis, atque inter cætera studiorum monumenta reliquit & Comœdias Græcas. Domi forisque civilis, libera ac fœderata oppida sine Lictoribus adibat. Sicubi clarorum Virorum sepulchra cognosceret, inferias Manibus dabat. Cæsorum clade Variana veteres ac dispersas reliquias uno tumulo humaturus, colligere sua manu & comportare primus aggressus est: Obtrectatoribus etiam, qualescumque & quantacumque de causa nactus esset, lenis adeo & innoxius, ut Pisoni decreta sua rescindenti, clientelas diu vexanti, non prius succensere in animum induxerit, quam veneficiis quoque & devotionibus impugnari se comperisset: ac ne tunc quidem ultra progressus, quam ut & amicitiam ei more majorum renuntiaret, mandaretque domesticis ultionem, siquid sibi accideret.

Quarum Virtutum fructum uberrimum tulit: sic probatus & dilectus a suis, ut Augustus (omitto enim necessitudines reliquas) diu cunctatus, an sibi successorem destinaret, adoptandum Tiberio dederit: sic vulgo favorabilis, ut plurimi tradant, quoties aliquo adveniret, vel sicunde discederet, præ turba occurrentium prosequentiumve nonnunquam eum discrimen vitæ adisse. E Germania vero post compressam seditionem revertenti, Prætorianas cohortes universas prodisse obviam, quamvis pronuntiatum esset, ut duæ tantummodo exirent. Populi autem Romani, sexum, ætatem, ordinem omnem, usque ad vicesimum lapidem effudisse se.

Tamen longe majora & firmiora de eo judicia in morte ac post mortem extitere. Quo defunctus est die, lapidata sunt Templa, subversæ Deum aræ, Lares a quibusdam familiares in publicum abjecti, partus conjugum expositi. Quin & barbaros ferunt, quibus intestinum, quibusque adversus nos bellum esset, velut in domestico communique mœrore consensisse ad inducias. Regulos quosdam barbam posuisse, & uxorum capita rasisse, ad indicium maximi luctus. Regum etiam Regem & exercitatione venandi & convictu Megistanum abstinuisse, quod apud Parthos justitii instar est.

Adscribenda quoque Taciti verba Annal. lib. 2. qui ait eum obiisse *ingenti luctu Provinciæ & circumjacentium populorum. Indoluere exteræ nationes Regesque. Tanta illi comitas in socios, mansuetudo in hostes: visuque & auditu juxta venerabilis, cum magnitudinem & gravitatem summæ fortunæ retineret, invidiam & adrogantiam effugerat. Funus sine imaginibus & pompa; per laudes, & memoriam virtutum ejus, celebre fuit. Et erant qui formam, ætatem, genus mortis, ob propinquitatem etiam locorum, in quibus interiit, Magni Alexandri fatis adæquarent. Nam utrumque corpore decoro, genere insigni, haut multum triginta annos egressum, suorum insidiis externas inter gentes occidisse. Sed hunc mitem erga amicos, modicum voluptatum, uno matrimonio, certis liberis egisse: neque minus præliatorem, etiamsi temeritas abfuerit, præpeditusque sit perculsas tot victoriis Germanias servitio premere. Quod si solut arbiter rerum, si jure & nomine regio fuisset, tanto promptius adsecuturum gloriam militiæ, quantum clementia, temperantia, cæteris bonis artibus præstitisset. Corpus antequam cremaretur, nudatum in foro Antiochiensium, qui locus sepulturæ destinabatur. Prætuleritne veneficii signa, parum constitit. Nam ut quis misericordia in Germanicum, & præsumpta suspicione, aut favore in Pisonem pronior, diversi interpretabantur.*

SEGMENTUM III.

INferiori Segmento *Peireskius* novem decemve *Nationum Captivarum figuras* contineri dixit, sed quarum planius ille existimarit, non addit.

Plenius sese explicans *Albertus Rubenius*, hic illu-

illustres captivos Germanos a CÆSARE GERMANICO domitos, & in triumpho traductos exhiberi arbitratur, qui a Strabone recensentur.

Nempe *Segismundus, Segestis filius, Cheruscorum Dux Sororque ejus, Uxor Arminii, Thusvelda: nec non Filius ejus Thumelicus, tres natus annos.*

Præterea *Sesithiacus, Segimeri, Cheruscorum Ducis Filius: ejusque Uxor, Ramis, Veremeri Cattorum Ducis Filia, & Deudorix Sicamber, Boetoritis Filius, qui Frater erat Melonis.*

Porro, Captivos istos qui in hac GEMMA spectantur Germanos non esse, non tantum capitum tegumenta, & vestimenta cætera, sed & armorum genera clare evincunt.

CIDARIM induta sedet pars maxima. Erat *Cidaris* circulus rotundus caput ambiens, in fluxam vestem per cervicem descendens: qualem describit *Julius Pollux* Onomastici lib. qui habitus Populi Asiatici, non Germanorum erat.

Præterea, cum arcus, pharetræ, sagittæ, & Gorgon Palladis in Clypeo ibi spectentur; alterius Gentis arma illa esse certum est,

Neque enim Germani arcu aut sagittis utebantur, sed contis.

Quid hæremus? Armenii a *Tiberio Augusto* domiti hic designantur.

Rationi enim consonat, ut illius Trophæa hic recenseantur, qui caput & subjectum primarium est hujus Imaginis; nempe TIBERIUS, cujus gloriæ Segmentum inferius totum est destinatum. Eo enim continentur Armeniorum, & Parthorum, erga Romanum Imperium reverentia, & cultus & obsequium.

Suetonius bella per eum gesta recensens, expeditionis Armeniæ, meminit his verbis: *Ducto ad Orientem Exercitu, Regnum Armeniæ Tigrani restituit, ac pro Tribunali diadema imposuit. Recepit & Signa, quæ Marco Crasso ademerant Parthi.*

Perpendant quæso omnes qui Romanam Historiam rite perscrutarunt, an quid præclarius Tiberius in vita egerit, an quid gloriosius de illo dici possit?

ANNOTATA.

Arcus, Pharetræ, Sagittæ. ARMENII omnium gentium maxime sagittiferi erant. Unde Papinius lib. 1. Sylvar.

> *Pannoniusque ferox, arcuque horrenda fugaci*
> ARMENIA, *& patiens Latii jam pontis Araxes.*

Ovidius ad Liviam.

> ARMENIUSQUE *fugax*,

Claudianus Panegyr. de Consulatu Honorii.

> *Scis quo more Cydon, qua dirigat arte sagittas,*
> ARMENIUS, *volucri quæ sit fiducia Partho.*

Cæterum a læva parte carceris, captivus prope thoracem sedet, capillis calamistro vibratis, & in orbem tortis, sedent & alii, capillis tortis & erectis, Gorgonis quoque in scutis vibrati crines, ut ferocitatem ostentent capilli. Unde Claudianus de laudibus Stiliconis.

> *Illic* ARMENIÆ *vibratis crinibus alæ.*

Idem. — *mixtus hic Colchus Iberis,*
> *Hic mytra velatur Arabs, hic* CRINE DECORO
> ARMENIUS.

De Armeniorum vestibus sic Strabo lib. XI.

Armeniacam vestem Thessalicam esse ajunt, ut sunt DEMISSÆ TUNICÆ, &c.

Certe in hac Gemma *demissam tunicam* gestat is qui scutum cum Medusa serpentibus carens, dextra tenet.

JUDICIUM

NIC. FABRITII PEIRESKII *de hac Gemma, relatum a* PETRO GASSENDO *in vita ejus lib. 3. pag. 288.*

Circiter id tempus spectavit curiosius Sacelli Basilicæ, seu (ut vulgo indigitant) Sanctæ Capellæ Gazophilacium. In rarissima autem illa, pretiosissimaque suppellectile, Cimelium detexit omni pretio majus, Cameum videlicet, sive ACHATEM Orientalem, SARDONYCHEMVE ARABICAM, amplitudine fidei Parisiensi, seu Regio exæquatam, in qua sculptæ viserentur miro artificio viginti quinque figuræ, omnes candore eminentes, & in nigro æquore flavedine quadam subobscura interstinctæ. Exornata illa circumfuerat Christianis figuris, & Epigraphis a Græco quodam Imperatore, adeo ut cum BALDUINUS eam oppignorasset D. Ludovico, ac postmodum tandem venisset in manus CAROLI Regis, nomine QUINTI, & crederetur sacram quandam continere historiam, in eum thesaurum, quasi donarium religiosum fuerit illata.

Peireskius porro, cum rem spectasset, & ad figurarum conditionem attendisset, cognovit potius profanam quandam repræsentari historiam, & quantum conjecturis potuit assequi, credidit esse APOTHEOSIN DEFUNCTI AUGUSTI.

Eam nuper Joannes Tristanus Santamantius, rerum antiquarum eximie peritus, ære inciso exhibitam in suos inseruit Commentarios. Testatus est autem se primam illius notitiam hausisse ex Peireskio, præfatus virum raræ adeo, exquisitæque eruditionis, ut omnem suam commendationem inferiorem censeat: ea claritate nominis qua tota Europa evasit illustris. Scribit deinceps se prima vice in comitatu Peireskii spectasse hoc rarum antiquitatis monumentum, occepisseque conjicere ecquid rei repræsentaret. Quandoquidem vero temporis progressu circa nonnulla Capita a Peireskii mente deflexit, contigitque, ut aliquoties

differentem ea de re Τὸν μακαρίτην audierim, ideo rem ingratam fortaſſis non faciam, ſi præcipua quædam interpretationis diſcrimina hic attigero, in illorum gratiam, qui rem totam ſtudioſius examinaturi Achatem ipſum, aut Ectypum, memoratumve habuerint librum.

Ergo quem Santamantius interpretatur eſſe JOVEM, ſuccedente *Ænea*, Perieskius cenſuit eſſe AUGUSTUM, DEÆ ROMÆ ope elatum in cælum. Et quem ille vult eſſe *Auguſtum*, ipſe interpretatus eſt *Marcellum*, equorum amantem, quem fata terris ſolum oſtendere: innuente *Roma*, quod ab illo recuſabatur Orbis Imperium, tradere ſeſe *Tiberio*, proxime ſuppoſito.

Et certe ſi attendas ad prototypum, adoleſcentis potius, quam ſeneſcentis vultum agnoſces.

Sic quem Peireskius ſub *Marcello* exiſtimavit eſſe *Druſum Tiberii* filium, manu verſus Jovem extenta, tanquam poſtulando poſt patrem, Imperium; autumat Santamantius eſſe *Numerium Atticum* contemplantem, atteſtantemque fuiſſe Auguſtum raptum in cælum; & quam aſſidentem *Druſo Livillam* uxorem ille cenſuit, cenſet hic eſſe poſſe *Juliam*, Auguſti filiam, in exilium actam; ut credidit illum ad dexteram Jovis eſſe *Druſum*, Tiberii fratrem, quem potius *Julium Cæſarem* Peireskius eſſe exiſtimavit. De *Germanico*, *Agrippina*, *Caligula* diſcrimen nullum; imo nec de *Tiberio*; niſi quod Peireskius veſtem Imperialem ſerpentibus circumdatam eſſe duxit *Ægidem Jovis*; appellavitque lanceam ſine ferro, ſceptrum prælongum. Sic cenſuit *Antoniam* Germanici matrem, quam Santamantius *Liviam* & contra *Liviam* eſſe putavit, quam Santamantius *Antoniam*, ſed hæc obiter.

Cæterum Peireskius ita exſultavit ob præclarum adeo Cimelium repertum, ut non modo ad intuendum, & Santamantium, & cæteros, quotquot erant Pariſiis, curioſos viros invitarit; ſed etiam de eo litteras ad amicos in Angliam, in Germaniam, in Italiam, per totam Galliam & Belgium dederit.

Scripſit autem de eo præſertim ad Petrum Paulum Rubenium Antuerpienſem Pictorem celeberrimum, & totius Antiquitatis, ſed Cameorum inprimis, ſtudioſiſſimum, peritiſſimumque, qui dicto citius exſiliit, ut rem ſpectaret cominus, & exprimeret coloribus vivis. Tulit autem Peireskius, Cimeliique vice nobilem habuit effigiem præter Ectypos, quos ex Achate ipſo expreſſit.

JOANNES TRISTANUS

IN COMMENTARIIS HISTORICIS

Imperatorum Romanorum Gallice conſcriptis Achatem Tiberianum interpretatur his verbis.

Achatis magni antiqui Sacelli Baſilicæ vulgo Sanctæ Capellæ Pariſiorum

EXPLICATIO.

QUæ pretioſus hic lapis complectitur, ea ſunt, ut in rariſſimis antiquitatis monumentis, non totius Galliæ modo, ſed etiam Europæ univerſæ jure poſſint numerari. Gemma quidem ipſa tum ob inſignem magnitudinem, tum ob excellentiam operis, quam præ ſe fert, admirabilis eſt; ſed utroque id eſt multo admirabilius, quod ipſa continet, multoque pretioſius, cum lapidis utilitas omnis eo demum ſpectet, ut cognoſcatur. Nam etſi tabulæ ac ſigna antiqua æque ſint æſtimabilia propter eruditionem, qua poſteritatem eorum beneficio Sculptores, Cælatores, Pictoreſque imbuunt, ac propter antiquitatem venerabilia; nemo tamen inficias jerit, ipſis immenſum neſcio quid accedere, cum præſtantia ſimul, ac varietate rerum, quas repræſentant, Hiſtoriam illuſtrant atque amplificant. Jam vero cum dotes haſce & lapis ipſe nobiliſſimus, & res, quas lapis exprimit, habeant, jure, credo, Achatem hunc inter ea connumerabo, quæ ſunt quolibet propoſito pretio majora; ac merito videor mihi ſperare poſſe fore, ut mihi litterati homines habeant gratiam aliquam, ſi non modo illum curavero incidendum viriculo, ut ejus forma ſubjiciatur oculis fideliter, verum etiam explicavero.

Ergo lapidem hunc in gazophylacium ſacelli, vulgo Sanctæ Capellæ Pariſiorum, intulit Carolus nomine Quintus Galliæ Rex, cognomento ſapiens; ipſi vero, aut cuipiam majorum credibile eſt dono datum ab Imperatore aliquo Conſtantinopolitano, vel ab alio Græco viro Principe. Nam utrimque aurea capſula, quæ lapidem ambit & vincit, quatuor Evangeliſtas expreſſos refert, & ſingulorum nomina Græcis deſcripta: ΜΑΘΑΙΟΣ, ΜΑΡΚΟΣ, ΛΟΥΚΑΣ, ΙΩΑΝΝΗΣ, Matthæus, Marcus, Lucas, Joannes. Sed ignorantia atque imperitia adeo rerum omnium ad ea, quæ cum in Hiſtoria, tum in Antiquitate ſingularia ſunt & admirabilia, pertinentium intelligentiam obruerat ſub Græcis Imperatoribus per plura ſæcula, ut mirum videri nemini videat, hanc Apotheoſis Auguſti memoriam, ac monumentum gloriæ domus Germanici, rerumque memorabilium ab ipſo confectarum per eas barbaras ætates pro Joſephi Triumpho habitum fuiſſe: Joſephi Triumphum appellant, credo, honorem, quem ipſi contulit Rex Ægypti, cum illum juſſit currui impoſitum per totum regnum honorifice deduci. At ſi quis paulo attentius perpenderit, quam parum habeant affinitatis, quæ in Achate hoc apparent, cum ejuſmodi Triumpho, non poterit imperitiam præte-

ritorum temporum non admirari; facile tamen sic judicabit, antiquioribus magnam gratiam habendam esse, quod per ipsos nobile hoc cimelium ad nos usque integrum pervenerit. Quemadmodum qui gemmæ huic quatuor Evangelistarum adjecerunt imagines, opinati sunt memoriam esse felicitatis & gloriæ, ad quam evectus fuit Josephus, ut proinde inter cimelia sacra ac venerabilia dignam crederent quæ numeraretur, eamque ob causam regibus nostris dono darent; sic Carolus Quintus eam ratus sacram continere historiam, non profanam, in commemorati Sacelli Thesaurum tanquam donarium voluit inferri: quæ res haud dubie fuit in causa, quare in hanc usque diem sarta tecta servaretur. Si enim monumentum hoc antiquitatis cognitum fuisset, vel relictum in regio Cimeliarchio fuisset, vel certe subiisset calamitatem illam eandem, quam passæ sunt res aliæ præstantia singulares prope innumerabiles, ac manuscripta plurima omnium generum, quæ direptionibus, incendiis, ruinisque obnoxia, regnante Carolo Sexto mente laborante, misere perierunt.

Præclari hujus antiquitatis monumenti notitiam primam hausi ex Cl. Peirefchio Regio Consiliario in Consilio Provinciæ, viro ea meritorum magnitudine, doctrinaque adeo exquisita, ut omnem commendationem facile minorem putem ea nominis claritate, qua tota Europa evasit illustris, ob eam maxime opinionem, quæ de ipso late percrebuit, unum esse totius antiquitatis peritissimum; quam laudem contentus ero pro grati animi officio viro impendere.

Licuit ergo mihi una cum tanto viro rem ipsam accuratissime examinare, ac primum conjicere, ecquid esset pars una rari hujus monumenti antiquitatis; de qua quod ego conjectando sum assequutus, id statui curiosis rerum antiquarum facere notum, eaque propterea oculis subjicere, quæ videor mihi subinde collegisse graviter, quæque in aperto non sunt: qua in re ad arcana mysteria educenda in lucem valuit plurimum personarum effigies hic descriptas cum iis, quas nummi, quas signa antiqua, quas cælati lapides exhibent, accurate diligenterque conferre.

Referamus igitur nos primum ad ea, quæ ad memoriam pertinent Augusti jam inter superos relati quadraginta & amplius annis ante, quantum ego quidem conjicio, quam excellens opus hoc elaboraretur.

Atque in primis hic ego observo Augusti Pegaso trananti nubes insidentis abitum ad cœlos, ubi apparet parvus cupido alatus, qui equum videtur manu fræno injecta ante Jovem ducere; quæ res amplitudinis gradum declarat, quem obtinuisse in cœlis creditur Augustus, ubi & Senatus Consulto relatus in cœlitum album est, Deusque salutatus, quemadmodum nescio quis Numerius Atticus Senator Romanus, qui & Prætor fuerat, retulisse fertur, qui Augustum conspectum sibi splendide ad cœlum ire sacramento confirmavit: quam ob rem a Livia etiam muneribus ornatus est. Sic homo compendium faciebat, quemadmodum ante hunc Proculus quidam, qui se vidisse cœlos penetrantem Romulum testabatur. Vide Suetonium cap. 100. Plutarch. in Vitis Romuli ac Julii Cæsaris, ac Dionem lib. 56. Non secus alter quidam consequutis temporibus asseruit, se aspexisse Druxillam sororem Caligulæ ad cœlos evehi, ut Suetonius idem scribit post Senecam in sua Apocolocyntosi, qui fabulosos ejusmodi ad cœlos mortalium ascensus commemorans ita Claudium irridet: Tamen » si necesse fuerit, inquit, auctorem producere, » quærite ab eo, qui Drusillam euntem in cœlum » vidit: necesse est illi omnia videre, quæ in cœlo aguntur. Appiæ Viæ curator est, qua scis » & Divum Augustum, & Tiberium Cæsarem ad » Deos isse. Hunc si interrogaveris, soli narrabit; » coram pluribus nunquam verbum faciet. nam ex » quo in Senatu juravit, se Druxillam vidisse cœ- » lum ascendentem, illi pro tam bono nuncio ne- » mo credidit, quid viderit. Id erat, inquit D. » Justinus Martyr in sua Apologia, in more positum apud Romanos, ut quempiam quærerent, qui sublatum e vivis Imperatorem cœlos conscendere se vidisse vulgaret, atque adeo jurejurando confirmaret.

Jam vero exprimi lapide hoc videtur, quomodo Numerius Atticus se vidisse Augustum petentem supera finxit; stantis enim ille formam habet, protensis brachiis, erecto vertice ad modum suspicientis Augustum sublimia tenentem, lauro coronatum, inequitantem Pegaso, demittentem exuvias mortalitatis, in superas invectum domos præeunte alato juvene veluti cupidine, quo illum ex Germanici, & Agrippinæ filiis opinor hic repræsentatum esse, quem Augustus adamaverat adeo ejus elegantia, ac festivitate captus, ut vita functi, quam Livia Cupidinis habitu dedicaverat, effigiem afferri in cubiculum suum jusserit, eam suavissime solitus exosculari, quotiescumque ingrederetur, vel egrederetur, ut in Caligula cap. 7. narrat Suetonius.

Augustum hic videmus, uti est dictum, invectum Pegaso, quemadmodum eodem alato equo invectam Auroram legimus apud Lycophronem in sua Cassandra, in poematis initio. Exhibet equus hic ejusmodi officium novo huic Numini, vel ut summi Jovis obsequatur imperio, vel tanquam Jovi alteri cœlesti, sicut Ausonius ac terrestris Juppiter fuerat utpote Romanorum Imperator; cum ex altera parte observatum a Scholiastis Græcis sit, Pegasum esse Jovis equum, quem ipsi Aurora dono dedit: quæ res facit, ut suspicer, cum hic expressum esse, Augustum dorso gestantem, quasi Juppiter illum Augusto concesserit. Adductus est etiam ante Jovem a Cupidine, quoniam Venus, quam ipse utpote Julii aviam colebat supra Divas reliquas, videtur id a Jove obtinuisse, ut utrumque sceptrum teneret ac instar ipsius Jovis æque Diis, & hominibus imperaret. Fortasse etiam voluit ostendere assentatio Romana, cum tanto, tamque magnifico apparatu cœlo Augustum intulit, principem ipsi dignitatis locum concessum iri in cœlis, principemque potestatem, qualem obtinuerat in terris; ac deinceps satis fore Jovi, si se Augusti consortem dixerit, ut opinatur Manilius, qui lib. 1. Augusti socium facit Jovem, non Jovis Augustum, dum ita canit:

> —— *Venerisque ab origine proles*
> *Julia descendit cœlo, cœlumque replevit,*
> *Quod regit Augustus socio per signa Tonante.*

Deinde etiam ad calcem libri ejusdem summum ipsi cœlorum imperium adjudicat hoc hemistichio:

> —— *& in ponto quæsitus rector Olympi*:

quasi dixisset, Actiacam Victoriam de Marco Antonio classe relatam novum cœlicolis Dominum acquisivisse, qui terrarum imperio, dum mortalium rebus intererat, jam potitus fuerat, eundemque supremo regimine cœlos moderari, qui terras rexerat. Idipsum, quippe quod omnium animis alte impresserat illorum temporum assentatio, in causa fortasse fuit, quamobrem Juppiter Deorum hominumque parens exprimeretur ore & aspectu ad gravitatem severitatemque composito, oculis ac

vultu parum ſereno excipiens adventum Auguſti, a quo ſuprema auctoritate ſe noſſet ſpoliatum iri. Coronatus eſt etiam radiis, velo Divinitatis decenter obtectus, dextraque tenens ſceptrum imperii ſummi, ut oſtendat, quidquid qui recens advenit, moliatur contra, & cogitet, ſe futurum perpetuo ſupremum cælorum Dominum ac moderatorem.

Æneam deinde vides Auguſto prægredi, geſtantem manibus orbem, quem Imperatori Veneris nomine videtur offerre; quo ſignificat, Venerem, quemadmodum Auguſto imperium terrarum obtinuerat, ſic regimen cœlorum in præſentia eidem offerre, perinde quaſi illud ſibi tot tantiſque rebus præclare geſtis multo ipſe melius, quam Juppiter promeruit. Quod imperium jure Venus poterat in eum transferre, quandoquidem utpote prius cœleſtes adepta ſedes, quam Juppiter, pro arbitrio illud adminiſtrabat Cupidinis filii ſui vi atque ignibus. Ipſam porro omnium primam tenuiſſe cœlos, præterquamquod eſt Filia cœli, teſtatur etiam Scholiaſtes Apollonii, qui & Heſiodum profert (ver. 51. lib. 3. Argonaut.) in hæc verba ad nomen Aphroditis: Ἀφροδίτη ἀλλὰ καὶ Διός ἐστι πρεσβυτέρα ἡ Ἀφροδίτη. Ἡσίοδος γὰρ αὐτὴν ἐκ τῶν αἰδοίων τοῦ οὐρανοῦ φησὶ γενέσθαι, δυνατὰς δὲ πολλοῦ χρόνου ὀφθείσας, quo fit, ut merito Venus poſſit de ſceptro cum Jove contendere. Æneæ igitur, veluti Romanæ potentiæ, atque adeo totius Julianæ gentis auctori id muneris a Venere demandatur; caput habet galea ornatum, ut eum decet, qui inter principes ſemideos numeratur rerum geſtarum magnitudine cœlum adeptos; velatus item eſt, quod eſt inſigne Divinitatis.

Poſt Æneam conſpicis Neronem Claudium Druſum Tiberii Fratrem, lauro coronatum, clypeumque utraque manu tenentem, qui pariter honoris ergo prægreditur Auguſto. Ejuſmodi clypeus & corona argumenta ſunt gloriæ, quam ipſe ſibi pluribus contra Germanos relatis victoriis, ſub auſpiciis Auguſti, pepererat, cum ætate ejus clypeus & gladius Romanorum fuiſſet; quod dignum reddidit, qui in Heroum album referretur non minus illuſtris pacis tempore, quam belli. Sic illum ornat hac laude Pedo Albinovanus:

Maximus ille armis, maximus ille toga.

Vide reliqua in ejus commentario. Tandem adeſt hic Auguſti in cœlum receptio, quam ipſi idem Poeta pollicebatur his verſibus:

Sed tibi debetur cœlum, te fulmine pollens
Accipiet cupidi regia magna Jovis.

Sed Achates hic Apotheoſis ipſius memoria exornatus non eſt, quo tempore ceremonias Tiberius ac Senatus inſtituerunt: quod in eo deſcriptum eſt, non alia de cauſa factum eſt, niſi ut Germanico major honos, ejuſque nomini, qui in Auguſti familiam ac domum receptus per adoptionem erat, lumen majus ac ſplendor accederet. Quod manifeſtiſſime patet ex hiſtoria in medio nobilis hujus monumenti campo expreſſa, ubi Germanicum videmus ſtantem ante Tiberium; comitantur ipſum Livia & Antonia; pone ipſum Agrippina, ac parvus Caligula; Julia Agrippinæ Mater, & Auguſti Filia pariter ſedet poſt Tiberium maritum ſuum. Quod enim me movet, ut ſuſpicer opus hoc haud eſſe conſulto factum ad Auguſti Apotheoſin illuſtrandam in gratiam Tiberii, illud eſt, quod Druſus Tiberii Filius deſideratur, quemadmodum & ejus uxor; qui tamen duo prætermiſſi nequaquam fuiſſent, ſi forte propoſitum eſſet hiſtoriam aliquam exhibere, quæ ad honores pertineret Auguſti meritæ habitos tantummodo in gratiam Tiberii, qui omnia facienda curaverat, & tanquam hæres & ſucceſſor tanti Principis auctor rei conficiendæ fuerat.

Videamus ergo, quæ in Achate hoc contemplamur, conveniantne cum iis, quæ de Germanico legimus apud Hiſtoricos. Quid ſenſerint alii, qui ipſum inſpexere, neſcio; mihi quidem certe habitus ille corporis, quo Tiberium adit elegans hic Cæſar, ille oris decor & gratia, a modeſtia tamen & verecundia minime abhorrens; modus ille blandulus, qui Nepotem excipit avia Livia, hæc inquam omnia habere neſcio quid videntur, quod me facile inducit ad credendum, hoc monumento exprimi Germanici reditum ex poſtrema ejus expeditione Germanica, a qua illum revocaverat, quo erat maligno atque invido animo, Tiberius, cauſam quidem prætendens, velle ſe illum renunciare conſulem ſecundo; revera tamen invidens viro gloriam, quam ſibi devictis fortiſſime ſæpe barbaris pepererat, de quorum manubiis magnifica multis in locis trophæa excitaverat; ac veritus etiam callidus ſenex, ne magnitudo ac ſplendor tot tantarumque præclare geſtarum rerum aliquando tandem impelleret cum Romanorum, tum militum animos, ut concordi voce Germanicum conclamarent Imperatorem, niſi malo huic opportune occurreret, eumque ab expeditione revocaret. Vides ergo magnanimum hunc, prudentem, ac fortem ducem Tiberio offerre ſe, obſequutum prompte ejus imperio non ſine præclaro admirabilis moderationis, & obedientiæ ſingularis exemplo: de qua ego re rurſus infra in ejus commentario. Expreſſus eſt eodem illo habitu, quo Tiberium adiit, videlicet galeato capite, appenſum lateri enſem, manu clypeum tenens, & paucis verbis rationem reddens itineris ſui. Tiberius vero ſedet, lituum, ſeu auguralem baculum tanquam Pontifex ſummus tenet; longior etiam haſta ſine ferro, ſeu ſceptrum ſæpe conſpicitur in læva plurium Imperatorum Deorumque manu. Pars anterior paludamenti, quo indutus eſt, quinque, aut ſex ſerpentum formis diſtincta videtur ſingularem Tiberii felicitatem declarare in rebus ſuis egregia virtute, ac prudentia ſingulari Germanici tam proſpere confectis; numerus vero ſerpentum indicat, opinor, numerum victoriarum illuſtriorum. Non uno enim in loco ejus commentarii oſtendo, in antiquis ſerpentes eſſe ſymbola victoriæ, felicitatis ac prudentiæ. Lauro quoque coronatus eſt, quemadmodum & duæ Fœminæ, Avia inquam & Mater hujus Cæſaris, ut intelligas, etiam ipſas una cum Tiberio participes eſſe gloriæ a tam forti Filio in bellicis ſuis expeditionibus partæ. Animadverto præterea alteram ex duabus fœminis, quam ad Imperatoris dexteram vides, utpote matrem ejus, & aviam Germanici (eſt enim Livia) feſtive nepoti occurrere ipſum amplexaturam, dextera collo jam implicita, quaſi vellet galeam capiti ſubducere, cupiens, ut armis depoſitis reficeretur, ipſumque contuens ore ridente, blando, ac tenerum, quo eum complectebatur, amorem prodente.

Sed galeæ ſtatim imponit manum generoſus hic Cæſar, quo geſtu palam facit, ſe nec belli laborum adhuc pertæſum eſſe, nec edendi digna memoria poſteritatis facinora, cum pro augenda Tiberii gloria, tum pro confirmanda Romani Imperii incolumitate; ſe promptum paratumque eſſe proficiſci in Syriam præfuturum legionibus, quandoquidem non erat neſcius, hanc eſſe Tiberii mentem, ac voluntatem. Et ſane ſtatim poſt ejus e Germania reditum eo juſſus eſt ſe conferre, ubi diem ſupremum obiit, parta jam ſibi prius ingenti gloria, de-

victo Armeniæ Rege, redactaque in Provinciam Cappadocia, quemadmodum apud Tacitum, Suetonium, aliosque scriptores legimus. Ceterum quandam veluti schedam dextra tenet, qua fortasse conditiones pacis cum barbaris sancitæ annuente Tiberio, a quo credibile est, eas confirmari oportuisse, continentur; nisi forte dicamus, esse rerum illustriorum ab ipso confectarum commentarios. Quod ad Antoniam pertinet matrem ejus, videmus illam sinistram Tiberio adsidere lauro pariter coronatam; a Livia tamen cum ornatu, tum crinium vinctura differt, utpote florentior ætate; quamquam debita præsenti Imperatori reverentia facit, ut speciem, orisque habitum exhibeat severiorem gravioremque, quam ipsa Livia, quæ mater Tiberii cum esset, & avia Germanici, plus vendicabat sibi auctoritatis, ac licentiæ, ut signa proderet lætitiæ & gaudii, quo ejus animum gloriosus reditus, ac præsentia nepotis perfunderet. Quod autem dextra manu tenet, cujus pars inferior manus cavo abdita referre formam videtur parvi cornucopiæ, superior vero tria veluti papaverum capita exhibet, credibile est, eo designari ejusdem fæcunditatem: mater enim extitit magnanimi Germanici, Claudii Imperatoris, ac Liviæ Drusillæ, quos fortasse exprimunt tria hæc papaverum capita, quibus apud veteres maxime fæcunditatem designari consuevisse nemo ignorat.

Jam quæ duæ imagines a tergo sunt præstantis hujusce Ducis, altera uxorem ejus refert Agrippinam, altera ejus filium parvum Caligulam expressum ea ætate, quam habebat, cum Germanicus pater Romam rediit. Brachio sustinet parvum clypeum, acervoque barbaricarum exuviarum insistit, tanquam inter legiones in castris natus, educatusque inter buccinarum clangores, ac trophæa parentis.

In castris natus, patriis nutritus in armis
Jam designati Principis omen erat.

Suetonius cap. 8. Vide etiam Tacitum lib. 1. & Athenæum lib. 4. de Caligulæ cognomine, quod puero inditum est a militibus, cum visa sit ejus indoles jam a teneris unguiculis sub initium ejus belli, plurimum valuisse ad sedandas præsentia sua turbas, seditionemque Germanicarum legionum, quæ simul tumultuari cæperunt, atque decessit Augustus. Sic ergo præter hanc formam, atque habitum pueri, quem expressum vides in excellenti hoc lapide, propositum etiam fuit ostendere, quemadmodum ipse paternæ gloriæ particeps fuerit, eique non parum contulerit. „ Caligulæ cognomen castrensi joco traxit, quia manipulario habitu inter milites educabatur, apud quos quantum præterea per hanc nutrimentorum consuetudinem amore & gratia valuerit, maxime cognitum est, cum post excessum Augusti tumultuantes, & in furorem usque præcipites solus haud dubie conspectu suo flexit. Non enim prius destiterunt, quam ablegari eum ob seditionis periculum & in proximam civitatem demandari animadvertissent. Tunc demum ad pœnitentiam versi represso ac retento vehiculo invidiam, quæ sibi fieret, deprecati sunt. Ita loquitur Suetonius cap. 9. Jam vero ut qua tunc ætate fuerit, conjectando investigemus, autumo, illum fuisse circiter annos septem natum. Natus est enim, Consulibus Patre suo primum, & Fontejo Capitone, tribus annis ante decessum Augusti; alter autem Patris consulatus accidit post ipsius reditum, cujus hic monumentum cernimus, qui quarto Imperii Tiberii anno contigit. Quod attinet ad Agrippinam, eam videmus ab ejus tergo, manu altera innixam clypeo, oculis in Tiberium conversis, unaque cum filio intentis auribus excipientem, quæ in eo congressu dicerentur; læva tenet papyrum, seu chartam pergamenam; innititur huic barbarorum devictorum clypeo utpote bellicosa mulier ac fortis; quam etiam ob causam a militibus plurimum diligebatur. Papyrus autem, quem manu continet, argumento est, rerum bellicarum, atque totius exercitus curam ad ipsam pertinuisse, quantum attineret ad commeatus, indumenta, præmia militibus distribuenda pro rebus fortiter gestis, aliaque id genus, demandata illi a Germanico ejusmodi provincia. Vide Tacitum lib. 1. cap. 9. Ad hæc illa mulieris forma, quæ pone Tiberium sedet seorsum, innixa læva manu alæ sphyngis dimidio corpore ejusdem veste obtectæ puto designari Juliam Augusti Filiam, ac Tiberii uxorem; quæ perpetuo exilio damnata fuerat, ex quo ejus libidines moverunt Augustum, ut hanc illi pœnam exilii perpetui infligeret. Sphynx parentis ipsius insigne facit, ut ita credam; præterquam quod monstrum hoc sudariolum tenet quasi ad abstergendas dominæ lacrymas, vel quasi symbolum ac notam calamitatis, in quam inciderat hæc mulier; cui nunquam licuit, ex quo ejecta in exilium fuit, maritum suum Tiberium amplius adire, nunquam ab exilio redire. Causa porro, quamobrem hunc ea locum occupat, non alia mihi videtur esse, nisi quod Agrippinæ uxoris Germanici mater erat, quam ex Marco Agrippa marito suo secundo susceperat. Vidæ quæ de eadem paulo infra ego scribo.

Ad extremum adolescens ille, quem incurvatum cernis sedere humi prope Antoniam, referre videtur adolescentem aliquem captivum, aut libertum quempiam Antoniæ, qui fortasse scribit, quæ tunc ab Imperatore ex una parte, atque a Germanico & Livia ex altera dicebantur. Nam reliqua, quæ in hoc Achate continentur, nihil aliud exprimunt, quam provincias aliquot ab Augusto, Nerone Claudio Druso, & Germanico subactas, Romanoque imperio penitus addictas; ex quibus sunt, quæ speciem referunt amare deflentium calamitatem suam, & quæ manibus post terga revinctis miserrimam captivitatis suæ conditionem ostentant; hæc demisso capite, oculisque humi defixis dolorem prodit suum, mærens, cogitabunda, hærens, obstupescens, mali tanti magnitudine victa; illæ eum habitum servant, ut mutationem Principis non admodum desiderare videantur; omnes vero, vel certe pleræque arma propria cujusque nationis tenent, ut arcus, sagittas, pharetras, tela, clypeos more patrio confectos.

Et paulo post idem Scriptor ita prosequitur.

Volumine hoc in lucem edito, ac e vivis morte sublato Cl. Peireschio, cujus jactura incredibilem dolorem attulit mihi, Gassendus Ecclesiæ Diviensis Præpositus, vir non vulgaris eruditionis, cui summa familiaritas & necessitudo cum laudato Peireschio intercesserat, cupiens argumenta usitata illa quidem, sed legitima tamen exhibere grati animi pro benevolentiæ officiis, quibus se Peireschius, dum viveret, complexus erat, ejusque memoriam pro virili consignare immortalitati, statuit Defuncti vitam conscribere, quam etiam anno sexcentesimo quadragesimo primo supra millesimum vulgavit: in qua cura summa suo erga ipsum studio sane digna prope innumerabilia complectitur, etiam quæ indifferentia sunt, quæ tamen ipse & pertinere ad memoriam Viri, & non indigna scitu putavit. Inter cætera mentionem

facit cujusdam sermonis, quem ait se olim cum eo instituisse, de iis, quæ in singulari hoc Achate antiquo visuntur; qua in narratione laudatus Gassendus, ubi eam mihi laudem tribuit, ex qua sane non est cur ipse mihi magnopere placeam, ait defunctum Peireschium a me dissentire, quod pertinet ad partem eorum, quæ in hac gemma conspiciuntur, nec ullo modo posse mihi assentiri, formas septem aut octo præcipuarum personarum, quæ nobile hoc antiquitatis monumentum exornant, ad eos pertinere, ad quos instituta accurate collatio earundem cum nummis Romanis, & cum lapidibus cælatis, quotquot ex antiquitate ad nos pervenere, aut certe graves conjecturæ merito me impulerunt ut referrem. Ex hoc numero est forma Jovis, quam ipse Augusto tribuit, ac formam Augusti Marcello; quemadmodum etiam formam Neronis Claudii Drusi Germanici putat Cæsari, ac formam Numerii Attici Druso Cæsari Tiberii filio assignari oportere; idem statuit de imagine Juliæ Augusti filiæ, quam putat esse Livillam. Præterea contendit, Romam exprimi ea forma, quæ jure tribuenda Æneæ est, quemadmodum etiam pro Livia Antoniam accipi, ac pro Antonia Liviam oportere constituit: quarum rerum repugnantia defuncto Peireschio afficta primum quidem facit. ut de sinceritate ac fide hominis dubitem. Rerum enim ipsarum singulæ absurditatem continent, quæ si cum Peireschii mente concordes essent, proculdubio tanti viri, qui inter peritissimos universæ Europæ Antiquarios connumeratur, clara opinio magnopere offenderetur. Præterea credibile maxime est, futurum fuisse, ut, si forte adeo Peireschius a me dissentiret, pro sua bonitate animique facilitate aliquando me moneret non solum in collocutionibus nostris antiquis Lutetiæ Parisiorum habitis, ubi alter alteri mutuo, ac studiose opinationes quisque suas de insignibus, & ænigmatibus, quæ in Nummis cælatisque lapidibus, quotquot ad manus pervenire, & quibus alter alterum donabat, offenderentur, patefaciebat; verum etiam potuit hac de re alios, qui se convenirent, in ea Urbe certiores facere: quod tamen ab eo aliquando factum esse nemo unus affirmaverit. Quare mirari satis non possem, eum aliter sensisse de iis, quæ continentur in hoc Achate, posteaquam Parisiis discessit; multoque magis mirarer, voluisse illum rationes dissimulare, vel certe conjecturas, postquam scripta mea typis commissa sunt, meamque præstantis hujus monumenti antiquitatis explicationem legit. Quæ de illa prædicat, laudesque, quibus eam cumulat, habita prius mihi gratiarum actione de exemplari ad ipsum dato, multo sane ampliores, quam res merebatur, nunquam secuta est isthæc admonitio vel in iis, vel in aliis litteris ab eo deinceps ad me scriptis, cum tamen debuissem aliquando ab ipso moneri. Petieram enim ab eo etiam atque etiam, ut si quid in elucubratione illa mea forte invenisset, quod videretur dignum reprehensione, id me ne celaret: qua in re adeo se ab opinione mea dissentientem non significavit, ut potius mirifice illam probaverit, meque hortatus fuerit, ut volumen alterum proferrem in publicum. Quod etiam ut uberiori copia rerum augeretur, pro sua quadam incredibili erga me liberalitate, & studio singulari erga litterariam Rempublicam ultro pollicebatur, se missurum mihi, quidquid esset rerum pretiosiorum ac rariorum in sua Pinacotheca latinorum græcorumque numismatum, atque, ut verbis ipsius utar, totam Pinacothecam; quemadmodum ego contra ipsi dono miseram numismata aliquot, & fragmenta vasium antiquorum hisce locis reperta, & pondera antiqua, quæ nescio cui operi inserenda erant, cujus editionem, non secus atque Historiam Provinciæ, & diu, & frustra desideravimus, utrumque surripiente nobis ejus e vivis excessu. Credibile ergo est, si quas forte conjecturas a conjecturis meis discrepantes commemorato Gassendo laudatus Peireschius impertivit, admodum leves fuisse, neque ex earum genere, quas ipse in ejus vitam inserendas censuit; ad has enim quod attinet memoria ejus ipsi potuit inferire, quippe cum inter eum congressum, & tempus, quo vitæ illius Historia contexta est, aliquot anni intercesserint. Huc accedit, quod ejusmodi sermones de antiquis curiosisque rebus instituti facile potuerunt ex ejus memoria deleri, idque eo facilius, quia non admodum hoc studiorum genere delectatur, multo proinde versatior atque eruditior in rebus aliis, quam in iis, quæ pertinent ad antiquitatem. Quod facit, ut me minime offensum putem in iis, quæ hac super re ipse produxit; contentus etiam ero, ut amatorum Historiæ, qui fortasse expectant, ut objectis respondeam, votis satisfaciam, candide, & sine ulla obtrectandi libidine rationes proferre, quas conjecturis, seu opinationibus sententiæ meæ primum editæ adversantibus opponam.

Dicam ergo in primis, quod & Peireschius ipse confessus est, præstanti Achate hoc inter cetera Augusti Apotheosin exprimi; ac Deum, qui in sublimi vultu ad severitatem majestatemque composito locum obtinet eminentiorem, digniorem que, esse supremum cælorum Dominum, Jovem inquam, non autem Augustum, ut ait Gassendus, Peireschium censuisse: quæ res satis confirmatur ex eo, quod si isthæc Augusti Apotheosis est, seu relatio inter Deos, exprimi Augustus debuit habitu hominis, qui cælis infetur, non illius, qui radiosa ac divina majestate conspicuus videatur jamdiu cælo potitus. Ad hæc Deus iste, qui sic a fronte conspicitur, nullam habet similitudinis affinitatem cum Augusto, qui manifeste expressus est, & introductus in Jovis conspectum Pegaso invectus, non autem Marcellus, ut credidit Gassendus. Non enim solum isthæc est vera Augusti effigies, sed etiam Augusti annos plures quam septuaginta nati: adeo non potest esse imago Marcelli, qui juxta Servium in Virgilium pag. 446. octodecim modo annos natus erat, cum e vita excessit, quod etiam satis declarat germana ipsius effigies, quam paulo infra conspicies in initio Commentarii ejus positam, & a Fulvio Ursino desumptam, qui inter cæteras Virorum Illustrium effigies p.87.illam descripsit ex antiquo cubiculi sui Lapide, quem Galli *Cournaline*, Itali *Corniola* vocant,quod fuit opus cujusdam Epitynchani præstantis artificis ætate Augusti, quemadmodum ex apposita Inscriptione constat. Magnopere autem miror, quod de suo Gassendus ait, hanc revera esse effigiem adolescentis in prototypo suo, ostendens, dum id pronunciat omnino contrarium notitiæ, quam ego habeo, nunquam se Achatem hunc vidisse. Cæterum præter ea, quæ hactenus producta sunt, quod evincit virum hunc Pegasi dorso invectum nullo modo esse posse Marcellum, illud est, quod sæpe laudatus Peireschius, Augusto inter Deos relato eum occurrisse ait: etenim Marcellus triginta ferme annis ante Augusti decessum vita functus est; proindeque absurdum esset, velle comminisci, eum in cælos deductum esse: præterquam quod nunquam fas erit invenire, adolescentem hunc principem in Deorum album fuisse aliquando relatum, cum nec Imperator unquam fuerit, nec Cæsar. Rursus cum ratio ipsa, quam affert Gassendus, ideo Pegaso invectum

Marcellum esse, quia videlicet equorum amator erat, prorsus indigna est defuncti judicio; tum incredibile etiam est, Marcellum quidem honore consecrationis dignum habitum esse, Cajum vero ac Lucium, qui & Cæsares fuerant, & Juventutis Principes, & Augusti Nepotes, non item, cum longo tempore post ipsum e vivis excesserint. Refert subinde Gassendus, putavisse contra atque ego sentio, Peireschium effigie illa, quæ globum gestat, Romam exprimi, quam ego Æneæ tribuo; quem eo tempore visum fuit referre, ac repræsentare, cum tanquam maternæ Augusti, totiusque Julianæ Gentis originis auctorem, tum quia a Romanis credebatur jam raptus ad cælos, proindeque Divinis cultus honoribus erecto ipsi ad ripas Numicii amnis templo prope Lavinium, ibique invocari solitus, quem Patrem indigetem appellabant, quemadmodum observatum ab antiquis Auctoribus est, qui de veteri Romanorum origine scripserunt. Ambracenses etiam ipsi excitavere facellum, seu ædem sacram, quam Græci dixere ἡρῷον in templo, vel prope templum Veneris, ubi sacra eidem faciebant, cujus Sacerdotes apud eos nuncupabantur ἀμφίπολοι, ut narrat Dionysius Halicarnasseus primo Antiquitatum Romanarum libro. Quæ cum ita sint, multo vero similius est, hunc esse Cæsaris & Augusti Progenitorem, quam Romam; quandoquidem clarum etiam est, hanc viri esse, non mulieris formam, ut tum vestis, tum cingulum manifeste prodit, cum Roma quidem hoc habitu, atque hisce attributis expressa nunquam inveniatur, quemadmodum ex ejus statuis, nummisque constat. Post hæc asserit Peireschium Julio Cæsari tribuere effigiem illam, quam ipse Neroni Claudio Druso Germanico Tiberii Fratri, ac Patri Germanici tribuendam censui ex effigie, quam refert nummus procusus ejus nomine. Figura hæc in Achate nostro nullam habet cum imaginibus Julii Cæsaris affinitatem, ut nosse distincte poteris, nec sine admiratione, qui Peireschius decipi adeo potuerit, si hanc cum vera Cæsaris forma contuleris ab Ursino inter suos Illustres Viros descripta pag. 80. nec non cum iis, quas invenies plurimas apud Goltzium, ex quibus distinctius etiam discrepantia innotescit, ut nihil dicam de illis, quas egomet incidendas curavi in primis hujusce voluminis nummis. Quamquam vero simile & illud est, Julio Cæsari non fuisse concessum locum sedemque humiliorem in sua Apotheosi, quam filio, ac successori. Sed quod in Peireschii opinione magis etiam a ratione, rectoque judicio alienum invenio, illud est, quod is Numerium Atticum, qui Augusti abitum ad cælos commonstrat, accipit pro Druso Tiberii Filio, rogante, inquit ille, ut post excessum Patris sibi Romani Imperii regimen demandaret. Nam in primis, dum sic opinatur, contradicit ipse sibi; si enim Deus hic, ad quem protendit brachia, & cui hæc nota facit, Augustus esset, ut paulo ante ipse affirmavit, qui idem posset esse & Juppiter? Sed nimirum Juppiter est. Ac quantum ad Drusum attinet, forma isthæc nullam habet similitudinem cum illa, quæ in ejus nummis visitur, cujus est facies brevior, rotundior, habitior, oculique nonnihil excavati, atque abditi. Præterquam quod incredibile est, Drusum ausum fuisse, talia postulare, aut rogare in oculis Tiberii, quem scimus suspiciosissimum Imperatorum omnium fuisse in iis, quæ ad sceptrum suum, successionemque pertinerent, ac filium ob turpissimos mores acerrime odisse. Credibilius est ergo, effigie illa Numerium exprimi, qui se vidisse cælis invectum Augustum audacter juraverat, ob eamque causam satis ampla dona retulit.

Pergamus ad reliqua. Addit Gassendus, censuisse Peireschium, quæ ad dexteram Tiberii prope Germanicum, Mulier adest, eam esse Antoniam, alteram vero ad sinistram esse Liviam: quod sane magnopere judicium ejus, si ita esset, offenderet. Mulier hæc enim, quam pro Antonia sumit, procul dubio est Livia, qualis etiam apertissime expressa est senior, minori cultu & elegantia, obtecta caput, quod indicant crines arte compositi, collo recumbentes, quos Livia modeste collegit ac innexuit ita, ut nihil extent. Est etiam a verosimilitudine alienum, Liviam Tiberii matrem, Augusti viduam, aviam Germanici Filio sinistram adsidere, Antoniam vero ejusdem Germanici matrem tenere dextram; quo illud etiam accedit, vultus harum mulierum formis earundem simillimos esse. Quæ autem pone Antoniam cum Sphynge sedet, adeo Patri ejus Augusto similis est, ut mirari satis nequeam, qui Peireschius potuerit credere, eam esse Drusi uxorem. Si enim non esset nisi Sphynx hæc Augusti insigne, non debuerat aliam esse, quam ipsam judicare. Ait deinde, Peireschio sceptrum dici quam ego hastam sine ferro nomino, ac puto hastæ magis, quam sceptro esse similem, considerata vulgarium sceptrorum forma: sceptra enim, quæ veteres Diis ac Imperatoribus concessere, adeo longa fuerunt, ut hastas puras appellarent, quippe quæ dimidiam hastam sine ferro referebant. Sic sceptrum hoc Tiberii ita longum vides, ut sit instar cujusdam fulcimenti: dictum est genus hoc hastæ σκῆπτρον sceptrum a verbo σκήπτω, quod latine sonat *innitor*: qua de re, vide, quid ego animadverterim in primum Galbæ nummum.

Superest refellenda opinio, quam Peireschio Gassendus tribuit, de hoc Tiberii indumento, seu amictus genere, quo pars tantummodo corporis ejus ab umblico ad suras usque obtegitur; quemadmodum videre licet in formis statuarum Jovis Victoris in aversa Domitiani parte, ubi ejusmodi velamen implicitos alios aliis serpentes exhibet, quamque, auctore Gassendo, Peireschius Ægidem Jovis existimavit. Qua in re ut palam fiat quam longe a veritate aberraverit, satis erit hoc loco ostendere, quid Ægis Jovis esset. Erat ergo Ægis hæc nihil aliud quam pellis cujusdam capræ Nymphæ Amalthææ, quæ fabulosum hunc cælorum Dominum aluerat; qua pelle deinde, tanquam clypeo usus est Juppiter adversus Titanas, sicuti narrat Musæus antiquus Poeta apud Lactantium lib. 1. de *Falsa Religione* cap. 21. & Scholiastes Poematis Aratæi Germanici: vel ut refert Nonnus Dionysiacorum primo, ac Didymus in secundum Iliados, erat clypeus, quo contra Gigantes utebatur Juppiter, cui capræ Amaltheæ effigies impressa erat; quod sane nihil habet commune cum ornatu hoc serpentum inter sese implicitorum, qui vestem Tiberii, in hoc Achate coronat, & in quo nulla est caprina forma. Neque vero sum nescius Palladem quoque usam fuisse Ægide tanquam disco, quo pro Jove, ac postea contra Trojanos quoque pugnans armavit pectus, cui horribile caput Gorgonis serpentibus intextum adjecit, ut videmus apud Virgilium Æneidos libro ultimo, atque apud Pausaniam lib. 5. sed quænam armis hisce cum munimento isto similitudo, quod anteriora, ac posteriora Tiberii crura obtegit, in quo neque capra ulla extat, neque Gorgonis ullum caput? Serpentes igitur hi non aliam ob causam intexti velamento sunt, nisi ut summam prudentiam, felicitatemque singularem Tiberii significarent, ac numerum victoriarum, quas de Barbaris tum ipse, tum per legatos suos, per Drusum, per Germanicum retulit, & quarum symbola sunt ser-

pentes, habiti etiam salutares Genii, & conservatores Heroum, ac virorum principum; quemadmodum productis pluribus auctoritatibus observatum est a me in primum nummum Triumvirorum. Sic paulo infra ob easdem causas in pluribus nummis expressos angues videbis, ut in uno Neronis Græco, ubi parvus serpens conspicitur, qui a sinistro humero digrediens videtur Neroni blandiri; ut in alio pariter Juliæ Sabinæ, quæ sub attributis Minervæ hastam humero impositam tenet, cui implicitus serpens prominet, ac mulieris os versus effert caput. Serpentem etiam videbis supra caput Valeriæ Diocletiani Filiæ, & uxoris Maximiani, cujus nummum habebis in altero meo volumine in serie sua positum. Sed illud maxime considerandum est, ejusmodi bestias a Tiberio fuisse mirum in modum ob adductas rationes adamatas, referente Suetonio lib. 3. cap. 73. principem hunc habuisse serpentem, quem adeo diligeret, ut manu propria ipse aleret; quique cum quadam die inventus esset formicarum morsibus absumtus, portendit fore, ut brevi dominus ipse moreretur: quod sane haud multo post contigit.

F I N I S.

GISBERTI CUPERI
HARPOCRATES,
SIVE
Explicatio imaguncula argentea perantiqua, qua in Figuram Harpocratis formata repræsentat
SOLEM.

L E C T U R O.

NOn diu te in ipſo limine morabor, Lector Candide; & magis tralatitiam præfandi rationem ſequor, quam ut neceſſe habeam te compellare. HARPOCRATEM igitur iterum exhibeo, tot tamque variis monumentis antiquis auctum, ut plane NOVUS HARPOCRATES appellari poſſit. Vera me dicere ipſa te lectio docebit; & percipies inde non abſque quadam, ut ſpero, voluptate, dignum *Sigalionem* fuiſſe, qui ornatior altero natali in dias luminis oras prodiret. Marmora figuris inſignia, Inſcriptiones, Statuas, Nummos, Gemmas, ne quid de utriuſque linguæ Auctoribus dicam, ad partes voco; atque ut eorum ope illuſtro nitidam imagunculam, ita illis lucem affundere, explicatis variis, quibus ea decorata eſt, inſignibus, conatus fui. Adjeci MONUMENTA ANTIQUA INEDITA, ne Harpocrates exiguitate ſua (licet certe exiguus & brevis ſatis ſit) diſpliceret; eaque illius eſſe generis, ut Eruditis placitura ſint, mihi promitto & ſpondeo. Quod ſi interpretationes meas & emendationes aliquis forte rejiciat; ille ſaltem fatebitur me editis tam ſplendidis genuinæ Antiquitatis reliquiis, haud male meritum eſſe de Repub. Litteraria: & ſi nec hoc a ſe impetrare poteſt, probabit ſaltem intenſam Litteras juvandi voluntatem. Nihil ſæpe certi definio, judicioque tuo, Lector, permitto, quam ſententiam, vel meam vel aliorum, ſequi velis: quia iſtiuſmodi res dubitationibus obnoxiæ ſunt; illique ſemper palmam deberi perſuaſus ſum, qui eſt optimus vates. Neque enim illud hominum genus amo, qui de rebus dubiis & propter quas alii in hanc, illi in aliam partem faciunt diſſeſſionem, tanquam de certiſſimis loquuntur; ſuaſque explicationes ut amplectantur alii, omni ope, atque adeo convitiis & criminationibus efficere conantur; nihilque cum Cicerone tam temerarium judico, quam quod non ſatis explorate perceptum ſit & cognitum, ſine ulla hæſitatione defendere. Ego me hominem eſſe libens confiteor, & humani a me nihil alienum puto: rogoque, Candide Lector, ut æqui bonique conſulas, imo veniam des, ſi alicubi erravero; & ut perſuaſiſſimum habeas mihi ante oculos verſari frequenter Polybii verba, quæ, ut ab Interprete Latinam in linguam verſa ſunt, ſuppono: *Ab his qui nos ſequentur veniam poſtulo; ſicubi forte in hoc opere de induſtria mentitus, aut veritatem ſciens diſſimulaſſe compertus fuero, ut acerbe citra veniæ ſpem increpare ne dubitent; ſin vero ignorantia lapſus fuero, veniam indulgeant*. Vale, Lector, & hiſce fruere.

GISBERTI CUPERI
HARPOCRATES.

HARPOCRATI, quem ante decem annos luce donavi publica, iterum admovi manus, ornatioremque eum & comptiorem reddere conatus sum. Nam, ut vulgo dici solet, dies diem docet, & vix manus extrema ejusmodi lucubrationibus accedit; quin novis, quæ quotidie pulcherrima vel e terræ visceribus eruuntur, vel gazophylaciorum liberata custodiis publicantur monumenta, magis magisque jam edita illustrari possint. Ea quinetiam elegantis argumenti fertilitas & fœcunditas est, ut, simul hoc stadium ingressus fui, facile perspexerim, propediem mihi de alia editione cogitandum esse. Joannis Smetii, Viri domestico exemplo antiquarum rerum studiosissimi, & mysteriorum divinorum apud Noviomagenses interpretis dignissimi, Museum HARPOCRATES argenteus exornat. Est enim imago puerilis tota fere nuda, nisi quod ventris & lateris sinistri pars veletur veste, quæ ex zona humero dextro imposita dependet: Capiti imponitur flos loti; a tergo habet alas & pharetram: manus dextræ digito indice premit vocem, & silentia suadet: ex brachio dextro situla pendet: circa sinistrum lacertum serpens volvitur; manu eadem tenet clavam nodosam, quam spiris suis idem serpens, cui anser, ut videtur, additur, cingit: a dextro pede sedet cuniculus sive lepus, a sinistro accipiter vel alia avis. Cum animadverterem mira hoc ænigmate denotari, & varia nobis ob oculos poni Ægyptiorum mysteria; recte me facturum arbitratus sum, si diligentiori illud examine excuterem, & inquirerem quid sibi tandem ejusmodi & tam varie ornata imaguncula velit. Neque enim verosimile mihi videbatur, absque ullo consilio res diversas adeo conjunctas esse, ad ornandum puerulum, qui labia digito premit; cujusque ectypum, uti ad me missus fuit olim, exhibeo:



Elegantissime certe imaguncula elaborata est, cujus formam satis superque docere puto, illam antiquam, Notam Hieroglyphicam, atque adeo Ægyptiorum, quorum superstitio orbem Romanum pervasit tandem, numen esse. Scilicet HARPOCRATES nobis ante oculos ponitur, non silentium tantum digito suadens, verum SOLIS imaginem referens; ad quem ut plerique dii, ita & ille a vesanæ religionis cultoribus relatus est. Hoc ut clare doceam, ab ipso dei nomine, & natalibus, quæque circa eos narrantur accidisse, portentis incipiam; & quasi per gradus & articulos ad ea, quæ symbolum hoc SOLIS nos docet, ascendam. HARPOCRATES igitur in inscriptione veteri apud Gruterum, & Sertorium Ursatum; in alia apud antiquariæ itidem rei peritissimum virum Jac. Sponium in Itiner. & Ignotorum Deorum Aris HARPOCRATES, & Cassiodoro, verbis paulo post laudandis, HARPOCRAS vocatur: videantque eruditi num in vocibus *Alpoca & Alpocatis* in Notis Tyronis & Senecæ, ut inscribuntur, Harpocratis nostri nomen lateat; in quibus etiam non ita multo celebrantur *Insis* sive Isis, *Sirapis*, *Insis & Serapis*, *Anubis*, *Adobis*, & *Obseris*, sive Adonis & Osiridis, qui cum ea, post mortem, ut nugantur, rem habens genuit ἠλιτόμηνον (ex qua voce male Gyraldus, uti notavit Xylander, facit *Helitomenum* fratrem Harpocratis) καὶ ἀσθενῆ τοῖς κάτωθεν γυίοις, *infantem ante completos menses & debilem inferioribus membris*; teste Plut. lib. de Iside & Osiride: Nec satis habuerunt parentes nobis enarrare; verum etiam in tempus natale inquisiverunt; quod nonnulli censebant esse περὶ τροπὰς χειμερινάς. Nam scribit idem quosdam velle Osirin sepeliri, quando semen terra occulitur, & rursum apparere, quando pullulare incipit: ideo Isin, cum se sentiret gravidam, appendisse sibi phylacterium, sexta die mensis Paophi; & peperisse circa solstitium hybernum τὸν Ἁρποκράτην ἀτελῆ καὶ νεαρὸν, ἐν τοῖς προανθοῦσι καὶ προβλαστάνουσι, *imperfectum ac recentem, quod tum primi flores & germina incipiant pullulare*. Et amuletum quidem illud si interpretari volueris, significare φωνὴν ἀληθῆ *vocem veram*; præterea lentium, vel leguminum Harpocrati obtulerunt primitias: διὸ καὶ φακῶν αὐτῷ φυομένων ἀπαρχὰς ἐπιφέρουσι; & quidem mense Mesore dicentes, γλῶσσα τύχη, γλῶσσα δαίμων, *lingua fortuna, lingua genius*: puerperiique diem celebrabant post æquinoctium vernum: τὰς δὲ λοχείους ἡμέρας ἑορτάζειν μετὰ τὴν ἐαρινὴν ἰσημερίαν; quæ omnia in libello laudato Plutarchus nos docet. Amissum hunc filium Isis quæsivit, & tunc vela navium excogitavit, eoque nomine PELAGIAM cognominari in lapide apud Gruterum vetusto, censent eruditi: Hyginus fab. ultima; *Velificia primum invenit Isis. Nam dum quærit Harpocratem filium suum, rate velificavit*. Cassiod. lib. v. Variarum cap. 17. *Hoc (velum) Isis rati prima suspendit, cum per maria* HARPOCRAN *filium suum audaci fœmina pietate perquireret*. In nonnullis editionibus scribitur *Apochran*, vel *Apocren*, aliique hæc verba laudantes reponunt, *Harpocratem*; sed ego malui minimum a vulgata lectione recedere, quia hoc nomen alterius contractio est, & Suidæ Ἁρποκρᾶς quidam Ægyptius Ammonii familiaris memoratur: non secus ac in Inf. 5. p. DCCCL. Gruteri M. LOLLIUS. APHOCRAS. Sic ex Antipatro *Antipas*, ex Alexandro Ἀλεξᾶς, ex Rufino ῥοῦφας; ex Apollonio Ἀπολλᾶς, ex Theodoro *Theudas*, notante Vossio V. Cl. lib. 4. Institut. Orat. c. 1. sect. 5. deducuntur. Alii scribunt Isidem quæsivisse Orum; haud vanum indicium Orum & Harpocratem eundem esse. Nam & ille Isidis & Osiridis filius dicitur Diodoro Siculo atque Plutarcho; & quidem Epiphanius c. 106. Ancorati tradit Isidem Ὧρον ἕνα παῖδα *unicum filium* genuisse; sed eum germanum suum patrem monstrare non potuisse; nec docere propter infame adulterium

Iſidis, num Oſiris, an vero Typhonis filius haberetur. Plutarchus lib. De Iſide, quod utique notandum, ſcribit, ἔτι τῶν θεῶν ἐν γαστρὶ τῆς Ῥέας ὄντων, ex Iſide & Oſiride, qui ſcilicet Rheæ etiam in utero verſabantur, natum eſſe Apollinem; illaque fabula ſignificari, antequam hic mundus conſpicuus fieret, & materiam forma perficeret, naturam ſibi ipſam imperfectionis conſciam, primum ortum edidiſſe; διὸ καὶ τὸν θεὸν ἐκεῖνον ἀνάπηρον ὑπὸ σκότῳ γενέσθαι, καὶ πρεσβύτερον Ὧρον; *inde Deum illum mancum in tenebris natum eſſe, & ſeniorem Orum appellatum; quod non mundus erat, ſed mundi imago & ſpecies; Orum autem ipſum* (de quo nempe in præcedentibus egerat) ὡρισμένον eſſe καὶ τέλειον, *finitum & perfectum*. Ubi quod ſeniorem Orum ſcribit fuiſſe ἀπήρατον, certe Harpocrati noſtro convenit. Eandem de ſeniore Oro fabulam etiam alibi libro eodem narrat; Ἶσιν δὲ καὶ Ὄσιριν ἐρῶντας ἀλλήλων, καὶ πρὶν γενέσθαι κατὰ γαστρὸς ὑπὸ σκότῳ συνεῖναι. ἔνιοι δὲ φασι καὶ τὸν Ἀρουήριν οὕτω γεγονέναι, καὶ καλεῖσθαι πρεσβύτερον Ὧρον ὑπ᾽ Αἰγυπτίων, Ἀπόλλωνα δὲ ὑπὸ Ἑλλήνων: *Iſidem & Oſiridem mutuo impulſos amore, antequam ex alvo matris exirent, in tenebris corpora miſcuiſſe. Ac ſunt qui ſic natum putant Aruerin, & ab Ægyptiis ſeniorem Orum, a Græcis Apollinem nuncupatum*. Patrem præterea Ori celebrat Nigidius in ſphæra Barbarica apud Servium ad 1. Georg. 19. *Sub Virginis ſigno Arator, quem Orona Ægyptii vocant: quod Oron Oſiridis filium ab hoc* (dubito, num reſcribi debeat *ab hac*, ut ad Virginem referatur) *educatum dicunt*: &, quod inſervit illuſtrando Servio Orionis ſtellam, eſſe ἱερὸν ſidus Ὥρου tradit Plutarchus libro toties laudato. Epiphanius lib. 3. adverſus Hær. memoriæ mandat, ſenes in civitate Βούτῳ nutrire, vel *nutricis in modum tractare Harpocratem*, eos πρὸς τῇ ἱερομηνίᾳ τὰς φαντασιώδεις τοῦ Ὥρου ἐνθουσιάσεις ἐπιτελεῖν, *initio menſium vel calendis ex viſione vel imaginatione ortos inſtinctus & afflatus peragere a dæmone coactos; tuncque cives univerſos, ac vel decrepitos ſenes cum adoleſcentibus iiſdem moribus præditis, ac reliquis jam tum ab ipſa pubertate ætatibus ſacerdotes* τοῦ αὐτοῦ Ὥρου δῆθεν καὶ Ἁρποκράτους, *Ori videlicet & Harpocratis, detonſo capite*, ſingulos circumtuliſſe impudenter δουλικὸν ὁμοῦ καὶ ἐπικατάρατον καὶ παιδαρειῶδες σῆμα, *ſervile, & abominandum ac puerile ſignum*. Certe diligentiſſimus Menſæ Iſiacæ interpres ut & Gyraldus ex his Epiphanii verbis docent Buti ſenes ſacerdotes ad inſtar nutricum Orum ſeu Harpocratem geſtare circumcurſantes: & Triſtanus Tom. 1. p. 605. arbitratur, Horum, qui ſol habebatur, & Harpocratem eundem Ægyptiis deum eſſe. Et quanquam particula copulativa καὶ apud Euſebium videatur diſtinguere Orum & Harpocratem, & Iſis eum vivo, hunc mortuo conjuge Oſiride narretur peperiſſe, tamen hæc numina non abſque ratione eadem eſſe exiſtimantur, cum quia Diod. Siculus lib. 1. ſcribit Iſidis filium *Orum Titanum inſidiis oppreſſum* καὶ νεκρὸν εὑρεθέντα καθ᾽ ὕδατος *& mortuum in aquis inventum* (proindeque *quæſitum*, ut de Harpocrate ſcribunt Hyg & Caſſiodorus) immortalem reddita anima factum; tum quia Plutarchus libro de Iſ. & Oſir. memorat, *Orum enutritum eſſe a Latona in paludibus circa Butum, quia aquoſa & irrigua terra maxime educit exhalationes, quibus ſiccitas reſtinguitur*: quod Harpocrati ad amuſſim, uti ex ſequentibus patebit, convenit; & quia tam parum ſibi in fictionibus ſuis conſtabant Ægyptii, ut etiam ipſum Oſirin fecerint maritum, fratrem & filium Iſidis, quemadmodum teſtatur Porphyrius apud Euſebium lib. 3. Præpart c. XI. extremo. Orum autem Apollinem vel ſolem eſſe clare enarrant Herod. 2. 144. Ælianus, 10. 14. Julianus Imperator Orat. 4. Horapollo, lib. 1. c. 17. Plutarchus libro de Iſide, Euſebius & Porphyrius apud eundem l. 3. c. 6. & 11. Præparationis, aliique. Nec diverſa nos docet Macrobius 1. Saturn. 20 *Apud eoſdem* (Ægyptios) *Apollo, qui & Sol*, HORUS *vocatur, ex quo & horæ viginti quatuor, quibus dies noxque conficitur, nomen acceperunt, & quatuor tempora, quibus annuus orbis impletur, horæ vocantur*. Et ne dicam eruditione præſtanti viros nomen *Hori* ab Hebraica voce, quæ lumen vel lucem ſignificat, derivare, Herodotus 2. 156. & ex eo Athenagoras narrant Apollinem vel Orum & Dianam ſive Bubaſtin Dionyſi & Iſidis vel Oſiridis & Cereris liberos eſſe: & Diod. Siculus lib. 1. ſcribit Iſidem inveniſſe immortalitatis pharmacum, eoque filium Orum a Titanibus occiſum in vitam reduxiſſe & immortalem reddidiſſe, Orumque interpretari Ægyptios Apollinem, qui τὴν ἰατρικὴν καὶ τὴν μαντικὴν a matre edoctus, oraculis & medicis artibus de hominibus bene meritus ſit. Male, ut hoc obiter moneam, Triſtanus ex his Diodori verbis, Iſidem Oro mammam dediſſe atque ita reddidiſſe ἀθάνατον, ejuſque rei in memoriam vaſculum aureum in modum papillæ rotundatum, de quo lacte, Apulejo teſte, libabant, in Iſidis pompa fuiſſe circumlatum, docet. Nam licet Mercurius fingatur educatus uberibus Junonis, atque ita immortalis eſſe factus, uti ſcribunt Mart. Capella l 1. & 2. Hyginus lib. 2. Poet. Aſtron. & Albricus Philoſophus cap. 11. licet Nonnus lac Junonis appellet ἱερὴν ῥαθάμιγγα πορευνήτειραν Ὀλύμπου *divinam guttam, quæ ducit ad cœlum*; eademque rogetur, ut velit Baccho βατὸν αἰθέρα facere; nihil tamen ſimile de Iſide narrat Diodorus; ſed memoriæ tantum mandat eam ἀθανασίας φαρμάκων inveniſſe; eoque filium Orum immortalem reddidiſſe; quod certe ex poculo, vel abſque illo hauriri poterat, quomodo Philologia a Martiano Capella fingitur ebibiſſe *immortalitatis poculum, quod erat quædam globoſa animataque rotunditas*. Si igitur Horus idem eſt cum Harpocrate, conſtare utique arbitror, hunc etiam Solem referre; quod ſi forte aliquis probare nolit, malitque diſtinguere hæc numina; ex iis tamen quæ ſequuntur, perſpiciet veteres Harpocratem cenſuiſſe ſolem eſſe. Nam, uti ex gemmis conſtat, loto inſidet frequenter; & Ægyptios infantem ita depinxiſſe, cum orientem ſolem exprimere vellent, docet Plutarchus libro de Iſide & Oſiride; quod non factum, uti arbitratur Triſtanus, Tom. 1. pag. 604. quia putabant ſolem ex loto natum eſſe, ſed quia oriens ſol ex humidis accenditur, uti illius verba inſpicienti vel obiter patebit: οὐδὲ τὸν ἥλιον, ait, ἐκ λωτοῦ νομίζουσι βρέφος ἀνίσχειν νεόγιλον, ἀλλ᾽ οὕτως ἀνατολὴν ἡλίου γράφουσι, τὴν ἐξ ὑγρῶν ἡλίου γινομένην ἄναψιν αἰνιττόμενοι. Nam & idem in libro, *Cur Pythia non reddat oracula carmine*, illud fieri ſcribit, quia ſol exhalationibus ali credebatur, idque ex ſententia Serapionis, rationem reddentis, quare Delphis ad radicem palmæ a Corinthiis dedicatæ, ranæ & hydri cernantur: *Serapio cum dixiſſet, innuiſſe opificem, ſolem naſci & ali ex humore & exhalationibus, ſive Homerum is audiviſſet canentem,*

> *Jam ſtagnum exoriens phœbea relinquit amœnum*
> *Lampas* ——

εἴτε Αἰγυπτίους ἑωρακὼς ἀρχὴν ἀνατολῆς παιδίον νεογνὸν γράφοντας ἐπὶ λωτῷ καθεζόμενον: *ſive Ægyptios vidiſſet ortum ſolis exprimere puerulo, qui loto inſidet*. Eſtque apud celebres antiquarios nummus elegans Antonini Pii, in quo puerulus

finistra manu caulem, ut videtur, loti, vel aliam rem tenens, dextra ori fere admota silentium suadens, Harpocratis indubitatum indicium, in loto sedet, uti ex ectypo clarius patebit:



In Basilidianorum quoque amuletis (quibus aliquam saltem me lucem daturum arbitror, licet ea neminem intelligere, nisi qui facienda curavit, & frustra illis interpretandis operam dari scribat in epistolis Illustris Scaliger) apud Chiffletium Harpocrates digitis os premens & flagellum vel stimulum tenens supra lotum sedet, vel illi insistit, uti ex gemma quam adjicere visum fuit, apparet:



Quo schemate nihil aliud quam solem denotari persuasus sum. Basilides enim impietatis & errorum abominandorum scholam, secretorum mysteriorum simulatione Alexandriæ in Ægypto aperuit; quemadmodum ex historia Ecclesiastica, & ipsis amuletorum, notante maximo Salmasio libro de annis Climactericis, inscriptionibus constat: & puto infamem illum hæreticum soli, præ cujus numine alii dii tunc temporis fere sordebant, in varias, quibus ab Ægyptiis colebatur, mutato figuras, phylacteriis suis indito vim propulsandi pericula & conservandi adscripsisse. Certe puerulus, qui in gemmis laudatis conspicitur, & instar Harpocratis digito labia comprimit, sol est. Nam loto primum insidet; perque ejusmodi schema Solem eos repræsentasse docet præter laudatos auctores Jamblichus Sectionis VII. cap. 2. de Myst. Ægypt. ubi multus est in explicanda hac nota hyeroglyphica, scribitque inter cetera τὸ ἐπὶ λωτῷ καθέζεσθαι significare θεȣ̃ id est *Solis*, qui ita per excellentiam vocatur, eminentiam & potentiam μὴ ψαύȣσαν μηδαμῶς τῆς ἰλύος, καὶ ἡγεμονίαν νοερὰν καὶ ἐμπύριον ἐπιδείκνυται: deinde radiis ornatur in illis non secus ac in aliis gemmis, Solis itidem indubitatum signum; notissimi sunt Mantuani Vatis versus,

——— cui tempora circum
Aurati bis sex radii fulgentia cingunt
SOLIS *avi specimen* ——

quo pertinet apud Artemidorum in Oneirocritico, quendam somniare solem se factum, & undecim radiis conspicuum per forum ingredi. Flagellum præterea idem suadet; quod si non in gemma quam exhibui (quippe in qua potius cerni videtur instrumentum, quale gerunt in Pignorii mensa Isiaca & in nummis Melitensium apud Abelam & Sponium vel idem Harpocrates, vel diversa ab eo Ægyptiorum numina,) attamen in aliis multis loto insidens tenet Deus; non secus ac sol in Elagabali, Alexandri Severi, Gallieni, aliorumque Augustorum nummis, cum inscript. ORIENS AUG. & SOLI COMITI: & in Basilidis variis gemmis apud Chifletium. Neque certe alius habitus decebat Deum, qui instar aurigæ currum agitare necesse habebat; prout a Prudentio describitur libro contra Symmachum primo:

Hoc sidus currum, rapidasque agitare quadrigas
Commenti, & RADIOS capitis, & VERBERA DEXTRÆ
Et frenos, falerasque, & equorum pectora anhela
Æris inaurati, vel marmoris, aut orichalci
Jusserunt nitido fulgere polita metallo.

Artemidorus lib.2. Oneicr. cap. 36. memoriæ mandat, *solem, non qualis est, sed qualis ab hominibus esse putatur*, σκευὴν ἔχοντα ἡνιόχȣ, *habitu aurigæ ornatum*, in somnis visum, bonum portendere athletis, peregrinari cupientibus & aurigis. Et hinc Macrobius lib. Sat. I. cap. 23. conjecturatur, Jovem Assyriorum eundem cum Sole esse: *Hunc vero*, ait, *eundem Jovem Solemque esse, cum ex ipso sacrorum ritu, tum ex habitu dignoscitur. Simulacrum enim aureum, specie imberbi instat dextra elevata cum* FLAGRO *in* AURIGÆ *modum: læva tenet fulmen & spicas, quæ cuncta Jovis Solisque consociatam potentiam monstrant*. Nec aliam ob causam Harpocratem nostrum parili habitu, in alia gemma exhiberi cum stella & leone arbitror;



Nam leo Soli est dicatum animal; hicque radiatus occurrit in nummo Juliæ Domnæ a Leontopolitis percusso: in alio Caracallæ radiatus fulmen tenet, apud Tristanum; & in annulo LXIII. Gorlæi, globum, nullam aliam ob causam, quam quia sol orbem terrarum radiis suis illustrat, eumque a gentilibus regere dicebatur: & in gemma, quam se possidere testatur Smetius in Antiq. Noviomagensibus, cernitur cum spica, quia sol omnes res calore suo producit. Præterea leo quia, teste Æliano, ἄγαν πυρώδης ἐςὶ, ab Astrologis Ægyptiis domicilium solis constitutus est; eandemque ob causam, uti legere licet apud magni Etymologici auctorem, Grammatici censuerunt eum ἐλεητὸν vocari, παρὰ τὴν ἕλην τὴν θερμότητα. Exstant hanc in rem verba Macrobii lib. I. Sat. Serm. c. 21. elegantia, quæ, licet longiuscula sint, adscribere tamen non gravabor: *Ægyptii animal in Zodiaco consecravere ea cœli parte, qua maxime annuo cursu sol valido effervet calore; leonisque inibi signum domicilium solis appellant; quia id a-*

nimal videtur ex natura solis substantiam ducere: primumque impetu & calore præstat animalia, uti præstat sol sidera, validusque est leo pectore in priore corporis parte, ac degenerat posterioribus membris. Æque solis vis prima parte diei ad meridiem increscit, vel prima parte anni a vere in æstatem: mox elanguescens deducitur vel ad occasum, qui diei, vel ad hyemem, quæ anni pars videtur esse posterior: idemque oculis patentibus atque igneis cernitur semper, ut sol patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo atque infatigabili cernit. Porphyrius præterea memoriæ mandat solem appellari ταῦρον, λέοντα, δράκοντα, ἱέρακα, *lacertum, leonem, draconem, & accipitrem*: eumque leonino capite insignem effingi solere ex Statii Scholiaste, aliisque docuit auctoribus Laurentius Pignorius: de quo proculdubio, quicquid fluctuet Desiderius Heraldus, loquitur Arnobius; *Inter deos videmus vestros leonis torvissimam faciem mero oblitam minio, & de nomine* FRUGIFERI *nuncupari*. Nam & minium adhibitum videtur, licet aliorum etiam numinum statuæ ita fuerint ornatæ, uti rubrum solis colorem, igneosque sideris radios exprimerent; & FRUGIFER vocatur, quia sol frugum, fœcunditatisque causa præcipua; ipse propterea καρποφόρος, atque καρπογενέθλιος appellatus, quemadmodum docuit ad Histor. Augustam Salmasius. Sic in Albini numismatis Mercurius radiatus solem refert, addita inscriptione, SÆCULO FRUGIFERO: Statius libro Thebaidos primo Osirim sive solem non aliter appellat; exstatque idem epithetum, & Isidi, ut videtur tributum in Inscriptione veteri anno hujus sæculi quarto & vigesimo Voorburgi in Batavis reperta, atque a viris doctis edita:


J. O. M. SARAPI
ISIDI. FRUGIFERO
CÆLESTI. FORTUNÆ
BONO. EVENTO.

Nam si salva est marmoris scriptura nec si ad Serapin τὸ FRUGIFER loco suo motum debet referri, ita Isis vocatur quia utriusque sexus dii habebantur participes, & Isis omnium rerum origo, vel, ut Apulejus loquitur, *rerum natura parens, elementorum omnium domina, sæculorum progenies initialis, summa numinum* &c. habebatur; unde non modo appellatur DEA QUÆ EST OMNIA, & MYRIONYMA; verum etiam FRUCTIFERA in lapidibus vetustis; *corpusque ejus omne continuatis uberibus*, teste Macrobio lib. I. Sat. cap. 20. *densatum est quia terræ vel rerum naturæ altu nutritur universitas; ipsaque vel terra habebatur vel natura rerum subjacens Soli*: quæ verba tamen ostendunt clare, non dixisse Macrobium, id quod video excidisse nonnemini, Isidem pro Sole cultam esse. Et ejusmodi Isidem ego crediderim cerni in gemma quæ cum imaginibus aliis subjicitur Expositioni statuæ Dianæ Claudii Menetrei; quia Ægyptiorum plane fabricam refert; quemadmodum ex Ori statuis apud Pignorium patet. Nec puto, id quod video placere eruditis, vocem CÆLESTI ad Isidem, verum ad Fortunam debere referri; & designari (nisi tamen quis τὸ *Cœlestem* absolute poni existimet) Deam, quæ in Africa præcipue culta CÆLESTIS vocatur non solum Tertulliano, Ammiano Marcellino, Trebellio Pollioni, Julio Capitolino, Salviano, Prospero; verum etiam in lapidibus vetustis tam apud Gruterum, quam apud Sponium. Nam in his vel CÆLESTIS, vel INVICTA CÆLESTIS vel CÆLESTIS AUGUSTA occurrit; neque hæc quicquam commune habet cum *Bona Dea* Romæ culta, licet in inscriptione Arculi in Italia reperta occurrat, BONA DEA SANCTISSIMA CÆLESTIS. Nam, si placet intelligere *Bonam* Romanorum *deam*, illa *cœlestis* communi epitheto, ut Venus, Diana, Mercurius, & Silvanus; si vero *Cœlestem* Africæ, illa *sanctissima* & *bona* dicetur exemplo multorum aliorum numinum. Et, qui valde hoc monumentum illustrat, Philaster Brixiensis ita loquitur: *Alia est hæresis in Judæis qui Reginam, quam &* Fortunam Cœli *nuncupant, quam & Cœlestem vocant in Africa, eique sacrificia offerre non dubitant.* Sed ut ad leonem redeam; optime conjecturat Johannes Macarius figuræ Abraxeæ, quam edidit Baronius, leonem opponi, quia solis symbolum animal illud est; & quod magis gemmam laudatam illustrat, ante leonis pedes jacet caput bovis quia lunæ boves tribui solebant: & luna lumen suum a sole accipit. Hinc in nummis Septimii Severi, Caracallæ, Juliæ Piæ, & Gordiani Lunæ currui insistit, cui boves juncti sunt; in alio Paneados urbis Syriæ, Diana, quæ eadem cum Luna, Ephesia cernitur cum binis ad latera bubus apud Patinum, & ejusdem deæ statua, quam luce donavit publica Claudius Menetreus, capitibus bubulis ornatur. Claudianus quoque & Ausonius currum Lunæ a *Juvencis* trahi affirmant, & Scholiastes Statii tradit, *lunam quæ propius tauro adhæret vacca id est bove figuratam fuisse*: quo pertinet Io in vaccam mutatam esse, & Mithram sive Solem reluctantis tauri cornua in marmoribus, & apud Scholiastem laudatum retinere. Atque ut in gemma laudata bovis caput leoni propter rationem dictam supponitur, ita in alia, quam exhibeo, ante Harpocratem radiis ornatum & loto insidenten cynocephalus stat, quia per illud animal erectum stans & manus in cœlum attollens Lunam exprimere solebant, uti legere licet apud Horum cap. 14. Hieroglyphicorum.



Præterea solium Hori vel Solis insistebat leonibus, docebantque ita multa habere similia sidus illud & animal: Idem cap. 17. Κεφαλὴν γὰρ ἔχει μεγάλην τὸ ζῶον, καὶ τὰς μὲν κόρας πυρώδεις, τὸ δὲ πρόσωπον στρογγύλον, καὶ περὶ αὐτὸ ἀκτινοειδεῖς τρίχας, κατὰ μίμησιν ἡλίου, ὅθεν καὶ ὑπὸ τὸν θρόνον τοῦ Ὥρου λέοντας ὑποτιθέασι, δεικνύντες τὸ πρὸς τὸν θεὸν τοῦ ζώου σύμβολον. Ἥλιος γὰρ ὁ Ὧρος ἀπὸ τοῦ τῶν ὡρῶν κρατεῖν: *Caput enim magnum habet hoc animal, & pupillas ignitas, faciem vero rotundam, & circumquaque radiorum more sparsos pilos instar Solis. Quare & sub solio Hori leones supponunt, hujus animalis cum deo similitudinem maximam demonstrantes: dicitur autem sol Horus, eo quod horis præsit*: & hæc superstitio, quæ totum fere Occidentem & Orientem pervasit olim, videtur etiam Tartarorum animos contaminasse, quippe qui in bracteis vel tabulis, in quibus Imperatorum privilegia scribebantur, sculpebant *imaginem leonis cum sole vel luna, vel imaginem grifalchi, aut reliquorum animalium*, teste M. Paulo Veneto. Ut autem telam, quam exorsus sum, totam detexam; alia gemma in qua lotus naviculæ insistit, loto homo

armatus & leo, nihil aliud nobis quam solis cultum ob oculos ponit;



Nam & Mithra sive Sol in sacris Mithriacis MILES vocabatur vel potius eorum, qui sacris illis initiabantur, aliquis, vel plures dicebantur *Milites*; Hieronymus epistola ad Lætam. *Ante paucos annos propinquus vester Gracchus nobilitatem patriciam sonans nomine, cum præfecturam gereret urbanam, nonne specum Mithræ, & omnia* PORTENTOSA SIMULACRA, *quibus Corax, Griphus*, MILES, *Leo, Perses, Helios, Bromius, Pater initiantur, subvertit, fregit, exussit?* Recte enim videtur Macarius hæc verba interpretari de Sole militis habitu effícto; præcipue cum adjiciat sese vidisse hominem more militis accinctum gladio, capite leonino, & dextra tenentem ora Medusæ: quam tamen gemmam Chifletius ad *Persea Solem* refert; cujus scilicet historiam ex sideris illius natura interpretantur, quemque Ἥλιον faciunt Scholiastæ Hesiodi ad Theogoniam; & ad Lycophronem. Mars quoque, armorum deus, non alius quam sol est, testibus Macrobio in Saturn. & Juliano Oratione IV. eandemque ob causam Accitanis radiatus colebatur: *Martem*, inquit Saturnalium sermonum scriptor, *Solem esse quis dubitet? Accitani etiam, Hispana gens, simulacrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes*. LOTUS, soli dicata, uti mox pluribus docebitur, planta naviculæ insistit; quia solenne Ægyptiis omnes dæmones atque adeo ipsum solem non ἐπὶ στερεοῦ, *in solido stabilique*, verum ἐπὶ πλοίου *super navigium* statuere, uti docet Porphyrius libro de antro Nympharum, apud quem hujus superstitionis ratio videri potest. Eusebius quoque libro 3. cap. XI. Præp. Evang. narrat Ægyptios solem interdum repræsentare δι' ἀνθρώπου ἐπιβεβηκότος πλοίου, ἐπὶ κροκοδείλου κειμένου, *per hominem crocodilo impositam navem ingredientem; navemque significare motum in humido, crocodilum vero aquam potui aptam, per quam Sol fertur*: Plutarchus insuper testis est, in libro, quem de Iside & Osiride conscripsit, eandem gentem commemorare Solem & Lunam οὐχ ἅρμασιν (uti scilicet apud Græcos & Romanos fiebat) ἀλλὰ πλοίοις ὀχήμασι χρωμένους περιπλεῖν ἀεὶ, *non curribus, sed navigiis vectos cursus suos peragere*, atque ea re ænigmatice significasse, τὴν ἀφ' ὑγροῦ τροφὴν αὐτῶν καὶ γένεσιν, *eos humore ali atque procreatos esse*: quomodo Philosophi verba, interpreti haud satis intellecta, reddenda sunt. Clemens Alexandrinus libro quinto Strom. Ægyptiorum alios scribit solem ἐπὶ πλοίου, alios ἐπὶ κροκοδείλου effinxisse; & significasse ὅτι ὁ ἥλιος δι' ἀέρος γλυκεροῦ καὶ ὑγροῦ iter suum absolvit. Nec absque ratione est, quod arbitratur Valesius Henricus, vir eruditissimus ad Dionis Excerpta, Antinoum in urbe sui nominis adjunctum sibi habuisse lusorium navigium eam ob causam: Epiphanius in Ancorato: ὁ Ἀντίνοος ὁ ἐν Ἀντινόου κεκηδευμένος καὶ σὺν λουσορίῳ πλοίῳ κείμενος ὑπὸ Ἀδριανοῦ οὕτως κατετάγη; nisi aliquis malit Scaligerum sequi, arbitrantem, id ideo factum esse quia Antinous, dum per Nilum navigat, periit; quo pertinet doctissimum Epiphanii interpretem. hæc verba ita intelligere, tanquam Antinous cum lusorio navigio sepultus sit. Hinc forte est, quod Albricus philosophus cap. VII. de Deor. Imag. *naviculam* inter comitatum Lunæ vel Dianæ recenset: *Et navicula post cervos cum homine navigante & velificante in mari erat signata*: quod in nummo Domitiani, quem illustravit Nicolaus Obrechtus, ipse, ut videtur, Imperator Isiaci habitu navi insidet; & quod Manichæus his deliriis imbutus docuerit Solem & Lunam *naves* esse, quemadmodum videre licet apud Epiphanium cap. 10. 22. & cap. 29. Hæreseos Manichæorum, nec non Augustinum lib. de Hæresibus; quanquam & olim Heraclito placuerit in cœlo esse σκάφας ἐπεστραμμένας κατὰ κοῖλον πρὸς ἡμᾶς, *scaphas vel alveos convexos, in quibus coactæ lucidæ exhalationes flammas elidant; eaque esse sidera*: quemadmodum narrat Hesychius Milesius. Atque talia sibi videntur finxisse gentiles, quia, uti ex Plutarcho docui, solem, lunam, & sidera exhalationibus ali credebant, quod Porphyrius libro de Antro Nympharum, etiam Stoicos habuisse persuasum docet; Plutarch. in lib. de Iside eos scribit censere solem ἐκ θαλάττης ἀνάπτεσθαι καὶ τρέφεσθαι; τῇ δὲ σελήνῃ τὰ κρηναῖα καὶ λιμναῖα νάματα γλυκεῖαν ἀναπέμπειν καὶ μαλακὴν ἀναθυμίασιν; *e mari inflammari & ali: lunæ vero a fontanis & palustribus aquis dulcem & mollem submitti exhalationem*: & Zeno apud Laertium Diogenem, Solem ali ἐκ τῆς μεγάλης θαλάττης, Lunam ἐκ ποτίμων ὑδάτων, reliqua vero sidera ἀπὸ τῆς γῆς; quam in rem etiam videri potest Macrobius lib. 2. cap. 10. in Somnium Scipionis; unde & Tzetzes ad Hesiod. p. 49. ἥλιον *solem*, putat dictum q. ἅλιον, ὡς ἐξ ἁλὸς, ἤγουν θαλάσσης τὴν γένεσιν ἔχων; vel, ut pag. 104. loquitur, τὴν ἀναψιν. Loto præterea tanquam navigii malo insistit cum leone miles; quod illustratur valde a Martiano Capella, qui libro secundo de Nuptiis Philologiæ eleganter Solis navigium describit. *Mox studium in solarem laborare circum, quippe sesculplo fatigabat ascensum: qui totus ac dimidius habebatur. Ibi quandam* NAVIM *totius naturæ cursus diversa cupiditate moderantem, cunctaque flammarum congestione plenissimam, & beatis circumactam mercibus conspicatur. Cui nautæ septem, germani tamen suique similes. Præsidebant: in prora felis forma depicta, Leonis in* ARBORE (id est malo) *crocodili in extimo videbatur. In eadem rate fons quidam lucis æthereæ arcanis fluoribus manans in totius naturæ lumina ferebatur*: uti ea verba emendanda sunt cum Valesio, a quo tamen paululum abit Thomas Gale doctissimus vir notis in Jamblichum, quippe qui rescribit: *Similes præsidebat in prora felis forma depicta*. Porphyrius quoque apud Eusebium lib. V. cap. X. Præpar. memoriæ mandat in εὐχαῖς vel precibus & votis Ægyptiorum Solem vel ex palude limosa emergere, vel ἐπὶ τῷ λωτῷ sedere, vel ἐπὶ πλοῖον ναυτίλλειν, aut singulis horis formam mutare: & tandem Jamblichus c. 2. Sect. VII. Mysteriorum, scribit deum vel Solem ἐπὶ πλοίου ναυτιλλόμενον ostendere potentiam mundi gubernatricem; quia uti gubernator a navi separabilis ejus clavo adstat, ita & sol mundum totum regit. Alia tandem earundem Basilidianorum monstra apud Chifletium, quæ accipitris, galli, leonis capitibus fœdantur, in duos angues desinunt, vel *a crure serpentes* sunt, uti loquitur Tertullianus in Apologetico, & flagellum plerumque tenent, ad Solem referri debere existimo. Serpentem enim & accipitrem Soli dicata esse animalia ex iis, quæ paulo post in me-

dium afferentur, conſtabit; gallumque ἡλίου ἱερὸν ὄρνιθα eſſe & nuntiare ſolis ortum, teſtatur Pauſanias lib. v. & Plutarchus memoriæ mandat quendam, avem eam manui Apollinis (male interpres *Æſculapium* ſubſtituit) impoſuiſſe, ad denotandum ſolis ortum & matutinum tempus: ὥσπερ οὖν, ait in libro de Pythiæ Oraculis, ὁ τὸν ἀλεκτρυόνα ποιήσας ἐπὶ χειρὸς τοῦ Ἀπόλλωνος ἑωθινὴν ὑπεδήλωσεν ὥραν καὶ καιρὸν ἐπιούσης ἀνατολῆς. Pythagras albo gallo veſci prohibuit, quia ſacer erat lunæ & ſoli: Diog. Laertius prius docet; utrumque vero Jamblichus: & illius quidem verba ſunt: Ἀλεκτρυόνος μὴ ἅπτεσθαι λευκοῦ, ὅτι ἱερὸς τοῦ Μηνὸς καὶ ἱκέτης: *Gallo autem gallinaceo albo veſci prohibuiſſe, quia lunæ & ſacer eſt & ſupplex*. Doctiſſimus Caſaubonus reſcribit τοῦ Διός, eumque ſequitur Schefferus in erudito libello de Natura Philoſophiæ Italicæ; ſed vulgatam probam eſſe obſervat Galliæ decus Ægidius Menagius; quia Jamblichus etiam memoriæ mandat gallum Μηνὶ ſacratum fuiſſe. Neque tamen putem Μῆνα aut *Menſem Deum* hic intelligi debere, aut eundem eſſe cum Sole. Nam Suidas quidem in v. πυθαγόρας, nec non Jamblichus lib. 1. cap. 28. illi ſideri avem hanc ſacram faciunt; ſed ultimus lib. 2. exponens ſymbolum philoſophi octavum decimum Μῆνα & Ἥλιον diſertis verbis diſtinguit; Ἀλεκτρυόνα τρέφε μὲν, μὴ θύε δὲ Μηνὶ γὰρ καὶ Ἡλίῳ καθιέρωται. Et hinc mihi ſuſpicio oborta, Lunam, non autem menſem ſignificari, lunæque gallum ſacrari, διὰ τὸ σημαίνειν τὴν ὥραν, ut Jamblichus & Diogenes loquuntur, canendo ſcilicet luna & ſole exorientibus, quemadmodum docet Ælianus lib. 4. cap. 29. Anim. Nec obſtat Strabonem Menem Deum & Σελήνην, uti obſervat Magnus Salmaſius ad Hiſtor. Auguſtam, diſtinguere; & libro 12. in urbe Dioſpoli ſcribere Μηνὸς cerni templum, illudque etiam dicatum eſſe lunæ: Ἔστι δὲ καὶ τοῦτο τῆς Σελήνης τὸ ἱερὸν, *eſt autem hoc quoque templum Lunæ*. Nam Μὴν & Σελήνη idem numen, ſed ille ut mas, hæc ut mulier colebatur, uti ſatis ſuperque patet ex noto Spartiani in Caracalla loco; & nummis, in quibus Lunus deus occurrit habitu virili circa tergum lunam corniculatam gerens; uti patet ex Valeriani apud Seguinum & Caracallæ apud Patinum viros Antiquariæ rei peritiſſimos numiſmatibus; quorum in altero, quod notandum diligenter, gallus etiam dei παρεδρός eſt. Et ita Ægyptii *lunam* maſculino genere exprimebant, ipſaque eſſe putabatur ἀῤῥενόθηλυς, quam naturam certe μὴν & σελήνη commode exprimebant: locus hanc in rem elegans apud Ammon. in lib. Ariſtot. de Interpret. Καὶ γὰρ ἀρσενικῶς Αἰγύπτιοι τὴν σελήνην ὀνομάζειν εἰώθασιν: ἀλλ' ὡς πρὸς τὴν γῆν οἶμαι αὐτὴν παραβάλλοντες, οὐχ ὑπὸ ἡλίου μόνον, ἀλλὰ καὶ ὑπ' αὐτῆς φωτιζομένην. διὸ καὶ ὁ ἐν τῷ συμποσίῳ τοῦ Ἀριστοφάνους λόγος, τὸ μὲν ἄῤῥεν τῷ ἡλίῳ προσήκειν ἔφη τὸ δὲ θῆλυ τῇ γῇ, τῇ δὲ σελήνῃ τὸ ἀῤῥενόθηλυ. *Nam Ægyptii Lunam maſculino genere appellare ſolent, reſpectu, ut opinor, terræ, quippe quæ non ſolum a ſole, verum etiam ab ipſa illuminetur: inde & Ariſtophanes in ſympoſio dicit, maſculum ſoli convenire, fœmineum terræ, lunæ vero maſculum & fœmineum genus*. Et hanc arbitror ob rationem Strabonem ſcribere templum Menis etiam ſacrum eſſe Lunæ, non autem quia hæc numina plane diverſa erant, & nihil habebant commune. Nam Luna proprie Μὴν vocatur, quando corniculata eſt; Cleomenes lib. 2. Meteor. Μὴν δὲ καλεῖται κατὰ τέσσαρα σημαινόμενα; καὶ γὰρ ἡ Σελήνη, ὅταν ᾖ σιγμοειδὴς τῷ σχήματι μὴν καλεῖται: *Μὴν vero vocatur ob quatuor ſignificata. Etenim luna cum figuram litteræ ſigma refert*, Μὴν *appellatur*: nam hæc eadem cum corniculata, quia figura litteræ illius apud antiquos fuit, C. Et hæc quidem mea de *Menis* cultu ſententia; quanquam fatear valde eam labefactari per Plinium, qui teſte Salmaſio, ſymbolum Pythagoræ vertit *menſi ſacrum*; quæ tamen verba necdum mihi, non ſecus ac eruditiſſimo Menagio reperta ſunt; ut & per nummum Antonini Pii apud Patinum, in quo cernitur Lunus Deus cum gallo, ut videtur, & hæc inſcriptio: MENSIS COL. CÆS. ANTIOCH. niſi ſit error, id quod etiam doctiſſimus editor ſuſpicatur, ſcalptoris, ſcribique debet *Col. Cæſarea Antiochenſis*. Nec, ut e diverticulo in viam, aliunde explicari debere videntur gentilium, eorundemque hæreticorum ſomnia, & trium capitum monſtra, quæ in gemmis Chifletianis occurrunt. Medium ſcilicet locum occupant LEONIS, dextrum latus GALLI, ſiniſtrum EQUI capita, voluminibus draconis inter ſeſe connexa: alibi cernere datur caput EQUI cum ramo, ARIETIS, VIRI BARBATI, & GALLI vel alterius alitis crura: Nam nihil aliud, quam ſolem, cui animalia illa ſacra omnia, deſignant; eoque pertinet proculdubio Macrobium notare in Saturnalibus, Alexandrinos Serapidis vel Solis imagini ſignum *tricipitis animantis* adjungere: *Eidem*, ait, *Ægypto adjacens civitas, quæ conditorem Alexandrum Macedonem gloriatur, Sarapin atque Iſin cultu pæne attonitæ venerationis obſervat: omnem tamen illam venerationem Soli ſe ſub illius nomine teſtatur impendere, vel dum calathum capiti ejus infigunt, vel dum ſimulacro* SIGNUM TRICIPITIS ANIMANTIS *adjungunt; quod exprimit medio eodemque maximo capite* LEONIS *effigiem, dextera parte caput* CANIS *exoritur manſueta ſpecie blandientis: pars vero læva cervicis rapacis* LUPI *capite finitur: eaſque formas animalium* DRACO *connectit volumine ſuo, capite redeunte ad dei dexteram, qua compeſcitur monſtrum*: quæ breviter ita expreſſit Albricus Philoſophus: *Sub pedibus ejus depictum erat monſtrum terrificum, cujus corpus erat ſerpentinum, triaque habebat capita, ſcilicet caninum, lupinum & leoninum. Quanquam inter ſe forent diverſa, in unum tamen corpus coibant, unam ſolam caudam ſerpentinam habentia*. Et ille quidem per leonis caput monſtrari ſcribit *tempus præſens*, quia conditio ejus inter præteritum futurumque actu præſenti valida fervenſque eſt; per lupi caput, *tempus præteritum*, quia memoria rerum tranſactarum rapitur & aufertur: per *canis blandientis* effigiem, futuri temporis eventum; de quo nobis ſpes incerta blanditur. Sed, quoniam hariolari libet, æque commode de diurno Solis curſu, quem ut deſignarent deum ut puerum, ut juvenem, ut ſenem effingebant, hoc monſtrum videtur poſſe explicari: & ſic leonis caput meridiem, qua ſol maxime fervet; canis blandiens ortum, qui certe jucundiſſimus poſt exactas noctis tenebras eſt, & lupus rapax occaſum, quia tunc omnia occultantur & quaſi rapiuntur, denotabit; niſi tamen quis malit lupo ortum ſignificari, quia priſci Græci lucem quæ præcedit ſolis exortum λύκην, & inde Apollinem Λύκιον, Macrobio teſte, vocarunt; tuncque caput canis blandientis non incommode notabit occaſum, quia ille blanditur & quaſi arridet hominibus labore feſſis & defatigatis; & ita in aliis gemmis GALLI caput ortum, LEONIS meridiem, EQUI occaſum, cum feſſus ad ſtabula veſperi redire ſoleat, ſignificabit. Atque ex his ſuperque clarum eſſe arbitror, portenta, quæ apud Chifletium & in auctuario Tabulæ Iſiacæ poſſunt videri, nil niſi ſolem referre, nec aliunde ea videri explicanda eſſe; quæ omnia, quæ in iis occurrunt, ſideri illi quam maxime conveniunt,

niunt, & Basilidem disertis verbis Hieronymus in Amos scripsit, portenta sua ad deum qui in sole est retulisse: *Basilides qui omnipotentem Deum portentoso nomine appellat Abraxas, & eundem secundum Græcas litteras, & annui cursus numerum dicit in* SOLIS CIRCULO *contineri, quem ethnici sub eodem numero aliarum literarum vocant Mithram, & Iberæ ineptiæ in Balsamo Barbeloque mirantur*. Sed his omissis, ad ipsam imagunculam mihi redeundum esse perspicio. Et habet quidem illa capiti impositum ornamentum extructum in altitudinem; quod peculiare esse numinum Ægyptiorum, & eorum exemplo sacerdotum variæ apud Laur. Pignorium imagines, nec non sacerdos Isiacus, quem e penu antiquaria viri eruditæ & elegantis industriæ Petri Bellorii, luce donarunt publica Amplissimus Spanhemius, & Clarissimus Leonardus Augustinus testantur: nisi potius omnis ille ornatus florem & fructum loti referat; cum a posteriore parte plane folia conspicere detur oblonga, quæ tamen in loto rotunda fuisse scribit Jamblichus. Quicquid sit, & ne repetam quæ monui, lotum sole oriente sese explicare, occidente vero claudere tradit Dioscorides; & hæc videtur ratio esse quare plantam hanc soli dicarunt, superstitionis ridiculæ homines: Λωτὸς, ait lib. IV. cap. CXIV. ἐν Αἰγύπτῳ γενόμενος ἐν τῷ ὕδατι τῶν ἐπικλυσθέντων πεδίων καυλός ἐστι τῷ τοῦ κυάμου ἐμφερής. ἔχων ἄνθος μικρὸν λευκὸν, ἐοικὸς κρίνῳ, ὅ φασι κατὰ τὰς ἀνατολὰς τοῦ ἡλίου ἁπλοῦσθαι, δύνοντος δὲ μύειν καὶ ὅλην τὴν κωδίαν κρύπτεσθαι ἐν τῷ ὕδατι, πάλιν τε πρὸς τὴν ἀνατολὴν τοῦ ἡλίου περικύπτειν: *Est & in Ægypto lotus, quæ in campis flumine inundatis provenit, caule fabæ, flore parvo, candido, lilio simili, quem tradunt occidente sole comprimi, occludique, ad ortum autem aperiri: adduntque caput ipsum vespera aquis condi, & exoriente sole emergere*. Similia tradunt Theophrastus lib. IV. cap. 10. Histor. plantarum, Proclus libro de sacrificiis & Magia, nec non Plinius l. 13. cap. 17. & 18. cujus hæc sunt verba: *Mirum est, quod præter hæc traditur; sole occidente papavera* (ita vocat fructum, quia papaveri erat similis) *ea comprimi & integi foliis: ad ortum autem aperiri donec maturescant, flosque qui est candidus, decidat*. Et artificem nostrum arbitror fructum loti oculis exposuisse, & folia aperuisse, quia, uti mox docebo, Harpocrates solem orientem designabat. Nihil certe in sacris Ægyptiorum frequentius loto: ejusque florem vel fructum capitibus gerunt Apis, Isis, Osiris, Serapis, Canopus, Antinous, Serpentes, & alia Ægyptiorum numina, eorumque imitatione Reges & Reginæ: quin & Orus sive Harpocrates lotum manibus tenet, & capite gerit matris Isidis genibus insidens in Hadriani & Antonini Pii nummis apud antiquarios obviis. Plutarchus in libro de Iside & Osiride insuper refert Isidem Osiridis cum sorore congressum, ex corona loti, quam apud Nephtyn reliquerat, deprehendisse; καὶ τεκμήριον ἰδοῦσα τὸν μὲν ΛΩΤΙΝΟΝ ΣΤΕΦΑΝΟΝ, ὃν ἐκεῖνος παρὰ τὴν Νεφθὺν κατέλιπε; imo, si bene capio ejusdem verba, quæ exstant in libro de Pyth. Orac. Ægyptii ipsa solem planta designabant. Nam postquam dixisset eos male Empedoclem irridere, quod cecinisset τὸν Ἥλιον περὶ γῆν ἀνακλάσει φωτὸς οὐρανίου γενόμενον, αὖθις ἀνταυγεῖν πρὸς ὄλυμπον ἀταρβήτοις προσώποις, adjicit; ipsos solem facere γηγενὲς ζῶον, *animal terra natum*, vel φυτὸν ἕλειον, *palustrem plantam* (quæ nulla alia quam lotus, solis cæteroquin symbolum, est) & ita eum εἰς βατράχων πατρίδα ἢ ὕδωρ adscribere. Et loti plantam gerit corona radiata cinctus Nilus in Titi nummo apud Tristanum; qui meliori forte jure Solem quam Jovem refert; quia illius propria ejusmodi corona, & Nilus idem cum Sole habetur, ipso nomine explente numerum dierum anni solaris, quemadmodum Heliodorus lib. X. Æthiop. & Eustathius ad periegesin Dionysii testantur. Existimant tamen eruditi, non loti, sed perseæ Ægyptiæ fructum rotundum inter bina vel plura folia, deorum capitibus, qualis Osiris occurrit apud eruditissimum Seguinum, impositum esse. Apud Alexandrinos certe in luco Sarapidi sacro multas perseas fuisse, easque σκιὰν περικαλλῆ καὶ ὄψιν dedisse testatur lib. XI. extremo de Animal. Ælianus. Et optime ita exornaretur imaguncula nostra, quia Harpocrati propter formam fructus & foliorum dicatur, uti docet in libro de Iside Plutarchus, si apud eum rescribatur, ut omnino rescribendum est τῷ pro τῇ θεῷ; id quod proculdubio animadvertit etiam Gyraldus, vir doctissimus, quia hoc ex loco docet perseam arborem Harpocrati Ægyptum dicasse. Depravata tamen lectio post Gyraldum etiam in errorem induxit eruditione præstanti viros, qui censuerunt perseam Isidi sacratam esse: *Harpocrates quoque*, ait, *deus neque imperfectus ac infans putandus est; sed præses atque rector recentis atque imperfectæ & incompositæ hominum de diis sententiæ. Itaque & digitum ori impositum tenet, argumentum taciturnitatis & silentii, & mense Mesore offerentes ei legumina dicunt, lingua fortuna, lingua genius*. Τῶν δ' ἐν Αἰγύπτῳ φυτῶν μάλιστα τῷ θεῷ καθιερῶσθαι λέγουσι τὴν περσέαν, ὅτι καρδίᾳ μὲν ὁ καρπὸς αὐτῆς, γλώττῃ δὲ τὸ φύλλον ἔοικεν: *de stirpibus Ægyptiis præcipue deo consecratam ajunt perseam; quia fructus ejus cordis, linguæ speciem folium refert. Quippe eorum, quæ homini obtingere possunt omnium nihil divinius est oratione, præcipue de diis, neque majus res ulla ad felicitatem momentum adfert. Itaque hic oraculum adeunti mandatur, ut sancte sentiat, & modeste loquatur. Plerique autem ridicule agunt, qui in pompis & festivitatibus favere linguis jubentes, post diis ipsis τὰ δυσφημότατα & loquuntur & sentiunt*. Et quanquam ante longiuscula hæc verba, auctor narraverit, Isidis amuletum, quod eam sibi appendisse fabulantur, exponi φωνὴν ἀληθῆ *vocem veram*, & ita aliquis suspicari possit huc respicere Plutarchum cum τῇ θεῷ dicit perseam sacrari; tamen arbitror ad Harpocratem hoc referri debere, qui linguæ præerat, eique acclamabatur, *lingua fortuna*; & quia mox sequitur perseam ob similitudinem linguæ illi sacrari. Num autem per hanc exclamationem respexerint ad deos præsides vel præstites homini nascenti, Δαίμονα, Τύχην, Ἔρωτα, Ἀνάγκην, memoratos Macrobio, uti arbitratur Seldenus in lib. de Diis Syris; an vero significaverint potius, ex linguæ usu pendere hominis fortunam eamque δαίμονος atque τύχης locum implere, in illud alii, quibus plus otii est, inquirant. Ceterum si folia, quæ caput nostri exornant, diligentius inspiciantur, perseæ arboris potius quam loti esse videntur; quia oblonga sunt, & Jamblichus Sect. 7. cap. 2. de Mysteriis, omnia in loto circularia esse scribit, & proinde folia rotunda magis quam oblonga illi tribuit: κυκλοτερῆ γὰρ πάντα ὁρᾶται τὰ τοῦ λωτοῦ, καὶ τὰ ἐν τοῖς φύλλοις εἴδη καὶ τὰ ἐν τοῖς καρποῖς φαινόμενα. Neque tamen repugnabo si quis lotum hic se reperire putet, quia Dioscorides ἄνθος illius scribit esse ἐοικὸς κρίνῳ; Plinius *tribuit folia densa congerie stipata, brevioribus tantum gracilioribusque*; & maxime quia Amplissimus Spanhemius evincit Dissertatione quarta in capitibus Ægyptiorum numinum, ex forma rotunda fructus lotum esse; cum contra Theophrastus perseæ Ægyptiæ fructum figura oblongum & amygdalæ similem tribuat, &

Plutarchus loco laudato cordis ſpeciem referre narret. Plura qui de arbore hac, ejus foliis & flore, nec non perſea cognoſcere deſiderat, adire poteſt Magni Salmaſii exercitationes Plinianas, omnis eruditionis revera promptuarium, & medicos, qui rem herbariam tractarunt. Certiſſimum autem & indubitatum plane indicium, imagunculam hanc HARPOCRATEM referre, ſunt digiti, quibus os premit; unde eum *Ægyptium Sigalionem* appellare non dubitat Auſonius in epiſtola ad Paulinum;

> *Tu velut Oebaliis habites taciturnus Amyclis*
> *Aut tua* SIGALION *Ægyptius oſcula ſignet,*
> *Obnixum Pauline taces* ——

& *digito ſilentium ſuadere* canit Ovidius deos Iſidis comites nobis annumerans lib. Metam. 9.

> —— *Cum qua latrator Anubis*
> *Sanctaque Bubaſtis, variuſque coloribus Apis,*
> *Quique premit vocem, digitoque ſilentia ſuadet.*

Neque alium nobis deſcribit Martianus Capella libro ſecundo: *Tuncque ſubſellia flammabunda cœtum ſuſcepere ſidereum: verum quidam redimitus* PUER AD OS COMPRESSO DIGITO *ſalutari ſilentium commonebat*. Erat autem Ægyptiorum numinum perpetuus comes, ubicunque fere Sarapis & Iſis aliive dii colebantur, ibi etiam Harpocratis ſimulacrum erat; Hinc eſt quod frequenter in gemmis junguntur, non ſecus ac inſcriptionibus vetuſtis, quas ad finem commentatiunculæ hujus explicare conabor. Varro, prout obſervat Auguſtinus lib. 18. c. 5. de Civ. Dei, cenſuit ideo ejuſmodi ſimulacrum Iſidi & Sarapidi apponi, ne quis in vulgus efferret, eos homines fuiſſe: *Conſtitutum eſt etiam*, ait, *de illo, ut quisquis eum* (Sarapin) *hominem dixiſſet fuiſſe, capitalem penderet pœnam. Et quoniam fere in omnibus templis, ubi colebantur Iſis & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret; hoc ſignificare idem Varro exiſtimat ut homines fuiſſe eos taceretur* Nam quamvis *Harpocrates* diſertis non nominetur verbis, procul tamen dubio intelligitur, quia Varro, ſi modo eum ad locum reſpicit lumen illud Eccleſiæ, ita loquitur lib. IV. de Lin. Latina; prout ex manu exaratis libris reſcribi debere judicat doctiſſimus harum ut & omnium antiquarum rerum arbiter Iſaacus Voſſius ad Catullum: *Principes dei cœlum & terra: hi dei iidem qui Ægypti Serapis & Iſis, etſi* HARPOCRATES *digito ſignificet, ut ea taceam. Iidem Principes in Latio Saturnus & Ops*. A quibus multum abit lectio vulgata, ex qua alius Vir doctiſſimus, non ſatis bene, ut opinor, colligit Varronem eoſdem feciſſe Harpocratem, Serapidem, & Iſidem; Taautem & Aſtartem: Saturnum & Opem. Ludovicus Vives ad Auguſtinum ex Plutarcho notat, Harpocratem ideo pingi digito ad os admoto, ut nondum locutum ſe eſſe ſignificaret; quod tamen ego in lib. de Iſide & Oſiride, nec non alibi apud eum quæro. Angelus Politianus in Miſcellaneis tradit id ideo factum, ut docerent Ægyptii ſilentio ſummum deorum eſſe colendum. Certe id fieri debere probare conatur Porphyrius libro 2. περὶ Ἀποχῆς; inter alia affirmans, deum altiſſimum non recipere ſacrificia; materiam ipſi impuram eſſe; imo ne lingua quidem ad eum colendum nos uti, quia vox eſt res corporea, ſed adorare debere διὰ σιγῆς καθαρᾶς, καὶ τῶν περὶ αὐτοῦ καθαρῶν ἐννοιῶν: *ſilentio puro, & puris de ipſo cogitationibus*: niſi tamen cum Thoma Gale, elegantis ingenii viro reſcribendum ſit, διὰ ψυχῆς. Et nihil notius eſt quam ſilentium, in myſteriis gentilium diligenter obſervari ſolitum, uti vel patet ex Initiis Cereris, nulla re magis quam ſilentio ſolemnibus. Porphyrius in explicatione Antri Homerici ſcribit Ægyptiorum ſapientes fores ſacras habuiſſe, & vetaſſe μὴ λαλεῖν διερχομένους ἢ θύρας ἢ πύλας; *ne quis fores vel portas tranſiens loqueretur*; *deum univerſi principium* ὑπὸ σιωπῇ *ſilentio venerantes*: quo pertinet aliquo modo Heſychium obſervare Heroas Κρείττονας dici, illos videri κακοτύχους eſſe, & ideo eos qui τὰ ἡρῷα præteribant, ſilentium ſervaſſe, μή τι βλαβῶσι. Jamblichus quoque Sect. 8. cap. 3. Myſt. ſcribit Hermetem Ægyptium neſcio quod πρῶτον μάγευμα ſtatuere, & Εικτὼν appellare, *in quo primum quod intelligit & intelligitur reperitur*, ὃ δὴ καὶ διὰ σιγῆς μόνης θεραπεύεται, *quodque ſolo ſilentio colitur*: de quo uti etiam Valentinianorum, aliorumque hæreticorum *Sige* videri poſſunt eruditione præſtantes viri, qui nuper in Ignatii epiſtolas ſcripſerunt. Plutarchus, quemadmodum ex verbis laudatis patet, ideo HARPOCRATEM ita effictum tradit, ne homines facile quid de diis, quorum imperfectam cognitionem habebant, effutirent. Et revera Ægyptiorum theologia tota erat myſtica atque ænigmatum plena: id quod liquido teſtatur epigramma fano vel ſtatuæ potius Minervæ vel Iſidis inſcriptum: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς καὶ ὂν καὶ ἐσόμενον καὶ τὸν ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν, *Ego ſum omne quod fuit, eſt, & erit; meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit*; id eſt, nemo myſteria mea & ſacra explicare potuit, uti apud eundem legimus. Hinc ſphinges plerumque ante templa ſtatuebant, ſignificantes αἰνιγματώδη σοφίαν, uti idem loquitur, ſacra eorum habere, licet aliam longe rationem reddat Syneſius libro 1. de Providentia; ideo ſcilicet in ſacrarum ædium veſtibulis ſphingem poni, ut docerent per partem, quia beſtia, vires corporis, & per partem qua homo eſt, prudentiam conjungi debere. Quin & in genere monere per HARPOCRATEM ſuum potuerunt Ægyptii, maximum eſſe linguam poſſe comprimere: unde *apud Perſas*, teſte Ammiano, *nemo conſiliorum erat conſcius præter optimates taciturnos & fidos, apud quos* SILENTII *quoque colitur* NUMEN: & apud Clementem Alexandrinum legimus, Anacharſin Scytham pingi dormientem, ſiniſtra manu pudenda, dextra os tegentem ſolere; quo ſignificabant vincere nos utrumque debere; ſed majus eſſe linguam cohibere quam voluptati modum ponere. Et Plinius ex ſententia celebris admodum Antiquarii Tom. 1. p. 604. memoriæ mandavit Romanos effigie Harpocratis annulos ſuos ſignaſſe ut admonerentur res publicas non revelandas eſſe. Sed hiſtoriæ naturalis ſcriptor l. 33. c. 3. id quidem factum ſcribit, verum nullam rationem, multo minus quam affert vir doctiſſimus, adjicit: *Jam vero etiam Harpocratem ſtatuaſque Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt*: quod alii de annulis magica arte formatis, alii de illis, qui ſimulacra numinum, a quibus ſe juvari credebant, circumferebant, exponunt; notandumque obiter Andream Schottum virum eruditiſſimum in Indice Auctorum, ex quibus Plinius opus ſuum digeſſit; *ex Harpocrate* noſtro male facere auctorem, cujus autoritate ille in libro tertio & trigeſimo uſus ſit. Illuſtris Scaliger arbitratur tandem veram cauſam digitorum labiis impoſitorum eſſe, quod Ægyptii narrent quoſdam deos, & quidem Orum cum Sole ita natos eſſe: Damaſcius apud Photium de Heraiſco Philoſopho Ægyptio loquens: Ἦν δὲ αὐτοῦ καὶ ἡ πρώτη γένεσις τῷ ὄντι μυστική. Λέγεται γὰρ κατελθεῖν ἀπὸ τῆς μητρὸς ἐπὶ τοῖς χείλεσιν ἔχων τὸν κατασιγάζοντα δάκτυλον, οἷον Αἰγύπτιοι μυθολογοῦσιν γενέσθαι τὸν

Ωρον, καὶ πρὸ τοῦ Ωρου τὸν Ηλιον: *Fuit & primus ejus ortus revera mysticus. Fertur enim ex utero matris prodiisse digitum silentii indicem in labiis habens; quomodo Ægyptii fabulantur natum esse Orum, & ante Orum Solem:* qui locus haud obscure insuper nos docet, Orum & Harpocratem idem numen esse, quia hic non aliter effingi solet; licet non diffitear in aliis etiam Ægyptiorum diis subinde hoc observari. Nam teste Pignorio in Mensæ Isiacæ Expositione in antiqua gemmæ scalptura Osiris cum triplici pene ad Pamilitia indicanda, ori digitum admovet; & similis plane Isis occurrit in Hadriani apud Tristanum numismate; adeo ut patrem, si vera notat Pignorius, matrem & filium ad eundem modum effictos habeamus: quorum hic etiam miro capitis tegmine insignis occurrit apud Franciscum Abelam in Descriptione Maltæ; ex qua statuæ hujus ectypum desumendum beneficio Joannis Westrenii qui ut liberalium studiorum elegans æmulator est, ita bibliothecam rarissimis libris, & huic orbi fere incognitis refertam, possidet, curavi. Atque hujusmodi Harpocrates etiam fere cernitur apud Kircherum Tom. 3. Oed. Ægypt. pag. 523. sed paululum diversus est capitis ornatus, deinde stat erectus, nec ad columellam sese inclinat, ut patet in pagina sequenti.

Apud Romanos quoque, ut hoc propter argumenti similitudinem adjiciam, colebatur *Angerona*, vel *Angeronia* silentium eodem habitu suadens: Macrobius lib. 3. cap. 9. Sat. loquens de Deo tutelari Romæ: *Alii enim Jovem crediderunt, alii Lunam; sunt qui Angeronam, quæ digito ad os admoto silentium denuntiat.* Deæ illi in sacello Volupiæ sacrum faciebant pontifices, & Verrius Flaccus ita appellari scribit, quod angores ac animorum solicitudines propitiata depellat; Masurius vero Sabinus *simulacrum ore obligato atque signato* in ara Volupiæ collocatum putabat; quod qui suos dolores anxietatesque dissimulant, perveniant patientiæ beneficio ad maximam volupta-



A tem; uti apud eundem legere licet lib. 1. cap. x. Illustris Scaliger ad Varronem rescribit *Angenora*, deamque ἐχεμυθίας facit; at in glossis, uti observarunt eruditi, *Angerona* exponitur ἡ θεὸς τῆς βουλῆς καὶ καιρῶν, id est *dea consilii & opportunorum temporum*; quia consilia maxime silentium requirunt, & non nisi commoda occasione iis facta jungenda sunt: qua de dea videndus tamen Salmasius ad Solinum pag. 7. Atque hinc ad veram causam perveniri posse arbitror, cur in iisdem glossis *Consus filius Isidis* vocetur; *conso* τῷ υἱῷ τῆς Ἴσιδος; quod Scaliger carpit ad Festum, probat, sed non interpretatur eruditissimus Vossius pater in Etymologico. Mihi nullum fere dubium, quin HARPOCRATES intelligendus sit. Cum enim *Consus*, teste Festo, sit *Deus consiliorum*, vel *secretorum consiliorum*, uti loquitur Asconius in Verrem; isque *salutaria & fida consilia nostris suggerat cogitationibus*, prout Arnobio describitur, & cum templum sub circo habuerit, ut ostenderent tectum debere esse consilium, quemadmodum memoriæ sacravit Servius ad lib. 8. Æneidos; glossarum auctor eodem consilio Ægyptios Harpocratem ori digitos admoventem finxisse sine dubio sensit; indeque illi Latinum nomen indidit, *Consumque filium Isidis* esse dixit. Basilides quoque videtur Harpocratem amuletis suis indidisse, quia teste Nicephoro lib. iv. Hist. Eccles. cap. 2. *pythagoricum silentium* induxit; ejusque placitum erat: *Tu omnes cognosce, te autem nemo cognoscat*; quod nobis conservavit Irenæus l. 1. cap. 23. Fueruntque etiam hæretici, qui in tantum silentio studebant, ut naribus & labiis suis digitum opponerent, ne vel ipsam taciturnitatem voce præriperent, quando tacendum sibi esse arbitrabantur, quos *pattalorinchitas* vocabant, teste B. Augustino, cap. 63. Hæres. qui tamen censet meliori jure illos *dactylorinchitas* appellari posse: *Unde etiam illis nomen est inditum.* Πάτταλος *enim Græce dicitur palus, &* ῥύγχος *nasus. Cur autem per palum digitum significare maluerint, a quibus nomen hoc impositum est, nescio, cum Græce dicatur digitus* δάκτυλος, *& possint utique dactylorinchitæ multo evidentius nuncupari.* Epiphanius eos scribit vocari *Tascodrugitas*, quia illorum lingua Τασκὸς paxillum significat, & δροῦγγος *nasum*, illique inter orandum τὸν δάκτυλον τὸν λεγόμενον λιχανὸν naso imponebant ut animi tristitiam & affectatam sanctitatem præ se ferrent. Et suspicio mihi oborta non tam veteres digitum πάσσαλον vocasse, quam hæreticos illos non tantum digitis, quod incommodum valde erat, verum etiam paxillis vel πασσαλίσκοις μικροῖς, uti loquitur aliud argumentum tractans auctor vetus apud Suidam in v. ἴδιον, labia & nares compressisse; quorum primum observo in figura, quam ex Pignorio exhibeo;



Atque ita insigne, quo HARPOCRATES ab aliis numinibus distinguitur, puto me satis multis, si modo non nimia videbuntur, explicasse; & ad alia transirem, nisi me gradum ut sisterem

juberent HARPOCRATIANI, quos debeo Perilluſtri & eruditiſſimo viro Galliarumque decori eximio Emerico Bigotio. Nam miſit ad me olim ὁ μακαρίτης & humanioribus litteris ad miraculum imbutus Nicolaus Heinſius, virum illum præſtantiſſimum litteris monuiſſe apud Ptolomæum lib. 3. de Aſtrologia cap. 9. HARPOCRATIANOS memorari; Ἑρμαφρόδιτοι καὶ οἱ καλούμενοι Ἁρποκρατιανοί; Proclum in paraphraſi eandem ſcripturam agnoſcere, nec tamen interpretari; Haly Arabem & hunc ſecutum Cardanum de hominibus præſagis accipere, qui inter monſtra cum hermaphroditis componi tamen haudquaquam poſſunt: alii duobus locis apud hunc ipſum Ptolomæum Ἑρμαφροδίτους καὶ ἀτρήτους conjungi; Proclum pag. 212. ἀτρήτους explicare, τοὺς μὴ ἔχοντας τρυπήματα καὶ διεξόδους, & pag. 261. eidem ἀτρυπανήτους (in editione Allatiana ſcribitur, Ἀτρύπητοι) vocari; ἀτρήτους medicis Græcis dici, quibus membrum virile vel muliebre non eſt pervium; & ideo *Harpocratianos* eſſe, quibus os concluſum eſt, qualem natum fuiſſe Fracaſtorium medicum & poetam celeberrimum volunt: cum Bigotio Menagium ſentire; at Petitum medicum apud Pariſinos χαριέςατον de mutilatis pedibus capere, quo vitio laboraſſe Harpocratem e libello Plutarchi de Iſide & Oſiride conſtat. Quæ obſervatio ut eruditiſſima eſt, ita ego facile amplecterer Bigotii ſententiam, quia Harpocrates os ſignatum gerit, & pedum debilitas inter partus monſtroſos, de quibus agunt Ptolomæus & Proclus, numerari non poſſe videtur; niſi me ſollicitum haberet, quod Hermaphroditis junguntur, qui circa partes, quibus ſexus diſtinguuntur, laborant: unde forte quiſquam ſuſpicari poſſit Harpocratianos vel Ἁρποκρατιακοὺς, uti Proclo vocantur, dici, quibus natura occluſa naſcentibus fuit, quomodo Gracchorum matrem *infauſto omine concreto genitali* genitam eſſe ſcribit Plinius lib. 7. cap. 16. & anonymum puerum ex ancilla *ſine foramine naturæ qua humor emittitur* Julius obſequens: & quia Harpocrates os ſignatum ſemper & occluſum habet, ideo honeſto vocabulo eos deſignatos eſſe, qui membra genitalia etiam occluſa habebant. Certe cum uno loco jungantur *Hermaphroditæ*, *& Harpocratiani*; altero iidem *Hermaphroditæ* & Ἄτρητοι, & Ἄτρητοι illi ſint, qui genitalibus concluſis naſcuntur, argumentum inde non leve ducitur Harpocratianos & Ἀτρήτους eoſdem eſſe; idque eo magis, quia tales inter prodigia a veteribus relati fuerunt. Verum vir præſtantiſſimus in pereruditis ad Catullum notis *Harpocratianos* explicat, qui in caſtris Veneris militare non poſſunt, & eodem ſenſu arbitratur Veronenſem vatem dixiſſe, *reddere aliquem Harpocratem*. Quamcumque ſententiam quis amplecti malit, per me licet, quippe qui judex inter tot eruditione præſtanti viros non ſedeo; illud tamen arbitror, non videri *Harpocratianos* Ptolomæi ita commode poſſe explicari, quia vitium illud inter monſtroſos partus non referri poteſt, vel certe ſtatim in hominibus de matre cadentibus non conſpicitur, utpote quod ſeſe aperit primum, cum ad pubertatem & virilem ætatem perveniunt. Præterea num Catulli carmen in Gellium ita explicari debeat, dubito;

> *Gellius audierat, patruum objurgare ſolere*
> *Si quis delicias diceret, aut faceret;*
> *Hoc ne ipſi accideret, patrui perdepſuit ipſam*
> *Uxorem, & patruum reddidit Harpocratem.*
> *Quod voluit, fecit: nam, quamvis irrumet ipſum*
> *Nunc patruum, verbum non faciet patruus.*

Nam cum alio loco poeta abſque dubio ſimili loquendi ratione utatur de eo qui ſilet plane, uti;

> *Si quicquam* TACITE *commiſſum eſt fido ab amico,*
> *Cujus ſit penitus nota fides animi;*
> *Me unum eſſe invenies illorum jure ſacratum*
> *Corneli, & factum me eſſe puta* HARPOCRATEM.

non video, quam ob cauſam ad novam explicationem decurrendum ſit. Præterea Catullus introducit hominem ſeveri ſupercilii, & qui ſtomachabatur, quando aliquis narrabat ſeſe aliquam habuiſſe; Gellius ut moroſum compeſceret, cum uxore illius rem habuit, & ita patruum reddidit Harpocratem, id eſt fecit, ut loqui non auderet, quando de ejuſmodi rebus ſermones cederentur, quia probe noverat alios dicturos, eum ſtomachari, iratum eſſe, & inexorabilem vitiis adoleſcentium, quia noverat quæ uxori ejus acciderant: quin, quod mox ſequitur, *verbum non faciet patruus* meam ſententiam, quam pluribus propter loci ἀσελγίαν non adſtruam, firmare videtur plane. Neque etiam ex Ptolomæo quiſquam clare evincet, *Harpocratianos* ſignificare formoſos, ſed militiæ Veneris inutiles; & Plutarchus, memoriæ mandans Harpocratem natum eſſe ἠλιτόμηνον καὶ ἀσθενῆ τοῖς κάτωθεν γυίοις, ad pedes potuit reſpexiſſe ſolos, quibus ille certe debilis deſcribitur: idque eo magis, quia ex Etymologici Magni auctore, & Euſtathio (quibus addi poteſt Heſychius) obſervat Græcæ linguæ doctiſſimus reparator Henricus Stephanus, γυῖον ſignificare quidem membrum, ſed proprie pedes manuſque; unde non abſque ratione Philoſophus addit κάτωθεν, ne quis ſcilicet manus intelligeret: Præterea nondum, quo ſum ſtupore, probare poſſum, ſignum cæleſte, quod *Engonaſin* vel *Ingenicla* dicitur, quodque Herculem eſſe Græci exiſtimant, Harpocratem eſſe ex ſententia Ægyptiorum. Habebant quidem illi ἕτερα σχήματα εἰδώλων καὶ ὀνόματα τεθειμένα, *alias ſimulacrorum formas, & nomina ipſis impoſita*; uti Achilles Tatius extrema Iſagoge teſtatur, ſed Manilius nequaquam lib. 5. v. 645. clare docet *Engonaſin* Ægyptiis Harpocratem eſſe; neque illorum ſententiam videtur potuiſſe ante oculos habuiſſe, quia tantum canit *nixam genu ſpeciem* Græcis *engonaſin* fuiſſe appellatam:

> *Nixa genu ſpecies, & Graio nomine dicta*
> *Engonaſi, ingenicla claudens, ſub origine conſtat.*

uti ex optimo ſuo codice ſcribit vir eruditiſſimus. *Claudens* certe, id eſt, claudicans & loripes natus fingitur eſſe Harpocrates, & in numiſmatis, gemmis, ac amuletis apud antiquarios crebro occurrit imago ejus ſub ſpecie pueri formoſi, ſed loripedis, & non ſtantis ſed inſidentis floribus loti arboris; at ſignum cæleſte non ſedens, pictum fuit, verum dextro pede quemadmodum etiam ex imaginibus vetuſtis jamque editis patet, pugnantis inſtar nitens: Idem Manil. lib. 1. v. 315.

> *Nixa venit ſpecies genibus, ſibi conſcia cauſæ.*

unde *laborem* illi tribuit Feſtus Avienus:

> *Protinus expertem quem quondam dixit Aratus*
> *Nominis, & cujus latuit quoque cauſa* LABORIS.

nec non Germanicus in Arateis Phænom.

Haud procul effigies inde est DEFECTA LABORE,
Non illi nomen, non magni causa LABORIS.
Dextro namque genu nixus, diversaque tendens
Brachia, suppliciter pansis ad numina palmis
Serpentis capiti figit vestigia sæva:

ubi omnino cum perillustri Grotio scribendum *læva* pro *sæva*; ut dicat, sinistro pede eum pressisse caput draconis; quod certe verum est, & alibi in iisdem Arateis traditur: *Et eum qui in geniculo stat, & sinistro pede septentrionalis draconis verticem calcans*. Et ita apud Tegeatas Lucina cognominata fuit ἐν γόνασιν, quia Alei filia mari mergenda eo in loco, ubi Lucinæ templum erat, in genua prociderit, & puerum pepererit, teste Pausania. Simulacra autem Harpocratis, qui digito os premit ad Solem, id quod probandum suscepi, referri debere, satis arbitror patere cum ex iis, quæ sparsim hoc in libello doceo, tum ex variis ejusdem dæmonis apud Sponium imaginibus, quarum binæ multa cum hac mea communia habent; ut pharetram, clavam, serpentem, insigne capitis, alas, talaria, animalcula, copiæ cornu; quarumque altera cingitur corona radiata, quæ quo commodius quam ad Solem referri possint, ego equidem nullus video.



Sed, his omissis & examini eorum, quibus otii & eruditionis est, relictis, ad

ALAS & PHARETRAM

quibus Harpocrates ornatur, tandem transeundum est. Nec certe *alis* firmius ullum argumentum afferri potest, ad demonstrandum imagunculam hanc solis symbolum esse; quia Ægyptii illius simulacra alata faciebant: Macrobius lib. I. Sat. cap. 19. *præter hoc quoque Mercurium pro sole censeri multa documenta sunt, primum, quod simulacra Mercurii* PINNATIS ALIS *adornantur, quæ res monstrat* SOLIS VELOCITATEM. *Nam quia mentis potentem Mercurium credimus, appellatumque ita intelligimus* ἀπὸ τοῦ ἑρμηνεύειν, *& sol mundi mens est, summa autem est velocitas mentis, ut ait Homerus,* ὡσεὶ πτερὸν ἠὲ νόημα, *ideo* PINNIS *Mercurius, quasi ipsa natura solis ornatur. Hoc argumentum Ægyptii lucidius absolvunt, ipsius* SOLIS SIMULACRA PINNATA *fingentes; quibus color apud illos non unus est. Alterum enim cærulea specie, alterum clara fingunt; ex his clarum superum, & cæruleum inferum vocant.* Nec aliam ob causam Priapi, quem Ægyptii Ὧρον vocabant, & eundem esse cum sole existimabant, simulacrum alas habuit. Suidas in v. πρίαπος, postquam notasset illum humana forma præditum esse, dextra sceptrum tenere, læva vero manu penem ἐντεταμένον, addit τὰ δὲ πτερὰ τὴν ταχύτητα τῆς κινήσεως δηλοῖ. ὁ δὲ κύκλος τοῦ δίσκου τὴν περιφέρειαν ταυτὸν γὰρ τῷ Ἡλίῳ δοξάζουσι: *Alæ vero motus celeritatem significant; orbis vero disci rotunditatem; eundem enim cum sole existimant*: vel, uti verba ea apud Codinum ex emendatione Lambecii leguntur: ἔχει δὲ καὶ πτερὰ κατὰ μέσον δὲ τῶν πτερῶν δισκοειδεῖς κύκλους: τὰ μὲν πτερὰ, διὰ τὴν ταχύτητα τῆς κινήσεως; τοὺς δὲ κύκλους διὰ τὴν τοῦ δίσκου περιφέρειαν: Et ut ad hunc Priapum referri posse arbitror figuras portentosas, quæ in gemmis 24. 24. 26. apud Chifletium; & 36. partis secundæ apud Leonardum Augustinum conspiciuntur; ita ille, qui a Suida & Codino describitur, non discum, id quod olim putabam, tenuit manibus; sed orbes illi alis inserti fuerunt; ut scilicet significarent solem instar disci rotundum esse; unde & tali forma Pæones olim sidus illud venerati sunt, teste Maximo Tyrio Dissert. 18. Παίονες σέβουσι τὸν Ἥλιον· ἄγαλμα δὲ ἡλίου δίσκος βραχὺς ὑπὲρ μακροῦ ξύλου: *Pæones solem venerantur: simulacrum autem solis est, discus parvus, longæ perticæ impositus*. Doctissimus Tristanus Tom. 2. pag. 173. *discum* hunc interpretatur patinam cavatam & profundam, quia veteres dixerunt solem ex oriente occidentem versus in vase aureo, non plane rotundo, sed instar ovi oblongo proficisci. Sed primo veteres illi Stesichorus, Antimachus, Æschylus apud Athenæum lib. XI. nil nisi δέπας vel *poculum*, quo sol ad occasum vehitur, celebrant; Panyasis vocat φιάλην & ipse Athenæus ποτήριον; quod utique rotundum plane esse potuit; deinde disci forma erat plana & rotunda, non autem concava, uti ex veteri apud Hieron. Mercurialem statua patet; cumque ejusmodi nobis esse appareat solis facies, Græcorum nonnulli eum appellaverunt Δίσκον, quos tamen non secus ac illos qui φῶς ἐξ ἡλίου ἢ ἀκτῖνος ἀποδισκεύεσθαι dixerunt, accusat, & audaci nimis metaphora usos esse putat Eustathius ad Homerum pag. 1191. ed. Romanæ; Pæones tali forma deum coluerunt, nec non, uti equidem arbitror, portenta Basilidis clypeum tenent. Nam & δίσκον Julianus in Orationibus, & Ovidius *clypeum* solis, cum orbem ejus designare volunt, memorant: & Martianus Capella diserte *clypeum* solis imagini tribuit: Nonnus Herculem astrochitona canit αἴθοπι δίσκῳ equitare, quia solis facies se non aliter oculis nostris exhibet: & Horapollo lib. 2. Hierogl. c. 14. scribit, Ægyptios prægnantem mulierem significare volentes, pinxisse ἡλίου κύκλον σὺν ἀστέρι μετὰ ἡλίου δίσκου δίχα τετμημένου; *solis circulum cum stella & solis disco in duas partes diviso.* Sed, ut ad ALAS revertar, Martianus Capella lib. I. solis pedibus eas alligat: *Corpus ejus flammeum totum,* PENNATA VESTIGIA, *pallium coccineum, sed auro plurimum rutilatum: sinistra autem manu clypeum coruscantem, dextera ardentem facem præferebat*. Orpheus apud Timotheum Chronographum, cujus fragmentum conservavit Eusebius pag. IV. Chronicorum, soli *aureas alas tribuit*.

Ἥλιε χρυσείαισιν ἀειρόμενε πτερύγεσσι.

& in gemma Basilidianorum secunda, solem corona radiata cinctum, & alatum equo insidere cum inscriptione ΙΑΩ, qualem gemmam absque illis litteris etiam publicavit Gorlæus, recte doctissimus Chifletius observavit. Et huc omnino pertinet Platonem apud Macrob. I. Sat. 23. significare volentem velocitatem sideris πτηνὸν ἅρμα *currum alatum* soli tribuere; Euripidem Oreste v. 1003. πτερωτὸν ἅρμα; & Arnobium lib. 3. scribere, *Jovem solem es-*

se dictavisse sapientes, agitantem pinnatos currus, turba consequente deorum. Nec aliam ob causam Manilius lib. 1. describit

Phætontem patrio curru per signa Volantem

Nec Prudentius lib. 1. contra Symmachum,

—— Solem, cui tramite certo
Conditio imposita est vigilem tolerare laborem,
Visibus objectum mortalibus, orbe rotundo
Præcipitem, teretique globo per inane VOLANTEM.

Eodemque respiciens Statius 1. Sylv. carm. 1. *volucrem rotam* Phœbo tribuit. Et si fas mihi sacra profanis rebus miscere, insigni metaphora SOLI JUSTITIÆ vel Christo alæ tribuuntur a Malachia in vaticinio, quod clarissime Salvatoris nostri adventum prædicit. In nummis quoque Μελιταίων vel Melitensium, apud Franciscum Abelam, & apud Sponium, qui in Antiquitatum Indagationibus potest videri, vel Osiris vel Mithra, sivel Sol quatuor alis insignis conspicitur; ut & Mithra non ita pridem edita, cujus ectypum apponere visum fuit.



Quin & vir eruditionis clarissimæ, qui nuper Varia Sacra doctissimis notis illustravit *Cneph*, Κνῆφιδα, ἀγέννατον καὶ ἀθάνατον Ægyptiis habitum, teste Plut. lib. de Iside, Deum facit alatum: cum tamen Porphyrius apud Euseb. lib. 3. præparat. c. 11. scribat Κνήφ humana specie fuisse & colore cæruleo nigricante, cingulumque ac sceptrum manu tenuisse, & ἐπὶ δὲ τῆς κεφαλῆς πτερὸν βασίλειον περικείμενον, *regiam pennam capiti impositam habuisse*; quod πτερὸν non sunt alæ, verum insigne regium ex pinnis vel plumis avium, uti clare satis ex variis Tabulæ Isiacæ imaginibus patet compositum. Sic fere Horapollo lib. 1. cap. 12. scribit Ægyptios παντὶ θηλυκῷ ζωδίῳ γῦπα ὡς βασίλειον imposuisse, & πᾶσαν θεὰν *vulture* expressisse, quia vultures non nisi fœminæ sunt. Vertunt: *Quam ob causam & cuivis fœminei sexus animanti Ægyptii vulturem, ut in eo sexu principem ac primarium apponunt*: sed infeliciter: nam ὡς βασίλειον est, *ut regium insigne, ut diadema*, & θηλυκὸν ζώδιον videtur intelligendum esse *signum zodiaci fœmineum*. Neque tamen sola, quam explico, Harpocratis imaguncula ALIS insignis est; verum etiam alia, media inter patrem Serapin vel Osirim, & matrem Isidem incedens, uti ex ectypo gemmæ luce meridiana clarius patebit:



Puerulus enim est, digito os compescit, & alatus incedit: non secus ac alia quam Imaginibus deorum Vincentii Cartari inseruit Laurentius Pignorius, ejusdem dei statua; quæ si genuina est, elegantioribus certe adscribi debet.



Cerniturque etiam alia alata, una manu os premens, altera cornucopiæ tenens, insistensque pedi uni lib. 1. c. 13. Musæi, Ludov. Moscardi Nobilis Veronensis, in quo & una absque alis exhibetur. Atque hoc commune cum matre Iside habuit Harpocrates; quam alatam cernimus apud Pignorium, quamque binis alis ornari in Juliani Imperatoris nummis censent Baronius Tom. IV. Ann. & Gyraldus Synt. 12 de Diis; cujus hæc sunt verba: At quod Ægyptii simulacra Isidis „ aspidum sertis coronata capita repræsentabant, „ eadem forma hic vides expressa signa alasque in „ iis volucres, quod vultures Isidi dicatæ essent; „ novaculam porro gestare dextra, quod ejus sa- „ cerdotes cunctis abrasis corporis pilis & virili- „ bus præcisis eidem ministrarent. Sane vultures „ Isidi sacros esse docet Ælianus l. 10. c. 22. H. Anim. ubi eam *Junonem* vocat, quia Isis ab aliis putabatur esse Deum Mater, ab aliis Minerva, Venus, Diana, Proserpina, Ceres, Juno, Bellona, Hecate, docente Apulejo: quo pertinet & Horum Apollinem in Hieroglyphicis narrare, Ægyptios *Minervam* vel *Junonem* denotare volentes, *vultures* pinxisse. Verum aliter longe hic Imp. Juliani nummus nobis exhibetur apud Stradam, Chanlerum, &, qui eruditissimum de familiis Byzantinis opus edidit nuper, Carolum du Fresne. Nam in una area cernitur D. N. FL. JULIANUS. P. F. AUG. diademate gemmato ornatus, dextra globum, cui victoria manibus coronam & laureæ ramum tenens insistit, sinistra clypeum, cujus insigne lupa geminos lactens, tenens: in altera vero Serapis & Isis, quorum infima corporis pars in serpentem desinit, manibus vas, cui serpens insidet, elegans levant, ab humeris vestimentum (quod *alas* forte fecerunt eruditi) dependet, cum Inf. VOTA PUBLICA; adeo ut clariora argumenta quærenda sunt proculdubio, quæ certe & nummi & marmora suppeditant. In nummo Juliæ Mamææ apud Tristanum Tom. 2. figura cernitur, quæ licet & ad Cererem, præcipue propter similem nummum quem ex gaza Regia ad Juliani Cæsares vulgavit Illustris Spanhemius, in quo ea spicis cinctum caput habet, possit referri, maxime tamen propter lunam corniculantem & ornamentum capiti impositum, ad Isidem, quæ eadem cum luna, respicit.



omnemque dubitationem tollit Isis quam Casalius, in libro de Ægyptiorum & Romanorum ritibus, & post eum Sponius in Miscellaneis eruditæ Antiquitatis, sed paululum diverse, edidit, quamque dignam existimavi, ut huic dissertationi insererem.



Neque aliter Osirim, (*Saturnum* facit Baudelotius de Dairval in eleganti libello, quem de Utilitate peregrinationum conscripsit) qui idem cum sole



A est, subinde repræsentatum fuisse docet tabula ultima auctarii Mensæ Isiacæ apud Pignorium: quem licet viri doctissimi in medio relinquant, quia auctoritate eorum destituuntur, qui id ex professo egerunt, ut vesanam Ægyptiorum in fingendis talibus licentiam redarguerent, mihi tamen ex parte interpretandum sumpsi. Nullus igitur dubito, quin Osiris vel Sarapis, id est sol nobis ob oculos ponatur. Non aliam certe ob causam alatus depictus est, vel pharetra, de qua mox dicendi erit locus, armatur: dimidia corporis pars vel latus sinistrum velatur, quia sol de die terram illustrat, de nocte caliginem nostro hemisphærio fuga sua
B inducit: capiti upupa, ni fallor, insidet, quia avis illa Ægyptiis, teste Æliano libro de Anim. singulari in veneratione erat. Hinc est quod Osiridis in summo sceptro, uti recte contra Cælium Calcagninum & Pierium observat Pignorius; quod in gemma ex Chifletio exhibita a tergo Harpocratis, qui idem cum sole, nec non in puppi & prora navis seu baris, qua Orus mortuus vehitur apud eundem Pignorium conspicitur; additurque tandem, uti omnino videtur, nux pinea, non Deum tantum Matri (cujus delicium Attis in pinum conversus esse dicitur ab Ovidio l. 10. Met.
C v. 105. & Lactantio Placido fabula secunda libri ejusdem) verum etiam aliis numinibus sacrata. Nam Antoninus Augustinus Dialogo v. extremo arborem eam Neptuno dicatam fuisse scribit. Verum puto eum deceptum esse a Faerno in Apologis, qui vulgatos Phædri fab. LVI. versus imitatus pro *Cybele*, substituit *Neptunum*; vel ab Aniano quodam, ex quo ita Phædri verba laudat; sed male, uti ex castigatissimis editionibus patet satis superque. In toreumate argenteo, quod quatuor anni tempestates repræsentat, Pani, æstatis symbolo, eadem nux additur, nec non vel illli vel Silvano apud Boissardum in marmore, cui subscribitur:
D

Q. LUTATIUS. Q. F. MENS.
SILVANO
D. D.

Unde Ovidius lib. 1. Fast. v. 412. canit eum *pinu tempora nexa gessisse*; qui etiam alibi non aliter *Faunum* describit:

Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta
Faunus in immensis, qua tumet, Ida jugis.

E Et Græcis, teste Suida in v. πίτυς, dictus est πιτυόστεπτος. Nec a Bacchi sacris aliena hæc arbor fuit. Nam Synesius in calvitiei encomio Bacchi calvum comitatum describens, alios eleganter dicit κόμας δανείζεσθαι παρὰ τῶν πιτύων, *a piceis arboribus comam mutuam sumere*, id est coronis ex fronde istius arboris factis caput cingere: & in gemmis 132. 135. part. 1. apud Leonardum Augustinum vel sacerdos Bacchi vel ipse Bacchus barbatus ut & comes ejus Silenus thyrsum κωνοφόρον gerit, idemque tigri, sacrato deo animali additur in gemma 180. Priapus pariter in gemma 13. part. 2. similem hastam, quam a parte etiam κῶνον, observante Salmasio in epistolis & in Exerc. Plinianis, voca-
F runt, gerit; juvenisque capiti impositum habens calathum, nucem ramumque pineum dextra manu tenet: apud Boissardum præterea satyrus colliculo insidens tenet ramos pineæ nucibus onustos, addita inscriptione: SYLVANO LITTORALI ET MUSÆ LACHES. Panem vel *Arcadium deum pinam diligere* canit Propertius lib. 1. El. 23. & fingunt puellam ipsi amatam in arborem eam conversam esse; uti legere licet in Geoponicis a Constantino Basso compilatis lib. 11. cap. 11. In sa-

cris tandem Isidis, quorum magna pars est Osiris, eadem arbor celebris fuit. Nam *in Isiacis sacris de pinea arbore cæditur truncus: hujus trunci media pars subtiliter excavatur; illis de seminibus factum idolum Osiridis sepelitur*: uti legere licet apud Julium Firmicum. Et ne dicam malum etiam in ejusdem deæ navigio fuisse *pinum rotundam*, teste Apulejo lib. XI. Met. sacerdotes nucibus pineis pectora tundebant: Lamprid. in Commodo: *Isiacos vero pineis usque ad perniciem pectus tundere cogebat*: adeo, ut mirandum nequaquam sit, Osiridis etiam inter insignia nucem pineam conspici. Ut igitur Osiris atque Isis alati fuere, ita etiam HARPOCRATES, qui cum patre repræsentabat solem, cui in signum velocitatis, rapidissimum enim sidus est, alæ optimo jure tribuuntur. Eandem ob caussam χρόνος vel *Tempus* in marmore, quod Homeri Apotheosin complectitur, & Heracleotarum nummo alis exornatur, qua de superstitione cum satis multa monuerim, ea hic repetere non est animus. Sequitur in imaguncula nostra notanda

PHARETRA

quod insigni nulli gentilium deorum melius, quam Soli convenit. Nam ut loquitur Fulgentius lib. I. Mythol. *arcum sagittasque illi contribuunt, sive quod de circulo ejus radii in modum sagittarum exiliant, sive quod suorum radiorum manifestatione omnem dubietatis scindat caliginem*: & Maximus Tyrius Differt. 26. testatur Apollinem a pictoribus & artificibus factum fuisse *juvenem nudum* ἐκ χλαμυδίου τόξον, *sagittarium, diductis pedibus instar currentis*: artemque eum jaculandi cum *Musica, Medicina, & Divinatione* invenisse docet brevium Auctor scholiorum in Homeri Iliadem. Et aliquis non absque ratione suspicari possit Apollinem hanc ob caussam quatuor manibus, totidemque auribus fœdatum a Lacedæmoniis cultum fuisse; teste Zenobio Cent. I. Prov. 55. Diogeniano Cent. 2. Prov. 2. Hesychio in v. Κυρίδιον, qui etiam τετράχειρα Apollona memorat in v. Κυνακίας. Græcis τοξοφόρος, ἀργυρότοξος, κλυτότοξος, Latinis, *Arcitenens, Sagittarius, Vulnificus*, aliisque cognominibus eodem redeuntibus vocatus est; *quod possit radiorum jaculis icta penetrare*, uti loquitur Martianus Capella: & apud Sicyonios absolute τόξιος appellatus videtur: uti enim scribit Hesych. Τοξίου βουνός, τοῦ Ἀπόλλωνος τοῦ ἐν Σικυῶνι; quanquam adjiciat melius esse intelligere τὸν ἐν Δελφοῖς νάπην λεγομένην, quia ibi draco jaculis ab Apolline occisus fuit. In Aleandri tabula Heliaca sol radiatus, arcu atque pharetra post tergum rejectis; & in Gallieni nummo apud Ant. Pisonem & Tristanum, aliosque antiquarios centaurus sagittarius, cum Inscript. APOLLINI CONS. AUG. quia signum illud cæleste soli consecratum est, conspiciuntur. Macrobius lib. I. cap. 21. Saturn. *Sagittarius, qui omnium Zodiaci domiciliorum imus atque postremus est, ideo ex homine in feram per membra posteriora degenerat, quasi postremis partibus suis a superis in inferna detrusus. Sagittam tamen jacit, quod indicat nunc quoque universorum constare vitam radio solis ab ima parte venientis*: & observavi subinde in nummis nomina deorum non diis, sed sive fictis sive veris animalibus, quæ ipsis sacra esse anilis superstitio voluit, apponi. In nummis Gallieni hæ Inscriptiones, JOVI. APOLLINI. SOLI. & JUNONI. CONS. AUG. cum capra Amalthæa, gryphe, bove & cerva occurrunt; & Ægyptii, eorumque exemplo alii, animalia, quæ deorum ad naturam accedere videbantur, colentes, symbolo eundem, quem numinibus honorem habebant, uti multis docuere Porphyrius libris de Abstin. & Plutarchus in libro de Iside & Osiride. Quin & Apollinis soror Diana vel Luna frequentissime sagittis armatur, quia & illa radios in longum jaculabatur, vel διὰ τὴν ἄφεσιν πόῤῥω τῶν ἀκτίνων, uti loquitur Phurnutus, vel Cornutus potius, observante Aleandro: unde & Arnobio lib. I. eleganter Apollo ac Diana *Arquitenentes* appellantur. Nec certe hoc monerem, & paululum, ut est τὸ λεγόμενον, extra olea vagarer, nisi id quasi flagitaret argumenti similitudo, & opinio veterum, qui mortes virorum subitas & præcipue pestilentes Apollinis, fæminarum Dianæ sagittis ascribebant. Notum est filios Niobes fingi a poetis & mythographis ab Apolline, a Diana vero filias occisas esse. Homerus certe Iliade Z. v. 205. *Laodamiam*, v. 427. matrem Andromaches a Diana fuisse interemptas, & Odyss. Λ. v. 197. matrem Ulissis narrare sese a Diana non esse interfectam, verum illius desiderio mortuam, canit. Clyte uxor Cyzici apud Val. Flac. l. 3. v. 322. lamentatur ab eadem Dea matrem suam occisam esse;

Mygdonis ora patrem, funestaque prælia nuper
Natales rapuere domos; Triviæque potentis
Occidit arcana genetrix absumpta sagitta.

Et Pherecydes apud Schol. Pindari ad Oden Pythiorum tertiam, Apollinem misisse Dianam notat, eamque Coronidem, & multas mulieres occidisse; ipsum vero Apollinem letho dedisse Ischyn: adeo ut mirandum nequaquam sit poetarum Principem in Odyssea introducere Penelopem invocantem & precantem Dianam, ut sortiretur mortem subitam. Quin imo & mortes αὐτομάτους, quæ scil. non ferro vel ulla vi externa inferebantur, inter quas proculdubio & pestilentia fuit numerata, iisdem numinibus adscribebant, teste Strabone libro quartodecimo: eoque sensu Homerus videtur ἀγανὰ βέλη binis locis iis tribuere, id est, *mitia, placida & mansueta tela*; cum alioquin ferocia potius vocanda sint, quibus homines citissime e vita rapiuntur. Et hanc veterum opinionem clare nobis ob oculos ponit Eustathius ad Iliada Z. p. 637. Ed. Romanæ: Ὅτι δὲ τῇ Ἀρτέμιδι τούτεσι τῇ Σελήνῃ τοὺς αἰφνιδίους θανάτους τῶν γυναικῶν ἀνατίθησιν ἡ Ἑλληνικὴ δόξα δῆλόν ἐστιν, ὥσπερ ὁ Ἀπόλλων ἢ Ἥλιος (ita enim scribendum) αἴτιος λέγεται τοῦ αἰφνῆς θνήσκειν τοὺς ἄνδρας: *Dianæ id est Lunæ repentinos obitus mulierum attribuisse gentiles notum est; uti Apollo vel sol dicitur caussa esse subitæ mortis virorum*. Neque tamen ipse Homerus hoc perpetuo observat; sed Dianam canit occidisse Orionem Odys. E. v. 123. quod cum multis aliis poetæ locis contrarium sit, non defuerunt veteres, qui versus hosce spurios & suppositititos esse judicarunt. Eustathius ad versum 123. Odys. E. Ὅμηρος δὲ θάνατον αἰφνίδιον αὐτοῦ ἱστορεῖ. Τοιοῦτον γάρ τι δηλοῖ τὰ τῆς Ἀρτέμιδος ἀγανὰ βέλη, οἷς αὐτὸν κατέπεφνεν ὡς πλημμελοῦντά τι φασὶν εἰς αὐτήν. ἄλλως γὰρ οὐκ ἀναιρεῖ Ἄρτεμις ἄρρενας, ὡς καὶ προσεσημείωται· διὸ καὶ ἠθέτησάν τινες τὸν Ὁμηρικὸν τοῦτον τόπον διὰ τὸ τῆς πράξεως ἀηθές: *Homerus autem narrat eum subita morte obiisse: hoc enim significant Dianæ placida tela, quibus eum occidit, quia illam, ajunt, attrectabat. Cæteroquin enim Diana e medio non tollit viros, uti etiam prædictum est: unde etiam nonnulli spurium judicarunt hunc Homeri locum propter rem insolitam*. Atque ita quidem Apollo putatur caussa esse pestilentiæ, & sagittas emittere, quando illa orbem terrarum corripit. Sane Eustathius ad Ilia. Ω. scribit Niobes liberos videri ἐξ αἰτίας λοιμώδους obiisse; Ammianus Marcell. lib. 19. cap. 4. ejus-

ejusmodi perniciem describens ait, *periere telis Apollineis complures, qui Sol æstimatur*: & Servius ad Ecl. 5. notat tria insignia circa Apollinis simulacrum videri: *lyram, quæ nobis cælestis harmoniæ imaginem monstrat; Gryphen æneum* (ita scribendum judicat Theodorus Rycquius Clarissimus & Doctissimus in Academia Batava Professor) *quod & terrenum numen ostendit: sagittas, quibus infernus Deus & noxius judicatur*. Hinc Homerus comminiscitur pestilentiam ab Apolline missas sagittas statim insecutam esse; (quod eleganter expressit Lucian. in libr. de Sacrif. per κατατοξεύειν τῷ λοιμῷ τοὺς Ἀχαιοὺς) & hinc Servius ad lib. 3. Æn. v. 136. observat: *Apolline offenso pestilentiam creari semper; illudque Homerum ostendere, cum eum armatum inducit sagittis; & inde Apollinem dici secundum aliquos ἀπὸ τοῦ ἀπολεῖν*. Hocque adeo verum est, ut versum poetæ, quo deus ille dicitur pestilentiæ nebulam depulisse, eandem avertere posse Martianus fingat Capella: *Tali dei temperamento virtus admonita, magisque cum eum salutaris auras miscere conspiceret, cæci poetæ Grajum versum Mercurio comprobante commemorat*:

Φοῖβος χρυσοκόμης λοιμοῦ νεφέλην ἀπ' ἔρυκεν.

Ex quo pestem fugari posse Mercurius, si voces primæ vestigiis ejus accederent, admonebat, quæ tamen voces, ut idem mox loquitur, *subdendæ Clario fidibus personanti, atque inter serta laurigera infularum lubrico implexoque crine redimito*: id est, cum condito telo placidus, utque apud Servium alicubi legitur, *citharam tenens, mitis est*. Et forte hinc explicandus gazæ Palatinæ nummus, cujus in una area cernitur ΑΠΟΛΛΩΝ ΣΩΤΗΡ sagittis pharetra & arcu armatus, in altera vero cithara, quam lauri corona ambit, & ΛΑΠΙΘΩΝ. Sic *citharam* tenet cum SALUTARIS in nummo Treboniani Galli apud Tristanum; *laurum cum cithara*, quando CONSERVATOR dicitur in alio Macriani & M. Aurelii Claudii Quintilii apud Patinum, antiquariæ rei studiosissimum virum. Quin & Pausanias lib. 10. testatur Cleonæos caprum soli orienti immolasse, atque Apollini pestilentia sedata æneum caprum dono dedisse; Horatius lib. 1. ode 21. hortatur pueros, ut Apollinem *rogent, ut miseram famem pestemque a populo in Persas atque Britannos agere velit*; & malo hoc in homines grassante, ramum lauri supra januam figebant, precabanturque Apollinem, ut ab ipsis pestem averteret, parceretque ædibus, quæ in tutela amatæ sibi Daphnes erant, uti ex Auctore magni Etymol. Diog. Laertio aliisque observavit Meursius. Sed nimium me *sagittæ* a proposito, ut video, abducunt; quare ad

SITULAM

quæ affabre facta ex dextro Harpocratis brachio dependet, quaque frequenter Ægyptiorum numina ornari solent, me convertam. Nam non aliter Isis ab Apulejo describitur lib. XI. Metam. *Nam dextra quidem ferebat æneum crepitaculum: cujus per angustam laminam in modum balthei recurvatam, trajectæ mediæ paucæ virgulæ, crispante brachio tergeminos jactus, reddebant argutum sonorem: Læva vero* CYMBIUM *dependebat aureum: cujus ansula qua parte conspicua est insurgebat aspis*: qualis fere Isis occurrit in lucerna antiqua apud Licetum pag. 1178. ex qua etiam patet *cymbium* illud non referre navem; & propterea censendum esse, hanc vocem generaliter de vase usurpari. Servius ad lib. 8. Æn. extremum *sitellam* vocat: *Isis autem est genius Ægypti, qui per sistri motum quod gerit in dextra, Nili accessus recessusque significat: per* SITELLAM *quam sinistra manu retinet, ostendit adfluentiam omnium lacunarum*. Atque ita in gemma antiqua non modo Isis verum etiam ipse Osiris, inter quos medius Harpocrates incedit, situlam gerunt; non secus ac alia Isidis effigies quam cum illa ex auctuario Pignorii conspiciendam præbeo:





Nec omittendus lapis antiquus, quem mecum communicavit præstantissimæ eruditionis vir Raphael Fabrettus; cujus inscriptio publicata quidem est a Reinesio; sed hic ectypus docebit, non satis diligenter eum, cujus fidem sequitur vir magnus, figuram Isidis inspexisse, quippe quæ non exta & litteram A. verum situlam, manu sinistra tenet, & dextra sistrum.



Testatur quoque Joannes Macarius vir eruditus valde, se vidisse gemmam, in qua homo capite leonino, gestans *situlam*, dextra serpentem radiato capite premens exprimebatur; quæ proculdubio ad Ægyptiorum sacra & solis cultum referenda erat, non secus ac altera, in qua leo tridentem, ut videtur, tenens, pene erecto simile vas gerit apud Chifletium:



Et quidem leo insuper ita depingi potuit; quia Nilum putabant ascendere ἐπὶ τῆς θερμότητος τούτου τοῦ θεοῦ vel *solis*, quando nempe *signum leonis intrabat*, uti docuit Horus Apollo in Hieroglyphicis. Quod nec monere oblitus est Plutarchus, sed, ut puto, corruptus in lib. de Iside: *Et de sideribus* σείριον *Isidis esse existimant*, ὑδραγωγὸν ὄντα; καὶ τὸν λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν, ὅτι πλημμυρεῖ Νεῖλος Ἡελίοιο πε πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι: *& leonem venerantur, rictibusque leonis januas templorum ornant, quia Nilus exundat, quando sol primum leonis signum ingreditur.* Locum hic non habere templorum januæ videntur, forteque legendum τὰ τῶν κρηνῶν, vel τῶν ἱερῶν κρηνῶν, id est *sacrorum fontium tubos*, vel tuborum capita, ex quibus aqua profluit; quam emendationem firmat Horapollo qui θυρώματα hæc vocat, χολέδρας καὶ εἰσαγωγεῖς τῶν ἱερῶν κρηνῶν, eosque scribit λεοντομόρφους factos esse ab iis qui sacris operibus præerant, vel ab τῶν ἱερατικῶν ἔργων ἐπιστάταις: nisi quis existimare potius velit templorum fores ita etiam fuisse ornatas. Neque enim illud nego; nam Horapollo lib. 1. cap. 19. id fuisse factum commemorat, quia leo oculos apertos habens cum dormit, signum erat vigilantiæ: διόπερ καὶ συμβολικῶς τοῖς κλείθροις τῶν ἱερῶν, λέοντας ὡς φύλακας παρειλήφασι; *Unde & symbolice sacrorum claustris, leones qui custodum loco sint appinxerunt:* cum κλεῖθρον potius *seram* significet; & παραλαμβάνειν non *appingere*, verum *accipere traditum quasi per manus*. Sic arbitrabar huc pertinere inscriptionem libelli, quæ Legato Antonii Eparhi, quod inter Varia Sacra grande illud Academiæ Batavæ decus, Stephanus le Moyne edidit, continetur: & pro τῶν ληνῶν *torcularium* scribebam κρηνῶν, id est, fontium. Sed Vir doctissimus me certiorem fecit, in ipsa dissertatione ita etiam legi; nec lectionem hanc sollicitandam esse ex ipsis verbis patebit: Ἐν Αἰγύπτῳ ἡ τοῦ Νείλου ἀνάχυσις καὶ ὑπερέλυσις κατ' ἐκεῖνον εἴωθε γίνεσθαι τοῦ ἐνιαυτοῦ τὸν καιρὸν, καθ' ὃν ὁ Ἥλιος ἐν τῷ λέοντι ἐστὶ· τηνικαῦτα γοῦν οἱ Αἰγύπτιοι τά τε δημόσια καὶ μεγάλα λουτρὰ ἤνοιγον, καὶ τοὺς ἁπανταχόθι κρουνοὺς καὶ ὑδάτων, εἰς σύμβολον τοῦ ἐπισαμείου λεοντοπροσώπους ἐποίουν κἀκεῖθεν ἐπεκράτησε, ἐπὶ τὸ τοὺς τῶν ὑπολην(ί)ων κρουνοὺς λεοντοειδεῖς κατασκευάζειν εἰς μίμησιν τοῦ Νειλώου ὕδατος προχύσεως προσκαλουμένων ἡμῶν οἱονεὶ καὶ τὴν τοῦ οἴνου δαψιλῆ καὶ ἄφθονον διαρροὴν, καὶ ἅμα ὅτι καὶ κατὰ τοῦτον τὸν τῆς τρυγῆς καιρὸν ὁ ἥλιος τὴν πάροδον αὐτοῦ ἐν τῷ λέοντι ποιεῖται κατὰ τοὺς εὐκράτους τόπους: *In Ægypto Nili inundatio & incrementum fit circa istam anni tempestatem, in qua sol est in leone: ideo tunc Ægyptii aperiunt publica & magna lavacra & balnea; & ubique omnes aquarum fontes & scaturigines leonina forma effingunt, in symbolum instantis istius signi. Ibi etiam hoc obtinuit, ut omnes lacuum torcularium scaturigines leonina specie adornarentur, ad imitationem incrementi aquæ Niloticæ, nobis invocantibus etiam largam & copiosam vini abundantiam & quasi inundationem: simul etiam quia tempore vindemiarum sol est in leone in climatibus & locis bene temperatis.* Addebatque in epistola eruditissima vir Magnus hunc locum illustrari altero posse, qui habetur apud Horapollinem; lacus torculares, ubi vinum ex prælo excipiebatur, illinc deffundebatur in dolia, deinde ex doliis in cados & amphoras, habuisse tubos & canales, quorum ora erant in formam

rictuum leoninorum effigiata; ita fontes etiam efficos fuisse, illumque morem ad Christianos fluxisse, uti patet ex Sidon. Apoll. l. 2. Ep. 10. & Ennodio Epigr. 19. nec tantum sacros fontes istis leoninis capitibus fuisse ornatos, sed & ædium ac domorum stillicidia, & fistulas quibus aquæ ex tectis effluebant, teste Vitruvio lib. 3. cap. ult. cumque sacri fontes in liminibus templorum excavarentur & ornarentur, templorum fores & valvas leonum formis etiam insignitas fuisse, forsan quia in honorem Nili vel Solis, quorum leo symbolum erat, ædificabantur, vel quia templorum custodes erant; teste Horapoll. cap. 19. Et inde apud Plutarchum nihil mutandum censet, arbitraturque hoc primo forsan a Judæis habuisse Ægyptios, qui in atrio templi altare habebant, quod Ariel vocabatur, id est *Leo Dei*; non quod formæ leonum cornibus istius altaris insculptæ essent, vel quia flamma leonis forma super altare semper appareret, ut volunt delirantes Rabbini, sed quod flamma symbolum iræ divinæ victimas omnes voraret, ut leo alia animalia consumit; nisi forte mos hic Ægyptiorum derivatus sit a velo tabernaculi, quod cum cherubinorum formis distinctum & variegatum fuit, quorum forma præcipua erat leonina. Hæc & alia doctissima scripsit ad me vir illustris, quæ si tantum tibi, Lector, quantum mihi placent, placebunt certe immensum. Atque huc pertinere l. 17 §. 9. D. *de Act. Empti & Venditi*, Gulielmus Cœterius Historiæ apud Daventrienses Professor censebat: *item constat sigilla, columnas quoque & personas, ex quarum rostris aqua salire solet, villæ esse*. Nam per *personas* putabat vir egregie doctus Ulpianum intelligere hujusmodi capita seu aquilarum, seu gryphum, seu leonum; illaque ita appellari, quod instar personæ seu larvæ tragicæ concava essent. Nisi forte veræ personæ intelligendæ sint, ex quibus etiam hodie videmus aquam pluviæ profluere. Nec obstat vox *rostrum*; quippe quæ non modo de avibus & animalibus, ut *apro* apud Phædrum, verum etiam de hominibus usurpatur; quorum os ita appellant Lucilius & Varro, non secus ac idem Archippo & Aratori apud Athenæum ῥύγχος dicitur, notante Reinesio lib. 1. Var. lect. c. 18. Quin & huc pertinere videntur *Silvani*, ex quorum ore etiam videntur aquæ prosiluisse; unde in Glossis Philoxeni: *Silvanus* κρῆνος: *Silbanus* παὼ, Σιληνός; alii, fateor, rescribunt *Silanus* priore loco; sed hoc etiam quadrat; quia Silanos ita dictos existimant a superciliis eminentibus, quales *Silones* Varro vocat; vel naribus repandis; uti videre licet apud Celeberr. Vossium in Etymologico; quæ certe figura, valde convenit tuborum, ex quibus aqua profluit, orificiis. Scilicet Ægyptii, eorumque exemplo Thales aliique philosophi, ἀρχὴν τῶν πάντων ὕδωρ *aquam omnium rerum originem* esse credebant, uti videre licet apud Diogenem Laertium, Ciceronem lib. 1. de Nat. Deorum, & Plutarchum in libro de Iside & Osiride, qui multis iisque lectu dignissimis hac de re agit. Aristides quoque Oratione in Neptunum testatur poetas ortum deorum aquæ sub Oceani nomine, quem θεῶν γένεσιν dicebant, tribuisse, & omnia ex humore orta esse, καὶ εἶναι τε πάντος ἐνθένδε ὁπόσα γενέσεως μέτοχα; & chaos, ex quo omnia nata esse finxit Hesiodus, fluidum fuisse volunt Græcorum illi, qui ἀπὸ τῆς χύσεως illud nomen deducunt, χυτὸν γῆν, καὶ ῥυτὸν τὸ ὕδωρ. Atque hoc ut Ægyptii per symbola etiam docerent, hydriam vel situlam aqua plenam in sacris Isidis & Osiridis circumferebant: Vitruvius in præfat. lib. 8. *Ex eo etiam, qui sacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum, ostendunt omnes res e liquoris potestate consistere. Itaque cum* HYDRIAM *tegunt, quæ ad templum ædemque casta religione refertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad cælum sublatis, inventionibus gratias agunt divinæ benignitatis*: & Plutarchus in libro toties laudato scribit, eos non solum Nilum, sed omnem humorem Ὀσίριδος ἀπόρροιαν *Osiridis defluxum* vocare, & ante sacra in pompa semper præcedere τὸ ὑδρεῖον ἐπὶ τιμῇ τοῦ θεοῦ. Et nisi me plane fallo, vas illud aquarium cernitur apud Gruterum p. LXXXII. in ara Isidis; quam, cum Luna sit, non absque ratione Apulejus scribit, *udis ignibus nutrire læta semina, & Solis ambagibus dispensare incerta lumina*. Hinc Isidis atque Osiridis capita situlis insistunt in nummo M. Aurelii apud Tristanum, Spanhemium & Patinum: in nummo Hadriani post terga Isidis Orum vel Harpocratem genibus gerentis cernitur vas ansatum;



nec aliunde putem explicari debere Canopi simulacrum, quod pariter in iisdem antiquitatis monumentis occurrit, cujusque historia peti potest ex Suida in v. Κάνωπος & Ruffino. Cum autem humor per se generationi aptus non sit, & infœcundum elementum foret, nisi igne & flammis animaretur æthereis, propterea Harpocrates & Osiris sive sol situlam, ut vidimus, gerit; quippe qui κύριος καὶ ἡγεμὼν est τῆς ῥοϊστῆς οὐσίας ἁπάσης, uti loquitur Plutarchus in Quæstion. Græcis: quo pertinet omnino eundem in libello de El. apud Delphos celebrare *δαίμονα τεταγμένον περὶ τὴν ἐν φθορᾷ καὶ γενέσει φύσιν; & hunc quidem appellari Apollinem Delium, Phœbum,* Θεώειον, *Phanæum, & secum habere Musas & Mnemosynem: illum vero Plutonem, Aidonea,* Σκότιον, Νύκτιον, *dominum noctis & somni, atque apud se habere Lethen & silentium*. Et ne vel Varronis lib. IV. de L. L. vel aliorum auctorum, qui duplicem nascendi causam statuunt aquam & ignem, in medium afferam verba; audiendus unus est Lactantius lib. 2. Inst. cap. 10. *Duo igitur illa principia inveniuntur, quæ diversam & contrariam sibi plane habent potestatem, calor & humor: quæ mirabiliter Deus ad sustentanda & gignenda omnia excogitavit. Nam cum virtus Dei sit in calore & igne; nisi ardorem vimque ejus admissa humoris ac frigoris materia temperasset; nec nasci quicquam nec cohærere potuisset; quin statim conflagratione interiret, quicquid esse cœpisset. Unde & Philosophi quidam & poetæ discordi concordia mundum constare dixerunt: sed rationem penitus non viderunt. Heraclitus ex igne nata esse omnia dixit; Thales Milesius ex aqua. Uterque vidit aliquid, sed erravit tamen uterque: quod alterutrum si solum fuisset, neque aqua nasci ex igne potuisset, neque rursus ignis ex aqua*. Et observatione præcipue dignum Ægyptios, Porphyrio teste, elementorum maxime colere ὕδωρ καὶ πῦρ eaque caussam esse σωτηρίας ἡμῶν, in sacris ostendi; ὡς που ἔτι καὶ νῦν ἐν τῇ ἀνοίξει τοῦ ἁγίου Σαράπιδος ἡ θεραπεία διὰ πυρὸς καὶ ὕδατος γίνεται, λείβοντος τοῦ ὑμνῳδοῦ τὸ ὕδωρ καὶ τὸ πῦρ φαίνοντος ὁπηνίκα ἀνεστὼς ἐπὶ τῆς οὐδοῦ (ita enim cum eruditis scribendum) τῇ πατρίᾳ τῶν Αἰγυπτίων φωνῇ ἐγείρει τὸν θεόν:

Uti etiamnum, cum Sarapidis sacrarium aperitur, cultus igne & aqua absolvitur. Hymnorum enim decantator aquam libat, cum in limine stans patria Ægyptiorum voce deum suscitat: quam ultimam loquendi formam, ritumque illustrat magnus Scaliger ad Tibullum. Estque etiam observatione digna Anubidis situlam itidem gerentis effigies apud Chifletium; nec non Mercurii, uti equidem arbitror, in tabula secunda actuarii mensæ Isiacæ, quam utramque apponere visum fuit; iisque aliquam saltem lucem affundere.



Ægyptiorum igitur Mercurius non ornabatur petaso & alis, ut Græcorum, qui tamen in nummis sæpe etiam alis caret, sed aliis rebus, ut sistro & situla, quemadmodum ex effigie allata patet, vel sistro & caduceo, qualem eum occurrere in nummo Damascenorum existimat Tristanus, Tom 1. pag. 231. Anubis, eadem insignia gerens conspicitur in nummo Faustinæ; cumque ille idem sit cum Mercurio, uti ex Eusebio, Diodoro, & Apulejo probavit vir doctissimus, clarum utique erit, cur humana Mercurii facies caninis auribus (si modo illæ sunt) sit conspicua. Situlam autem instar Harpocratis nostri, manu sinistra tenet, quia Mercurium ad solem etiam referebant, uti eleganter lib. 1. cap. 19. Saturn. docet Macrobius, & post eum Hieron. Aleander in tabulæ Heliacæ expositione. Et hanc ob causam arbitror in Albini nummo Mercurium vel certe deum radiata corona cinctum, una manu tenere tridentem, altera caduceum, cum Inscript. SAECULO FRUGIFERO, vel uti in alio legitur, in quo figura turritam coronam gerit, quæque una cum caduceo binas spicas in manu dextra gerit, SAECULO FECUNDO, nec non in Postumi altero cerni caduceum cum eadem inscriptione; quia sol fœcunditatis parens, ejusque ut & felicitatis symbolum caduceus est: adeo ut mirer virum eruditissimum scribere, se non videre quid Mercurius commune cum sole habeat, quanquam Hermæ in Augusti nummis cernantur corona radiata caput cincti, quæ soli ordinarie tribuitur. Nam certe, si Theologos gentilium sequimur, multa Mercurio cum sole communia fuere; illiusque alas, & caduceum, ipsumque adeo nomen Græcum ad solem retulerunt. Et quod Anubidis effigiem valde illustrat, in binis Juliani Imperatoris nummis idem una manu sistrum, altera tenet parilem situlam, apud Carolum du Fresne illustrem & doctiss. Virum in familiis Bizantinis. Clavæ, quam tenet Harpocrates manu sinistra avis, atque ut videtur

ANSER

appendet. Ille enim præterquam quod Priapo, uti ex Petronio, & Junoni, uti ex Livio atque Plutarcho constat, etiam Isidi & proculdubio Osiridi sacer fuit. In templis illos versari solere testis est Artemidorus lib. 4. cap. 85. Oneirocr. per quod num Isidis templum intelligi debeat incertum; quia in genere ille loquitur: ἱεροὶ δὲ οἱ χῆνες καὶ ἐν ναοῖς ἀναστρεφόμενοι: Isiacus apud Leonardum Augustinum sacerdos, inter varias florum & fructuum primitias, aliasque res etiam anseres gerit, vel ut Isidi sacros, vel deæ offerendos in sacrificium. Nam Isis Aristidem jubet Sermone 2. sac. extremo ubi *duos anseres* θῦσαι; Ovidius canit, 1. Fast. 454.

> *Nec defensa juvant Capitolia, quo minus anser*
> *Det jecur in lances Inachi lauta tuas.*

Pausanias lib x. testatur Tithoræensium εὐδαιμονεστέρως Isidi obtulisse boves & cervos, tenuiores vero *anseres & meleagrides*: & denique Herodotus lib. 2. c. 45. scribit Ægyptios nullam pecudem immolasse, præter *sues, boves mares, vitulos* καθαρὺς *atque anseres*. Harpocrati autem additur, quia ut sol nil nisi ignis esse existimatur, ita anseres natura calidissimi, θερμότατοι καὶ διαπυρώτατοι τὴν φύσιν, ut loquitur Ælianus lib. 5. Hist. An. cap. 29. Neque aliam ob causam eandem avem addi Mercurio, quem modo explicavi, arbitror; qui etiam sistrum, nisi aliud instrumentum sit, gerit, quia solem eo repræsentabant, uti ex Plutarchi libro de Iside & Osiride patet. Anserem excipiet

CLAVA

quam nodosam, ad instar trunci ab arbore recisi, manu sinistra tenet Harpocrates; non secus ac apud Casalium alius, cujus ectypum exhibeo:



Clava proculdubio Herculis propria est; cui propterea *nodosum robur* tribuit Val. Flac. l. 2. v. 534. σκύταλον κεχαραγμένον ὄζοις Theocritus Idyl. 17. v. 31. *torosam clavam* poeta, cujus mihi nomen excidit, antiquus; sed cum animalium partes carnosæ dicantur *tori*, & *torosæ*, ut v. c. *cervix torosa*; cumque ita Hercules appellari possit propter corpus nervis, musculis & toris plenum, subdubitavi nonnunquam, num pro *torosa* scribi debeat *torose*; ut scilicet Hercules TOROSUS a solido corpore vocetur: quod num admitti possit aliis judicandum relinquo. Neque tamen *nodosa clava* dicenda semper erit nostræ similis; quia ab aliis rami potuerunt esse ablati, ita ut non tantum exstarent, vel talis fuisse, qualis in nummo Prusiæ Thesauri Palatini conspicitur; quod idem sentiendum de Thesei clava, quam *nodosum stipitem*, & *trinodem*

clavam vocat Ovidius Ep.4.& 40. Heroid. nec non 1. Fast. v. 575. Nec certe quis errabit, si clavam ad Herculem retulerit, quem etiam Solem faciebant theologi gentiles, uti ex ipso illius nomine, & aliis rebus probare conatur Macrobius lib. 1. Saturn. c. 20. Eusebius lib. 3. præparat. Evang. scribit admirandam ethnicorum impudentiam esse, *quippe qui solem modo Apollinem, modo Herculem, modo Bacchum, modo Æsculapium* dicere non vereantur. Nonnus (apud quem plura hujus generis videri possunt) lib. XL. Dionys. eundem vocat ἀστροχίτωνα, ἄνακτα πυρὸς, ὄρχαμον κόσμου, ἥλιον, *stellatam tunicam* (propter stellas quæ in cæli convexo lucent) *indutum, regem ignis, ducem mundi, solem, qui circulatim obequitat totum polum vel orbem* αἴθοπι δίσκῳ, *igneo disco* & Tristanus t. 2. p. 337. arbitratur in Apamensium nummo ab una parte cerni Herculem, si modo is est, ab altera vero Junonem, quia ille sol, hæc vero terra habebatur. Porphyrius quoque apud Euseb. libro laudato testatur *clavam & leoninam pellem* Herculi tribui ad significandum per clavam τὴν ἀνωμαλίαν *inæqualitatem*, per pellem vero, καὶ τὸ ζώδιον ἐμφανεστικὸν ἰσχύος, *quia vires suas in leone præcipue sol ostendit*; & duodecim ejus labores notare duodecim signa, quæ sol singulis annis transit. Scholiastes Hesiodi ad Theog. pag. 249. scribit mala aurea esse *astra*, Herculem vero *Solem*: idque ideo fictum esse, quia παρερχομένου τοῦ ἡλίου ἐμφαίνονται τὰ ἄστρα: Hydræ Lernææ historiam ex solis natura interpretatur idem pag. 256. Prometheum liberatum, pag. 281. ubi diserte τὸν Ἥλιον vocatum fuisse Ἡρακλέα scribit: Geryonis boves pag. 310. & tandem duodecim labores pag 305. non secus ac apud Eusebium Porphyrius. Eandem ob causam sagittis & arcu armatur, uti inter alios docet Hieronymus Alexander in Exposit. Tabulæ Heliacæ: in qua etiam *clava* inter insignia solis conspicitur. Et notandum diligenter *clavam* Herculeam similiter Harpocrati tribui in nummo Hadriani apud Antiquarium non minimi nominis Car. Patinum; sed ut de fide sculptoris dubitem facit similis Antonini Pii nummus apud Tristanum, in quo sceptrum, illique insidens aquila conspiciuntur; in quod velim eruditione præstantes viri diligentius inquirant: in nummo Agrippinæ Claudii apud Seguinum Sol radiatus coronam imponit trophæo, ejusque a basi surgunt binæ clavæ: in lapide antiquo apud Gruterum pag. 28. conspiciuntur MATRIS DEUM MAGNÆ IDEÆ PALATINÆ insignia, turris, pinus, crotala, fistulæ, lances, pedum, leo, & cum iis clava; (nisi tamen potius, uti haud obscure ex marmore ipso apud Gabrielem Simeoni patet, sit pedum pastorale) cujus tenuiori parti mitra imponitur, ut docerent Attin mitratum, nullum alium quam solem esse; id quod gentiles existimasse a viris doctis satis superque probatum est: in Titi Imperatoris nummo apud Patinum eadem Sarapidi additur, quia & hic Sol habebatur, quemadmodum ex Macrobio aliisque auctoribus, nec non innumeris fere nummis, gemmis & marmoribus apud antiquarios obviis constat; unde etiam Aristides scribit eum περιφανέστατον ἡλίου φῶς τοῖς θεαταῖς ostendisse, & alibi eundem scribit esse ἅπασι ἀνθρώποις φῶς. Ceterum non incommode *clava* etiam ad Æsculapium posset referri, cum quia similis plane illi ab Apulejo tribuitur, tum quia circa eam volvitur serpens, qui semper fere deum illum comitatur: *Diceres*, (ait Apulejus lib. 1.) *dei medici baculo, quod* RAMULIS SEMIAMPUTATIS NODOSUM, *gerit serpentem generosum, lubricis amplexibus inhærere*: eidem *nodosum bacillum* tribuit Festus in v. *Insula*, quem male Boxhornius ad Plutarchi Quæst. Romanas interpretatur serpentibus involutum; & inde forte in Coorum nummo Herculis nodosa clava & baculus Æsculapii conspiciuntur cum serpente apud Trist. Tom. 1. p. 168. nisi potius significent, Herculem etiam in illorum insula cultum fuisse. Serpentes autem Æsculapio tribui res est notissima; idque ideo factum scribit Festus in v. *Draconis*, quia vigilantissimi generis putantur, & illa res maxime medicinæ necessaria est; ipseque in serpentem mutatus esse fingitur, σύργαστρος, id est *serpens* appellatus propterea, quemadmodum observat Salmasius ad Herodis Attici inscriptionem. Neque tamen marmor Lugduni repertum, eo quod anguis in eo sculptus est, cum Gabriele Simeoni Æsculapio tribuere debemus. Nam caput fœmineum plane est, & addita inscriptio DEO INVICTO MITHIR SECUNDINUS DAT haud obscure docet illud ad sacra pertinere Mithriaca. Num autem hoc monumentum Mithræ positum sit ob restitutam mulieri, cujus caput cernitur, sanitatem; an vero Luna repræsentetur; numque Galli Mithram fœminei sexus coluerint, uti arbitratur vir eruditus, id fateor me affirmare vix posse. Certe Ambrosius libello 2. contra Symmachum Mithram fœminam facere videtur: *Unde Phrygii* vates, & semper invisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? Quam Cœlestem Afri, Mithram Persæ, plerique Venerem colunt pro diversitate nominis, non pro numinis varietate: & Herod. lib. 1. c. 131. narrat Assyrios Venerem appellasse Μύλιττα, Arabes Ἀλίττα, & Persas Μίτραν. Petrus Faber, vir doctissimus, lib. 3. cap. 2. Semestr. Existimat apud Ambrosium scribi debere *Mitram* sine adspiratione; Et per *Mitram* intelligit Lunam, quæ eadem cum Venere, & Cœlesti, per *Mithram* vero Solem. Sed hoc si verum, adspiratio non addi debebat in Marmore, vel apud Stat. lib. 1. Theb. ubi proculdubio Solem designat, scribi *Mitram*; nisi illud vitium statuario, hoc vero librariis adscribere velimus. Quidquid sit, res est examine digna, num *Mitram* Persæ a *Mithra* distinxerint, cum Herodotus testetur clare, Venerem *Mitram* dictam esse; numque Orientis Populi Solem modo fœminei, modo masculi sexus fecerint, uti certe coluerunt Lunum, & Lunam; quæ in sacris Mithriacis per bovem repræsentatur. Quin & ipsum Æsculapium solem esse docet elegantibus verbis Macrobius lib. 1. c. 20. Saturn. quæ integra adscribere non gravabor: *Hinc est quod simulacris Æsculapii & Salutis draco subjungitur; quod hi ad solis naturam lunæque referuntur: & est Æsculapius vis salubris de substantia solis subveniens animis corporibusque mortalium: Salus autem naturæ lunaris effectus est, quo corpora animantium juvantur salutifero firmata temperamento. Ideo ergo simulacris eorum junguntur figuræ draconum: quia præstant ut humana corpora velut infirmitatis pelle deposita ad pristinum revirescant virorem, ut virescunt dracones per annos singulos pelle senectutis exuta, propterea & ad ipsum solem species draconis refertur; quia sol semper velut a quadam imæ depressionis senecta in altitudinem suam ut in robur revertitur juventutis. Esse autem draconem inter præcipua solis argumenta, etiam nominis fictione monstratur, quod sit nuncupatus* ἀπὸ δέρκειν, *id est videre. Nam ferunt hunc serpentem acie acutissima & pervigili naturam sideris hujus imitari; atque ideo ædium, adytorum, oraculorum, thesaurorum custodiam draconibus assignari. Æsculapium vero eundem esse atque Apollinem non solum hinc probatur, quod ex illo natus creditur, sed quod ei & jus divinationis adjungi-*

tur. Nam Apollodorus in libris, quibus titulus est περὶ θεῶν, *scribit quod Æsculapius divinationibus & auguriis præsit.* Porphyrius apud Euseb. l. 3. Præpar. cap. XI. testatur Gentiles *virtutem solis salutarem*, σωστικὴν δύναμιν per Æsculapium symbolice expressisse; eique *baculum dedisse in manus, in signum, laborantes ab eo sustentari & erigi; & circa illum serpentem volvi in signum* τῆς περὶ τὸ σῶμα καὶ ψυχῆς σημεῖον, *quia hoc animal præ reliquis spiritu abundat, & corporis imbecillitatem exuit.* Orpheus quoque apud Hesiodi Scholiastem pag. 305. non alia his versibus docet:

> Ἥλιος, ὃν καλέουσι Ἀπόλλωνα κλυτόξον
> Φοῖβον ἑκαβελέτην, μάντιν πάντων, ἑκάεργον
> Ἰητῆρα νόσων, Ἀσκληπιόν. ἐνθάδε πάντα.

Verum ut pergam, cum primum apud Joannem Smetium, virum certe natum ad Antiquitatis studium juvandum, & qui quotidie vetustis rebus museum suum exornat gnaviter, imagunculam inspexi, putabam me vel folia vel ramum arboris in infima clava observasse; cumque litteris dubium ut tolleret Smetium rogarem, misit ille ad me, circa imam clavæ partem ramulum esse, sed tenuissime illum a serpentis cauda ad inferiora usque clavæ circumvolvi: eundemque virum doctissimum video in Antiquitatibus suis Noviomagensibus nescio quem flosculum curasse appingi Harpocrati suo. Sed, ut verum fatear, nihil tale in imaguncula accuratius postea & plus semel inspecta, reperire potui; animadvertique artificem, illam, quæ initio dissertationis hujus conspicitur, diligenter admodum delineasse: unde & recte me facturum existimavi, si quæ de Bacchi & Herculis deque illius cum sole convenientia notaveram ad calcem belli rejicerem, ne in ipso opusculo nimium extra oleas, ut est τὸ λεγόμενον. Accedendum tandem est ad SERPENTEM, qui circa clavam sive baculum, brachiumque imagunculæ volvitur, & omnium fere deorum, vel dæmonum symbolum & comes est; Nihil frequentius in Ægyptiorum sacris ut & Græcorum Romanorumque occurrere ex Tabula Pignorii Isiaca, ex marmoribus & nummis aliisque antiquis rebus clarissime patet. Isidi comes datur ab Ovidio lib. 9. Met. v. 691. ejusque caput aspide coronatum fuisse præter Ælianum, qui videatur l. 10. c. 31. de Animal. docet Flaccus Valerius l. 4. Argon.

> —— *& procul Io*
> *Spectat ab arce poli jam divis addita, jamque*
> *Aspide cincta comas, & ovanti persona sistro.*

Horapollo lib. 1. Hierogl. cap. 1. scribit Ægyptios basiliscum serpentem vocare οὐραῖον, atque eum χρυσοῦν ποιοῦντες θεοῖς περιτιθέναι; *aureum facientes diis circumponere*; quod non incommode de capite potest explicari, uti etiam observatum est Pierio: nam & mox sequitur; διὰ τοῦτο αὐτὸν ἐπὶ τῆς κεφαλῆς τῶν θεῶν ἐπιτιθέασιν, *& ideo ipsum* (basiliscum) *deorum capitibus imponunt*; id quod videre in Tabula Pignorii Hieroglyphica licet. Iidem Ægyptii Jovi nonnullos serpentes sacrarunt, eoque dementiæ venerunt ut eos adorarent, Herodoto lib. 2. c. 72. & Æliano l. XI. cap. 17. de Animal. testantibus; quorum præcipuus fuit ille, qui Ἀγαθοδαίμον & Κνήφ appellabatur, pari superstitione a Phœnicibus cultus, quemadmodum tradit Eusebius libro Præparat. 1. extremo. Junonis simulacrum apud Babylonios dextra serpentem, sinistra gemmatum sceptrum gerebat; & apud eosdem Rhea sedens ad genua habebat prostratos leones & prope se duos serpentes, uti legere licet apud Diodorum Siculum. In Jovis Sabasii Magnæ Matris ut & Mithræ sacris serpentes præcipuam religionem fecisse patet ex marmoribus, quæ sacra Mithriaca complectuntur, iisque quæ observarunt Pignorius & Rubenius. Euripides præterea in Baccho v. 100. canit Bacchum simul ac natus fuit, coronatum esse δρακόντων στεφάνοις; & Nonnus eum coronam serpentum circa caput, & ὀφιώδεα μίτρην habere in signum suæ juventutis. Nec alio habitu se fœdabant Bacchantes, quas Euripides canit ἄγραν *sive serpentem* πλοκάμοις circumdedisse; quarum alias Callixenus Rhodius apud Athenæum lib. 5. in descriptione pompæ Bacchicæ elegantissima tradit sese ὄφεσιν, *alias vitæ, hedera & similace coronasse*; apud Horatium lib. 2. Od. 19. Bacchus

> —— *Separatis uvidus in jugis*
> *Nodo coercet viperino*
> *Bistonidum sine fraude crines.*

Clemensque tandem Alexandrinus in protrept. Bacchas introducit ἀνεστεμμένας τοῖς ὄφεσι *serpentibus coronatas*. Catullus hoc vocat *sese tortis serpentibus incingere*, & *circumplicare se anguibus*. Arnobius: *Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen omophagiis græcum est: in quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate circumplicatis vos anguibus*: quanquam dubitem num cum viris eruditis bina hæc loca ita explicari debeant, nec potius significent vestes vel corpora bacchantium serpentibus cincta fuisse, qualis SALUS occurrit in nummo Mammææ apud Tristanum: Et mulier Syram percutiens, saltansque in honorem Bacchi, ut videtur in *Admirandis Romanarum Antiquitatum Vestigiis*: Minutius quoque Felix Cererem serpente circumdat: *Ceres facibus accensis, & serpente circumdata, errore subreptam & corruptam Liberam anxia & sollicita vestigat*: ubi parum abest, quin rescribam, *circumlata*, quia curru a serpentibus tracto fuit vecta, cum quæreret filiam Proserpinam; quem locum jam ita emendasse deprehendi Aleandrum in Explicatione Tabulæ Heliacæ. Ne-



que hæc de Bacchantibus monuissem, nisi ectypum lucernæ elegantissimæ, quæ caput Bacchi videtur referre, adjicere in gratiam eorum qui antiquas res mirantur, constituissem. Inventa illa est Noviomagi anno Christi D. N. 1674. in sarcophago ex lapide tofo quatuor aut quinque pedum, cum quibusdam nummis æneis, & prope sarcophagum stabat urna cinere & ossibus plena. Eam Galli secum abstulerunt, sed depingendam ante curaverat Joannes Braunius Antiquariæ rei studiosissimus, & tunc in urbe mysteriorum sacrorum interpres, nunc vero Theologiæ apud Groninganos Professor, qui qua eruditione præditus sit, satis docent libri de Vestitu Sacerdotum Hebræorum. Viro igitur illi lucernam debes, Lector; quæ nobis repræsentat Bacchi Juvenis, ni fallor, caput, coronatum serpente & vite; quomodo apud Apollon. Rhodium lib. 3. v. 1213. Hecate σμερδαλέοις *draconibus* μετὰ δρυΐνοισι πτόρθοισι *cum ramis quernis*; & apud Sophoclem ῥιζοτόμοις, cujus verba conservavit nobis alterius poetæ vetus Scholiastes: ὅτι, ait, δράκουσι καὶ δρυΐνῳ κλάδῳ στέφεται ἡ Ἑκάτη καὶ Σοφοκλῆς ἐν Ῥιζοτόμοις τὸν χόρον πεποίηκε λέγοντα.

> Στεφανωμένη δρυσὶ καὶ πλείσταις
> Ὤμων σπειρήμασι δρακόντων.

quomodo scribendum esse recte docet Scaliger ad Varronem. Quid autem causæ sit, cur ejusmodi lucernæ sepulchris inferrentur, aut cur rebus ad Bacchum pertinentibus exornarentur, in obscuro equidem est. An dicemus pro lubitu hic grassatos artifices? an vero insignia dei lucernis indita esse, quia sacra illius, quem propterea Ovidius lib. 1. Artis vocat *Nyctelium Patrem*, erant nocturna, uti ex plurimis auctoribus constat; inque eorum positas fuisse monumentis, qui mysteriis Bacchi erant initiati, vel numini majestatique ejus devoti? SERPENS autem peculiari ratione, id quod maxime probandum erat, soli sacratus erat; eamque procul dubio ob causam Harpocrati additur. Artemidorus lib. 2. Oneir. cap. 13. scribit δράκοντα *sacrum esse Jovi Sabasio*, SOLI, *Cereri & Proserpinæ*, *Hecatæ*, *Æsculapio*, *& Heroibus*. In caduceo Mercurii serpentes Solis symbolum esse docet Macrobius lib. 1. Sat. c. 19. patetque clarissime ex Aleandri Tabula Heliaca; in qua ut Hercules *Scytalo-sagitti-pellifer*, uti vocatur Tertulliano, per clavam & pellem leonis, Bacchus per pocula, ita Mercurius per acervum lapidum & caduceum ad sidus illud refertur. Hanc ob causam Æsculapio angues tribui ex ejusdem Macrobii, quæ jam laudata sunt, verbis patet; docetque idem lib. 1. cap. 17. Apollini Hierapolitano *draconis effigiem* addi ad monstrandum *flexuosum iter sideris*; & nihil frequentius quam in nummis aliisque monumentis cernere serpentem Apollinem comitari, vel tripodibus ejus addi, sive quia soli sacer, sive quia oraculis adhibebatur, propterea Græcis appellatus οἰωνὸς, uti apud Hesychium legere licet. Ad pedem dextrum Harpocratis CUNICULUS, vel LEPUS, vel aliud animal, & forte; neque enim propter brevitatem satis certo dignosci potest, CANIS sedet. Soli varia animalia constat fuisse sacrata, verum necdum mihi quicquam simile de *Lepore* vel *Cuniculo* repertum est; quorum tamen naturæ non male sideri illi aptari possunt. Ut enim sol generationis & fœcunditatis præcipua causa habetur, ita ipsi sacratus, vel symbolum illius erit lepus, timidum quidem (unde in lege Salica pœna in eum statuitur, qui *alterum leporem clamaverit*, & proverbium, Ῥηγῖνος λαγὼς, Zenobio teste originem traxit) sed fœcundissimum animal, *quod superfœtat, aliud educans, alius in utero pilis vestitum, aliud inplume, aliud inchoatum gerens pariter*, uti Plinius loquitur lib. 8. c. 55. cui consentiunt Herodotus lib. 3. c. 108. Pollux, Xenophon, Ælianus, Bochartus in admirando de animalibus S. S. opere, atque Stephanus le Moyne, cujus amicitiam magni facio, in pereruditis ad Barnabæ epistolam notis. Nec is forte erraverit, quanquam ejusmodi res meræ divinationes sint, qui existimet lepores ea de causa amoribus sacrari, quemadmodum Eusthath. ad Iliad. A. & ex eo in v. πεύκη tradit Varinus, qui tamen rationem a visu & ipsa voce deducunt. Nam postquam monuissent Apollini κίθαρον piscem dedicari, quia citharista erat, Mercurio βόακα itidem piscem, quia præco erat, Veneri ἀφύην etiam piscem e spuma nascentem, quia illa inde fertur esse orta; λύκον Apollini, propter ἀμφιλύκην νύκτα, circa quam sol oritur, addunt; Καὶ λαγὼς ἐρώτων ἀνάθημα, διὰ τὸ ταυτὸν τ κατὰ κλῆσιν γενέσεως. λαγὼς τε γὰρ ἀπὸ τοῦ λάειν, καὶ ἔρως ἐκ τοῦ ὁρᾷν, ἅπερ τὸ βλέπειν μηνύουσι: Certe Veneri leporem *gravissimam hostiam*, ὡς πολὺ τῆς Ἀφροδίτης μέτεστιν αὐτῷ, *quia multum veneris est particeps*, id est, uterum ferens impletur & maxime libidinosum animal est, tradit alicubi Philostratus; quomodo, ut hoc simili exemplo illustrem, felis Lunæ dicatur, διὰ τὸ ποικίλον καὶ νυκτεργὸν καὶ γόνιμον τοῦ θηρίου, *ob varietatem, vim noctu agendi, & fœcunditatem*, teste Plutarcho libro de Iside; unde etiam Martianus Capella lib. 2. fingit *lunam felem vultu prætulisse*. Celeritate præterea multa animalia vincit lepus; & Xenophon docet omnia ejus membra ad celeritatem mirifice esse composita; adeo ut hoc etiam nomine solem possit comitari, quia non modo sidus est celerrimum, verum etiam cujus filiam *Celeritatem* facit Martianus Capella. Cervum certe ob rapidissimum cursum soli sacrari arbitror; quem Apollo manui impositum habet in nummis Juliæ Domnæ & Balbini a Milesiis signatis apud Patinum & Seguinum; non secus ac Osiris vel sol in Trajani nummo apud eundem. Nisi tamen animal illud ad lunam potius referendum sit, & ideo ab Apolline atque Osiri gestetur, quia sol lucem lunæ tribuit. Est enim cervus Dianæ sacer; & in nummis Commodi & Caracallæ Diana vel Luna vehitur curru a binis cervis tracto, quas & ipsi tribuunt Callimachus & Claudianus; & in nummo P. Licinii Gallieni cerva cernitur, cum Inscriptione, DIANÆ CONSERVATRICI; non quod Diana cervæ effigie hic cernatur, uti arbitratur doctissimus Symbolicæ ejus statuæ interpres; sed quia ipsi vel ob celeritatem vel ob aliam causam cerva sacra habebatur. Neque alia ratio Ovidio lib. 1. Fast. & Herodoto lib. 1. extremo placuit, quando docent Persas & Massagetas solem equo placare; imo & idem de leone tradit Statii interpres ad lib. 1. Theb. *Mithræ simulacrum fingebatur reluctantis tauri cornua retentare, quo significabatur lunam ab eo lumen accipere, cum cœperit ab ejus radiis segregari. Erat autem ipse sol leonis vultu cum tiara prisco habitu: utrisque manibus, seu diximus, bovis cornua comprimens. Siquidem sol principale signum inculcat & frænat leonem scilicet, ideo quod hic deus ceteros sui nominis & potentiæ impetu excellat, ut inter reliquas feras leo, vel quod sit rapidum animal.* His adde ut sol semper lumen suum vel in superiore vel in inferiore hemisphærio ostentat, ita leporem oculos apertos habere nec eos quiescentem vel dormientem claudere; quemadmodum præter Ælianum tradit Plinius lib. 11. cap. 37. *Quin & patentibus dormiunt oculis, multique homines, quod*

corybantian Græci vocant: unde etiam Ægyptii patens quid significare volentes, *leporem*, teste Horo, pingebant: veteresque leonem soli quoque dedicarunt, quia ille *oculis patentibus atque igneis cernitur semper, ut sol patenti igneoque oculo terram conspectu perpetuo atque infatigabili cernit*; ut loquitur Macrob. I. 21. CUNICULUM si quis hic se repperisse putabit, eædem fere rationes militabunt, & recte illum comitari solem palam facient. Nam Plinius lib. 8. cap. 55. *eos fœcunditatis eximiæ* esse scribit, & famem Balearibus insulis populatis messibus afferre; qui & ibidem leporum genus eos esse, & Hispaniam cuniculos appellare scribit. Sane apud gentem eam abundasse hoc animal docet Ælianus lib. 13. cap. 15. & in nummis Hadriani symbolum Hispaniæ est apud illustres antiquarios: nec non in annulo, si fides habenda Chifletio cap. 7. Anastaf. Childerici Regis. Quin imo Samuel Bochartus, vir ad miraculum usque doctus ipsum Hispaniæ vel Spaniæ nomen deducit ab Hebræa voce *Saphan*, id est *cuniculus*; unde *Spanya* nihil aliud erit quam *cuniculosa regio*; quod epitheton etiam Catullus carmine XI. dat Celtiberiæ;

Tu præter omnes une de capillatis
Cuniculosæ Celtiberiæ fili
Egnati, opaca quem bonum facit barba.

quanquam Isaacus Vossius, cui plurimum in hoc studiorum genere tribuendum est, rescribat, *Celtis perosæ Celtiberiæ fili*. Et figuræ portentosæ plane, quæ originem suam vel Ægyptiis vel hæreticis satis notis forte debet, quæque ad solem non incommode referri possunt, uti ex iis quæ disputavi satis patet; additur *cuniculus* vel *lepus* apud Leonard. Augustini part. I. Num. 203. & Smetius apud Gruterum pag. 34. testatur in ædibus Alteriorum Romæ Mithram vel solem in rupe excavata stare, dextra cultrum vel gladium monstrantem (hoc lucem capit ex iis quæ Porphyrius lib. de Antro Nympharum pag. 265. notat præclaram) sinistra nescio quid ferentem; eum calcare taurum substratum, dextro inter cornua sinistro pede in tergo positis; sub tauro esse serpentem, & aliud animal *cuniculo* simile. Quod quamvis multum faceret ad vindicandum Harpocrati, qui cum Mithra ad solem referendus est, cuniculum; ut tamen hic leonem depictum fuisse credam, cogit me Camerarius, qui in enarratione picturæ hujus hieroglyphicæ leonem exhibet; vel potius dicendum Smetium canem, qui in marmore apud Camerarium, non satis feliciter hoc de agricultura explicantem uti Macario & Chifletio observatum, conspicitur, cuniculum esse putasse; quanquam, cum illud animal & serpentem sub tauro locet, videatur ad leonem digitum intendisse; potueritque silentio præteriisse adsilientem canem, uti certe unam tantum bestiam memorat. Quod si Smetius erravit, me etiam erroris non absolvo; & divinus certe forem necesse est, si conjecturare queam alia in marmoribus nunquam a me visis exhiberi, quam memorant eorum inspectores. Quin potuit alia fuisse pictura hieroglyphica Mithræ. Exstat enim illa & inscribitur: Simbolo dell' Agricultura ritratto da molte sculture antiche & dichiarato da Horatio Tigrino de Marii, dedicaturque Antonio Ciccarelli. Et primo quidem sub solis curru vel ejus equis jacet figura humana, & supra puer alatus facem tenet: septem aris insculptæ sunt totidem figuræ, ex quibus clare cognoscuntur Sol, Saturnus, Mercurius, Mars, Luna sive Diana, unde conjicio reliquas esse Venerem & Jovem, ut septem planetæ repræsententur. Luna vehitur curru a cervis tracto, & infra eam jacet fluvius cum urna barbatus; supra visitur puerulus alis papilionis decorus, & sagittam tenens. Sub diei figura gallus cernitur gallinaceus: bovis cornuti medium corpus pancarpio cingitur, & ensis vagina varie picta est: prope unam figuram notatam Litt. H. binæ arbores, quarum una palma est, sunt, & ad eam sedet figura H. dormiens; serpens non sub tauro quasi mortuus jacet, sed a latus est, & sese erigit, caudam ore mordens; & tandem Leo longe a tauro remotus jacet. Verum existimo tale marmor non exstare Romæ, sed ejusmodi picturam ex variis monumentis digessisse Horatium Tigrinum, qui illud ipsum haud obscure significat. Vir tamen quidam eruditus hæc adscripserat. Simulacrum hoc boni agricolæ spectatur licet diversimode exsculptum Romæ in variis locis. Integerrimum est penes Ursinum Fulvium, nec excedit magnitudinem hujus chartæ: spectatur item in palatio Cæsiorum: in muro exteriori S. Marci: in ædibus Octavii Zeno retro S. Barbaram: in ædibus doctoris Raimondi juxta sacellum; in ædibus Severini Stellæ prope sacellum viglia-Christo: in ædibus Francisci Porcarii, nec non in ædibus prope Jesuitas. Quæ certe docent liquido, varias Mithræ sculpturas Romæ fuisse. Nonnunquam veniebat mihi in mentem hoc animalculum CANEM esse posse. Certe ille in sacris Mithriacis cernitur, uti ostendunt marmora nuper edita. Et Epiphanius cap. 105. Ancorati non puduisse Ægyptios scribit θεοποιεῖν canem, ælurum, hircum, ovem, crocodilum, ibin, milvium, accipitrem, corvum, & serpentem; Juven. Sat. 15. canit;

Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

Apollonius apud Philostratum lib. 6. c. 9. Ægyptios ridet, quod deorum imaginibus ipsis σεμνότερον & θεοειδέστερον esset κύων, ἶβις καὶ τράγος, *canis, ibis & hircus*: Cicero lib. 5. Tusc. Quæst. eosdem scribit *quamvis carnificinam prius subituram, quam ibim, aut aspidem, aut felem, aut canem, aut crocodilum violent*: & Ælianus lib. 5. Hist. Animal. cap. 45. id ideo eos fecisse memorat, quia cum Isis Osirim (ita videtur Orum appellare, quem & mox παῖδα nominat) quæreret, canes eam juverunt, & feras depulerunt a cadavere; & quia cum canicula exoritur, tunc simul Nilus sese attollit, & in agros ascendit: additque rem eandem narrans Diodorus lib. I. διὸ καὶ τοῖς Ισείοις προπορεύεσθαι τὰς κύνας κατὰ τὴν πομπήν: *in festo Isidis pompam canes præcedere*. Verum Plutarchus lib. de Iside & Osiride suo & auctorum, quos laudavi, tempore hoc non observasse Ægyptios haud obscure testatur, scribitque antiquitus τὰς μεγίστας ἐν Αἰγύπτῳ τιμὰς canem habuisse; sed postquam Apis a Cambyse interfecti & projecti cadaver ex omnibus animalibus solus gustavit, ipsum perdidisse τὸ πρῶτος εἶναι καὶ μάλιστα τιμᾶσθαι τῶν ἑτέρων ζώων: quæ quomodo conciliari possint vix video, nisi advocare placet Ægypti nomos; quorum incolæ alia & alia animalia, uti satis clare Herodotus & post eum Sextus Empiricus lib. 3. pyrr Hypothes. docet, coluerunt. Atque ex his utique patet, mirandum nequaquam esse, si canis conspiciatur in Ægyptiorum sacris, vel addatur numinum gentis istius imaginibus; idque eo magis, quia, ut monui, idem animal in sacris Mithriacis, quæ ad Solem referuntur, conspicitur non modo, verum etiam quia comitatur Serapin & Isidem in gemma operis antiqui apud Licetum pag. 1178. & apud Diod. Sic lib. I. Isis dicitur ἐπιτεδ-

'πιτέλλειν ἐν τῷ ἄςρῳ τῷ κυνὶ; *oriri in sidere canis*: qua de loquendi forma & superstitione alibi erit agendi locus. Sed demus hoc animali, quo non fideliorem comitem, non incorruptiorem custodem, neminem vigilantiorem agnoscit Columella; ut examinemus, num vere narret Arnobius lib. 7. pag. 223. canes nullis superis fuisse immolatos: *Quod si animantium cruore honorari, & affici superorum animos existimatis, cur non eis & mulos & elephantes mactatis, & asinos? cur non & CANES, ursos, & vulpes, camelos, & belbas & leones?* Certe canem immolatum fuisse Hecatæ in Samothracia; in sacris expiatoriis apud Græcos; Romæ a Lupercis, mense Februario, qui a februando id est purgando est dictus; Genitæ Manæ, generationis præsidi deæ, & denique in lustrationibus ex Lycophrone, Plutarcho, Plinio, Livio & aliis docuerunt Bochartus Galliæ, lib. 2. de Animal. cap. 56. & Reinesius, Germaniæ clarissima post mortem etiam lumina l. 1. c. 15. Var. lect. Quibus addi potest Suidas in v. Ζηρυνθία, Ἀλλ' εἴ τις, Σαμοθράκη, & Ἰππαελικὸν; nec non Ovid. lib. 1. Fastor. v. 389.

Exta canum vidi Triviæ libare Sapæos
Et quicunque tuas accolit, Hæme, nives.

Verum cum sacra illa non tam superos quam inferos respiciant, Arnobius possit videri vera docuisse; maxime, quia Plutarchus in Quæst.Rom. scribit veteres putasse, hoc animal nullo modo purificasse, ac proinde ὀλυμπίων ὐδενὶ Θεῶν fuisse immolatum. Certe si per *deos Olympios* intelligimus deos duodecim majores, rarissime imo vel nusquam inveniemus apud Græcos & Romanos canem iis fuisse in sacrificium oblatum. Cares quidem canem immolasse Suidas ex Eunapio in v. Καρικὸν θῦμα, & Appendicis Vaticanæ Auctor Cent. 2. Prov. 26. docent; quem deum Martem arbitror fuisse, licet eum auctores isti non nominent. Canes rufæ immolabantur Romæ ad placandum caniculæ sidus, ut tradit Festus in vv. *Catularia porta* & *Rutilæ*: Colophonique τῇ Ἐνοδίᾳ, *deæ quam Enodion* vocant, μέλαιναν σκύλακα offerunt, teste Pausania lib. 3. p. 188. Et quanquam ex his locis non plane constare possit superis canem fuisse immolatum, quia caniculæ sidus iis nequaquam annumeratur, & dea ἐνόδιος nulla alia est quam Hecate; Argivos tamen apud Plutarch. in Quæst. Græcis Socrates τῇ Εἰλιονίᾳ κύνα θύειν διὰ τὴν ῥᾳςώνην τ̃ λοχείας; per quam interpretes intelligunt *Lucinam*: & Pausanias in Laconicis apud Therapnenses τῷ Ἐνυαλίῳ canem tradunt ephebos obtulisse, existimantes deorum fortissimo, θεῶν τῷ ἀλκιμωτάτῳ non posse gratiorem offerri victimam, quam e cicurum genere fortissimum. Et cum *Enyalius* a plerisque Mars esse existimetur, id quod docet etiam elegans Æneæ cap. 24. poliorc. locus; cum Mars inter deos majores XII. atque adeo inter superos (uti vel constat ex Serv. ad 11. Æn. v. 51.) numeretur; cumque ipse Arnob. lib. IV. ex Apollodoro narret *Marti ab Caribus canes, ab Scythis asinos immolari*; non videtur utique priore loco memoriæ suæ fidem advocasse. Verum Julianus etiam Orat. V. scribit eos ἐν τελεςικαῖς θυσίαις pisces, de quibus loquutus fuerat, sacrificare, ut equum Romanos, alios nonnullas feras & animalia, puta canes, Græcos pariter & Romanos, tum alios quam plurimas id genus hostias semel bisve quotannis; additque Ἀλλ' ὐκ ἐν ταῖς τιμητρίαις, ἐφ' ὧν μόνον κοινωνεῖν ἄξιον, ἢ τραπεζῶν θεοῖς: *at non in honorariis sacris, per quæ sola cum diis communes mensas habere possumus*. Plutarchus in Quæst. Romanis iterum testatur canem immundum animal judicatum, καὶ ὀλυμπίων μὲν ἐδῷ ὐδενὶ θεῶν immolatum; verum χθονίᾳ Ἑκάτῃ δεῖπνον missum εἰς τριόδυς expiandi gratia, & Lacedæmone τῷ φονικωτάτῳ θεῶν Ἐνυαλίῳ σκύλακας fuisse sacrificatos. Adeo ut dicendum sit, si vera notavit Arnobius, nulli superorum canem fuisse sacrificatum, vel Enyalium alium a Marte esse, vel Martem propter cædes & sanguinem superorum deorum numero non venisse: quod ultimum clare docet Artemid. lib. 2. cap. 35. Oneir. ubi Olympios vel Æthereos deos facit, Jovem, Junonem, Venerem, Uraniam (Græca sunt, ἢ Ἀφροδίτη ἢ ὐρανία ἄρτεμις) videturque ultimum & collocari debere post ὐρανία, ita ut celebret *Venerem Cœlestem*, Dianam, Apollinem, Ignem æthereum & Minervam: Martem autem scribit alicubi ἐν τοῖς ἐπιγείοις, *inter terrestres*, alicubi vero ἐν τοῖς χθονίοις *inter subterraneos* numerari. Observandum tamen Viros eruditos existimare tam apud Græcos quam Latinos duodecim esse deos primarios, eosdem nominari ὀλυμπίυς & ὐρανίυς, & comprehendi hoc numero etiam *Martem*, uti ex Enniano disticho patet;

Juno, Vesta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,
Mercurius, Jovis, Neptunus, Vulcanus, Apollo.

Quæ ut conciliari possint, vel dicendum est alios esse *Olympios deos*; alios majores sive *majorum gentium*, uti loquitur Lactant. lib. 1. cap. 15. sive *Consentes*, uti eos appellat Varro lib. 1. c. 1. de R. R. addens illorum imagines ad forum auratas stare; vel alios deos Olympios Græcis, alios Romanis fuisse; vel sibi non constare in his figmentis gentiles, & propter hanc rationem deum Olympiis, propter aliam eundem terrestribus adscribi vel subterraneis. Certe apud Ægyptios *Hercules* fuit unus ex diis duodecim, teste Herodoto lib. 2. c. 43. deosque duodecim ab Ægyptiis accepisse Græcos memoriæ mandat non modo c.4. verum etiam Herculi Olympio eos sacrificasse ὡς ἀθανάτῳ, & parentasse alteri, ut Heroi, cap. 43. Quin & Pana iis annumerarunt Mendesii, ut ex cap. 46. patet; ubi narrat Mendesios Pana inter octo deos numerare, eosque ante duodecim exstitisse: quod non ita capiendum est, tanquam dii octo alii forent a diis duodecim; sed prioribus octo additi sunt postea quatuor, & inter eos fuit Hercules; atque sic duodenarius numerus expletus est, quemadmodum docet idem cap. 43. Quæ ad sinistrum Harpocratis latus sedet avis, restat; sed quæ illa sit propter rostrum capitisque partem detritam (adjecit tamen ea me inscio pictor) difficulter agnoscitur. Forte est AQUILA, quam soli dicatam esse vel inde patet, quod juxta simulacrum Apollinis Hierapolitani illa collocaretur: Macr. 1. Sat. 17. *Aquilæ propter exprimunt instar volatus*; & mox: *Aquilæ propter altissimam velocitatem volatus, altitudinem solis ostendunt.* Et inde forte in Actiorum, qui Apollinem maxime colebant, nummis cernitur apud Goltzium aquila; cujus rei rationem se nescire fatetur Nonnius; atque in marmore antiquo, quod SOLI SANCTISSIMO SACRUM fecit TI. CLAUDIUS FELIX, Solis radiati προτομὴν alis expansis gerit eadem avis apud eruditionis elegantissimæ Virum Jac. Sponium in Miscellaneis Antiquæ Lectionis. Imo etiam in nummo Hadriani apud Choulium, uti ex ectypo patet, Harpocrates noster super caput aquilæ stat, alisque ejus imposita sunt Sarapidis & Isidis capita.



Quin & aquila propter magnitudinem oculorum vel acrem visum Ὀφθαλμίας dicta videtur, teste Joanne Diacono ad Hesiodi Scutum; non secus ac piscis quidam apud Plin. *oculatus*; eoque nomine non secus ac accipiter Soli potuit esse dicata. Nec is erraverit, qui CORVUM vel ACCIPITREM conspici a latere Harpocratis existimabit; quos Apollini maxime inservire tradit Porphyrius l. 3. de Abstinentia. Et certe CORVUS apud Græcos, Romanos & Ægyptios Soli adscribitur. Ælianus lib. I. c. 18. corvum *Apollinis sacram avem* & ἀκόλουθον vocat, *divinationeque præditam* fuisse scribit: & fabulabantur illum Apollinis famulum ante transformationem fuisse, ut idem lib. I. c. 47. & Aristeus Metapontinis dicebat, se quidem illo tempore Aristeum, sed τότε ὅτε εἵπετο τῷ Θεῷ, εἶναι κόραξ, *cum deum sequeretur, corvum esse*, uti tradit Herod. l. 4. c. 15. Eustathius ad Il. Δ. p. 449. Iliados, scribit cygnum Apollini ὡς ἡλίῳ propter λευκότητα dicari & corvum διὰ τὴν νυκτερινὴν μελανίαν, ἧς (ita legendum, non, ut in editione Romana scribitur εἰς) οἷα καὶ μητρὸς ἀπογεννᾶται: *propter nocturnam nigredinem, ex qua veluti ex matre nascitur*: quod ultimum etiam variis auctoritatibus firmat ad Il. A. pag. 22. Plutarchus lib. de Iside recte scribit Græcos censere columbam sacratam esse Veneri, draconem Minervæ, corvum Apollini, canem Dianæ; sed Ægyptiorum plerosque ipsa animalia deos facere, & propterea se sannis objicere. Hinc est quod in nummis & gemmis sæpe corvus cum Apolline conspiciatur; ut in nummo Faustinæ apud Patinum occurrunt ara, eique imposita corona, urceus, præfericulum, CORVUS & Inf. ΠΥΘΙΑ, in alio vulgatissimo Vitellii tripodi insistit; apte eo nomine *comes tripodum*, uti eruditis observatum, vocatus Statio lib. 3. Th.

Non comes obscurus tripodum, non fulminis ardens
Vector ades, flavæque sonas avis unca Minervæ.

In gemma apud Gorlæum 3. Apollo nudus tripodi sinistro cubito incumbens, dextra manu ramum protendit ad corvum adstantem; & quia Sol omnis fœcunditatis parens habebatur, inde puto in gemma 55. binos corvos insidere cornucopiis, & inter illos cerni papaverum capita & binas spicas: in gemma 111. tripodi, cujus a pedibus binæ itidem spicæ surgunt: in gemma 151. cerni lyram, corvum, gallum gallinaceum, & caduceum; in 152. eundem stellam tripodi impositam ore appetere & denique in gemma 172. insistere basi rotundæ, & ante illum sculptum esse cornucopiæ cum lyra. Et Ægyptios hunc honorem etiam corvo habuisse testis locuples est Ælianus lib. 7. cap. 18. de Animalibus, ubi de urbe Copto & corvis binis circa eam videri tantum solitis verba facit: Νεὼς δὲ Ἀπόλλωνι τιμᾶται ἐν τῷ χωρίῳ ἐκείνῳ, ὅπερ οὖν ἱερὸς (κόρακας) εἶναί φασιν αὐτούς: *Templum vero Apollini sacrum eo in loco colitur, cui corvos sacros esse ajunt*: eosdemque solem, & lunam, sive Osirin & Isin scarabæo, dracone, corvo & aliis animalibus expressisse scribunt Manethon & Hecatæus apud Diogenem Laertium in prooemio. Quin etiam in sacris Mithræ vel solis nonnulli initiatorum sive ὑπηρετούντων *Coraces*, fuere appellati, & Commentator vetus in Ep. ad Romanos cap. I. *Coracina sacra* paganos habuisse dicit, *quod in iis corvos vel eorum simulacra divino cultu adficerent Ægyptii*; quem tamen falli in ratione nominis sacrorum illorum arbitratur doctissimus Reinesius Epist. 69. qui dignus est ut consulatur: & in tabula, quæ Mithræ sacra descripta habet, corvus etiam conspicitur apud Camerarium: non secus ac in iis, quæ a Leonardo Augustino, & aliis editæ sunt: adeo ut non absque ratione scribat Albricus Philosophus juxta Apollinem pictum fuisse corvum nigrum desuper volitantem, & eam avem deo esse consecratam. Apollinem, cum Typhœus persequeretur deos, sese in corvum convertisse canit Ovid. lib. 5. Metam. v. 329.

Delius in corvo, proles Semeleja capro
Fele soror Phœbi, nivea Saturnia vacca,
Pisce Venus latuit, Cyllenius Ibidis alis.

quanquam Antoninus Liberalis cap. XXVIII. ἱέρακα memoret; adeo ut mirandum nequaquam sit in gemmis quas Abraxeas vocant eruditi, variis apud Chifletium, corvum cerni vel ramum lauri, ut videtur, rostro tenentem, vel illi vel cornucopiæ insistentem. Quin & Phædrus tribuit

Augurium corvo, læva cornici omina:

qua occasione facere non possum, quin emendem Theodulphi Episcopi Aurelianensis carmen, quod Analectis suis inseruit doctissimus Mabillonius

Dura satis rostro ceu pulsat pectora cornix
Jambriferos luxus, quum vorat ore procax.

nam legendum ibi *vocat*, id est sonitu suo quasi advocat & significat pluviam venturam: imitatus est Virgilium, qui I. Georg. canit,

Tum cornix plena pluviam vocat improba voce.

eodemque plane modo Ælianus lib. I. de Anim. 44. loquitur: τῶν γεράνων αἱ κλαγγαὶ καλοῦσι ὄμβρους. Et pro *luxus* præstantissimus Grævius putabat scribi oportere *lapsus*, h. e. imbrem cadentem seu labentem de cælo. Et quanquam luce meridiana clarius pateat, optimo jure corvum Apollini convenire, & eo nomine comitari Harpocratem, tamen si quis ACCIPITREM intelligere malit, nullo modo repugnabo; imo manus etiam dabo, si quis aliam avem hic cerni credere animum inducat. Porphyrius certe lib. IV. de Abstinentia, accipitrem vel ἱέρακα scribit soli gratum esse, *quia natura ejus ex sanguine & spiritu constat, quia hominem mortuum deflet, ejusque oculis, in quibus* ἡλιακὸν κατοικεῖν φῶς putarunt, *terram leviter injicit; & quia mortuus* vim habet divinatricem, & corpore solutus λογικώτατος, καὶ προγνωστικώτατος est, & τελεῖ ἀγάλματα καὶ ναοὺς κινεῖ, *& simulacra perficit, & templa movet*. Eusebius lib. 3. cap. 12. Præparationis, scribit Ægyptios accipitrem soli consecrasse, illumque esse φωτὸς δὲ καὶ πνεύματος αὐτοῖς ἱερὸν, *lucis & spiritus signum, cum quia incitatissimo motu fertur, tum quia alta, ubi lucis plurimum, volando petere solet*: &

paulo ante narrat in Apollinis urbe Lunæ symbolum esse *ἱερακοπρόσωπον ἄνθρωπον, ζιβύνῃ χειρούμενον τυφῶνα, ἱπποποτάμῳ εἰκασμένον. λευκὸν δὲ τῇ χρόᾳ τὸ ἄγαλμα*: *hominem accipitris vultu, telo conficientem Typhonem hippopotamo assimilatum, & simulacrum albi coloris esse*; additque album colorem significare lunam lumen suum aliunde sumere, & accipitris vultum, illud a sole una cum spiritu in eam derivare, *ἀφ' Ἡλίου φωτίζεσθαι καὶ πνεῦμα λαμβάνειν*: Ælianus lib. 10. c. 14. de Animal. accipitrem ab eodem populo soli consecratum scribit, quia avium solus illius radios intuetur, nec flamma ejus offenditur; & lib. 7. cap. 9. sacros accipitres Apollini, & Sacerdotes, qui eos alebant, *ἱερακοβόσκους* fuisse dictos. Horus Apollo, propter fœcunditatem & diuturnam vitam, quam nec Ælianus præterit, nec non quod defixis oculis in solis radios intueatur *εἴδωλον ἡλίου* accipitrem facit lib. 1. c. 2. additque: *ὅθεν καὶ τὸν Ἥλιον ὡς κύριον ὄντα ὁράσεως, ἔσθ' ὅτε ἱερακόμορφον ζωγραφοῦσιν*; *inde etiam fit ut solem interdum tanquam visus dominum, accipitris forma pingant*: apud quem cap. 8. libri ejusdem alia ratio potest videri. Eandemque ob causam Plutarchus lib. de Iside, vel quia *εὐτονίᾳ ὄψεως ὑπερβάλλει καὶ πτήσεως ὀξύτητι*, testatur Osirim, qui Sol existimabatur, *ἱέρακι accipitre*, vel accipitris forma pictum fuisse. Apud Chifletium quoque cernitur in gemma homo capite accipitris defædatus, *ἱερακόμορφος ἄνθρωπος*, ut loquitur Eusebius, a cruribus serpens, dextra scutum, sinistra flagellum tenens; & in alia accipitris pedes anguis voluminibus constringuntur, & a latere est tentis virilibus Anubis; quæ omnia ad solem commode referri possunt; nec video quare Kircherus, qui mysteria hæc præ aliis diligenter scrutatus est, & cum eo doctissimus Basilidis somniorum editor velit esse ibin, quam Ægyptii contra serpentum adventum invocare solebant, cum tota avis nihil cum ibi, sed multa cum accipitre communia habeat. In auctario præterea Pignorii accipiter loto arbori, circa quam serpens, ut videtur, volvitur insidet; & ab utroque ejus latere cornucopiæ cernitur, ut significarent, scilicet, solem causam fœcunditatis, & abundantiæ; quippe qui, uti Macrobius loquitur, *generat universa seminando, fovendo, producendo, alendo, augendoque*; unde etiam in tabula Aleandri .Heliaca encarpus cernitur ex frondibus, floribus, pomis, spicis, & aliis rebus contextus. Quin & Ælianus arbitratur Homerum Apollinem accipitri assimilasse, quia ille soli sacer; & Anton. Liberalis cap. 28. Metam. deum illum, cum a Typhone superi fugarentur, sese in *ἱέρακα* vel *accipitrem* convertisse; pro quo tamen *corvum* substituit Ovidius, quemadmodum vidimus. Et operæ pretium erit apponere contracta Eustathii satis prolixa verba ad Iliad. *α*. ex quibus patebit & accipitrem soli, & alia animalia aliis diis vel propter nominis, vel naturæ similitudinem consecrata fuisse a gentilium theologis. *Γλαῦκα noctuam* Minervæ sacram facit non modo quia nocte videt, sed etiam quia descendit a *γλαύσσω*, quod idem est cum *ἀθρῶ* i. e. *video*, unde Ἀθήνη nomen suum accepit, *ὡς παραθροῦσα τὰ οἷον ἐν σκότει*. *νῆσσαν anatem* Neptuno, quia ille est *ὑγρὰ οὐσία*, & *νῆσσα* deducitur *παρὰ τὸ νῶ. νήσω τὸ κολυμβῶ*: *ἱέρακα accipitrem Soli Apollini*, *διὰ τὸ ὀξὺ τῆς κινήσεως*, & quia sol est *ὀξυκίνητος*, & propter etymologiæ convenientiam, *καὶ γὰρ ἵεται ῥᾶον ὁ ἥλιος. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὁ ἱέραξ ὠνόμασται*: *φαληρὶν avem quandam marinam* Veneri, non modo *διὰ συνέμφασιν τοῦ φαλλοῦ*, verum etiam *διὰ λευκότητα τὴν ἐν σπέρματι ζωικῷ*. *Cygnum* Apollini, propter *ᾠδικὸν καὶ μαντικὸν*, & *διὰ τὸ λευκόν*, quod a *λεύσσειν* id est *βλέπειν* descendit, *ὅπερ Ἀπόλλων ἐστὶ παραίτιος*; *Αἐτὸν aquilam* Jovi vel *τῷ αἰθερίῳ ἀέρι*; *Λάρον gaviam* Mercurio; & ob similes rationes addit *Κισσὸν hederam* Baccho; *narcissum* Ἐριννύσι: *πεύκην piceam* Vulcano; *τρίγλαν mullum* Dianæ; eidemque vel Hecatæ *μαινίδα*, piscem ita dictum; *κίθαρον* vel *κιθάραν* itidem piscem Apollini; *Βόακα* Mercurio; *Ἀφύην* vel *ἀφρίτην* Veneri; *λύκον* Apollini; *λαγωὸν* Amoribus; draconem Minervæ sacrari quarum rerum rationes ab eo peti possunt. Observandum insuper diligenter imagunculæ nostræ sinistrum latus tegi veste, quæ ex humeris linteolo, ut videtur, alligata dependet; quia hoc fortasse ratione sua non caret. Nam & in una aut altera Harpocratis imagine apud Sponium Virum clarissimum, in Osiridis, quam explicavi, apud Pignorium, & aliis idem fere observatum video; forte ut indicarent solem hemisphærium nostrum luce sua clarum reddere, obscurum vero, quando sese condit. Hinc elegantissime Orpheo apud Schol. Hesiodi ad Theog. dicitur, *dexter generator diei, sinister vero noctis*, hoc versu

Δέξιε μὲν γενέτωρ ἠοῦς, εὐώνυμε νυκτός.

Unde & Ægyptii, teste Macrob. 1. sat. c. 19. *ipsius solis simulacra pinnata fingebant; quibus color apud illos non unus est: alterum enim cærula specie, alterum clara fingunt, ex his clarum superum & cæruleum inferum vocant. Inferi autem nomen soli datur, cum in inferiore hemisphærio, id est, hyemalis signis cursum suum peragit; superi, cum partem Zodiaci ambit æstivam*. Et vel ob hanc annuam, vel ob aliam diurnam rationem Harpocrates forte in gemma superiorem corporis partem nudus plane, inferiorem vero tectus est: adeo ut vel hoc nomine recte objecerit gentilibus Arnob. lib. 3. *eos effinxisse alios deos senes, juvenes*, PUEROS, *aquilos, cæsios, ravos*, SEMINUDOS, *intectos*. Et Porphyrius apud Eusebium l. 3. c. XI. præparat. scribit in Plutone vel Sarapide, solis sub terram subeuntis symbolum esse *πορφυροῦν χιτῶνα*: & Hecaten *λευχείμονα, χρυσοσάνδαλον* & *λάμπαδας* accensas significare *novilunium*; adeo ut pateat vestes nonnunquam alicujus rei symbolum fuisse: quod etiam constat ex Plutarcho, qui in lib. de Iside scribit *ἀμπεχόνῃ φλογοειδεῖ* imagines Osiridis Ægyptios velasse, qui existimabant solem esse *σῶμα τῆς τἀγαθοῦ δυνάμεος ὡς ὁρατὸν οὐσίας νοητῆς*: & mox narrat eosdem *τοῖς μελανοστόλοις*, *nigris vestibus* Isidem vel Lunam velare, ut *τὰς κρύψεις καὶ τοὺς περισκιασμούς, ἐν οἷς διώκει ποθοῦσα τὸν ἥλιον*, *occultationes & obumbrationes, quibus desiderans sectatur solem*, significarent: Iterum eodem libro prope finem scribit, stolas Isidis *ποικίλας* esse *ταῖς βαφαῖς*, quia vis ejus versatur circa materiam *πάντα γινομένην καὶ πάντα δεχομένην*, lucem, tenebras, diem, noctem, aquam, vitam, mortem, principium, finem; vestimentum Osiridis autem *οὐκ ἔχειν σκιάν, οὐδὲ ποικιλμὸν, ἀλλὰ ἓν ἁπλοῦν τὸ φωτοειδὲς* *non habere umbram, non variegationem, sed totum esse luminosum plane*; quia principium temperamenti est exsors, & quod primum est, atque sola mente cernitur, id mixtione vacat. Prudentius l. 1. contra Symmachum v. 365. Proserpinam vel Dianam describens:

Nunc bigas frenare boves, nunc sæva sororum
Agmina vipereo superis immittere flagro:
Nunc etiam volucres caprearum in terga sagittas
Spargere, terque suas eadem variare figuras.
Denique cum Luna est, SUBLUSTRI splendet AMICTU;

Cum succincta jacit calamos, Latonia virgo est.

Et ita versicolorem, ut sic loquar, Isidem nobis describit Apul. lib. XI. *multicolor, bysso tenui pertexta; nunc albo candore lucida, nunc croceo flore lutea, nunc roseo rubore flammida: & quæ longe lateque etiam meum confutabat obtutum, palla nigerrima, splendescens atro nitore: quæ circumcirca remeans, & sub dextrum latus ad humerum lævum recurrens, umbonis vice, dejecta parte laciniæ, multiplici contabulatione dependula, ad ultimas oras nodulis fimbriarum decoriter confluctuabat*: mundique simulacrum humana specie formatum habuit ἄνωθεν μεχρὶ τῶν ποδῶν ἱμάτιον περιβεβλημένον, teste Euseb. l. 3. cap. XI. quæ omnia certe suadent non absque rationibus hæc facta esse a gentilibus. His uti puto satis diligenter explicatis, reliquum est ut doceam, cur solem instar pueri vel infantis expresserint nonnunquam, cum Apollo cæteroquin ut juvenis pingeretur; num alii dii etiam varia ætatum forma fuerint culti; quid causæ potuerit esse, ut omnes deos deasque ad Solem & Lunam retulerint; & denique cui usui inservierit parvula hæc Harpocratis imago. Sol igitur vel Apollo ut juvenis & intonsus a Græcis colebatur atque Romanis; senex vero & barbatus ab Hierapolitanis, qui illos hoc nomine reprehendebant, ut testis est Lucianus in libro, quem de dea Syria conscripsit. Statuam illam elegantissime describit Macrobius I. Sat. 17. *Hierapolitani præterea, qui sunt gentis Assyriorum omnes solis effectus atque virtutes ad simulacri barbati speciem referunt, eundemque Apollinem appellant. Hujus facies prolixa in acutum barba figurata est, eminente supra caput calatho*. Imo ut puer, ut juvenis & senex describitur Martiano Capellæ lib. 1. *Facie autem mox ut ingressus est* PUERI RENIDENTIS, *incessu medio* JUVENIS *anheli, in fine* SENIS *apparebat occidui, licet duodecim nonnullis formas convertere crederetur*: quo figmento videntur tempus matutinum, meridiem & vesperam designare, quibus solis vis & potestas valde mutatur; quod & accidere singulis horis illi forte volebant, qui in formas duodecim converti eum censuerunt; nisi potius duodecim Zodiaci signa sint intelligenda; quia ætates, quas quatuor facit, ad anni tempora refert Macrobius lib. 1. cap. 18. Nam postquam docuisset Liberi Patris simulacra partim puerili ætate, partim juvenili, præterea barbata specie senilique ore effictum fuisse, addit: *Hæ autem ætatum diversitates ad solem referuntur, ut parvulus videatur hyemali solstitio, qualem Ægyptii proferunt ex adyto die certa, quod tunc brevissimo die veluti parvus & infans videatur: exinde autem procedentibus augmentis æquinoctio vernali similiter atque adolescentis adipiscitur vires, figuraque juvenis ornatur; postea statuitur ejus ætas plenissima effigie barbæ solstitio æstivo, quo tempore summum sui consequitur augmentum. Exinde per diminutiones dierum velut senescenti quarta forma deus figuratur*. Sane si Plutarchi librum, quem de Iside & Osiride conscripsit, evolvo, si nummos, & gemmas inspicio, & aliorum auctorum verba perpendo, hic PUER, vel PARVUS INFANS, nullus alius quam Harpocrates esse potest, quem vel loto insidentem, vel aliis symbolis ornatum ad solem utique referri satis multis puto me probasse: & forte ille digito os premit, quia solem orientem manu ori admota adorabant & salutabant veteres. Lucianus libro de Saltatione: Καὶ Ἰνδοὶ, ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναστάντες προσεύχωνται τὸν Ἥλιον, οὐχ, ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχὴν: *Indi posteaquam mane e strato surrexerint solem precibus venerati fuerunt, non quemadmodum nos deosculata manu perfectam precationem esse arbitramur, verum illi ad Orientem conversi saltatione solem consalutant, sese componentes σὺν σιωπῇ, & imitantes dei choream*: quanquam non diffitear Græcorum adorationem non modo ad orientem, verum etiam ad ortum & occidentem, vel quocunque tempore eum venerabantur, referri posse. Quicquid sit, Isidorus lib 8 cap. 2. Origin. testatur etiam, *solem ut* PUERUM *pictum esse, eo quod quotidie oriatur & nova luce nascatur*; Albricus Philosophus narrat Apollinem vel solem pictum esse in specie impuberis juvenis, *nunc facie puerili, nunc juvenili semper imberbis*, nunc autem in cana diversitate apparentis, licet raro tali facie esset formatus; & Æternitas in marmore apud perillustrem Spanhemium in eruditissimis ad Juliani Cæsares notis una manu gerit solem puerum, altera vero lunam parili ætate præditam. Bacchum præterea vel Liberum patrem ut puerum, ut juvenem, barbata specie & senili effictum fuisse; *uti simulacra ejus, quem Græci Bassarea, item quem Brisea appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes*, testis est Macrobius lib. 1. c. 18. Pausaniæ lib. 5. celebratur Διόνυσος ἐν ἄντρῳ κατακείμενος γένεια ἔχων καὶ ἔκπωμα χρυσοῦν; *Bacchus barbatus in antro jacens, & auream tenens pateram*: talemque eum in Naxiorum nummis cerni plane apud illustres Antiquarios, frustraque Ludovicum Nonnium putare incertum esse, an ad Herculem ebrium illi referri possint, recte existimat L. Begerus, edito Thesauro Palatino clarus. Bacchum barbatum ex ejusdem populi nummo exhibet Spanhemius ad Julianum: idemque occurrit in Thebanorum, & Thasiorum nummis apud Goltzium, in gemma antiqua apud Ant. Pisonem; & multo clarius in gemma 22. Thesauri Palatini, in qua Bacchus barbatus & senex uvam tenens, cantharo vel vasi innixus, comitem habet pantheram: jamque beneficio viri maximi P. Danielis Huetii eruditus orbis cognoscit Ausonii *myobarbum Liberi Patris*; quod fuit simulacrum Bacchi prolixa barba & acuta insigne. Ulpianus ad Demosthenem, uti observavit Meursius, Græcarum Antiquitatum promuscondus ita effictum fuisse Bacchum scribit, quia omnis ætas, puerilis, juvenilis, & senilis illi choreas agit: Diodorus Siculus lib. 2. quia bini fuerunt Bacchi, alter antiquus, alter recentior; & illum barbatum occurrere arbitratur, διὰ τὸ τοὺς ἀρχαίους πάντας πωγονοτροφεῖν, *quia prisci omnes barbas alebant*, τὸν δὲ νεώτερον ὡραῖον καὶ τρυφερὸν καὶ νέον, *juniorem vero pulchrum, delicatum* & juvenem; Tzetzes vero ad Lycophronis Cassandram a vino causam petit: ὅτι ὁ οἶνος ἐντείνει τὰ μόρια, ὅθεν τὸν Διόνυσον καὶ νέον καὶ γέροντα γράφουσι, πρὸς τὴν πόσιν τοῦ οἴνου τὴν μετρίαν καὶ ἄμετρον. Eandem ætatis diversitatem in Æsculapio observare licet; quippe qui, licet in nummis, marmoribus, auctoribus Græcis & Latinis barbatus ac senex occurrat, interdum tamen puer atque juvenis est. Callistratus apud Dion. Petavium in notis ad Synesium comam prolixam Æsculapii eleganter describit, eumque *puerum* vocat, & perpetuam ipsi, atque ἀνώλεθρον ἀκμὴν tribuit: Orpheus in hymnis αὐξιθαλῆ κόρον eundem appellat: exstatque elegans Æsculapii pueri effigies apud Laurentium Pignorium in Symbol. Epist. qui tamen eum ita effictum putat, quia Dionysius tyrannus Epidauri Æsculapio auream barbam adimi jussit, præfatus, patrem Apollinem imberbem esse, teste Maximo Valerio.

Sed hæc ſententia mihi probare ſe non poteſt; cum effigies non virum imberbem, quales fuit Æſculapius poſt Dionyſii ſacrilegium, ſed puerum plane repræſentet.



Nicomedes Medicus apud Octavium Falconerium, virum certe harum rerum peritiſſimum, Servatori Æſculapio Σῶςρα perſolvit illique dedicat *τοῦ παιδὸς καλλίςαν εἰκὸ τανδὲ θεοῖο, pulcherrimam hanc imaginem pueri dei Pæanis*. Ubi cum alio viro pererudito non arbitror intelligi debere *Apollinem*, qui *Pæan* ſæpiſſime vocatur; ſed *Æſculapium*, qui in alia ejuſdem baſis inſcriptione vocatur *παιῶ Ασκλήπιος*: & quia idem Nicomedes dicitur Regi Æſculapio ſtatuam conſecrare, factam a Seioboetho ſtatuario, *qualem eum recens natum ex filia Phlegyæ & Apolline obſtetricatæ fuerant Ilithyæ*: quæ certe deum illum ut infantulum docent effictum & cultum fuiſſe. Pauſanias lib. 8. celebrat *Ασκληπιῦ παιδὸς ἱερὸν*, *Æſculapii pueri fanum* ad Ladonem Arcadiæ fluvium: idem lib. eod. apud Megapolitanos ſcribit *Ασκληπιῦ παιδὸς ἱερὸν*, cujus ſimulacrum *ὀρθὸν πεποίηται πηχαῖον μάλιςα*, *rectum ſtabat ad ſummum cubiti magnitudine*: & lib. 2. apud Corinthios Æſculapii ædem, & in ea *ἄγαλμα ὐκ ἔχον πωγῶνα*, *non habens barbam ſimulacrum*: ubi non tam puer quam juvenis Æſculapius intelligendus videtur eſſe, qui ſtatura juſta ſed imberbis colebatur: qualem puto, me obſervaſſe in gemma 4. Tab. B. apud Anton. Piſonem; nec non in nummo M. Aurelii, ut eruditis viris obſervatum eſt. Atque hinc patet verum plane non eſſe, quod canit Auctor Priapejorum carm. 36.

Intonſa ſemper Æſculapio barba

Nam *mitis* ille vel *ἤπιος* deus, etiam puerili & juvenili forma cultus, Græciſque *Ασκλήπιος*, Latinis *Æſculapius* dictus fuit. Unde non ſatis cauſæ video, cur Sertorius Urſatus in monumentis Patavinis, ad Inſcriptionem quæ ſequitur, annotaverit, τὸ ASCLEPIUS nonnullos facere Æſculapii cognomen; ſed hunc ex Apolline & Coronide, Phlegyæ filia natum, eumque ab inferis rediiſſe, & auctorem medicinæ clinicæ fuiſſe teſte Hygino Fab. 202. & 251.

P. MARIO. NI
GRO. CORVI
NA. NI. CON
VIX. AN. LXII
MIL. AN. XXV.
III AESCULA
PIO
ASCLEPIO
DOTI

Eos certe adhuc quæro, qui Æſculapium dixerunt cognominatum fuiſſe *Aſclepium*; deinde Hyginus Græcos imitatus, quod & in aliis propriis nominibus facit, *Æſculapium*, qui iiſdem parentibus ortus fingitur, appellat *Aſclepium*, quomodo & idem in tribus inſcriptionibus apud Gruterum, Lactantio cap. 33. de Mort. perſecutorum, & aliis vocatur, & nullus in hoc marmore *Aſclepius* occurrit, verum *Aſclepiodotus*; quod nomen etiam exſtat apud Gruterum Inſ. 1. p. DCCXV. Apud Tzetzem apud Lycophronem pag. 165. legimus deum hunc initio Ἠπιον eſſe dictum διὰ τὸ πρᾶον καὶ ἥσυχον; ſed cum ſanaſſet Α'υνλω τὸν ἐπὶ Δαύνυ τύραννον ὀφθαλμιῶντα appellatum fuiſſe Α'σκλήπιον: quod non monerem, quia plane ἀπροσδιόνυσον eſt, niſi in mendo cubaret Scholiaſtes, ſcribendumque foret τὸν Επιδαύρυ, uti clare legitur apud Auct. M. Etymologici in v. Α'σκελές. Sequentibus ſæculis Latini eum *Scolapium*, more loquendi tunc familiari vocarunt: Acta vel Paſſio Philippi Epiſcopi apud Mabillonium virum raræ eruditionis Tom. IV. Analectorum: *Hic* (ignis) *Hercules, incenſos fieri deos putans, in amorem expetendæ mortis impegit, qui infelix in ygiæ monte combuſtus eſt: & Scolapium medicum in monte Cynoſuridos fulminatum conſecrationem mereri a gentibus fecit*: ubi primo Grammaticæ regula exigit, ut ſcribatur, *Herculem & putantem*: deinde pro *ygiæ*, *œtæ*; in quo monte Herculem certe flammis abſumptum eſſe conſtat; & tandem *Cynoſuridos*, uti hunc montem vocat Clemens Alex. ὅπος μοὶ ὂν κεῖται κεραυνωθεὶς ἐν τοῖς Κυνοσυρίδος ὁρίοις. niſi hæc donanda potius ſæculi iſtius genio ſint. Mercurius præterea qui ut puer, ut juvenis imberbis cultus fuit fere ſemper, ſenex plane eſt in ære apud Laurentium Pignorium in annotationibus ad imagines deorum Vincentii Cartari. Nam quamvis vir doctiſſimus eum Herculem eſſe putet in habitu Mercurii, mihi tamen propter caduceum, propter palmam, propter talaria videtur potius Mercurius ſenex eſſe, & quidem PACIFER, quomodo vocatur in nummis Poſthumi: (in quorum uno, quod notandum diligenter, clavam videtur tenere) & Ovidio lib. 14. Metam.

Pacifer huic dederat florem Cyllenius album.

In aliis quidem numiſmatis HERCULES PACIFER & DIANA PACIFERA occurrunt, eodemque cognomine idem ornatur in Inſc. 4. p. MXIII. nec non in alia apud Sponium Virum doctiſſimum ſect. 2. Miſcell. Art. VIII. niſi potius vulgata ibi ſcriptura retinenda ſit.

HERCULI SANCTISSIMO
PLACIFERO SACRUM.

quia apud eundem p. 86. *Apollo placifer* & p. 102. *Genio placifero*, occurrunt; & a *placidus* deſcendat; quod inter epitheta Herculis ipſius occurrit: ſed ipſa tamen ſtatua docebit, opinor, conjecturam meam non plane rejiciendam eſſe; idque eo magis, quia Pauſanias lib. 6. Pharis, Achajæ oppidum eſt, teſtatur fuiſſe Mercurium ἔχοντα γένεια.



Reverendum illud Ægyptiorum numen Sarapis in nummis interdum barbatus & ſenex, interdum juvenis atque imberbis conſpicitur: quod forte factum, quia ille erat vetuſtiſſimus Ægyptiorum, alter, advena, adventitius, atque ex ponto ac Sinopenſium urbe Ptolomæo vel Lagi filio, vel Philadelpho vel Evergete procurante, advectus deus, qui, teſte Tacito lib.4. Hiſt. cap.83. Regi per quietem oblatus, *decore eximio & majore quam humana ſpecie* JUVENIS *eum monuit, ut fidiſſimis amicorum in Pontum miſſis effigiem ſuam acciret*. Si tamen quis eſt qui hanc conjecturam exiſtimet admittendam non eſſe; ego facile illis aſſentiar, qui judicabunt Serapin modo ut *juvenem*, modo ut *ſenem* effingi, quia Sol etiam exiſtimabatur eſſe, vel quia parum ſibi Gentiles in effingendis numinibus ſuis conſtabant. Sed hac occaſione examinare placet num Patrum plerique recte cenſuerint Joſephum ſub Sarapidis forma cultum fuiſſe: quo nomine a nonnullis culpantur, quia Serapidis cultus Ptolomæorum primo temporibus in Ægyptum vel Alexandriam fuit introductus. Neque tamen docere, uti rem certiſſimam, conabor, Patriarcham ſub Serapidis forma cultum eſſe, ſed advectum ex Ponto deum illi opinioni nequaquam obſtare. Ille igitur ab uno Ptolomæorum Regum accitus eſt; & Tacitus memorat *Ptolomæum, qui Macedonum primus Ægypti opes firmavit*, id eſt Lagi filium: alii apud eundem, *Ptolomæum, quem tertia ætas tulit*, id eſt, Euergetem: Philadelpho, qui Regum ſecundus fuit id adſcribit Clemens Alexandrinus in Protreptico: *Soterem* vero narrat nobis Plutarchus libro de Iſide & Oſiride, & de Solertia Animalium: qui tamen a Ptolomæo I. id quod video facere eruditos, hac in hiſtoria diſtinguendus nequaquam eſt. Nam illum *Soterem* fuiſſe cognominatum clare præter Suidam in v. Δημήτριος, Porphyrium apud Euſebium in fragmento de Ptolomæis teſtatur Scholiaſtes Theocriti ad Idyll. 15. Rhodios ipſi hoc cognomen dediſſe docet Pauſanias in Atticis: Καὶ γὰρ φιλομήτορα καλοῦσι καὶ φιλάδελφον ἕτερον, τὸν δὲ τοῦ Λάγου σωτῆρα, παραδόντων Ῥοδίων τὸ ὄνομα: ſed Stephanus altius hanc rem repetit & Ptolomæum *Soterem* appellatum ſcribit, quia Alexandrum ab Oxydracarum gente incolumem ſervaverat: ὀξυδράκαι, ἔθνος Ἰνδικὸν, ὑφ᾽ ὧν σώσας Ἀλέξανδρον πτολεμαῖος, σωτὴρ ἐκλήθη. Ante advectum ex Ponto Serapin, alius in Ægypto eodem nomine deus colebatur. Pauſan. l. 1. ſcribit Athenienſes Serapidis cultum a Ptolomæo accepiſſe, & templum ejus ἐπιφανέστατον eſſe Alexandrinis, ἀρχαιότατον δὲ ἐν Μέμφει: unde absque dubio ſequitur, ante Ptolomæum Lagi F. ſi is, ut plerique tradunt, Sinopenſem deum advehi curavit, Sarapin in Ægypto cultum fuiſſe. Quin & Clemens Alexandrinus in Protreptico, atque ante eum Tacitus lib. 4. Hiſt. cap.84. teſtatur advenæ Serapidi templum exſtructum in loco, cui nomen Rhacotis, ubi *fuerat ſacellum Serapidi atque Iſidi antiquitus ſacratum*. Quid quod Sinopenſes eum non Serapin, ſed *Jovem ditem*, teſte Tacito, vocarunt? *Timotheus quæſitis qui in Pontum meaſſent, cognoſcit urbem illic Sinopen, nec procul templum vetere inter accolas fama Jovis Ditis*: atque cum eum viderunt, Timotheus ἐξηγητὴς (*antiſtitem cæremoniarum* vocat Tacitus, & *non ignobilem Theologorum virum* Arnobius) & Manetho Sebennita a cerbero & dracone conjecerunt Plutonis eſſe ſimulacrum, Ptolomæoque perſuaſerunt non alium illum quam Serapin eſſe; οὐ γὰρ, addit Plutarchus lib. de Iſide, ἐκεῖθεν οὕτως ὀνομαζόμενος ἧκεν, ἀλλ᾽ εἰς Ἀλεξάνδρειαν κομισθεὶς τὸ παρ᾽ Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ πλούτωνος ἐκτήσατο τὸ Σάραπιν: *Non enim nomen illud gerens eo venerat, ſed deportatus Alexandriam Serapidis nomen, quo Ægyptii Plutonem afficiunt, adquiſivit*. Certe Plutonem eundem cum Sarapi eſſe docet ex Porphyrio Euſebius lib. 4. Præpar. cap. ultimo, & Serapin in marmore, quod ad me miſit Fabrettus, cerberus comitatur, atque ita fere in eodem repræſentatur, uti Pluto deſcribitur lib. 2. cap. 11. Præparationis. Et hinc clarum utique eſſe puto Sinopenſium deum, quem Σινωπίτην Δία vocat Dionyſius in periegeſi & ad eum Euſtathius, nomen mutaſſe poſtquam in Ægyptum fuit advectus; non ſatis caute Macrobium 1. Sat. 7 affirmare, Ægyptios poſt Alexandri Macedonis occaſum tyrannide Ptolomæorum coactos eſſe Saturnum & ipſum Serapin in cultum recipere Alexandrinorum more, apud quos præcipue colebantur; illos anachroniſmum committere auctores (inter quos Epiphanius etiam cap. 106. Ancorati; qui & Serapin ſive Apin facit Sinopenſium regem uti video etiam obſervare illuſtrem Scaligerum ad Euſeb. Num. MDCCXXV.) qui affirmant Sinopenſium numen *Sarapin* vocatum fuiſſe, antequam aſportaretur in Ægyptum: & tandem non recte patres, narrantes Joſephum ſub forma Serapidis cultum eſſe, argui; quia ex urbe Sinopenſium diu poſt fuit advecta illa religio; cum ante Ptolomæorum tempora cognitum in Ægypto Sarapidis nomen, ejuſque cultus celebris fuerit; qui tamen quo tempore ceperit, numque gens vanis ſuperſtitionibus dedita ita coluerit Joſephum, aliis diſpiciendum relinquo: & præcipue Erudi-

tissimo Viro Joanni Spencero, cui gaudeo rationes meas probatas esse lib. 3. cap. 9. Dissert. 5. Nec, ut pergam, ab hac ætatum diversitate immunis fuit Jupiter ille Optimus Maximus. In lapide vetusto apud Gruterum pag. LXXVII. celebratur FORTUNA JOVIS PUERI PRIMIGENIA. & in alio legitur, FORTUNÆ. PRIMIGENIÆ. JOVI. PUERO. EX. TESTAMENTO: Juvenali *Jupiter nondum barbatus* Satyra sexta; talisque cultus fuit in Campania, teste Servio ad lib. 7. Æn. *Circa hunc tractum Campaniæ colebatur* PUER JUPITER, *qui Anxurus dicebatur quasi* ἄνευ ξυρᾶς, *id est, sine novacula; quia barbam nondum rasisset:* Scholiastes Cruquii & Acro ad Horat. lib. 1. Sat. 5. *imberbem* vocant: & in nummo Gentis Vibiæ apud Ursinum Fulvium cernitur juvenis radiatus, ut videtur, in sella sedens & hastam tenens cum Inf. JOVIS. AXUR. C. VIBIUS. C. F. C. N. Atque ut nihil dicam de JOVE CRESCENTE qui in nummo Salonini Valeriani cernitur vel de *Vejove*, quem *parvum, non magnum & juvenem Jovem* interpretantur Ovidius & Festus. Pauf. lib. 5. scribit ἄγαλμα esse Διὸς μικρὸν, τὴν ἑτέραν τῶν χειρῶν προτεῖνον, *parvum Jovis simulacrum, alteram manum extendens*; & ab ea statua progredienti occurrere ἄγαλμα Διὸς οὐκ ἔχον γένεια οὐδὲ αὐτὸ, *signum Jovis, quod & ipsum non habebat barbam*; in nummis quoque Trœzeniorum ΣΔΕΥΣ (ita antique pro ΖΕΥΣ scribitur) Ἐλευθέριος imberbis & plane juvenis occurrit; nec video quid causæ sit, cur Ludovicus Nonnius eum invita inscriptione Apollinem faciat, cum præter Pausaniam etiam testetur Auctor M. Etym. a Græcis Jovem ita cultum fuisse: οἱ δὲ, ait, νῆσον φασὶν εἶναι τὴν Δίκτην· καὶ ὄνομα ἀπὸ τῶν ἁλιευτικῶν δικτύων· ἐνταῦθα δὲ Διὸς ἄγαλμα ἀγένειον ἵσατο: *Alii Dicten insulam dicunt esse & nomen habere a piscatoriis retibus: ibi Jovis imberbe simulacrum sacratum est.* Jam tempus tandem esset docere gentiles omnes deos deasque suas ad Solem & Lunam retulisse; sed antequam illi rei me accingam, conabor tradere, cui usui imaguncula nostra potuerit inserviisse. Publice cultam ut credam vetat exiguitas; quanquam parva simulacra aliis diis consecrata sint, uti ex sequentibus patebit: suspicabarque nonnunquam vel Laribus sive diis domesticis annumeratum esse breve hoc signum, vel quempiam religionis ergo & instar amuleti (cui inserviisse Harpocratis imaginem inscriptio vetus, quam postea explico, Græca docet) illud secum portasse. Et primo quidem constat parvis minutisque simulacris, gentiles honores divinos habuisse; Nero, Suetonio teste cap. 56. *icunculam puellarem cum quasi remedium insidiarum a plebejo quodam & ignoto muneri accepisset, detecta confestim conjuratione pro summo numine, trinisque in die sacrificiis colere perseveravit: volebatque videri monitione ejus futura prænoscere:* Hadrianus apud eundem in Aug. cap. 7. puerilem imagunculam æream veterem, ferreis ac pæne exolescentibus litteris hoc nomine (Thurini) inscriptam, inter cubiculares coluit. *Sigillaria & Sigilliola* ea vocare possis; a quibus & locus Romæ *Sigillaria* nomen accepit, licet non modo imagunculæ, verum & aliæ res ibi venderentur. Neque tamen eo sensu voces eas usurpavit Arnob. lib. 6. *Et abstinetis a risu cum pro diis immortalibus* SIGILLIOLIS *hominum & formis supplicatis humanis. Quinimo deos esse* SIGILLARIA *ipsa censetis, nec præter hæc quicquam vim creditis habere divinam.* Nam si parvas tantum statuas designari putamus, jam majores excluderentur, iisque talem vim non attribuissent gentiles; quod a ratione alienum est plane: deinde postea tradit Phidiam super Olympii Jovis digito inscripsisse *pantarces pulcher*: quo nomine fuerat amatus a se puer, & obscœna cupiditate dilectus: additque; *usque adeo ludus est, & puerilis affectio* SIGILLARIA *ista formare, adorare pro diis ea, sanctitatibus accumulare divinis; cum ipsos videamus artifices in effingendis his ludere, & libidinum propriarum monumenta sancire.* Neque aliter voce hac utitur Tertull. cap. 12. de Oratione: *Immo contra, scripturam fecerit, si quis in cathedra aut subsellio sederit. Porro cum perinde faciant Nationes, adoratis* SIGILLARIBUS *suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.* Quæ certa loca nequaquam de imagunculis parvis, multo minus de annulis cum Liceto explicanda sunt. Et vel a parvis vel ab utrisque statuis faciendis nomen proculdubio accepit FABER FLATURARIUS SIGILLARIARIUS, cujus mentio in Inf. 89. Classis XI. Reinesii. Sed ut pergam, Ammianus Marcellinus narrat Asclepiadem Philosophum *Deæ Cælestis argenteum breve figmentum, quocumque ibat, secum solitum efferre*: Apulejus in Apologia scribit morem se *sibi habere, quoquo eat, simulacrum alicujus dei inter libellos conditum gestare, eique diebus festis thure & mero aliquando victimis supplicare.* Et mox illud fuisse *Mercuriolum* docet, eumque eleganter ita describit: *En vide quam facies ejus decora & succi plena sit, quam hilaris dei vultus, ut decenter utrinque lanugo malis deserpat, ut in capite crispatus capillus sub imo pilei umbraculo appareat, quam lepide super tempora pares pinnulæ eminent, quam autem festive circa humeros vestis substricta sit*: quæ ideo in medium adduxi, ut pateat non satis caute doctissimum gemmarum Abraxearum interpretem hæc verba de gemma cælata interpretari: Sulla imaginem Apollinis secum tulit: Plutarchus in ejus vita: Λέγεται δὲ ἔχων τι χρυσοῦν Ἀπόλλωνος ἀγαλμάτιον ἐκ Δελφῶν, ἀεὶ μὲν αὐτὸ κατὰ τὰς μάχας περιφέρειν ἐν τῷ κόλπῳ, ἀλλὰ καὶ τότε τοῦτο καταφιλεῖν, *Dicitur signum habuisse Apollinis aureum ex Delphis, illud semper quidem eum in præliis circumtulisse in sinu, tunc vero etiam osculatum esse, & dixisse; Pythie Apollo, an Felicem Sullam Cornelium, quem tot certaminibus splendidum & inclytum reddidisti, hic projicias adductum ad patriæ fores?* Alexander Magnus si non apud se, ut Sulla, attamen secum habuisse fingitur a Statio Herculis signum, cujus mensura intra pedem stabat lib. 4. Sylvarum carmine 6.

> —— *Pellæus habebat*
> *Regnator lætis numen venerabile mensis,*
> *Et comitem occasus secum portabat & ortus:*
> *Prensabatque libens, modo qua diademata dextra*
> *Abstulerat, dederatque & magnas verterat urbes,*
> *Semper ab hoc animos in crastina bella petebat:*

& tandem Alexandri Magni, inter deos relati, effigies portabatur a familia Marcianorum, *quia dicuntur juvari in omni actu suo, qui Alexandrum expressum vel auro gestitant vel argento*, uti loquitur Trebellius Pollio in XXX. tyrannis: quo pertinet S. Chrysostomum Homil. 21. notare nonnullos salutis causa, νομίσματα χαλκᾶ Alex. Macedonis vel capitibus vel pedibus circumligasse; uti ex eo observat Tristanus T. 3. pag. 70. Sed restat tandem scena, ut sic loquar, ultima; & ut probatum est imagunculam nostram Solis symbolum esse; ita idem etiam de aliis docendum est numinibus. Nam ad idem omnes suos deos, & deas ad Lunam referebant, orta præcipue salutari Christi Domini Deique nostri doctrina, gentiles; quia

eos pudebat numerosæ deorum gentis, & cum a natura ipsa, tum a Christianis convincebantur, non nisi unum Deum Opificem Ædificatoremque & Conservatorem mundi esse posse. Eusebius lib. 3. Præparationis cap. 13. scribit, gentiles Solem existimasse esse *Apollinem*, *Herculem*, *Bacchum*, *Æsculapium*: *Lunam Dianam*, *Palladem*, *Hecatem*; notatque homines effugientes turpes numinum suorum fabulas, ὥσπερ διὰ μηχανῆς εἰς Ἥλιον καὶ Σελήνην καὶ τὰ λοιπὰ τοῦ κόσμου μέρη ἀνατρέχειν. *Harpocratem*, *Orum*, *Osirin*, *Martem*, *Apollinem*, *Herculem*, *Mercurium* & *Æsculapium* eundem cum Sole esse satis multis puto me probasse; id quod nunc de aliis etiam breviter docendum est. JOVEM igitur *Solem* esse ex iis quæ disputat Macrobius lib. 1. cap. 23. Saturn. patet: inter Catalecta Pithæi quæ exstat, laus Solis idem evincit.

Sol facies mundi, cælique volubile templum,
Sol Liber, Sol alma Ceres, Sol Juppiter ipse.

non secus ac Callimachi cujusdam vel ex Callimacho, a nescio quo versum carmen imagini Jovis inscriptum, quo *Jovi complicitæ alæ* tribuuntur, quodque totum adscriberem, nisi recte censerent eruditi illud dubiæ esse vetustatis. Eustathius ad Hom. Il. α. pag. 22. Apollinem facit, μερικὸν Δία, quia multa cum Jove facit simul: & ad od. M. pag. 1726. scribit Jovem nonnunquam esse ταυτιζόμενον τῷ Ἡλίῳ apud poetam, ut cum illi alatum currum tribuit: Orpheus apud Schol. Hesiodi, Solem vocat Titanem, Hyperionem, Pæana & Jovem,

Τιτὰν χρυσαυγὴς ὑπερίων, οὐράνιον φῶς
Δέξιε μὲν γενέτωρ ἠοῦς, εὐώνυμε νυκτὸς
Φώσφορε, αἰολόδεκτε, φερέσβιε: κάρπιμε παιὰν,
Ἀειθαλὲς, ἀμίαντε, χρόνου πάτερ: ἀθάνατε Ζεῦ.

& quidem Ζῆνα vel *Jovem*, διὰ τὸ ζωῆς εἶναι αἴτιον, τουτέστι τῆς πρὸς ζωήν: Plutarchus in Quæstionibus Rom. causam indagans cur annum Jovi existiment sacrum esse, menses Junoni; inter cetera addit, αὐτὸν ἐν ὕλῃ Δία, τὸν ἥλιον, καὶ αὐτὴν τὴν Ἥραν ἐν ὕλῃ τὴν σελήνην *solem ipsum in materia esse Jovem, & Lunam ipsam in materia Junonem*: & inde forte est, quod observat Festus diem dictum esse *ab Jove ejus rectore, qui Græce Δία appellatur*: ac tandem Orpheus apud Apulejum lib. de Mundo Jovem omnia esse ostendit, & inter cetera ἥλιον καὶ σελήνην. PANEM ad Solem debere referri tradit idem Macrobius lib. 2. cap. 22. nec non Porphyrius apud Eusebium lib. 3. Præpar. cap. XI. ubi inter cetera docet cornua ipsa tributa esse, ut σύμβολα Ἡλίου καὶ Σελήνης. Et nonnunquam suspicatus sum eum LUCIDUM appellari in lapide vetusto, quem post Tomasinum Reinesius edidit, & syntagmati suo inseruit:

LUCIDO PANI
QUINTUS MUTIANUS
HERODIA. SYNNESIA
UXOR. DULCISSIMA

quomodo Diana vel Luna Statio lib. 5. Sylvarum *Lucida Gnossis* dicitur. Sed ire inficias nolo interpretationem perillustris Spanhemii in elimatissimis & quæ optime ætatem ferent ad Juliani Cæsaris notis videri præferendam esse, & *Panem* ideo *Lucidum* nominari, quia effingebatur facem accensam manibus tenens, λαμπαδηφορίαις colebatur, & apud Arcadas in templo ipsi accendebatur πῦρ ἄποτε, Pausania teste, ἀποσβεννύμενον,

ATTIDEM solem esse Macrobius lib. 1 cap. 21. ostendit. Arnobius lib. 5. pag 187. *Attidem cum nominamus solem*, inquit, *significamus & dicimus: sed si Attis sol est, quemadmodum connumeratis & dicitis, quis erit Attis ille, quem in Phrygia genitum vestræ produnt atque indicant litteræ*. Illudque clarius patebit ex iis, quæ commentatus est Laur. Pignorius in libello quem inscripsit, Magnæ Deum Matris Idææ & Attidis initia: nec non iis, quæ postea moneo.

PRIAPUM Veteres credidisse Solem esse, ex verbis Suidæ & Codini, quæ memini me protulisse, constat satis superque: & docet Vossius pater in absolutissimo de Idololatria opere, eosdem per membrum ejus virile significasse solem omnia generare, & fœcunditatis parentem esse. Sic Plutarchus lib. de Iside scribit Osiridis simulacrum ἀνθρωπόμορφον & ἐξορτιάζον τῷ αἰδοίῳ διὰ τὸ γόνιμον καὶ τὸ τρόφιμον, *propter gignendi & alendi vim esse*, moxque illud ad solem refert. Mercurium non aliam ob causam γεννητικὸν μόριον erectum gerere Macrob. 1. Sat. 19. Herod. 2. 51. & Artem. 1. 47. testantur; & tales Hermæ frequentissime in gemmis, nummis, aliisque monumentis veterum conspiciuntur; Porphyriusque apud Euseb. 3. 11. (licet aliam rationem adferat) celebrat Mercurium ἐντεταμένον, quod male interpres *ad erectum & intentum corporis statum* refert. Quin & plerosque populos simulacra in templis suis statuisse ἐντεταμένα καὶ τῇ τοῦ τράγου φύσεως παραπλησίως, & pudenda coluisse, ὡς αἰτίαν τῆς τῶν ζώων γενέσεως scribit Idem lib. 2. cap. 2. Præparat. Et certe verissimum hoc esse indicant sacra Cybeles, Bacchi, Deæ Syriæ, Cereris, Isidis, Osiridis apud Arnob. Athen. Xiphil. Lucian. Ptolomæum, Plutarchum, & alios: eoque pertinet Isidis capiti τὸ μόριον imponi apud Tristanum in M. Aur. Claudii numismate; & Mnevem bovem Solis symbolum, atque Heliopoli cultum, maximos testiculos habuisse, quia sol σπερμαίνειν dicitur τὴν φύσιν, uti loquitur Eusebius lib. tertio. Nec omittendum Ptolomæum lib. 2. Tetrabibli memoriæ mandare, varios populos qui Trigono Noto Apeliotico subjiciuntur, & aspectibus Saturni, Solis & Veneris consecrasse, τὰ γεννητικὰ μόρια, διὰ τὸν τῶν προκειμένων ἀστέρων σχηματισμὸν, ὄντα σπερματικὸν φύσει: *partes ad generationem aptas, ob prædictarum stellarum adspectus, quæ habent naturam seminalem*. Et hac occasione locum insignem Juliani, qui exstat Orat. 5. pag. 315. explicare conabor: τέμνεσθαι γάρ φασι τὸ ἱερὸν δένδρον καθ' ἣν ἡμέραν ὁ Ἥλιος ἐπὶ τὸ ἄκρον τῆς ἰσημερινῆς ἀψῖδος ἔρχεται. εἶθ' ἑξῆς περισαλπισμὸς παραλαμβάνεται τῇ τρίτῃ δὲ τέμνεται τὸ ἱερὸν καὶ ἀπόρρητον θέρος τοῦ Θεοῦ Γάλλου: id est, interprete Petavio: *Etenim sacram arborem succidi illo ipso die ferunt, quo sol supremam æquinoctiorum apsidem attigit: altero die tubarum clangore perstrepunt: tertio sacra & arcana dei Galli messis putatur*. Sed vel per θέρος honesta circumloquutione intelligitur *membrum virile*, vel legendum μέρος, quomodo partem illam corporis Græci vocabant; cujusque excisionem die, qui Hilaria præcedebat, celebratam fuisse non modo ex pag. 317. verum etiam ex Calendario Veteri, quod Lambecius Bibliothecæ Vendobonensi inseruit, constat: XI. *Kal. April. Arbor. intrat*: X. *Tubilustrium*: IX. *Sanguen dies Ægyptiacus*: VIII. *Hilaria*: VII. *Requetio*: VI. *Lavatio*: Optime certe hæc cum Juliani verbis conveniunt, in quibus mox *Hilariorum* etiam fit mentio: per τὸ *Sanguen* autem intelligitur membri virilis abscissio, quæ illo die non fiebat modo, verum quo etiam sacerdotes sese cultris lacerabant: Tertull. in Apol. *Cum M. Aurelio apud Sirmium Reip. exempto die* XVI. *Kal. April. Archigallus ille sanctissimus die* IX. *Cal. earundem, quo* SANGUINEM

NEM IMPURUM, *lacertos* QUOQUE *caſtrando, libabat pro ſalute Imp. Marci jam interempti:* ubi per *imp. ſanguinem* videtur intelligere, qui ex genitalibus abſciſſis fluit, quia addit *Lacertos quoque caſtratos fuiſſe:* nam particula *quoque* haud obſcure indicat non modo brachia ſciſſa cultris, quod eleganter *caſtrare*, quia vires ſanguine amiſſo pereunt, vocat; verum etiam aliud quid ablatum & caſtratum fuiſſe; id eſt, membrum virile, cui *impurum*, ut dixi, *ſanguinem* tribuit. *Dies* autem *Ægyptiacus* eſt infelix, infauſtus, quem exemplo Ægyptiorum Romani obſervabant, qualeſque plures in anno fuerunt, uti ex eodem Calendario conſtat. Lambecius fatetur ſibi non liquere, quid ſignificent; ſed eos explicavit olim ὁ πάνυ Salmaſius lib. de Annis Climactericis; & nuper Henr. Noris in Eruditiſſimo Commentario ad Marmora Piſana. Ceterum neſcio unde hauſerit Scioppius, Priapi Ægyptii vel Hori effigiem fuiſſe cubitalem & juvenilem, apud Latinos vero commodæ ſeu juſtæ ſtaturæ. Nam nihil tale apud Suidam reperio, & de Priapo vulgari verba faciens Theodoretus lib. 1. *σμικρῷ ὄντι μόριον ἐντεταμένον καὶ μέγιστον* eſſe dicit; & lib. 2. eum vocat *σμικρὸν ζώδιον μετὰ τοῦ μεγίστου καὶ τεταμένου μορίου τιμώμενον*, *parvum animal, cum maximo & tento membro cultum*: atque ipſe Suidas memoriæ mandat, Junonem zelotypia tactam, ventrem Veneris, quæ ex Jove conceperat, contrectaſſe, & effeciſſe ut infans deformis naſceretur; & inde adjicit: *Priapum Italorum* (aliter ſentit Heinſius V. Cl. lib.2. Sat. Horatianæ) *lingua vocari, & a paſtoribus coli, ſimulacrum vero eſſe παιδίον μόριον ἔχον μέγα καὶ ἐντεταμένον*: quæ certe nequaquam de Ægyptiis, ſed Romanis & Græcis intelligenda ſunt.

LIBERUM PATREM vel BACCHUM Solem eſſe multis probat Macrob. 1. Sat. Serm. 18. Idem docet Servius ad lib. 3. Æn. *Apollinem deprecantes terram petunt. Ipſe enim eſt & Sol & Liber Pater, qui inferos petiit:* Virgiliuſque initio Georg. per *Liberum* ſolem, per *Cererem* Lunam intellexit proculdubio:

—— —— vos o clariſſima mundi
Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum,
Liber & alma Ceres ——

Nec alia Rhodiorum ſententia fuit, quorum inſula Soli, uti notiſſimum, fuit dicata: Dio Chryſ. Orat. 31. *Καίτοι τὸν μὲν Ἀπόλλω καὶ τὸν Ἥλιον καὶ τὸν Διόνυσον ἔνιοί φασιν εἶναι τὸν αὐτόν, καὶ ὑμεῖς οὕτω νομίζετε*: *Et quidem Apollinem, & Solem, & Dionyſum nonnulli dicunt eundem eſſe; & vos ita exiſtimatis.* Ariſtides hujus rei non ignarus Oratione ad Rhodios de concordia, quæ eſt ultima tomi ſecundi, quem primo *Solem*, mox *Dionyſum* vocat, illique tripodas tribuit: *Ἀποβλέψατε δὴ καὶ πρὸς τοὺς τρίποδας τοὺς ἐν Διονύσου τέτταρσι πάντως δὲ χαίρετε αὐτοὺς προσορῶντες; Sed ad Bacchi quoque tripodes reſpicite: eos enim aſpicientes plane lætamini.* Bacchus præterea, quod huc valde quadrat, gravibus ærumnis a Titanibus affectus, teſte Onomacrito apud Pauſan. lib. 8. & occiſus, uti patet ex Arnobii lib. 1. pag. 28. ejuſque membra in lebetem conjecta juxta tripodem fratris Apollinis fuerunt collocata. Auctor Etym. magni in v. Δελφοὶ hanc hiſtoriam conſervavit: *ὅτι τὰ Διονύσου μέλη σπαράξαντες οἱ Τιτᾶνες, τῷ Ἀπόλλωνι παρέθεντο ἐμβάλοντες λέβητι. ὁ δὲ παρὰ τῷ τρίποδι ἀπέθετο παρὰ τῷ ἀδελφῷ.* Atque ex hac hiſtoria (quam paulo aliter ſed pluribus narrat Clemens Alexandrinus in Protreptico) lucem fœnerantur Juſtinus Martyr Apol. 2. qui ſcribit, Dionyſum *διασπαραχθέντα dilaniatum in cœlum aſcendiſſe:* Origenes lib. 4. contra Celſum, Bacchum a Titanibus deceptum, & a Jovis ſolio delapſum ab iis dilaceratum, & inde compoſitis membris *ἀναβιώσκοντα* redivivum cœlum petiiſſe, & Tatianus tandem *ὀμφαλὸν* eſſe *τάφον Διονύσου*: quia ſcilicet Delphi habebantur pro terræ umbilico, memoriæ mandantes. Nihil certe mirandum propterea eſt Agamemnonem in templo Delphico ſacrum Baccho feciſſe; uti tradit Lycophron in Alexandra: ad quem ex Callimacho & Euphorione ſimilia obſervat Tzetzes: & Lucanum lib. v. canere ſacra fieri Apollini & Baccho Delphis, mixto numine:

Mons Phœbo Bromioque ſacer, cui numine mixto
Delphico Thebanæ referunt Trieterica Bacchæ.

Plutarchus quoque libro de Iſide ſcribit reliquias Bacchi prope Apollinis oraculum Delphis ſitas eſſe: *ὁσίους ſanctos* vel *initiatos* ſacrificium arcanum in æde Apollinis peragere, & Thyadas vel Bacchas *ἐγείρειν τὸν Λικνίτην, excitare Licnitam*, id eſt Bacchum; quod de excitationibus matutinis intelligendum eſſe videtur: *Quid volunt*, ait Arnob. lib. 7. *excitationes illæ, quas canitis, matutinæ,* (*matutinas ſalutationes* vocat Apulejus lib. XI.) *collatis ad tibiam vocibus? obdormiſcunt enim ſuperi, remeare ut ad vigilias debeant?* Sed ſi hæc non ſatis clare oſtendunt, Bacchum eundem cum Apolline vel Sole eſſe, monſtrant certe eos in eodem loco fuiſſe cultos, & propterea multa videri communia habuiſſe: imo Macrobius lib. 1. cap. 18. non dubitat hinc argumentum petere eos idem numen eſſe: *Item Bœotii Parnaſſum montem Apollini ſacratum eſſe memorantes, ſimul tamen in eodem & oraculum Delphicum, & ſpeluncas Bacchicas uni Deo conſecratas colunt: unde & Apollini & libero Patri in eodem monte res divina celebratur.* Auctor Magni Etym. v. Διόνυσος, obſervat eum apud Eleenſes eundem haberi cum ſole; *ἢ παρὰ τὸ δάος δαόνυσος· καὶ τροπῇ τοῦ α εἰς ι. παρὰ γὰρ Ἠλείοις ὁ αὐτὸς τῷ Ἡλίῳ νομίζεται· ἵν' ᾖ ὁ δαίων, ὁ τοῦ δάους (ὅ ἐστι πυρὸς ἢ φωτὸς) αἴτιος; vel a δαὸς deſcendit δαόνυσος, & α converſo in ι. Dionyſus: nam apud Eleos idem cum ſole exiſtimatur; ut ſit ὁ δαίων ardens, δάους id eſt ignis vel lucis cauſa:* Eumolphus apud Diod. Siculum in carminibus Bacchicis eundem appellat,

Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτίνεσσι πυρωπόν:
Sidereum Dionyſum igni radiante coruſcum.

Quæ nulli alii quam ſoli conveniunt; quem a Pelleniis etiam cultum fuiſſe ſub nomine Διονύσου Λαμπτῆρος; obſervat ex Pauſaniæ lib. 8. Triſtanus in explicatione vaſis antiqui, quod Bacchi myſteria continet: qui tamen non addit, *Dionyſum* illum *Lamptera* ſolem eſſe. Non male tamen hoc inde aliiſque, quos ibidem laudat, auctoribus colligitur; & eam ob cauſam forte Baccho, *facem* tribuit Mart. Capella lib. 1. *Dehinc admiſſi Tonantis ipſius filii: inter quos primus quidem ruber juvenis, ac vorax omnium, ſititorque etiam ſanguinis gradiebatur: alter ſuavis & comis* FACEM (aliæ tamen editiones *falcem*, quæ non male Baccho convenit, exhibent) *dextra, lævaque geſtans cratera ſomnificum.* Et Bacchus ut ſol elegantiſſimis verbis deſcribitur Ariſtidi: *Νυκτὸς καὶ ἡμέρας πέρατα ἐπισκοπεῖ. τὴν μὲν ἡμέραν αὐτὸς δᾳδοῦχός τε καὶ ἡγεμὼν τῆς ὄψεως γιγνόμενος. τὴν τε νύκτα ἑτέροις παρείς, ἀργῶν δ' ὅμως οὐδ' οὕτω, ἀεὶ δ' ἐν φορᾷ καὶ κινήσει τὸν αἰῶνα διεξέρχεται*: *noctis & diei regit deus fines, interdiu quidem ipſe lucem præferens, noctem vero aliis concedens, ſic tamen ut interim non*

cessset, sed in perpetuo versetur motu. Hinc est quod Bacchantes apud Ovidium lib. 4. Metam. ex sententia Tristani canunt

—— Tibi inconsumpta juventa est,
Tu puer æternus, tu formosissimus alto
Conspiceris cœlo ——

& quod Arnobius lib. 3. gentiles ita alloquitur: *Quid? cum liberum Apollinem, Solem unum esse contenditis numen, vocabulis amplificatum tribus, nonne sententiis vestris deorum imminuitur census, & opinio prædicata dilabitur?* Multus, ut monui, Macrobius est in hac gentilium opinione & superstitione probanda; idemque haud vulgaribus tam ex antiquis monumentis quam priscis auctoribus petitis argumentis ostendunt Alexander, Hieronymus in Expositione Tabulæ Heliacæ, & Tristanus in Explicatione vasis antiqui. Macrobius illud firmat ex Aristotele qui Theologumena scripsit, ex Hyacinthiorum festo apud Lacedæmonios, ex cultu communi Apollinis, & Bacchi Delphis, ex Varrone & Granio Flacco, ex versibus denique Variorum, ut Orphei, cui sol dicitur

Ἥλιος, ὃν Διόνυσον ἐπίκλησιν καλέουσιν
Sol quem Bacchum cognominant

& alibi:

Εἷς Ζεὺς, εἷς Ἅδης, εἷς Ἥλιος, εἷς Διόνυσος.

ex Euripide, apud quem in Licymnio Bacchus & Apollo, tanquam unus idemque deus invocatur,

Δέσποτα φιλόδαφνε, Βάκχε, παιὰν, Ἄπολλον,
Εὔλυρε

& denique ex Æschylo cui insuper Apollo cognominatur κισσεὺς vel *hederacius*

Ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων, ὁ καὶ Βάκχος, ὁ μάντις:

ut Joh. Meursius pro ὁ καβαῖος rescribendum putat. Et recte, ut hoc obiter adjiciam, Apollo μάντις quia vaticiniis præerat, vocatur. Sic Clementi Alexand. in Protrep. dicitur μάντις ἁγνὸς; & μάντις Auctori M. Etymologici alicubi, Luciano pag. 1100. edit. Bourd. poetæ anonymo lib. 1. Anth. p. 84. in oraculo apud Eusebium lib. 3. cap. 14. nec non Oenomao apud eundem lib. 5. p. 212. *Augur Apollo* eadem ratione Virg. l. 4. æn. 376. & Val. Flacco l. 1. v. 234. *Vates Apollo* eidem lib. 4. v. 445. & *augur Pithyus* Mart. Capellæ lib. 1. appellatur; tandemque in Theodoti medici carmine, quod deus per somnum jusserat cani, apud Aristidem Tom. 1. Serm. Sac. 4. occurrit Διόνυσος Κισσεύ. Haud obscure præterea colligitur Bacchum nullum alium quam solem esse, quia idem cum Sarapide & Osiri habebatur, quos certo constat ad sidus illud retulisse gentiles. In nummis Elagabali & Gallieni apud Tristanum modius, qui capiti Serapidi imponitur pampinis ornatur, & non absque ratione existimat vir doctissimus id ideo factum, quia Bacchus idem Serapidi erat. Osirin quoque, qui sol habebatur, non alium quam Bacchum esse patet satis superque ex Tertulliani libro de Corona, atque vulgato Ausonii carmine:

Ogygia me Bacchum vocat
Osirin Ægyptus putat
Mystæ Phanacem nominant

Tibullus lib. 1. El. 7. cum inventionem vitis adscripsisset, Osiridi, eundem mox *Bacchum* nominat: Herodotus lib. 2. cap. 144. Osirim Græcorum lingua Bacchum esse scribit: Ὄσιρις δέ ἐστι Διόνυσος κατὰ Ἑλλάδα γλῶσσαν: quod cum multis docuisset Plutarchus lib. de Iside, tandem addit, *Esse autem eundem Osirim cum Baccho, cuinam magis convenit scire, quam tibi o Clea, quæ Thyadum Delphicarum es princeps, & a patre atque matre* τοῖς Ὀσιριακοῖς vel *Osiridis sacris es consecrata*; quomodo Græca, ἀρχικλαμούσαν ἐν Δελφοῖς, interpretatur Xylander, cujus ego versionem propter negotia examinare non potui; & integrum locum adduxi, non ut interpretarer ἀρχικλαμούσαν, sed ut ostenderem Osirim & Bacchum eundem esse. Ortivinius vir eruditus admodum arbitrabatur rescribi debere ἀρχικλαμυστοῦσαν, h. e. *principem vociferantium Baccharum Delphicarum*; additque Hesychium & Phavor. κλαμυστῆσαι exponere βοῆσαι, καλέσαι; Plutarchum paulo post narrare Delphis juxta Oraculum Apollinis servari reliquias Bacchi, & arcanum sacrificium castos peragere in Apollinis fano, quo tempore Thyades, sive Bacchæ Licnitam excitant, h. e. cum clamore Bacchum cient: eodemque modo Statium lib. 4. v. 379. unam Baccharum, quæ choros ducebat, vocare *reginam silvestris chori*, & Lutatium ad ea verba commentari: *ut choros ducebat una Baccharum: ostendit autem antistitem Liberi, quæ Citheronem incolebat*. Atque hinc patet, non absque ratione Nonnum lib. IV. Osirim appellare *Dionysum Ægyptium*,

—— καὶ Αἰγυπτίου Διονύσου
Εὔϊα φοιτητῆρος Ὀσείριδος ὄργια φαίνων:

Servium ad lib. 1. Georg. v. 166. *eundem Osirim & Liberum Patrem* facere; & post Diod. Siculum, Martianum Capellam lib. 1. testari Osirim Ægyptios vini usum docuisse. In nummo præterea Juliæ Domnæ Bacchi currui a centauris tracto insidentis latus Isis tegit; quo ænigmate significatur Bacchum vel Osirim deæ illius virum esse, uti optime observat elegantis admodum ingenii & doctrinæ præclaræ vir, quem juvenis admodum cognovi, Petrus Seguinus; atque inde lucem fœneratur id quod olim apud Plutarchum lib. de Iside scripsit Anticlides, τὴν Ἶσιν Προμηθέως οὖσαν θυγατέρα Διονύσῳ συνοικεῖν: *Isidem Promethei filiam, liberi uxorem esse*. Tandemque ut Osiris Lactantio & Minutio Felici, observante Pignorio, dicitur esse filius Isidis, ita & idem Baccho convenit: Plutarchus rursus: Ἱστορεῖται δὲ καὶ Ἴσιδος υἱὸς ὢν ὁ Διονύσος ὑπὸ Αἰγυπτίων οὐκ Ὄσιρις ἀλλὰ Ἀρσαφὴς ἐν τῷ ἄλφα γράμματι λέγεσθαι, δηλοῦντος τὸ ἀνδρεῖον τοῦ ὀνόματος: *Fertur etiam ab Ægyptiis Bacchus filius Isidis esse, qui non Osiris, sed Arsaphes a prima littera incipiente voce vocatur, significante ea voce fortitudinem*: utque Bacchus a Titanibus dilaceratus fuit, ita eandem calamitatem Osiridi intulit Typhon, teste Tzetze ad Lycophronem: Ὄσιρις ὁ καὶ Διόνυσος βασιλεὺς ὑπάρχων Αἰγύπτου ὑπὸ Τυφῶνος τοῦ ἀδελφοῦ καὶ τῆς συνωμοσίας μηλησὶν πατροφόνῃ καὶ ἐξετέθη πολλαχοῦ: quod pluribus exsequitur Plutarchus in libro toties laudato. Putaveram autem, quemadmodum memini me monere, Harpocratis nostri clavam ramulo ornari; sed male me memoriæ fidem advocasse ea, quæ honestum & veri amantem virum decet, ingenuitate fassus sum. Addam tamen quæ ista occasione notaveram, quia illustrando Baccho, nisi me plane fallo, inservire possunt. Vitis & hedera deo accepta fuit & grata; inque pompis illi imponebatur umbella ex utriusque fronde contexta: Eustathius ad Homerum pag. 857. Γράφει γοῦν τις ὅτι ἀγάλματι

Διονύσῳ πομπεύοντι περιέκειτο καὶ σκιὰς ἐκ κίσσου καὶ ἀμπέλου: ab Homero vel alio poeta in hymnis Bacchus vocatur κισσοκόμης, ab aliis κισσοφόρος & φιλοκισσοφόρος ob coronas ex hedera factas: Plutarchus docet hederam a Græcis Baccho ſacrari, & ab Ægyptiis appellari *Chenoſirin*, q. d. *Oſiridis* plantam: Homerus quoque eum κισσῷ καὶ δάφνῃ πεπυκασμένον introducit: ab Horatio, Tibullo, Silio, Italico, aliiſque corona hederacea caput cinctus introducitur, eam ob cauſam *Corymbiferus* Ovidio 1. Faſt. dictus; Bacchantes, Silenos, Satyros; omneſque dei comites hedera ornari ſolere notiſſimum eſt; & teſte Varrone lib. 5. de l. l. *liberalia dicta, quod per totum oppidum eo die ſedent ſacerdotes* Liberi, HEDERA CORONATÆ ANUS *cum libeis & foculo pro emptore ſacrificantes*: adeo ut eleganter Lucianus in Podagra eam vocet κισσίνην σφραγῖδα, *hederaceum ſigillum*, quia ex illa, non ſecus ac ex ſigno impreſſo res, Baccantes noſcebantur:

> Ἦ μή τις ὕμνος βακχείων κώμαζεται
> Ἀλλ' οὐκ ἔπεστι κισσίνη σφραγὶς κόμαις:
> *Anne hymnis bacchantium canitur*
> *Sed non adeſt hederaceum ſigillum comes.*

Vitem vitium repertori, hilaritatiſque luculentæ datori conſecratam eſſe nemo ignorat; notandumque tantum hac apud Argivos Junonem coronari; ut teſtaretur ſeſe Bacchum viciſſe: Tertull. lib. de Cor. Militis; *Junoni vitem Callimachus induxit. Ita & Argis ſignum ejus palmite redimitum, ſubjecto pedibus ejus corio leonino, inſultantem oſtentat novercam de exuviis utriuſque privigni.* Præterea non de nihilo eſſe obſervaveram, cum putavi Reverendo Smetio fidem habens fronde arboris & forte hederæ clavam cingi; jungi Herculis & Bacchi inſignia; quia ſcilicet in multis hæc numina convenire cenſebant gentiles rebus. Nam ambo dicuntur Indos viciſſe, totumque terrarum orbem victoriis ſuis peragraſſe: & Nonnus lib. 25. Dionyſ. elegantem comparationem rerum ab iis geſtarum inſtituit, canitque Bacchum non ſecus ac Herculem leonem, pantheram, urſas, aprum domaſſe, imo multo majora virtutis ſuæ ſpecimina ediidiſſe. Herculem etiam veteres cum poculo finxere, & quidem caſabundum & ebrium, non modo quod bibax fuiſſe perhibeatur, ſed etiam quod antiqui narrent Herculem poculo tanquam navigio immenſa maria tranſiſſe, uti docet Macrobius 5. Sat. cap. 21. cui addatur omnino Athenæus lib. XI. Deipnoſoph. ubi de eadem hiſtoria agit, Herculemque unum τῶν πλεῖστον πινόντων & gaviſum fuiſſe μεγάλοις ποτηρίοις inter cetera tradit. Et hinc nonnulla ſimulacra ejus bibentium ſpeciem retuliſſe, teſtatur Ariſtides Tom. 1. p.63. qui tamen inde concludit propter inventas vivendi commoditates eum æſtimandum eſſe: Οὐ τοίνυν ἐπὶ πράξεσι μόνον καὶ ἀγῶσιν ἔχοι τις Ἡρακλέους μνημονεύειν, ἀλλὰ καὶ ταῖς εὐθυμίαις τοῦ βίου πολλοῦ τινος ἄξιος· δηλοῖ δὲ καὶ τῶν ἀγαλμάτων αὐτοῦ τὰ πίνοντα: *Verum tamen non ex rebus geſtis tantum & certaminibus Hercules eſt memorandus; ſed ſimulacra ejus, quæ bibentium ſpeciem referunt, monſtrant, propter vitæ commmoda eum etiam eſſe æſtimandum.* In nummo Antonini Pii Bacchus cum Ariadne curru a ſatyro & panthera tracto inſidens clavam videtur tenere apud Spanhemium Diſſ. 3. pag. 242. & in alio Juliæ Mamææ apud Patinum Hercules cantharum tenet, quo valde illuſtrantur Ariſtidis verba. Præterea Silvani ſeu Herculis Ruſticelli ſtatua apud Tomaſinum in pereleganti de Donariis libro, tota fere nuda clavam tenet, poma, uvas, pinus, alioſque fructus gerit in ſinu; eamque A.

CÆDICIUS. THEOPHILUS. EX. VISO. D. POS. vel dedicavit SILVANO. SANC. SACR. ET. LIBERO. PAT. & Imperator Severus iiſdem commune templum videtur extruxiſſe: Dio: ὅς γε καὶ τῷ Διονύσῳ καὶ τῷ Ἡρακλεῖ νεὼν ὑπερμεγέθη ᾠκοδομήσατο; Baccho & *Herculi templum magnum valde ædificavit*. Hanc tamen verſionem improbat Græcarum literarum reſtaurator Henricus Stephanus, & reddit *tam Baccho quam Herculi*, tanquam duo templa fuerint exſtructa: ſed, præterquam quod Græca id difficulter patiuntur; refellitur viri doctiſſimi opinio Severi numiſmatis in quibus HERCULES & BACCHUS ſub nomine DEORUM AUSPICUM junguntur, & unum templum, cujus in medio Hercules eſt, conſpicitur apud Triſt. & Patinum. Obſervandum inſuper Nonnum diſtinguere *Dionyſum ſeniorem* vel *Zagrea* & *Bacchum*; licet eos faciat eoſdem Plutarchus in lib. De El. apud Delphos pag. 389. Et hoc licet proprie pertinet ad ætatis, qua unus idemque deus fingebatur, varietatem; hoc tamen loco monere viſum fuit, ut quæ de fulmine, quod ipſi inter ceteros deos tribuitur, mihi notata ſint, adjiciam, & pluribus illuſtrem:

> Ἔκλυον ὥς ποτε θῶκον ἑὸν καὶ σκῆπτρον Ὀλύμπου
> Δῶκε γέρας Ζαγρῆϊ παλαιοτέρῳ Διονύσῳ
> Ἀστεροπὴν Ζαγρῆϊ καὶ ἄμπελον οἴνοπι Βάκχῳ.
> *Audivi quod olim ſedem ſuam & ſceptrum Olympi*
> *Dederit munus Zagræo antiquiori Dionyſo,*
> *Fulmen Zagræo, & vitem vinoſo Baccho.*

Hinc Juno ait ſe timere, ne videat Bacchum ἀστεροπὴν κρατέοντα, *fulmen vibrantem* poſt Zagræum: Bacchumque idem facit Ζηνὶ συναστράπτοντα *una cum Jove fulminantem*; quod etiam videtur canere Apollinaris Sidonius Carmine 22.

> —— *Caput aurea rumpunt*
> *Cornua & indigenam jaculantur fulminis ignem.*

Nec certe fulmen a ſole vel Apolline alienum eſt; nam leo radiatus, ſolis propterea ſymbolum, fulmen ore tenet in nummo Caracallæ apud Triſtanum; nec non in tabula Mithriaca apud Leon. Auguſtinum & in nummo Tarentinorum, ſi fides habenda Sebaſtiano Erizzo pag. 144. Apollo equo inſidens cum appoſito fulmine, & litteris ΑΠΟΛ. occurrit. Neque illud ſoli Jovi, verum etiam aliis diis, imo etiam deabus tribuitur, & quidem novem diis ex opinione Tuſcorum Plin. l. 1. cap. 52. *Tuſcorum literæ novem deos emittere fulmina exiſtimant, eaque eſſe undecim generum: Jovem tria jaculari*: addit Romanos duo tantum ex iis ſervare, *diurna attribuentes Jovi, nocturna Summano*; & Hetruriam arbitrari fulgura nonnulla *a Saturni ſidere proficiſci, uti cremantia a Martis*. Totidem etiam memorat apud Arnobium lib. 3. Manilius: *Deos novem Manilius, quibus ſolis Jupiter poteſtatem jaciendi ſui permiſerit fulminis*; eoſque mox vocat *alieni fulminis jaculatores*. ET JUPITER quidem præcipue fulmine armatur; putabaturque tantum mittere fulmina rubra, cum alii dii jacularentur alba aut nigra, uti ex Horatio, Claudiano, & Acrone obſervat Meurſ. ad Lycophronem: Inde forte eſt quod apud Livium legamus l. 32. *Jovi donum fulmen aureum pondo L. factum eſſe; Junoni Minervæque ex argento*. Et obſervandum hac occaſione, Jovem non ſemper fulmine fuiſſe armatum, ſed illud ſumpſiſſe primo, poſtquam gigantes regnum cæleſte affectarunt: Ovid. 3. Faſtor.

> *Jupiter eſt juvenis, juveniles aſpice vultus,*
> *Adſpice deinde manum: fulmina nulla tenet.*

Fulmina post ausos cœlum affectare Gigantas
Sumpta Jovi; primo tempore inermis erat.

quo alludit Manilius lib. v. 335.

Ara ferens thuris stellis imitantibus ignem,
In qua devoti quondam cecidere Gigantes.
Nec prius armavit violento fulmine dextram
Juppiter, ante deos quam constitit ipse sacerdos.

adeo ut iratior Jove fuerit Commodus Imperator, qui in nummo Thesauri Patiniani conspicitur ut JUPITER JUVENIS fulmen manu tenens. Alter deorum, qui fulmina jaculatur est SUMMANUS (quem Plutonem nonnulli faciunt) cui nocturna attribuebantur: Festus *Dium fulgur appellabant diurnum, quod putabant Jovis, ut nocturnum Summani*: id quod etiam tradit Augustinus l. 9. cap. 23. de Civ. Dei. Tertius, quem invenio, est SATURNUS, uti ex Plinio constat; & ipse in Saturnalibus apud Lucianum testatur, se cum impar esset viribus ad hominum peccata punienda, cumque necesse foret semper sursum deorsum cursitare τὸ κέραυνον διπυρκόν *armatum fulmine*, quo sacrilegos, perjuros & raptores exureret, illud Jovi ut juveni dedisse. Quartus MARS, uti itidem Plinii verba testantur. Quintus HERCULES, qui in nummo Messii Decii stans fulmen tenet, & clavam Jovi sedenti porrigit apud illustrem Spanhemium, qui alibi etiam notat in Bruttiorum nummo gazæ Mediceæ eundem deum fulmine armari. Sextus VULCANUS: Servius ad lib. 1. Æn. *In libris Etruscorum lectum est, jactus fulminum manubias dici: & certa esse numina possidentia fulminum jactus, ut Jovem, Vulcanum, Minervam*: quem locum debeo elegantis ingenii viro Joh. Ortwinio. Septimo loco venit MINERVA: Mart. Capella;

Huic nam tergeminæ rutilant de vertice cristæ,
Quod dux sanguineo, præsulque corusca duello,
Vel tibi quod fulget, rapiturque triangulus ignis:

illud olim etiam Euripides cecinit, quem Virgilium imitatum esse tradit Macrob. 5. Sat. c. ultimo: *Nec hoc sine auctoritate Græcæ vetustatis, est, quod ait,*

Ipsa Jovis rapidum jaculata e nubibus ignem.

Euripides enim inducit Minervam ventos contrarios Græcorum classi a Neptuno petentem, dicentemque debere illum facere, quod Jupiter fecerit, a quo in Græcos fulmen acceperat: & alii quatuor diis a Varrone fulmina designari scribunt, interque eos Minervæ; Jovis tamen fulmine usam tradunt quia suum non erat ejusmodi potestatis, ut in Græcos tam acerbiter animadvertere posset: quam in rem audiendus Servius Danielis: *Sed cum Varro divinarum quinto, quatuor diis fulmina adsignet, inter quos & Minervæ, quæritur cur Minerva Jovis fulmen miserit. Antiqui non* (ita scribendum judico) *solius Jovis putaverunt esse fulmen, nec id unum esse, ut testantur Etrusci libri de fulguratura; in quibus duodecim genera fulminum scripta sunt; ita ut Jovis, Junonis, Minervæ, sic quoque aliorum. Nam de Junonis fulmine Accius ait præfervido fulgore ardor injectus Junonis dextra ingenti incidit. Quare non posuit Minervam misisse fulmen suum? sed nonnulli dicunt, habere quidem Minervam, ut Jovem & Junonem fulmen, sed non tantum valere, ut vindictam suam possit implere, nisi usa esset Jovis fulmine: unde merito queritur Juno Minervam cum de numero minorum sit qui fulmen habeant, usam tamen Jovis fulmine.* Idem illud ejusdem poetæ, *Triste Minervæ Sidus* explicans ait: *manubias Minervales, id est, fulmina, tempestates gravissimas commovere scribit*: & Scholiastes Statii ad lib. 1. Thebaidos notat *secundum pontifices certa cuique fulmina deo adscripta esse, in quibus & Minervæ*: ubi tamen videtur memoriæ lapsu Minervam pro Junone substituisse, quæ dicit Jovem *sua fulmina torquere*. In nummo Antigoni Tutoris, e museo Christinæ Augustæ deprompto apud Spanhemium & Patinum, Pallas armata dextra clypeum, sinistra fulmen vibrat: in alio Antonini Pii apud Patinum, Vulcanus fulmen petenti Palladi tradit; talemque etiam sub Severo percussum esse observat Spanhemius: quo etiam referri debent alii nummi, in quibus noctua fulmen tenet, idem utique huic deæ, quod Jovi aquila ministerium præstans; uti observat alio loco vir Amplissimus; atque ita Olympiorum nummos, quorum in una area cernitur Jupiter diademate cinctus, vel Pallas galeata; & in altera noctua fulmen unguibus tenens, interpretatus olim fuit Ludovicus Nonnius; tandemque Minerva armata fulmine cernitur etiam in Domitiani nummo, cum Inf. IMP. XXII. COS. XVI. CENS. P. P. P. Octavum locum occupavit JUNO soror conjunxque Tonantis, cui fulmen veteres tribuisse etiam ex Servio constat; firmatque idem Martianus Capella: *Hæc* (Juno) *fulmen* (alii legunt *flumen*) *dextra, læva sonorum bombis terrentibus sustinens tympanum, sub quibus ima subjecta roscidis videbatur inundare fluoribus*: ipsa apud Valer. Flaccum lib. 1. Argon. v. 116.

—— Imbrem & tenebras; sævumque tridentem
Jam jam ego, & inviti torsissem conjugis ignem.

& apud Statium lib. 1. Thebaidos:

—— —— Illam odimus urbem
Quam vultu confessus adis: ubi conscia magni
Signa thori tonitrus agis, & MEA FULMINA torques.

ubi Scholiastes Junonem *sua fulmina* dicere notat, quia erant insignia matrimonii sui, & ipsi soli nota; vel quia fulmen sine aere esse non potest, & ipse aer Juno est; sique nubes non fuerint aere collisæ, fulmen nullum est. Testatur quoque Joannes Smetius in gemma, quam servat, cerni Junonem dextra tenentem fulmen, sinistra hastam, & leæna vehi: quanquam ferum illud animal mihi potius auctor sit illam Cybelen, vel Matrem Magnam esse; quippe quæ similiter plane insidet leoni in nummo Septimii Severi apud Carn. Patinum, & Cornutus notat illam gaudere fulminibus atque tonitru: οἱ ὄμβροι, ait, ὡς ἐπιπολὺ μετὰ βροντῶν καὶ ἀστραπῶν συμβαίνει γίνεσθαι, καὶ ταύτην παρεισάγουσι τυμπάνοις καὶ κυμβάλοις, καὶ κεραυνοῖς ἢ λαμπαδοφορίαις: *plerumque enim imbres cum fulmine & tonitru ad nos deferuntur: & hanc introducunt cum tympanis, cymbalis & fulminibus vel facibus*: quibus verbis videtur significare tympana Cybeles tonitru, faces vero fulmen denotasse: adeo ut nona sit MATER DEUM, cui fulmina tribuebantur. Decimus erit APOLLO vel Sol, quem fulmine armari jam satis superque docui. Apud Sponium in Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis, Apollo itidem cum fulmine cernitur, & Isis sistrum tenens CLATRA, forte a sistri sonitu, appellatur: inque nummis Gentis Plautiæ apud Ursinum Fulvium idem deus quadrigas agitans fulmen dextra intentat. Undecimus est ZA-

GRÆUS vel BACCHUS, de quo itidem egi. Tandem Alcibiadi Plut. tribuit, Ἀσπίδος τε διαχρύσε ποίησιν, ἐδὲν ἐπίσημον τῶν πατρίων ἔχεσαν, ἀλλ' ἔρωτα κεραυνοφόρον: *clypeum deauratum, in quo nullum insigne patrium, sed Cupido fulmen ferens*. Adeo ut præter *Cupidinem*, jam non novem, sed undecim deos habeamus fulmine armatos: qui tamen numerus minui facile poteſt, ſi licentia, quam ipſi ſibi dederunt, gentiles, utamur, & Junonem ac Cybelem faciamus eandem. Neque tamen affeverare velim, Jovem, Summanum Apollinem, Herculem, Martem, Bacchum, Vulcanum, Saturnum, Minervam, Junonem eſſe, unum ſi excipias vel Herculem vel Bacchum, ipſos novem deos, quibus Etruſca ſuperſtitio fulmina tribuit; ſed pleroſque eo numero poſſe comprehendi, faciunt ut perſuaſus ſum auctores quos laudavi: & ſpero veniam mihi paratam apud æquos & benevolos lectores fore, ſi a via paululum aberraverim, cum ſol, qui caput diſſertationis facit, etiam illuſtretur ita non parum; & varietate ſua hujus generis libelli mirum quantum placere ſoleant.

SATURNUM nullum alium quam Solem eſſe docet Macrob. lib. 1. cap. 22. Gerh. Joannes Voſſius l. 2. cap. IV. de Idololatr. Quibus ut nunc nihil addere placet, ita lectori non ingratum fore confido, ſi examinem intricatum, uti equidem mihi videtur Tertulliani locum, qui exſtat cap 23. de Spectac. *Placebit*, ait, *qui vultus ſuos novacula mutat? infidelis ergo faciem ſuam, quam non contentus Saturno, & Iſidi & libero proximam facere; inſuper contumeliis alaparum ſic objicit, quaſi de præcepto Domini ludat? docet ſcilicet & diabolus verberandam maxillam patienter offerre*. Nam cum Saturnus ſenili ætate & proinde barbatus pingatur, taliſque in veterum monumentis occurrat, id quod obſervare non oblitus eſt Albricus Philoſophus; cum *ſenex* vocetur Virgilio lib. VII. Æn. *ſenior* Fulgentio in Mythol. cumque Artemidorus doceat lib. 2. cap. 49. deos, ſi forte ἀγνοούμενοι occurrunt in ſomniis, ab ætate diſcerni debere, & μειράκιον νέον ſignificare *Mercurium*, νεανίσκον *Herculem* ἀνήρα *Jovem* πρεσβύτlω ἢ τὸν Κρόνον *Saturnum*, nullus certe capere poſſum, quomodo is qui faciem ſuam ſive vultum novacula mutat, vel barbam ſibi demit, Saturnum poſſit referre? Nec ſane, uti annotat Pamelius, ex Goltzii diverſis numiſmatis *Saturnum* imberbem depingi ſolere eſt animadvertere; nec licet caſtratus, cujuſmodi homines barba carere ſolent, dicatur eſſe, abſque barba effictum eum repperi; nec tandem huc pertinet, quod Mart. Capella lib. 1. de Philol. ludit, Jovis & Junonis *ſatori caniciem pruinoſis nivibus candicaſſe, licet etiam ille* PUER *poſſe fieri crederetur*. Quid igitur? ego certe ἐπέχω; & vix habeo, unde nodum hunc ſolvere poſſum. Saturnum nigras ſemper genas habuiſſe docemur ex loco eleganti apud Scholiaſtem Heſiodi: qui, cum poeta ceciniſſet homines Saturno Rege δειλὸν γῆρας, *moleſtam ſenectutem* non habuiſſe, annotat: Καὶ τῦτο Κρόνιον ἐςί. καὶ γὰρ τὸν Κρόνον ἀεὶ μελαίνας ἔχειν τὰς ἐπὶ τῦ γενείυ τρίχας φησὶν Ορφεύς: *Et hoc Saturnium eſt: nam Saturnum ſemper nigros habere in genis crines ait Orpheus*: Imo Plato ejuſdem ſæculi homines ſcribit ſemper ſenectutem abjeciſſe: Idem: Πλάτων δὲ τὺς ἐπὶ τῆς Κρονίας περιόδυ ἀποβάλλειν φησὶ τὸ γῆρας καὶ ἀεὶ γενέσθαι νεωτέρυς: *Plato vero eos qui Saturni tempore vivebant, abjicere ait Senectutem, & ſemper fieri juniores*, qua de re ipſe Philoſophus videri poteſt in Politico, ubi inter cetera ait, eos, quibus genæ barbatæ erant barba depoſita in priorem ſpeciem reſtitutos eſſe; & forte hinc Capella ſcribit, *creditum eſſe eum poſſe fieri puerum*. Quæ loca num illuſtrare poſſint Tertullianum alii viderint: neque enim in re tam obſcura certi quicquam definire animus eſt. Ampliſſimus Senator Guielmus Gœſius, cujus ut eruditionem ita mores & canos veneror, exiſtimabat ad calvitiem capitis reſpicere Tertullianum, quam illi exhibere debebant, qui in theatris Saturnum repræſentabant: idemque etiam ſentiebat Stephanus le Moyne, Vir præſtantiſſimus: qui tamen mecum etiam putabat obſtare τὸ *vultus*, quem *novacula mutatum* ſcribit ille; & per eam vocem vix capitis verticem deſignari poſſe. Martinus, qui patria relicta Chriſtum omnibus rebus prætulit, & nunc divina oracula apud Ultrajectinos facundiſſime & eruditiſſime interpretatur, ad me miſit, Pamelium obſervare, Goltzium varia edidiſſe numiſmata, in quibus Saturnus ut juvenis conſpiciebatur ſine barba; Tertullianum non ignoraſſe deum illum pictum vulgo fuiſſe ſenem, quippe qui lib. 1. cap. 10. adv. Gent. ſcribat, *Senex de Saturno, imberbis de Apolline, Virgo de Diana figuratus*; ſed cum cap. 23. de ſpect. memoret eos, qui genas radebant, ſimiles ſeſe reddidiſſe *Saturno, Iſidi & Baccho*, reſpexiſſe alium modum repræſentandi Saturnum; Gentiles adhæc non ſemper ſimilia feciſſe eorundem numinum ſigna, verum ſeſe accommodaſſe ſuæ Theologiæ; eos plurimum per Saturnum intellexiſſe *tempus*, eoque nomine finxiſſe ſenem; intellexiſſe per eundem cum Phœnicibus & Syriis *Solem* nonnunquam, indeque inſtar Apollinis ut juvenem pictum fuiſſe. Addebat Vir Eruditus, Tertullianum uti voce *novacula*, eumque objicere Chriſtianis; quia eo tempore Patres vetabant barbam radi novacula, permittebantque illam tonderi vel demi forfice; ne nempe Gentiles imitarentur; uti multis docet Clemens Alexandr. cap. 3. & XI. lib. 3. Pædagog. Pluto non alius quam Sol eſt, quando nempe hybernis menſibus inferius hemiſphærium illuſtrat: uti multis docet Porphyrius apud Euſeb. lib. 3. præpar. cap. XI. ubi poſtquam & inde Proſerpinæ raptum explicaſſet, addit tandem: τῆς μὲν Κόρης ὑπὸ Πλύτωνος τῦ ὑπὸ γῆν ἰόντος Ηλίυ ἁρπαζομένης κατὰ τὸν σπόρον. *Proſerpina igitur ſementis tempore a Plutone, ſole ſub terras commeante rapitur*; clareque ipſi πλύτων appellatur, ὁ ὑπὸ γῆν ἰὼν Ηλιος. Et cum hæc gentilium placita nugæ germanæ ſint, recte Euſebius cap. 16. eos interrogat: πῶς δὲ ὁ Πλύτων καὶ ὁ Σάραπις εἰς τὸν Ηλιον δύναι ἂν εἶεν φυσιολογεῖσθαι: *Pluto autem, & Sarapis, qua tandem Phiſiologia ad Solem revocari queant?* Et huc proculdubio reſpiciunt Macrob. 1. Saturnal. verba: *Inferi nomen ſoli datur, quum inferiori hemiſphærio, id eſt, hyemalibus ſignis curſum ſuum peragit; Superi, quum partem Zodiaci ambit æſtivam*: quam in rem plura moneri poſſent; ſed digitum intendiſſe ſatis habeo.

BELUS etiam vel *Baal* hunc in cenſum referendus eſt: indeque eum Βεελσάμlω, id eſt *dominum cæli* vocabant: Sanchoniathan apud Euſeb. Ηλιον θεὸν ἐνόμιζον μόνον, ὐρανῦ κύριον, Βεελσάμlω καλῦντες ὅ ἐςι παρὰ φοίνιξι Κύριος ὐρανῦ. Eodem reſpicere arbitror Servium ad lib. 1. Æn. 646. *Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipſorum lingua Hel dicitur: unde & Helois*: ſcribe *unde & Helios*; id eſt ἥλιος Græcorum: Idem rurſus ad v. 731. BELUS, *primus Rex Aſſyriorum, ut ſupra dictum eſt: quos conſtat Saturnum, quem eundem & Solem dicunt, Junonemque coluiſſe: quæ numina etiam apud Afros poſtea culta ſunt. Unde & lingua Punica Baldeus dicitur. Apud Aſſyrios autem Bel dicitur, quadam ſacrorum ratione & Saturnus & Sol*. Ηλ autem & Βὴλ idem

numen eſſe docet diſertis verbis Iſidorus apud Photium: *φοίνικες καὶ Συροὶ τὸν Κρόνον Ηλ καὶ Βῆλ καὶ Βολάθην* (videtur affine eſſe cum *Baldeus*) *ἐπονομάζουσι*.

SERAPIDEM eum ſole eundem eſſe monui, dicetque id pluribus Macrobius lib. 1. cap. 20. Saturnal. & in variis apud Gruterum & Reineſium inſcriptionibus occurrit: ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ: & in Latina, JOVI. SOLI. INVICTO. SARAPIDI: ſi modo, ut tamen videtur, hæc uni Serapidi tribuenda ſunt. In Rhodiorum nummis apud Goltzium Serapis cernitur hanc procul dubio ob cauſam radiis caput cinctus; non ſecus ac idem veluti Pantheus, plurium deorum inſignibus ornatur in numiſmate Antonini Pii apud Seguinum. Huc pertinet *Serapin* a voce derivari, quæ *incendere* ſignificat, uti docet P. Daniel Huetius, Vir eruditionis & humanitatis ſingularis, in Demonſtratione quam doctiſſimam conſcripſit, Evangelica; & Plutonem ad Solem, quemadmodum clare teſtatur Porphyrius apud Euſeb. lib. 3. cap. 11. Præparat. inferius hemiſphærium ſubeuntem relatum fuiſſe; quia ſcilicet Serapis & Pluto eodem loco habebantur. Sed quia Rhodi mentio, totuſque ſum in illuſtrando ſole, demus hoc inſulæ ſacratæ ſideri illi, ut origo nominis, qualis apud Iſidorum exſtat l. 14. c. 6. illuſtretur: *Rhodos Cycladum prima ab oriente, in quo roſæ capitolium dicitur eſſe inventum, dum ibi civitas conderetur; ex quo & urbs & inſula Rhodos eſt appellata:* Nonnius ad Goltzii Græciam ſe neſcire ingenue fatetur, quid ſibi *roſæ capitolium* velit; & certe ejuſmodi capitolium in alio orbe quærendum eſt; egoque illud leviſſima mutatione ex hoc noſtro ſubmoveo, & ſcribo: *in qua roſæ caput olim dicitur eſſe inventum*. Globulus roſæ inferior lanugine refertus, & cui folia inſiſtunt Latinis *caput* Græcis *κεφαλὴ* vocatur: Dioſcorides lib. 1. c. 131. *αἱ κεφαλαὶ δὲ ποθεῖσαι, κοιλίαν ῥέουσαν καὶ αἵματος ἀναγωγὴν ἐπέχουσιν*: id eſt, interprete Plinio lib. 21. cap. 19. *Capita pota ventrem & alveum ſiſtunt*: quanquam Iſidorus *calycem* videatur *caput* vocare.

JANUM eundem eſſe ac Apollinem, id eſt ſolem haud obſcure colligitur ex iis, quæ diſputat Macrob. lib. 1. Sat. cap. 9. & clare hoc docet Arnob. lib. 3. *Incipiamus ergo ſolemniter ab Jano & nos Patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii,* SOLEM *eſſe prodidere nonnulli*: atque hinc forte eſt quod apud Servium ad l. 7. Æn. *diei dominus* dicatur.

VULCANUM ſi quis eodem referre velit, ego certe non repugnabo; cum quia Ηφαιςος eſt idem, ac *Pater ignis*, teſtibus Bocharto, & Huetio; tum quia Porphyrius apud Euſeb. lib. 3. Præparat. Evangel. cap. 108. 22. cap. 11. lib. 1. cap. 10. & paſſim, vim ignis Ηφαιςον appellatam, *ejuſque ſimulacro cæruleum pileum impoſitum eſſe, quo cæleſtem converſionem denotarent, ubi primigenius & ab omni fæce puriſſimus Ignis domicilium ſuum habeat*; additque, *cum ejuſmodi quoque aliquam Solis eſſe vim putarent, Apollinem ipſum nominatum eſſe, ἀπὸ τῆς τῶν ἀκτίνων πάλσεως*. Quin & Tzetzes Chil. 10. canit Vulcanum vocatum eſſe Νῶε, *Διόνυσον καὶ Οσιριν*, & ignem, *καὶ τέχνας ἐκ πυρὸς ὁπόσας* inveniſſe. Neque tamen alia ſentientibus refragabor; idque eo magis, quia animadverto Voſſium Patrem lib. 1. cap. 66. de Idol. illam ſententiam non probare. Ceterum obſervandum obiter Ηφαίςου vel Vulcani ſimulacra prope caminos fuiſſe collocata: Euſtath. ad Odyſſ. pag. 1827. *Αλλοι δὲ ἐπιςάτην οἴδασι, τινὰ πήλινον πλαττόμενον παρὰ ταῖς ἐσχάραις. ὥσπερ παρὰ τοῖς καμίνοις Ηφαίςους πλάττουσι.*

ADONIN, ATTINEN, OSIRIM, & HORUM, nullum alium quam Solem eſſe docet Macrob. lib. 1. Sat. cap. 21. Et inde forte Attinis comæ, ut ſolis colorem exprimerent inaurabant; id quod nos docet inſcriptio elegans apud Mutium Phœbonium in Hiſtoria Marſorum,

ATTINI ARAM
LUNAM ARGENT
POSUIT. P. MARIUS
PHARETRA SACER
ACCADE. PRIMA
MINISTRA. MATRIS
MAGNAE. MATREM
REFECIT. MAGNAM
ET. INAURAVIT. ET
ATTINI. COMAM. IN
AURAVIT. ET. BEL
LONAM. REFECIT.

quanquam id de omnibus ejus ſimulacris adſeverare nolim; & ſolius ornatus gratia id potuerit eſſe factum. *Adonin* Solem eſſe etiam ex Orphicis firmat modo laudatus & laudari ſemper digniſſimus Huetius; cujus verba adſcribere non gravabor, prout exſtant in Propoſ. 4. cap. 3. Domonſtr. Evangelicæ: „Adonin, ait, autem eſſe ſolem, & „aſſeverat Macrobius, & Orphica oſtendunt, „cum ipſum omnium altorem, & *σβεννύμενον* & „*λάμποντα* *extinctum & lucentem* appellant: „quotis enim quibuſque annis & diebus ſol *σβέννυται καὶ λάμπει*. Et extinguitur quidem, cum „in inferioribus verſatur Zodiaci ſignis, & a nobis velut ad Proſerpinam, hoc eſt, ad inferius „hemiſphærium abit; fulget rurſum ſuperiora „ſigna repetens, cum lucis & dierum incremento. Et extingui quidem prius dicebatur, quam „fulgere, quia annum a Septembri menſe auſpicabantur Ægyptii & Phœnices, quo tempore „ſolis lumen & calor decreſcere incipiunt, & ad „hyemem vergit annus: vel quia in occaſu ſolis „diei initium Ebræi conſtituebant, quem morem „ab illis acceperunt Græci veteres; unde Dianam, quæ Luna eſt, & nocti præeſt, priuſquam Apollinem, ſive ſolem, natam eſſe fingebant. Quam in rem etiam videri poteſt Gerh. Johannes Voſſius in elaboratiſſimo opere, & gentilis ſuperſtitionis vere theſauro; in quo & alios deos ad Solem referri, Solemque ab omnibus fere gentibus cultum eſſe variis in locis oſtendit. Et ne fœmineus ſexus deſit, ipſa etiam *Nemeſis* advocanda eſt: Macrobius 1. Sat. cap. 22. *Et ut ad Solis multiplicem poteſtatem revolvatur oratio, Nemeſis, quæ contra ſuperbiam colitur, quid aliud eſt, quam ſolis poteſtas? cujus iſta natura eſt, ut fulgentia obſcuret, & conſpectui auferat, quæque ſunt in obſcuro illuminet, offeratque conſpectui*: & ſidus hoc ad *Cererem* etiam retuliſſe gentiles, docent verſus ex Pithœi Catalectis laudati: Unumque tandem deum eſſe *Plutonem, Proſerpinam, Cererem, Venerem, Amores, Tritones, Nereum, Tethyn, Neptunum, Mercurium, Vulcanum, Pana, Jovem, Junonem, Dianam, & Apollinem* cecinit olim Hermeſianax, ni fallor, apud Euſebium. Et firmantur hæc omnia, mirum quantum, verſibus Martiani Capellæ lib. 2. Nam poſtquam ſolem deſcripſiſſet,

Ignoti vis celſa patris, vel prima propago,
Fomes ſenſificus, mentis fons, lucis origo,
Regnum naturæ, decus atque aſſertio divum:
Mundanuſque oculus, fulgor ſplendentis Olympi.

addit,

Hunc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri,
Vel quod diſſolvis nocturna admiſſa, & Iſæum.
Te Serapin Nilus, Memphis veneratur Oſirim:
Diſſona ſacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem,
Atys pulcher item, curvi & puer almus aratri.
Ammon & arentis Libyes, ac Biblius Adon,
Sic vario cunctus te nomine convocat orbis.

Ipſe Apollo interrogatus quiſnam eſſet, ita ſe deſcribit apud Euſebium lib. 3. præparationis:

Ηλιος, Ορος, Οσιρις ἄναξ, Διόνυσος, Απόλλων
Ωρῶν καὶ καιρῶν ταμίης, ἀνέμων τε καὶ ὄμβρων
Ηῦς καὶ νυκτὸς πολυαςέρος ἥνια νομεύων
Ζαφλεγέων ἄςρων βασιλεύς, ἠδ' ἀθάνατον πῦρ.

Sol, Orus, Oſiris rex, Dionyſus, Apollo
Temporum & tempeſtatum diribitor, ventorum & imbrium,
Auroræ & noctis ſtellarum plenæ habenas moderans,
Stellarum flammantium rex, & immortalis ignis.

Atque ut omnes deos ad Solem, ita deas ad Lunam (quam ἀνθήλιον, q. d. *vicariam ſolis*, quia noctu idem officium terræ, quod ſol de die præſtat, vocarunt Græci, teſte Heſychio) retulerunt: *Minervam, Dianam, Cererem, Junonem, Iſidem, Hecaten, Proſerpinam, Rheam, Cæleſtem, Aſtarten, Parcas, Enyo* aliaſque Lunam habitas fuiſſe conſtat ex iis quæ memoriæ mandant Porphyrius apud Euſebium l. 3. præpar. cap. 11. t. 1. cap. 10. & paſſim Arnob. lib. 3. Plutarchus lib. de Iſide, & in Sulla, Cic. l. 2. de Nat. Deor. Mart. Capella, &, ne omnes tam veteres quam recentiores laudem, Joh. Gerh. Voſſius & Petrus Daniel Huetius, in præclariſſimis operibus: quibus addendi ſunt Illuſtres & Celebres antiquarii, Spanhemius, Seguinus, Patinus, Vaillantius, Morellius, Sponius aliique, quorum ex nummis & operibus lux huic rei magna affundi poteſt; & denique qui nuper Inſignia Turcica illuſtravit, M. Paulus Pater, Hungarus. Et hic ſignum ſtatuerem, niſi explicanda foret Ægyptii numinis vel Iſidis imago, quæ exſtat apud Caſalium in libro de Ægyptiorum ritibus:



Cauſam ſe neſcire fatetur vir eruditus, quare Iſis bovis galeam gerat. Verum hoc ideo factum, quia Mercurius fingitur Iſidi galeam e bovis capite factam, impoſuiſſe, cum Orus matri ob dimiſſum Typhonem iratus, regium ei de capite ornamentum detraxiſſet: teſte Plutarcho lib. de Iſide, ubi inter cetera ait, Ερμῆν ἐπιθεῖναι βούκρανον αὐτῇ κράνος. Idem inſigne Aſtartæ, quæ eadem cum Iſide & Luna, tribuit Sanchoniato apud Euſeb. l. 1. cap. 10. Η δὲ Ασάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου. Cornua ipſi nec non Io etiam tribuit Herodotus l. 2. c. 41. τὸ γὰρ τῆς Ισιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον βουκερών ἐςι, καθάπερ Ελληνες τὴν Ιοῦν γράφουσι: Plutarcho Iſis vocatur Κερασφόρος, Ovidius *lunaria* ipſius *fronti cornua* tribuit; & inde eſt, quod Tertull. l. 1. c. 14. ad Nationes gentilibus objicit, *canino capite & leonino, & de bove & de ariete & de hirco cornutos deos, caprigenas, vel anguinos & alites plana fronte & tergo*: Ius frons ςολοκρατὴς dicta propterea fuit: Heſychius: Στολοκρατὲς τὸ τῆς Ιοῦς μέτωπον διὰ τὰ κέρατα: quia ſcilicet ςόλος etiam ſignificat rem prominentem. Euſebius lib. 1. cap. 9. præpar. ſcribit Iſin ſignificare τὴν παλαιὰν *antiquam*, eoque nomine lunam ἀπὸ τῆς ἀϊδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως *propter æternum & veterem ortum* fuiſſe vocatum; cornua eidem tribui, quia creſcente & abeunte lumine cornuum inſtar curvata eſt, & quia vacca ipſi apud Ægyptios fuit conſecrata: unde & Martianus Capella l. 2. notat eam *cornigeram & aſperam eſſe egeſtionibus*. Proſerpinæ, quam eandem cum Iſide eſſe exiſtimabant, cornua etiam fuerunt: Euſebius lib. 3. cap. 11. Præparat. ſequutus Porphyrium ſcribit, Διόνυσον κοινὰ πρὸς τὴν Κόρην ἔχειν τὰ κέρατα: & Athenagoras in Legat. pro Chriſtianis narrat, eam filiam eſſe Jovis & Rheæ vel Cereris, *præter duos* κατὰ τὴν φύσιν *oculos habere duos alios* ἐν μετώπῳ *in fronte*, καὶ προτομὴν κατὰ τὸ ὀπίσθεν τοῦ τραχήλου μέρος, *vultum vel faciem verſam ad poſteriorem colli partem* (male interpres reddit, *& roſtrum poſteriore colli parte*) καὶ κέρατα, *& cornua*; Rheam partu tam monſtroſo territam fugiſſe, neque papillam præbuiſſe infanti; & inde myſtice Proſerpinam vocari Αθηλᾶν, *non lactatam*, communiter vero *Proſerpinam* & *Coren*. Nec omittendum Suidam in v. Ανάςατοι obſervare placentas quaſdam planas & rotundas σελήνας *lunas* vocari; poſt ſex lunas pinſiſſe vel feciſſe βοῦν ἕβδομον κέρατα ἔχοντα κατὰ μίμησιν τῆς πρωτοφυοῦς σελήνης, bovem ſeptimum habentem cornua ad imitationem lunæ primum naſcentis; & hunc bovem poſt quatuor popana (& hoc placentæ genus) ſacrificatum, ipſumque vocatum fuiſſe quintum bovem: cui adde Heſych. in vv. Βοῦς & Βοῦς ἕβδομος. Radiata autem eſt, quia radios a ſole ſcilicet mutuatos emittit; niſi ſi quis exiſtimare velit, non tam radios, quam alium ornatum hic cerni. Certe Dea Syria radiis ornatur a Luciano: Καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ ἀκτῖνάς τε φορέει, καὶ πῦργον, καὶ κεςὸν, τῷ μούνην τὴν Ουρανίην κοσμέουσι: *in capite radios gerit & turrem & ceſtum, quo ſolam Cæleſtem exornant*: & ſimiliter Adargatin Aſſyriis cultam deſcribit Macrobius 1. Sat. 23. *Adargatis ſimulacrum ſurſum verſum reclinatis radiis inſigne eſt, monſtrando radiorum vi ſuperne miſſorum enaſci quæcunque terra progenerat*. Et quanquam ille per *Adargatin* terram intelligat, tamen illa nec non Syria dea ad Lunam etiam atque adeo ad omne quod ſolari ſubditum eſt poteſtati, refertur, uti notum eſt ex ſcriptis virorum, quos laudavi, clariſſimorum. Et commode ad illam referri poſſunt *radii ſurſum verſum* reclinati, quia, ut Virgilius canit 1. Georg. 396. *obnoxia eſt fraternis radiis*; &, uti Julius

Firmicus cap. 2. Mathes. loquitur, *cum vicina soli sive crescens sive deficiens fuerit, radios luminis sui, quasi solem venerata submittit: ut fraternis ignibus rursus ornata, cum longiores cursus sui fecerit metas, renata fulgidi splendoris, ac renovata luminis ornamenta circumferat*. Ut autem hoc veluti ἐπίμετρον addam, Apulejo Apol. 1. *Venus* dicitur *illex animi, & luna noctium conscia:* Scipio Gentilis in notis quidem recte de dulcibus furtis amatorum explicat; sed lib. 1. parerg. c. 33. rescribit *noxium*, id est *noxiorum*; & male quosdam reponere addit, *noctium*. Quis horum librorum prior sit, illud me nescire fateor certe τὸ *noxium* pro *noxiorum* nequaquam admitti posse. Atque hæc quidem sufficient ad evincendum, omnes deos deasque ad Solem & Lunam retulisse gentiles; nec ullam superstitionem tam late per orbem terrarum fuisse dispersam, cum nulla fere gens sive versus orientem, sive versus occidentem, sive versus septentrionem & meridiem posita fuerit olim, quin ea elementa coluerit. Imo Origenes commentario in Johannem scribit ante eum quosdam disseruisse, & Solem & Lunam, & astra illis attributa fuisse, qui minus digni haberentur, uti illo titulo ac laude cohonestentur, ut Deus Deorum, Deus ipsorum foret, illudque ut persuasum haberent adductos fuisse Deuteron. 4. 19. verbis, quibus Deus Solis & Lunæ & astrorum cultum Israelitis interdicit, ἃ ἀπένειμεν αὐτὰ κύριος ὁ θεός σου πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν. ὑμῖν δὲ οὐχ οὕτως ἐδώκε κύριος ὁ θεός σου: *quæ ipsa distribuit Deus tuus cunctis gentibus: vobis autem non sic dedit Dominus Deus tuus*. Clementem Alexandrinum designari ab Origine recte notat præstantissimus Huetius, qui Strom. 6. dedisse Deum gentibus Solem, Lunam, & astra ad religionem, ne funditus athei effecti funditus perirent, & ut πρὸς θεὸν διὰ τῆς τῶν ἄστρων θρησκείας assurgere possent, scribit. Et significat hoc etiam Justinus Martyr in Dial. cum Tryphone Judæo: τὸν μὲν Ἥλιον ὁ θεὸς ἐδεδώκει πρότερον εἰς τὸ προσκυνεῖν αὐτὸν, ὡς γέγραπται: *Solem quidem dedit Deus prius ad adorandum ipsum, uti scriptum est*. Sed ne dicam illa verba, ὑμῖν δὲ ... hodie non inveniri in LXX. interpretum versione, longe etiam alia præ se ferre versiones, quæ ex Hebræis exemplaribus factæ sunt, nihil certe absurdius dici potuit, & si unquam alias, hic certe Ecclesiæ Luminum lumen laboravit & obscuratum fuit. Esseni tamen ex nonnullorum sententia preces ad solem fundebant, & eum venerabantur: Josephus lib. 2. c. 7. Excidii: πρός γε μὴν τὸ θεῖον ἰδίως εὐσεβεῖς· πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν τὸν Ἥλιον οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων. πατρίους δέ τινας εἰς αὐτὸν εὐχὰς, ὥσπερ ἱκετεύοντες ἀνατεῖλαι: *nam ante ortum solem nihil profani loquuntur: sed patrias quasdam preces ad eum fundunt, tanquam supplicantes, ut exoriatur*. Nam Essenos solem adorasse censent Scaliger in Elencho, & Petavius in Miscellaneis Exercitationibus. Salmasius vero ad Solinum existimat Essenos preces ad solem direxisse, ut statim sese vellet exerere, quia orto demum sole ad opus quisque suum mittebatur, eosque hac peculiari quidem veneratione solem prosecutos, veluti opus Dei excellentissimum, non ut adorarent, aut pro deo haberent. Petitus 2. Var. Lect. 7. rescribit εἰς αὐτὸ, ut referebatur ad τὸ θεῖον, vel *Deum*; adjicitque Essenos ante exortum solem nihil profani locutos, sed preces ad Deum fudisse, eumque supplicasse, ut sol exoriretur. Ego virorum eruditissimorum litem meam non facio; sed sententiarum diversitatem ideo adduxi, ut pateat quosdam & eos quidem non minimi nominis censuisse sectam illam Judæorum cultui solis fuisse deditam. Nec hac macula caruerunt illi, qui Christiano nomine veniebant, quanquam eo indigni sunt plane propter nefarias & abominandas opiniones. Ex eorum numero, uti docui, fuere Basilidiani, nec non Manichæi: Theodoretus lib. 1. cap. 26. οὗτοι τὸν ἥλιον καὶ τὴν σελήνην θεοὺς ὀνομάζουσι, ποτὲ μὲν αὐτὸν ἀποκαλοῦντες Χριστόν: Similia de iis tradunt Epiphanius Hæres. lib. 2. Tom. 2. breviterque in Anacephalæosi pag. 146. August. c. 46. Hæres. & l. 20. cap. 5. contra Faustum: qui priore loco, alterum enim consulere non possum, ita loquitur. *Orationes faciunt ad solem per diem, quaquaversum circumit: ad lunam per noctem, si apparet: si autem non apparet ad aquilonarem partem, qua sol, cum occiderit, ad Orientem revertitur*: ubi, quod addit, *quaquaversum circumit*, Manichæos distinguit a reliquis Christianis, qui ad orientem conversi precabantur, unde & gentilibus visi sunt ipsum solem adorare, quemadmodum ex Tertulliano & aliis Patribus notarunt eruditi. Joh. Damascenus, quem doctissimus Cotelerius ante aliquot annos inter Ecclesiæ Græcæ monumenta vulgavit, scribit Manichæos Christum σχήματι σέβοντας coluisse ἥλιον καὶ σελήνην; eosque ἄστροις, καὶ δυνάμεσι καὶ δαίμοσι preces obtulisse: & alio Idem loco memoriæ mandat, fuisse hæreticos qui τὰς λεγομένας ἡλιοτρόπους βοτάνας ταῖς ἀκτῖσι τοῦ ἡλίου συμφερομένας, *herbas heliotropia dictas, quæ cum solis radiis circumflectuntur*, coluerunt, asserentes vi quadam divina esse præditas, & inde eos dictos *Heliotropitas*; quos a vero non alienum est etiam solem coluisse. Et cum Judæorum & Christianorum, quibus divina lux affulserat, sectæ solem & sidera coluerint, nihil certe mirandum est, si splendidissima elementa gentiles primo in admirationem, inde ad cultum sui perduxerint: & si insignibus valde laudibus sidus illud celebraverint. Nam Græcis per excellentiam Θεὸς dicitur, tanquam unus deus foret, uti notarunt Salmasius & Petavius; quibus addendus Achilles Tatius lib. 4. extremo: φασὶ δὲ ὅτι τὸν ἀριθμὸν τυγχάνουσι ὅσας ὁ ΘΕΟΣ εἰς ὅλον ἔτος ἀναλάμπει τὰς ἡμέρας: *quos, cum numerantur, tot reperiri ajunt, quot dies per annum integrum* DEUS *fulget*. Themistius Orat. XI. οἱ σφόδρα ἐπιθυμοῦντες τοῖς ὄμμασιν ἀντιτείνειν εἰς τὸν ΘΕΟΝ, πρῶτον μὲν ἐν τοῖς ὕδασι μελετῶσι: & Clemens Alexandr. qui lib. 5. Stromat. accipitrem scribit signum esse τοῦ θεοῦ, id est, *solis*, quemadmodum ex iis quæ sequuntur patet. Non aliter vocabatur cœli statio, quam sol obtinebat; Manilius lib. 2. v. 908.

> *Sed medium post castra diem, curvataque primum*
> *Culmina nutantis summo de vertice mundi,*
> *Æthere Phœbus amat: sub quo quoque corpora nostra*
> *Decernunt vitia, & fortunam ex viribus ejus*
> *Concipiunt*. DEUS *ille locus sub nomine Grajo*
> *Dicitur* ———

& Lunæ stationem mox DEAM appellari canit. Porphyrio apud Euseb. lib. 5. cap. 10. præpar. dicitur ὁ Βασιλεύς; In lapidibus vetustis DOMINUS atque DIVINUS; & Juliano, quem multis exemplis illustrat Ezechiel Spanhemius, cujus amicitiam & eruditionem maximi æstimo, frequenter Δεσπότης; eodemque nomine solem a Massagetis cultum fuisse legere licet apud Herodotum lib. 1. cap. 213. Ab Ægyptiis invocabatur in solennibus precibus, si fides habenda Euphanto, qui illas Græce vertit apud Porphyrium: Ω δέσποτα Ἥλιε, καὶ θεοὶ πάντες οἱ τὴν ζωὴν τοῖς ἀνθρώποις δόντες: indeque forte *Osiris* a Cypriis Ἄδωνις appellatus est,

eſt, teſte Stephano: *Ἀμαθοῦς πολις Κύπρου ἀρχαιοτάτη, ἐν ᾗ Ἄδωνις Ὄσιρις ἐτιμᾶτο· ὃν Αἰγύπτιον ὄντα Κύπριοι καὶ φοίνικες ἰδιοποιοῦνται*: nam Heſychio *Ἄδωνις* exponitur, *δεσπότης ὑπὸ φοινίκων*; Hebræa vox *Ἀδωναὶ* nihil aliud quam *dominum* ſignificat, teſtibus Seldeno & Heinſio; Lacedæmonibuſque Adonis *Κῖρις* vel *Κῦρις*, id eſt *Κύριος* dictus eſt, uti apud eundem Heſychium legere licet. Quanquam repugnare nolim iis, qui cenſebunt Laconum *Κῖρις* nihil commune cum *Κυρίῳ* habere; nec iis, qui exiſtimant gemina appellatione Cyprios divinitatem expreſſiſſe: id quod & ipſe in priori editione haud obſcure ſignificaveram, nuncque eo magis amplector, quia video Illuſtrem Huetium prop. 4. cap. 10. Demonſtr. Evang. notare Amathuntem duplici nomine perſonam unam deſignare, & Suidam ſcribere in v. *Ἡραΐσκος* ſimulacrum quoddam communi Oſiridis & Adonidis nomine ab Alexandrinis fuiſſe cultum. Præterea Sol *πανόπτης* vocatur Porphyrio lib. 2. ejuſque verba etiam exſtant apud Euſeb. l. 9. Præpar. c. 2. *Non enim victimas epulantur, ſed eas integras per noctem comburentes, multo melle & vino iis ſuperfuſo, ſacrificium ocyus conſumunt, ἵνα τοῦ δεινοῦ μὴ ὁ πανόπτης γένοιτο θεάτης, ne qui omnia videt facinus hoc intueatur*: id eſt, ut interpretor, ſol, qui ſcilicet de die videt; quem Homerus od. M. v. 323. *πάντα* canit *ἐφορᾶν* & *πάντ' ἐπακούειν*; cuique Orpheus vel Oenomaus tribuit *πανδερκὲς αἰώνιον ὄμμα*. Juliano Orat. 4. ſol dicitur *κοινὸς ἁπάντων πατὴρ*, *communis omnium pater*, & alibi, *κοινὸς ἡγεμὼν*, *communis dux*: Phyſicis apud Ammian. Marcell. 21. 1. *mens mundi*: Propertio lib. 1. El. 15. *magnus*: Lycophroni pag. 63. *Θοραῖος*, quod Tzetzes interpretatur *τὸν σπερμογόνον καὶ γεννητικόν· πάντα γὰρ ὁ Ἥλιος γεννᾷ καὶ τρέφει καὶ αὔξει, ὡς καὶ ὁ Σοφοκλῆς φησι, τὴν πάντα γῆν βόσκουσαν ἡλίου φλόγα*: Menandro Rhetori lib. 2. cap. 15. *luminis quæſtor, & fons cæleſtis ſplendoris rerum omnium opifex, qui ex cæleſtibus axibus ſplendens chaos diſſipavit*: Macrobio 1. Sat. 19. *auctor ſpiritus, caloris ac luminis humanæ vitæ genitor & cuſtos*: qui & alibi poſtquam omnes deos ad Solem referri debere oſtendiſſet, addit; *potentiam ſolis ad omnium poteſtatum ſummitatem referri Theologos indicare, eoſque in ſacris hoc breviſſima precatione demonſtrare, dicentes*: *Ἥλιε παντοκράτωρ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς*, *ſol omnipotens, mundi ſpiritus, mundi poteſtas, mundi lux*. Cumque alio loco eidem dicatur *mundi caput & rerum ſator*: *μόνος οὐρανοῦ θεὸς* Phœnicum Theologis apud Philonem Byblium: AETERNUS in lapidibus vetuſtis: in iiſdem apud Reineſium, nec non in nummis apud Triſtanum INVICTUS; *δημιουργὸς* vel *Architectus omnium rerum*, Ægyptiis, docente Porphyrio in Epiſtola ad Anebum apud Euſebium lib. 3. præparat. non certe mirum cuiquam videri debet Julium Firmicum lib. 1. Matheſ. exremo ita Solem alloqui: *Sol igitur optime maxime, qui mediam cœli poſſides partem, mens mundi atque temperies, dux omnium princepsque, qui cæterarum ſtellarum ignes flammiferarum luminis tui moderatione perpetuas*. Orpheo in Indigitamentis vocatur *δεσπότης, ζωῆς φῶς, πιστοφύλαξ αἰεὶ πανυπέρτατος*: *mundi dominus, oculus juſtitiæ, lux vitæ, fidus cuſtos, ſemper maximus*: Proclo *πυρὸς νοεροῦ βασιλεὺς, φάους ταμίης*, & *ζωάρκεος ἄναξ πηγῆς*: *rex ratione præditi ignis, lucis quæſtor vel diſpenſator, rex fontis vitalis*; ipſique mox *providentiam, & fatorum omne imperium* adſcribit, uti obſervant Barthius ad Zachariam, & monuit me Illuſtris Grævius *νοερὸν* verti debere *ratione præditum*, non, ut vulgo fit *intelligibilis*, quia Solis igni adſcribebant rationem gentiles & providentiam, ut & ipſe Proclus mox docet, ut diſtingueretur ab alio igne, qui eſt res bruta, adeo ut mirandum nequaquam ſit in nummis Caracallæ apud Triſtanum cerni caput Solis radiatum, & vocem PROVIDENTIA: quæ & inde valde illuſtratur, quod Euſtathius ad Il. o. extremam ſcribit conjunctionem Minervæ & Apollinis a Juliano parabate ſcribi fieri, *διὰ τὸ Δία μὲν νοεῖσθαι τὸν Ἥλιον, ἐξ αὐτοῦ δὲ γεννᾶσθαι τὴν Ἀθηνᾶν ἤτοι τὴν πρόνοιαν*. Omnium igitur rerum dominus & præſes Sol habebatur; utque deum tam eximium pure colerent, varia homines invenerunt ſuperſtitionum genera. Phylarchus apud Athenæum lib. 15. memoriæ mandat, Græcos ſoli mel libaſſe, vinum autem aris ejus non intuliſſe, *δεῖν λέγοντες τὸν τὰ ὅλα συνέχοντα καὶ διακρατοῦντα θεὸν, καὶ ἀεὶ περιπολεύοντα τὸν κόσμον, ἀλλότριον εἶναι μέθης*; *dicentes deum, qui omnia continet & regit, & mundum perpetuo circumit, alienum eſſe ab ebrietate*: *Νηφάλιον θυσίαν*, in quo ſacrificio non vinum ſed mel aqua dilutum libabatur, Athenienſes obtuliſſe *Mnemoſynæ, Auroræ*, SOLI, *Lunæ, Nymphis & Veneri Cæleſti* tradit Polemon apud Suidam; eos qui Heliopoli ſolem colebant Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, ſcribit non tuliſſe vinum *τὸ παρὰ πᾶν εἰς τὸ ἱερὸν*; quod non conveniat interdiu bibere, *τοῦ κυρίου καὶ βασιλέως ἐφορῶντος*, *domino & rege inſpiciente*: Gentes nonnullæ adeo mortuos ſepeliebant, quia *ἀσεβὲς* vel *impium* exiſtimabant eos ſoli oſtendere, teſte Sexto Empirico lib. 3. pyrrh. Hypoth. Inde Heſiodus *ἐν ἔργοις* vetat, ut opinor, ne quis *ἄντ' ἠελίοιο τετραμμένος ὀρθὸς* mejat; canitque virum divinum id facere *ἑζόμενον ſedentem*, vel *ad parietem converſum*; quo modo etiam Perſas hodiernos naturam exonerare obſervat Olearius; ſed veteres eo ſitu pinxiſſe nullo probari argumento Bochartus, Vir doctiſſimus annotat in Hierozoico. Tradit tamen illud Ammian. Marcell. lib. 23. extremo: *Super his nec ſtando mingens, nec ad requiſita naturæ ſecedens facile viſitur Perſa: ita obſervantius hæc aliaque pudenda obſervant*: quod ſi quis feciſſe Perſas exiſtimet reverentia ſolis, quem præcipue eos coluiſſe ex variis auctoribus conſtat, certe illi ego nequaquam refragabor. Nec omittendum Triſtanum Tom. 1. p. 465. notare ex Porphyrio templa & ſtatuas apud gentiles Orienti fuiſſe obverſa, ut ſol Oriens per januas eorum apertas intrare poſſit. Verum ego hoc apud auctorem eum nullus reperio; iſque in libro de Antro Nympharum tantum ſcribit, omnia ferme *τὰ ἀγάλματα καὶ τὰς εἰσόδους* habuiſſe *πρὸς ἀνατολὰς τετραμμένας*, *ingredientes vero occaſum reſpexiſſe, ὅταν ἀντιπρόσωποι τῶν ἀγαλμάτων ἑστῶτες τοῖς θεοῖς τιμὰς καὶ θεραπείας προσάγωσι, ut vultu ſtatuis obverſo conſiſtentes diis honorem cultumque exhibeant*: in quibus, uti patet, verbis, ne ſolis quidem fit mentio: alibi idem Porphyrius memorat, *auſtrum diis attribuentes ἱσταμένης τῆς μεσημβρίας ipſo meridie in templis deorum cortinas reducere* vel *ἐν τοῖς ναοῖς τῶν θεῶν τὰ περιπετάσματα ἕλκειν*; *& Homericum præceptum ſervantes ſole verſus auſtrum inclinante nefas eſſe hominibus deorum templa ingredi, ſed viam immortalium eſſe*; *meridiei etiam & auſtri ſymbolum ſtatuere, ἐπὶ τῇ θύρᾳ μεσημβριάζοντος τοῦ θεοῦ, deo ad oſtium meridiante*; ubi per *θεὸν* ſol intelligendus videtur, quem mox *ἀρχὴν τῶν ὅλων* vocat, & ſilentio coli debere ſcribit. Præterea Ægyptii tribus vicibus Soli ſacrum faciebant ſingulis diebus, & quidem *reſina* ſub ortum, *myrrha* meridie & *Kyphi* circa occaſum, cujus ſuperſtitionis cauſam reddit Plutarchus lib. de Iſide. Eoſque retuliſſe deos ſuos ad Solem & Lu-

nam, non adeo mirandum est, cum mortalium primi sidera deos esse putaverint, quemadmodum testatur Euseb. lib. 1. Præpar. cap. 6. Id quod etiam memoriæ mandat Lactant. lib. 2. Inst. c. 13. *Omnium primi, qui Ægyptum occupaverunt, cælestia suspicere atque adorare cœperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem, nec enim ullis in ea regione nubibus subtexitur cœlum; cursus siderum & defectus notaverunt, dum ea sæpe venerantes curiosius atque liberius tuerentur. Postea deinde portentificas animalium figuras, quas colerent, commenti sunt, quibusdam prodigiis inducti.* Atque ita omnes gentes Soli honorem habuerunt, unos si excipias Atlantas, qui testibus Herodoto, cujus verba insigniter illustrat præstantissimus Vossius, Plinio, Solino, & Mela Pomponio, *Solem execrantur & dum oritur, & dum occidit, ut ipsis agrisque pestiferum:* quem morem & hodie barbaros, qui prope promontorium Bonæ Spei habitant, quosque *Hottentottos* nominant, observare testantur, qui illorum mores literis mandarunt.

Postquam Harpocratem absolveram, & jam jamque typographo eram traditurus, ecce liber elegans in Gallis prodiit, qui auctorem habet Baudelotium De Dairval, & argumentum *Utilitatem peregrinationum*. Magna certe cum voluptate Viri eruditi & Antiquitatum diligentis Interpretis curas perlegi, fateorque me ab iis doctiorem recessisse. Sed cum & Harpocratem meum laudet, magisque illustret, non pergratum tibi, Lector, fore persuasus sum, si & hic illius sententiam invenias. Arbitratur igitur Baudelotius Harpocratem *Pantheum* & *Larum* numero habitum fuisse; ejus ex brachio dextro pendere *lucernam*, eandemque Isin ac Serapin in marmoribus & nummis tenere; aves *columbas* vel *hirundines*, easque laribus sacras, animalculum *canem*, amiculum lateris sinistri *canis pellem* esse, & tandem eum manu *thyrsum* sinistra tenere. Quæ omnia si quis amplecti velit, nullus certe repugnabo: non enim eo ingenio sum, ut existimem omnia mea ex Apollinis tripode proficisci, aliorumque opiniones atro carbone notandas esse. Neque tamen moleste, ut spero, feret vir eruditus & politus admodum, si nonnulla moneam, quæ inservient sententiæ meæ firmandæ, & illustrandæ magis eleganti imagunculæ. HARPOCRATEM igitur *Pantheum* esse non modo ex iis, quibus eum illustrare aggressus fui, verum etiam ex iis, quæ disserui pag. 176. Apotheoseos Homeri patet satis superque: eundem *Laribus* sive *Diis Domesticis* annumerari posse disertis verbis pag. 109. prioris editionis notavi: & in opere laudato Jovem, aliosque deos laribus adscriptos, atque a vesanæ superstitionis hominibus in peculiares defensores, & patronos adoptatos fuisse. Sic in passione S. Savini apud Baluz. Tom. 2. Miscell. *Venustianus Deum suum, quem habebat in cubiculum suum, ubicunque mansisset, jussit adduci in medio, quia erat miræ facturæ ex lapide coralite Jovis, & vestimenta ejus deaurata erant:* id quod etiam tradit Ado pag. 47. Martyrologii; cum quo ejusmodi parvam statuam vocare possis *statunculam*, vel *statunculum*, (utroque enim modo scribitur) *Jovis*. Non animadverti tunc, fateor, *canem* ad pedem dextrum Sigalionis sedere; sed tamen, uti testis mihi Illustris Grævius erit, diu ante conspectas Viri præclari curas, idem mihi in mentem venerat; canemque non ex cultu Larum, sed Numinum Ægyptiorum explicari debere existimavi. Dubitabundus tamen *canem* feci, & ut adhuc dubitem facit cum ipsa corporis & aurium forma, tum Joh. Smetius, qui rogatus ut diligentius Harpocratem inspicere vellet, hæc misit: „Dum iterum imagunculam „nostram propius ac accuratius inspicio, ego in „sententiam summi istius viri ire non audeo. „Nam longiores animalculi aures, si quid ego judico aperte indicant leporem. Harpocratis certe binas statuas, quarum unam exhibeo,



canis comitatur apud Baudelot: non secus ac Serapin in lucerna apud Licetum, Deos penates in nummis Gentis Cæsiæ: jacet idem ad pedes Jovis in alia lucerna, quam Laribus sacram facit; & Sigalion noster basi vel alii rei, quæ canis capite exornatur insistit, uti ex ectypo patebit:



Penates deos *pelle canina* amictos fuisse clarissime docet Plutarchus in Quæst. Romanis; nec non Athenagoras in libro, qui ex Græco versus Gallice tantum exstat, *De vero amore*; quem tamen auctorem vix credere ausim genuinum esse, licet illud sentiant Illustres & præstantes viri, quia integra loca ex Plutarcho, Livio, Herodoto, Curtio aliisque auctoribus ad verbum fere descripta sunt. Quod si fraus omnis abest, plurimi ille Athenagoras faciendus est certe, quia tot antiquitatibus, aliisque præclaris rebus abundat. Et licet Harpocratis signa apud summi nominis Antiquarios Petrum Bellorium & Spo-

nium videantur canis pellibus amiciri, nihil tamen simile in aliis, imo nec in nostro observes; cum vestis illa nil nisi linum exprimat, deorum sacerdotumque Ægyptiorum solenne gestamen: licet non diffitear Smetium nunc etiam velamen illud facere rugosum ac intonsum vellus, sine ullis ungulis. *Canis* revera optime diis domesticis & Laribus convenit, quia hi rem familiarem servare putabantur; hocque fidissimum & domesticum animal est. Hinc Græcis custos κύων vocatur; quomodo Æschylus in Agamemnone κύνας appellat eos qui rerum custodias agunt, notante Scaligero ad Varronem; & Seneca l. 3. cap. 37. De Ira, janitorem vel ostiarium *canem catenarium*, uti arbitratur Vossius in Instit. Oratoriis; quanquam cum aliis viris eruditis existimem hunc de vero cane loqui, & verba ista; *Irasceris ergo catenario cani? & hic cum multum latravit, objecto cibo mansuescit*, nequaquam ita exponi posse. Scholiastes Euripidis v. 1122. Phœniss. epithetum Argi πανόπτην explicat, τὸν ἄργον κύνα, moxque eum φύλακα nominat; & hinc est, quod Ægyptii Anubin finxerunt capite canino, ἐμφαίνοντες ὅτι σωματοφύλαξ ἦν τῶν περὶ Όσιριν καὶ τὴν Ἶσιν, *indicantes eum* (non *canem*, ut interpres vertit) *corporis Osiridis & Isidis custodem fuisse*. Harpocratem præterea nequaquam arbitror *lucernam* tenere. Constat quidem λυχνοφορίας in Ægyptiorum sacris frequentes fuisse teste Diodoro; Herod. l. 2. c. 62. celebrat Isidis festum λυχνοκαῖται, quo non modo in urbe Sai, verum etiam per totam Ægyptum lucernæ accendebantur; in sacris ejusdem deæ apud Apul. lib. XI. sunt *Antistites sacrorum, proceres illi qui candido linteamine cinctum pectorale ad usque vestigia strictim injecti potentissimorum deum proferebant insignes exuvias. Quorum primus lucernam, præmicantem claro porrigebat lumine, non adeo nostris illis consimilem, quæ vespertinas illuminant epulas: sed aureum cymbium medio sui patore flammulam suscitans largiorem*: & denique monstrum triceps apud Licetum pag. 1177. adstans Isidi & Serapidi utraque manu lucernas accensas tenet, quæ medio sui patore certe largiorem flammam edunt, & cymbia, voce ea late sumpta, vocari haud incommode possunt: sed tamen nondum animum induxi credere Harpocratis ex brachio lucernam pendere, vel alibi eundem, sive Isin sive Serapin eam tenere. Nam primo repugnat tota forma; deinde cui usui inserviet, si accensa non est? & accensam portari ita potuisse, a ratione plane alienum est. Præterea Apulejus αὐτόπτης proculdubio harum statuarum *cymbium* simpliciter, vel vas ansatum Isidi tribuit, ac cum sacerdotis cymbium describit, satis clare ostendit illud lucernam fuisse ansa carentem, & Servius sinistra Isidem manu sitellam tenere commentatur *ad ostendendam adfluentiam omnium lacunarum*, id est, ut significarent, deam illam dominam esse omnium lacuum & aquarum, vel humidæ substantiæ: & tandem Smetius me certiorem fecit, satis constare tam ex labro quam fundo vas illud situlam esse. Præstantissimus quoque Rycquius ad me misit in plerisque codd. legi *situlam* & *fluentiam*; & per *lacunas* intelligit fossas in quas Nilus stagnans recipiebatur, per *adfluentiam* multitudinem & abundantiam hujuscemodi fossarum; nihilque probabilius esse existimat quam hæc verba ad Nilum vel Nili fossas referre, quia per sistri motum, quod gerit in dextra Isis, Nili accessus recessusque significat: quæ certe explicatio *lucernam* plane excludit; & omnino amplectenda esse videtur. Num aves *columbas*, an vero *hirundines* referant, aliis relinquo examinandum. Antiquitatis tamen indagator sollers Smetius misit ad me ex procero gracilique collo se conjicere, aves anseres esse, licet propter detrita capita vix illud queat cognoscere; & certe mihi plus semel inspicienti κειμήλιον illud, semper corpora istarum avium nihil cum columbis vel hirundinibus commune habere visa sunt; ut ut Ælianus l. 10. c. 34. Hist. Animal. testetur hirundines θεοῖς μυχίοις, *diis qui in penetrali colebantur*, & Veneri μυχίᾳ sacros esse; ubi tamen alii scribunt μοιχίοις & μοιχίᾳ, quæ voces certe aliud quid significant. Explicaturus inde Vir eximius sequentem inscriptionem:

FORTUNAE PRIMIGENIAE
SIGNUM. LIBERI. PATRIS
PANTHEI. CUM SUIS. PARERGIS
ET. CUPIDINES. II CUM. SUIS. LYCHNUCHIS. ET. LUCERNA. LAPUM
M. POPILIUS. M. F. TROPHIMUS. CUM
POPILIA. CHRESTE. LIB. ET. ATILIO. FILIO.

addit: *l'Harpocrate de Monsieur Cuperus est peut etre quelque figure semblable à celles de cette inscription, car il a sur la tete les ornemens d'Isis que les Inscriptions confondent avec la Fortune, il tient un Tyrse d'une main, & il a des colombes au bas*. Quæ docere videntur, virum præstantem *columbas* referre ad cupidines, quia illæ Veneri & Amoribus sacræ, Isidis insigne ad Fortunam, & thyrsum ad Bacchum. Sed signum Liberi patris fuit aliud a Fortuna primigenia, nec quicquam cum iis commune habuerunt Cupidines. Popilius dicat & consecrat Fortunæ illi signum Bacchi pantheum, & duos Cupidines, quæ in unum simulacrum conflanda non sunt, cum fuerint tria diversa, unum Bacchi nempe, & duo Cupidinum, & e contrario Harpocrates non nisi una imaguncula est variis parergis exornata. Isis certe confunditur cum Fortuna, sed nihil hoc ad rem facit: & Harpocrates non Isidis, sed solenne Ægyptiorum numinum, atque adeo suum insigne capiti habet impositum. Nec columbæ, si modo illæ sunt, Harpocratem nostrum aliquam convenientiam cum signis inscriptionis hujus, habere evincunt; & denique non thyrsum, sed *clavem*, vel *baculum nodosum* ille gerit. Thyrsus certe Baccho & Bacchantibus convenit, unde in Inf. 2 p. LXVII. *T. Vibius Zoticus* LIBERUM PATREM CUM REDIMICULO AURIFIC. ET. THYRSO. ET. CANTHARO *testamento poni jussit*. Sed cum thyrsus sit hasta armata cuspide, & hederis obvoluta, quemadmodum ex marmoribus & auctoribus patet variis, non video, quomodo ille locum hic habere, & cum *clava* componi possit: & si quid in his vel aliis antiquitatibus explicandis humani patior, me libens lubens eruditorum, & ipsius etiam præstantis atque docti Viri judicio permitto. Sed testudo, quam priori imagunculæ addi cernimus, a Viro doctissimo non explicata est; cum tamen sententiam ipsius de *Harpocrate Lare* firmare mirum quantum videatur. Nam ut apud Eleos Cælestis Veneris simulacrum altero pede testudinem premebat, teste Pausania, (qui tamen causam se hujus rei fatetur nescire) quia significare volebant virgines custodiendas esse, & nuptis convenire curam domus atque silentium, quemadmodum nos docet Pausan. in præc. Connubialibus, & lib. de Iside & Osiride: ita & testudo additur Harpocrati vel ut signum, ipsum domi servare, vel, ut non modo digito labiis impresso, verum etiam hoc animali doceret silentio operam esse dandam; nec effutiri debere, quæ in ædibus gerebantur. Quod si quis alas & pharetram ad Cupidinem etiam referre, licet

ſint certiſſima Solis indicia, velit; apprime etiam, ut ex iis quæ monui conſtat, conveniet teſtudo; quam inſuper pede premit uno Cupido in marmore antiquo, apud Philippum Thomaſſinum. Atque hæc quidem puto ſufficere intelligenda ænigmata, quæ imaguncula elegantiſſima complectitur, & ad probandum, omnes ſuos deos ad unum Solem, quaſi multitudinis eos puderet, conatos fuiſſe reducere gentiles. Nunc reſtat ut exhibeam Inſcriptiones tam Latinas, quam Græcas, in quibus HARPOCRATIS mentio occurrit; eaſque breviter illuſtrem. Apud Gruterum pag. LXXXII. exſtat talis

ISIDI
SIGN. HARPOCRATIS
C. DIDIUS
ACUTIANUS
DON. DED.

Apud Sertorium Urſatum lib. 1. part. 1. Hiſtoriæ Paduæ & in Monumentis Patavinis ſcribitur ACUTANUS; Et obſervandum ſæpe diis aliorum deorum ſimulacra fuiſſe dedicata, & inde fieri, ut legamus multas deorum ſtatuas in hujus vel illius dei templo fuiſſe. Itaque apud Ammian. Marcel. l. 22. cap. 23. Aſclepiades Philoſophus ante pedes Apollinis Daphnæi, ſtatuit Deæ Cæleſtis argenteum breve figmentum, Plinius Junior lib. 3. Ep. 6. Corinthium ſignum modicum ſed feſtivum & expreſſum Jovi dedicare voluit. *Emi autem, non ut haberem domi, (neque enim ullum adhuc Corinthium domi habeo) verum ut in patria noſtra celebri loco ponerem, ac potiſſimum in Jovis templo. Videtur enim dignum templo, dignum Deo donum. Tu ergo, ut ſoles omnia quæ a me injunguntur, ſuſcipe hanc curam, & jam nunc jube baſim fieri, ex quo voles marmore, quæ nomen meum honoreſque capiat, ſi hos quoque putabis addendos*: qui locus certe elegans admodum eſt. Exſtant quoque hujus conſuetudinis varia in Inſcriptionibus vetuſtis exempla: ut, in his apud Gruterum

FORTUNAE. PRIMIG.
SIGNUM. AEQUI
TATIS.

FORTUNAE
PRIMIGENIAE
SIGNUM APOLLIN
TUTEL.

VENERI ET
FORTUN. PRIM.
SACR
L. CALVIUS. L. F. PAL
VARIUS
AR. ET. CUPIDINES II
D. D.
L. D. D. D.

Nam inde diſcimus Fortunæ dedicata fuiſſe ſigna Æquitatis & Apollinis, Veneri autem & eidem Cupidines. Non ignoro virum in Antiquitatibus verſatum admodum, & qui nuper De Utilitate peregrinationum erudite & eleganter commentatus eſt, alia omnia ſentire; ſed ego nihil cauſæ video, cur exiſtimare debeamus Fortunam & Æquitatem, & deinde Venerem Fortunam & Cupidines, unam ſtatuam & Pantheum fuiſſe. Nam ſimiliter Baccho ſignum Sileni dedicatur in Ins. 6. p. LXVI.

LIBERO. AUG. SIGNUM
SILENI. ET. SATYRI
M. ULPIUS. ONESIPHORUS. ET
APPULEIA. D. D. MARCELLA.

Inſcript. 142. Claſſis XVII. apud Reineſium:

LEGE. AEVITERNA TRADITUS LETO PUER
BIS OCTO IN ANNIS HOCCE SUB TUMULO JACET
QUEM CUNCTA FLEVIT TURBA MULTO PLUS HERUS
SPECIE OBNITENTEM MORIBUS CUM VINCERET
HIC PHOTENSIUM CIVIS IN PATRIO SOLO
NUNC INTALORUM DITIS INTRA TERMINOS
NOMEN TENEBIT ISIDIS NATI PUER.

Urbini hanc exſtare, atque ex ſchedis Langermanni ſeſe ſumpſiſſe teſtatur decus illud Germaniæ. Verum eam jam inter catalecta ſua vulgaverat Pithæus pag. 604. ibique quinto verſu ſcribitur *phocænſium*; ſexto, *Italorum*. Per *Iſidis filium* Harpocrates videtur eſſe intelligendus; Hunc autem puerum ita vocari Celeberrimus & præſtantiſſimus Grævius litteris ad me datis exiſtimat, quia puer erat formoſiſſimus, ſed qui tamen propter ætatem nondum poterat in caſtris Veneris merere; quales Ptolomæo vocantur *Arpocratici*; qui tantum forma præſtant, ſed rebus Veneris ſunt impares. *Harpocrates* autem quem Solem eſſe docui, inferis quaſi adſcribitur reſpectu inferioris hemiſphærii, quia raro ſibi gentilium ſuperſtitio conſtat; & eo numero Sigalionem noſtrum habitum eſſe docet inſignis apud Artemidor. locus lib. 2. Oneir. cap. 35. χθόνιοι ἢ, *ſubterranei vero ſunt Pluto & Proſerpina, & Ceres & Core* (quæ cum eadem cum Proſerpina ſit, non ſatis acute ab ea diſtinguitur, niſi nomen ſolum ante oculos habuerit auctor) *& Jacchus, & Sarapis, & Iſis & Anubis, & Harpocrates, & Hecate* χθονία, *& Erinnyes* ἢ δαίμονες οἱ περὶ τούτους: id quod idem etiam affirmat cap. 44. libri ejuſdem; quod, rogo, conſulas Lector. Cum autem Iſis eadem habeatur quæ Proſerpina, teſte Apulejo & Tzetze pag. 116. ad Lycophronem, nec non Euſebio lib. 3. præp. cap. 11. ſuſpicabar nonnunquam puerum hunc propter pulchritudinem apud inferos ab ea adoptandum eſſe quaſi, & legitimi filii loco habendum.

BONO DEO PUERO
POSPHORO
T. FL. ITALICUS
PRIMUS IIII
VIR M. A. A
CUM STATILIA
LUCINA CONJUGE ET
SUIS EX. VOTO.

Non retuliſſem in hunc cenſum illam Inſcriptionem, niſi Vir eruditus admodum Baudelotius De Dairval exiſtimaret eam convenire valde Harpocrati, quia deus, cui poſita eſt, appellatur *puer* & *phoſphorus*. Addit τὸ BONO DEO non poſſe aliter, quam de Lare explicari; quia eum Græci

appellabant ἀγαθὸν δαίμονα vel *genium*, eorumque Larium e numero etiam Harpocrates fuit. Et certe Harpocrates *Phosphorus* appellari posset, quia eum ad solem orientem Ægyptii referebant; & quia veteres ita vocabant, non modo Veneris stellam matutinam, sed etiam ipsum solem: Suidas: φωσφόρος. ὁ τὸ φῶς ἀνατέλλων. ὁ ἥλιος: imo & *Lunam* vel *Lucinam*: Glossæ: φωσφόρος ἀστὴρ *Lucifer*: φωσφόρος ἡ Ἡρὰ *Lucina*: quo aliquo modo elegantia hæc Plinii verba 2. 8. pertinent: *Infra Solem ambit ingens sidus, appellatum Veneris, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis & Lunæ. Præveniens quippe & ante matutinum exoriens, Luciferi nomen accipit, ut SOL ALTER, diem maturans: contra ab occasu refulgens, nuncupatur Vesper, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens*: & mox: *Itaque & in magno nominum ambitu est. Alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris Deum appellavere.* Verum ut adseverare nolo *Phosphorum* cum Harpocrate multa habuisse communia, cum forma eum humana & puerili effingere potuerint gentiles: (uti certe ex sententia Petri Bellorii cernitur facem gerens in marmore, quod Romæ exstat, cujusque sculptura Orientem repræsentat) ita aliis relinquo examinandam Viri eruditi opinionem. Inscriptio 3. apud Grut. pag. LXXXIV. quæ correctior legitur & vertitur apud Sertor. Ursatum lib. 1. Sect. 7. Monum. Patavinorum

ΘΕΟΦΙΛΟΣ ΘΕΟΦΙΛΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ ΜΕΛΑΝΗ
ΦΟΡΟΣ ΤΗΝ ΚΟΝΙΑΣΙΝ
ΤΟΥ ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΥ
ΚΑΙ ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ
ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗΣ
ΟΡΟΦΗΣ ΚΑΙ ΤΗΝ Ε
ΚΑΥΣΙΝ ΤΩΝ ΘΙΡΩΝ
ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ
ΤΟΥΣ ΕΝ ΤΟΙΣ ΤΟΙΧΟΙΣ
ΚΑΙ ΤΑΣ ΕΠ ΑΥΤΟΙΣ ΣΑΝΙΔΑΣ
ΑΝΕ ΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ
ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟΧΡΑΤΕ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΟΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΤΟΥ ΑΝΔΡΟΝΙΚΟΥ
ΡΑΜΝΟΣΙΟΥ.

Theophilus Theophili Antiochenus Melaneforus fani hujus tectorium parietumque ac tecti picturam & ostiorum valvas nec non mutulos qui in parietibus sunt & iis impositas tabulas sacravit Sarapidi Isidi Anubidi Harpocrati sacerdote Seleuco Andronici Rhamnusio. Et primo quidem hic *Theophilus* Θεοφίλε n. *filius* vocatur: quæ loquendi forma & Latinis & Græcis familiaris admodum est; sæpeque apud utriusque linguæ auctores vel *filia*, vel *filius*, vel *uxor*, imo & alia subaudiuntur. In marmore Oxoniensi 136. Ἀμίλλα Μετρέε in 9. Ακεσείμη Δημογόρε, in alia apud Clarissimum Patinum Αυρ. τρύφαινα Αλεξάνδρε, n. *filia* occurrunt; eaque vox additur in nummo Antonini Pii apud Tristan. T. 1. pag. 593. φαυςίνη Σεβάςη Ευσεβ. Σεβ. Θυγατὴρ; male eruditissimus vir reddit *Pii Augusti conjux*, confunditque Faustinam majorem & minorem. Inscriptio apud Reines. XI. Cl. V. ex Gualthero:

ΔΙΟΔΩΤΟΣ ΤΙΤΙΕΛΟΥ ΑΠΤΕΙΡΑΙΟΣ
ΤΑΝ ΑΔΕΛΦΑΝ ΑΥΤΟΥ ΤΑΝ
ΜΙΝΥΡΑΝ ΑΡΤΕΜΩΝΟΣ ΙΕΡΑΤΕΟΥΣΑΝ
ΑΦΡΟΔΙΤΑΙ ΟΥΡΑΝΙΑΙ.

Diodotus Titieli filius Aptiræus, sororem suam Minyram Artemonis filiam sacerdotem Veneris Cælestis: sed si ita hæc vertenda sunt, Diodotus & Minyra diversis patribus, & iisdem matribus fuerunt geniti; potiusque existimo verti debere, *Minyram Artemonis uxorem*; si modo apud Græcos vox γυνὴ omittitur in his loquendi rationibus; vel legendum forte esse ΑΡΤΕΜΙΔΟΣ; ita ut sacerdos fuerit Dianæ, illiusque statuam Diodotus dedicaverit Veneri Cœlesti. *Hectoris Andromache* apud Virgilium, *Messalina Neronis*, apud Suet. *Servilia Claudii*, apud Cicer. 12. ad Att. 20. occurrunt; ut in nummo Hadriani apud Tristan: SABINA AUGUSTA HADRIANI AUG. nempe *conjux*. Et hac occasione facere non possum quin sententiam meam aperiam de Inscr. 9. Classis 5. apud Reinesium; quam ita vertunt viri eruditissimi, tanquam Cominia Plutogenia fuerit uxor Cominii; cum contra mihi *Cominia sit filia Plutogeniæ sacerdotis Cereris Legiferæ; uxor Paccii Caledi Duumviralis; mater Paccii Caledii Ædilicii: Avia Castricii Pollionis Duumviralis: Proavia Castricii Calediani*, qui ei hoc monumentum erexit: in quo præcipue observandum Cominiam hanc appellari μητρόθεν, id quod olim lege lata Xanthiis mulieribus concessum esse ex Plutarcho, & inter honores Juliæ decernere voluisse Senatores Romanos, ut n. *Tiberius Juliæ* filius diceretur observarunt eruditi, a quibus plura peti possunt. Et iis, quæ ipsi notarunt, adjice, *Lycios* magis honorasse mulieres, quam viros, & μητρόθεν fuisse appellatos, teste Nicolao Damasceno: cujus tamen sensum interpres non assequitur, Græca hoc modo vertens, *nominaque iis a matribus induntur*: nam illud longe hæc loquendi ratio significat; Et ut Græcus dicebatur v. gr. *Ajacis filius*; ita Licius, *filius Andromachæ*. In nummo præterea Drusi & Germanici Cæsarum apud Andream Morellium, antiquorum nummorum eruditum interpretem, ΕΠΙ ΜΕΝΑΝΔΡΟΥ ΚΛΕΩΝΟΣ, id est, *sub Menandro Cleonis* nimirum filio. Apud Franciscum Abelam in descript. Maltæ, ΚΑCCΕΙΟΥ ΚΑΙΚΙΛΙΑ, *Cassii Cæcilia* n. uxor, vel filia, non autem, ut vertitur Italice, *Cassio, Cecilia*: apud Joannem Diaconum ad Hesiodi Scutum ὁ Θεσσαλονίκης est Eustathius Episcopus Thessalonicensis: Apud Virgil. 1. Æn. 45. *Ajax Oilei* n. filius; ubi Servius notat, *hac figura Latinos tantum uti circa patres & maritos*, id quod tamen non plane verum videtur. Nam Plautus *Palinurum Phædromi* Curcul. 2. 1. 15. Terent. *Byrrhiam Carini* And. 2. 2. n. servos dicere veriti non sunt; & in Insf. XI. Classis 15. apud Reinesium occurrit, MENESTRATO ANTONIAE. DRUSI. n. servo vel liberto; nisi forte nomen injuria temporis abolitum sit, & *Menestrato* sit idem quod *Ministratori*, quomodo *Ministrator Cæsaris* occurrit in Insf. 98. Cl. 9. apud. eundem; &, quod apprime ad rem facit, MENESTRATOR AB HERC. PRIMIG. in Insc. 2. pag. CCCXV. apud Gruterum; & Mercurius appellatur in lapide apud Sponium, in Miscellaneis, & Fabrettum, Viros ambos doctissimos, MENESTRATOR, id est minister *deorum*; quippe qui non modo eorum nuntius, verum etiam deorum cœnabulum verrebat, iisdemque pocula miscebat, uti scribit Lucianus: eam vel aliam ob causam etiam Διάκονος cognominatus, teste Scholiaste Aristophanis ad Plutum. Sed & Græci latius hanc loquendi rationem extenderunt: ut quando Eusebium παμφίλε, n. *amicum* dixerunt: & apud Suidam Διόμος appellatur τῶ Ἡρακλέυς, n. *amasius* vel Ἐρώμενος, uti loquitur Scholiastes Apollonii ad lib. 1. Argon. ΑΝΤΙΟΧΕΥΣ. Qua ex Antiochia hic homo oriundus fuerit, difficile dictu est; cum plures eæque celebres hoc nomine urbes fuerint. Exstat apud me nummus æreus mediæ magnitudi-

nis, necdum, quod sciam luce donatus publica. Ab una parte cernitur Hostilianus, addita Inf. Γ. ΟΥΑΛ. ΟCΤΙΛΙΑΝ. ΜΕ. ΚVΙΝΤΟC. ΚΕCΑΡ. ab altera templum, cujus fastigio insidet aquila alis expansis; templi frontispicium ornatur columnis quatuor, & in medio figura sedet, addita inscr. ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΜΗΤΡΟΚΟΛΟΝ. Δ. Ε. S. C. qualis fere in Q. Herennii Etrusci honorem percussus cernitur apud Patinum. Hunc autem nummum cum alio, qui erat, ut nobis videbatur, Gordiani Pii, & cujus in area aversa occurrebat COL. PTOL. vexillum, homo arans, & supra boum capita puerulus alatus, ad indicandum coloniam deductam esse, bono dedi Jacobo Tollio, Viro Clarissimo. Observandum autem obiter celebrem Antiquarium non satis capere hanc inscriptionem nummi: ΑΝΤΙΟΧΕΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΤΟΛΕΜΑΙΔΙ. Nam scribit de Antiochia versus Ptolemaidem magnum esse silentium, & tamen eam arbitratur sitam fuisse in Phœnicia versus Palestinæ fines. Verum videant eruditi, an non multi cives Antiochiæ commerciorum causa habitaverint in urbe maritima Ptolemaide, id quod & hodie fieri solet, & an non illi nummum hunc in honorem Antiochi signare potuerint. Id quod nunc verum plane esse existimo; cum videam id exemplis probare Harduinum; ante cujus tamen conspectum librum mihi hoc in mentem venisse sancte testor. Et firmatur hæc interpretatio loco eleganti apud Athenæum lib. 6. p. 255. ubi celebrantur *οἱ λημνόθεν Ἀθηναῖοι*, id est, *Athenienses qui in Lemno habitabant:* Quanquam non eadem plane hic sit ratio. Nam Antiochenses in Ptolemaide habitabant mercaturæ causa, & ita unum corpus constituebant, Athenienses autem λημνόθεν dicuntur, quia Lemnus est Ἀττικὴ ἀποικία uti loquitur Marcianus; cui addi possunt Herod. lib. 6. & Corn. Nepos in vita Miltiadis. ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΣ. Hæc vox quid sibi velit, fateor me ignorare. Suspicabar tamen esse sacerdotem, qui id nomen a nigris vestibus accepit; non secus ac πτεροφόροι dicuntur in Ægypto Sacerdotes, quod πτερύγας habebant in capitibus: Hesychius: πτεροφόροι, τέλος τι στρατιωτικόν, ἢ ὡς διὰ τὴν ἐν τοῖς λόφοις πτέρωσιν. καλοῦνται δὲ οὕτως καὶ οἱ ἐν Αἰγύπτῳ ἱερέων τινές. Apud Siculos erat puer, apud Locrenses puella, quæ ante sacrificia ibat phialam gestans, φιαληφόρος a re nuncupata, teste Polyb. lib. 12. cap. 4. ac sacerdos Rheæ vel Cybeles Κερνοφόρος fuit dicta, quia κρατῆρας μυστικοὺς, quos Κερνοὺς vocabant, ferebat, uti docet Scholiastes Nicandri, qui addit illis crateribus λύχνους fuisse impositos, quique Rheam κρατηφόρον cognominat: & tandem ἱέρειαι Æolibus sunt dictæ φανοφόροι teste Hesychio. Quin & *Mastigophori* dicti sunt homines, qui flagella in manibus habebant: Prudentius 2. contra Symm. v. 516.

> *Nunc* MASTIGOPHORIS, *oleoque & gymnadis arte*
> *Unctis pugilibus, miles pugnabat Etruscus.*

Iso Magister in Glossis scribit *Marrucophoris*, interpretaturque *populos Asiæ*: Heinsius de Laconibus sermonem esse putat, quia *μάστιγες λακωνικαὶ*, teste Eustathio, erant in pretio. Mihi in genere videntur intelligi debere Græci, qui assiduam operam dabant ludis, atque in iis aurigabant; unde & mox pugiles, athletasque, tanquam ejusdem farinæ homines, memorat. In aliis codd. scribitur, *Mastrucophoris*, & vir doctissimus per *mastrucas* arbitratur designari *cæstus*, nosque ad Turnebi Adversaria remittit; & ea voce Prudentium infra diversa significatione uti scribit: *Mastrucis proceres vestire togatos*. Sed nondum inveni apud Turnebum, *mastrucas* pro cæstibus sumi; & deinde nullus dubito, quin ob rationem allatam *Mastigophoris* genuinum sit. LUCOPHORI etiam memorantur in Inf. 1. pag. CCCXXIII. apud Gruter. qui proculdubio fuere sacerdotes a portatis lucis, seu arboribus, ita appellati, non secus ac *Dendrophori*. Certe ii qui diis inferis & terrestribus sacra faciebant, nigris vestibus induebantur, uti docet Canidia apud Horat. lib. 1. Sat. 8. Medea apud Apoll. Rhod. lib. 3. 861. Bellonariique apud Tertull. De Pallio. Et cum in Ægyptiorum sacris repræsentati sint casus admodum lugubres, plena illa fuerint luctuum ac lamentorum, uti vel unus docet Julius Firmicus in libello de Errore profan. Religionum, & Plutarchus, ac inferi dii in iis locum suum invenerint, a ratione haud alienum est, nonnullos sacerdotum apud eos atras vestes gestasse, & μελανηφόρους fuisse dictos. Servius certe ad Virgilium scribit, Ægyptios primos Liberum, quem & Osirim vocant, a fratre Typhone interemptum atra veste luxisse, & inde ceteris gentibus traditum fuisse, ut post interitum proximorum suorum veste mutata lugerent; ita tamen ut intra annum finiretur luctus. Præterea Sacerdotes *Baalis* in libris Divinis, 2. Reg. 23. 5. c. 10. Hoseæ v. 5. cap. 1. Zephan. v. 4. *Chemarin* dici, quia nigris vestibus amiciebantur, censent Eruditorum nonnulli. Ægyptios μελανοστόλοις Isidem velasse, ut significarent occultationes & obumbrationes, quibus ποθοῦσα *desiderans* vel *desiderio ejus flagrans* sectatur Solem; & Apulejum Isidi tribuere *pallam nigerrimam*, *splendescentem atro nitore*, supra memini me monere. Eadem terminatio reperitur in voce παστοφόρος unde ΠΑΣΤΟΦΟΡΙΟΝ in Inscriptione memoratum, descendit. *Pastophoros* puto fuisse genus sacerdotis, qui thalamos vel ædiculas, in quibus deorum simulacra posita erant, portabant in pompis & supplicationibus sive soli, sive plures simul. Collegium eos constituisse testatur Apul. lib. XI. *Tunc ex his unus quem cuncti Grammatea dicebant, pro foribus assistens, cœtu* PASTOPHORUM, *quod sacrosancti collegii nomen est, velut in concionem vocato:* Eundem quem vocat *quendam de sacratis linteis intectum, thyrsos & hederas & tacenda quædam gerentem*, mox nominat, *unum de Pastophoris*, iterumque scribit ab Osiri se *in collegium Pastophorum suorum imo inter ipsos Decurionum quinquennales electos esse*; ubi Pastophoros videtur vocare *Decuriones*, quique iis præerant *Quinquennales*; ita forte dictos, a quinque annis, per quos collegio Pastophororum præerant; id quod certe placet Beroaldo; quanquam Vir Eruditissimus existimet *Quinquennales* non fuisse *Sacerdotes*; quod ut nunc non examino, ita observandum Apulejum fingere ea quæ libro laudato narrat Corinthi vel Cenchreis accidisse, eundemque illo extremo narrare, *se quam raro capillo, collegii vetustissimi & sub illis Sullæ temporibus conditi munia, non obumbrato vel obtecto calvitio, sed quoquoversus obvio gaudentem obiisse*. Unde patet *Pastophororum* collegium in Græcia Sullæ temporibus, si modo lectio salva, constitutum; Ægyptiorumque numina ibi culta fuisse; id quod etiam ex Pausania palam est, qui lib. 2. scribit in altero Cenchrearum portus cornu fuisse Ἀσκληπιοῦ καὶ Ἴσιδος ἱερὰ, ne quid alia loca apud eundem obvia, in quibus Ægyptiorum dii adorati fuerunt, recenseam. Sed, ut pergam, Diodorus Siculus lib. 1. Κήρυκας *præcones* in Sacris Eleusiniis ἀπὸ τῶν παστοφόρων ortos esse scribit; & Ægyptios exprimere volentes παστοφόρον pinxisse φύλακα οἰκίας, διὰ τὸ ὑπὸ τούτου φυλάττεσθαι τὸ ἱερὸν, *quod ab eo templo custodiatur*, Horapollo testatur: quo ex loco videtur constare

eos instar æedituorum fuisse, & ædes resque alias sacras servasse. Porphyrius quoque lib. IV. de Abstin. postquam memorasset προφήτας, ἱεροστολιστὰς, ἱερογραμματέας, ὡρολόγους, recenset, τὸ λοιπὸν τῶν ἱερέων τε καὶ παστοφόρων καὶ νεωκόρων πλῆθος καὶ ὑπουργῶν τοῖς θεοῖς: atque, uti apparet, *Pastophoros*, & *Neocoros*, vel *æditμος* conjungit; unde haud absurde quis suspicari possit, templa ab illis non secus ac ab his servata fuisse. Vir linguis Orientalibus clarissimus & in Philosophia ac Theologia Barbarica exercitatissimus apud Stephanum le Moyne V.Cl. *Pastophoros* censet ἰατρικὰ curasse. Quod ut nunc non examino, ita constat παστὸν vel παστάδα significare thalamum, ædiculam, vel sacellum; & descendere a πάσσειν id est ποικίλλειν *variegare*; quia ornata illa erant picturis, cælaturis, inductoque auro ac argento; quomodo nuptiales thalami vel νυμφικοὶ οἶκοι exornari solebant. Hinc *pastophorium* pro templo vel parte ejus sumitur: Glossæ Arab. *pastophorium, atrium templi vel sacrarium*: Hesychius παστοφόριον, τὸ τὸν παστὸν φέρον, ἡ οἰκονομία, ἡ συναγωγὴ, ἡ ναὸς εὐανθής: ubi Salmasius rescribit τῶν παστὸν φερόντων ἡ οἰκονομ. quæ emendatio si vera, habebimus hic collegium Pastophororum, qui παστοὺς vel thalamos ferebant. Sed apud Suidam & Varinum Phavorinum vulgata lectio conservatur: & suspicio mihi oborta, παστοφορεῖον, vel παστοφόριον vocari φέρον τὸν πάστον, *ferens ædem*; id est *ferculum*, cui παστὸς erat impositus, vel *thensa*, sive currus sacer, super quo dei alicujus statua ponebatur & circumferebatur in pompa. Nam in ejusmodi solemnibus diebus deorum statuæ, collocatæ sæpe in ædicula portabantur vel ab hominibus, vel trahebantur ab iisdem sive a bestiis. Prior mos *Pastophoris* nostris nomen dedit: Atque ita Diod. Sic. lib. I. extremo scribit, apud Ægyptios ἐν ταῖς πανηγύρεσι, *Jovis & Junonis sacella in montem omnis generis florum instratum a sacerdotibus portari*: τῶν ναῶν ἀνακομιζομένων, αὐτ ἀμφοτέρων εἰς ὄρος ἄνθεσι παντοίοις ὑπὸ τῶν ἱερέων κατεστρωμένον: Herod. lib. 2. cap. 63. eodem de populo verba faciens: τὸ δὲ ἄγαλμα ἐὸν ἐν νηῷ μικρῷ ξυλίνῳ κατακεχρυσωμένῳ προεκκομίζουσι τῇ προτεραίῃ ἐς τὸ ἄλλο οἴκημα ἱερόν: id est, *simulacrum vero, quod est in sacello parvo ligneo deaurato, in aliam sacram ædem portant pridie* n. sacerdotes; ut verba illa Interpreti non satis intellecta reddenda sunt. Et Porphyrius lib. 4. de Abstin. idem de Ægyptiis sacerdotibus testatur: Ἐφαίνοντο δὲ ἀεὶ θεῶν ἢ ἀγαλμάτων ἐγγὺς, ἤτοι φέροντες, ἢ προηγούμενοι καὶ τάσσοντες μετὰ κόσμου τε καὶ σεμνότητος: *Semper autem conspiciebantur inter deorum simulacra versantes, vel ea gestantes, vel iis præcedentes, eaque ordine decore, & cum gravitate disponentes*. Nec obscurus hujus moris ritus in verbis Protomartyris Stephani apud B. Lucam, Act. cap. 7. v. 43. Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ: *Et suscepistis* (*bajulastis* Beza vertit) *tabernaculum Moloch*. Id est, tentorium, παστὸν, σκηνὴν, in qua erat simulacrum istius dei. Nam παστὸς significat *tabernaculum* vel σκηνὴν ad instar nostrorum papilionum factum, sub quo stabat vel decumbebat statua numinis ab hominibus portata vel currui imposita: inde Phavorino παστὸς exponitur, ἡ ἐκ παραπετασμάτων ποικίλων κατασκευασμένη σκηνὴ, ἤ τις ἐστὶ πεποικιλμένη. Dubito tamen valde num huc referre possimus ναοὺς ἀργυροῦς Ἀρτέμιδος, quorum mentio in iisdem Actis cap. 19. Recte quidem viri eruditiss. Salmasius, Grotius, Casaubonus, Pricæus explodunt variorum antiquariorum sententiam, qui *ædes illas parvas* exponebant nummos in quibus templum Dianæ Ephesiæ repræsentabatur; atque optimo jure intelligunt templa parva argentea ad instar veri templi facta; sed tamen arbitror nihil eo pertinere verba Herodoti; cum templa illa argentea Dianæ Ephesiæ proculdubio non ejus fuerint magnitudinis, ut ab hominibus fuerint gestata; sed potius admodum parva, ut puparum supellex; quæ religiosi secum portare poterant. Nec quicquam huc faciunt *Ædiculæ* Petronii, Juvenalis, Tertulliani, & Min. Felicis, quippe qui verba faciunt de ædiculis fixis, quas hodie *capellas* vocamus; & Apulejus commodius explicatur de Hipponæ statua, quæ stabat in foramine excavato ornatoque mediæ columnæ vel pilæ, quæ stabuli trabes sustinebat. Imo locum habere non possunt, ut tamen arbitratur celebris Grotius, Plinii verba l 36. cap. 5. *illo enim signo Praxiteles nobilitavit Gnidum. Ædicula ejus tota aperitur, ut conspici possit undique effigies Deæ, favente ipsa, ut creditur, facto*. Nam *ædicula* hoc loco est σηκὸς vel cella templi, in qua stabat Veneris effigies justæ, & quæ deam decebat, staturæ. Atque hujusmodi sacerdotes non incommode possunt dici *vehere sacra*, cum Amm. Marcell. l.22. c.14. & *divinarum bajuli ceremoniarum* cum Julio Firmico: quamvis illa loquendi forma non modo παστοφόρους, verum aliis omnibus sacerdotibus aliisque conveniat qui simulacra vel res sacras portabant; uti apud Apulejum *unus e ministerio præferebat residens humeris suis simulacrum parentis deæ, sive bovem*; & apud Spartianum Commodus *Anubin portat*. Plutarchus ἱεροφόρους in genere vocat, illique jungit ἱεροστόλους, id est interprete Firmico: *vestitores divinorum simulacrorum*, observante Valesio: cujus sententia mihi magis probatur quam altera Vinc. Contareni cap.2. Var. Lect. qui illud nomen deducit a lineis sacrisque vestibus, quibus sacerdotes exornabantur; maxime quia ita Plutarchus loquitur Ἀναπλάττουσι μηνοειδὲς ἀγαλμάτιον καὶ τοῦτο στολίζουσι καὶ κοσμοῦσι. Atque hæc quidem ego de *Pastophoris* sentio, quibus si alius meliora docuerit, continuo ipsi manus dabo. Non tamen interpreti Horapollinis lib. I. cap. 41. assentiri possum, nec Beroaldo ad Apulejum, qui παστοφόρον reddunt, *eum qui sacrum pallium gestat*. Et hic quidem notat, *Pastophoros* Græca dictione esse sacerdotes sacrosanctos, quasi *thalamiferos*; hoc est, in supplicationibus pallium ferentes sacerdotale: *Pastophoria* dici domicilia pastophororum, id est, sacerdotum; eorumque mentionem fieri apud auctores Ecclesiasticos potissimum: ut I. Maccab. *Et viderunt sanctificationem desertam, & altare profanatum, & portas exustas & pastophoria diruta*: apud Euseb. lib. 2. H. Eccles. *Extrema tanti ambitus spatia occupant exedræ & pastophoria*: Josephum lib. V. belli Judaici meminisse *pastophoriorum*; & denique Venerem Græco epitheto *pastophoron* q. thalamiferam nominari. Recte ille quidem, ut ex iis quæ disserui constat, *pastoforos* interpretatur *thalamiferos*; sed unde *pallium sacerdotale* acceperit, equidem ignoro. Invenio tamen Nicol. Caussinum originem erroris repetere ex male intellectis Pollucis verbis. Nam cum illi παστὸς dicatur παρὰ τῇ εὐνῇ περιπέτασμα, *velum quod thalamo obtenditur*, cumque nonnulli id, *pallium*, reddiderint, arbitratur ad eundem impegisse lapidem interpretem Horapollinis. Quod ut verum esse potest, ita nequaquam adsentior Caussino neganti, *Pastophoros* deorum thalamos, vel ædes portasse, & rescribenti apud Cl. Alexandr. παστόφρουρος, id est, templi custos, quia ea custodiebat; quo nihil aptius ad illius & Hori mentem videt. Sed ut ex iis, quæ monui, patet, vox ea nequaquam mutanda est; & vetant id tot veterum loca, tot inscriptiones, ut mirer, viro erudito illud in mentem venire potuisse. A *pastophoris* nomen *pastophorium* in Inscriptione nostra memoratum ac-

cepit; estque illud domus ampla templis juncta, in qua sacerdotes illi habitabant; unde & pro aliis templorum, ut vidimus, partibus accipitur. Certe 1. Macc. cap 4. v.38. non nisi domus vel cellæ, quæ templo juncta erant, possunt intelligi; haud secus ac Esdræ cap. 10. v. 6. ubi ille dicitur surrexisse ἀπὸ τῆς αὐλῆς τοῦ ἱεροῦ, atque sese contulisse εἰς τὸ παστοφόριον Jonam filii Eliasibi, ibique diversantem nec panem gustasse, nec aquam bibisse. Rogo tamen Eruditionis præstantis viros, ut diligentius in παστοφόρους & Μελανηφόρους inquirant, sique iis jungere velint Ἀρσεπεδονάπτας, quos memorat Democritus apud Eusebium lib. 10. cap. 4. Præparationis, magnam proculdubio a docto orbe gratiam inibunt. Neque tantum homines vel sacerdotes istiusmodi παστοὺς cum deorum simulacris ferebant; verum etiam imponebantur vehiculis, quæ vel jumenta vel sacerdotes trahebant. In Phœnicum Theologia apud Euseb. lib. 10. Præpar. cap. 1. invenio dei, qui ipsis Ἀγρεύηρος & Ἀγρότης dicebatur, ξόανον εἶναι μάλα σεβάσμιον, καὶ ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν φοινίκῃ, *simulacrum valde venerandum & templum in Phœnicia tractum a jugalibus*: quod scilicet thensæ impositum erat, cui jungebantur vel boves vel equi; non autem *aliquot boum paria*, uti interpres vertit; quippe quæ in Philonis verbis non inveniuntur. Apud Ægyptios nonnulli sacerdotes trahebant τετράκυκλον ἅμαξαν, ἄγουσαν τὸν νηόν τε καὶ τὸ ἐν τῷ νηῷ ἐνεὸν ἄγαλμα: *plaustrum quatuor rotarum, quo vehitur sacellum cum simulacro quod in eo est*, *teste* Herodoto lib. 2. c. 63. Et huc pertinent Romanorum *thensæ*, quibus pompa Circensi deorum simulacra imponebantur, quænum ita appellatæ sint, quia statuæ deorum, quæ *thensis* ferebantur, velarentur circumquaque linteis ad cubiculi seu delubri speciem tensis disputant inter sese eruditi, quemadmodum videre licet apud Onuph. lib. 2. cap. 2. de Ludis Circen. & Schefferum lib. 2. cap. 24. de Re Vehiculari. Certe eas a *curribus* distinguit Tertull. lib. de Spectac. *Sed Circensium paulo pompofior suggestus, quibus proprie hoc nomen pompa præcedit: quorum sit semetipsa probans de simulacrorum serie, de imaginum agmine, de curribus, de tensis, de armamaxis, de sedibus, de coronis, de exuviis*. In nummo Divæ Faustinæ Cybele insedet currui, cui leones juncti sunt, sub ædicula, non secus ac Divus Pertinax in alio quem elephanti trahunt: per quos currus si *thensæ* intelligendæ sunt, jam certe instar sacellorum fuerunt; & quia quatuor latera habuerunt aperta, facile etiam statuæ decidere potuerunt, ut *Martis* apud Dionem lib. 78. Hinc in Glossis *Thensa* exponitur θρόνος, quia scilicet impositum thronum habebant deorum imagines: unde tamen non sequitur eas velatas circumquaque linteis ad cubiculi seu delubri speciem tensis fuisse. Et certe si inter se conferuntur verba Valerii Maximi & Lactantii, sique illa mendo carent, thensa vocata fuit *templum*, quia ad instar templi thronus ille erat: ille lib. 1. cap. 1. ita loquitur: *Creditum est Varronem Consulem apud Cannas cum Carthaginiensibus tam infeliciter dimicasse ob iram Junonis: quod cum ludos Circenses Ædilis faceret, in Jovis Optim. Maxim templo eximia facie puerum histrionem ad excubias tenendas posuisset*: alter vero lib. 2. cap. 16. *Quoties autem pericula impendent, ob aliquam se ineptam & levem causam profitentur iratos, sicut Juno Varroni, quod formosum puerum in thensa Jovis ad exuvias tenendas collocarat: & ob hanc causam Romanum nomen apud Cannas pene deletum est*. Certe de eadem re loquuntur Valerius, & Lactantius, & ille *templum* atque *excubias*, hic *thensam* & *exuvias* memorat. Andreas Schottus lib. 3. cap. 30. Obs. Histor. testatur se in veteri codice Val. Maximi reperisse *tensam*; quod vocabulum satis accommodatum esse illi loco, arbitratur Vorstius; qui etiam putat mentem Valerii esse, quod Varro in vehiculo Jovis, id est, in vehiculo, quo Jovis statua vecta fuit, histrionem ad excubias tenendas posuerit; idque videri posse factum esse in contumeliam Jovis, quia histriones olim infames erant. Quæ certe, licet a Viro erudito admodum profecta sint, non videntur scrupulis suis carere. Nam si τὸ *thensa* recipimus, quomodo *excubias tenere* aliquis possit dici in thensa collocatus, ego quidem nullus video; & propterea, si vox illa recipitur apud Valerium, crediderim scribi oportere *exuvias*: cum cæteroquin in templo Jovis *excubiæ teneri*, si modo ita loquuti sunt veteres, a puero potuerint vel dicis causa, omnibus sacerdotibus & aliis pompam Circensem comitantibus: deinde non factum hoc fuit in contumeliam Jovis, quippe qui iratus non fingitur, sed *Juno*, idque propter formosum puerum in thensa collocatum. Nam dea hæc gnara & fratrem & maritum suum esse elegantem formarum spectatorem, nec a mascula quidem Venere abhorrere, irata erat, quia puer formosus exuvias ejus tenebat; verebaturque ne amore illius accenderetur. Hoc est quod Lactantius paulo post scribit: *Quod si Juno alterum Ganymedem verebatur, cur juventus Romana luit pœnas?* Adeo ut pati non possim virum eruditum apud eundem pro *formoso* rescribere *famoso*, quia licet formosus puer foret, hoc urere Junonem non poterat; & hic puer erat histrio, qui omnes *famosi* habebantur. Verum nullum dubium, quin ira Juno accensa fuerit propter pueri, cui & *faciem eximiam* tribuit Valerius, pulchritudinem & quia alterum Ganymedem verebatur. Deinde thensæ, ut existimat idem, ab hominibus non fuerint tractæ, verum a jumentis vel equis, ut nos docet elegans Plutarchi locus in Coroliani vita a Scheffero laudatus. Nec quicquam eum juvat Suet. in Aug. c.43. *Accidit votivis Circensibus, ut correptus valetudine lectica cubans tensas deduceret*. Nam homo jacens in lectica utique currum trahere non potest ægrotus; & deinde *deducere* non significat *trahere*, verum comitari honoris causa, uti plurimis exemplis doceri posset facili opera. Notat quidem Asconius, *ante ipsas* (n. thensas) *lora tendi, quæ gaudent manu tenere ac tangere, qui eas deducunt*; indeque videri possit eas ab hominibus tractas esse; sed cum *deducentes*, id est, honoris causa comitantes id fecisse, & gavisos fuisse, si manu tenerent & tangerent, scribat, & Cicero, Arnobiusque pueros patrimos & matrimos id fecisse narrent, suspicio mihi oborta, funes intelligi debere, quibus equi ad thensas juncti erant, quos gaudebant manu tangere, quosque tactos omittere absque piaculo non poterant: quanquam negare nolim plane thensas etiam ab hominibus tractas fuisse, præcipue cum is mos apud Orientales obtinuerit. *Exuviæ* igitur, vestes Jovis sunt, vel tunica palmata & toga picta, quas dicitur tenuisse puer, qui appositus fuit ad Jovis signum sic vestitum servandum ne de thensa decideret. De his exuviis etiam loquitur Capito apud Festum: *Thensam ait vocari Sinnius* (*lege Titinnius*) *Capito vehiculum; quo exuviæ deorum ludicris Circensibus in circum ad pulvinar vehuntur*: atque apud Jul. Obsequentem legimus, *puerum* (quod notandum diligenter) *in pompa victoriæ cultu cum ferretur, ferculo excidisse*. Sed hæc, ut & alia examinabit proculdubio diligentius, qui nobis Valer. Maximum promisit, Vir apud Frisios pereruditus.

ΚΟΝΙΑΣΙΝ, *tectorium*, id est opus albarium, quo

quo muri inducebantur, de quo vide Salmas. ad Solin. pag. 1229.

ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ ΤΕ ΤΕΙΧΩΝ. Observandum & parietum muros & tectum vel concamerationem templorum picta fuisse; id quod ante urbem conditam in Italia usitatum Plinius l. 35. c. 3. memorat: *Extant certe hodieque antiquiores urbe picturæ, Ardeæ in ædibus sacris, quibus equidem nullas æque demiror tam longo ævo durantes in orbitate tecti, veluti recentes. Similiter Lanuvii, ubi Atalanta & Helena cominus pictæ sunt nudæ ab eodem artifice, utraque excellentissima forma, sed altera ut virgo, ne ruina quidem templi, concussæ. Pontius legatus Caii Principis eas tollere conatus est, libidine accensus, si tectorii natura permisisset*: & idem lib. 35. c. 4. Ædem Salutis Fabium pictorem A. v. c. 450. pinxisse scribit, eamque picturam durasse ad suam memoriam, æde Claudii Principatu exusta; & c. 10. Cornelium Primum & Actium Priscum Honoris & Virtutis ædes Imperatori Vespasiano restituenti pinxisse. Græcos idem in usu habuisse sæpius testatur Pausanias: & loca publica, porticus, gymnasia, ædesque privatas ad eundem modum exornata fuisse ex eodem Plin. & aliis auctoribus constat. Nec aliter, ut opinor, M. Ludius Elotas pinxit templum quod Junoni Reginæ apud Ardeatas erat dedicatum; unde *Ardeatis templi pictor* vocatur diciturque *dignis picturis templum condecorasse*, in carmine apud Plin. 35. 10. quod carmen, ut hoc obiter moneam, paulo aliter apud Grut. pag. MLXV. legitur. Atque ita Prudentius hunc morem nobis conservavit 2. contra Symmachum 56.

Cur etiam templo Triviæ lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, cum Musa pudicum
Raptarit juvenem volucri per littora curru,
Idque etiam paries tibi versicolorus adumbret?

ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΚΑΥΣΙΝ. Apud Gruterum scribitur ἔλαυσιν; utrumque male; legendum enim, Καὶ τήν τε καῦσιν τῶν θύρων; quod non est, *ostiorum valvas*, ut interpres reddit; verum significatur januas templi pictas fuisse ratione pingendi, quam *encausticam* vocant; eamque ita describit Plinius l. 35. c. 11. *Ceris pingere, ac picturam inurere, quis primus excogitaverit, non constat. Quidam Aristidis inventum putant, postea consummatum a Praxitele.* Et mox: *Sed aliquanto vetustiores encausticæ picturæ exstitere: ut Polygnoti, & Nicanoris & Arcesilai Pariorum. Lysippus quoque Æginæ picturæ suæ inscripsit:* ἐνέκαυσεν: *quod profecto non fecisset, nisi encaustica inventa.* Videantur Salmasius ad Solinum, Vossius lib. 4. c. 91. de Idol. & Schefferus, Viri certe doctissimi, in libro de Arte pingendi. Sed præcipue hic observandum hanc artem in Ins. καῦσιν appellari, cum reliqui eum ἔγκαυσιν vocent, excepto Vitruvio l. 7. cap. 9. Sed cum Magnus Salmasius ibi rescribat, *Hæc* ἔγκαυσιν *Græce dicitur*; per me licet, & in marmore nostro reponatur καὶ τὴν ἔγκαυσιν; quomodo etiam Salmasius in veteri inscriptione occurrere scribit; per quam hanc nostram, ut puto, intelligit. Apud Reines. in Ins. LI. Classis nonæ celebratur Aphrodisius Epaphras ΑΓΑΓΜΑΤΟΠΟΙΟΣ ΕΝΚΑΥΣΤΗΣ quem artem encausticam exercuisse recte monet vir doctissimus.

ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΠΡΟΜΟΧΘΟΥΣ *mutulos* vertunt, qui sunt ligna vel lapides e muro projecti & eminentes ad aliquid fulciendum aut sustentandum, uti patet ex iis quæ notarunt editores Vitruvii. Nec male Græci hos vocant προμόχθους, deducta voce a Μόχθος vel *labor*, quia ejusmodi mutuli ante parietes veluti laborant propter impositas iis tabulas. Fallor, aut vox hæc exstat apud Hesychium, sed corrupta: προμοχέοι τὰ προβεβλημένα τῶν τοίχων: scribendum enim πρόμοχθοι

ΕΡΠΟΧΡΑΤΕ. Apud Sponium in De pop. Atticæ, legitur ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ. Sed tamen & hoc nomen cum adspiratione occurrit in lapide antiquo, eidem Sponio laudato in Itinerar. quæ correctior pleniorque legitur in Aris obscur. Deorum: adeo ut videatur alterum artificis vitio factum esse. X. tamen etiam pro K. ponitur tam in nummis quam inscriptionibus; & nummus Drusi Germanici apud Baudelotium De Dairval inscribitur, ΔΡΟΥΣΟΥ ΑΥΤΟΧΡΑΤΟΡΟϹ.

ΕΠ ΙΕΡΕΟΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ. Nam in plerisque Græciæ urbibus tempus denotabatur, addito monumentis publicis vel privatis nomine sacerdotis, uti observat præstantissimus Casaubonus ad Suetonii Aug. c. 18. & illustris Spanhemius Dissertat. octava; unde *Gymnasiarcharum, Asiarcharum, provinciarum sacerdotum clarorum semper ac nobilium honoris insignia per totius orbis spatia perferri* dixit Jul. Firmicus, quia eorum nomina contractibus solebant adscribi, inque iis notabatur annus eorum sacerdotii, sive sacræ præfecturæ, uti hæc verba recte interpretatur Magnus Salmasius Ep. de Coma. In nummo Gordiani apud Erizzum legitur, ΕΠΙ Μ, Αυρ. Μυσωνίου. ἱερέως, & ille non satis bene arbitratur, Sacerdotes jus cudendæ monetæ habuisse: Apud Goltzium Tab. 16. Insularum Græciæ in Samiorum nummo legitur ΕΠΙ ΛΥϹΑΝΔΡΟΥ ΙΕΡΕ vel ἱερέως, id est, *sacerdote*: In nummo Decii ΕΠ ΑΥΡ. ΑΠΦΙΑΝΟΥ ΑΘΗΝΑΙΟΥ ΑΡΧΙ ΚΑΙ ϹΤΕΦΑΝΟΦ. *sub Aurelio Appiano Atheniensi Pontifice & Stephanophoro* apud Spanhemium Dissert. 3. Nam *Stephanophorus* erat sacerdos a corona, quam capite gestabat, dictus, uti pulchre docent Tristan. Tom. 2. p. 599. Seldenus ad Marmora Arund. Valesius ad Amm. Marcellin. & Patinus ad Inscriptiones Græcas Smyrna nuper allatas: in Inscr. veteri apud Sponium part. 1. Tom. 3. pag. 93. Itinerarii, Dionysius Apollonotimi filius vocatur ἱερεὺς τῶν σεβάστων, καὶ Στεφανοφόρος τοῦ συμπαντὸς αὐτοῦ οἴκου. & p. 144. celebratur Diocles Dioclei filius Αρχιερεὺς καὶ στεφανοφόρος. In Ins. XCIX. Sect. X. Miscellaneorum Eruditæ Antiquitatis *Lucius Julius Bonnatus* Στεφανοφόρος καὶ Ἱερεὺς *Tiberii Cæsaris*; qui dicitur unicuique civi μόδιον vel frumenti modium ex sua pecunia dedisse, διαρίων ἐνδείας γενομένης, *diariorium* vel *frumenti, quod populo dividebatur, caritate oborta*; quemadmodum illa vox explicanda est, nec putandum eum Agonothetam vel præsidem *festorum Diariorum* fuisse: & *diaria* eo sensu sumi patet ex Glossario Meursii. Et exstat hæc dignitas in inscriptione pereleganti, quæ ad me cum aliis ineditis Smyrna missa est:

Η. ΙΕΡΑ. ΣΥΝΟΔΟΣ. ΤΩΝ. ΠΕ
ΡΙ. ΤΟΝ. ΒΡΕΙΣΕΑ. ΔΙΟΝΥΣΟΝ
ΤΕΧΝΕΙΤΩΝ. ΚΑΙ. ΜΥΣΤΩΝ
ΜΑΡΚΟΝ. ΑΥΛΗΛΙΟΝ. ΧΑΡΙΔΗΜΟΥ
ΙΟΥΚΙΑΝΟΝ. ΤΟΝ. ΔΙΣ. ΑΣΙΑΡΧΗΝ
ΚΑΙ. ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΝ. ΚΑΙ. ΝΕΩΚΟ
ΡΟΝ. ΤΩΝ. ΣΕΒΑΣΤΩΝ. ΚΑΙ. ΒΑΚΧΟΝ
ΤΟΥ. ΘΕΟΥ. ΔΙΑ. ΤΕ. ΤΗΝ. ΠΡΟΣ. ΤΟΝ. ΘΕ
ΟΕ. ΕΥΣΕΒΕΙΑΝ. ΚΑΙ. ΤΗΝ. ΠΡΟΣ. ΤΗΝ
ΠΑΤΡΙΔΑ. ΕΝ. ΠΑΣΙΝ. ΕΥΝΟΙΑΝ. ΚΑΙ. ΔΙΑ
ΤΟ. ΜΕΓΕΘΟΣ. ΩΝ. ΑΥΤΗ. ΚΑΤΑΣΚΕΥΑ
ΖΕΙ. ΕΡΓΩΝ. ΚΑΙ. ΔΙΑ. ΤΗΝ. ΠΡΟΣ. ΑΥΤΟΥΣ
ΔΙΑΘΕΣΙΝ
ΤΑΜΙΕΥΟΝΤΟΣ. ΜΗΝΟΦΙΛΟΥ. ΜΗΤΡΟ
ΦΑΝΟΥΣ. ΑΜΕΡΙΜΝΟΥ. ΕΡΓΕΠΙΣΤΑΤΗ
ΣΑΝΤΟΣ. ΑΦΡΟΔΕΙΣΙΟΥ. ΦΟΙΒΙΩΝΟΣ
ΠΑΥΛΟΥ

id eſt, *Sacra Synodus Artificum qui circa Bacchum Briſea ſunt, ſive Dionyſiacorum & Myſtarum, Marcum Aurelium Charidemi filium Julianum, bis Aſiarcham & Stephanophorum & Neocorum Auguſtorum & Bacchum Dei tam propter pietatem erga Deum quam benevolentiam in omnibus rebus erga patriam, & propter magnitudinem operum quæ ipſi vel ejus in honorem erexit, & propter affectum erga illos. Quæſtore Menophilo Metrophanis filio Amerimno: operi præfecto Aphrodiſio Phœlionis fil. Paulo*. Magnus certe hic aperitur diſſerendi campus, ſed nolo eum ingredi; ſperoque me alio tempore & hanc & alias inſcriptiones ineditas illuſtraturum pluribus. Hinc præterea mihi nummus Salonini Cornelii Valeriani ſupplendus videtur in quo cap. XII. Theſauri Mauroceni nunc ſcribitur; ἐπὶ Στρατ. Αυρηλίȣ... ΔΗΦΟΡΟΥ, pro Στεφανηφόρȣ; deque iis, ut puto loquitur Julius Firmicus lib. de Err. Prof. Relig. *Qui ſic in templo prætextatus incedis, qui fulges purpura, cujus caput aut auro* (aureas enim coronas Tertullianus ſacerdotibus provincialibus tribuit) *aut lauro premitur, errorem tuum turpis egeſtas inſequitur*. Quin & mulieres eodem nomine gaudent, celebraturque apud Sponium Sect. x. Miſcell. *Flavia Ammion*, Αρχιέρεια Ασίας ναῶ τῶ ἐν Εφέσῳ πρυτανὶς, Στεφανοφόρος ἡ ἱέρεια τ̃ Μασσαλίας, quanquam revera neſcire me fatear, quid ultima ſibi vox velit; niſi fuerit ſacerdos in urbe Maſſilia, quod judicent peritiores: quomodo *Sacerdos Tuſculanus*, & *Provinciæ Hiſpaniæ* occurrunt in Inſcriptionibus Utque Virorum ſacerdotum nominibus, id quod etiam conſtat ex Inſ. 8. p. CCCC., & alia p. ſequentis apud Gruterum, ita & fœminarum tempora notata ſunt. Argivi ea numerabant a ſacerdotibus Junonis Argivæ, uti docet Valeſius, vir paucis æquandus, ad Excerpta Polybii: apud Harduinum in nummo Agrippinæ Claudii, percuſſo ab Acmonenſibus, legitur, ΕΠΙ ΣΕΡΟΥΙΛΙΟΥ ΚΑΙΠΙΩΝΟΣ ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ ΣΕΟΥΗΡΑΣ, *Sub Servilio Cæpione & Julia Severa*: quorum illum arbitratur communium pro domo Auguſta ac civitate, hanc vero muliebrium ſacrorum fuiſſe antiſtitem. Et firmat hunc morem Inſ. 9. pag. CV. Grut. in qua Δῆμος vel populus Athenienſium dicitur Romæ & Cæſari Auguſto monumentum illud poſuiſſe Στρατηγȣ̃ντος ἐπὶ τȣ̀ς πολίτας Παμμενȣ̃ς, *Sacerdote Deæ Romæ & Auguſti Servatoris in arce*, Ἐπὶ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕΓΙΣΤΗΣ *ſacerdote Minervæ Poliadis Megiſte Aſclepiadis* Ἁλιέως *filia*, ἐπι Ἄρχοντος Ἀρήη.

ΡΑΜΝΟΥΣΙΟΥ. *Rhamnus* pagus eſt Atticæ, de quo videri poſſunt Meurſius & Sponius. Nomen illum habere ἀπὸ τῆς ῥάμνων vel a ſpina alba, cujus ibi magna copia, præter Scholiaſtem Ariſtophanis Meurſio laudatum, tradit etiam Auctor M. Etym. in v. Αλιμȣ̃ς, quem pagum itidem appellari ſcribit ἀπὸ τῆς ἐκεῖσε ἀλίμων, quod etiam fruticis genus eſt. Corruptus hac in voce Scholiaſtes Germanici; *Cygnum dicunt inter aſtra conſtitutum, eo quod Jupiter in cygnum transfiguratu evolaverit in ramum Atticæ regionis; ibique compreſſerit Nemeſin, quæ & Leda dicitur*: nam ſcribendum eſt *Rhamnum*; a quo pago Nemeſis etiam *Rhamnuſia*, propter templum ibi conditum, dicta eſt. Exſtat alia apud Jacob. Sponium in Aris ignotorum Deorum

ΠΟΠΛΙΟΣ
ΤΟΥΤΡΩΡΙΟΣ
ΥΠΕΡ ΕΑΥΤΟΥ ΚΑΙ
ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ
ΙΣΙΔΙ. ΑΝΟΥΒΙΔΙ. ΑΡΧΙΟ
ΚΡΑΤΕΙ ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ
ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ
ΣΤΑΣΕΟΥ ΤΟΥ ΦΙΛΟ
ΚΛΕΟΥ ΚΟΛΟΝΗΘΕΝ

ΤΟΥΤΡΩΡΙΟΣ. *Tutrorius*; hoc nomen non memini me apud alios obſervare.

ΣΑΡΑΠΙΔΙ. Notus & a nobis ſatis ſuperque illuſtratus deus. Sed aliquot res, haud ubique obvias monere hic viſum fuit: n. in templo Serapidis in Africa fuiſſe poſitas *cupas & acetum*; Alexandriæ quadrigam ferream opera magnetis fuiſſe ſuſpenſam & Oſirin vel Sarapin tubam ſive tibiam, promiſcue enim his vocibus utar cum bona Grammaticorum venia, obliquam inveniſſe. Primum nos docent Geſta Silvani apud doctiſſimum Baluzium Tom. 2. Miſcellan. *Zenophilus V.C. Conſularis dixit Caſto: Etiam de cupis de fano Sarapis ſublatis & aceto confitere. Caſtus reſpondit: Purpurius Epiſcopus tulit cupis. Zenophilus V.C. Conſularis dixit: Acetum quis? Reſpondit Caſtus, quod tulerunt inde acetum Silvanus Epiſcopus, Dontius, & Superius Presbyteri*. Et paulo ante: *Zenophilus V.C. Conſularis Saturnino & Victori dixit: nihil de fano Sarapis ſublatum eſt? Saturninus & Victor dixerunt: Purpurius tulit cupas, & Sylvanus Epiſcopus, & Dontius, & Superius presbyteri, & Lucianus Diaconus tulerunt acetum*: & rurſus: *Quid aliud putas ex his eſſe quærendum? Nundinarius dixit: De cupis fiſci, quis illas tulit. Zenophilus V.C. Conſulari dixit; quas cupas? Nundinarius dixit: in templo Sarapis fuerunt, & tulit illas Purpurius Epiſcopus: acetum quod habuerunt, tulit illud Silvanus Epiſcopus*. Et quæ ibi ſequuntur. Fateor ingenue me quid hæc ſibi velint ignorare: *Cupas* ſcio eſſe vaſa lignea, quibus vina & aliæ liquidæ res condebantur: Lucanus lib. 4.

— ratem vacuæ ſuſtentant undiquæ cupæ.

verum iis *acetum* reconditum eſſe non potuit, quippe quod ab aliis fuit portatum: unde ſuſpicabar nonnunquam ſcribendum in omnibus his locis eſſe *acetrum*; quod & Innocentio III. lib. 13. Ep. 16. uſurpatur pro urna vel ſitula ænea; uti obſervat Carolus du Freſne in abſolutiſſimo medii ævi lexico. Alterum memoriæ mandat Proſper part. 3. cap. 38. De Promiſſ. & Præd. Dei. *Apud Alexandriam in templo Serapis hoc argumentum dæmonis fuit. Quadriga ferrea, nulla baſi ſuffulta, nullis uncis infixis parietibus colligata, in aere pendens cunctis ſtuporem ac velut divinum ſubſidium oculis mortalium exhibebat. Quum tamen lapis magnes, qui ferrum ſibimet attributum ſuſpendit, eo loco cameræ affixus, totam illa machinam ſuſtentabat. Itaque cum quidam dei ſervus inſpiratus intellexiſſet, magnetem ſtatim ut cameræ ſubtraxit, omne illud oſtentum cadens confractum comminutumque oſtendit divinum non eſſe, quod mortalis homo firmaverat*. Hoc ſi verum, magna certe lapidis hujus vires ſunt: & forte huc reſpexit Iſidor. l. 16. Orig. cap. 4. *Liquorem quoque vitri, ut ferrum trahere creditur, cujus tanta vis eſt (ut refert beatiſſimus Auguſtinus) quod quidam eundem magnetem lapidem tenuerit ſub vaſe argenteo, ferrumque ſuper argentum poſuerit: deinde ſubtermovente manu cum lapide ferrum*

cursu desuper movebatur. Unde factum est, ut in templo quodam simulacrum ex ferro pendere in aere videretur. Quanquam vox *simulacrum* videatur docere, non de quadrigis, verum de statua quadam loqui; & forte de Arsinoes simulacro, quod in templo eidem dicato ex magnete suspendere voluisse Dinocratem testatur Plinius l. 34. cap. 14. ex quo priora illius capitis hausit Isidorus. Et quod huc pertinet, Beda lib. 7. de Nat. Rerum, scribit *equum Bellerophontis ferreum inter duos magnetes ita fuisse libratum, ut in medio aere sine fulcro pendulus, expansisque alis quasi volitans videretur*: quo pertinet Mahometis arca in templo Mecchæ suspensa; quod tamen fabulis accensent Tevenotius & Tavernerius; uti etiam priora Athanasius Kircherius. Notatu tandem non indignum existimo, Serapidis in sacris obliquas tibias fuisse inflatas: Apul. lib. XI. *Ibant & dicati Magno Serapi tibicines: qui per obliquum calamum ad aurem porrectum dextram familiarem templi Deique modulum frequentabant.* In omnibus quidem sacrificiis tibia fere adhibebatur, sed ratione non caret, quod obliquæ fuerint in sacris Serapidis. Scilicet Osiris, qui idem Serapii, hoc tibiarum genus invenit; uti docet locus elegans apud Eustathium p.1138.ad Ili. Σ. Ἓξ δέ φασι, ait, σαλπίγγων εἴδη. πρώτη, ἣν εὗρεν Ἀθηνᾶ, διὸ καὶ Σάλπιγξ Ἀθηνᾶ παρὰ Ἀργείοις τιμᾶται, καὶ κεῖται τὸ παρὰ Λυκόφρονι ἐπίθετον. Δευτέρα ἡ στρογγύλη παρ' Αἰγυπτίοις, ἣν Ὄσιρις εὗρε, καλουμένη φασὶ χνὴν. χρῶνται δὲ αὐτῇ πρὸς θυσίαν καλοῦντες τοὺς ὄχλους δι' αὐτῆς. Τρίτη ἡ Γαλατικὴ χωνευτή. οὐ πάνυ μεγάλη, τὸν κώδωνα ἔχουσα θηριόμορφόν τινα καὶ αὐλὸν μολύβδινον, εἰς ὃν ἐμπνέωσι οἱ σαλπισταί, ἐστὶ δὲ ὀξύφωνος καὶ καλεῖται ὑπὸ τῶν Κελτῶν Κάρνυξ. Τετάρτη ἡ Παφλαγονική. ἧς ὁ κώδων βοὸς ἦν προτομὴ βαρύφωνος ἀναφυσητή. καλεῖται δὲ φασι βοῖνος Πέμπτη Μηδικὴ τὸν αὐλὸν ἔχουσα καλάμινον τὸν δὲ κώδωνα βαρύφωνον. ὀγκόφωνος. Ἕκτη Τυρσηνική, ἧς, εὕρεται Τύρσηνοι, ὁμοία φρυγίῳ αὐλῷ κώδωνα κεκλασμένον ἔχουσα. λίαν ὀξύφωνος. ἧς καὶ Σοφοκλῆς ἐν τῷ Μαστιγοφόρῳ μέμνηται: id est, *Sex, ut ajunt, sunt tibiarum species. Prima quam Minerva invenit, unde & Minerva cognomine Salpinx vel Tibia apud Argivos colitur; & idem epitheton apud Lycophronem exstat. Secunda rotunda, quam Osiris invenit; vocatur, ut ajunt Chnove; ea autem utuntur ad sacrificium vocantes populum. Tertia Galatica fusoria arte facta, non valde magna codona habens referentem figuram feræ vel animalis, & aulum plumbeum, quem inflant tibicines: est autem acuto sono & a Celtis vocatur Carnix. Quarta Paphlagonica, cujus codon bovis caput refert, gravi sono, quam sursum tenentes inflabant, vocatur autem, ut ajunt, bovina. Quinta Medica, aulum habens ex calamo, codonem autem grave sonantem; est horrendo sono. Sexta Tyrrhenica, cujus inventores sunt Tyrrheni, similis Phrygiæ tibiæ, codonem habens scissum, est admodum acuto sono: ejus etiam meminit Sophocles in Ajace Flagellifero.* Sed dignus est illustris locus, ut totus breviter illustretur. Minerva igitur ab inventa tibia, quemadmodum multis docet Caspar Bartholinus V. Cl. in polito quem *de Tibia* conscripsit libello, cognominata ab Argivis fuit Σάλπιγξ; id quod etiam firmat Pausanias lib. 2. pag. 122. templumque illi ab Hegelao filio Tyrrheni, nepote Herculis & mulieris Lydæ exstructum scribit. Celebratur eadem Lycophroni pag. 148. diciturque Dea exemplum cepisse a sibilis, quos edebant lugentes serpentes in capitibus Gorgonum: & constituisse νόμον τὸν καλούμενον, teste Tzetze ad eundem poetam p. 136. nec non νόμον ἁρμάτειον, qui ita proculdubio a celeritate vocatur uti Hesychius in ea voce commemorat.

Ἣν Ὄσιρις εὗρε, *Quam Osiris invenit.* Apulejus in sacris Serapidis celebrat *calamum obliquum*: Eustathius Osiridi tribuit *tibiam* στρογγύλην vel *rotundam*; & Juba apud Athenæum lib. IV. memoriæ mandat Osirin invenisse *monaulon*, καὶ τὸν καλούμενον φώτιγγα πλαγίαυλον, id est, *tibiam obliquam*; φώτιγξ enim Hesychio exponitur αὐγὴ, σύριξ, φλόγιος (malim πλάγιος cum Guieto) αὐλὸς, ὡς εἶδος σάλπιγγος. Atque hæc tria loca puto nos clare docere, qua forma fuerint tibiæ πλαγίαυλοι, vel *libycæ*; & quæ inter eas & phrygias, quæ etiam *obliquæ* vocantur, fuerit differentia. Lybicas igitur vel Ægyptias, quas Osiris dicitur invenisse, tibias πλαγιαύλους arbitror fuisse incurvas plane, ita ut fere rotundæ essent, uti cornua ex ære in columna Trajana & aliis Romanis monumentis obvia; hinc Eustathium Osiridi inventionem στρογγύλης tribuere, & Apulejum tradere, *obliquum calamum ad aurem dextram fuisse porrectum*, id est, Serapidis sacerdotes ita inflasse tibiam, ut ultima ejus pars, codon, vel os usque ad aurem dextram pertingeret. At contra puto phrygias fuisse rectas, ita tamen ut orificium earum, per quod spiritus emittitur fuerit incurvum; inde Ovidium celebrare *adunco cornu tibiam*, & Virgilium *curvam tibiam* in Sacris Bacchi, quæ nihil necesse est cum Viro Maximo de plagiaulo Lybiæ interpretari. Quæ cum ita sint, non video an satis caute scribat Artemidorus lib. 1. cap. 58. Oneir. malum esse στρογγύλῃ σάλπιγγι σαλπίζειν, *quia non est sacrum organum, sed bellicum*, καὶ ἄλλα ὅσα τῷ στόματι λέγει ὁ τῷ ὀργάνῳ τούτῳ χρώμενος ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ ἀνατρέχει *& omnia quæ per os canit organo hoc utens vel tibicen, in caput ipsius recurrunt.* Apud Græcos forte incurva vel rotunda tibia sive tuba sacrificiis adhibita non fuit, sed aliud apud Ægyptios obtinuit, uti ex Apulejo clarissime patet; aliud etiam apud Romanos, uti haud dubie nos docet Columna Trajana: nisi tamen quis censeat, belli tempore hoc accidisse. Deinde qui tubam incurvam vel cornu inflabant, ita eam tenebant ut codon vel latior ejus pars supra caput sive frontem esset; & hoc est quod dicit Artemidorus ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ἀνατρέχειν, *quæ tubicen vel cornicen canebat*; at Sarapidis sacerdotes ita tubas suas inflabant, ut os earum aurem dextram contingeret. Nec omittendum Pollucem lib. 4. cap. 10. Sect. 1. πλάγιον λώτινον a Libyis inventum scribere, illos tibiam eam appellare πλαγίαυλον, Monaulum Ægyptiis originem suam debere, ejus meminisse Sophoclem in Thamyri, maxime τὸ γαμήλιον vel nuptiale carmen ea cantatum fuisse, & denique Osirim invenisse πολύφθογγον αὐλὸν ἐκ καλάμης κριθίνης, *multisonam tibiam a calamo hordeaceo.* Qui certe locus nos docet Osirin inventorum esse vel plurium vel unius generis tibiarum. Atque ita Eustathius pag. 1157. memoriæ mandat, antiquis temporibus τὸν αὐλὸν *tibiam* fuisse varii generis & maxime καλαμινόν; apud Alexandrinos *monaulon calamum* esse Osiridis inventum, Doriensibus Italiæ *tityrinum* dictum vel *satyricum*, quia Satyri Dorice *Tityri* vocantur; monaulum etiam vocari καλαμαύλην & ῥαπταύλην; fuisse & πλαγίαυλον, inde πλαγιαυλίζειν descendere; Xenophontem narrare apud Phœnicas γιγγαίνους αὐλοὺς σπιθαμαίους acutum & lugubrem sonum edere, iis Cares etiam usos, & *gingris* canere cepisse propter luctus, quibus Adonin, quem Phœnices Γίγγρην (Pollux vocat Γίγγραν) appellabant, plangebant: tibiam quoque quandam appellari *Magadin* vel *Palæomagadin*, acutum & gravem sonum edentem *lotinas tibias* e ligno Loti, arboris Libyæ, fuisse, eas dici *Photingas* ab Alexandr. ab iis hoc dictum ortum esse: φοτίγγια καὶ μοναύλια κώμων οὐ πολέμων ὄργανα; id est, *Photin-*

gas & monaulas tibias, organa eſſe comeſſationum non autem bellorum; Phœnices perforaſſe tibias elephantinas, & Jubam tradere tibiam ex cruribus hinnuli feciſſe primos Thebanos, qui Ægyptum incolunt. Quæ Theſſalonices Epiſcopus ex Athenæi lib. 4. in unum collegit, qui, ſi tanti, poteſt videri.

Καλυμένη φασὶν χρὴν: Ægyptia, ut videtur, vox; cæteroquin Heſychius Χνολῶ exponit τὸ τῶν ποδῶν ψόφον, *ſtrepitum pedum*.

Χωνευτὴ: verti *fuſoria arte facta:* Lipſius lib. IV. de Mil. Rom. Dial. 10. *conflatilis;*

Θηριόμορφον. *Codon*, uti notum ſatis, vocatur orificium tubarum, vel pars latior per quam ſpiritus emittitur; ratione loquendi deſumpta a tintinnabulis, quæ etiam ex anguſto in latum deſinunt. Celtæ vel Galli illa orificia effingebant animalium vel ferarum figura, uti etiam ex nummis veterum apud Antiquarios obviis patet; & Paphlagones utebantur capitis bovini forma, quemadmodum mox apud Euſtathium ſequitur. Sed notandum diligenter hos Codones veteres fiſcellis equorum adjunxiſſe, ut in eos inflantes equi tubæ ſonitum ederent: Idem pag. 1157 Αἰσχύλος δὲ φησὶ καὶ τὸν παρὸν αὐλῶνα, ἔνθα καὶ φίμους λέγει αὐλωτούς, διὰ τὸ κώδωνας φησὶ προσῆφθαι αὐτοῖς. οἷς ἐμφυσῶντες οἱ ἵπποι ὡς φωνὴν σάλπιγγος προΐεντο: γράφει δὲ οὕτως

> Ὅς εἶχε πώλους τέτταρας ζυγηφόρους
> Φιμοῖσιν αὐλωτοῖσιν ἐστομωμένας.

qua de re pluribus agit Schefferus, Vir eruditiſſimus l. 1. cap. 13. de Re Vehic. Αὐλὸν μολύβδινον: Lipſ. vertit *canalem plumbeum*: ego retinui *aulum* ſequutus Apulejum, qui ita apud Salmaſium de Critia puero monaulo canit;

> *Quod ſi aulum inſpires, dona, & jam carmina noſtra*
> *Cedant victa tuo dulciloquo calamo.*

Dubito autem num Euſtathius per *aulum* intelligat totam σάλπιγγα excepto codone, an vero partem tubæ ſupremam quia ſequitur εἰς ὃν ἐμπνέουσι οἱ σαλπισταί, & tubam narrat Medicam αὐλὸν habuiſſe e calamo: quod rogo eruditiores & peritiores examinent.

Κάρνυξ. Huc pertinent Heſychii verba: Κάρνον, τὴν σάλπιγγα Γαλάται.

Βοῖνος. Nihil aliud quam *bovinam tubam* ſignificat: a βοῦς enim deſcendit βοῖνος & βόειος.

Τὸν κώδωνα κεκλασμένον ἔχουσα: Lips. vertit: *habens orificium ſciſſum aut fractum*: Salmaſius ad Solin. ita codona ab Euſtathio vocari ſcribit, quod labra in ambitu repanda & replicata haberet. Certe Græca vox *frangere* vel *ſcindere* ſignificat: & quanquam nolim inter tantos viros judex ſedere, facere tamen non poſſum, quin narrem, mihi in mentem veniſſe nonnunquam orificium tubæ Tyrrhenicæ non continuum, ſed in duabus vel pluribus locis fiſſum ſive fractum fuiſſe; qua tamen re num ſonus fiat acutior & clarior aliis, qui artem hanc callent, judicandum relinquo. Certe tibiæ, quarum foramina præter exitum concluſæ ſunt gravius ſonant. Quintil. 1. 11. *Sic appellatur cantus tibiarum, quæ præcluſis, quibus clareſcunt foraminibus, recto modo graviorem ſpiritum reddunt.*

ΙΣΙΔΙ. Obſervandum Ἶσις non modo facere Ἴσιδος, ſed etiam *Iſis* in Genitivo: Inſ. apud Grut. 7. p. CCCXII. FANATICO. AB. ISIS. SERAPIS. ubi quicquid ſubintelligatur, arbitror *Iſis Serapis* eſſe caſus ſecundi, & male ab erudito Viro edi *Serapii*. In Inſcr. 3. p. LXXIII. ΘΕΑ ΕΠΗΚΟΩ ΙCΙ ΤΥΧΗ. In 5. p. CCCXII. AEDITUO AB ISEM PELAGIAM: ubi primo E. pro I. ponitur, quomodo & *Iſim* dixit Cicero l. 3. de N. Deorum: *Si Dii ſunt illi quos colimus, & accepimus, cur non eodem in genere Sarapim Iſimque numeremus? quod ſi facimus, cur barbarorum deos repudiemus?* deinde AB. pro AD, quia & mox ſequitur AB. pro AD AEDEM BELLONE. In aliis inſcriptionibus SACERDOS AD TEMPLUM FANATICUS DE AEDE BELLONAE; SORTILEGUS AB VENERE ERUCINA: MENESTATOR AB HERCULI. PRIMIG. occurrunt. In Juliani nummo cui inſcriptum eſt DEO SERAPIDI, putat vir doctus capita Iſidis & Serapidis uni collo imponi: id quod tamen plane ex iiſdem nummis contrarium patet, quos exhibet Carolus du Freſne, aliique Antiquarii. Obſervandum præterea Juſtum Rycquium cap. 41. de Capitol. *Monetæ* cognomen tribuere *Iſidi*. Apud P. Victorem in Regione tertia Urbis legitur; ISIS ET SERAPIS MONETA: vir eruditus reſcribit SERAPIS ET ISIS MONETA; quia etſi de Serapi dubium non ſit, quin ipſe quoque pervigiliis languentium celebris, tamen vix putat *Monetæ* ἐπωνυμίαν aliis quam fœmelles numinibus tributam a veteribus; quod & nominis ipſa ratio ſic videtur exigere; & Iſin Monetam vult dictam quia inter ἰατρικὰ καὶ ἐπικούρεια numina fuit ſicut Minerva, Apollo, Æſculapius, Hygeia. Nam *Moneta* nihil commune habet cum Iſide & Serapide, vel cum Regionis tertiæ nomine; ſed primo recenſeri loco debet eorum monumentorum, quæ in regione tertia (quæ forte nomen habet a templo Iſidis & Serapidis ab Auguſto proſcriptionis tempore exſtructo, teſte Dione lib. 47.) inveniebantur: & ita P. Victorem nec non Sextum Rufum emendaſſe in notis penes me MSS. Pet. Scriverium celare lecturum nullus poſſum, veraque virum ſubacti judicii monuiſſe docet Deſcriptio Urbis quam ſub Honorio aut Valentiniano III. factam edidit Labbæus; & ante eum Pancirollus; nam in ea legitur: *Regio* III. ISIS & SERAPIS *continet Monetam, Amphitheatrum*. Præterea non audiendus vir eruditus, qui delet particulam copulativam *&*, facitque unam vocem *Iſis-Serapis*, ad denotandam utriuſque eandem vim ac potentiam; nec fundamentum illi eſt inſcriptio *Iſis Serapis*, uti alibi oſtendi. Ceterum in ipſa diſſertatione memini me monere, vel templo, vel ſtatuæ Minervæ ſive Iſidis Sai inſcriptum fuiſſe, Ἐγώ εἰμι πᾶν, *Ego ſum omne quod exiſtit.* Græca vox eſt ἕδος, quæ & templum & ſtatuam denotat; & cur putaverim a vulgata forte verſione recedendum eſſe facit τὸ *Ego*, quod videtur ſignificare non templum, verum ſtatuam tam ſplendido elogio fuiſſe exornatam. Ἕδος certe pro *ſtatua* Græcis poni conſtat; quod tamen arbitror Latinis auribus eſſe inauditum, licet Tibulli hunc verſum

> *Num feror inceſtus ſedes adiiſſe deorum*

ita interpretur Heraldus; eique alii aſſenſum videantur tribuere. Sed mihi contrarium placet; & arbitror Tibulli *ſedem* non aliter debere interpretari, quam aliorum auctorum, ut Cic. 1. de Div. *Et Capitolinis injecit ſedibus ignes;* iterum, *Conſule te tandem celſa eſt in ſede locata:* Lucretii

> *— cur ſancta Deum delubra, ſuaſque*
> *Diſcutit impacto præclaras fulmine ſedes.*

ſeſſimonium deorum vocat Vitruvius lib. ſeptimo extremo. Præterea obſervatione non indignum Diod. Sic. lib. 1. pag. 26. memoriæ mandare per *Iſidem* ſolos Græcorum Athenienſes juraſſe.

ΑΝΟΥΒΙΔΙ. Hic qualis fuerit satis superque notum ex Faustino, Commodi, & Juliani nummis, exstatque ejus elegans statua apud Boissardum. Corporis posteriores & inferioris partes teguntur pallio; dextra manu rem tenet zonis distinctam, quæ forte crotoli vel sistri species est, quamque & in aliis imaginibus ejus observes; sinistra caduceum; insistit crocodilo & pedes fasciis constricti sunt: ab uno latere est Serapidis cornuti effigies, ab altero Apidis vel bovis: & supra ramus oleæ: additur serpens, patina, præfericulum, & alia res fasciis involuta. Ubi observandum diligenter Anubin crocodilo insistere, quia scilicet Solis etiam symbolum erat; quomodo idem sidus per hominem in navi crocodili tergo imposita, locatum, designatum fuisse pag. 14. docui. Templum ejus Ανουβείδιον vocat Lucianus in Toxari, scribitque ex eo Phialas duas una cum aliis rebus sustulisse fures. *Nam servus ejus ut nomine ita & patria Syrus una cum iis* (sacrilegis) *irrupit* εἰς τὸ Ανουβείδιον, καὶ ἀποσυλήσαντες τὸν θεὸν, χρυσᾶς τε φιάλας δύο, καὶ κηρύκιον χρυσοῦν καὶ τοῦτο, κυνοκεφάλους ἀργυροῦς, *in Anubis templum; & spoliantes deum aureas phialas duas & caduceum aureum & cynocephalos argenteos, & similia, omnia deposuerant apud Syrum.* Et denique observandum Aristophanem in Equitibus Cleonem Comicum appellare κυνοκέφαλον, non quia cani simile caput habebat, uti arbitratur Gatakerus plurimæ Vir eruditionis, sed propter impudentiam, quales homines canibus comparari notissimum est.

ΑΡΧΙΟΚΡΑΤΕΙ. Ita etiam scribitur in sequente inscriptione: quod forte vitio artificis factum. Vir clarissimus inde initio faciebat *Archiocratem*, eique ut ignotum jungendum putabat Deum *Herculem Catalaschium*; sed doctissimus Sponius testatur se in Deliaco marmore invenisse distincte ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ, & recte ad Harpocratem nostrum refert: putatque eum & Anubin ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΥΣ vocari in marmore, quia Sarapidis & Isidis filii habebantur, & Sarapis Jupiter erat: & Herculem *Catalaschium* recte ex numinum numero tollit.

ΔΙΟΣΚΟΥΡΟΙΣ. Uti dixi, Sponius referebat ad Anubin & Harpocratem; Gallandius ad Castoras, licet Plutarchus narret Anubin Osiridis ac Nephthys filium esse, Harpocratem vero Osiridis & Isidis; & Osiris idem habitus sit ac Jupiter. Ego ut litem hanc meam non facio; ita cum Sponio arbitror plures deos quam Castorem & Pollucem illo epitheto ornatos esse; quia in Inscriptione veteri occurrit: ΘΕΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΔΙΟΣΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ: & de *Cabeiris* id pererudite pluribus probat Raphael Fabrettus ad Columnam Trajanam, Sanchoniatonem idem affirmare apud Euseb. lib. 1. præp. cap. 10. puto Ἐκ δὲ τοῦ Συδὺκ Διόσκουροι ἢ Καβειροὶ, ἢ Κορύβαντες ἢ Σαμοθρᾶκες. οὗτοί, φησι, πρῶτοι πλοῖον εὗρον: ubi nescio quare interpres vertat, *Ambos navigium primos excogitasse*; & mox, *ab utroque procreatos alios*. Nam hæc ad Samothracas, qui & *Corybantes*, *Cabyri* & *Dioscuri* dicuntur, referenda sunt; quos mox ἐπῳδὰς *incantationes* invenisse narrat; quod de Cabiris alii etiam memoriæ mandant. Et certe Cicero lib. 3. de Nat. Deorum plures *Dioscoros* memorat; Διόσκουροι *etiam apud Grajos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Jove, rege antiquissimo, & Proserpina nati: Tritopatreus, Eubuleus, Dionysius* (puto scribi debere Dionysus) *Secundi Jove tertio nati ex Leda, Castor & Pollux. Tertii dicuntur a nonnullis Aleo, & Melampus, Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.* Si Salmasium τὸν πάνυ audimus, *Zethus* etiam & *Amphion* vocati fuerunt Διόσκουροι ab Hesychio in ea v. Nec certe prætereundum, ita vocatos esse postea Xenophontis Socratici filios Gryllum & Diodorum, uti tradit Diog. Laertius in ejus vita; Eustathius ad od. α. p. 1686. ubi etiam monet multos Dioscoros dici, sed illud nomen per excellentiam dari Castori & Polluci: Αλλως μέντοι ἐν παραθέσει πολλοὶ ἐλέγοντο τοῦ Διὸς κοῦροι. καθότι καὶ Ελένη κόρη διός, ἔτι δὲ καὶ Αφροδίτη. ἱστορία δὲ ἡ λέγουσα ὅτι Ξενοφῶν ὁ γλυκὸς ἐκεῖνος Αττικὸς μέλισσα ἐπωνομάζετο, παραδίδωσι καὶ ὅτι οἱ ἐξ ἐκείνου καὶ φιλιστίας υἱοὶ Γρύλος καὶ Διώδωρος Διόσκουροι ἐπεκαλοῦντο. Agamemnonem & Menelaum non aliter appellat Stesichorus apud eundem ad Il. ψ. p. 1323. quod ille ἐν παραθέσει factum scribit, uti per excellentiam Castor & Pollux *Dioscuri* vocantur. Quin & παρωτίδες, i. e. anguli oculorum qui aures spectant, vel forte tegmen, quo aures muniebant pugiles, quod ex auctoribus & statuis eleganter illustrat Eruditissimus Fabrettus, quia Pollux pugilatu & cæstibus spectatus fuit, διόσκουροι vocantur; & eo nomine Julianus Imperator designari etiam finxit hemisphæria bina, superum & inferum, uti apud eundem Eustath ad Il. Γ. p. 410. legere licet. Illud etiam observandum in marmoribus occurrere Διοσκούρους, cum tamen Phrynichus testetur melius scribi διοσκόρους, illosque ridendos esse, qui literam υ adjiciunt.

Inscriptio apud Jac. Sponium libro de Aris Ignot. Deorum:

ΘΡΑΣΕΑΣ ΔΙΟΓΕΝΟΥΣ
ΥΠΕΡ ΞΑΤΟΥ ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ
ΚΑΙ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΤΟΛΛΑΣ
ΚΑΙ ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΤΟΛΛΑΣ
ΚΑΙ ΚΟΚΥΤΟΥ ΤΕΚΝΩΝ
ΙΣΙΔΙ ΣΕΡΑΠΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ
ΑΡΧΙΟΚΡΑΤΕΙ ΘΕΟΙΣ ΣΥΝ
ΝΑΟΙΣ ΚΑΙ ΣΥΝΚΩΜΟΙΣ
ΕΥΧΗΝ.

Monumentum, hoc posuit Thraseas Diogenis filius pro se & liberis suis, & uxore & uxoris liberis, &c. ΞΑΤΟΥ. positum proculdubio pro Ξεαυτοῦ, *pro se ipso*.

ΤΟΛΛΑΣ. Nomen mulieris, quod forte nullibi reperitur; scriptum, ut opinor, fuit, ΠΟΛΛΑΣ. certe Κλαυδία πόλλα occurrit in Inf. 68. Cl. 2. apud Reinesium, & nota satis Lucani uxor vel ex his Statii versibus Sylv. lib. 2. Car. 7.

Tu castæ titulum decusque Pollæ
Jucunda dabis allocutione.

ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΤΟΛΛΑΣ. Et hic ΠΟΛΛΑΣ scribendum arbitror; videturque hæc Polla vidua ducta esse a Thrasea, & ex marito priore liberos habuisse.

ΚΑΙ ΚΟΚΥΤΟΥ ΤΕΚΝΩΝ. Hoc quid sibi velit fateor me ignorare; Verum in Miscellaneis Eruditæ antiquitatis per eundem virum clarissimum luce donatis publica scribitur, Καὶ ΚΟΥΙΝΤΟΥ, id est *Quinti*: quod amplector.

ΘΕΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ. Junguntur iterum Isis, Serapis, Anubis & Harpocrates, non secus ac in aliis monumentis, & a Tertulliano cap. 6. Apologetici: *Sarapidem, & Isidem & Harpocratem cum suo Cynocephalo Capitolio probibitos, id est, curia deorum pulsos Piso & Gabinius Coss. non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, turpium & otiosarum superstitionum vitia cobibentes. His vos restitutis summam majestatem contulistis.* Id quod testimonio Varronis firmat l. 1 ad Nat. cap. 10. *Ceterum Serapem & Isi-*

dem, & Arpocratem & Anubem probibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque a Senatu dejectus non niſi per vim popularium reſtructus: ſed tamen & Gabinius Coſ. Cal. Januariis, cum vix hoſtias probaret, præ popularium cætu, quia nihil de Serape & Iſide conſtituiſſet, potiorem habuit Senatus cenſuram, quam impetum vulgi, & aras inſtitui prohibuit. Hic certe locus videtur poſtulare ut breviter de cultu horum deorum apud Romanos recepto agam; licet ea maximam partem imo forte omnia obſervata a viris ſint eruditis. Macrobius igitur l. 1. Sat. Serm. c. 7. Serapin ſcribit *vix ægreque a Romanis admiſſum eſſe*. Et certe cum in Capitolio Ægyptiorum deos colere inciperent, Piſo & Gabinius, qui conſules fuerunt A. v. c. 696. ſacra eorum urbe ejecerunt. Poſt illud tempus tamen iterum recepti: Arnob. l. 2. *Quid? vos Ægyptiaca numina, quibus Serapis atque Iſidis eſt nomen, non poſt Piſonem & Gabinium Conſules in numerum veſtrorum retuliſtis deorum?* Neque id tamen abſque difficultatibus dii illi obtinuerunt: Dio lib. 40. narrat, Iſidis & Serapidis fana, quæ privatim nonnulli extruxerant, Senatum juſſiſſe demoliri, quia eos non magni faciebant. Donatus l. 3. cap. 6. Romæ Veteris ſcribit Dionem affirmare id Sçtum factum eſſe A. U. C. 700. cum Tertullianus id aſſerat factum Piſone & Gabinio Coſſ. A. U. 696. Verum vir doctiſſimus tempora confundit; nam aras quidem & ſtatuas eorum e Capitolio ſuſtulerunt conſules Piſo & Gabinius A. 696. ſed cum privati iis templa exſtruxiſſent, ea dirui juſſit Senatus A. 701. Coſſ. Cn. Domitio Calvino, & M. Valerio Meſſalla; quod initio anni ſequentis primum factum eſſe clare teſtatur Dio loco laudato. Hinc ea ſententia vicit, ut publice colerentur, verum ἔξω τῦ πομηρίυ, uti apud eundem legimus. Verum *L. Æmilius Paulus conſul* (A. U. C. 704.) *cum Senatus Iſidis & Serapidis fana diruenda cenſuiſſet, eaque nemo opificum attingere auderet, poſita prætexta ſecurim arripuit templique ejus foribus inflixit*: uti loquitur Val Maximus, 1. 3. Fieri poteſt ut hoc idem ſit cum iis quæ narrat Dio; ſed quod Rupertus in epiſtola quadam notat, L. Æmilii Pauli conſulatu factum eſſe Sctum de Serapidis Iſidiſque fanis diruendis, atque id aperte ſcribere Dionem lib. 40. illud apud eum non reperio; cum referat hanc hiſtoriam Dio in A. U. C. 701. ut ipſum auctorem inſpicienti utique clare patebit. Neque tamen inficias eo nonnullos hoc referre ad A. U. C. 534. quo Coſ. fuit alius L. Æmilius Paulus; & P. Fabrum 3. Semeſt. c. 3. ad annum admodum ſexageſimum. Quod ultimum ut non capio, ita certe anno 534 conſul L. Æm. Paulus fuit, & ante Gabinium & Piſonem fuiſſe dejectas deorum Ægyptiorum vel aras vel ædes ex Tertulliano haud obſcure patet. Quicquid ſit, non ſic abolita fuit vel ejecta ex urbe hæc ſuperſtitio. Nam Dio lib. 42. A. U. C. 707. ſcribit apes in Capitolio juxta Herculem conſediſſe, eo ipſo tempore, quo Iſidi ſacra fiebant; ἔδοξε γνώμῃ, pergit, τῶν μάντεων πάντα αὖθις τά τε ἐκείνης καὶ τὰ τῦ Σαράπιδος τεμενίσματα κατασκάψαι: *viſum fuit vatibus omnia rurſus & ipſius & Sarapidis fana evertere: quod dum fit, Bellonæ quoque ædes inſcientibus illis dejecta eſt.* Neque hoc diu duravit, cum Triumviri Reip. conſtituendæ, Cæſar Octavianus vel Auguſtus, Antonius & Lepidus A. 711. decreverint νεὼν τῷ τε Σαράπιδι καὶ τῇ Ισιδι. Verum Auguſtus videtur ſententiam mutaſſe, quia Agrippa præfectus Urbis A.U.C. 733. ſacra Ægyptia ἐπεισιόντα αὖθις ἐς τὸ ἄστυ ἀπέστειλεν, vetuitque neminem μηδὲ ἐν τῷ προαστείῳ αὐτὰ ἐντὸς ὀγδόυ ἡμισταδίυ ποιεῖν, uti idem Dio lib. 54. teſtatur. Hinc Tiberium Iſidis templum dejeciſſe; illiuſque ſtatuam Tiberi merſiſſe propter deceptam Saturnini conjugem tradunt Joſephus lib. 18. cap. 4. extremo Antiquitat. & Hegeſippus l. 2. c. 4. Sed vel tunc illud ſolum templum dejectum, in quo Mundus hoc crimen commiſerat, aliaque remanſerunt inviolata, vel mox iterum hæc ſuperſtitio hominum animos occupavit; cum Juvenalis, qui temporibus Flaviorum floruit, *celebret Iſiacæ ſacraria Lenæ*, & ipſe Domitianus *Iſiaci celatus habitu inter ſacrificulos vanæ ſuperſtitionis*, Suetonio teſte, latuerit. Et quidem illius Principis tempore, Aſprenate, & Clemente Coſs. teſte Caſſiodoro: Multa mœnia, & celeberrima Romæ facta ſunt, id eſt, Capitolium, Forum Tranſitorium, Divorum porticus, Iſeum, Serapium, Horrea Piperata, Veſpaſiani Templum, Minervæ Chalcidicæ Odœum. Inde Caracalla a Spartiano dicitur, *Sacra Iſidis Romam deportaſſe, & templum ubique magnifica eidem deæ feciſſe*, & cum ante Commodus eadem ſacra celebraverit, ut etiam Anubin portaret & Pauſas ederet, imo cum ante Domitianus inſtar linigeri ornatus inceſſerit, recte Ulricus Obrechtus, vir doctiſſimus videtur cenſere, hoc intelligendum eſſe de *arcanis genuiniſque deæ*, ut Apulejus loquitur, *exuviis*, non autem de cultu rituve ſacrorum Iſidis. M. Antoninus Philoſophus Serapidi templum exſtruxit, quod alii columnis ornarunt, & epiſtilio, uti conſtat ex Inſ. 3. 4. 6. p. LXXXV. apud Gruterum. Et certe varia Romæ Iſidis & Serapidis templa fuerunt; Trebellius Pollio in vita Tetrici Junioris celebrat *Iſium Metellinum*: ex Inſcript. Romæ inventa, apud Grut. pag. 312. & ex alia pag. LXXXI. haud obſcure conſtat ISEM PELAGIAM & EXORATAM templum ibi etiam habuiſſe; nec non *Iſidem Patriciam* ex iis, qui Regiones Urbis deſcripſerunt: quam non abſque ratione a vico Patricio nomen ſuum accepiſſe putat Pancirollus. Et, ut hoc addam, ISIS PELAGIA culta etiam fuit Corinthi, teſte Pauſania lib. 20. pag. 93. Ες δὴ τὸν Ακροκόρινθον τῦτον ἀνιῦσιν, ἐστὶν Ισιδος τεμένη· ὧν τὴν μὲν Πελαγίαν, τὴν δὲ Αιγυπτίαν αὐτῶν ἐπονομάζυσιν. Utque hæc dea propter inventam navigationem *Pelagia* dicta eſt, ita Venus idem cognomen gerit in Inſcriptione XCIII. Claſſis 1. apud Reineſium, quam Vir doctiſſimus *Anadyomenen* interpretatur: quanquam Artemidorus lib. 2. cap. 42. difertis verbis *Venerem* Πελαγίαν, & Αναδυομένην diſtinguat; illamque ſcribat in ſomnis viſam naucleris, gubernatoribus & omnibus navigantibus, itemque peregrinari volentibus bonam eſſe; hanc vero navigantibus multam tempeſtatem & naufragium ſignificare: ſed nihilominus ſervare καὶ τὰ ἀπηλπισμένα τῶν πραγμάτων perficere. *Marinam Venerem* celebrat Horatius, quod recte ſimplex epithetum deæ mari ortæ eruditi faciunt, qui etiam arbitrantur Græcos eam *Pelagiam* & *Pontiam* propterea appellare. ΘΕΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΚΑΙ ΣΥΜΒΩΜΟΙΣ. Ita enim legendum eſſe recte monuit eruditiſſimus Sponius. Et qui dii σύμβωμοι atque σύνναοι dicantur, ſatis multis docui lib. 4. obſerv. cap. 3. Inſcr. 10. pag. XXII. poſita eſt Serapidi ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙϹ ΘΕΟΙϹ, id eſt, *Iſidi, Anubidi, Harpocrati*, & forte aliis Ægyptiorum diis: Artemidorus lib. 2. cap. 44. ſcribit *Serapin, Iſin, Anubin & Harpocratem*, eorumque ἀγάλματα καὶ μυστήρια, *& omnem de iis ſermonem*, καὶ τῶν τύτοις συννάων καὶ συμβώμων θεῶν, *& de diis, qui cum iis communia templa & aras habebant*, ſignificare pericula: Juno apud Plutarchum, cujus verba conſervavit Euſebius lib. 3. cap. 1. Præparat. Latonam ſibi fecit ὁμοβώμιον καὶ σύνναον: Herodorus apud Scholiaſtem Pindari ad Oden 5. Olymp. ſcribit

Herculem ſex aras Olympiæ duodecim diis exſtruxiſſe, eoſque feciſſe συμβώμυς, una ſcil. ara duobus diis dedicata; ut Jovi & Neptuno: Junoni & Minervæ: Mercurio & Apollini: Gratiis & Baccho: Dianæ & Alpheo: Saturno & Rheæ. Ex Inſcriptione veteri, quam vulgavit Camillus peregrinus in Diſſert. de Campania Felice Nemeſeos Synnaoi memorantur Juſtitia, & Fata: eſt illa partim Græca, partim Latina & digna, ut integra apponatur;

Δεσποίνῃ Νεμέσει κὴ Συνναόισι θεοῖσιν
Αρρίανος βῶμον τὸνδε καθειδρύσατο:

Juſtitiæ, Nemeſi, fatis quam voverat aram,
Numina ſancta colens, Cammarius poſuit.

In ipſo lapide, fateor, ſcribitur ATIS; ſed non dubito, quin prima littera vel vitio temporis deleta ſit, vel a typographis neglecta. Et exſtat elegans Inſcriptio apud eruditiſſimum Sponium Sect. 10. Miſcellaneorum Eruditæ Antiquitatis;

ΜΑΡΚΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΣΕΟΥΗΡΟΥ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ
ΕΥΤΥΧΟΥΣ. ΕΥΣΕΒΟΥΣ. ΣΕΒ. ΚΑΙ. ΙΟΥΛΙΑΣ. ΜΑΜΑΙΑΣ
ΣΕΒΑΣΤΗΣ. ΜΗΤΡΟΣ. ΣΕΒ. ΔΙΙ. ΗΛΙΩ. ΜΕΓΑΛΩ
ΣΑΡΑΠΙΔΙ. ΚΑΙ. ΤΟΙΣ. ΣΥΝΝΑΟΙΣ. ΘΕΟΙΣ
Μ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ. ΗΡΩΝ. ΝΕΩΚΟΡΟΣ. ΤΟΥ. ΕΝ. ΠΟΡΤΩ
ΣΑΡΑΠΙΔΟΣ. ΕΠΙ. ΛΑΡΓΙΝΙΩ. ΒΕΙΤΑΛΙΩΝΙ
ΑΡΧΙΥΠΕΡΕΤΗ. ΚΑΙ. ΚΑΜΕΙΝΕΥΤΗ. ΚΑΙ. ΑΥΡΗΛΙΩ
ΦΗΒΩ. ΚΑΙ. ΣΑΛΩΝΙΩ. ΟΕΙΔΟΤΩ. ΙΕΡΟΦΩΝΟΙΣ
ΚΑΙ. ΚΑΜΕΙΝΕΥΤΑΙΣ. ΧΑΡΙΤΗ. ΙΕΡΟΔΟΥΛΕΙΑ
ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Quam ita vertendam eſſe exiſtimo: *Marci Aurelii Severi Alexandri Felicis Pii Auguſti, & Juliæ Mammææ Auguſtæ Matris Auguſti, Deo Soli Magno Sarapidi, aliiſque qui in eodem templo coluntur Diis, Marcus Aurelius Heron æditvus ædis Serapidis, quæ eſt in portu, ſub Larginio Vitalione Archiminiſtro & Camineuta, & Aurelio Phæbo, & Salonio Oedoto ſacris cantoribus & Camineutis Charite ſacrorum Miniſtra conſecravit*: quæ ultima non ſatis feliciter alias redduntur per, *ſacri miniſterii cauſa*. Εν πόρτῳ autem Sponium ſequutus verti *in portu*; quanquam valde de veritate lectionis cum præſtantiſſimo Grævio dubitem; arbitratuſque nonnunquam ſim, ſcribi deberi ἐν πόντῳ, ut æditvus fuerit Serapidis, qui in Ponto a Sinopenſibus vel aliis colebatur. *Camineuta* eſt inter templorum miniſtros proculdubio; & ex Heſychio docet idem Κάμινον eſſe μέρος τὶ τȣ̃ νέως, *partem quandam templi*: quanquam viri harum Litterarum callentiſſimi, *partem quandam navis* intelligant, quod certe Græca ſuadent omnino. Hoc tamen loco *Camineuta* ſacrum aliquod miniſterium; & vox ea in genere notat hominem, qui in camino aliquid excoquit, vel qui circa caminum fornacemve laborat, quod tamen nullus video, quomodo templorum miniſtris vel ſacerdotibus convenire poſſit. Grævius arbitrabatur poſitum eſſe pro χαμινευταῖς, qui cubent humi; & fuiſſe forte ſacerdotum munus, uti humi cubarent in templis juxta pulvinaria; χαμεῦναι & χαμαιεῦναι Græcis dici humi cubantes, qui in nuda humo dormiunt; ſed tamen nuſquam reperiri vocem χαμευνευτὴς, adeoque ampliandum eſſe, donec dies & ſollertia certiora detegat. Pro ΟΕΙΔΟΥΩ, dubito num ſcribi debeat ΘΕΙΔΟΤΩ. Præterea ſic eleganter Syneſius Ep. 1. τὴν ποιητικὴν vocat σύνναον τῆς σεμνοτάτης φιλοσοφίας; quia ſcilicet, ut alibi doceo Poeticem veteres exiſtimarunt Philoſophiam, & Poetas Philoſophos.


Apud Goropium Becanum exſtat elegans admodum Harpocratis vel certe Numinis, quod digito labia premit, effigies ærea, quam ſcribit Pighium, curioſiſſimum Romæ veteris exploratorem, & plurimorum ſibi per totum Latium priſcæ memoriæ veſtigiorum præmonſtratorem accepiſſe a Pyrrho Ligorio Neapolitano, diligentiſſimo item antiquario; quamque dignam judicavi, ut adjiciatur:



Quæ Zimmermannus Analectorum Menſe VI. hac de imaguncula commentetur, & qua ratione in ea inveniat ſapientis viri ideam, ab eo peti poſſunt. Ego putabam nonnunquam, facem accenſam, ſerpentem, pharetram, arcum, gallum gallinaceum, papaveris, quod τȣ̃ πολυγονίας σύμβολον, teſte Porphyrio apud Euſebium lib. 3. Præpar. cap. 11. capita ad Solem referri poſſe, & inſigne capitis, noctuæ itidem impoſitum, Ægyptiorum figmenta ſapere; ſed noctua mihi negotium faceſſebat, quia non Solis, verum Lunæ avis videtur eſſe; niſi forte a tergo Harpocratis vel Solis poſita ſit, ut ſignificarent ingenioſi ad commenta homines, ſole non lucente, & facie, ut ſic loquar, ſua orbem non illuſtrante, tenebras eſſe. Joannes Ortivinius, qui cum Muſis bona fide rationes deducit, arbitrabatur, hanc Becani imagunculam Oſirim ſive Lunam videri ſignificare; quia Oſiris digito os premit, & vim Oſiridis in Luna collocatam fuiſſe demonſtrat Plutarchus libro de Iſide: ad hæc quia quæ imagunculæ adeſſe conſpiciuntur, nulli tempeſtati magis, quam nocturnæ, qua Luna regnat, conveniunt. Fax, noctua, & gallus gallinaceus, ſigna & indicia noctis dant, & Papaver Lunæ eſt ſacrum, uti Tollius in explicatione Imag. cui nomen Ερως κοιμώμενος, oſtendit. Quam ſententiam ſi quis amplecti malit, ego certe nullus repugnabo; quin potius auctor forem ſequendi veſtigia viri eruditi, quia ipſi fronti imaginis imponitur luna corniculata; eademque coronam Iſidis, cujus ectypum ex Caſalio dedi, exornat; & tandem Apulejus non aliter fere deam deſcribit: *Corona multiformis, variis floribus ſublimem diſtrinxerat verticem: cujus media quidem ſuper frontem plana rotunditas in modum ſpeculi, vel immo argumentum Lunæ, candidum lumen emicabat*. Apud

eundem Becanum, exstant imagines aliæ, quibus supponitur inscriptio vetus. Habuit illam e copiosissimis Illustrissimi Cardinalis Granvellani thesauris: estque lapis heliotropius ea, quam certis amplitudine, cujus altera facies puerum habet sedentem, qui indicem ori applicat: altera loti florem præfert, e quo pusio indicem ad silentium imperandum ostentans emergit:





subestque hæc inscriptio:

ΜΕΓΑϹ ωΡΟϹ ΑΠΟΛΛων ΑΡΠΟΚΡΑΤ
ΕUΙΛΑΤΟϹ Τῳ ΦΟΡΟΥΝΤΙ

Magnus Orus Apollo Harpocrates
Propitius gestanti.

& addit Goropius, luculentum profecto veritatis indicium in hoc epigrammate nos videre: cui cum Epiphanius consentiat, Harpocratem & Orum eundem Butiorum deum faciens, non esse, quod de fide heliotropii dubitemus; præterea Harpocratem arbitratur initio deum non fuisse, sed symbolum duntaxat, utilissimam habens admonitionem; postea vero deum fraude sacerdotum & ignorantia, atque dæmonis instinctu factum esse, & ejus imaginem tutissimum omnium malorum amuletum; & persuasum fuisse ei, cui ille propitius esset, nihil adversi posse evenire, cui irasceretur nihil ex voto successurum; atque hinc Lucilii intelligi epigramma in Simonem quendam medicum imperitum scriptum:

Ην τιν' ἔχεις ἔχθρον Διονύσιε, μὴ καταράσῃ
Τὴν Ἶσιν τούτῳ μηδὲ τὸν Ἀρποκράτην
Μηδ' εἴ τις τυφλοὺς ποιεῖ θεός, ἀλλὰ Σίμωνα
Καὶ γνώσῃ τί θεὸς καί τι Σίμων δύναται.

quod ille sic vertit;

Odisti si quem Dionysi, nec pete ut Isis
Harpocratesve huic sit trux, aliusve Deus
Excæcans: voveas ut Simo sit medicus,
Et noris possit quid Simo, quidve Deus.

Exstat hoc epigramma lib. 2. Anthol. cap. 22. Sed in editionibus non legitur Ἀρποκράτην verum Ἀμφικράτη, unde Scottus lib. 2. Obs. c. 6. facit Amphicratem medicum: cum tamen *Simo*, non *Amphicrates*, medicus exagitetur; Latet in ea voce *Harpocrates* proculdubio, si Ausonius versus illos ita Latine vertit quemadmodum docet Schottus loco laudato. Ut autem hoc melius intelligatur, observandum diligenter est, inter Isidis virtutes fuisse, aliquem cæcum reddere, Juvenalis Sat. 13. v. 93.

Decernat quodcunque volet de corpore nostro
Isis, & irato feriat mea lumina sistro,
Dummodo vel cæcus teneam, quos abnego, nummos.

similiaque Ovid. lib. 1. de Ponto epist. (ubi nescio quare Jo. Britannicus *linigeram Isidem* mutet in *linigenam*) & Apulejum lib. 8. Metam. scribere notarunt eruditi. Atque ut Isis cæcos homines reddere putabatur; ita & eadem visum restituebat: Diodorus Siculus lib. 1. narrat, Ægyptios tradere, Isin multa pharmaca invenisse καὶ τῆς ἰατρικῆς ἐπιστήμης μεγάλην habuisse ἐμπειρίαν; sanatione hominum maxime gaudere, & in somnis manifestam numinis sui præsentiam exhibere, ægrotisque remedia contra morbos dare; multos a medicis relictos ab ea salutem accepisse; συχνοὺς δὲ παντελῶς πηρωθέντας τὰς ὁράσεις ἤ τινα τῶν ἄλλων μερῶν τοῦ σώματος; *plurimos vero oculis captos, aut alia corporis parte laborantes, si ad Deæ hujus opem confugerint, in pristinum statum restitutos esse.* Adeo ut mirum nequaquam sit eam SALUTAREM vocari in lapide apud Gruterum; & P. QUINCTIUM pro salute filii sui votum suscepisse ISIDI. SERAPIDI. LIBERO. LIBERAE, aliosque eidem Deæ EX MONITU EJUS dona dedisse. Diis autem Servatoribus adscriptum fuisse Harpocratem, iisque qui in extremis periculis versabantur, non secus ac alios auxilio venisse, docet nos Artemidorus lib. 2. cap. 44. Oneir. Nam postquam tradidisset *Sarapin, Isin, Anubin, Harpocratem* tum ipsos, tum statuas eorum ac mysteria in somnis visa significare ταραχὰς καὶ κινδύνους καὶ ἀπειλὰς καὶ περιστάσεις, *turbationes, pericula, minas, & infortunia*, ex quibus præter expectationem, καὶ παρὰ τὰς ἐλπίδας servant, adjicit: Ἀεὶ γὰρ σωτῆρες νενομισμένοι εἰσὶν οἱ θεοὶ, *Semper enim Servatores crediti sunt hi dii, eorum qui per omnia exercitati sunt, & ad extremum periculum pervenerunt. Nam eos qui in ejusmodi periculis constituti sunt*, αὐτίκα μάλα σώζουσιν, *statim omnino servant.* Et valde hæc illustrantur verbis Ktircheri part. 2. Tom. 2. p. 385. Oedipi Ægyptiaci, quæ adjicere nullus gravabor: „Sed ut ad institutum revertamur, *ait ille*, reverebantur Ægypti præter cetera Numina maxime Isin & Osirin, ac Horum sive Harpocratem, tanquam Iatricos genios. Hinc passim eos in varia materia, uti ligno, osse, metallicis laminis, diversisque pretiosis lapidibus pro morborum ratione summo rigore,

„ gore, tempore, cæterisque Astrologicis circumstantiis observatis, incidebant; ut Capsulas quoque fecisse reperio in formam membrorum quos respiciebant, adaptatas, cujusmodi unam non ita pridem mihi exhibuit supra laudatus Torquatus Alexander Capitaneus. Capsula est in formam cordis, & fructum foliumque Perseæ mentiens, in cujus meditullio Harpocrates nudus, infans, labiis digito apposito silentia suadens, positus spectatur, iisdem prorsus symbolis, quibus alias insignitur, in capsula efformatis; quod quidem prophylacticum cordis potissimum gestatum existimabant. Figuram hic ad meliorem rei informationem apponendam duximus, ut vel hinc videas, quibus modis & industriis Ægyptii in morborum cura versati sint. Hucusque ille. Et ecce tibi, Lector, amuletum;



„ quod pag. 450. ita describit idem: Amuletum vero a supra citato Capitaneo concessum, uti oppido mysteriosum est, ita nonnullam explicationem seorsim meretur. Est id ex cupro constructum in forma Perseæ linguiformis, intra cujus concavum puerulus latet digito labiis impresso silentia suadens, altera manu cornucopiæ tenens; & indicat Harpocratem Sapientiæ numen inclusum Perseæ fructui, cujus folium uti linguæ, ita fructus cordis figuram exprimit, teste Horo: quo indicatur quod quicunque ad sapientiam adspirat, is quod per sapientis linguam didicit, id alte cordis penetralibus per frequentem contemplationem committere debere; eratque amuletum quod Sacerdotes ad Sapientiæ spiritum per Harpocratis favorem acquirendum portare solebant. Ac rursus p. 449. scribit; Harpocratis amuletum religiose gestatum fuisse, quia per varias divinationum species se conscios futuros sperabant; ansulas autem demonstrare gestatum illud fuisse, & per Hori amuletum naturæ mundanæ notitiam se habituros putasse. Et postquam pag. 462. varia amuleta, quæ etiam apud Joh. Macarium occurrunt, explicasset, addit tandem: Procedamus ad Harpocratica amuleta, quorum non minor varietas occurrit. Et primo quidem passim invenitur loto insidens, digito silentium suadens, altera manu flagello instructus cum nominibus SABAω, id est Sabaoth, ut in figura Num. 10. signata patet, in cujus postica facie nomen ΙΑΩ inscriptum videtur, quæ omnia solare numen ἀποτροπαῖον & magnæ efficaciæ designant. Figura vero 11. signata in antica facie eundem nobis Harpocratem demonstrat, symbolis priori simillimum: in postica vero parte, statua τετρακέφαλος καὶ ἑκατοβραχέων conspicitur, binis gladiis, flagellis, facibusque instructa, quam nos Hecaten, sive Dianam, aut Isin tergeminam interpretamur. Quæ ideo omnia addidi, ut pateat Kircherum in Ægyptiorum antiquitatibus exercitatum valde, censuisse etiam *Harpocratem* inter iatricos dæmones referendum esse, gentiles eum amuleti loco gestasse, & ad Solem, licet alibi alia videatur notare, referri debere (quod etiam variis locis firmat, & præcipue pag. 465. ubi eum *Solare numen* appellat (nec non Horum & Harpocratem eundem esse. Ultimum hoc ut clarius pateat, operæ pretium est, ut adjiciatur Harpocratis ectypus, & verba Kircheri, quibus eum binis locis, sive bene sive male, illustrat:



Tomo igitur primo Synt. 2. cap. 7. Oedipi Ægypt. ita loquitur; Horus vero pingitur puer, ut ostenderetur, mundum in tempore veluti infantulum a Dei sapientia productum; cum cornucopia vero exprimitur, ut indicaretur varietas, abundantia & plenitudo rerum in mundo creatarum: in cubo stat, ad mundi indicandam stabilitatem soliditatemque. Trigonus cum globo cubo inscriptus significat Horum e trigono archetypo profluxisse: baculus upupæ capite insignitus indicat mundum rerum varietate veluti fulciri & sustentari; lituus harmoniam universi; gnomon ordinem & admirabilem rerum dispositionem designat. Horus denique labra premens, digitoque silentia suadens, ad ineffabilitatem mysteriorum indicandam. At Tomo 2. pag. 500. ita de eadem statua ut de aliis commentatur: Platonicum idque celeberrimum epiphonema est, Deum inventu & cognitu difficilem: ita enim in Timæo asserit: Opificem quidem & mundi patrem invenire difficile, & cum jam inveneris prædicare, eloqui vulgo impossibile est. Quod cum verissimum sit, ideo Ægyptii solo silentio & cultu intrinseco venerandum pulchre per Sigalionem Harpocratem signabant, quem nunc nudum, nunc reticulata veste indutum, digito labris impresso silentia suadentem exprimebant. Puer nudus pingitur, quia deus ab omni materiæ contagione longe remotissimus in perpetuo juventutis flore permanet inalterabilis, silentio potius colendus quam multis verborum ampullis describendus est. Cornucopiæ sinistra tenet, quia bonorum omnium in se ubertatem continet. Dum baculo upupæ capite insignito, cum lituo & gnomone pingitur, ostenditur eum totius varietatis, harmoniæ & ordinis mundani auctorem esse. Per Crocodilum quoque elingue animal, quod sub aquarum gurgitibus latitans acute videt, a nemine visum, ostenditur nullius linguæ facundia eum, prout natura ejus fert, satis describi aut exprimi posse; qui invisibilis cum sit, & in divinæ essentiæ suæ caligine latitans omnia tamen videt, omnia intuetur & moderatur. Unde eandem ob causam Ægyptii deum (in margine, ut vocant libri scribitur, *Harpocrates loto insidens*, adjiciturque ejusmodi imaguncula) inducunt symbolo sane maxime appropriato, sedentem supra lotum, aquaticam scil. arborem, teste Jamblicho lib. de Mysteriis: quo significant deum principatu suo mundanum excedere lutum, nec attingere gubernando, sed principatum gerere intellectualem & empyreum. Atque hæc omnia adjicere visum fuit, ne quis forte Kircheri senten-

tiam desideret; licet eam examinare nec velim nec possim: utpote qui Ægyptiorum mysteriis, ut sic loquar, cum viro erudito non sim initiatus, nec investigandis gentis superstitiosæ antiquitatibus horas meas impenderim. Monendus tamen es lector Harpocratem reticulata veste indutum esse figuram eam, quam in Mensa Isiaca litteris. KK. notatam exhibet, quamque Orum esse censet doctus illius enodator; & nihil eum, ita depictum cum Sigalione commune habere; aliudque vulgo signum Harpocrati tribui, quam lituum, gnomonem, & baculum upupæ capite insignitum: & denique, ut hoc adjiciam, errare valde doctum Athanasium, Tom. 1. Synt. 1. cap. 4. Nomo 9. „ ubi de Oro & Sigalione ita commentatur: Vocatur hæc urbs *Antinous*, ab Arabibus *Ansena*, sive Αντινοόπολις, Stephano teste, a quibusdam Adrianopolis: Antinoopolis dicitur ab Antinoo armigero Jovis, in cœlum translato, quem multi cum Horo confundunt: unde & volunt Horum hic coli solitum sub forma Sigalionis, ita Pausanias in Corinthiacis. Sed primo Antinous nunquam armiger Jovis fuit; & si quid simile a veteribus, quod tamen vix credo, dictum est, factum illud, ut adularentur Hadriano Imperatori, qui memoriam Antinoi sive Dei sive Herois impense colebat: deinde nemo veterum Antinoum cum Horo confudit, & recentiorum nulla his in rebus auctoritas; tandemque Pausanias nullibi narrat Horum in urbe Antinoo sub forma Sigalionis cultum esse. Nam in Corinthiacis pag. 141. narrat ille apud Trœzenios primum Ωρον regnasse, & ab eo regionem Oræam vocari; sibi tamen videri nomen *Orus* Ægyptiacum, non autem Græcum esse: in Arcadicis Antinoum coli a Mantinensibus, atque in urbe Ægypti Antinoo, & imagines ejus plurimas Baccho similes esse: sed ne verbo quidem eorum meminit, quæ Kircherus annotavit. Ut autem nihil desit, quod illustrando Harpocrati inservire queat, adjicere insuper visum fuit, quæ alio loco & quidem ex professo, ut loquuntur, de eo commentatur idem Jesuita; cujus si sententiam præferre aliquis malit; imo si censeat imagunculam hanc nihil cum Harpocrate commune habere, & Naturam rerum vel Tellurem esse, nullus repugnabo. Eruditorum judicio stabo vel cadam; nec tam pertinax opinionis meæ defensor sum, ut meliora videns Colchidis exemplo deteriora sequar. Ita Igitur Kircherus commentatur Tom. 1. Oedipi Ægyptiaci. „ HARPOCRATES. Sunt autem duplicis generis Canopi, quarum illi qui figuram ejus, quem supra designavimus, referunt, teste Goropio, in scholis Ægyptiorum ponebantur, una cum Harpocrate: per hunc insinuantes studiosos literarum silentii observantes esse debere; per illum symbolice totum id, quod homo ab infantia usque ad extremam senectutem debeat facere, indicabant: verba Goropii Becani sunt. *Hic Canopus haud aliter in scholis Ægypt. pingebatur quam Harpocrates: & ut hic Deus paulatim ex hominum ignorantia evasit; ita & Canopus in errorum materiam tractus, varias vulgo præbuit fabulas*. Hinc ego arbitror, Laur. Pignorium, virum cæteroquin in omni antiquitatis genere eximie versatum, hujus tamen generis Canopes cum Harpocrate seu Oro Isidis filio confundendi occasionem accepisse, non alia de causa quam similitudine idolorum deceptum. Cæterum Canopos ab Harpocratis statuis maxime diversos esse ex sequentibus patebit. Pingebantur enim variis modis Harpocratis statuæ, non secus ac Canopi; ita tamen, ut Harpocrates omnes a Canopis in eo distinguerentur, quod hi crassioribus ventribus tumidi in turbinatam deinde superficiem desinerent, uti ex imaginibus eorum supra relatis liquet; illi vero instar imberbis pueri, & nudi, aut super lotis residentis, ut hic, semper digito prementis labra, aut etiam fasciis involuti, uti ex appositis his imaginibus apparet, efformarentur. Fuit autem Harpocrates Deus silentii apud Ægyptios in summa veneratione; ita ut nunquam ab Osir. & Iside abesset; pingebatur duplici ratione: 1. imberbis puer, nudus, qui dextræ indice digito os signabat, digito silentia suadens: sinistra vero deorsum extensa sustinebat cornucopiæ, sursum ad aures pertinens, frugibus refertum, inter quas eminebat nux pinea: Dei vero caput mitra redimiri videbatur qua aliquantum in altum erecta desinebat in duas quasi volucres. Altera ratio pingendi non differebat a ratione depingendi Canopos, puer nimirum reticulata veste indutus, vel potius involutus fasciis quibusdam cum lituo, gnomone & baculo upupæ capite insignito, uti in figura apparet. Fuit vero Harpocrates filius Osiridis & Isidis, quem Plutarchus scribit post mortem Osiridis ex Iside genitum una cum Helitomeno, imbecillemque natum membris inferioribus; alibi tamen idem auctor negat puerum fuisse imperfectum, neq; aliquod leguminum existimandum: sed deum Juvenilis adhuc imperfectæ atq; inarticulatæ orationis præsidem & moderatorem: ex quo digito ori admoto ipsum effingebant, utpote silentii & taciturnitatis symbolum: huic quoq; Mense Mesori id est Augusto legumina offerentes, ita canere solebant Ægyptii Γλῶσσα τυχὴ, Γλῶσσα δαίμων: Natum autem Harpocratem circa solstitium hybernum, asserit Plutarch. lentibus & frugum primitiis cultum. Sed & Perseam arborem ei dedicatam, quod hujus arboris frondes linguæ, fructus autem cordi sit simillimus. Sacra porro quæ huic deo puero in civitate Buto fieri solebant, sane maxime ridicula, S. Epiphanius narrat: nam Sacerdotes illum nutrire simulabant instar nutricum, in omnibus vero templis ubi colebatur Isis & Serapis, uti supra diximus, simulacrum erat digito labris impresso, quod multi interpretantur, tacendum esse illos itidem mortales fuisse. Figmentum hoc porro totum Ægyptiacum fuit quod digito labris impresso, silentium significaret de diis immortalibus habendum, in quos ne licentiosi loquendo simus, a Platone etiam monemur legibus. Alias Harpocratis sigillum in annulis gestare solitum a veteribus ea de causa tradit Plinius, ut silentium de agendis rebus indicarent. Angeronæ autem effigies obligato, obsignatoque ore fuit apud Romanos, ut silentio prætereundum innuerent, in cujus tutela Numinis urbs Roma esset, quodque proprium illi nomen ob eam nim. superstitionem, ne tutelares dii sacris quibusdam avocarentur, devoverenturque. Hinc Valerium Soranum neci traditum constat, quod arcanum hoc propalare ausus esset; eaque de causa Plin. de Roma loquens ait: *Cujus nomen alteri dicere, arcanis cæremoniarum nefas habetur*: Atque ex hoc capite Harpocrates quoque Ægyptiorum in omnibus passim templis, adytis sacrariis, aliisque locis ponebatur; silentium indicens, *Quique premit vocem, digitoque silentia suadens*: Silentia, inquam, eorum sacrorum, quæ tunc peragebantur, variisque cæremoniis, adjuratione dæmonum quoque adhibita, & provocatione geniorum instituebantur: Verum inquit Martianus, *inter sacrificandum quidam puer stabat, ad os compresso digito*

„ *ſalutare ſilentium commonebat.* Et in 7. *At tunc*
„ *oborto terrigenis muſſans tibi puer illi piceus, juſ-*
„ *ſus monere ſilentium:* ubi notandum *piceum* il-
„ lum puerum ſic appellatum a coloratis Ægy-
„ ptiis. Hucuſque Kircherus; & recte quidem ille Perſeam arborem Harpocrati dicatam ſcribit; ſed primo *Helitomenium* male Iſidis filium facit; deinde Plinius ne verbo quidem cauſæ meminit, cur Harpocratem in annulis geſtaverint Romani, & is qui reticulata veſte induitur in menſa Pignorii Iſiaca nihil cum Harpocrate commune habet. Quod autem idem Jeſuita arbitratur *Harpocrates Pantheos* amuleta (*Taliſmans* vocant) Ægyptiorum fuiſſe, in eo contrarius ipſi eſt Baudelotius de Dairval Tom. 2. p. 394. uti ex his ejus verbis patet: *Je ne ſaurois convenir non plus du ſentiment du Pere Kirker qui met au rang des Taliſmans Ægyptiens les Harpocrates Pantheons. Je demeure d'accord qu' Harpocrate eſt originaire d'Ægypte, mais je doute qu'il doive a ce pais ſes frequens accroiſſemens: & l'explication que donne ce ſavant Jeſuite aux differens attributs des Dieux, dont ces figures ſont composées la plûpart du tems, me paroît plus obſcure & plus eloignée que les ſources du Nil.* Et quanquam nec ego Kircheri explicationes probem, tamen non video cur imagines ejus, licet variorum deorum inſignibus ornatæ, non potuerint ab hominibus amuleti loco geſtatæ fuiſſe; maxime quia inſcriptio imaginibus ejus apud Goropium ſuppoſita illud ſuadet & evincit omnino. Præterea ecce tibi, Lector erudite, miniſtras Iſidis, quarum alia binas Harpocratis imagunculas vaſculis vel aliis rebus inſidentes, alia eundem Harpocratem & bovem gerit; quod ultimum illuſtrat valde Apulejus: *Sequebatur bos parentis deæ ſimulacrum, quod reſidens humeris ſuis præferebat unus e miniſterio:* Spartianus de Commodo: *Sacra Iſidis coluit, ut & caput raderet & Anubin portaret.* Jacobus Sponius, Vir certe doctiſſimus hæc docuit, atque ex ejus Miſcellaneis ſequentem figuram deſumpſi: Monendus es, Lector, ſigilla, quæ a mulieribus geruntur vitio artificis magis referre cercopithecas, quam humanos vultus, qui tamen apud Sponium clare conſpiciuntur.



Ex verbis certe Apuleii, & Spartiani conſtat ſimulacra deorum a ſacerdotibus geſtata ſolennibus in pompis fuiſſe: illudque etiam Iſaiæ & Procopii Gazæi verbis firmat Iſaacus Caſaubonus; quem tamen, ut verum fatear, non ſatis capio, dum ſcribit, ſimulacrum Anubidis plures ſimul geſtaſſe, ceteroſque bajulos præceſſiſſe Commodum; ſed eum iviſſe ante ſimulacrum, & qui illum geſtabant Iſiacorum ſacerdotum agmen. Nam ego quidem puto hæc verba Spartiani, *Quum Anubin portaret, capita Iſiacorum graviter obtundebat ore ſimulacri*, nihil aliud ſignificare, quam Commodum geſtaſſe ſolum Anubidis ſimulacrum, & permiſtum fuiſſe Iſiacis, eorumque capita Anubi ſuo obtudiſſe Cappadoces. Strabo ſcribit lib. 4. ξόανον τῦ ὀμάνυ πομπεύειν. *ſimulacrum Omani in Pompa circumferre*: & Euſtathius pag. 128. Edit. Rom. memoriæ mandat, *Dioſpoli maximum eſſe Jovis templum; ex eo Æthiopes ſumere Jovis ſimulacrum, aliorumque cum eo dæmonum, ſtatoque tempore per Lybiam circumire, magnifice per duodecim dies feriari, quia totidem habebant deos:* quibus in diebus a vero haut alienum eſt, etiam ſimulacra deorum fuiſſe circumlata; id quod certe ſuſpicatur Gerh. Voſſius, ἔμψυχος illa *βιβλιοθήκη* lib. 2. divini operis cap. 10. Macrob. 1. Sat. cap. 23. *Vehitur enim ſimulacrum Dei Heliopolitani ferculo, uti vehuntur in pompa ludorum Circenſium deorum ſimulacra: & ſubeunt plerumque provinciæ proceres raſo capite, longi temporis caſtimonia puri: feruntúrque divino ſpiritu, non ſuo arbitratu, ſed quo Deus propellit vehentes:* Dionyſ. Hal. lib. 7. ubi pompam ludorum Circenſium deſcribit: πελευταῖαι δὲ πάντων αἱ τῶν θεῶν εἰκόνες πόμπευον, ὤμοις ὑπ' ἀνδρῶν φερόμενοι: *Extremum pompæ agmen claudebant deorum ſimulacra, quæ humeris feruntur a viris.* Et hac occaſione notandum eos qui deorum parvas admodum ſtatuas portabant, ita inceſſiſſe, tanquam forent graviſſimæ: Claudianus IV. Conſul. Honorii v. 572.

> *——ſic numina Memphis*
> *In vulgus proferre ſolet: penetralibus exit*
> *Effigies, brevis illa quidem, ſed plurimus infra*
> *Liniger impoſita ſuſpirans vecte ſacerdos*
> *Teſtatur ſudore deum:*

Qui eleganter hac comparatione utitur, ut ſignificaret grave etiam onus portaturos illos, qui novum conſulem Honorium geſtarent: cui *ſidereum* id eſt divinum vel ad inſtar deorum *onus* tribuit:

> *Atque inter niveas alte veherere cohortes*
> *Obnixiſque ſimul pubes electa lacertis*
> *Sidereum geſtaret onus ——*

Et exſtat hujus ſuperſtitionis inſigne exemplum apud Pauſaniam lib. 3. narratque cum pueri ad Dianæ Orthiæ aram cæduntur, ſacerdotem fœminam ἔχειν τὸ ξόανον, illud eſſe ἀλλως μεν κῦφον ὑπὸ σμικρότητος, *leve admodum propter brevitatem*; ſed tam grave fieri, ut ſacerdos ſub onere quaſi ſuccumbat, ſi quis ephœborum vel ob pulchritudinem vel ob natalium claritatem parcius cederetur. Et ita de Domitiani ſtatua loquitur Papinius Statius:

> *Vix ſola ſufficiunt, inſeſſaque pondere tanto*
> *Subter anhelat humus: nec ferro aut ære laborat*
> *Sed Genio ——*

uti recte hunc locum interpretatur Adrian. Behotius lib. 1. cap. IX. Apophor. qui poteſt videri. Inde eſt quod *pondus* diis ſoleat tribui, ut Baccho ab Ovid. 3. Met. 621.

> *Non tamen hanc* SACRO *violari* PONDERE *pinum*
> *Perpetiar, dixi:*

id eſt non patiar navem meam violari, nec Baccho vel puero illi, in quo numen eſſe cerno, injurias inferri. Jovi ab eodem 3. Faſt. 330.

Constat Aventinæ tremuisse cacumina sylvæ
Terraque subsedit PONDERE *pressa Jovis*.

Idem lib. 4. v. 448. fingit limen regiæ Ditis *ingemuisse*, simul premeretur a sacro Junonis corpore: & lib. 15. v. 693. describens Æsculapii sub serpentis forma ingressum in navem Romanorum:

Corpus in Ausonia posuit rate. numinis illa
Sensit onus: pressaque Dei gravitate carina
Æneadæ gaudent ——

Et ita Homerus Il. N. v. 18. fingit, montes magnos & sylvas, ὄρεα μακρὰ καὶ ὕλη tremuisse

Ποσσὶν ὑπ' ἀθανάτοισι Ποσειδάωνος ἰόντος.

Petronius quoque *pondus* diis tribuit in Carmine de bello civili:

Sentit terra deos; nudataque sidera pondus
Quæsivere suum ——

id est sidera diis suis orbata, a diis relicta, uti doctissime hæc explicat Gronovius pater lib. Observ. cap. 1. quærebant quasi gravitatem suam vel pondera, quæ sentiebant, cum dii in illis essent: & *terra* itidem *sentit deos* propter eandem gravitatem: quam loquendi formam eleganter ad Christum Dominum Deumque nostrum, si fas sacerrimis rebus gentilium somnia miscere, transfert Sedulius lib. 2.

Senserunt elementa Deum, mare fugit, & ipse
Jordanis refluas cursum convertit in undas.

Et hinc tandem lucem capiet Ovid. 1. Fast. 82. ubi de initio Januarii & novis Coss. agit:

Jamque novi præeunt fasces; nova purpura fulget:
Et nova conspicuum PONDERA *sentit ebur.*

tanquam scilicet dii forent, & majestate præditi. Nummis quoque Harpocratis effigies impressa est, quos recensere operæ pretium duxi, ne quis merito illos hic desideret.

Carolus Patinus in libro, quem inscripsit, Numismata Romanorum Impp. ex ære, mediæ & minimæ formæ, Hadriani nummum vulgavit, in quo cernitur Harpocrates proboscide, ut arbitratur, ornatus: capiti imponitur solenne Ægyptiorum numinum insigne, & post tergum cernitur clava, cui aquila vel upupa, vel alia avis insistit. Ectypum apponere, fuit visum, non secus ac nummi Antonini Pii, qui apud Tristanum exstat:





Notandum præterea Plutarchum, non tradere Harpocratem, præsidem ac moderatorem esse imperfectæ & inarticulatæ orationis: verum, τὸν Ἁρποκράτην οὔτε θεῶν ἀτελῆ καὶ νήπιον, οὔτε χεδροπῶν τινα νομιστέον, ἀλλὰ τοῦ περὶ θεῶν ἐν ἀνθρώποις λόγου νεαροῦ καὶ ἀτελοῦς καὶ ἀδιαθρώτου προστάτην καὶ σωφρονιστήν; *Harpocratem neque deum imperfectum, & infantem, neque ullum leguminum esse existimari debere; sed præsidem & correctorem imperfecti & non intellecti hominum de diis sermonis.* Quæ quantum a se invicem discrepent, satis superque patet.

Cernitur idem *Harpocrates* loto insidens in Antonini nummo apud Tristanum Tom. 1. cujus ectypum in ipsa dissertatione exhibui pag.

In Hadriani numismate apud Patinum Virum multis Antiquitatibus editis illustrem in Thesauro Mauroceni, *Harpocrates* stat inter Serapidis & Isidis capita, volitante super ipsum aquila. In alio ejusdem Principis caput ejusdem dei cernitur, non secus ac in alio Antonini Pii: quorum ultimos uti arbitror eosdem esse quos delineandos curavi, ita primus forte idem cum eo, quem ex Choulio exhibui in Dissertatione ipsa.

In ΠΡΟΣΩΠΙΤΩΝ. *Prosopitarum* laudati Thesauri nummo occurrit figura sedens dextram ori admovens; quam Patinus arbitratur Harpocratem esse, idque eo magis, quia est in Hadriani honorem signatus.

In nummo Veri duo sunt Canopi, intermedio *Harpocrate*, & infra eum aquila, teste eodem.

ΜΕΝΕΛΑΕΙΤΩΝ in M. Aurelii honorem percussus exstat nummus, cum *Harpocratis* icone, in Gaza Regia. *Menelaites* in Ægypto nomos apud Plinium lib. 5. sect. 9. Stephano: Μενέλαος, πόλις Αἰγύπτου .... τὸ ἐθνικὸν, Μενελαΐτης: uti Harduinus testatur.

In nummi περινθίων, *perinthiorum* parte una Serapis & Isis, in altera *Harpocrates* in Gaza Regia, teste eodem occurrunt.

ΟΞΥΡΥΓΧΙΤΩΝ, Antonini Pii nummo apud Ligorium sunt Osiridis, Isidis, Harpocratisque insculptæ imagines: uti idem memoriæ mandat.

In ΤΡΑΙΑΝΟΠΟΛΕΙΤΩΝ nummo, quem Caracallæ dicarunt, Cupido alatus tedæ inversæ innititur in Gaza Regia: Alter ejusdem Principis Harpocratem exhibet; digitum is ori admovet, læva copiæ cornu gerit: ut monet idem. Cum autem non absque ratione existimarem, ectypos horum nummorum illustraturos valde hanc qualemcumque meam curam, rogavi perillustrem Virum, quem num magis illustret præclara eruditio, an singularis humanitas, an vero Amplissima dignitas incertum, Ezech. Spanhemium, ut ad me eos delineatos mittere vellet. Dedit hoc mihi illustris Legatus, fecitque ut Morellius, sollers ille enodator & delineator numismatum, quemadmodum laudatissimum ejus Specimen ostendit, mihi ex Gazæ Regiæ præclaris nummis Sigalionis signa formaret: addiditque aliam ejusdem numinis imaginem expressam e veteri onyche, quam possidet Bisotius, eruditionis præstantis Abbas; quo nomine certe plurima me & Spanhemio, & Bisotio, & Morellio debere fateor lubens merito.



Præcipue autem signa observanda sunt bina, quæ in nescio quod monstrum, vel avem vel serpentem cujus cauda in terram vergit, desinunt, mirus barbaricusque capitis ornatus, qui in Onyche Illustris Bisotii cernitur; & denique aries, qui comitatur in nummo Adriani Harpocratem, vel forte Antinoum Harpocrati assimulatum.

ΠΕCCΙΝΟΥΝΤΙΩΝ Faustinæ Junioris nummus e Museo S. Genovefæ, cum Harpocratis icone, digitum admoventis ori, læva copiæ cornu gestantis, qua forma & in icuncula ænea expressum vidimus. Colebatur is silentii deus ab Ægyptiis imprimis cum Iside ac Serapide, ut refert August. lib. 18. de Civ. Dei cap. v. Hujus Naso meminit, tacito nomine cum Ægyptia numina recenset lib. ix. Metam. v. 692.

Sanctaque Bubastis, variisque coloribus Apis
Quique premit vocem, digitoque silentia suadet.

Est autem is & in Pessinuntiorum nummis, quod Græcum ajunt Philosophum hunc fuisse, qui silentium & suis præciperet, & rebus omnibus anteferret; Idem. Sed quod de Harpocrate philosopho Græco notat, non memini me apud ullum veterem legere; & videtur secutus esse vel Calepinum; vel Guiell. LLoydium Harduinus, qui similia tradunt in Lexico & Dictionario Historico. Mihi equidem ne dubitandum quidem videtur HARPOCRATEM in Pessinuntiorum nummo cerni, quia illi exemplo tot populorum Ægyptia numina receperant, & adorabant. Quo pertinet ne vel nummos vel inscriptiones in medium adferam, Plutarchum in libro de Iside & Osiride notare, Ἴσιν καὶ τοὺς περὶ αὐτὴν θεοὺς habere & cognoscere omnes, & nonnullos ἐκπάλαι τοῖς παρ' Αἰγυπτίων ὀνόμασι didicisse *eos appellare, licet jam inde ab initio illorum vim cognoverint, atque honoraverint*. Quibus significat philosophus omnes populos, aliis licet nominibus, Isidem & Ægyptios deos, Osirim, puta, Sarapin, Orum, Harpocratem coluisse; sed suo tempore etiam ipsis nominibus Ægyptiis deos appellare, vel Ægyptiorum numina veris germanisque nominibus coluisse. Quod si talia aliis excidissent, illius certe se ludibrio & contemptu jactasset Harduinus, id quod eum variis in locis facere animadverti: & eorum ex numero cum ipse sim, recte me facturum existimavi, si aliquot exemplis doceam, quam gnaviter ille se alienis plumis exornare queat. In nummo igitur Philippi patris pag. 192. non conspiciatur, uti Tristanum sequutus existimavi, *Jupiter Optimus Maximus Helvius*, sed *Heliopolitanus*; in Domitiani Κοδήτας non sit nomen viri, sed ex integrioribus numismatis legatur ἐπὶ Νεοκύδυ. Θασίων; in Herennii Etrusci itidem ex integrioribus ΕΑΛΙΤΩΝ pro CΑΛΙΤΩΝ; in Alexandri Severi COL. AUR. PIA. pro COLONIA AUGUSTA PIA: an continuo *falsitas* mihi objici a viro industrio quidem, sed confidentis præcipitisque ingenii potest? Ego nummos editos sequutus sum; cumque alios inspicere integriores his in terris fere negatum sit, nullo jure nec culpari persuasum arbitror habebunt ii, quibus de meliore luto. Quin imo de Jove Heliopolitano dubitaturos nonnullos persuasus sum, qui in Thesauro Mauroceni invenient in Septimii Severi numismate, COLonia HELVia I. O. M. Helvio; & in Juliæ Domnæ, COL. HELVia; quæ certe ad Heliopolitanum referri nequaquam possunt: & ratio quam affert ad refellendos Salitas Pannoniæ non satis firma videtur quia & Daci Græca usi sunt lingua, in his monumentis: uti patet ex iis, quibus inscribitur ΤΡΑΙΑΝΗC ΑΥΓΟΥΣΤΥΣ, quos ipse Harduinus refert ad Coloniam Dacicam Sarmiz. Nec certe hæc attigissem loco alieno, nisi liberali adserere causa manu deberem, quæ vel a me inventa primum, vel occupata sunt, quæque nuperus scriptor, reddo illi verba sua, sibi vindicat; ut quæ pag. 259. de nummo, in quo ΕΚΟΡΑΥ legebatur: de altero pag. 278. in quo ΚΩΙΩΝ ΜΕΙΛΗΣΙΩΝ: quæ pag. 281. de *cultris Lampsaciis*; quæ pag. 337. de *Sabina Augusta Nova Cerere*: quæ p. 360. de *Novio Rufo*: quæ p. 420. de Claudii nummo apud Seguinum, in quo scribitur ΚΛΑΥΔΙΟΥ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΤΠΕΙΡΩΝ. quæ p. 425.

& 427. de nummo Commodi, in quo legitur Ῥωμαίων Ἡρακλείων; quæ pag. 432. de Dorylao prætore, & de Hyrcaniæ populis, quod nunquam nummos percusserint in honorem Imperatorum Romanorum; quæ pag. 441. de posteriore capitis parte tecta eorum, qui inter deos sunt relati: quæ pag. 463. de Creschio Philopatore: quæ pag. 464. de concordia Milesiorum & Smyrnæorum: quæ p. 476. de Concordia Doriensium & Jonum: quæ p. 497. de prætervectione Maleæ: quæ pag. 523. de Hircanis Lydiæ, quæ pag. 527. de Deo Marino: quæ de errore Ludov. Nonnii in explicando Atheniensium numismate; & tandem quæ pag. 598. de Constantiniana Daphne monet. Hæc omnia, præterquam quod *prætervectionem Maleæ*, etiam notaverit eruditissimus Oxoniensium Marmorum post Seldenum Interpres, mihi observata sunt, antequam Harduinus librum suum luce donaret publica. Et quanquam eadem ipsi in mentem venire potuerint, id quod, ut puto, nemini persuaderi poterit, tamen communia studia & ipsum illud humanitatis nomen videntur flagitare, ne talia celentur; maxime, quando leviora errata & quæ ex corruptis nummis oriuntur, additis virorum eruditorum nominibus carpuntur, & quæ ab iisdem bene notata sunt vel curis inseruntur secundis, vel addendis; id quod cum visum fuerit facere Harduino, certe nemo credet nunquam, eum ante lectas curas meas, hæc observasse; cum proculdubio libro ipsi ea inseruisset. Sed fruatur ille ingenio suo; ego hæc monenda esse pernecessarium duxi; uti videant eruditi, quam male mecum actum sit. Certe si otii abunde foret ad totum librum diligenter examinandum; vel si daretur occasio ipsos nummos inspiciendi, nullus dubito, quin graviores frequentioresque errores deprehenderem: quam provinciam uti audio suscipere viros in Galliis doctissimos, ita eam illis libenter permitto. Videant tamen iidem; an non in nummo Hadriani pag. 249. ΠΡΟΝΟΙΑ. K.B. debeat explicari, Κοίνον Βειθυνίας, pro Κιλικίας δεύτερας, quod Harduino placet; cum in aliis ejusdem Principis nummis occurrat Κοίνον Βειθυνίας, & ipse geminum K. explicet, Κοίνοι Κιλικίας? an non in nummo, cui inscribitur VEHICULATIONE ITALIAE REMISSA conspiciantur potius *equi*, vel *muli* quibus cursus publicus peragebatur, *pascentes*, quam *asini*? an non EXERCITUS SARMATICUS dicatur potius ille, qui adversus Sarmatas excubabat; quam qui e Sarmatis constabat; cum & ita *Dacicus* ex Dacis, RHOETICUS ex Rhœtis, BRITANNICUS ex Britannis, MAURETANICUS ex Mauritanis, SYRIACUS ex Syris debuisset esse compositus; quod a ratione plane alienum est? & num ex his Spartiani verbis, *Legatus in Pannoniam inferiorem missus, Sarmatas compressit, disciplinam militarem tenuit*: unquam probari poterit, Hadrianum Imperatorem factum, e Sarmatis, quos Trajani principatu devicerat, exercitum constasse? an non in veteri inscriptione hæc verba: SESTERTIUM NOVIES MILLIES CENTENA MILLIA N̄. exponi debeant NUMMUM, pro *Numero*? certe ita Romani loqui solebant: alia Inf. apud Sponium p. 296. SESTERTIA CENT. MILIA. NUMMUM & rursus pag. 292. DONATIONIS CAUSA MANCIPIO ACCEPIT. Hs. N̄ UNO, id est, sestertio nummo uno, an non in Perperinorum nummis panthera potius, quam canis Bacchum comitetur? an non in nummo quem ad Lenæos refert Holstenius, & Harduinus ad Mitylenæos, pro ΓΑΜΟΥ. scribi oporteat ΓΑΛΛΟΥ. ita ut strategus hic fuerit vocatus *Gallus Epimachus*, si modo ultima vox incorrupta est? & denique num tandem credibile sit Romanos Imperatores, qui majestatis jura tam sollicite conservabant, passuros fuisse, ut urbes vel provinciæ in nummis testarentur, sese monumentum illud pro consulibus posuisse; id quod pag. 220. & 274. traditur? cum mihi longe verisimilius videatur numismata illa signata esse *proconsule Volosenna*, & *Proconsule Eprio Marcello*; quod cum & aliis eruditis placuerit, nescio quare ab iis in alia omnia ierit vir eruditus: qui saltem cogitare debuisset, capitale fuisse nummos vultibus suis signare & propterea neminem proconsulum facile passuros, ut urbes ipsis nummos veluti monumentum ponerent, & quasi sacrarent. Unde nec puto, quod nonnullis tamen Antiquariis videbatur, in Smyrnæorum nummo cerni proconsulem Frontinum, sed potius Jovem ibi cultum, licet caput ejus nullo insigni cingatur, addaturque ΑΝΘΥ. ΦΡΟΝΤΕΙΝΟϹ; quanquam non diffiteor alteri opinioni favere casum nominativum, ut vocant, qui tamen casus in nummis Consularibus sæpissime est obvius, cum vultu vel Dei, vel Deæ: quod cum non animadverteret Constant. Landus, arbitratus est Cn. Plancii imaginem in nummo, quem edidit Ursinus, cerni, ut pulchri juvenis, capillis longum collum ambientibus usque ad humeros, quodam veluti pileo caput obnubente; cum proculdubio fœmina sit, & Dea. Hunc ille errorem errat in explicatione nummi, cui inscribitur POSTVMA: in quo, ut hoc obiter moneam, male etiam existimat sese reppérisse *Postumam* Constantii & Faustinæ filiam Gratiano nuptam Imperatori; cum ille nummus referri debeat ad Gentem Postumiam, inque eo scribatur C. POSTVMI. & nota TA. ut ex Ursino patet; ex filia Constantii dicta fuerit *Flavia Maxima Constantia*, non autem *Postuma*, licet mortuo patre nata sit; ac denique in nummo Diana repræsentetur armata arcu, & pharetra. Considerent præterea Eruditi, an *Arcadia*, Ægypti pars ita vocata sit, quod ut Achajæ umbilicus Arcadia est, mediterraneaque tota regio sit tractus ille, medium in Ægypto obtinet situm? & an Eustathius ad Dionysii periægesin commentetur, illud nomen datum esse Heptapoli vel Heptanomiæ, *ab Arcadio rege quodam*, vel *ab Arcade rege*, uti scribit p. 370. & 482. Certe mihi longe verisimilius videtur & urbem Ægypti *Arcadiam*, memoratam Stephano, & regionem ejusdem nominis ab Arcadio Imperatore nomen accepisse; nec existimo alia tradere Eustathium ad Dionysium: Ὅτι ait, ἡ κατ' Αἴγυπτον ἑπτάπολις, καὶ Ἀρκαδία, εἰς, ἀπὸ τοῦ βασιλέως Ἀρκαδίου, ὕστερον ἐκκλήθη. Πρὸ δὲ τούτου καὶ ἑπτάνομος καὶ ἑπτανομία ὠνομάσθη. καὶ τοῦτο μὲν ἐκαλεῖτο διὰ τὸ ἑπτὰ ἔχειν νόμους. Nullibi in his Eustathii verbis *quidam rex* occurrit, qua additione videtur Harduinus indicare, Arcadium hunc quendam Regem Ægypti fuisse; nullibi *Arcas rex*; sed tantum Ἀρκάδιος Βασιλεὺς, qui certe nullus alius est quam Arcadius Imperator, qui Orientem obtinuit; cui Ægyptus attribuebatur, uti notissimum est, constatque satis ex Notitia utriusque imperii, in qua etiam provinciæ *Arcadiæ* in Ægypto fit mentio. Observandumque hanc vocem de regionis istius præfectura non occurrere, nisi apud auctores Arcadio & Honorio posteriores, quod non leve argumentum est, a priore Heptapolin nomen illud accepisse. Examinent Eruditi, num verisimile sit Pontificem Aurelium Chrysogonum etiam *Viatorem* fuisse? Attamen hoc docet Vir eruditionis haud vulgaris p. 536. ex nummo, in quo legitur: ΕΠΙ. ΑΡΧ. ΧΡΥΣΟΓΟΝΟΥ. ΟΔΕΥΤΟΥ. ΧΙΩΝ. *Sub Pontifice Aurelio Chrysogono Viatore Chiorum*: additque, *Viatoris officium quodnam fuerit*, aut quæ dignitas ex Inscriptionibus Gruteri intelligi posse, easque con-

ſuli debere. Certe ex illis inſcriptionibus luce meridiana clarius conſtat, *Viatores* apparuiſſe Magiſtratibus, Conſulibus, Prætoribus, Ædilibus, Quæſtoribus, Tribunis, atque adeo ipſis Cæſaribus, imo & collegiis; ex quibus omnibus nihil aliud conficitur, quam hos homines fuiſſe vilioris conditionis, nec melioris, quam eos, quos deſcribit Columella in præf. *Illis temporibus proceres civitatis in agris morabantur, & cum conſilium publicum deſiderabatur, a villis accerſebantur in Senatum. Ex quo qui eos evocabant* VIATORES *nominati ſunt*: qualia etiam apud Feſtum & alios legere licet. Et quamvis *Viatores* poſtea ejuſmodi munia non obierint, conſtat tamen eos apparuiſſe & præſto fuiſſe iis, quorum Viatores erant; & propterea veriſimile nequaquam eſſe Ἀρχιερέα illud munus obiiſſe. His adde Græcis *Viatorem*, vel qui iter facit, vocari quidem ὁδίτην, ὁδίτης, & ab ὁδεία deduci poſſe ὁδείτην; ſed nullo auctore probari Viatorem, qui Magiſtratibus apparet, ita appellatum fuiſſe unquam. Quod ſi mihi igitur licet poſt virum doctiſſimum aliquid conari; putarem vel Ἀρχιερέα hunc vocatum eſſe *Aurelium Chryſogonum Odeiten* vel *Oditen*; quo nomine etiam Centaurus fuit, quem Mopſus apud Ovid. l. 12. Met. v. 457. occidit

—— Mopſo jaculante biformis
Occubuit, fruſtraque loqui tentavit Odites.

Et ut apud Græcos Ὀδίτης vel Ὀδείτης (ſæpe enim hæc promiſcue in nummis ſcribuntur) nomen proprium fuit; ita enim *Viator* apud Latinos, quibus etiam *Viatorina* nomen eſt muliebre, uti ex Inſcriptionibus Gruteri, quæ conſuli poſſunt, patet; quomodo & Ado in Martyrologio pag. 147. & 176. memorat: *Viatorem martyrem, S. Viatorem Lectorem, & Viatorem præſidem*. Conſtatque non modo ex variis monumentis illius ævi Græcos habuiſſe cognomina, verum etiam ex App. Alexandrini in Bella Punica præfatione, qui ita loquitur: *Cæterum nomen olim cuique Romano unum erat, ut hominibus omnibus: poſt acceſſit alterum: nec ita dudum etiam tertium cœptum eſt addi quibuſdam, quo magis agnoſcerentur ex aliqua virtute animi aut corporis nota*: καθὰ καὶ τῶν Ἑλλήνων τισὶν ἐπὶ τὰ ὀνόματα ἦσαν ἐπικλήσεις; *quemadmodum & Græcorum nonnullis præter nomina erant cognomina*. Videant tandem doctrinæ præſtantis viri, an quicquam ad rem faciat, quando de Apollonia urbe Joniæ agens, addit; eſſe & alteram quidem Ἀπολλωνίαν τῶν Ἰώνων in Thracia, auctore Stephano; negatque fidenter aliquam Thraciæ regionem *Joniam* dictam eſſe? Certe *Jonia* nunquam Thraciæ pars vocata eſt, & tamen hi Jones, non ſunt alibi quam in Thracia quærendi. Nam Græci multas eo colonias deduxerunt: Apud Polyb. lib. 9. c. 22. Chlæneas Ætolus memorat inter Græcos qui Thraciam colebant, τῶν ἐπὶ Θρᾴκης Ἑλλήνων, fuiſſe corpus veluti quoddam & Rempubl. coloniarum ab Athenienſibus & Chalcidenſibus eo deductarum; interque eas primas tuliſſe Olynthum. Idemque etiam Jones feciſſe, & Mileſios (quorum urbis Joniæ quondam totius, teſte Mela, belli paciſque artibus princeps, Apolloniam colonos miſit) docet nos auctor anonymus in periplo Ponti Euxini, quem Iſaacus Voſſius, magni patris magnus filius edidit, quemque nonnulli male *Scylacem* appellant: ταύτην τὴν Ἀπολλωνίαν πόλιν κτίζουσιν εἰς τοὺς τόπους ἐλθόντες οἱ Μιλήσιοι πρὸ πεντήκοντα ἐτῶν τῆς Κύρου βασιλείας· πλείστας γὰρ ἀποικίας ἐξ Ἰωνίας ἐστείλεν εἰς τὸν Πόντον τὸν πρὶν ἄξενον λεγόμενον διὰ τὰς ἐπιθέσεις τῶν βαρβάρων, προσηγορίας ἐποίησαν Εὐξείνου τυχεῖν: i. e. *Hanc urbem Apolloniam condidere Mileſii, cum in hæc loca deveniſſent annis ante Cyri regnum quinquaginta. Plurimas enim colonias deduxerunt ex Jonia in Pontum: cui prius Axeno, propter barbarorum irruptiones dicto, cognomen Euxini impoſuerunt*: Stephanus Apolloniam ſitam ἐν νήσῳ πρὸς τῷ Σαλμυδησσῷ, quæ eadem cum noſtra, facit ἀποικίαν Μιλησίων καὶ Ῥοδίων: quam urbem Demoſthenes vocavit Ἀπολλωνίαν τῶν ἐπὶ Θρᾴκης Ἰώνων, propter coloniam ab Jonibus eo deductam: quæ nequaquam, ut facit ille, a priori diſtinguenda, ſed cum ea una eademque eſt: Et Vir eruditus Cardinalis Carpegnæ nummum arbitratur inſcribi, περινθίων Ἰώνων νεοκόρων, quia in Thraciam Jones colonos deduxerunt: quanquam non ignorem ejuſmodi inſcriptiones aliter interpretari poſſe. Has autem Jonum colonias celebrat Ovidius lib. 3. Triſt. Eleg. 9.

Hic quoque ſunt igitur Graiæ (quis crederet?) urbes
Inter inhumanæ nomina barbariæ.
Huc quoque Mileto miſſi venere coloni,
Inque Getis Graias conſtituere domos.

Sed occaſione urbium in Thracia conditarum, examinare placet Hygini verba Fab. 186: *Jam filii perduxerunt in Icariam ad Metapontum regem, & indicant ei perfidiam Theanus. Poſt quæ Metapontus duxit conjugio Menalippen, eoſque ſibi filios adoptavit, qui in Propontide ex ſuo nomine condiderunt, Bœotus Bœotiam, Æolus Æoliam.* Primo ibi legendum videtur eſſe *Italiam*: non ſecus ac in alio ejuſdem capitis loco, quia mentio fit *Dianæ Metapontinæ*, quam a Metapontinis Italiæ incolis cultam fuiſſe docet inſuper Juſtinus l. 20. & quia urbs ea a Metaponto, quem barbari Μέταβον vocabant, Siſyphi filio nomen ſuum accepit, teſte Stephano. Deinde ne mirum alicui appareat, Bœotiam ad Propontidem collocari, obſervandum, non intelligi hic regionem, quam tamen alii a Bœoto noſtro nomen accepiſſe ſcribunt, ſed urbem eo nomine Thraciæ, quæ ad Propontidem ſita fuit; cujus urbis meminit Stephanus: Ἔστι δὲ καὶ Βοιωτία ἐν Θρᾴκῃ, τὸ ἐθνικὸν ὅμοιον Βοιωτός; ubi male eruditus Judæus reſcribit Βοττία: propterea Æoliam videtur Propontidi adſcribere Hyginus, cum tamen regio illa ſita fuerit ad mare Ægæum; ſed videant eruditi num reſcribi debeat *Æolium*; quo nomine urbs vel πόλις fuit τῆς Θρᾴκης χερρονήσου; teſte Stephano: qui mox hæc verba Theopompi addit: Θεόπομπος ἐν φιλιππικοῖς εἰκοστῷ τρίτῳ. Ἐπορεύθην εἰς πόλιν Αἰόλιον τῆς Ἀττικῆς μὲν οὖσαν, πολιτευομένην δὲ ὑπὸ τῶν χαλκιδέων: *Theopompus philippicorum vigeſimo tertio: Profectus ſum in Æolium Atticæ urbem, ſed quæ legibus Chalcidenſium utitur*: ubi legi debere τῆς Θρᾴκης exiſtimo, in qua urbem eam ſitam eſſe, ipſe Stephanus ſcribit: Plinius tamen peninſulæ illius extremam frontem, l. 4. c. 11. ita appellat *Turris & delubrum Proteſilai: & in extrema Cherroneſi fronte, quæ vocatur Æolium, oppidum Elæus*: & ſi idem deſignatur locus, *Æolium* non in illa Cherroneſi parte, quæ Propontidi adjacet, ſed quæ mari Ægæo, ſita fuit. Inficias etiam ire nolim in Epigrammate, quod ex bibliotheca Vaticana edidit præſtantiſſ. Holſtenius Æolum & Bœotum Neptuni & Menalippes filios dici, & hoc carmine celebrari;

Τοὔνεκα γὰρ καὶ πεφύνατε ἄλκιμοι ἄνδρες
Ὅς μὲν ἀπ' Αἰολίης, ὃς δ' ἀπὸ Βοιωτίας.

Ubi licet *Æolia & Bœotia*, regiones, debeant intelligi, non tamen ullo modo de iis Hyginus poteſt exponi; quippe qui diſerte *Propontidem* memoret.

FINIS.

GISBERTI CUPERI
MONUMENTA
ANTIQUA
INEDITA.


A
O
M
B
MERCVRIO
REGIS · VE
FORTVNE
BLESIO · BVR
GIONIS · FIL
V · S · L · M ·
MERCVRO
ET REGIS FIL
C
MERCV
RORE


BB
MERCVRO
B
LATVO
I
MER CVRO
ET·REGIS·FIL
E

GISBERTI CUPERI MONUMENTA ANTIQUA INEDITA.

MOnumenta Antiqua haud pœnitendam, imo præcipuam Philologici studii partem esse, plurimos summæ etiam dignitatis viros illorum amore duci, eosdemque nihil antiquius habere, quam veteris ævi relliquias conquirere, neminem, nisi cui mens tarda plane, & qui harum deliciarum ignarus vivit, arbitror dubitaturum. Atque hinc consilium mihi natum, Inscriptiones, Statuas, Nummos edere & HARPOCRATI adjicere; idque eo magis, quia omnia nova plane & ἀνέκδοτα, habiturique Palæstram sint eruditi, in qua bona fide sese exercere queant. Agmen eorum ducent veteris superstitionis relliquiæ, apud Noviomagum repertæ, quibus feliciter Cimeliarchium suum, nummis elegantissimis aliisque rebus refertum non ita pridem exornavit, natalibus & meritis insignis Dominus Baro de Heekeren, Comitatus Zutphaniensis Præfectus, & ad Collegium Perillustrium Fœderatæ Belgicæ Ordinum Equestris Ordinis nomine Delegatus. Et lapis quidem notatus littera A. crassus est duos, & altus tres pollices cum dimidio mensuræ Rhenolandiæ. Capita humanum, caninum & alterius bestiæ ex ære sunt, & lapidi inserta, ita tamen ut eximi inde non possint. Quid autem hæc sibi velint, aut quomodo interpretari debeant, malo me fateri ignorare, quam frivolis conjecturis indulgere. Litteræ O. M. videntur suadere extritum esse I. ita ut sit JOVI OPTIMO MAXIMO. & nomen viri, qui hoc monumentum posuit, erit, JULIUS. LUCIUS. VILO. Nam licet initio apud Romanos *Julius* fuerit nomen gentis, postea tamen prænomen factum est, uti ex variis apud Gruterum & Reinesium Inscriptionibus patet. Ad quem vultus juvenilis debeat referri incompertum plane mihi est. Nihil certe cum Jove simile habet; videturque potius esse vel *Vilonis*, vel consanguinei ipsius, cujus vultum ille Jovi vel alteri deo, quia sanitati restitutus, morsus forte a cane, fuit, sive aliam ob causam, dedicavit. Neque tamen *Optimi Maximi* cognomen soli Jovi tribuitur: tulitque idem *Penninus Deus* teste inscriptione, quæ legitur in monte S. Bernardi

LUCIUS. LUCILIUS
DEO. PENNINO
OPTUMO
MAXUMO
DONUM. DEDIT.

cujus dei statuæ dejectæ alteram Jovis substituisse Augustum Antiquarii observarunt. Sic etiam MAXIMUS aliorum numinum epitheton est. MERCURIUS MAXIMUS occurrit in lapide veteri apud Tomasinum lib. de Donariis & Sponium: Juno se *maximam* vocat apud Ovid. lib. 3. Metam. Pausanias in Achaicis memorat fanum μεγίστων καλουμένων θεῶν; & Inscriptio apud Transylvanos reperta, posita est DEO. QUI. EST. MAXIMUS, Lazio teste. Sed edita nuper est inscriptio, quæ bina illa Jovis cognomina servat, quam illustrare hac occasione conabor:

JOVI. O. M. ET
FIDEI. CAÑD. SACR.

Vir præstantissimus, qui rebus humanis jam exemptus est, & plurima de Rep. Litteraria meruit, ingeniose arbitratur sese *Fidem Candidatorum* repperisse: sed mihi FIDES cognominatur CANDIDA; quippe quam S. Rufus & Victor in regione Urbis octava memorant, & quæ illud nomen forte habuit a vestitu candido: Horatius,

Te spes & albo rara Fides colit
Velata panno ——

Urna sepulchralis una cum basi notata littera B. est undecim pollicum altitudine; figulina, coloris albicantis; ut multæ similes in ripa Rheni & Vahalis Gallica inveniuntur; basis, quam ea qua est magnitudine, etiam exhibeo, est lapis quadratus ex monte excisus, & tam firmiter urnæ materia quadam affixus, ut post tantum temporis spatium avulsa non sit. Ab uno latere legitur, uti clarissime apparet,

MERCURO
ET. REGIS. FIL.

Mercurium a Gallis præcipua relligione cultum esse, docet Julius Cæsar lib. 6. de Bel. Gal. c. 17. *Deum maxime Mercurium colunt: hujus sunt plurima simulacra: hunc omnium inventorem artium faciunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæstus pecuniæ, mercaturasque habere vim maximam arbitrantur*: Germanos Gallorum vicinos idem numen coluisse testis est Tacitus in Germania; apud quem etiam in Annalibus, *Victores diversam aciem Marti & Mercurio sacrant, quo voto equi, viri, cuncta victa occidioni dantur*. Sed hæc non est præcipua causa, quare nomen ejus legatur in urnæ sepulchralis basi; verum quia ut Claudianus canit,

—— *Commune profundis*
Et superis numen, qui fas per limen utrumque
Solus habet, geminoque facit commercia mundo.

& quia tam inter deos superos quam inferos numerabatur. Uti enim notissimum est, mortuos fingitur deduxisse; atque ob id Πομπεὺς & χθόνιος, ταμίας τῶν ψυχῶν ψυχαγωγὸς imo & Ἐριχθόνιος, teste Auct. Magni Etym. appellatus fuit. Inde scribit Artemidorus lib. 2. cap. 42. Mercurium in somnis ab ægrotantibus visum portendere mortem, quia animarum deductor est: νοσοῦντας ἀναιρεῖ, διὰ τὸ ψυχόπομπος νενομίσθαι. Eos qui campos Elysios ingrediebantur, ducebat ardentem facem manibus gestans; Val. Flaccus lib. 1. extremo:

> *Quos omnes lenis plantis, & lampada quassans*
> *Progenies Atlantis agit. Lucet via late*
> *Igne dei: donec sylvas & amæna piorum*
> *Deveniant, camposque, ubi sol, totumque per annum*
> *Durat aprica dies, thyasique chorique virorum,*
> *Carminaque, & quorum populorum nulla cupido.*

Virgam illi tribuit Virgilius, ejusque exemplo Horatius,

> *Tu pias lætis animas reponis*
> *Sedibus, virgaque levem coerces*
> *Aurea turbam* ——

Ut igitur *Diis Manibus*, θεοῖς καταχθονίοις, *Plutoni*, *Proserpinæ* sepulchra inscribebant, iisque quasi mortuos eorumque cineres commendabant; ita idem honor habetur *Mercurio*; atque apud Boissardum deus hic sepulchrum videtur aperire, addita inscriptione; ΘΕΟΙϹ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙϹ. Sed quid erit

ET. REGIS. FIL?

an dicemus barbari cujusdam Reguli filii reliquias hac urna conditas, & Mercurio deductori animarum commendatas fuisse? sed obstat urnæ materia, quæ fictilis, nec ullo pacto regio sanguine digna est: an potius exponenda scriptura hæc erit ET. REGISONIS. FILIO, ita ut hujus cineres fuerint in urna conditi? Certe REGISO, monumentum, quod notatur Lit. BB. Mercurio dedicavit: illudque eodem in loco inventum fuit. Quæ conjectura si alicui placet, lapis notatus Lit. C. exponi posset MERCURIO REGISONIS FILIO; ita ut particula copulativa omissa sit; ara autem signata Lit. D MERCURIO. REGISONIS, ita ut deus cognomen a cultu Regisonis acceperit: quod non infrequens esse clarissimis exemplis constat. DIANA RAESIANA nomen habet a familia Ræsianorum: CERES ORCILIANA ab Orcilia: FORTUNA TORQUATIANA a Torquatis apud eruditissimum Sponium in Miscellaneis Eruditæ Antiquitatis. Similiter in marmoribus occurrunt, FORTUNA FLAVIA, PLUTO NERVIANUS, HERCULES AELIANUS, quemadmodum docet Raphael Fabrettus cap. 8. eruditissimi Syntagmatis De Columna Trajana; ubi & idem apud Græcos obtinuisse ostendit. Et hanc in classem referendus est. DEUS MERCURIUS CISSONIUS, nec non JUNO CISSONIA, uti me docuit Baudelotius elegantis ingenii vir; quippe qui Dii nomen habere videntur a familia vel gente Cissonia, ex qua fuit Q. CISSONIUS Q. F. HOR. APRILIS ARCHITECTUS AUGUSTORUM memoratus Grutero; qui in tribum *Horatiam* relatus, non autem dictus fuit *Horaprilis*. Ex his certe clarissime patet diis hominum cognomina fuisse indita; quam in classem tamen num referre *Jovem Agamemnonem*, & *Stratonicida Venerem* debeamus equidem dubito. Neque enim Jupiter vocatus *Agamemnon*, sed rex ille regum & dux ducum post mortem consecratus & Jupiter appellatus videtur esse: Athenagoras; ὁ δὲ Λακεδαιμόνιος Ἀγαμέμνονα Δία σέβει: Clytemnestra apud Lycophronem,

> *Meus vero maritus captivæ dominus sponsæ*
> Ζεὺς Σπαρτιάταις αἱμύλοις κληθήσεται
> *Summos honores ab Oebali filiis consecutus*:

ubi Tzetzes notat: Οἱ Λακεδαιμόνιοι ἱδρύσαντες Ἀγαμέμνονος Διὸς ἱερὸν εἰς τιμὴν τοῦ Ἥρωος; qua de re etiam videndus est Eustathius ad Il. B. p. 168. Neque tamen ita cum Meursio V. Cl. explicandus Hesychii locus, quo memorat Metrodorum Agamemnonem dixisse allegorice esse ætherem; sed is inde lucem fœneratur, quia Metrodorus non modo Agamemnonem, verum etiam Jovem, Junonem, Hectorem, Achillem, aliosque Græcos, & Trojanos Heroas ad allegorias revocabat, uti alibi doceo. Ceterum idem de Venere Stratonicide Antiochi Soteris uxore apud Tacitum, & in Marmor. Arundellianis judicandum est. Quæ reliqua basis latera cingunt voces atque litteræ explicari plane nequeunt, maloque hæc aliis relinquere, quam incertis conjecturis tempus atque otium perdere. Notandum autem scribi MERCURO, non *Mercurio*; sed cum in lapide, quem explico, secundum R. sit reliquis litteris longe majus, certe hinc colligitur, litteram I. etiam more solenni eo contineri: quam scribendi rationem similia exempla firmant; in Thesauro Palatino Mercurius elegans admodum cernitur, illique subscribitur,

MERCURO
TIMONIA
VITTUO

In altero lapide, quem exhibeo, occurrit MERCURO, lineaque supra ducta notat litteram I. omissam esse: quanquam inficias ire nolim in priore inscriptione apud Freherum in Originibus Palatinis legi MERCURIO: atque ita in Inf. apud Gruterum EX MONIT est *monitu*; quia licet ultima littera longior reliquius sit, tamen inde non sequitur ea τὸ V comprehendi. In lapide altero, qui signatur Lit. C. omnes litteræ, ejusdem magnitudinis sunt, & uti apparet, legitur in eo,

MERCU
RO RF.

Monui hic omissam esse particulam copulativam, & exponi lapidem posse, MERCURIO REGISONIS FILIO: ita ut positus sit Mercurio & Regisonis cujusdam filio. Quod si quis interpretari velit: MERCURIO REGI FECIT; vel MERCURIO REGISO FECIT; vel MERCURIO REGISONIS FECIT; imo si quis censeat, Regisonis filium *Mercurium* fuisse dictum, nullus ego equidem vetabo. Nec quenquam ab interpretatione ultima amplectenda arcere debet, quod homini tribuitur nomen dei. Nam illud non inusitatum fuisse olim ex scriptis veterum constat; libetque adjicere, quæ mihi hanc in rem notata sunt; quia non injucundum argumentum fore persuasus sum. Lucianus lib. extremo de Imaginibus ita loquitur: Ἀλλὰ τὰς προσηγορίας αὐτὰς, πόσοι ἐμιμήσαντο τὰς τῶν θεῶν, Διονύσιοι καὶ

Ἡφαιστίωνες, καὶ Ζήνωνες, καὶ Ποσειδώνειοι, καὶ Ἑρμαῖοι προσαγορευόμενοι; Λητὼ δὲ γυνή τις ἐγένετο Εὐαγόρου τοῦ Κυπρίου Βασιλέως καὶ ὅμως οὐκ ἠγανάκτησεν ἡ θεὸς, δυναμένη λίθον αὐτὴν ὥσπερ τὴν Νιόβην ἀπεργάσασθαι. Ἐῶ γὰρ τοὺς Αἰγυπτίους, οἵπερ καὶ δεισιδαιμονέστατοί εἰσι πάντων, ὅμως τοῖς θείοις ὀνόμασιν, εἰς κόρον ἐπιχωριάζοντας. σχεδὸν γοῦν τὰ πλεῖστα αὐτοῖς ἐξ οὐρανοῦ ἐστιν: *Verum quo numero illi comprehendendi sunt, qui deorum nomina imitati, & Dionysii, Hephæstiones, Zenones, Posidonii, & Mercuriales vocati sunt. Fuit quædam Latona Evagoræ Cypriorum regis uxor, nec tamen dea indignata est, quamvis illam in lapidem, non secus ac Nioben, posset convertere. Ut silentio præteream Ægyptios, qui quamvis omnium sint superstitiosissimi* (male Obsopæus vertit, *qui tametsi ex omnibus gentibus deos habeant infelicissimos*) *divinis tamen nominibus ad satietatem usque utuntur, plurima enim fere pars ipsis ex cœlo tracta est*. Quibus ex verbis constat Ægyptios frequentissime nomina deorum assumpsisse, Evagoræ regis uxorem *Latonam* dictam, & Græcos deorum nomina imitatos esse; haud vanum indicium, Luciani tempore, nondum fuisse usitatum admodum solidis & veris deorum nominibus appellari; adeo ut etiam magnus Salmasius in epistola ad Menagium V. Cl. scribat, infinita nomina hominum apud Græcos reperiri ex deorum nominibus composita, pauca imo fere nulla, quæ sola solidaque dei appellatione censeantur; multos esse Ἀπολλοδότους & Ἀπολλοδώρους, neminem *Apollinem*; multas Ἡροδώρας, nullas Ἥρας vel *Junones*, Ἡλιοδώρους, Ἡλιοδότους dictos aliquos, nullos Ἡλίους; Ἀφροδίσιον mulieris esse nomen, nullam Ἀφροδίτην vocari. Incautius Salmasium loqui arbitratur Vir illustris, quia Clemens Alexandrinus docet reges & privatos olim vocatos esse deorum nominibus. De prioribus idem tradit Servius ad l. 7. Æn. & copiosa veterum monumentorum supellex satis superque ad id probandum sufficiunt. Sed non debebant Viri præstantissimi ad elucidandum Lucianum Romanis exemplis uti, nec Græcis tamen ejus sequentibus; imo nec Impp. Romanorum, Græcorumve, qui ante eum alia nomina obtinerent, per arrogantiam deorum nominibus appellari voluerunt; cum tantum agatur de nomine, quod die lustrico alicui impositum est. Præterea Lucianus non dicit Græcorum aliquos, deorum nomina habuisse, sed imitatos esse; & *Dionysios*, non *Dionysos*: *Hephæstiones* non *Hephæstos*: *Zenones*, non *Zenas*, sive Joves; *Posidonios*, non *Posidones*; & denique *Hermæos* vel Mercuriales non *Hermas* vel Mercurios dictos esse: adeo ut ex auctoris illius verbis male probare conetur V. Cl. Thomas Reinesius Ep. 69. & ad Inscript. pag. 88. nec non Valesius ad Amm. Marcell. lib. 19. cap. 12. moris fuisse apud Græcos, Barbaros & Romanos (de quibus ne quidem loquitur) nomina Numinum sibi in cognomen adsciscere, tam mares quam fœminas; arbitrorque ex iisdem verbis doceri nequaquam posse, deorum appellationes ab hominibus esse petitas, ejusque rei exemplo esse *Dionysos* (imo *Dionysios*) *Hephæstiones*, *Zenones*, *Posidonios*. Nam Lucianus tradit homines deos imitatos esse; nec de solidis deorum nominibus loquitur, ut Jove, Mercurio, Marte, sed de derivatis; id quod etiam argumentum efflagitat, quia eos defendit, qui aliquem dicebant θεῷ ἐοικέναι, i.e. *deo similem esse*; quod longe aliud est, quam deum esse; non secus ac vocari *Mercurium* & *Mercurialem*. Atque hoc est quod apud Euseb. lib. 5. præparat. tradit Plutarchus; dæmonum unumquemque, a deo, cui conjunctus est, solere nominari; quemadmodum ex hominibus ὁ μέν τις ἐστι Δῖος, ὁ δὲ Ἀθηναῖος, ὁ δὲ Ἀπολλώνιος, ἢ Διονύσιος, ἢ Ἑρμαῖος, *hic quidem vocatur Jovius, hic Minervius, vel Apollonius, vel Dionysius vel Mercurialis*. Fuere tamen ante Lucianum, præter uxorem Cyprii Regis & Ægyptios, qui deorum solidis verisque nominibus fuerunt insignes. Alexander Magnus filium suum ex Barsine natum *Herculem* appellavit, teste Justino lib. 11. cap. 10. *Nicagoras* Ἑρμῆς laudatur Eusebio lib. 15. præp. cap. 2. Μίθρης *Mithra* procurator Lysimachi Diogeni Laertio lib. 10. φοίβη, id est, *Luna*, Ἑρμῆς *Mercurius* B. Apostolo Paulo in Epistola ad Romanos; quos omnes ante Lucianum vixisse constat non modo, verum etiam hic docet, gentiles Christianos factos talia nomina non deposuisse, licet anilis superstitionis forent hostes infensissimi; neque Apostolos veritos fuisse nomina deorum usurpare, quando aberat superstitio, quod tamen sequentibus sæculis nonnullos improbasse constat ex Tertull. cap. 20. de Idolol. *Deos Nationum nominari lex probibet, non utique ne nomina eorum pronunciemus, quæ nobis ut dicamus conversatio extorquet. Nam id plerumque dicendum est, in templo Æsculapii illum habes, & vico Isidis habito, & sacerdos Jovis factus est, & multa alia in hunc modum, quando & hominibus hoc genus nomina inducuntur. Neque enim Saturnum honoro, si quem ita vocavero suo nomine: tam non honoro quam Marcum, si vocavero Marcum; sed ait: Nomen aliorum deorum neque commemorabitur, neque audietur de ore tuo. Hoc præcepit, ut deos vocemus illos*. Nam primo iis ex verbis patet nonnullos arbitratos fuisse, sese peccare, si vel pronuntiarent deorum gentilium nomina, quæ certe prohibuerunt Patres Deo vero dari, quemadmodum patet ex Origine in libris contra Celsum; ubi inter cetera affirmat, Christianos *non passos fuisse Deum maximum vocari Jovis nomine, nec Solem Apollinis, nec Lunam Dianæ*; deinde non insolitum tunc temporis fuisse deorum nomina hominibus, ut puto, Christianis dari. Sic *Mars* diaconus in Gestis apud Baluz. Tom. 2. Miscellan. pag. 92. *Mercurius* Presbyter initio Actorum Synodi Romanæ sub Bonifacio: *Bacchus Secundicerius scholæ Gentilium*, & Martyr apud Adonem in Martyrol. nec non *S. Mercurius Martyr* in Appendice. *Ammon* metropolita apud Palladium in vita Chrysostomi, quam Bigotio, Viro præclaro & illustri debemus; quod cognomen etiam tulit Hipponicus Calliæ filius apud Athenæum lib. 12. & in monumento veteri apud Gruterum, quod correctius longe edidit Sponius in Itinerario, mulier Christiana *Afrodite* appellatur,

> *Amplificam sequitur vitam dum casta Afrodite*
> *Fecit ad astra viam, Christi modo gaudet in aula.*

Sed ut ad gentiles redeam, *Minerva*, *Phœbus*, *Diana*, *Nemesis*, *Jacchus*, *Quirinus*, in Inscriptionibus, & *Cybele*, apud Heliodorum lib. 7. nomina vel cognomina sunt virorum & fœminarum; & Ἑρμῆς ea significatione occurrit in nummo Gordiani tertii apud Tristanum & Patinum; *Mercurius* in Inf. apud Reinesium atque apud Amm. Marcell. lib. 15. cap. 2. & *Aurelius Mercurius* in alio apud Falconerium lapide. Male autem in hanc classem Vir doctissimus refert *Mercurialem*, *Phœbionem*, *Phœbianum*, *Phœbadium*, *Phœbitium*, *Anubionem*, *Appionem*, *Isiadem*, *Lucinillam*, *Aprodiciam*, *Herain*, *Serapiam*, *Phœbadem*, & Ant. Augustinus Dial. 6. *Zenonem*; quippe quæ non pura deorum dearumque nomina sunt, sed inflexa & derivata. Et exstat hanc in rem locus elegans apud Chrisost. in c. 4. Danielis; ubi Nabu-

codonosor dicit Danieli esse ὄνομα Βαλτάσαρ κατὰ τὸ ὄνομα dei sui, qui scilicet *Bel* vel *Bal* nominabatur: Καὶ γὰρ ait Chrysost. ἔθος αὐτοῖς ἐπ᾽ ὀνόματι τῶν θεῶν τοὺς παῖδας ὀνομάζειν. ἐπειδὴ καὶ ἐξ ἀνθρώπων ἐποίουν θεούς. οὕτως ὁ Βῆλος, οὕτω καὶ ὁ Βήλαιος ἐκλήθη τις παρ᾽ ἡμῖν: *Mos enim erat illis deorum nomine pueros suos nominare: quandoquidem & ex hominibus Deos faciebant. Sic Belus, sic & Belius quidam apud nos appellatus est*. Sed vir eruditus Græcarum vocum vim non videtur percepisse: neque enim scribit Chrysost. gentiles solida deorum nomina liberis suis indidisse, ita ut ex. gr. dicerentur *Bel*, *Astaroth*, *Mars*; nec hoc locum habere potest in mutato Danielis nomine; quod non est solidum dei nomen, sed vel inde deductum, vel compositum; & ἐπ᾽ ὀνόματι ὀνομάζειν significat *in honorem deorum nomina dare liberis suis*, quod utique fiebat, si alicui dabatur nomen a dei cujuspiam nomine deductum. Sic apud Lucian. alicubi, ἐπὶ τῷ σῷ ὀνόματι, est, in honorem nominis tui. Quin & illud ipsum, quod Chrysost. adducit, exemplum hoc firmat: ut enim a *Bel* vel *Bal* derivatur *Baltasar*; ita a *Belo*, Βήλαιος, vel Βελίας, uti Cotelerius vir Clariss. scribendum judicat; quem arbitror mecum judicaturum, nullum alium sensum Chrysostomi verbis dari posse. Sed operæ pretium est audire de hoc marmore Illustrem Spanhemium. „Ad postremas, ait, tuas „me tandem revoco, & quam ibidem refers in„scriptionem in ripa Vahalis ad Batavorum oppi„dum repertam MERCURIO ET REGIS FIL. „de qua uti ingenue fateor, nihil quod Te mo„neam, aut me abunde explet, occurrit. Mer„curium *Regem* dictum & cultum in illo tractu, „si per alia liceret, haud mirari quisquam posset, „qui norit tutelare illud Gallorum & Germano„rum numen, positasque illi, quod observat e„tiam in Syntagmate suo Reinesius pag. 114. di„versis Germaniæ ad Danubium & Rhenum lo„cis statuas, sicuti autem Græcis βασιλεῖς & ἄνα„κτες, sic Romanis aliisque *Reges* & *Reginæ* dicti „passim gentium Dii, eoque nomine fanis, sta„tuis, aliisque monumentis, quod nihil Regum „majestate in terris augustius, culti. Sed cum in„tegrum nomen aperte legatur in alia Inscriptio„ne, quam tuæ memorant, ejusdem tractus, „haud dubie prior illa ad eandem normam legen„da, utraque vero de duobus loci illius Dynastis „patre & filio, ita appellatis, aut vero de Mer„curio loci numine, & cui ara erecta, & *Regiso*„*ne*, cujus cineres ibidem conditi, explicanda „videtur. Priori quidem interpretationi favere „posset, quod sicuti plures apud Græcos *Hermas* „aut *Hermetas* dictos nosti, ita haud infrequens „*Mercurii* nomen gentilium, & *Mercuriorum* „mentio in antiquis lapidum monumentis, & „cujusmodi apud Gruterum CXVI. 2. *Q. Clodius* „*Jason & Mercurius filius* & apud Reines. p. 119. „*Mercurio Fratri* inter alia legitur. Nec alia fere sentit doctissimus Raphael Fabrettus, cujus verba supponere non gravabor, quæ ad me misit „Februario mense anni MDCLXXXVI. De priori „inscriptione sepulchrali dicam quod sentio: Mer„curium scilicet in lapide quo urna tegebatur ex„pressum, non numen illud ex majoribus signifi„care, sed nomen viri alicujus, Regisonis, quem „in alio lapide invenisti filium: non enim insue„tum erat, divorum nomina ab hominibus usur„pata fuisse; ut pluribus probare possem si cum „alio, quam cum viro eruditissimo mihi res foret. „Litteræ vero circumstantes, notæ ac siglæ vi„dentur esse, quia nullus ex iis sensus resultat, „qui latinitatem duarum illarum linearum adæ„quet, Pari ratione sepulchralem dicemus secun„dam MERCURO. R. F. quamvis aræ insculptam: passim enim in ararum formam cippi ejus„modi constituebantur, addita etiam superne ca„vitate quam cespite replerent, dum super ea fu„nebres libationes & sacrificia instaurarent, eam„que aram Mercurio Regisonis filio positam dixe„rim. Recurrit idem Regiso in tertia, quapro„pter tuæ conjecturæ posteriori adhæreo, ut fu„nebria sint non sacra ista monumenta. Lapis si„gnatus litteris BB. nobis *Mercurium*, & *Regisonem* memorat; &, quod notandum diligenter, alterius, qui arulæ formam habet notaturque littera C. basis ita hujus magnitudini respondet, ut illi impositus fuisse videatur. Mercurius GRATIUS apppellatur, quod cognomen uti apud alios non invenitur, ita incertum an a *Gratiis*, an a loco quodam, an aliunde deducendum sit. Certe apud Samios χαριδότης cognominatus fuit, teste Plutarch. in Quæst. Græcis; & Lycophroni dicitur φαιδρὸς θεὸς *hilaris deus*, vel *luculentus*, uti Apulejo appellatur. Sed tamen vix puto talia in ripa Vahalis quærenda esse, felicioribusque ingeniis relinquo explicandum, unde id cognomen Mercurio datum esse potuit. Litteræ A. G. V. M. nihil aliud significant, quam *animo grato vovit merito*: qualia multa in Inscriptionibus occurrunt.

Ara notata littera D. est alta XX. pollices, larga undecim, & crassa quatuor cum dimidio. MERCURIO REGIS exponi, ut memini me monere, posset *Mercurio Regisonis*, ita ut cognomen deus a Regisone habeat: vel, *Mercurio Regi Sacrum*, quia non infrequens, uti postea docebo, deos *Reges* vocatos esse: vel *Mercurio Regiso, Ve. Fortunæ Blesio*; ita ut Regiso & Blesio filii fuerint Burgionis, illeque votum solverit Mercurio, hic Fortunæ. Quid autem sibi velint litteræ VE. æque incertum mihi est. Posset aliquis suspicari latere hic vel nomen *Veneris* vel *Vestæ*, vel cognomen *Veteris*, quod tamen alibi mihi non lectum, *Fortunæ*. Sed optimum est inde facere *Veteranus*; inscriptionemque hoc modo interpretari: *Mercurio Regiso Veteranus Fortunæ Blesio Burgionis filius votum solverunt libentes merito*: quam tamen sententiam si alius etiam probare nolit, nullus certe repugnabo; cum sciam optimo conjectori palmam in his ænigmatibus interpretandis deberi. Simplex autem E. pro AE. positum est; quæ scribendi ratio non modo in lapidibus verum etiam in nummis vetustis occurrit, quemadmodum probarunt eruditione præstantes viri. BLESIO nomen est sive Gallicum sive Germanum, quæ sæpe in O. desinere solebant; sic *Regiso*, *Surio*, *Burgio*, *Bato*, & alia occurrunt; neque tamen iis repugnaverim, qui forte illud deducant a *Blæsis*; quod cognomen Juniis, Pediis, Semproniis & Velleiis datum est; vel *Blasionibus*, quod datum est cuidam ex gente Cornelia, & Helvia, quemadmodum ex Glandorpio constat. Atque hæc quidem inservient his monumentis illustrandis; quæ si alius felicius & melius doctiusque explicare potest, magnam ille apud me gratiam inibit. Sed quia inscriptiones hæ plane novæ sunt, & alibi non obviæ, exorientur forte nonnulli, qui eruditam fraudem subesse judicabunt, & propterea gratis nos in verum illarum sensum inquirere. Verum mihi rationes gravissimæ sunt, cur omnem doli suspicionem longe removendam censeam. Nam primo lapides notati litteris, B. C. D. omnes inventi sunt in ripa Vahalis, quando aquæ multum hac æstate recesserant; eodemque simul loco ab operariis urna effossa fuit. Judæus hæc omnia sibi comparavit, & vendidit; cujus fidem si quis suspectam habere velit, ne illo toto erraret cœlo! Unde enim Judæo Latinæ linguæ unde ipsi in Romanarum antiquitatum cognitio? ignaro plane,

mentem venisset *Mercurii* nomen, ejusque cognomen *Gratii*? Et quod notandum valde, ara signata Lit. D. eodem in loco inventa est, & per aliquot annos non animadversa stetit in agro vicino. Ipse præterea monumenta hæc manibus tractavi, & omnibus fidem facere possum, nihil me suppositititii diligentissime etiam inspicientem ea, & examinantem vel suspicari potuisse. Non continuo certe spuria judicanda sunt, quæ apud alios nullibi exstant, & quæ raritate sua notabilia sunt. Hanc enim regulam si sequeremur, quot non inscriptiones, in quibus vel deorum nomina incognita plane, vel aliæ res inauditæ & nusquam obviæ conspiciuntur & leguntur, rejiciendæ forent? cum tamen æquis rerum æstimatoribus earum antiquitas constet & summa cum voluptate animi probetur. Quid quod & vilissimum, quo Judæus illa vendidit pretium, facile omnem rejiciunt fraudis suspicionem? cum plus longe operæ insumpsisset lapidibus formandis, litterisque in iis scribendis, quam leve valeret lucellum: a qua re quantum homines isti abhorreant, notum satis superque. Sed quia Mercurii toties mentio occurrit, non ingratum me Lecturo facturum arbitror, si adjiciam dei illius imaginem, quam servat Antiquitatis studiosissimus Vir Joannes Smetius, quæque refert, uti apparet, barbatum eum & galeatum.



Exstat hic, quem ipse manibus tractavi, MERCURIUS in argenteo orbe, protuberante, & cujus proinde altera pars concava est, qualibus fere ornamentis hodie lupatorum extremitates exornari solent. Et primo quidem *Galea* Mercurii digna observatu est. Illam certe eidem deo tribuit Zenob. Centur. I. prov. XLI. Καὶ καταστήσας (Perseus ab interfecta reversus Medusa) ἐπὶ Σερίφου βασιλέα Δίκτυν, τὴν κεφαλὴν τῆς Γοργόνος Ἀθηνᾷ δίδωσι, τὴν δὲ κυνῆν Ἑρμῇ, ὡσαύτως δὲ καὶ τὰ πέδιλα καὶ τὴν κίβισιν: *Constituto autem Seriphi Rege Dutii, Gorgonis caput Palladi donavit, galeam vero Mercurio, ut & talaria & peram*. Apud Eleos, teste Pausania Lib. 6. fuit Mercurius τὸν κριὸν φέρων ὑπὸ μασχάλῃ, καὶ ἐπικείμενος τῇ κεφαλῇ κυνῆν, *arietem sub brachii ala gerens, & galea caput armatus*. Verba horum auctorum clara sunt, & eruditi interpretes per *galeas* ea reddunt; nisi tamen potius vox Græca *petasum* designet; quomodo illam interpretatur Suidas: Κυνῆ δὲ ὅτι ἔχει περικεφαλαίαν, τὸν πέτασον, ὡς ὁ Ἑρμῆς ἄγγελος ὤν, καὶ οἱ πέλοπες δὲ κυνῆν τὸν πέτασον φασί: *Galea vero dixit, quia* (Iris) *habebat galeam, id est, petasum, uti Mercurius nuntius; & Peloponnesii* (ita vertit Portus) *petasum vocant* κυνῆν *vel galeam*: qualia etiam leguntur apud Scholiast. Aristophanis pag. 598. qui potest videri. Sed licet statuamus veram & genuinam galeam Mercurio tribuere Plutarchum & Zenobium, tamen male me habet, quod facies nihil commune habeat cum deo, qui ut juvenis vel puer depingi solebat. Sed & Mercurium senem & barbatum effictum fuisse puto me ex marmore antiquo, & Pausania in HARPOCRATE docuisse. Quin & Eustathius ad Iliad. φ. pag. 1249. Ed. Romanæ memoriæ mandat a Pelasgis senes Mercurios fuisse effictos: Εἰρηνικὸς, ait, ὁ Ἑρμῆς, ὅθεν καὶ ἀνεῖται καὶ μίξεσι φιλεῖ· καὶ ἐν Ὀδυσσείᾳ δὲ συνδεδέσθαι τῇ Ἀφροδίτῃ ἐθέλει, διὰ τὸ τῶν φιλοκάλων Ῥητόρων, ὡς εἰκὸς ἐπαφρόδιτον ἐν γραφαῖς καὶ ἐπίχαρι. διὸ καὶ οἱ Πελασγοὶ κατὰ τὴν ἱστορίαν ἐντεταμένον τὸν Ἑρμῆν ἤτοι ὀρθιάζοντα ἱδρύονται. καὶ μάλιστα τοὺς γε γέροντας, γονιμωτέρους εἶναι τῶν ἔτι νεαζόντων καὶ ἔτι ἰω χρόνον ἐπισημόνων: ex quibus verbis docemur, Mercurium Pacis & Veneris amantem Deum esse, & Pelasgos ipsum finxisse tensis genitalibus, & maxime senes Mercurios, quia illi aptiores gignendo, quam juvenes. Similia tradit Cornutus cap. XVI. de Diis: Οἱ δ' ἀρχαῖοι τοὺς μὲν πρεσβυτέρους καὶ γεννῶντας τὸν Ἑρμῆν, ὄρθα ἐποίησεν τὰ αἰδοῖα ἔχοντας. τοὺς δὲ νεωτέρους καὶ ἀγενείους, ἀνειμένα. παριστῶντες ὅτι ἐν τοῖς προβεβηκόσι ταῖς ἡλικίαις γόνιμος ὁ λόγος καὶ τέλειος ἐστιν: quo in loco scribendum τοὺς Ἑρμᾶς, vel τῶν Ἑρμῶν; quod cum non videret interpres, *parentes Mercurii*, hic sese putat invenisse. *Veteres Mercurii parentes natu grandiores pingunt, habentes testiculos sursum tractos & erectos. Juniores autem imberbes formantur & remissis pudendis; significantes in iis, qui provectioris ætatis sunt, rationem fœcundam & perfectam esse*: quod certe a ratione & mente auctoris alienum plane est. Dubito tamen valde, num Eustathius & Cornutus describant Mercurium senem, & simul toto corpore hominem referentem; an vero *Hermas* sive quadratas formas, quibus capita vel Mercurii vel hominum senilia & barbata imponuntur. Ultimum certe verissimum esse docet præter marmora apud Antiquarios obvia, Macrobius Lib. I. Sat. cap. 9. *Pleraque etiam simulacra Mercurii quadrato statu figurantur solo capite insignita & virilibus erectis*: atque hoc plane firmat Plutarchus in libello, *An seni sit gerenda Respub.* disertis clarisque verbis: *De facultate*, (Latina tantum appono) *obeundorum ministeriorum, non tantum nobis detraxit senectus, quantum civili & gubernatrici adjecit. Eam ob causam etiam Mercurios seniores sine manibus & pedibus erecto fascino fingunt: hoc ænigmate indicantes, minime hoc a senioribus requiri, ut corpora servitia obeant, modo iis ratio, ut æquum est, sit efficax & fœcunda*: firmat id tandem Artemidorus Lib. 2. Oneirocr. cap. 42. Ἑρμῆς τετράγωνος ὁ σφηνοπώγων φιλολόγοις μόνοις συμφέρει. ὁ δὲ τετράγωνος καὶ ἀγένειος: οὐδενὶ τούτοις συμφέρει: *Mercurius quadrangularis acutam barbam habens, solis Philosophis conducit*; in somnis n. visus; *verum quadrangularis & imberbis nihil his conducit*. Atque hæc quidem loca statuas Mercurii τετραγώνους senili ætate & barba insignes fuisse testantur aperte; eoq; etiam referendum ejusdem simulacrum, cui σχῆμα erat τετράγωνον, quod γένεια καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πῖλον εἰργασμένον habebat, Pausan. lib. VI. teste. Adeo ut pro certo asseverare nolim ectypo nostro quicquam cum ejusmodi statuis commune esse; præcipue cum barba vix appareat, licet senior vultus sit. Quod igitur mihi in laudatis antiquis marmoribus evenit, idem & nunc experior; fateorque lubens libens, etiam κειμήλιον difficultates suas habere, aliosque ingentem gratiam apud me inituros testor, qui hæc omnia clarius elucidabunt olim. Neque tamen dimittendus Mercurius est; sed quia Ægyptiorum sacra in Harpocrate explicare conatus fui, examinabo elegantem Horapollinis locum, qui exstat lib. I. cap. 10. τρίτη δὲ μονόκερως, καὶ ἰδιόμορφος. ἣν Ἑρμῇ διαφέρειν ἐνόμισαν. καθὰ καὶ Ἶβις τὸ ὄρνεον: *Tertium* (scarabæorum genus) *unicorne est: & suæ peculiaris formæ, quod & Mercurio sacrum esse, ut etiam est Ibis avis, existimarunt*. Ex Juvenali constat Ægyptios coluisse *saturam serpentibus Ibin*; Plinius lib. 10. cap. 28. scribit eos Ibin invocasse contra

serpentium adventum, & Ælian. lib. 10. cap. 29. eam Mercurio τῷ πατρὶ τῶν λόγων φιλεῖσθαι, vel in amore esse, qualia etiam tradit Horapollo lib. 1. cap. 36. Hierogl. Ibis igitur Mercurio sacra; sed quid hoc ad scarabæum, aut cur illi adjungitur avis hujus exemplum, cum nulla inter scarabæum & Ibin sit similitudo? Ante dixerat unum scarabæorum genus esse αἰλουρόμορφον, quod Soli dicarunt, quia αἴλουρος vel *felis mas* pupillas cum solis cursibus mutabat. Et sic puto tertium genus Mercurio dicari, quia Ibin putabatur referre; & rescribo ἰβιόμορφος. Nihil enim est *suæ peculiaris formæ*; cum & alia suam sibi habuerint: & ita *secundum genus*, vel δεύτερας γενεὰ dicitur esse δικέρως καὶ ταυροειδής; & propterea Lunæ dicari, non secus ac taurus inter sidera relatus, quem Ægyptii ὕψωμα esse dicebant τῆς θεοῦ ταύτης. Quæ sequuntur binæ statuæ, humanitati debentur Witziorum fratrum, quorum alter summis in Rep. honoribus gestis, Consulatu Amstelodamensi & eruditione; alter præfectura militis urbani clarus habetur; quique possident Cimelæarchium magnis non modo sumptibus collectum, verum etiam optimæ notæ integerrimisque aureis, argenteis, æreis numismatis, operis antiqui gemmis & statuis, aliisque præclaris rebus ornatissimum. Quam deam imago referat, fateor me ignorare. An erit *Mana Geneta*, cui Romani; an Hecate, cui Græci; an Ειλιονία, (*Lucinam* vertit interpres, adeo ut videatur legisse Ειλείθυια) cui Argivi, teste Plutarcho in Quæst. Romanis, canem immolabant? an *Enodia* ἡ Ενόδιος vel Εʼνοδία, quod Hecates est cognomen uti patet ex Artemid. 2. 42. cui nigrum catulum μέλαιναν σκύλακα offerebant Colophonii, uti tradit Pausanias lib. 3.? an *Diana* cui canem sacrum facit Plut. lib. de Iside? An potius Cybele, quam eandem faciebant cum Hecate; quæ canibus oblectabatur, unde Hesychius *canes* vocatos scribit Εκάτης ἄγαλμα, id est *oblectamentum*, *gaudium Hecates*, quod valde marmori nostro convenit; quia dea quasi cum cane ludit, & vox ἄγαλμα non modo statuam, verum etiam rem omnem denotat, quæ alicui in deliciis est; πᾶν ἐφ' ᾧ τις ἀγάλλεται, ἢ χαίρει κἄντε ἱμάτιον ᾖ, κἄντε εἰκών; uti loquitur Grammaticus anonymus apud Vossium, virum certe præclarissimum, ad Pomp. Melam; quibus addi possunt Hesychius, Scholiastes Homeri, aliique. Præterea Hecate ad omnes deas referebatur; uti patet ex iis quæ apud Apulejum Isis pronuntiat; *me primigenii Phryges Pessinuntiam nominant deum Matrem: hinc Autochthones Attici Cecropiam Minervam: illinc fluctuantes Cyprii Paphiam Venerem; Cretes sagittiferi Dictynnam Dianam: Siculi trilingues Stygiam Proserpinam: Eleusinii vetustam Deam Cererem: Junonem alii, alii Bellonam, alii Hecaten, Rhamnusiam alii; & qui nascentis dei solis inchoantibus radiis illustrantur Æthiopes, Ariique, priscaque doctrina pollentes Ægyptii, ceremoniis me prorsus propriis percolentes, appellant vero nomine Reginam Isidem*. Ubi legendum forte *Afrique*, cum *Arii* Persiæ populi hic locum habere vix possint; nec credibile sit auctorem *Arios*, quos Arabiæ adscribit Plin. l. 6. cap. 28. intelligere; verum potius *Afros*, quorum proculdubio magna pars, utpote vicina Ægypto Isidem coluit. Obstant tamen, ut verum fatear, *inchoantes nascentis dei radii*; illique suadere videntur non Æthiopes Africæ, verum Asiæ & quidem Indo proximi, cum Ariis, quo nomine comprehendunt eruditi varios populos, debere intelligi: quod si verum, illustre certe testimonium habemus Isidem etiam in interiore Asia cultam fuisse. Et licet dea hæc caput turrita non habeat corona cinctum; neque etiam leones adsint; ipsa tamen, quod manu sinistra tenet, omnino suadet eam *Cybelem* esse; quæ eadem cum Diana & Hecate, quibusque canis vel sacer erat vel immolabatur: imo quarum hæc canino capite fingebatur, teste Hesychio in v. Α'γαλμα Ε'κάτης. Nec certe alia sentit Illustris Spanhemius, cujus verba apponere in gratiam, Lector, tuam, non gravabor: Deæ vero sedentis, ait, cum tympano & cane ad genua, quod penes te esse memoras, signum, haud aliam, mea quidem sententia, quam Cybelem notat. Neque enim canes unius Hecates Κυνοκεφάλου symbolum, unde *Hecates signum* de canibus dictum observante Hesychio, Εκάτης ἄγαλμα, τὰς κύνας οὕτω φασί. Quod vero dubitas an Canes ad Cybelen referri itidem possint, omnem dubitandi ansam præripiet observatus a me Tzetzis ad Lycophronem locus, ubi apud Thracas, canes non Hecatæ solum, sed Rheæ quoque immolatos e Sophrone nos docet, ad v. nempe 77. Ζήρινθον ἄντρον τῆς Κυνοσφαγοῦς θεᾶς: ubi Schol. Καὶ ἡ Ρέα λέγουσιν ἐποχουμένη, καὶ ἡ Εκάτη ξενοφυής ὅσα φοβεραί. θύουσι δὲ αὐταῖς κύνας, ὥς φασι Σώφρων ἐν Μίμοις. Quo commode etiam referas ὑλάσκειν & ὑλαγμὸν vulgo de latratu canum, de Cybeles sacerdotibus dictum, ut apud Nicand. Alex. p. 144.

—— Οἱ δὲ τριῆσιν
Ιδαιης ῥιγηλὸν, ἔτ' εισαΐωσιν ὑλαγμόν

Immo præter terribiles has Deas, haud minus tremendo Numini, Marti n. canum catulos a Spartanis & Colophoniis immolari solitos e Pausania didici lib. 3. p. 181. Ut jam mittam canem Dianæ, ἀγροτέρας n. assiduum ferme in nummis antiquis comitem: unde etiam Hecate, quæ eadem n. cum Diana, tribui observat Plutarch. lib. de Iside pag. 370. Edit. Paris. Καὶ τὸν Κύνα τῆς Αρτέμιδος, ὡς Ευριπίδης, Εκάτης ἄγαλμα φωσφόρου, Κύων ἔσῃ. Ad quem Euripidis locum respexit proinde Hesychius loco modo adlato. Quin nonnunquam etiam Mercurii Ενοδίου n. canis assecla, in veteribus lapidum nummorumve monumentis. Quibus addi possunt quæ in explicato Harpocrate mihi ante acceptas a Viro præstantissimo litteras notata sunt. Atque ut hoc obiter adjiciam, Hecatem vocarunt Deam κυνοσφαγοῦ, quia illi canes offerebantur, diique se sacrificiis alere, & proinde ea edere putabantur: quomodo Lacedæmonii Junonem Αἰγοφάγον, Samii Dianam Καπροφάγον, & alii Mercurium, ni fallor, Κριοφάγον vocarunt; de quibus alibi. Quin & Diana a Libanio Orat. 32. Tom. 2. dicitur per canem deduxisse coloniam in Joniam: Καὶ παρέπεμψε μὲν διὰ κυνὸς τὴν ἀποικίαν εἰς Ιωνίαν: asterisco tamen eruditus interpres locum notat, tanquam male sanus, vel mancus foret; nec, uti arbitror, immerito. Nam licet Chalcidensium classis cursus directus sit *antecedentis columbæ volatu*, teste Vellejo lib. 1. c. 4. licet Delphinus Castalio Cretensi viam monstraverit apud Tzetzem; & columba Argonautis, apud Hygin. fab. 19. nihil tamen de *cane* duce memini me legere. Jonum classem Musas sub apum specie deduxisse testis est Philostratus, eamque ob causam Ephesios animalculo illo nummos signasse observarunt eruditi; sed hoc nihil ad Libanium illustrandum facit; apud quem forte rescribi debet Ιʼωνος vel Νηλέως ita ut dicat, Dianam Jonem vel Neleum instigasse, ad coloniam deducendam; quomodo mox dicit eandem deam Alexandro consilium dedisse. Altera statua æque notabilis est; & si qua historia a veteribus posteritati consecrata locum habere potest, erit forte decantatissima illa *Helles*; quam ariete vectam vellere aureo notabili in ejusdem nominis mare decidisse produnt Græci & Latini. Sed vix ut affir-





affirmare quicquam ausim, facit cum mulier post arietem stans, tum altera & senex in genua procumbentes gallumque & gallinam observantes diligenter; tanquam ex iis auspicium capere vellent, num felix faustumque futurum sit, quod suscipere & facere animum induxerunt; vel num bene Hellis fuga, si modo historia illa quadrat, successura sit. Et Fabrettus pro singulari sua humanitate misit, ingeniose quidem me de Helle arieti insidente opinari, sed nec puellam pone sequentem, nec gallum & gallinam, virumque & mulierem procumbentes quicquam ad Hellen facere; inde se ἐπέχειν, divinare tamen, duos illos procumbentes parentes fuisse, qui gallum & gallinam Æsculapio & Hygeiæ afferrent pro filiæ salute, eamque arieti insidere, quod hoc ipsum animal sit catharticum & lustrale, uti ostendit pag. 162. de Col. Trojana. Certe ex pullis auguria capta esse satis superque Romanorum superstitio docet; quorum Duces eos per pullarios consulebant. Si celeriter accurrentes vorarent, & præcipue si avide pascentibus aliquid ex ore excideret, & solo illisum resiliret, quod vocabant *tripudium solistimum*, erat signum boni eventus; si vero edere nollent, infortunii: quemadmodum ex Cicerone, Livio, Floro, Festo, Minutio Felice, aliisque constat. Per *pullos* autem *gallos gallinaceos* intelligendos esse utique constat, unde Phædrus *pullum gallinaceum* dixit, quam loquendi rationem etiam recentiores observasse ad Ammianum Marcellin. lib. 20. c. 4. docuit Valesius, magnum cum viveret, Litterarum columen. In nummo *Marcii Antonii Auguris* & *Lepidi*; nec non in annulo, qui Julii Cæsaris caput repræsentat apud Gorlæum, gallus gallinaceus, (avis scilicet erat auguralis) conspicitur. Quin & unaquæque legio *pullarium* videtur habuisse: certe in Inf. 36. Cl. 6. Reinesii celebratur,

T. CORUNCANIUS. T. F. VAGONTIUS
VI. VIR. AUGUST. AUGUR. PUL
LARIUS LEG. V.

& ex Livii lib. 10. c. 41. constat plures *pullarios* in exercitu fuisse, simulque auspicium ex pullis cepisse. Neque enim video quomodo aliter inter eos *altercatio de auspicio ejus diei* oriri potuisset. Miror autem, unde Joannes Sarisberiensis lib. 1. cap. 13. expiscatus sit *columbas* suas: *In expeditionem missus Consul Romanorum, dum nullius boni ominis sortiretur auspicium*, COLUMBAS *jejunio confectas, granis sparsis triticeis in via, qua iturus erat, præferri jussit, ut vel earum omine auspicii duritiam sublevaret. Quæ cum diligentius a cibis abstinerent, eas præcipitari jussit in fluvium, ut saltem biberent; submersæque in flumine, docuerunt Consulem cum exercitu submergendum. Hic etenim secutus est eventus*. Nam proculdubio de Appio Claudio Pulchro loquitur, quem meliores notæ auctores *pullos* mari mersisse narrant; & gallos consultos esse docuerunt ex Philone Judæo, & Polybio Eruditi: imo ipse Sarisberiensis quem Suetonius Tib. cap. 14 *pullum* vocat, hoc ipso capite *gallum* appellat. Sed hausit illa hoc proculdubio ex iisdem fontibus, ex quibus mutuatus est, alium *Consulem cum a Senatu destinaretur ad expugnandum* REGEM PERSARUM, *a filia, quam in ostio domus flentem obviam habuit, causam quæsivisse; cumque illa responderet* PERSAM *periisse* (*sic enim catulus, qui forte perierat dicebatur*) *profectum in expeditionem triumphum non invenisse, eo quod* REX PERSARUM *perierat*. Nam hæc historia respicit L. Paulum, qui contra Persen Regem Macedoniæ, non autem Persas pugnavit, hocque omine spem certam clarissimi triumphi animo præsumpsit; Regemque Persen in triumpho duxit, uti ex Val. Maximo & Floro aliisque notissimum: adeo ut & in eo erraverit, quod scribat consulem non triumphasse, cum tamen nullus splendidior triumphus ductus sit a Roma condita, quam ille Macedonicus; & quod Persas memorat, cum tunc non fuerint Persæ in orbe terrarum verum Parthi; uti recte me monuit Celeberrimus Grævius. Insidet autem vel dea vel mulier arieti, ita ut pedes bini ab una dependeant parte, qualis & Europa tauro vehitur in nummis apud Tristan. & Patinum, atque ab Ach. Tatio describitur, in Amoribus Leucippæ: qualis etiam occurrit *Venus Equestris* in nummo Aur. Veri, & alia Dea in Commodi, apud eosdem Antiquarios: & Faustina facem instar Dianæ Equestris tenens in nummo Antonini Pii apud Cardinal. Carpegnam. *Muliebriter equis insidere* id vocat A. Marcell. lib. 31. cap. 2. de Hunnis loquens: *Verum equis prope affixi duris quidem, sed deformibus, muliebriter iisdem nonnunquam insidentes, funguntur muneribus consuetis*: ubi Lindenbrogius, vir eruditionis spectatæ, notat, hæc verissima esse, & eo modo Gubazen Lazorum Regem equo insedisse, cum a Joanne Byzantio pugione vulneratus ad terram prosterneretur; Græcisque id vocari καὶ πλαδαρὼ τὼ πόδε ἔχειν, ἢ ἀναλλάγδην, illique rei contrarium esse περιβάδην. De prima & ultima loquendi ratione nullum dubium; sed ἀναλλαγδὴν num ita exponi debeat valde dubito: Agathias lib. 3. hoc modo loquitur de Gubare: Ἐτύγχανε γὰρ ἐναλλάγδην ἔχων τὼ πόδε ὑπὲρ τὸν αὐχένα τοῦ ἵππου: quo in loco non tantum considerandum est adverbium illud, verum etiam ὑπὲρ τὸν αὐχένα; atque arbitror Gubazen equo ita insedisse, ut ante se collo equi impositos habuerit, non autem ab uno latere dependentes pedes suos; & recte vertere verba hæc Vulcanium: *Habebat enim utrumque pedem complicatum super equi cervicem*: & ἐναλλάγδην est συμπεπλεγμένως, *complicate*, quomodo alibi idem auctor memorat *legatos* ἐναλλάγδην τὼ χεῖρε ἀπὸ τῆς ἰξύος περισφιγμένους, *manus complicatas vel strictas & ad ilia demissas habentes*; uti olim vocem eam Suidas exposuit. Atque ita, ut ad propositum redeam, muliebriter insidentem equo vel *Venerem*, vel *Dianam*, vel *Minervam* ἱππικήν memini me observasse in nummis; quarum tamen media περιβάδην vel divaricatis cruribus ad instar viri insidet cervæ in Tranquillinæ nummo, ab Ephesiis percusso apud Clarissimum Patinum; non secus ac alia dea equo apud Patinum in Commodo, & mulier Arabica vel Amazon potius in gemma apud Æn. Vicum. *Muliebriter* tamen capræ *insidet* JUPITER CRESCENS in nummo Salonini Valeriani apud Tristanum: qui & simile marmor ex Aleandri Tabula Heliaca adducit. Sed ut ad *pullos* redeam, inquirendum est, quis sit VIATOR PULLARIUS memoratus in Inf. 5. pag. DCXXVII.

Q. FABIUS. AFRICANI. L. CYTISUS
VIATOR. QUAESTORIS. AB. AERARIO
SER. LIBR. TRIBUNICIUS. SER. LIBR
QUAESTORIUS. TRIUM. DECURIARUM
C. CALPETANUS. C. L. GLYPTUS. VIATOR
PULLARIUS. PRIOR. VIR. CULICINAE

An dicemus *Calpetanum* fuisse simul *Viatorem* & *Pullarium*? an *Viator pullarius* illi, qui ex pullis gallinaceis auspicium capiebat apparebat? prius si verum, *pullariorum* conditio non fuerit ampla, ut ut auspicia Romanis magno in honore erant, necesse est: alterum vero arguit eos aliquo loco habitos fuisse. Certe cum Cicero lib. 2. cap. 34. de Divinat. narret olim captandis auspiciis adhibitum fuisse *peritum*, suo vero tempore *quemlibet*; cum *pullarius* vel qui in auspicium adhibetur, nun-

iaverit auspicanti, quid pulli fecerint; & cum A pullos alere, eorum curam habere, atque in cavea adferre debuerit (*attulit*, ait Cicero, *in Cavea pullos is, qui ex eo ipso nominatur pullarius*) a vero nequaquam alienum est, unum eundemque hominem viatorem & pullarium fuisse; vel eum vocari *viatorem pullarium*, quia ad auspicantem ire & nuntiare tripudium solistimum vel alia debebat: & ita *augur pullarius* in altera inscriptione laudatus alius erit a *pullario*: vel idem homo auguris & pullarii munus obierit; quam in rem alii, quibus plus otii est, inquirant. Grævius hæc ad me pro singulari sua humanitate misit: Hoc omnino videtur verum esse, duplici munere functum esse L. Cytisum B *Viatoris* & *Pullarii*: nec non amplæ fortunæ fuisse hominem pullarium, cum & auspices essent vilissimi. Et plures fuisse *pullarios* ipsa videtur inscriptio docere, cum dicatur *Pullarius prior*. Nec enim dubito hoc ad pullarium referendum: rationes sunt liquidæ. Tres qui sequuntur nummi argentei etiam humanitati & studio singulari Remp. Litterariam juvandi Consulis Witzii, debes Lector; qui eos Constantinopoli allatos haud ita pridem, mihi dono dedit.

C





Et primus quidem est Tenediorum, cujus in una area cernitur securis, uva, & aliud quid, quod satis dignosci, quid sit, non potest; & ΤΕΝΕΔΙΩΝ: in altera bina capita per posteriorem partem conjuncta, alterum viri barbati, alterum fœminæ. Jam olim Goltzius similes vulgavit, sed D bina capita potius fœminas referunt, quod tamen historiæ plane repugnat. Nam ut Aristoteles in Tenediorum Rep. apud Stephanum memoriæ mandat, Rex quidam ejus insulæ lege sancivit, ut morti darentur in adulterio reperti; cum autem filius deprehenderetur, legem etiam ratam habuit; eoque occiso in proverbium res abiit, & Τενέδιος πέλεκυς de crudeliter factis usurpari cœpit; & ἐν μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει nummorum Tenediorum exhibuerunt πέλεκυν, ἐπὶ δὲ τῷ ἑτέρῳ δύο κεφαλὰς, εἰς ὑπόμνησιν τοῦ περὶ τὸν παῖδα παθήματος. Heraclides in li- E bello de Potiliis Regem hunc *Tennem* nominat, additque ab una parte nummi expressum fuisse securim; ab altera vero ἐξ ἑνὸς αὐχένος πρόσωπον ἀνδρὸς καὶ γυναικός: *uni collo insistens caput viri & mulieris*. Aliam causam signandi ita nummos Tenediis putat fuisse Nobilissimus Bochartus, qui potest videri part. 2. lib. 1. c. 9. Phaleg. Præterea alia longe forma securis in nostro quam in Goltzii numismate est; & conspiciuntur ibi mures bini, hic vero res cognitu difficilis & uva vel racemus, ad significandum proculdubio insulam hanc, ut alias multas Ægæi maris, quarum in nummis propte- F rea etiam uva cernitur, vini feracem fuisse. Editi etiam bini Tenediorum nummi sunt in Thesauro Palatino, quorum in uno etiam racemus cernitur; sed cum alia sint, quæ non conveniant, rem me gratam fecisse Antiquitatis studium æmulantibus reor, quod & meum luce donaverim publica. Sed bina hæc capita uni cervici imposita me admonent, ut doceam primo, alios etiam populos ita nummos signasse; & deinde eo delapsam esse ridiculam gentilium superstitionem, ut bicipites, tricipites, & quadrifrontes deos, ac totidem monstra coluerint. In nummis igitur Rheginorum, Syracusanorum, Lemniorum, Atellanorum, Thessalonicensium, quemadmodum constat ex Goltzio, Prospero Parisio, & Thesauro Palatino, ejusmodi symbola cernuntur. Quod si quis hujus rei rationem a me inquirat, ego certe *non liquere* pronuntiabo; maloque alios examinare, quæ viri docti scriptis mandarunt, eademque vel amplecti vel refutare, quam incertis conjecturis indulgere. Notandum tamen illorum in populorum nummis cerni fœminarum capita, nisi sculptor nobis imponat, uni cervici imposita; exceptis Thessalonicensium, in quibus virorum barba & corona laurea insignium capita cernuntur; quod Ludovicus Nonnius, diligens harum rerum scrutator, refert ad Janum bifrontem, quem Plutarchus in Quæstion. Romanis Græcum facit, atque ex Perrhæbia Italiam venisse memorat. Certe Romani *Janum bifrontem* nummis indiderunt, qualem & ego possideo vetustum certe & integrum; talisque vel *biceps, geminus, biformis*, ἀμφιπρόσωπος celebratur Septimio apud Terent. Maurum, Ovidium, Macrobium, Florum, Plutarchum aliosque. Estque nummus elegans P. Septimii Getæ, in cujus aversa area cernitur Janus bifrons, stans, una manu hastam, altera fasces tenens,



Hunc ego percussum esse existimo cum secundum Consulatum Geta iniret; nec assentior diligenti Palatinæ Gazæ editori, qui ad discordiam & divisum inter duos fratres imperium eundem refert: quod certe ut non admittam faciunt *fasces*, facit ipse Janus, quem hoc tetrasticho decoravit Ausonius,

> *Hic Jani mensis sacer est: en aspice, ut aris*
> *Thura micent; sumant ut pia thura Lares.*
> *Annorum sæclique caput, natalis honorum,*
> *Purpureos fastis qui numerat proceres.*

id quod etiam mecum existimabant illi, qui his ænigmatibus explicandis æterna cum laude incumbunt. Nec aliam ob rationem eundem Deum cerni existimo in numismatibus Ælii Cæsaris,& Commodi, quam quia percussa fuerunt cum ille secundum hic Consulatum quintum iniret,sed unde explicandum sit caput biceps, cui spicæ sunt impositæ, in Pompejorum nummis apud Francisc. Angeloni, fateor me non satis clare percipere. Sarapidis & Isidis capita super eodem quasi collo conjungi existimat in Juliani Imperat. nummo vir doctus, qui Thesaurum Numism. Antiquorum apud Batavos vulgavit; idque factum suspicatur ad denotandum, unius utriusque eandem vim ac potentiam esse; atque inde in veteri Inscriptione conjunctim legi ISIS SERAPIS. Sed ut hoc ultimum alibi explico, ita ex ipso illo nummo ab aliis edito clarissime patebit contrarium; quippe in quo distincte satis cernitur collum Serapidis & collum Isidis. Adeo ut in hunc censum venire non debeant; ne dicam illorum capita non conjuncta ibi invicem esse, quod argumentum elucidandum sumpsi, per posteriorem partem, sed, ut alia & deo-

rum & Impp bina capita, per latera. In nummo Antonini Pii apud Franciscum Angeloni cernitur vel Æsculapius, vel Salus bifrons, ita ut unum caput repræsentet illum, alterum vero hanc deam; quemadmodum observavit Pet. Bellorius, magni nominis Antiquarius. Mercurius bifrons celebratur Gregorio Nazianz. in epistola ad Nemesium: Ἀμφιπρόσωπος Ἑρμῆς, δίγλυφος, οἷα πρόσω τὸ μὲν, ἄλλο δ' ὄπισθεν: *Bifrons Mercurius dupliciter sculptus, quasi aliud ante sit, aliud retro*; uti illa verba laudat ad Apostolium Petrus Pantinus. Et *Mercurium* διπλοῦν Synesius lib. I. de Provid. scribit Ægyptios fecisse, νέον ἱστάντες παρὰ πρεσβύτῃ: quanquam non tam uni corpori bina capita, Juvenis & senis, videantur imposuisse Ægyptii Mercurium designantes; quam bina simulacra eodem in loco collocasse; quomodo Macrob. lib. I. c. 19. eosdem scribit *Solis simulacra pinnata finxisse, alterumque cærulea specie, alterum clara*. Relictis bifrontibus vel diis vel hominibus, ad eos, qui trium capitum sunt transgrediendum est; qui quamvis in nummis, quod equidem sciam, non occurrant, ab auctoribus tamen prætermissi nequaquam sunt. Mercurius igitur τρικέφαλος, Athenis fuit dedicatus a Procleide, vel Patrocleide, uti Valesius rescribit Hipparchi ἐραστῇ, qui in trivio constitutus vias, quarum nomina adscripta erant, quo ducerent significabat & caput ad unamquamque viam habebat conversum uti patet ex iis, quæ Harpocration & Suidas in v. τρικέφαλος, & apud eos Philochorus memoriæ mandant. Ad eo ut caute legendus sit Hesychius, qui observat Aristophanem in Τριφάλητι, ludentem comice dixisse Ἑρμῆν τρικέφαλον, non secus ac τετρακέφαλος Mercurius sacratus est ἐν τῇ τριόδῳ τῇ Κεραμεικῷ. Nam inde nequaquam sequitur, cognomen hoc Mercurii a comico fictum esse, talemque nullibi exstitisse; sed, si modo licet de fragmentis judicare, Aristophanes hominem τριφάλητι ornatum, id est galea tribus conis insigni, vel persona comica forte, quæ tria capita habeat, quales exstant in Gemmis Socratis a Chifletio editis, τρικέφαλον vocavit, ea ratione, qua in Ceramico visebatur Mercurius τετράκεφαλος. Mirum autem Hesychium τρικεφάλου exemplum non adferre. Nam talis Mercurius certe Athenis fuit, celebraturque etiam Isæo apud Harpocrat. & Suidam, illique dicitur prope Vestam fuisse; Auctori M Etymol. qui clare scribit Patroclidem eum dedicasse Lycophroni pag. 111. ubi Scholiastes eum ita vocari scribit quia erat Cælestis, marinus & subterraneus deus; vel propter τὸ φυσικὸν, ἠθικὸν καὶ λογικόν; vel denique quia rem habuit cum Hecate, atque ex ea sustulit tres filias: quam secundam rationem etiam ante oculos habuit Eustathius ad Odys. Δ. Ἑρμῆς ὁ τρικέφαλος ἄλλως τὸ τριττὸν τοῦ φιλοσοφοῦντος λόγου αἰνίττεται: id est, *Mercurius triceps significat tres Philosophiæ partes*; quæ loca licet & mihi observata fuerant, malo tamen fateri me debere Henr Valesii ingenio; ne forte quis peculatum objiciat zoilus; iisque addendus Apostolius Centur. XIX. Prov. 51.

Diana vel *Hecate* quam *Dianam infernam* vocat Flaccus Valer. lib. 5. v. 259. etiam tribus capitibus defœdata culta fuit; notum illud, *tria Virginis ora Dianæ*: indeque *triplex* vocatur Ovid. I. Fastor.

Quod semel est triplici pro virgine cæsa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla virgine cerva cadit.

Et de Hecate idem canit libro eodem,


Ora vides Hecates in tres vergentia partes,
Servet ut in ternas compita secta vias.

Græci eam τριπρόσωπον, τρίμορφον, & τριαύχενα appellant, uti ex Lycophrone aliisque apparet, qui possunt consuli, non secus ac Gyraldus, Meursius, Carolus Neapolis & reliqui. In pictura veteri, quæ Nymphæum repræsentat, cernitur sacellum, inque ejus medio tres figuræ, quarum media reliquis duabus tertiam fere partem major est, uti ex ectypo apparet.



Vir, qui eam illustravit, doctissimus hic se putat „ invenisse *Hecaten triformem*: parte alia, ait, „ ad montis crepidinem dearum triga, uno sacel„ lo dedicata apparet; hanc *triformem* illam *terge„ minamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ* af„ firmare haud dubitaverim. Quæ num vera sint, aliis judicandum relinquo: ego certo semper existimavi triformem Dianam vel Hecatem esse, quæ tria capita uni corpori habebat imposita, quemadmodum illud in Jano bifronte & quadrifronte observamus. Et quando statua quædam τριπρόσωπος dicitur, certe nulla alia potest mentibus imprimi, quam quæ tot vultus habet. Sic Artemidorus lib. 2. cap. 42. scribit in somnis videre Ἑκάτην τριπρόσωπον ἑστῶσαν ἐπὶ βάσεως, *super basi stantem* significare motus & peregrinationes. Inter gemmas Abraxeas a Chifletio editas cernuntur binæ; in quibus occurrunt bina monstra tribus capitibus, totidemque manibus deformia; ita tamen, ut unius manus flagellis, & fustibus, alterius anguibus & lampadibus armentur; quas vir eruditus ad Hecaten non absque ratione refert: In lucerna apud Chifletium p. 1178. cernuntur Isis, una manu sistrum, altera situlam tenens; Serapis comitatus cane, & monstrum tribus pedibus, tribusque capitibus insigne: quod utraque manu tenet lucernas ardentes. Janum præterea Marcus Musurus τριπροσωποφαῆ θεὸν *trifrontem deum* vocat; quod num fecerit imitatione veterum, vel quia statuæ Jani fuere tricipites, quales se vidisse putabat Heinsius, ego quidem aliis discutiendum & indagandum relinquo. Quod ad *Quadrifrontes Deos* attinet, eorum certe exemplum in *Jano Quadrifronte* habemus. Advectum illum Romam esse captis Phaleris, testatur Servius ad lib. 7. Æn. *postea captis Phaleris, civitate Tusciæ, inventum est simulacrum Jani cum frontibus quatuor: propter quod in foro transitorio constitutum est illis sacrarium aliud, quod novimus hodieque quatuor portas habere. Janum certe apud aliquos Quadrifrontem esse non mirum est. Nam alii eum diei dominum volunt, in quo ortus & occasus: alii anni totius, quem in quatuor partes constat esse divisum:* Et mox; *Nam quasi mundo ei duas facies dederunt, Orientis & Occidentis, quod jam supra dictum est: alii quatuor secundum quatuor partes mundi*. Macrob. lib. I. Sat. c. 9. *Ideo & apud nos in quatuor partes spectat; ut demonstrat simulacrum ejus Faleris advectum. Bavius Bassus in eo libro quem de diis composuit, Janum bifrontem fungi ait, quasi superum & inferum Janitorem; eundem quadriformem quasi universa climata majestate complexus*. Si fides igitur

habenda Servio *Janus Quadrifrons* originem suam debet civitati Tusciæ Phaleris, sive *Faleriis*; & propterea locum nequaquam videtur habere posse φάλαρα, Thessaliæ urbs, quæ tamen notis inferitur. Talem præterea Janum celebrat Codinus in Orig. Constant. Τὸ ἄγαλμα τοῦ Ἰανοῦ ἱστορεῖσι τετράμορφον διὰ τὰς τέσσαρας τροπάς: & Joannes Philadelphensis in libro inedito de Mensibus scribit, ejusmodi Jani signum extare in foro Nervæ, quemadmodum observavit Lambecius. In foro igitur Nervæ, quod *Transitorium* dicebatur, fuit & statua & ædes Jani Quadrifrontis, cujus caput templo impositum ex nummo Augusti repræsentat Choulius; quique totus cernitur in Hadriani Imp. numismate, apud Antiquarios obvio. Quin & P. Victor in descript. urbis Romæ, *Janos Quadrifrontes sex & triginta celebrat*: per quos tamen non tam statuæ sunt intelligendæ, quam transitiones perviæ, quarum latera quatuor transiri poterant; quo sensu *Janus* frequenter non modo eidem usurpatur, sed etiam Livio lib. 41. cap. 27. *In his & cloacam circumducendam & forum porticibus tabernisque claudendum & Janos tres faciendos*: quæ verba nequaquam, ut Oizelius arbitratur, significant, tres Jani Bifrontis statuas in foro Romano fuisse; id quod mirari convenit virum eruditum commentari, quia jam olim Torrentius ad Horatium *tres Jani statuas* Acroni laudatas, recte rejecit. Præter Janum autem neminem deorum novi, qui ita factus fuerit. Apollo quidem quatuor manus, totidemque aures habuit, apud Lacedæmones, quemadmodum testantur Sosibius apud Zenob. Centur. 1. Proverb. 54. Diogenianus Centur. 2. Proverb. 5. Hesychius in vv. Κυρίδιον, & Κυνάας; quorum loca occupavit Meursius in Miscellaneis Laconicis: quibuscunque addendus est Libanius Orat. XI. Tom. 2. & Eustath. ad Hom. pag. 1503. ὅρα δὲ καινοτροπίας μυθικὰς δι' ὧν οὐ μόνον κεφαλαῖς καὶ ὄμμασι καὶ χερσὶ πληθύοντα Τυφῶνες, καὶ ὕδραι, καὶ Ἄργοι, καὶ Ἑκατόγχειρες, ἤδη δὲ πυ καὶ αὐτὸς Ἑρμῆς, ἀλλὰ καὶ. *Considera autem novitates fabulares, vel novas fabulas, quibus non modo plura capita & oculi & manus dantur Typhoni, & Hydræ, & Argo, & Giganti, atque adeo ipsi Mercurio; verum etiam &c.* sed de quatuor capitibus nihil occurrit. Alter nummus est Abydenorum, qui nescio an ab ullo Antiquario vulgatus sit.



Cernitur in eo Diana, pharetram & arcum post tergum rejecta gerens; eamque Deam ab Abydenis templo cultam fuisse, patet ex Polyb. 16. cap 16. ubi narrat eos per Philippum Macedoniæ Regem ad extrema redactos consilia cepisse mulieres, liberos seque adeo ipsos occidendi; & eum in finem τὰς μὲν γυναῖκας συναθροῖσαι εἰς τὸ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἁπάσας. Ab altera vero parte aquila, & ante eum thuribulum vel arula accensa, & supra ΑΒΥΔΗΝΩΝ infra vero ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ: quod nomen magistratus videtur esse. Num autem aquila ad Jovem, cui illa sacra, referri debeat, an vero aliam ob causam nummis indita sit, ignotum utique est. Et cum nihil singulare nummus hic nos doccat, nisi Dianam ab Abydenis cultam fuisse, ad tertium numisma me conferam, quod rarum certe est & necdum luce publica donatum. Conspicitur in eo Apollo laurea coronatus; in altera vero area idem deus stans arcum manu tenens, pharetra a tergo pendente; & ab anteriore corporis parte ΑΠΟΛΛΩΝΟΣ cum litteris ΣΛΕ a posteriore vero nota aliqua & ΤΜΙΘΕΩΣ: infra vero ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ ... ΜΑΝΔΡΟ uti ex ectypo clare patebit.



Litteræ nonnullæ difficulter cognosci possunt, sed proculdubio fuit ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΥ; indeque clarum erit nummum percussum esse ab Alexandrensibus Troadis; inque eo conspici Apollinem Smintheum ex Homero, Strabone, aliisque satis notum. Nam haud procul a fluvio Scamandro urbs illa fuit; Plin. l. 5. cap. 30. *Troadis locus Amaxitus, dein Cebrenia, ipsaque Troas, Antigonia dicta, nunc Alexandria, colonia Rom. oppidum Nee. Scamander amnis navigabilis, & promontorio quondam Sigæum oppidum. Dein portus Achæorum in quem influit Xanthus Simeonti junctus: stagnumque prius faciens Palæscamander*. Agit de hac urbe Tristanus Tom. 1. p. 752. sed arbitror virum doctissimum subinde falli, & Alexandriam Troadis cum ipsa Troja vel Ilio confundere. Quod enim censet a Ptolomæo lib. 5. cap. 2. *Troadis* situm his describi verbis: τῆς δ' Ἴδης μεταξὺ καὶ τῆς θαλάττης ἡ Τροία κεῖται συνάπτουσα τῷ ὄρει: *Inter Idam & mare sita est Troja montem attingens*: Ptolomæique *Trojam* eandem urbem esse cum ea, quam Strabo lib. XII. *Troadem* vocat, in eo mirifice fallitur. Nam verba hæc non sunt Ptolomæi, sed ipsius Strabonis pag. 574. deinde *Alexandria Troas* adjacebat mari, uti vel ex Apostol. Actis patet, Troja autem vel Ilium monti Idæ, easdemque urbes apertissime distinguit Geographus pag. 593. Arbitratur præterea vir doctus Alexandriam Troadis nomen suum accepisse ab Alexandro Paride, vel a loco Idæ, cui nomen *Alexandria*, & in quo libidinantium dearum judex sederat. Verum clare satis Strabo memoriæ mandat Lysimachum Ilii curam, nec non Alexandriæ habuisse, συνῳκισμένης μὲν ἤδη ὑπ' Ἀντιγόνου καὶ καλουμένης Ἀντιγονίας, μεταβαλούσης δὲ τοὔνομα, quia pium esse existimabant Alexandri successores hujus primum, deinde suo appellatas nomine urbes condere; & alibi narrat Antigonum Cebrenios ac Scepsios in urbem coegisse tunc temporis Antigoniam, suo vero Alexandriam dictam; in ea mansisse Cebrenos, Scepsios autem permissu Lysimachi in patriam rediisse. Non igitur a Paride, verum ab Alexandro Magno nomen habuit; & forte postquam Lysimachus urbi nomen istud dedit, ad distinctionem aliarum ejusdem nominis urbium, *Alexandria Troas* gentili regionis nomine dicta est; quomodo appellatur Liv. 35. 42. & 37. 35. Ptolomæo & Straboni, quem Interpreti non fuisse intellectum optime animadvertit Illustris Spanhemius, & quia ipsa, uti notum est, regio *Troas* vocatur, inde Strabo eam lib. 2. nominat Ἀλεξάνδρειαν Τρωάδος; Stephanus eandem facit πόλιν Τροίας: & Polybius lib. 5. extremo scribit facinus egregium editum esse ὑπὸ τῶν περὶ τὴν Τρωάδα κατοικούντων Ἀλεξανδρέων:

qua urbe cum ortus fuerit Nicomachus, Suidæ vocatur Ἀλεξανδρεὺς τῆς Τρωϊκῆς. Samuel Petitus vir doctus admodum Lib. 1. Var. Lect. cap. 12. Alexandriam noſtram etiam Βοτὰ ſcribit appellari, quia lauro celebris erat, Plinio lib. 15. extr. nec non Dioſcoride celebrantibus *Alexandrinam laurum*, quam iidem *Idæam* appellant. Sed adhuc quæro, unde ea expiſcatus ſit ille. Nam Βοτὰ non ſignificat φύτον, ut videtur velle, ſed Βοσκήματα, interprete Heſychio; & apud Stephanum ſcribitur Βοτάνη; verbaque illius non de urbe, vel loco, accipienda ſunt, ſed de *lauru Alexandrea*, uti multis evincit Salmaſius ad Solinum; id quod Petitum docere debuiſſent ſequentia, eam n. laurum alios δανάην, alios χαμαιδάφνην, appellare. Nummus igitur *Alexandrenſes ad Scamandrum* nobis ob oculos ponit; iſque fluvius in alio Getæ, qui inſcribitur ΙΛΙΕΩΝ ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ, occurrit. Alio nomine *Xanthus* dictus fuit; Heſych. Σκάμανδρος ποταμὸς ὃς καὶ Ξάνθος καλεῖται; & Homerus fingit fluvium hunc ab hominibus quidem *Scamandrum*, a diis autem *Xanthum* vocari; cujus fictionis cauſam vide apud Iſaacum Voſſium, Virum maximum in Obſervationibus ad Catullum. Et hoc eſt quod auctor brevium Scholiorum ad Hom. Il. A. v. 403. obſervat, allato fluvii hujus & aliis exemplis, τῶν διωνύμων τὸ μὲν πρότερον ὄνομα εἰς θεὸς Homerum ἀναφέρειν; τὸ δὲ δεύτερον εἰς ἀνθρώπους. Initio igitur *Xanthus*, poſtea *Scamander* eſt appellatus, idque a Scamandro Rege in eo ſubmerſo, uti Servius ad Lib. 4. Æn. v. 108. commentatur. Auctor de Flumin. eum facit Corybantis & Demodices filium, & furore correptum propter viſa Rheæ myſteria in fluvium ſe præcipitaſſe, unde *Scamander* dictus fuit, ſcribit. Aliam tamen nominis rationem reddit Euſtathius ad Il. μ. p. 890. & ψ. pag. 1197. nempe *Xanthum* appellari, quia τὰς λιμένας ξανθίζει, vel quia Venus ante judicium in illo cum ſe lavaſſet ξαντὰς τρίχας habuit: *Scamandrum* vero, tanquam dicas Κάμανδρον, quia κάματον ἄνδρος; id eſt, Herculis Iliam oppugnantis laborem, ſive eum ſitientem παραμυθήσατο, vel quia Herois σκάμμα Xanthum e terra oriri fecit. Sed qui præcipue notandus in nummo venit, eſt *Apollo Smintheus*. Et primo quidem obſervandum primam ultimæ vocis litteram hac figura eſſe ⌶, uti ſatis ex maxima ejus parte integra patet. Nam ita littera Σ. ſcribebatur nonnunquam; extatque eadem in Inſ. antiqua, quam exhibet Gruterus pag. CCX. teſte Gualtero in notis ad Tabulas Siciliæ antiquas; & ut hoc obiter adjiciam, ſimiliter Z. effingere ſolebant, uti docet nos Smyrnæorum nummus pag. 273. Theſauri Palatini, in quo ⌶ΕΥΣ id eſt, ΖΕΥΣ legitur. Deinde littera N. vel ſuperpoſita virgula transverſa, quæ tamen ſigni videtur potius pars eſſe, denotatur, vel omittitur; quod ultimum in Latinis Inſcriptionibus frequenter obſervatur: in Inſ. 1. pag. CLXXIII. Gruteri, IMPESA pro *impenſa*; in alia apud Fabrettum pag. 68. ad Col. Trajanam MESIBUS pro *menſibus*, & p. 35. DISPESATOR pro *diſpenſator*. Smintheus igitur Apollo cernitur armatus arcu & pharetra; qua re forte reſpicitur ad veterem hiſtoriam, quam memoriæ mandat Polemon apud Scholiaſtem Homeri ad Iliad. A. v. 39. Crinis nempe ſacerdos erat Apollinis in urbe Myſiæ, cui nomen Chryſe: huic iratus deus cum foret, miſit mures in agros ipſius; qui fruges corrumpebant. Βουληθεὶς δὲ ποτε ὁ θεὸς αὐτῷ καταλλαγῆναι, venit ad Orden ἀρχιβουκόλον ipſius; a quo hoſpitio ſuſceptus, promiſit mala ſe ſubmoturum; & ſtatim mures τοξεύσας vel ſagittis occidens perdidit; juſſitque Crinidi ſignificari ἐπιφάνειαν ipſius, qui Apollini templum extruxit illud appellans ἱερὸν Σμινθέως, quia propria dialecto mures Σμίνθοι dicuntur. Euſtathius quoque ad Iliad. A. p. 34. ſcribit Apollinem mures occidiſſe, qui ſegetes Crinidis corrumpebant, indeque eum Sminthei vel Μυοκτόνου Apollinis templum extruxiſſe: & hæc hiſtoria proculdubio lucem dabit Arnobio lib. 3. pag. 119. ubi Apollo vocatur *Sminthiorum pernicies murum*; quod monere obliti ſunt eruditi commentatores. Alii plane diverſam originem huic cognomini adſcribunt, quam videre licet apud eundem Scholiaſtem, Euſtathium, Tzetzem ad Lycophr. p. 192. Servium ad lib. 3. Æn. v. 108. Ælian. lib. 12. cap. 5. de Animal. nec non Strabon. lib. 13. ubi notandum præcipue Apollinis Sminthii ſimulacrum, factum a Scopa Pario ſub pede murem habuiſſe; & Heraclidem Ponticum narrare, mures, cum circa templum abundarent, ſacros eſſe habitos, καὶ τὸ ξόανον οὕτω κατασκευασθῆναι βεβηκὸς ἐπὶ τῷ μυί: quæ etiam memorat Euſtathius; verum apud eum male, ut puto, ſcribitur Ἡρακλέων ὁ Ποντικὸς. Heſychio Σμίνθος exponitur *mus*, & Apollo dicitur Σμινθεὺς nominari, διὰ τὸ ἐπὶ μυωπίας φασὶ βεβηκέναι; *quia ſuper muris foramine vel cavernula ſtabat*; quod abit multum a Strabone, qui *murem*, quem cenſeo eſſe præferendum, memorat, niſi ἐπὶ μυωπίας vertere malimus, *ſuper cubilia vel cavernas Murium*; quia mures ſub ejus ara domos ſuas habebant. Ælianus ſcribit mures cultos ibi fuiſſe, in æde Apollinis cicures ali, albos ſub ara lati bula ſua habere, apud tripodem Apollinis, murem ſtare: & denique *Smintheum* appellari, ὅτι ζέων θεῖ, *quia fervens currit*. Obſervandum præterea nomen hoc non modo illi loco datum fuiſſe, verum etiam aliis, uti binis, qui in vicinia templi hujus erant, aliis in agro Lariſſæo, ἐν τῇ παραλίᾳ in Rhodo & Lindo, καὶ ἄλλοθι δὲ πολλαχοῦ teſte Strabone, qui etiam lib. 10. prope Κορισσίαν & Pœeeſſam urbes Cei inſulæ celebrat Apollinis Sminthii templa. Quin & notandum Alexandriæ Troadis incolas narrare Sibyllam Herophilem fuiſſe νεωκόρον Apollinis Sminthei: illam mortuam ἐν τῇ Τρωάδι, & monumentum vel ſepulchrum eſſe ἐν τῷ ἄλσει τοῦ Σμινθέως, teſte Pauſania lib. 10. Atque hic locus proculdubio eſt Σμίνθιον ἄλσος memoratum Stephano, quod non ſatis perceperunt viri doctiſſimi; quanquam exiſtimem ſatis negligenter hic verſatum eſſe Hermolaum, qui Stephanum in Epitomen redegit: & multa omiſiſſe, cum Strabo luci ſive ſylvæ non meminerit. Sed occaſione Alexandriæ examinandum, num nummus, quem exhibet Patinus pag. 5. & in quo cernitur hinc ΙΕΡΑ ΣΥΝΚΛΗΤΟΣ inde ΑΙΓΑΙΩΝ poſſit referri ad Alexandriam ἐν Αἰγαίοις ἢ καὶ Σκυθίᾳ, uti facit Harduinus. Mihi certe ἀδύνατον videtur, illud inde expiſcari poſſe, & potiori jure videntur Viri eruditiſſimi ad Αἰγῶν aliquam decurrere, quarum Stephanus meminit, quippe qui memorat Αἰγὰς multas, Ciliciæ, Macedoniæ, Cherroneſi, Thraciæ, Æolidis, Lydiæ, Locridis, Ætoliæ, & Eubœæ: & quia reliquæ urbes, qui Sacrum Senatum nummis ſuis indiderunt, fuerunt Aſiaticæ, ſuſpicio mihi oborta unam ex iis Ægis intelligendam eſſe. Auctor quidem Chronici Alexandrini ſextam Alexandriam vocat τὴν καὶ Σκυθίαν ἐν Αἰγαίοις; ſed is loca, ubi hujus nominis urbes ſitæ fuerunt, tam mira enarrat, ut quid de iſtis ſentiendum ſit, vix conſtet. Videtur & ejus meminiſſe Auctor fabularis vitæ Alexandri, cujus integrum locum adſcribam, ut habeant peritiores, ſi tanti judicabunt, in quo ſeſe exerceant. *Nomina civitatum, quas extruxit Alexander. Prima Alexandrina, quæ dicitur Ypuſvitas: Secunda Alex. Yepiperium: Ter-*

tia Alex. dicitur SITHIA : *quarta Ercuftria* : *quinta Ymiteon* : *fexta Bucifalon fub fluvio Silonis . Septima Alex. fub fluvio Tigris* : *octava Babylon* : *Nona apud Troadam* : *decima Mafagetas* : *undecima Yprexiaton* : 12. *Alex. dicitur Egyptus*. In nummo quidem Alexandri Severi, qui exftat in Cimelio Regio, legitur ΑΙΓΑΙΩΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ ΠΟΛΙΣ . Sed hoc nomen Ægæ videntur habuiffe ab Alexandro Severo, uti eadem urbs in alio nummo a Macrino *Macrinopolis* appellatur; non fecus ac Ancyra in honorem Caracallæ *Antoniniana*, Tarfus in honorem Macrini *Μακρειανή*. & ipfi Ægienfes ab Hadriano *Adriani*, & a Commodo *Commodiani* dicti fuerunt. Præterea, ut hoc addam, in Gruteri Indice dicitur effe *Alexandria in Italia*; verum in Inf. 3. pag. CCLXXII. legitur

COL. VEN. LENIA. AUG
ALEXANDRIA. ANT.
APPELLINATIUM.

quæ colonia quomodo vocata, aut ubi fuerit fateor me ignorare. Tres tandem litteræ ΣΛΕ : videntur notæ numerales effe & æram quandam indicare. Hæc fcripferam, & ecce mihi ab Ampliffimo & Nobiliffimo Spanhemio Ezechiele, cujus amicitia immenfus mihi honor eft, litteræ, quibus confultus & rogatus, mirum quantum tres hos nummos illuftravit. Gratum tibi, Lector, proculdubio erit, fi tecum communicem, quæ vir tam præclarus, & qui parem in hoc ftudiorum genere non habet, ad me pro fingulari fua humanitate Februario proximo mifit. De tribus illis nummis Græcis, quorum primæ tuæ ante annum fcriptæ meminerunt, & in noviffimis denuo recordaris, illud habeas in limine, me haud leviter ob factam tibi eorum copiam, gratulari. Sunt enim omnino quantivis pretii, neque hactenus a me alibi in præclaris ac locupletibus Cimeliarchiis vifi aut obfervati. Primus autem, quem memoras, ab Abydenis percuffus cum Dianæ, *παραυχενίης τε φαρέτρης*, ut de eadem vetus Epigramma, effigie, nullum faceffet negotium, ubi reputaveris Abydum, quod e Strabone & Stephano notum, Milefiorum coloniam, apud quos Diana juxta Apollinem culta, immo cujus ductu & aufpiciis Miletus fcilicet condita, tefte Callimacho in Dianam v. 226.

Μιλήτῳ ἐπίδημε, σὲ γὰρ ποιήσατο Νηλεύς.

Unde etiam, quod obiter obfervo, feftum *Νηλη̃ς*, cujus Plutarchus aliique meminerunt, Dianæ apud Milefios facrum & frequens etiam hujus Deæ in Milefiorum nummis effigies. Notum autem, ac Tibi, qui hæc accuratiffime tenes, vel e penu nummaria luculenter obvium, deducta vulgo in Colonias, ac ab iifdem retenta Originem feu Metropoleon facra. Ut vel inde abunde liqueat, cur fignum Dianæ occurrat, cum in tuo, tum in alio Abydenorum nummo, quem in Vero apud Patinum videas, & inde retulit Harduinus. In aliis autem Abydenorum nummis, quos verfare mihi hactenus licuit, nonnunquam Cybele, in tractu quippe Phrygiæ vicino, aut pileati Diofcuri, confueta & falutaria maritimarum, qualis Abydus, urbium numina, *Σωτῆρες ἐπὶ ξυρῦ ἤδη ἐόντων*; aut infelix illud amantium par Hero & Leander confpiciuntur. Ad alterum, quod adtinet, Tenediorum nempe nummum cum duobus capitibus junctis, & fecuri, nota jam tibi & comperta, quæ apud Stephanum, Suidam, aliofque, ad plenam utriufque fymboli explanationem faciunt. Diverfa paulo, quam innuis a Goltziano nummo, figuræ imberbis quam tuus præfert, effigies, non ad mulierem forte, fed ad juncta Regii adolefcentis cum mœcha, & fecuri cum eadem percuffi capita poteft, mea fententia, haud incommode referri, & quo refpexiffe etiam videtur Stephanus, *Διὰ τοῦτο φησὶ καὶ ἐπὶ τοῦ νομίσματος τῶν Τενεδίων κεχάρακται, ἐν μὲν τῷ ἑτέρῳ μέρει πελεκύν, ἐπὶ δὲ τοῦ ἑτέρου δύο κεφαλάς*, nempe filii & mœchæ, qui pœnas dederant *εἰς ὑπόμνησιν τοῦ περὶ τὸν παῖδα παθήματος*. Idem etiam clare innuit Suidas, de hoc ipfo agens Tenediorum nummo, *ἐφ᾽ οὗ μὲν πέλεκος, ἐφ᾽ δὲ δύο πρόσωπα ἐπ᾽ ἑνὸς αὐχένος*. Uva autem in eodem nummo tuo fignata, feracem vino, quod aliunde liquet, tractum haud minus ac Bacchus cum fcypho in nummo Commodi Gazæ Regiæ, vicinam Tenedo Lesbum, *οἰνήρη* dictum in veteri Epigrammate, familiari utroque hujus rei in nummis fymbolo, continuo arguit. Utramque certe infulam conjungi videas apud Periegetem,

Λέσβου τ᾽ εὐρυχεύροιο καὶ ἱμερτῆς Τενέδοιο.

Tertius autem feu poftremus nummus a Te commemoratus, cum epigraphe ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, Scamandri præterea, & Apollinis Smynthei nominibus, omnino præclarus eft, nec alibi hactenus, quantum ego fcio, vifus. Scamandri quidem meminit nummus e Ligorii Collectaneis ab Holftenio ad Stephanum p. 16. prolatus, ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ ΙΛΙΕΩΝ, quem in fchedas meas Romæ, ex infpecto ibidem Ligorii opere, pridem retuleram. ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ etiam, fi per ultimum litteræ ferme, uti refers, exefæ ductum licet, legi in eodem tuo nummo mallem, quam ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΥ; ficuti paffim expreffa videas cafu recto fluviorum in antiquis nummis nomina ΚΥΜΑΙΩΝ ΓΛΑΥΚΟΣ : ΕΦΕΣΙΩΝ ΚΑΙΣΤΡΟΣ : ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΜΕΛΗΣ, ut plura id genus mittam, & in fuperiori nummo ΣΚΑΜΑΝΔΡΟΣ. Sed hoc leve: Scamander vero ille cum veterum, Homeri exemplo, monumentis valde celebratus, tum ab Alexandria Troade, quod jure obfervas, haud procul decurrens, ut commode in nummo illius urbis fignari meruerit. Hanc autem Alexandriam a Troja feu Ilio, quod olim etiam, uti recordaris, monui, diverfam omnino vere adferis, nomenq; ei non a Trajano Alexandro, fed ab Alexandro Macedone, quod Strabo aperte innuit, idque Lyfimacho auctore, quum prius *Antigonea* diceretur, inditum. Adfcriptæ autem in eodem tuo nummo, quas memoras, litteræ ΣΛΕ, urbis epocham, annorum nempe CCXXXV. liquido, mea fententia arguunt. Unde fi ad Lyfimachi, a quo urbs dicta *Alexandrea*, res in tractu illo geftas, & quarum Diodorus meminit lib. xx. æræ caput revoces, hoc eft, ad Olympiada CXIX. aut juxta alios CXX. feu ante Chriftum CCC. cui inde ætatem nummi eruas, circiter quarto Olympiados CLXXVIII. feu ante Chriftum LXV. nempe circa tempora debellati a Pompejo Tigranis. Quanquam, quod parum hic refert, nec jam hujus loci, unius forte aut alterius anni, pro diverfis Chronologorum calculis, ratio haberi hic poffit. Ex quo autem Colonia Romana in eandem Alexandriam fub Augufto, quod e nummis liquet & firmat Strabo, deducta, omiffa inde in iis hujus Æræ memoria, & Latini vulgo illius urbis nummi, cum

,, variis *Coloniæ Alexandrinæ Auguſtæ*, *Troadis*,
,, aut *Coloniæ Aureliæ Antonianæ Alexandriæ*,
,, vel *Alexandrinæ*, qualem nummum alibi primus protulit, appellationibus, e quibus geminos male Holſtenius ad Stephanum p. 24. ad *Alexandriam* Ægypti retulit. Alterius quidem Æræ Alexandrinæ, h. e. Μεγαλοπόλεως, meminit nummus Eliogabali, Gazæ Regiæ, a me pridem in eadem viſus & notatus, ac nuper ab Harduino cum aliis ex indice admirandi illius Cimelii deſcriptus. Diverſa vero eadem ab Æra Alexandreæ ſeu Alexandri, ac inde *Dulhernajim* Arabibus dicta, de qua pridem Scaliger in Canonibus Iſagogicis, quæ etiam ſuperiori Æra Alexandriæ Troadis longe antiquior, eadem quippe cum Æra Seleucidarum. Sed hoc obiter. Apollinis autem Smynthei, quem memorat itidem nummus hujus Troadis tuus, familiaris olim in toto illo tractu cultus, neque ſolum, quod ex primo Iliados notum, apud commemoratos paulo ante Tenedios a Troade iſta haud procul diſſitos. Ita Chryſas, urbs illius loci, ſacra eidem Smyntheo, a quo λόγοι Σμινθιακοὶ apud Euſtath. ad Iliad. A. p. 34. Mirari tantummodo quiſpiam poſſet, quod nullum in illo tuo nummo, neque enim obſervare id & monere in tuis ad me litteris ſuperſediſſes, veſtigium occurrat Dei illius ſupra murem, unde ei nomen inditum volunt, quemque calcat aut percutit, ſtantis: quale ſcilicet ejuſdem Smynthei ſimulacrum deſcribit commemorato ante loco Euſtathius, ὅν καὶ ἱδρύουσι μυὸς ἐπὶ βεβηκότα, ὡσανεὶ πατάξαντα τὸ θηρίον. Verum, ut alia jam mittam, non hanc ſolam a muribus denominationem *Smynthei* Apollinis arceſſit ibidem Euſtathius, ſed opportuniorem procul dubio, ab urbe illius tractus Smyntheo. Hæc ſunt, quæ Vir ille Magnus, & Antiquitatum Interpres feliciſſimus pro ſingulari, qua fulget & illuſtris eſt, licet in ampla dignitate conſtitutus ſit, humanitate ad me miſit; quæ ſi tibi, Lector, tantum, quantum mihi arrident, placebunt certe plurimum. Nec te pœniteat adire Raphaelis Fabretti, viri doctiſſimi Explicationem Tabellæ Ilii excidium continentis: quippe qui erudite de Smynthei Apollinis templo agit, occupavitque Smynthei nemoris apud Stephanum memorati expoſitionem. In agro Sylvaducenſi exiguus pagus eſt, cui nomen *Rummel*: qui ante annos aliquot nobis dedit C. JANUARINUM SEXTUM INTERPRETEM, uti docui in Inſcriptionibus Antiquis, quas una cum Apotheoſi Homeri vulgavi. In eodem loco inventus eſt & alius lapis, ingens ſatis, & candidi coloris, quem mihi dono miſit Ampliſſimus Vir, Henricus Copez, Urbis illius Senator, & antiquarum rerum ſtudioſiſſimus. Continet marmor illud Inſcriptionem tam elegantem, ut affirmare non dubitem ſimilem his in terris vix repertam eſſe;

..ACSVSA
NO. HERCVLI
SACRV. FLAVS
VITHIRMATIS. FIL
S MMVS MAGISTRA
, IVITATIS BATAVOR
V. S. L. M.

Occurrit igitur hic HERCULES MACSUSANUS, qui proculdubio non ſecus ac *Deuſonienſis*, aliique Dii topici abſque numero a loco, in quo cultus fuit, nomen habuit. In Inſcript. 4. pag. MLXX. apud Gruterum, quæ Weſtcapellæ Zelandorum reperta eſt, ſcribitur HERCULI MARCUSANO: in nummis vero Poſthumi apud Antiquarios obviis, HERC. MACUSANO: quomodo etiam in lapide laudato legi, teſtis eſt Boxhornius cap. 1. Quæſt. Rom. quem tamen recte carpit Triſtanus Tom. 3. pag. 146. quod inde faciat MAGNO SANCTO. Nam certe in numiſmate ſatis clare legitur MACUSANO, & in meo marmore addita littera mACSUSANO: arbitrorque apud Antiquarium non minimi nominis male ſcribi MAGUSANO, & Mezzabarbam, ſpectatæ etiam diligentiæ peritiæque virum, inde aliam epigraphen a MACUSANO facere; quia apud Triſtanum C. non autem G. occurrit. In qua regione vel urbs, vel locus, a quo Hercules nomen accepit, ſitus fuerit, utique incertum manet, cum apud neminem veterum, quod ſciam, memoretur vel *Macuſum*, vel *Maſcuſum*. Credibile tamen eſt, illud nomen loco alicui in Gallis verſus Rhenum inditum fuiſſe, quia & altera & hæc inſcriptio in illo tractu inventæ ſunt. Sique verum eſt, quod notant celebres Antiquarii, Poſthumum ſub nomine *Herculis Macſuſani* cultum fuiſſe, id quod rejiciendum nequaquam videtur, ad ejus imperium quod incidit in annum Chriſti 250. U. C. 1012. Inſcriptio noſtra erit referenda; unde de ejus antiquitate judicium fieri poteſt, Herculem certe ſæpe in nummis ejus datur conſpicere, additis Inſcriptionibus: HERC. PACIFERO: HERCULI ARGIVO: HERCULI LYBICO: HERC. DEUSONIENSI: HERCULI ERYMANTHINO; INVICTO: ROMANO: IMMORTALI & HERCULEM: & inde haud abſurde colligitur Gallos, quorum ſummus erga Poſthumum erat amor, quod ſubmotis omnibus Germanicis gentibus, Romanum in priſtinam ſecuritatem revocaſſet imperium, teſte Trebellio Pollione, eum ut Herculem monſtrorum domitorem coluiſſe. Atque hoc vel inde patet, quia certe deus Hercules iis cognominibus in Galliis cultus non fuit; ſed data illa cognomina ſunt Poſthumo, tanquam in vincendis Germanis parem Herculi laborem exantlaſſet. Et firmant hoc alii nummi, in quibus occurrit VIRTUS EQUITUM, POSTUMI AUG. & AETERNITAS AUG. cum Hercule leonem domante, ejus exuvias gerente, clavam atque arcum, & Imperatori imponente coronam: nec non unus Poſthumi filii, in cujus averſa area HERCULI DEUSONIENSI legitur, & conſpicitur caput Poſthumi patris. Is qui hoc monumentum poſuit, vocatur FLAVIUS VITHIRMATIS FILIUS; & patris nomen ſatis ſuperque docet, eum origine Gallum vel Batavum fuiſſe. Solebant autem provinciales Romana nomina adſumere; Sic frater Arminii *Flavius* cognomento fuit, teſte Tac. 2. A. 9. & *Claudius Civilis*, *Julius Paulus*, *Julius Brigantius*, *Claudius Labeo* nomina Romana habent. VITHIRMAS proculdubio eſt nomen Batavum vel Gallicum; & neſcio an alibi ſimile occurrat. Præcipue autem notandus eſt SUMMUS MAGISTRATUS CIVITATIS BATAVORUM. Quod ſi CIVITAS hic complecteretur omnes Batavos, qui iiſdem legibus vivebant & unum conſtituebant Reip. corpus, uti uſurpatur Cæſari lib. 1. de Bello Gall. cap. 12. ubi *civitas Helvetiæ*; Tac. 2. A. 61. ubi *Æduorum*; Germ. cap. 37. ubi *Cimbrorum*; cap. 41. ubi *Hermandurorum*; Agric. cap. 17. ubi *Brigantum Civitates* occurrunt: quomodo & Vellejus 1. 3. Theſſaliam appellat *Myrmidonum civitatem*, illuſtre certe monumentum haberemus, ex quo aliquo modo colligi poſſet Batavorum quale regimen circa illa tempora fuerit. Et *Civitatem Batavorum* eo ſenſu poſuit Tacitus 4. H. 56. *pollicituſque, ſi præſidium daretur, iturum in Bata-*

vos, *& potiorem* CIVITATIS *partem ad ſocietatem Romanorum retracturum*. Quod ſi autem per *civitatem* intelligere placet urbem, vel oppidum: quo ſenſu hanc vocem uſurpatam eſſe conſtat, vel ex his Verrii Flacci apud A. Gellium Lib. 18. c. 7. verbis: CIVITATEM *& pro loco*, *& pro oppido*, *& pro jure quoque omnium*, *& pro hominum multitudine dici*: urbem conſervat marmor, quæ per excellentiam *Batavorum civitas* vel *oppidum*, dicta fuit. Sed incertum valde eſt, ubi hanc quærere debeamus, quia plures fuere Batavorum urbes. Nam Ptolomæus lib. Geogr. 2. c. 9. memorat λυγόδεινον, & βαταύοδυρον, & ultimam quidem μεσόγειον. Verum ſi aliqua ex his duabus intelligenda foret, proculdubio adjectum fuiſſet ipſum vel Lugduni vel Batavoduri nomen in marmore: unde neſcio quam valde mihi placeat illorum opinio, qui cenſent aliam urbem fuiſſe, quam peculiari ratione vel *Oppidum* vel *Civitatem Batavorum* vocarunt. Tacit. 5. Hiſtor. 19. *Civili Chaucorum auxilia venere*. *Non tamen auſus* OPIDUM BATAVORUM *armis tueri*, *raptis quæ ferri poterant*; *ceteris injecto igni in inſulam conceſſit*. Cluverius & alii *Batenburgum* intelligunt; ſed nequaquam veriſimile eſt Civilem acie circa Caſtra Vetera victum & agitantem animo petere Bataviam, primo Moſam & Batenburgum, inde iterum Vahalim petiiſſe. Sunt qui cum antiquis codicibus reſcribant *oppida*, eamque lectionem amplectitur Lipſius, quia nullum oppidi nomen adpoſitum. Certe Batavi ripam Gallicam una cum inſula tenuere: Tac. 4. H. 12. *Batavi donec trans Rhenum agebant pars Cattorum*, *ſeditione domeſtica pulſi*, *extrema Gallicæ oræ vacua cultoribus*, *ſimulque inſulam inter vada ſitam occupavere*, *quam mare Oceanum a fronte*, *Rhenus amnis tergum ac latera circumluit*. Verum num plura oppida in ora Gallica habuerint incertum valde eſt. Quod ſi rationem inire volumus, & perpendere, veteres rariſſime oppida in locis paludoſis & paſcuis condidiſſe, videtur certum oppida illa non potuiſſe eſſe poſita niſi intra illud ſpatium, quod inter divortium Rheni Vahaliſque, & Noviomagum eſt; & ſi totus ille tractus examinetur diligenter, patebit vix alio loco oppidum exſtrui potuiſſe, quam ubi nunc Noviomagum ſitum eſt. Nam ex abruptis montibus & confragoſis, atque e fruticetis & ſylvis, quæ regionem eam occupant, conſtat, loca illa inculta relicta eſſe. Hincque ſimul ratio peti poterit cur Civilis non in principio Batavi agri in inſulam conceſſerit, ſylvis ſcilicet fruticetiſque illud impedientibus: ſed neceſſe habuerit uſque ad Batavorum oppidum confugere. Præterea nullibi in toto hoc tractu tot Antiquitates reperiuntur quam Noviomagi, illæque certum indicium ſunt, non a Caroli Magni temporibus, verum diu ante, & ſub primis Romanorum temporibus urbem hanc celebrem fuiſſe. Si quis igitur *Civitatem* pro oppido vel urbe accipere velit, ego crederem, non incommode *Noviomagum* poſſe intelligi; certe de illo Tacitum loqui, qui & Coloniam Agrippinenſem *Ubiorum oppidum* appellat. Neque tamen eorum ſententiam condamno, qui vel *oppida* apud Tacitum reſcribunt, & plura Batavos habuiſſe oppida in ora Gallica exiſtimant; ſed argumentum illis non ſuppeditant hæc verba, *ceteris injecto igni*: neque enim τὸ *ceteris* ad oppida reſpicit; ſed ad res, quæ in oppido Batavorum erant; quarum nonnullas igne conſumpſit, ne ſcilicet inde aliquid ad Romanos perveniret. Qui plura hanc in rem deſiderat, adire poteſt Joh. Smetii τοῦ μακαρίτου & Antiquitatum ſollertiſſimi enodatoris *Oppidum Batavorum*; & Iſaaci Pontani Diſceptationes Chorographicas & proculdubio Theodorus Rycquius, Hiſtoriæ apud Batavos Profeſſor eruditiſſimus, & facundiſſimus hæc pluribus in nova Taciti editione illuſtrabit; cujus viri ſententia ingens pondus vel huic vel illi explicationi certe adlatura eſt. Quod ſi per CIVITATEM omnis gens intelligenda eſt, obſervandum inprimis, uſos fuiſſe *Batavos* ſuis legibus; nec paruiſſe Romanis vel proconſulibus vel proprætoribus, vel aliis qui cum imperio mittebantur. Civilis apud Tac. 4. H. 12. gloriatur, *eos tributorum expertos* eſſe, & 5. H. cap. 25. ipſi Batavi *ſibi non tributa ſed virtutem & viros indici*; *proximum id libertati*: *& ſi dominorum electio ſit*, *honeſtius principes Romanorum*, *quam Germanorum feminas tolerari*. Et ipſe Tacitus 4. H. 12. eos ſcribit nec opibus Romanis, ſocietate validiorum attritos, viros tantum armaque imperio miniſtrare, & cohortes vetere inſtituto nobiliſſimos popularium rexiſſe; & cap. 29. Germ. ita de celebri hac gente loquitur. *Manet honos & antiquæ ſocietatis inſigne nam nec tributis contemnuntur*, *nec publicanus atterit*; *exempti oneribus & collationibus & tantum in uſum præliorum ſepoſiti*, *velut tela atque arma*, *bellis reſervantur*. Quæ omnia indicant Batavos reverenter habuiſſe Imperium Romanum, ſed tamen illi nequaquam plane fuiſſe ſubditos, ita ut rectores ab urbe æterna recipere cogerentur. Et inſigne huic decori gentis antiquæ præbent documentum eorum duces Tutor Claſſicus & Civilis, dum 4. H. 78. *ſuis quiſque locis pugnam cientes Gallos pro* LIBERTATE, *Batavos pro* GLORIA, *Germanos ad* PRAEDAM *inſtigabant*. Nam Gallia jam in Provinciæ formam erat redacta, Germanis nihil cum Romanis erat, & Batavi eos quidem comiter colebant, ſed non habebant dominos, ideoque non pro libertate, ſed pro veteri gentis gloria certabant. In Inſcriptionibus, quæ Caracallæ & Severi temporibus poſitæ fuerunt, legitur; GENS BATAVORUM AMICI ET FRATRES ROMANI IMPERII: CIV. BATAVI. FRATRES. ET. AMICI. P. R. Nec quicquam vetat, quo minus credamus hanc libertatem ad Poſthumi, ſequentiumque Imperatorum tempora & ad Francorum irruptionem eos ſervaſſe. Nam, teſte A. Marcell. l. 16. c. ult. *opitulatum conturmalibus ſuis celeri curſu Batavi venere cum Regibus*, in prælio quo Julianus Alemannos concidit. Nam inde viri eruditi exiſtimant Batavos ſuos Reges vel Principes illo etiam tempore habuiſſe; niſi tamen cum Henrico Valeſio aliquis velit exiſtimare *Reges* eſſe nomen numeri vel Legionis, qui *Regii* dicuntur in notitia imperii. Quicquid ſit, ſi CIVITAS in marmore de omni Batavorum regione explicanda eſt, magna certe dignitate ornatus fuit hic FLAVIUS, & Rempubl. Batavorum non Regis vel Principis, vel Ducis nomine, ſed SUMMI MAGISTRATUS rexit. Si vero alii contendant vocem eam denotare *oppidum*, neceſſe eſt, ut fuerit primus Duumvirorum; vel dicendum unum tantum ſummum in Batavorum oppido fuiſſe magiſtratum; quocunque demum nomine dictus proprie fuerit. Sunt enim eruditionis præſtantis Viri, qui *Conſules* colonis (quanquam adſeverare nolim Civitatem Batavorum Coloniam fuiſſe) imponunt; atque ita explicant Auſonium:

Diligo Burdigalam; *Romam colo*; *civis in hac ſum*,
Conſul in ambabus.

Sed Velſerus & Freherus ordinem invertunt, & ſcribunt, & *conſul in hac ſum*, *Civis in ambabus*; Reineſius arbitratur Auſonium metri cauſa *Conſulem* pro *Duumviro* poſuiſſe, qui videatur 3. Var. c. 16.

cap. 16. Epist. 28. & 31. & p. 675. Ejus sententia firmatur elegantissimo loco Ciceronis 2. ad Att. ep. 6. ubi *Duumvirum* pro *Consule* similiter plane usurpat: *Ubi* (Antii) *quidem ego mallem Duumvirum, quam Romæ me fuisse*, n. Duumvirum vel Consulem. Henricus Noris, vir harum-rerum peritus admodum Differt. 1. Cenotaph. Pisanorum Duumviros *Consules* dictos esse: & Jul. Cæsar Capacius *Consules Puteolanos* memorat, reprehensus eo nomine a Reinesio. Augustum Consulatum Plutiæ gessisse ex nummo Græco evincere conatur Patinus; sed scribendum in eo esse non ΠΑΟΥΤΙΑΕ verum Δ. ΕΞΟΥΣΙΑΣ docuit Harduinus; Munatium Pansam Bisontinos Consulari potestate rexisse arbitratur Chifletius l. 1. cap. 29. Vesont. quia in Inscriptione veteri legitur *Martianus Sacerdos Romæ & Augusto .... Munatio Pansa cos .... in Civitate Sequanorum*: sed inspicienda foret ipsa inscriptio, antequam certi quid statui possit. Apud D. Prosperum legimus, *Asperum* VI. *Consulem Carthagini constitutum esse*, qui tamen semel in Fastis tantum dicitur Consul Orientalis fuisse: adeo ut videri possit Carthagine gessisse Consulatum. Quicquid sit, inferiori sæculo *Consules* pro quolibet Magistratu usurpati, uti docet Reinesius Ep. 33. ad Daumium, & du Cange in Glossario Medii Ævi absolutissimo: quomodo in Historia Norvagiæ ab anonymo conscripta & ante aliquot annos edita celebrantur *Consules Orcadum Insularum*: & Episcopi Provinciæ Viennensis ad Leonem Papam scribunt, *quicunque intra Gallicas ostentare voluit insignia dignitatis in hac urbe* (Arelate) *Consulatum accepisse & dedisse*; id est, Consulatum Circensibus celebravisse, quemadmodum hæc verba interpretatur Hadr. Valesius Vir eruditissimus Lib. VIII. Rerum Francicarum. Atque hic locus haud obscurum indicium est, Magistratus Provinciales vel Duumviros etiam *Consules* dictos fuisse; quod nec diffitetur Reinesius, qui Scipioni Gentili facile largitur, contigisse ambitione municipalium & Colonicorum Magistratuum, & quos Duumviros suis locis esse jussisset Senatus, ii Consulum nomen vel adsciscerent sibi, vel ab adulantibus obnoxiisque acciperent; sed illud tantum domi cujusque regnare potuisse, neque tantum valuisse, ut Romana loquendi consuetudine *Consules* dicerentur. Unde sequitur, fieri posse, ut in marmoribus Consules municipiorum occurrant: atque ita etiam Duumviri ab Auctoribus vocentur, non secus ac Justinus lib. 31. c. 2. Carthaginensium Suffetem Hannibalem *Consulem* appellat. Et certe Eruditissimus du Cange in Inf. 9. CCCCXXIX. 8. XC. 5. CCCCI. & 7. CCCCXXXVIII. putat se municipales Consules repperisse. In prima celebratur *primus, secundus, tertius Consulatus* L. Licinii Suræ; verum ego arbitror intelligi *Suram* illum, qui temporibus Nervæ & Trajani ter Consulatum Romæ gessit, uti testatur Cassiodorus in Chronicis aliique, quamcunque tandem ob causam is in marmore Barcinonensi memoretur: in altera quam Angliæ debemus occurrit CL. QUINTIANUS..... COS. ubi potuit excidisse PRO, ita ut fuerit proconsul. in tertia Hispana, SEXTUS ALLIUS MAMERCUS *Pontifex perpetuus Col. Astigitanæ, & Flamen Divorum Augustorum Consul.* in ultima, qui agri Comensis est, *L. Minicius Exoratus Flamen Divi Titi .... & Cos.* Quarum priores ut parum momenti ad rem probandam adferunt, ita ultimæ affirmare videntur, vera esse quæ modo ex Reinesio monui; & Duumviros interdum *Consules* dictos esse ab adulantibus, vel etiam a se ipsis. Nec abhorret a loquendi Romanorum ratione *Magistratus summus*: nam & *summi Ædiles* occurrunt apud Juv. Sat. 3.

Sufficiunt tunicæ summis Ædilibus albæ.

Qui num ita vocentur, quia ludos edebant, ut censent eruditi, an vero quia Duumvirorum loco erant, aliis dispiciendum relinquo. Certe Cic. 13. Ep. 12. ad Fam. testatur Arpini ædiles creari solitos summo cum imperio: *is enim*, ait, *magistratus in nostro municipio nec alius ullus creari solet*. Et talem puto fuisse C. Albutium Silum Novariensem, qui *ædilitate in patria fungens jus pro tribunali dixit*, apud Sueton. in Libro de Claris Rhetoribus, & eum, qui in lapide vetusto vocatur ÆDILIS DUUMVIRALI POTESTATE. Præterea ut in Inf. nostra occurrit *Summus Magistratus*, ita in 4. LXXIII. apud Gruterum *primus*.

FORTVNAE
AVG. SACR. ET. GEN
IO. CANABENSIVM
L. SILIVS. MAXIMVS
VET. LEG. I. AD
P. F. MAGISTRAS
PRIMVS. IN. CAN.
D. D.

ubi *Magistras* mihi positum videtur pro *Magistratus*: imo & *summus* in 10. XXXIII.

DEO
INVICTO
MITHRAE
C. LVCRETIVS. MNESTER
M. AEMILIVS. PHILETVS
SVM. MAG. ANNI. PRIMI
M. AEMILI. CHRYSANTI
D. S. D. D.

ubi tamen forte meliori jure *summus Magister* intelligitur, qui sacerdotibus annumerandus est & frequenter in Inscriptionibus occurrit, quanquam alibi etiam celebretur *Magister & Decurio Cæritanorum*. Sic *summus Imperator* apud Plautum Amph. *summus pontifex & summus hominum* apud Tacitum: SUMMUS SACERDOS AUG. in nummis Elagabali apud Illustrem Spanhemium & alios. Petrus apud Prudentium in præfat. lib. 2. contra Symmachum vocatur summus discipulus, eidemque Vulcanus 1. 308. dicitur summus faber Æoliæ, vel Ætnæ; & in Inf. 5 pag. CLX. Grut. occurrit SUMMUS SENATOR ALMÆ URBIS. Et denique *summus sacerdos*, id est Episcopus apud Tertullian. cap. 17. de Baptismo. Atque ita Flavius noster erit instar Archontis apud Athenienses, qui, quod notandum præcipue, non aliter appellatur a Trebellio Pollione in Gallienis: *Gallienus apud Athenas* Αρχων *erat, id est*, SUMMUS MAGISTRATUS, *vanitate illa qua & civis adscribi desiderabat, & sacris omnibus interesse*. Sic Ausonius Id. 10. v. 40. *Duumviros* appellare *summos proceres* non dubitat, quia scilicet primi erant in coloniis.

—— *Quos curia summos*
Municipum vidit proceres, propriumque Senatum.

Arbitror igitur Vithirmatem fuisse summum magistratum vel annuum, vel ad longius tempus in Batavis, Romanosque nomen, quod illi po-

testati proprium erat, quodque forte barbarum quid illorum auribus sonabat, per hæc verba expressisse. Quod Consul Romæ, id erat *Medixtuticus*, nisi quod unus esset, uti patet ex Liv. 24. 19. & 26. 6. qui non aliter eam vocem interpretatur: *Medixtuticus, qui* SUMMUS MAGISTRATUS *apud Campanos est, eo anno Seppius Lesius erat*: & mox: *Lesius querendo, desertam ac proditam a primoribus Capuam*, SUMMUM MAGISTRATUM *ultimus omnium Campanorum cepit*. Atque ad vim & auctoritatem *Suffetis* exprimendam non alia explicatione utitur idem 28. 37. *Ad colloquium Suffetes eorum, qui* SUMMUS *pœnis est* MAGISTRATUS, *cum quæstore elicuit*. Quin imo in Gallis, Batavorum vicinis, similia exempla habemus; Æduorumque *Vergobretum* iisdem verbis nobis interpretatur Julius Cæsar 1. 16. Belli Gall. *Convocatis eorum Principibus, quorum magnam copiam in castris habebat, in his Divitiaco & Lisco, qui* SUMMO MAGISTRATU *præerat (quem* VERGOBRETUM *appellant Ædui, qui creatur annus, & vitæ necisque in suos habet potestatem) graviter eos incusat*: & lib. 7. cap. 32. scribit apud Æduos, *singulos Magistratus* (ἕνα ἄρχοντα recte vertit Interpres Græcus) antiquitus creari atque regiam potestatem per annum obtinere consuesse; tunc vero duo Magistratum gerere, & se utrumque eorum legibus creatum esse dicere. Et hic finibus excedere non audebat, cap. 33. *Quod legibus Æduorum iis, qui summum Magistratum obtinerent, excedere finibus non liceret; ne quid de jure, aut legibus, eorum deminuisse videretur, ipse in Æduos proficisci statuit; Senatumque omnem & quos inter controversia esset, Decetiam ad se evocavit. Quum prope omnis* CIVITAS *eo convenisset, doceretur que, paucis clam vocatis, alio loco, alio tempore, atque oportuerit, fratrem a fratre renuntiatum: quum leges duos ex una familia, vivo utroque, non solum magistratus creari vetarent, sed etiam in senatu esse prohiberent; Cotum* MAGISTRATUM *deponere coegit; Convictolitanem, qui per sacerdotes, more civitatis, intermissis magistratibus, esset creatus,* POTESTATEM *obtinere jussit*. Quem locum integrum apposui, quia & alia de summo Æduorum Magistratu nos docet, & quia eundem absolute Cæsar *Magistratum* vocat; id quod etiam facit, c. 37. & lib. 6. cap. 20. Quin & virum ejusmodi dignitate præditum possis appellare *communem magistratum* cum eodem Cæsare c. 23. libri 6. de Germanis verba faciente: *Quum bellum civitas aut illatum defendit, aut infert, magistratus, qui ei bello præsint, ut vitæ necisque habeant potestatem deliguntur. In pace nullus* COMMUNIS *est* MAGISTRATUS; *sed Principes regionum atque pagorum in suis jus dicunt*. Hinc igitur facili apparet opera, quem honorem in Batavis gesserit Flavius Vithirmas; fuit nempe, si cum Æduis loqui placet, *Vergobretus*; fuit, si Carthaginiensium dialectus placet, *Suffes*; fuit, si Campanos audimus, *Metixtuticus Batavorum*; imo si & Græcos advocare fas est, possis eum ὕπαρχον Bataviæ vocare; quomodo Thucyd. l. 8. Thamum quendam appellat ὕπαρχον τῆς Ἰωνίας. Sed examine indignum non est, num Vithirmas magistratum illum gesserit belli, an vero pacis tempore. Germanos Batavorum vicinos non nisi bellis exortis *communem magistratum* habuisse Cæsar nos docet; & Æduos *summum* eumque annuum sibi imposuisse idem tradit. Caruovalda dux Batavorum memoratur Tac. 2. A. 11. eidemque alibi Julius Paullus & Claudius Civilis Batavi *regia stirpe* dicuntur oriundi. Quin & Straboni lib. 7. *Veromerum* βασιλῆ vel *Batavorum Regem* memorari, arbitratur illustris Grotius, cum tamen ille eum ἡγεμόνα vel *ducem* appellet; & Isaacus Vossius, raræ vir eruditionis, in Melæ lib. 3. cap. 5. putat sese repperisse *Regem Bætorum*, id est, *Batavorum*, & quidem tempore Q. Metelli Celeris, qui Consul fuit cum Afranio A. U. C. 693. ante quem ex prætura Galliam obtinuerat. *Reges* igitur, *Duces*, & *Summos Magistratus* Batavorum memorari vidimus; atque ut probatum est eruditis Reges ad instar Laconicorum Regum fuisse, nomine solo, revera optimatium tantum primos, ita dubium manet num illi perpetuam potestatem obtinuerint, numque etiam *Summus Magistratus* fuerit perpetuus; & num is belli tempore fuerit creatus tantum, ut *communis magistratus* apud Germanos. Ego ut facile suspicor Romanos eos, qui forte perpetui erant Batavorum Magistratus, & propterea auctoritate valebant, appellasse nota sibi voce *Reges*, licet regiæ potestatis tantum umbram haberent; ita etiam persuasus sum, *Summum Magistratum* vel in annum, vel in certum tantum tempus, Rempubl. Batavorum administrasse; nec eum creatum esse belli tempore, verum semper tam splendidam dignitatem gessisse aliquem & forte, ut apud Æduos, per integrum annum; quocunque demum nomine, sive *Gravii* forte vel *Grafionis*, quæ vox in legibus Salicis obvia *judicem* significat, Batavi eum vocarint. Et ita multa communia habebit Batavorum *Magistratus summus*, cum *Potestate* Frisiorum, quem primo annuum, inde perpetuum fuisse eorum annales vel certe eruditi produnt. Quicquid sit, illustre certe marmor nostrum monumentum est; indeque docemur circa Posthumi tempora, Batavos non regio imperio, non alienæ dominationi subditos fuisse; verum proprio paruisse Magistratui, sive annuo, ut verisimile est, sive perpetuo. Tandem in marmore occurrit V. S. L. M. qua scribendi & loquendi ratione nihil frequentius in marmoribus occurrit. Sed inter Litteras V. & S. majus spatium, quam inter reliquas relinquitur; & cum lapidem Amplissimus Voetius, qui singulari amore Antiquitatis studium prosequitur, & ego inspiceremus diligentius, videre nos putabamus vestigia litteræ P. ita ut hic Flavius *Votum publicum solverit libens merito*. Pro Republ. igitur sua hoc monumentum erexit; & inde haud obscure sequitur locum in quo hoc marmor inventum est, nisi aliunde eo advectum sit, celebrem fuisse religione & cultu vel Herculis, vel alterius numinis.

Prope Cliviam in loco, in quo Celsiss. Nassaviæ Princeps Mauritius monumentum sibi vivus fecit, sunt variæ Inscriptiones antiquæ apud Castra Vetera & in aliis agri Clivensis locis reperta; quæ quia inedita & rara admodum sunt, luce publica donare constitui.

DEAE
HLVDANIA
SACRVM
C. TVBBIVS.

Ultimæ vocis mediæ litteræ non satis distingui poterant; aliisque videbatur scribi debere TULLIUS. Ex secunda linea periit littera E. Sed quæ sit *Dea Hludania* juxta cum ignarissimis scio; observandum tamen hanc vocem ita scribi, ut *Hludovicus*, *Hlotarius*, & similia; eamque scribendi rationem antiquam esse ex hoc marmore patere (nisi illud ad eam ætatem referendum sit) idemque nomen totidem fere litteris exstare in Inscriptione veteri, quæ & hodie apud Noviomagenses servatur,

DIIS. MANIBVS
C. JVLIO. CLAV
PVDENTI LVIDONIA
VET. LEG. X. G. P. F.

quanquam litteræ nonnihil intricatæ sint. Subintelligitur autem, ut videtur *domo*, ita ut *pudens* ex loco, cui *Luidoniæ* nomen, sit oriundus, a quo etiam *Dea Hludonia* vel *Hludania* nomen accipere potuit.

DIS MANIBVS
M. VETTI. SATVR.
NINI. VET. LEG.
XXII. P. P. F. CIVI
TRAIANENSI. M.
ANTONIVS. HONO
RAT.

Hodie binæ priores tantum regulæ legi possunt; & conservationem hujus marmoris debemus Smetio, qui ectypum ejus olim a viro antiquarum rerum studioso accepit. *Legio secunda & vigesima* ad Rheni ripam vel in Germania inferiore castrametata est, uti ex aliis apud Gruterum marmoribus etiam patet; vocaturque illa *Pia Pollens felix*, uti has siglas P. P. F. eruditi antiquarii interpretantur; & in lapide Moguntiæ reperto pag. DXLV. Gruteri celebratur C. IVLIVS. CORNICVLARIVS LEG. XXII. P. P. F. nisi tamen cognominata vigesima secunda legio fuerit PRIMIGENIA PIA FELIX. Sane in Inf. 13. XXII. 3. LVIII. 5. XCIII. 8. DXIV. 3. DXIV. 4. DXLVI. quæ omnes prope Moguntiacum repertæ sunt, scribitur LEGIO PR. P. F. non autem additur *Severiana*, id quod putavit auctor Indicis magni istius operis. In laterculis Coloniæ Agrippinæ repertis occurrit LEG. XXII. PRI. & in marmore Romæ effosso, LEG. XXII. PRIMIG. P. F. quæ certe indubitata indicia sunt legionem eam non *piam, pollentem, sed primigeniam piam felicem* dictam esse. Verum eligat unusquisque quod sibi placet, ego monuisse satis habeo. In Inf. 7. p. DXXV. eadem legio memoratur; sed obscurum valde mihi equidem est CIVES CIVITATE ANCHEVVSANVS DIATR, nec non, MVCAPOR MVRALIS. Ortelius putat intelligi posse Hollandiæ urbem, quæ *Enkbusa* vocatur; id quod nequaquam est verisimile, quia urbis illius plurima mentio occurrit anno 1279. MVCAPOR, videtur esse nomen proprium militis, qui cum alio hoc monumentum erexit; exstatque idem in Actis Philippi Episcopi, qui martyrium obiit Adrianopoli apud Mabillonium, virum certe præclarissimum, & cui plurimum humanitatis studium debet, Tom. IV. Anal. *Tunc ipsius naturæ expers, atque humanitatis ignarus Mucapor ingreditur.* Sic *Mercor* est *Mercurius*; unde in Notis Tyronis & Senecæ pag. 197. legitur, *Die Mercoris*, id est Mercurii. CIVIS autem TRAIANENSIS ex Colonia Trajana fuit oriundus proculdubio, quam ad Rheni ripam haud procul Batavia sitam fuisse docuerunt satis multis Viri eruditi. Cæterum hæc eadem inscriptio exstat apud Lazium lib. 4. c. 5. Reip. R. legiturque ibi quidem commodius QUI VIXIT AN. XXXIII. sed reliqua similia sunt.

I. O. M
T. GRANIVS
VICTORI
NVS.
OPTIO. V. S. L.
M.

Graniorum nomen cognitum est in historia Romana, uti ex Cicerone, Appiano, Plutarcho, Tacito aliisque constat. In lapidibus etiam vetustis apud Gruterum & Reinesium idem occurrit frequenter, & quidem apud illum celebratur L. GRANIUS VICTOR, 3. CCCXXXIII.

HERCVLI. SAX
SANTO. SACRVM
C. SVLPICIVS. MA
TVRVS. 7. LEG. XXII
PREF. ET. COMMI
LITONES. LEG. EIV
SDEM. QVI. SVB
EO SVNT
V. S. L. M.

Qui ante me hanc inscriptionem descripserunt, variant nonnihil; ut, SAXSANO. MLEG, id est *miles legionis*, cum nota 7. significet centurionem vel centuriam in aliis lapidibus; reliqua ita formabant PR. F. F. II. COMMILITONI. S. II. C. EJVS. DEMO. VI. SVB. I. OPSVNI. Verum hæc nihili esse facile credet is, qui noverit, me summa fide marmora hæc descripsisse. Herculis autem *Saxantus*, vel *Saxsanus santus* sive *sanctus*, vel denique *Saxanus* vocatur; quod ultimum cognomen etiam occurrit in Inf. 3. p. XLIX. quæ Tiburi in Italia reperta fuit. Præstantissimusque Grævius putat interpretari debere SAXANO SANCTO: quia *Sanctus* est proprium epithetum Herculis uti vel ex Phædro patet: *Saxanum* autem eum vocari a Saxonibus, aut a loco quodam, qui appellatus fuit *Saxanum*, ut *Deusoniensis* a Deusone, additque mirum non esse si in provincialibus Inscriptionibus peccaverit quadrantarius, & pro *Sancto* sculpserit *Santo*, cum tales errores in municipalibus & provincialibus titulis non pauci occurrant.

MARCINVS. SVR
CONIS. F. BREVCVS
MIL. EX. COH. VIII.
BREVC. ANN. XXXV
STIP. XII. H. S. F.

Infra hanc inscriptionem cernitur crotalistria; quæ forte additus, ut exprimerent choreas, & oblectamenta, quibus eos, qui ad campos Elysios deducebantur, frui persuasum habebant; quemadmodum mox pluribus docebo. *Cohors* autem *octava Breucorum* etiam memoratur in Inf. 2. p. DLX. apud Gruterum: alibique *tertia, quarta, septima*, & non addito numero, *Breucorum* occurrit.

I. O. M
MARTIVS
VICTOR
SIG. LEG. XXX. V. V.
SEVERIANAE
ALEXANDRI
P. F. V. S. L. M
AGRICOLA. ET. CLE
MENTIANO. COS.

Ex Consulibus patet hanc inscriptionem positam esse A. U. C. 983. quo consules a Cuspiniano & Damaso papa suggeruntur, teste Onuphrio, *Agricola & Clementinus*, vel *Clemens*, uti vocatur in Fastis Græcis; qui proculdubio idem cum *Clementiano*, illudque nomen forte pro *Clementinus* substituendum est. Legio autem hæc multa cognomina habuit, & vocata fuit, *Valens, Vi-*

ctrix, *Severiana*, *Alexandrina*, *Pia*, *Felix*. Legio trigesima *Valens Victrix* cognominatur in Inf. 6. p. CCCXCIX. quanquam Reverendus & Antiquitatis sollers indagator Smetius primum V. explicet *Ulpia*, quod cognomen eidem legioni datur in Inf. 4. & 5. CCCCLXXXII. *Severiana Alexandrina* proculdubio dicitur ab Imperatore Alexandro Severo; a quo I. & II. etiam *Severiana*, 7. CLXIX. & VII. SEVARIANA ALEXANDRINA appellata fuit. Horumque epithetorum memoriam servari etiam in alio marmore, quod in Apotheosi edidi, quodque eodem in loco conservatur, & a me diligenter inspectum est, existimabat idem:

I. O. M. CONSER
VATORI. TERTI
NIVS. VITALIS
MIL. LEG. XXX. V. V. SA
LIB. PRAEF. PRO. SE
ET. SVIS. V. S. L. M
VI. KAL. MAIAS
LVPO. ET. MAXIMA. COS.

Putabat enim vir eruditus τὸ SA. distingui debere; & faciebat inde SEVER. ALEXANDRINAE. Verum in marmore ipso hæ litteræ absque illa distinctione (nisi quod injuria temporis in medio duarum litterarum SA, & quidem earum summa parte puncti instar, fuerit natum) cernuntur; conjiciebatque doctissimus Fabrettus in litteris ad me Roma datis, hunc Vitalem *Salibus præfectum fuisse*, & eo referebat SALINATORES CIVITATIS MENAPIORUM, qui in Inscript. 4. p. MCCXVI. occurrunt, quosque putat ministros fuisse. Miles igitur *Salibus præfectus* is forte est, qui curam habuit salis inter milites dividendi, cujus moris memoria servatur in l. 17. lib. 8. tit. 4. Cod Theodosiani: & *Salinatores* erant ministri præfecturæ salinariæ, vel qui apud Menapios & Morinos vectigali salis præerant; quod quia M. Livius introduxerat *Salinator* cognominatus est, uti præter alios testatur Livius lib. 29. c. 37. ubi obiter notandum male ex Plinii lib. 31. c. 7. notari Ancum Marcium primum salinarum vectigal instituisse, illudque fuisse explosum Regibus expulsis; nam nihil tale ibi reperitur, sed tantum, *Ancum Marcium regem salis modia sex millia in congiario dedisse populo, & salinas primum instituisse*. Et quanquam tempora non obstent, quo minus in marmore illo nominari possit *Legio Severiana Alexandrina*, quia Lupus & Maximus celebrati etiam 6. VIII. Grut. Coss. fuerunt Severo imperante A. U. C. 983. tamen altera explicatio præferenda videtur, quia τὸ LIB. commode non potest exponi, nec sequitur vox alia, cui *præfectus* jungi possit; nisi quis facere malit, *libertinorum*, vel *libertorum*, vel *liberorum* (quos tamen non puto hic locum habere posse,) vel *librariorum præfectum*. Nam legiones librarios habuisse, probatum eunt viri eruditi ex Inscript. 8. LXXX.

MINERVAE
TIB. IVLIVS
NOVIANVS
LIBR. LEG
POSVIT.

nisi forte LEG. exponi debeat *Legati*: & de ejusmodi *librariis* videri potest Reines. Clas. 8. Ins. 44. in qua ejus ex sententia celebratur *librarius manipularis*. In altera inscriptione VITALIS nomen proprium est; exstatque idem in Inf. 18. p. DXV. quam illustrare paucis conabor. In opere figulino quod inscribitur LEG. XXX. & infra VIT. ALIS. F. *legionis trigesimæ* cognomen latere videtur arbitrari illustris Indicum auctor: sed apud Hadr. Junium & Scriverium nulla cernitur distinctio, & proculdubio VITALIS est nomen artificis qui opera figulina fecit. Solitos enim fuisse figulos nomina sua inscribere vasibus, lagenis, patellis, docet multis exemplis Reverendus Smetius in Antiquitatibus Noviomagensibus, cui etiam VITALIS inter eos artifices recensetur; quemque sequenti inscriptioni mutilæ restituendum censeo, V.... AL. OFF. id est *Vitalis officina*. Sed hac occasione facere non possum, quin illustrem lancem vel patinam, cui nomen itidem figuli inscriptum est. Luce eam publica donavit Octavius Falconerius, junxitque Romæ Antiquæ Famiani Nardini: TERT. D L. EX F. CAN. OP. DOLI. I. TIT. ET. GALL. COS. Titianus & Gallicanus Coss. fuerunt A. U C. 880 imperante Adriano: reliqua vir eruditus exponit: *Tertullus Decii libertus ex figulina Canonis operis doliaris*, vel *operum doliarium prima*, putatque, cum τὸ *Canon* significet certum tributum, quod quotannis Imperatori dabatur, tempore Adriani fuisse quendam populum vel oppidum, cujus erat munus tributi nomine illi dare seu pendere vasa figulina, & quod habebat Romæ plures, quarum hæc prima fuit, officinas figulinarias majoris commodi & minoris damni causa. Verum mihi hæc interpretatio longe nimis petita videtur, nec illi refellendæ immorabor. Monebo tantum in litteris CAN. latere nomen artificis, vel *Canii*, vel *Caninii*, vel *Canuleii*, vel *Canusii*, vel *Cantilii* vel alterius: unumque artificem plures possedisse figulinas, ut *Canium*, vel quocumque nomine figulus hic vocatus fuit. Testatur id inscriptio apud Gruterum, ipsi viro doctissimo laudata:

EX. FIG. SEX. AT. SILV. F. VI.

id est *Ex figulina Sexti Atilii Silvani* vel *Silvii Filii sexta*: erantque hi homines lautioris conditionis, ut puto, nec tam opus ipsi faciebant, quam sumptus præbebant & alios adhibebant qui operis præessent; qualis in Canii figulina prima proculdubio, fuit *Tertullus*, nisi alio nomine fuerit *Decimi libertus*. Quin & CANONIS nomen retineri potest; sed erit proprium, non secus ac in Inscriptione, quam Aris ignotorum Deorum inseruit præclarus Sponius;

HERMA DE SVO DAT
GENIO CANONIS ATTALI LIBERTI
GENIO PASICLENIS ATTALI SERVI.

Norma vel mensura hic locum habere nequeunt; & homo, quem Attalus libertate donavit, *Canon* appellatus fuit.

I. O. M. JVNONI. REGINAE
MINERVAE. T. QVARTINI
VS. SATVRNALIS. SIGNI
FER. LEG. XXX. V. V. PRO. SE
ET. SVIS. V. S. L. M.
IMP. D. N. GORDIANO. ET. AVIOLA
COS. KAL. JVL.

Hi Consules fuerunt A. U. C. 992. nihilque in lapide notatu occurrit dignum, nisi quod Juno appelletur *Regina*: quod cognomen aliis etiam numinibus datum est: FORTVNA, ISIS, JVNO LVCINA vocantur *Reginæ* in Inf. 7. 8. LXXVII. 12 13. LXXXIII. 8. XXV. Περσεφόνη Βασιλὶς in lapide apud Gualtherum pag. IX. atque apud Teren-

tinos eodem nomine Venus culta fuit, teste Hesychio in v. Βασιλίνδα, Et ut Juno *Regina* ita Jupiter etiam *Rex* Romanis & Βασιλεὺς Græcis appellatus est; uti constat ex Inf. 3. MLXV. & Pausaniæ lib. nono, aliisque: neque aliter ille vocatur in carmine Empedoclis apud Porphyr. lib. 2. de Abstinent. ubi & Venus vel Κυπρις βασίλεια celebratur. Æsculapius βασιλεὺς in lapide apud Sponium Sect. 14. Miscellan. & Falconerium, Viros doctissimos occurrit: & Mercurio REGIS nomen aptari posse in Inscriptione apud Noviomagenses reperta memini me monuisse. Oservatione etiam est dignum inprimis deos deasve sæpe *Reges* vel *Reginas* nominari locorum, in quibus præcipue colebantur, & ipsa loca, eorum earumve *regna*. Venus dicitur Æliano lib. 3. cap 42. Κύπρου βασιλὶς; *Regina Gnidi Paphique* Horat. 1. 30. *& Regina, quæ tenet Cyprum & Memphin*, 3. 26. idemque Fortunam *regere Antium* canit 1. 35. Pindaro Olymp. Od. XIV. Charites appellantur βασίλειαι Ορχομενȣ: & Nympha, non autem Diana, REGINA VNDARVM Inf. 8. p. XXXIX. quæ forte ita suppleri potest;

DAT tIBI MARMOREO CAESAM DE MONTE DIANam,
REGINA VNDARVM NYMPHA, DECVS NEMORVM
VoTO DAMNASTI PERFECTA QVEM PRECE BASSVS

id est Bassus tibi Nympha Regina undarum, dat dedicat Dianæ, decoris nemorum, statuam. *Regna Maricæ, & Regna Dianæ* leguntur apud Lucanum lib. 2. v. 424. & lib. 3. v. 87. pro Minturnensium agro, & sylva Aricina, in quibus Marica & Diana colebantur: & loca talia vel urbes diis *parere* dicuntur; Petronius de Priapo,

—— —— inclita paret
Cui Lesbos, viridisque Thasos ——

Apud Apollon. præterea Rhodium, 4. Argon v. 917. Venus μεδέȣσα Ε'ρυκος; Jupiter μεδέων Δωδώνης, in Fragmentis Stephani & Apollo ανάσσων Δηλȣ apud Pindarum Pythiarum od. 1. occurrunt; quippe qui in locis illis magna religione colebatur Hercules. Quinimo Homero Il. α. v. 38. Γ. v. 279. H. v. 202. Jupiter dicitur Α'ναξ Δωδωναῖος; eodemque nomine etiam honorantur alii dii, ut Æsculapius Inf. IV. pag. MLXXIII. Mercurius Il. B. 102. Neptunus Κρώμνης ἄναξ Lycophroni, quia Cromnæ, urbs est Paphlagoniæ, colebatur Hercules, Castor, Pollux, & Apollo, quorum hunc præcipue absolute ita vocari docet Illustris Spanhemius ad Julianum; quique ἄναξ etiam appellatur apud Heraclidem Ponticum in Republ. Pariorum, non addito, vel *Apollinis* vel *Phœbi* nomine. Nec minus frequenter Α'νακτες dicuntur Castor & Pollux, imo si veteres audimus, primi illa appellatione digni visi sunt. Eustath. ad Il. α. p. 21. Σημείωσαι δὲ ὅτι ΑΝΑΚΤΑΣ ἐκάλȣν τȣ̀ς βασιλεῖς οἱ παλαιοὶ διὰ τὸ ἀνακῶς, ἤγων ἐπιμελῶς ἔχειν τῶν ὑποτεταγμένων. Λέγοντες ὡς καὶ Πλȣ́ταρχος, ὅτι πρῶτον οἱ Διόσκȣροι ȣ̓́τως ἐπεκλήθησαν ὡς τῶν πλεόντων ἐπιμελȣ́μενοι δῆλον ȣ̓͂ν ὅτι θεῖα τις λέξις ΤΟ ΑΝΑΞ. διὸ καὶ ἐπὶ ὑπεροχῆς κεῖται. οἷον ἐπὶ βασιλέων καὶ τȣ̃το οἱ παλαιοὶ λέγȣσι: *Observa veteres Reges* Α'νακτας *vocasse, quia curam gerebant ipsis subjectorum; dicentes, id quod etiam Plutarchus facit, Castorem & Pollucem ita primum vocatos, quia navigantium curam habebant. Constat enim divinam esse vocem* Α'ναξ, *unde & de potestate usurpatur, ut Regibus & patribusfamiliarum, quemadmodum etiam veteres testantur*. Qui locus vel ideo notandus est, quia nos docet in genere eos Α'νακτες dictos esse, qui aliis erant impositi, eorumque curam gerebant. Et certe ita vox hæc usurpatur Homero Odys. α. v. 397. δ. 87. 1. 440. & 452. Viderique potest Eustathius insuper pag. 199. 345. 947. 1425. 1485. & denique Tanaquillus Faber, præstanti vir ingenio, ab Fabulas Phædri. Observandum autem inprimis Eustathium uno narrare loco in Cypro insula *Magistratus fuisse* Α'νακτες dictos, *ad quos auscultatores quotidie, quæ audivissent, referebant*, cum quibus nihil commune videntur habuisse filii & fratres Regis, quos ita etiam nominatos esse prodiderunt veteres. Et tandem Dii Α'νακτες dicuntur artium, quibus præesse putabantur, uti Apollo apud Aristidem Tom. 1. pag. 482. φορμίγγων ἄναξ *rex cithararum*; & Vulcanus in nummo rarissimo, quem illustravit nobilissimus Spanhemius, REG. ARTIS, quem & *regnare caminis* canit Prudentius 1. contra Symm. 307.

Nec non regnare caminis
Fertur, & Æoliæ summus faber esse, vel Ætnæ.

Sic in appendice Martyrolog. Adonis memoratur *primicerius scholæ candidatorum*: & Proc. lib. 3. Gotthicorum scribit, *Asbadum fuisse Justiniani satellitem, mox adscriptum iis militibus, qui candidati dicuntur, & denique turmarum præfectum*: illisque addantur auctores Meursio laudati in Glossario.

IN H. D. D. PRO
SALVTE. IMP. SEVERI
ALEXANDRI. AVG. DEO
APOLLINI. DYSEROLVS
OLO DE MILITES. LEG.
XXX. V. V. P. F. SVB CVRA
AGENT. T. F. APRI. COM
MODIANI. LEG. AVG. P. P. Ǝ
CANVTI. MODESTI. LEG.
LEG. SEPT. MVCATRA
IMAG. ET. SEPT. GALLVS
ET. SEPT. MVCATRA. ET
SEPT. DEOSPOR. ET. SEPT.
SAMNVS. Ǝ. SEPT. MVCATRA
CANTIDATI. V. S. L. ME
MAXIMO. ET. AELIANO. COS.

In linea quinta, alii legebant OIODE: & posita est inscriptio A. V. C. 976. anno secundo principatus Severi Alexandri quo Maximus & Ælianus Consules fuerunt. Litteræ IN. H. D. D. exponi debent *In honorem Domus Divinæ*; quæ loquendi forma integra exstat in Inf. 1. XCII. uti notatum est eruditis; & per *domum divinam* nulla mihi alia, quam Imperatoris, vel ejus familia intelligenda videtur. Sed duplex D. D. facit, ut nonnulla adjicere debeam, quibus illud in aliis Inscriptionibus obvium elucidari possit. *Jovem Domesticum in lapide* apud Noviomagenses reperto alibi explicavi, docuique majores etiam deos Larum loco habitos fuisse; quod argumentum perpulchre tractavit nuper singularis vir eruditionis; idemque arbitratur & *Jovem Domesticum* sese reppérisse in hac inscriptione

ETEITIVS
ALYPVS
IOVI. D. D.

cum tamen potius vulgato more interpretari duplex D. debere existimem, id est DONO DEDIT. Meliori jure idem initium Inscriptionis Severo positæ, I. O. M. D. explicat *Domestico*: & si hic verus sensus est, *Jovem* etiam *Domesticum* inveniemus in 5. 7. XII. 17. XIII. & 10. XXXVIII. Certe

aliorum *dedicatum* locum habere vix poteſt; & vel *Domeſticus* præferendum eſt, vel aliud quid excogitandum, quod æque bene conveniat. Poſſet certe explicari *Deo*; quomodo *Æſculapius Deus*, *Apollo Deus Sanctus pacifer*, *Hercules Deus Invictus*, *Liber Deus*, *Mercurius Deus* occurrunt; poſſet *Domino*, qui titulus Æſculapio, Marti, Solique datur: poſſet denique *Dolicheno*, vel *Depulſori*, quomodo in Inſcript. vocatur Jupiter: ſed ut nihil certi definio, multo minus viri pereruditi ſententiam improbo, ita tamen *deos domeſticos* non agnoſco in hac Inſcript.

VENERI ET
FORTVN. PRIM
SACR
L. CALVIVS. L. F. PAL
VARIVS
AR. ET. CVPIPIDINES. II
D. D.
L. D. D. D.

Nam priores litteræ D. D. ita mihi explicari videntur poſſe difficulter; & ſi illa menſis auctoris, proculdubio illas junxiſſet Veneri & Fortunæ primigeniæ, quarum hæc BONA DOMESTICA dicitur in Inſ. 5. pag. LXXIIII. unde arbitror hæc ſignificare *Dono dedit*. *Locus datus decreto decurionum*; quæ loquendi formulæ in aliis lapidibus occurrunt, & vix aliter exponi poſſunt. Septimius Mucatra proculdubio fuit *Imaginifer* ejuſdem legionis; & reliqui, qui eum ſequuntur, *Candidati*, qui milites fuere, uti docuere Gutherius in libro *De officiis Domus Auguſtæ*; Bulengerus in *Imperio Romano*, & Valeſius ad Ammianum Marcellinum; quorum tamen illi non ſatis diſtincte de Candidatis agunt. *Aper* Tullenſis Epiſcopus memoratur Adoni p. 157. Martyrolog. & Porphyrius lib. 4. de Abſtin. ſcribit Latinos ſua dialecto nonnullos vocare Ἄπρους, καὶ σκώπρους, λασύρους τε καὶ μερύλας; qui locus quamvis obſcurus ſit, docet is tamen Romanorum aliquos cognominatos fuiſſe *Apros*, & *Merulas*: id quod etiam certiſſimum eſt. Quis tandem fuerit *Aper Commodianus*, & an apud alium ejus mentio fiat auctorem, ignotum mihi equidem eſt. Animalium nomina autem hominibus data eſſe ex innumeris exemplis conſtat. Sic *Aper* vocatus fuit is, qui Numerianum Imperatorem occidit; & *Bos* eſt nomen ſervi apud Baluzium, eruditionis præſtantis virum Tom. 2. Miſcell. pag. 95. Prophyrius lib. IV. de Aſtinentia, tradit dari animarum tranſmigrationem, inde in Mithræ ſacris homines animalium nominibus appellari ſolere, & μύστας vocari *leones*, *fœminas* ὑαίνας (*leænas* vertunt) & *miniſtros* corvos: & patrum memoria, id eſt antiquioribus temporibus, eundem morem obtinuiſſe, & nonnullos dictos eſſe ἀετοὺς, alios ἱέρακες; quod ultimum proprie hujus loci eſt. Quin & hoc ad deos translatum eſt, & idem Porphyrius lib. 3. ſcribit Hecatem appellatam *nominibus tauri*, *canis leænæ* μᾶλλον ὑπακούειν, *melius exaudire*. Quin & alio ejuſdem libri loco ſcribit, diis etiam nomina animalium indita, & Dianam dictam fuiſſe *lupam*, Solem *taurum*, *leonem*, *accipitrem*; Hecatem *equum*, *taurum*, *leænam*, *canem*: quibus adde ea, quæ ſequuntur. Ut autem hominibus animalium, ita animalibus hominum nomina data ſunt: Ælian. lib. 10. de Animal. cap. 41. memoriæ mandat Eupolim poetam Comicum ab Augeo Eleuſinio dono accepiſſe canem Moloſſum, & eum canem *Augeam* appellaſſe. Sed hæc omnia longiorem diſſertationem ſibi deſiderant; & ſumma rerum capita hic puto ſufficere.

Apud illuſtrem Witzium exſtat ex oriente allatum monumentum ſepulchrale marmoreum, quod pancarpio, binis avibus, & capitibus bubulis, nec non inſcriptione veteri eſt ornatum; cujus ectypum, licet inſcriptio nihil ſingulare contineat, communicare cum Antiquariæ rei ſtudioſis volui.



In hoc præterea monumento recondebatur urnula lachrymalis, binæ ollæ, repletæ cineribus, quibus ſane conditæ videntur reliquiæ viri & uxoris. Adjicere etiam placet, quæ illuſtris Witzius ad me miſit, ad marmor hoc illuſtrandum. Propter brevitatem igitur credit Inſcr. antiquam valde, & hunc D. *Haterium Famulum* libertum eſſe D. Haterii Agrippæ, qui tribunus Pl. fuit Tiberii tempore, teſte Tac. I. A. 77. Germanici propinquus, 2. A. 51. Conſul cum C. Sulpicio, 3. A. 52. filius Quinti Haterii, quia in Indice Conſulum Dionis lib. 57. vocatur Δέκιμος Α'τέρος Κ. ὑὸς Α'γρίππας; Quintum Haterium fuiſſe conſularem, teſte Tac. 2 A. 33. familia Senatoria, eloquentiæ quoad vixit celebratæ, 4. A. 61. indeque patere hunc illum oratorem vel Rhetorem eſſe, quem Euſeb. Num. 2040. appellat Q. Haterium promptum & popularem Oratorem, qui uſque ad nonageſimum prope annum in ſummo honore conſenuit, & cui, narrante Seneca præfat. lib. 4. Controv. tanta erat velocitas orationis, ut vitium fieret. Itaque Divus Auguſtus optim dixit: Haterius noſter ſufflaminandus eſt: nepotem hujus Haterii, filium Decimi Haterii exiſtimari Quintum Haterium Antoninum Cos. A. V. 806. teſtibus Tac. 13. A. 14. & Onuphrio: memorari etiam 9. A. 12. Titum Haterium equitem Romanum; & Haterium Rufum Val. Max. 9. 12. Sæpe adhæc aſpirationem omitti, & apud Plin. 35. 4. occurrere *Aterium Julium*; Appianum inter proſcriptos recenſere *Aterium* quendam; eodemque nomine pleroſque appellare collegam Sp. Tarpeii apud Liv. lib. 3. cap. 3. quanquam Sigonius *Alterius* præferat, Pighius in Annalibus *Æternius*, & Dionyſ. Hal. l. 10. cap 2. ſcribatur τερμένιος: ſe ſuſpicari variare ita codices, quia nomen hoc non ubique obvium, & inde ſuſpicari veram lecturam eſſe *Aternius*, quam Chifletianus codex præfert; deduci nomen illud debere ab *Aterno* Italiæ oppido; cujus Liv. l. 24. cap. 47. meminit, & ſimiliter *Gabinium* a Gabiis, *Tarquinium* a Tarquiniis, & *Pompejum* a Pompeiis derivari. Noſtrum hominem illuſtris familiæ libertum eſſe, & quidem Decimi Haterii Agrippæ, quia liberti prænomen & nomen patronorum aſſumebant, illiſque poſtponebant, nomen proprium, quod fuit *Famulus*, quodque ſimul indicabat priſtinam conditionem: ita *Ianitorem* cognomen eſſe apud Ciceron. Act. 1. in Verr. c. 15. & *Heredem* (hoc minus quadrare videtur) apud eundem lib. 9. Fam. cap. 13. Famuli tandem uxorem abſque dubio eſſe vilioris proſapiæ Italiæ, in qua multa ejuſdem generis gentilitia erant nomina, ut *Florentius*, *Volventius*, *Venantius*, *Superantius*, & alia. Hucuſque ille. *Hateriæ*, & *Haterii*, vel *Aterii*, atque *Ateriæ* varii occurrunt in Inſcription. apud Gruterum & Reineſium; qui poſſunt conſuli. Ornatur autem ſepulchrum *encarpo*, uti vocat Vitruv. lib. 4. c. 1. quam vocem ita „ declarat Philander: Encarpus Græcis fructuo- „ ſum ſignificat, hoc loco ornamentum eſt, hoc „ eſt florum frondumque & pomorum implexus „ atque contextus, coronario luxu, foliis flores „ & fructus intercurſantibus, cujuſmodi ſunt quæ „ ſerta & corollas triumphales noſtri vocant: „ Itali Ghirlandos, & feſtones a feſtivitate appel- „ lant. Et hujuſmodi *encarpos*, quos in columnis antiquis & operibus ad ornamentum ſculpere ſolebant etiam παγκαρπῶς vocabant docente Salmaſio ad Hiſtor. Auguſtam. Feſtus, *Pancarpiæ dicuntur coronæ ex vario genere florum factæ*. Epicharmo apud Fulgentium lib. 3. Mythol. παγγάρπιος ϛέφανος ſi modo ita ſcribendum, vocatur, poma autem vel fructus petunt binæ aves, quas neſcio an *Cornices* facere audeam. Certe *Cornices* deſignant amorem conjugalem; & videri poſſent monumento inſculptæ eſſe, ut hoc ſymbolo concordiam mutuam teſtarentur Haterius & Pollentia: Horus Apollo cap. 8. lib. 1. *Aliter quoque Martem & Venerem pingentes duas pingunt Cornices* (Latina tantum appono) *quoniam animal hoc gemina ſolet ova parere, ex quibus mas & fœmina gignantur. Ubi vero, quod raro tamen accidit, vel duo maſcula vel duo fœminea ova peperit, mares fœminis connubio juncti nunquam ad alteram divertunt cornicem, ac ne ipſa quidem fœmina, quoad vivit, ad alterum marem: ſed disjuncti ſoli deinceps ſemper degunt. Unde & cum uni cornici occurrerent homines, augurantur præſagium ſibi hoc eſſe viduæ vitæ, quod ſcilicet animali viduam agenti vitam obvii facti fuerint. Proinde in hunc uſque diem, Græci ob tantam harum avium concordiam, in nuptiis ignorantes verbum illud uſurpare ſolent* ἐκκορὶ, *nimirum* κορὶ *cornicem appellantes*. Et mox addit duas etiam cornices pictas eſſe, quando Γάμον *nuptias* ſignificare volebant. Similia tradit Ælianus lib. 3. cap 9. de Animal. uti obſervat Hæſchelius; memoriæque mandat Cornices ἀλλήλαις eſſe πιϛοτάτας, ſi altera moriatur, alteram viduam permanere, & in nuptiis olim veteres poſt hymenæum τὴν κορώνην vocaſſe, concordiæ ſignum iis dantes, qui liberorum quærendorum gratia conveniſſent: quo pertinent etiam, quæ Horapollo lib. 2. c. 40. narrat, quæ ab ipſo peti poſſunt.

In pago Inferioris Bataviæ, vulgo Nederbetuwe, cui nomen Doyeweert, viſitur inſcriptio vetus & elegans, ſummæ turri inſerta; quæ licet temporis injuria detrimentum aliquod paſſa ſit, tamen ab iis, qui ſcalis eo aſcenderunt, legi fere potuit. Jacet vir juſtæ ſtaturæ in lecto tricliniari, ſtragulis uſque ad umbilicum tectus, brachium ſiniſtrum columnæ, & manus dextra genu dextro incumbit; ad pedes ſtat homo vel pallio vel alia veſte indutus, manibus ſibi invicem impoſitis; adpoſita eſt, ut videtur, tabula, linteis dependentibus, reliqua autem non ſatis cognoſci potuerant: ſupra virum jacentem bini leones, inque eorum medio Triton cernitur: & talis tandem additur inſcriptio:

M. TRAIAN. IV.
GVM. ATTIVS. GAI
SIONIS. F. VET. ALAE
AFROR. T. P. I.

Quid ſibi velit IVGVM. ATTIVS, & num ita clare in marmore ſculptum ſit, juxta cum ignariſſimis ſcio: ſuſpicabar nonnunquam IVGVMATTIVS jungi debere, & deſignari ea voce locum, Africæ forſan, unde *Marcus Trajanus*, vel *Trajanus*, *Gaiſionis filius veteranus alæ Afrorum*, qui hoc monumentum ſibi *teſtamento poni juſſit*, erat oriundus.

Et ut hic *Afrorum*, ita in Inſ. 7. CCCCLXXVIII. *Getulorum ala* occurrit; & 9. CCCCLIX. *cobors prima Afrorum Civium Romanorum Equitata*, uti ſiglas exponendas cenſeo ex 5. MCVIII. Ex iis ut & aliis marmoribus patet gentem illam extra natale ſolum in Romanorum caſtris militaſſe, & proinde mirum nequaquam eſſe hominis in Africa geniti monumentum apud Batavos exſtare. VETERANI ALAE laudantur in 9. XXXVI. 2. DXXVII. 8. DXLI. TRAIANIVS NVNDINIVS, 13. XXIX. quanquam nihil repugnem, ſi quis TRAIANVS facere velit. Neque tamen putandum eſt Imperatorem in lecto tricliniari jacere; quia proculdubio voluerunt Marcum Garſionis filium repreſentare, quem luget figura adſtans, & qui more uſitato ſculptus eſt genialiter vel genio indulgens, & in lecto tricliniari accumbens

Persuasum enim habebant defunctorum animas in campis Elysiis choreas atque epulas agitare. Virgilius lib. 6. Æn. hæc omnia eleganter describit, & inter cætera canit;

Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Et mox

Conspicit ecce alios dextra lævaque per herbam
Vescentes, lætumque choro pœana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.

Lucianus multus est lib. 2. *Var. Historiarum* in describenda hac superstitione; fingitque in beatorum insula esse civitatem auream, murum e smaragdo habentem, portas septem esse ex cynamomo μονοξύλους, pavimentum ex ebore; balnea ex vitro: adhæc semper ibi ver esse, loca floribus omnia & mansuetis plantis plena, vineas singulis mensibus uvas ferre, fontes cerni aquæ, mellis, lactis, vini, conviviumque celebrari extra civitatem in τῷ Ηλυσίῳ καλουμένῳ; pratum hoc pulcherrimum esse, & nemore umbram faciente cingi, ventos cuncta afferre præter vinum, quo pocula in mensa posita statim replentur; nubes spargere unguentum, & denique musicæ eos operam dare, aliaque similia figmenta, quæ ab eo peti possunt. Valerius quoque Flaccus lib. 1. extremo canit in campis Elysiis esse *thiasosque chorosque virorum*. Tibullus non aliter campos Elysios describit lib. 1. Eleg. 13.

Sed me, quod facilis tenero sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.

Facit idem Virgilius lib. 6. Æn. v. 656.

Conspicit ecce alios dextra lævaque per herbas
Vescentes, lætumque choro pæana canentes
Inter odoratum lauri nemus ——

& paulo ante:

Largior hic campos æther, & lumine vestit
Purpureo, Solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Musæus quoque & filius ejus apud Platonem lib. 2. de Republ. scribunt *justos apud inferos agere, & συμπόσιον τῶν ὁσίων κατασκευάσαντας, coronatos omne tempus traducere ebrios, existimantes κάλλιστον ἀρετῆς μισθὸν μέθην αἰώνιον*. Hanc beatorum conditionem ut exprimerent, vel ut testarentur credere sese mortuum in campis Elysiis agere, eos accumbentes sculpserunt in marmoribus vel monumentis quæ ipsorum memoriæ ponebantur; uti ex lapide nostro patet, nec non 3. & 4. pag. DCCCXLIII. apud Gruterum aliisque apud Jacobum Sponium. Nec aliam ob causam forte crotalistria cernitur in lapide Clivensi quem supra laudavi. Figura adstans luget Marcum defunctum, & eam ob causam manum unam alteri impositam habet: quod mœstitiæ signum esse patet ex captivis barbarorum statuis, in monumentis, quæ Romæ exstant, obviis. Num autem *leones* & *triton* additi sint ornatus solius causa an vero aliquid significent, mihi equidem latet. Leonibus certe Africa abundat, & indicant forte hominem hunc ex Africa oriundum esse: sed num eo referri *Triton* possit, valde dubito: Monstrum hoc (quod elegantissime Tzetzes ad Lycophronem vocat ἰχθυοκένταυρον) etiam cernitur in Syracusanorum nummis apud Goltzium; quia scilicet Sicilia mari circumflua, & Syracusæ illi adjacebant. Nihil huc pertinere arbitror *Tritonem* fluvium, & *Tritonida paludem* Africæ, a quo Pallas *Tritonia* est nominata: sed tamen hoc singulari observatione dignum, *Tritonem* a Carthaginiensibus ut Deum fuisse cultum. Nam fœdus, quod fecerunt Hannibal & Xenophon legatus Philippi Regis Macedoniæ apud Polyb. lib. 7. *ictum est* ἐναντίον Διός, ...*coram Jove & Junone atque Apolline:* ἐναντίον δαίμονος Καρχηδονίων, *& Hercule & Jolao;* ἐναντίον Ἄρεως τρίτωνος, *coram Marte, Tritone, Neptuno: coram diis expeditionis comitibus, Sole etiam Luna ac Tellure: coram fluviis, pratis, Aquis; coram omnibus diis, qui Carthaginem imperio tenent*. Et observandum obiter Lycophronem Neptunum etiam & Nilum τρίτωνα, atque cetum τρίτωνος κύνα, id est *Neptuni canem*, vocare: ad quem videantur Scholia. Et fuit etiam in Lybia Tritonis templum, jam Argonautarum tempore celebre, si fides habenda Herodoto lib. 4. cap. 179. *Eique hæsitanti de egressu* (Latina tantum appono.) *apparuisse Tritonem, ac jussisse dari sibi tripodem, quod diceret ostensurum se illis exitum, atque remissurum incolumes. Adsentiente Jasone, ita demum Tritonem ostendisse, qua ratione e brevibus enavigarent, & tripodem in suo templo posuisse, in eoque tripode oraculum reddidisse, & iis qui cum Jasone erant, omnem rationem indicasse*.

Observandum tandem, quemadmodum argumentum ex voce *Triumphator* peto, Inscriptiones ultimas malæ notæ esse; ita & H. Dodwellum, virum doctissimum, suppositītiam esse arbitrari Trajani epistolam, quia ipse νικητὴς & τροπαιοῦχος (id est *victor* & *triumphator* pro forma Latinorum scriptorum) & θειότατος vocatur; & inde concludit omnia hæc recentiorem fictoris ætatem plane sapere, & Constantinopolitanorum Impp. stylum, pag. 245. Dissert. Cyprianicarum.

In Noviomagensium curia variæ exstant Inscriptiones, quæ partim a Grutero, partim a Joh. Smetio editæ sunt: Sequentes tamen luce necdum donatæ sunt publica.


I. O. M.
ET. GENIO
LOCI
C. CANDIDINIVS
SANCTVS. SIGN
LEG. XXX. V. V.
PRO. SE. ET. SVIS
L. M.
MATERNO ET. ATTICO COS
I. O. M
M. SABINIVS
CANDIDVS
V. S. L. M.

Ab altera vero ejusdem lapidis parte

I. O. M.
M. V. H.
V. S. LL. M.

Effossus

Effossus est prior lapis A. Christi MDCLV. alter vero ann. MDCLXIX. nihilque iis notatu dignum continetur, præter *Maternum & Atticum Consules*. A. V. C. 938. Coss. fuerunt *Maternus & Bradua*, qui etiam memorantur in Inscr. 13. p. CXCII. apud Gruterum: videturque *Atticus* unus ex XXV. Consulibus suffectis fuisse, quos Cleandrum hoc anno fecisse ex Dione observavit Onuphrius. GENIVS autem LOCI est deus localis, topicus ἐγχώριος, præses loci, vel quo alio nomine illi fuere dicti. Nam omnibus rebus gentiles deos peculiares imponebant, uti vel constat ex Prudentio; & ex his Servii verbis ad 1. G. 302. *Genium autem dicebant antiqui, naturalem deum uniuscujusque loci, vel rei, vel hominis*. Multa monuere hanc in rem eruditione præstantes viri, sed tamen videntur spicilegium reliquisse. Julianus Imper. apud A. Marcell. l. 25. 2. vidit per quietem *speciem Genii publici, quam cum ad Augustum surgeret culmen conspexit in Galliis, velata cum capite cornucopia per aulæa tristius discedentem*. In urbibus *Geniis* templa erigebantur; ut Romæ, Antiochiæ & Alexandriæ, testibus Dione lib. L. Amm. Marc. 23. 1. & 22. 11. Estque elegans Gallieni nummus apud Tristan. Tom. 3. in quo scribitur, GENIVS POPVLI ROMANI INT. VRB. quod non incommode explicatur, *intrans* vel *intravit urbem*, ita ut percussus sit cum Gallienus urbem intraret Byzantio redux, convocatisque patribus decennia celebraret novo genere ludorum, nova specie pomparum, exquisito genere voluptatum, uti apud Trebell. Pollionem legere licet. *Genios civitatum* memorat Arnob. lib. 1. GENIVS. LVGDVNI occurrit in Albini, GENIVS SENATVS in Albini apud Vaillantium, & BONVS GENIVS PII IMPERATORIS in Maximini nummis apud Morellium, antiquaria in re ambo versatissimos viros. Quin & ipsis diis GENII adsignati fuerunt. Nam Plutarchus *in De Orac. Defectu*, narrat *genios vim honoremque & nomen habere a deo cui* ἕκαστος συντέτακται *singuli adjuncti sunt*: & Martianus Capella lib. 2. unicuique superiorum deorum singulos quosque genios deservire; & ex illorum arbitrio comitatuque generalem omnium præsulem, & specialem singulis mortalibus genium admoveri. Inde in Inscriptionibus celebratur GENIVS PLVTONIS; LARVM, NVMINIS FONTIS, SOMNI, & MARTIS apud Gruterum & Reinesium: Martianus Capella lib. 1. conservavit nobis *Genium Junonis Hospitæ*, vel ut Grotius scribendum censet, *Sospitæ*; & *Genium Jovialem* Arnobius lib. 3. adv. Gentes. Asciburgii, quod in ripa Rheni situm fuit, teste Tacito in Germania, quodque hodie idem nomen obtinet, inventa est inscriptio sequens, quam mecum communicavit Illustriss. Baro Kinsky, comitatus Meursensis præfectus. Quid sibi velint litteræ S D E B. S. DAS, quæ nomen Tiberii Julii Caretis filii sequuntur, obscurum certe admodum est: maloque fateri me hæc ignorare, quam incertis conjecturis abuti. Faciebat inde aliquis *Sideribus*; sed num hoc explicari commode possit, aliis judicandum relinquo. Hic autem homo fuit *domo Turonius* vel *Turonensis*, & *Missicius ex coborte Silaucienst quarta*. Missicium militem esse veteranum, vel eum, qui honesta missione missus, accipiebat veteranorum privilegia, docet apud eruditissimum Sponium in Miscellaneis Franc. Graverolius vir doctrinæ haud vulgaris.



Et licet suspicari possit aliquis huc non pertinere *missicium ex testamento*, cujus exstat mentio in hoc lapide:

C. IVLIO
APPOLLONI
F. APAE
MISSICIO. EX
TESTAMENTO

sed potius ad servum quem aliquis testamento liberum fecit, ego tamen existimo hoc monumentum erectum esse C. Julio *Missicio*, vel honesta missione misso, idque ex ipsius testamento. Cohortem *Silauciensem quartam* ignoro plane. H. S. E. exponi debet, *Hoc sibi erexit* vel *Hoc sepulchrum erexit*: *Tiberius* autem *Julius Antus faciendum curavit*. Quæ supponitur inscriptio postea addita videtur, & quidem anno tertio post positum hoc monumentum; nam videtur *primigenia liberta ejus* testari sese *anno tertio* post obitum n. Tiberii Julii *Hoc* (alii enim descripserunt H. non autem II) *Sibi Erexisse*: quæ omnia spero alios felicius enodaturos. Inventa prope eundem lapidem est gemma, in qua eques cernitur, cujus galea, vel

tegmen capitis notabile admodum est, uti ex ectypo patebit:



His tandem Ἀνεκδότοις adjungere placet nonnullas inscriptiones, quæ editæ quidem sunt, sed de quarum antiquitate dubito;

D. N. IVSTINVS. P. SAL. PIVS
FELIX. VICTOR. AC. TRIVMPHATOR
SEMPER. AVG. PONT. MAX. FRANC
MAX. GOTTH. MAX. VANDALIC. MAX.
COS. III. TRIB. VIII. IMP. V.
CONSPICVAM. HANC. AEGIDIS. INSVLAM
INTIMA. ADRIATICI. MARIS
COMMODIS. INTERIECTAM. VENERAN
DAE. PALLADIS. SACRARIVM. QVONDAM
ET. COLCHIDVM. ARGONAVTARVM.
PERSECVTORVM. QVIETEM. OB
GLORIAM. PROPAGANDAM. IMP.
S. C. IN VRBEM. SVI. NOMINIS. EXCEL
LENTISS. NVNCVPANDAM. HONESTISS
P. P. P. DESIGNAVIT. FVNDAVIT
C. R. P. Q. ET. GENTE. HONES.
TISS. REFER.

Hanc ut genuinam laudant præter Gruterum, Goltzius in Thesauro Rei Antiquariæ, Ortelius in Thesauro Geographico, Cluverius in Italia Antiqua, & alii eorum vestigia sequuti. Sed quo minus tam magnis viris adsentiri possim obstant multæ rationes. Nam primo, P. SAC. nihil significant, nec unquam ejusmodi siglæ Imperatorum nominibus adjiciuntur; imo & P. non potest exponi PIVS, quia ex vox sequitur. 2. PONT. MAX. exponitur *Pontifex Maximus*: arbitranturque eruditi Justinum illius dignitatis titulum gessisse; quæ tamen explicatio non occurrit Baronio, non Jacobo Gothofredo, non Joh. Andreæ Bosio, qui disputant num Christiani Impp. Pontificatum Maximum aliquando gesserint; cum certe magnopere firmaret sententiam eorum, qui hoc affirmant. Quin & olim Christoph. Adamus Rupertus Epist. 48. apud Reinesium hanc inscriptionem suspectam habuit ob solum *Pontificis Maximi* titulum. Sed si bene rem examinamus, nullus erit hic Pontificatus Maximus; voces illæ non obstabunt, quo minus genuina sit inscriptio, si modo aliæ νοθείας notæ non apparerent. Nam cum mox sequatur FRANCicus MAXimus, &c. nihil aliud PONT. MAX. significare potest, quam *Ponticum Maximum*, a devictis nempe gentibus, quæ Pontum incolebant: & hunc titulum assumpsisse sibi Imperatores docet „ illustris Spanhemius; Cæterum, ait Diss. VIII. „ exceperunt eosdem titulos sequiori ævo cognomina ALEMANNICI, FRANCICI, GOT- „ THICI, PONTICI; quæ in Valentiniani „ Justini, aliorumque istius ætatis Augustorum „ Inscriptionibus & monumentis passim leguntur. „ 3. CONSVL. III. occurrit: atqui Justinus senior, cui inscriptionem tribuit Goltzius, bis tantum Consulatum gessit: Justinus vero Junior semel; deinde semper scriptum fuit, I. II. III. IV. V. VI. &c. *Post consulatum Justini Junioris*. 4. Justinus dicitur fuisse TRIB. VIII. Sed non admodum in antiquitate versatus fuit hic homo, quia Imperatores nunquam, nisi cum essent privati, Tribuni fuerunt; semperque gesserunt *Tribunitiam potestatem*, quæ hic quidem ignorantia vetusti moris omittitur, sed in innumeris lapidibus & nummis obvia est. Nec quenquam juvare poterit, si censeat litteram P. omissam esse. Nam dignitatem eam nominibus suis Impp. non amplius adscribebant; adeo ut etiam ex ea Gothofredus V. Cl. non absque injuria existimet aliam Marciano Imp. qui diu ante Justinum Romani Imperii ad gubernacula sedit, positam inscriptionem malæ notæ esse. V. Rarissime tunc temporis nomen IMPERATORIS, & quidem addito numero, quoties illud meritus fuerit, reliquis nominibus & titulis Augustorum postponebatur, uti vel patet ex principio Institutionum. 6. AEGIDIS INSVLA non memoratur, quantum equidem scio, veteribus, sed quidem *Ægida* urbs Istriæ: Plin. lib. 3. cap. 19. *Oppida Istriæ civium Romanorum* AEGIDA, *Parentium: Colonia Pola, quæ nunc Pietas Julia quondam a Cholchis condita, abest a Tergeste, C. M. P. Mox oppidum Nesactium, & nunc finis Italiæ fluvius Arsia*. 7. Ut nihil dicam de *conspicua insula*, latina non videntur esse: INTIMA ADRIATICI MARIS COMMODISSime INTERIECTAM: quibus si significare auctor voluit, insulam hanc sitam esse in intimo recessu, qui est Tergestinus sinus Adriatici maris, cui adjacet *Ægida*, certe tenebras captare voluit. 8. Si *Ægidis insula* eadem quæ *Ægida* Plinii, non fuit in ea sacrarium Palladis, nec Colchi ibi quieverunt. Nam licet, teste Plinio lib. 3. cap. 18. *Argo navis flumine in mare Adriaticum descenderit, non procul Tergeste*, idemque iter Colchi potuerint sequi; non tamen ibi consederunt, sed in insula prope Polam, ab ipsis in continente conditam; quam insulam Minervæ sacram fuisse tradit Hyginus Fab. XXIII. *Nihilominus cum profecti essent, Absyrtus timens patris præcepta, persecutus est eos in insulam Minervæ. Ibi cum sacrificaret Minervæ Jason, & Absyrtus intervenisset, ab Jasone est interfectus*. Apoll. Rhodius duas insulas Dianæ sacras, inque earum altera templum illius Deæ fuisse canit;

Οἱ δ' ὄπιθεν ποταμοῖο κατήλυθον, ἐκ δ' ἐπερήσαν
Δοιὰς Ἀρτέμιδος βρυπίδας ἀγχόθι νήσυς
Τῶν δ' ἤτοι ἑτέρη μὲν ἱερὸν ἔσκεν ἔεθλον

Ubi parum abest, quin scribam Βρυγηΐδος, ut sit cognomen Dianæ, a Brygis, qui uti patet ex v. 470. templum illud exstruxerant, desumptum, more gentilibus usitatissimo. Has insulas igitur occuparunt Colchi, inque iis, & vicino continente sedes suas fixerunt, uti satis superque ex auctoribus constat; quorum nemo memoriæ mandat eos ad Tergestini sinus intimum recessum, ubi Plinii *Ægida*, quique centum millibus passuum a Pola abest, habitasse: 9. Quis insulam vocaret *Venerandæ Palladis Sacrarium?* 10. Qui erunt COLCHIDES ARGONAVTAE? Veteribus frequenter *Cholchis* pro Medea, & proinde pro muliere ex illa regione oriunda usurpatur: sed Argonautarum persecutores non fuerunt fœminæ, nec *Colchides*, sed *Colchi* appellari debuerant; quod regionis illius gentile occurrit apud Herodotum, Ammianum, Diodorum aliosque. 11. Insulsum & GLORIAM PROPAGANDI IMPERII ob urbem Italiæ vicinam Imperatoris nomine nuncupandam, Imperatori adscribere: 12. S. C. vel *Senatus-Consultum* jam diu omissum fuit in istiusmodi inscriptionibus, nec certe hic ullum locum habet. 13. EXCELLENTISSIMVS nunquam Imperator Romanus vocatus fuit. 14. Non video, quid sibi

velit τὸ HONESTISS. 15. Siglæ P.P.P. nullum sensum recipiunt commodum; nisi ex iis facere velis: *publica pecunia ponendam*; vel cum Goltzio, *pater patriæ providentissimus*; quod tamen nequaquam quadrat. 16. C. R. P. Q. obscura plane sunt; nisi significent, *civibus Romanis populoque & gente honestissima urbem hanc refertam fuisse*; quod quam male moribus illius temporis, quo omnes, qui Imperio Romano subjiciebantur, cives Romani erant, conveniat, alii proculdubio mecum perspicient. Hæc & alia argumenta si quis examinare voluerit, vix dubito, quin mecum censeat, errare præstanti eruditione viros, qui *Ægidam* Plinii scribunt vocatam esse *Ægidis insulam*; hancque ab Imperat. Justino *Justinopolim*. Nam licet Istriæ quædam urbs *Justinopolis* dicta fuerit, parueritque patriarchæ Aquilejensi, nullo tamen pacto ex hac supposititia inscriptione evinci potest, illam appellatam fuisse *Ægidis insulam*, vel *Ægidam* Plinii esse; licet nunc existiment Justinopolim ibi sitam fuisse, ubi hodie est Capo d' Istria; a quo certe promontorio haud procul *Ægida* abfuit; uti satis superque patebit, si verba Plinii diligenter examinare aliquis velit.

Apud Jacobum Sponium, antiquarum rerum optimum promum condum, & eruditissimum illarum collectorem, pag. 264. Miscellaneorum Eruditæ Antiquitatis, hæc exstat Inscriptio:

C. IVL. CAES C. F. DE. GALLIS. ET
ALLOBROGIBVS. TRIVMPHATORI
ASTENS. BENEFACTORI. PIO. IN
VICTO. DIVO
LAETITIAE. ET. GRATI. ANIMI. ERGO.
P. P. L. D. D.

Multa sunt, quæ evincere mihi videntur, hanc inscriptionem suppositiam, nec sculptam esse circa Julii Cæsaris tempora; non secus ac alteram, quæ eodem loco recensetur,

C. IVL. CAES. DOMITORI. GALLIARVM
DICTATORI. PERPETVO
TRIVMPHATORI. S. P. Q. AST.
LAETITIAE. ERGO. ET. HONORIS. P. P.
L. D. D. D.

& denique tertiam, quæ exstat pag. 168.

AVGVSTO. LIBERATORI NATIONVM
ORBIS ROMANI
INSTITVTORI. LIBERTATIS. HETRVSCAE. REIP.
CONSERVATORI. MILITVM. TVTORI.
LEGVM
ET. BONO. REIP. NATO
COLONIA. LVCENSIVM
DIVO. TIBERIO. CLAVDIO. QVARTO.
EIVS. AN.
NERONI. INVICTO. PATRI. PATRIAE.
ROMANORVM
SEMPER. AVGVSTO

Nam τὸ TRIVMPHATOR nondum illo tempore Imperator dicebatur, nec PIVS, nec INVICTVS, nec DOMITOR; nec τὸ DIVVS unquam solet tam longe rejici vel postponi. Constantinus & Constans vocantur in nummis TRIVMPHATORES GENTIVM BARBARARVM, Constans DOMITOR, Constantius VICTOR OMNIVM GENTIVM: & Julianus apud Amm. Marcell. lib. 21. cap. 5. *Domator gentium & Regum*. Quales titulos illius temporis Imperatores, non autem primos Cæsares, sibi sumpsisse satis etiam ex Inscriptionibus vetustis patet, ex quibus exempla coacervare nihil est necesse. Tiberio quidem oblatus est PII titulus, sed ille non recepit, & Cajus plurima cognomina assumpsit, & PIVS & *Castrorum filius & pater exercituum & Opt. Max. Cæsar vocatus* fuit, teste Suetonio, qui tamen in nummis vel inscriptionibus ipsi positis nullibi apparet. INVICTI etiam Cæsares posteriores dicti sunt, ut Severus, Geta; & licet Augustus a Manilio vocetur *pater invictus patriæ*, non tamen hic titulus ab illo, vel Impp. qui proxime eum sequuti sunt, assumptus est unquam. Sic nec Augustus vocatus fuit unquam *Liberator nationum orbis Romani*; & frigide satis atque jejune appellatur *Institutor libertatis Hetruscæ Reip.* imo & *Conservator militum*, & *Tutor legum*: quæ si quis Augustæi ævi esse putat, næ ille parum in antiquitate versatus est! Ipsum illud BONO REIP. NATO. sequioris ævi est; nec ita ornantur Augusti, Tiberii, Caii vel Claudii &c. verum Constantini, Juliani, Theodosii, Arcadii, Honorii, & Theodorici, uti constat ex lapidibus antiquis. Et fraudem arguit DIVVS TIBERIVS CLAVDIVS NERO; tum quod quartus ejus annus nescio quam ob causam adjicitur, tum quod vocetur INVICTVS, & ROMANORVM SEMPER AVGVSTVS. Nam nemini ignotum esse arbitror, hanc loquendi formam posterioribus temporibus originem duxisse; & licet apud Dionem occurrat ὁ ἀεὶ ὕπατος, teste Casaubono ad Strabonem, tamen nihil hoc commune habet cum latina loquendi ratione; resque certissima est similes dicendi laudandique Impp. formas tarde enatas esse. Probus in nummis vocatur VICTORIOSVS SEMPER: Constantius SEMPER VICTOR. Maxentius, PERPETVVS SEMPER AVGVSTVS in inscriptione apud Gualterum: Maximianus & Constantius *Semper Herculei Imperatores* in Panegyrico; & denique Justinianus in Procemio Codicis ὁ ἀεὶ Σέβαστος. Quo pertinet Constantinum vocari PERPETVVM PRINCIPEM, Phocam & Heraclium PERPETVOS AVGVSTOS in monumentis veterum, (uti Domitianum CENSOREM PERPETVVM in nummis, & Vitellium CONSVLEM PERPETVVM in Inscriptione veteri appellari observare licet) & *Perennem Augustum* occurrere apud Sidonium lib 1. Ep. 5. Nec dubium, quin ita loqui primum ceperint circa tempora Diocletiani & Maximiani, de quibus talis exstat inscriptio apud Gruter. pag. CCLXXIX. IMPP. CAESS. VALERIO. DIOCLETIANO. ET. AVRELIO. VALERIO. MAXIMIANO. PIISS. FELIC. SEMPER AVGG. adeo ut adsentiri nequaquam possim Constantino Landio qui nummum, cui hæc inditur inscriptio, CAESAR. IMP. PON. TR. P. P. P. ET. SEMPER. AVGVSTVS. VIR. ad Augustum refert; vixque dubito, quin vir eruditus in nummum inciderit vetustate corruptum, & in quo Sempronii Triumviri, ut in aliis multis Augusteis, scriptum fuit. Et extremis temporibus magna inter *Semper Augustum* & *Augustum* erat differentia: ita enim vocabatur Imperator, alterum vero epithetum dabatur Romanorum Regi. Liber de pace Constantiæ composita, inter Frideric. Imp. & filium ejus Henricum &c. *In nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis Fridericus Divina favente clementia Romanorum Imper.* SEMPER AVGVSTVS, *& filius ejus Henricus*, *sextus Rom. Rex*, AVGVSTVS. Et Grævius, doctus ille Musarum sacerdos, verissime me censere misit inscriptiones has esse suppositias; sed hoc unum posse forte reponi, illas ab Astensibus positas fuisse non seculo Augusti & primorum, qui ibi memorantur, Imperatorum, sed longe post in memoriam beneficiorum, quibus illi Imperatores hanc civitatem affe-

cerunt, cum tam facile non potuerint imponere Sponio, si αὐτόπτης fuit, nostri superiorisve sæculi, si illo fictæ sunt, sculptores. Finem facerem, nisi me CAESARIS nomen in suppositițiis Inscriptionibus memoratum juberet, ut gradum sisterem, explicaremque Plinii locum lib. 7. cap. 9. Hist. Natur. *Auspicatius enecta parente gignuntur; sicut Scipio Africanus prior natus, primusque Cæsarum a cæso matris utero dictus: qua de causa & Cæsones appellati. Simili modo natus est Manlius, qui Carthaginem cum exercitu intravit.* Solinus hæc verba Plinii ita interpretatur & intellexit, tanquam primus omnium Romanorum Scipio *Cæsar* dictus sit: *Rursum necatis matribus natus est auspicatior, sicut Scipio Africanus prior, qui defuncta parente, quod excisus utero in diem venerat, primus Romanorum Cæsar dictus est.* Solinum sequuntur Volaterranus, Calepinus, Æneas Vicus, censentque illi Africanum primum omnium *Cæsarem* esse vocatum. Quin & eadem magni Salmasii sententia, nec non Ruperti in epistola ad Reinesium: quorum ille commentatur recte Plinium cepisse Solinum, illudque hoc dicere, Scipionem Africanum priorem, natum esse e necata parente, primumque Cæsarum ita vocatum, quod excisus utero matris fuerit; quod tamen non ita sese habet, cum ante bellum Samniticum *Claudius* quidam *Cæsar* exstiterit: hic vero Ep. 44. Plinium scriptum reliquisse, & ex eo Solinum, *Scipionem Africanum primum Romanorum Cæsarem dictum*: & inde *Claudium* illum *Cæsarem*, quem Salmasius ante bellum Samniticum vixisse scribit, refellit, ostenditque in marmore legi non CAESAR CLAVDIVS. C. F. sed CENS. AP. CLAVDIVS; id quod Æneas Vicus etiam ex Sigonio & Onuphrio observaverat: adeo ut mirum sit Harduinum singulari audacia hanc emendationem sibi quasi vindicare; qui etiam de nomine *Cæsar* obscure agit, nec clare satis explicat, qualis sit genuinus Plinii sensus. Et quanquam maximæ apud me auctoritatis sint tanta nomina; nunquam tamen animum inducam credere Scipionem *Cæsarem* fuisse cognominatum; & arbitror Plinium dicere; & felices eos esse, qui nati sunt necata, dum nascuntur, matre, ut Africanum majorem, & *primum Cæsarum*, id est, primum eorum, qui ex Gente Julia *Cæsaris* cognomen tulit, & tertio *Manlium*, vel *Mancinum*, uti rescribit Freinshemius ad Florum. Atque ita verba Plinii olim interpretatum esse Bartholomæum Fontium, Persii interpretem, testatur Æneas Vicus; qui tamen ejus sententiam amplecti non potest. Nam, uti notum est, existimabant veteres primum *Juliorum Cæsarum* cognomen illud accepisse, quia cæsus erat ex matris utero. Spartian. in Ælio Vero: *Et quoniam de Cæsarum nomine in hujus præcipue vita est aliquid disputandum, qui hoc solum nomen adeptus est;* CAESAREM *vel ab elephanto, qui lingua Maurorum Cæsar dicitur, in prælio cæso, eum qui primus sic appellatus est, doctissimi viri putant dictum; vel quia mortua matre, ventre cæso sit natus, vel quod cum magnis crinibus sit utero parentis effusus; vel quod oculis cæsiis & ultra humanum morem viguerit.* Ut Plinius dixit *primum Cæsarum*, ita Spartianus, *Cæsarem eum, qui primus sic appellatus est;* non definientes, quis demum ille ex familia Julia fuerit. Posteriores tamen decepti voce *Cæsaris*, quæ jam dignitatem notabat, ita C. Julium Cæsarem natum esse fabulantur; ut Servius ad lib. 1. Æn. v. 291. Cedrenus, Suidas, Glycas, Auctor Chronici Alexandrini & Etymologici Magni; quos omnes ipsa Julii mater Aurelia refellit; quippe quæ enecta nato Cæsare non fuit, sed tincta litteris & in loquendo elegans in excolendo filio advigilavit, teste Cicerone & Plutarcho in vita Julii; quæque apud judices omnia ex fide retulit, quæ acta erant inter Clodium & Pompejam Cæsaris conjugem, uti Suetonius cap. 74. commemorat. Sed omnium gravissime impegit Constant. Porphyrogen. lib. 1. Th. 11. ubi scribit, Sebastiam Armeniæ urbem nomen habere a Sebasto vel Augusto Cæsare Julio, qui primus imperium obtinuit, & *Cæsar* dictus est, quia cæso matris utero erupit fremens instar catuli leonis. Quibus refellendis non immorabor, ne videar tanti Principis & majoribus rebus occupati atque districti memoriæ petulanter illudere.

F I N I S.

STEPHANI LE MOINE
AD
GISBERTUM CUPERUM
DE MELANOPHORIS
EPISTOLA.

STEPHANI LE MOINE AD GISBERTUM CUPERUM DE MELANOPHORIS EPISTOLA.

RUtabam, Vir Ampliſſime, eorum quæ apud te de Μελανοφόροις leviter tetigeram, te non amplius recordari. Illa, ipſe, verba & voces exiſtimabam, prætereaque nihil. Sed ecce memor urges, imo inſtas vehementer, & fidem & verba poſtulas liberari. Bene, fiat bonis avibus. Sed ſi dicenda non reſpondeant expectationi, hoc non tribuas intemperanti meæ ſcribendi libidini, quippe qui quantum potui ſcribere declinavi, ſed tuis geminatis efflagitationibus, & forſan rei dubiæ, & omnium oculis non ita patenti & obviæ. Μελανηφόροι ergo vox eſt quæ occurrit variis in locis. Non illam tamen quærerem in inſcriptione quæ exſtat Romæ, quam puto deſcripſerat Rigaltius, & poſtea cum Salmaſio quondam communicaverat. Legitur in poſterioris Commentariis ad Hiſtoriam Auguſtam, p. 180. Inſcriptionis initium tale eſt.

> Ε'κ δέκα πεύτ' ἀνδρῶν φοίβυ τε φανηφόρος ἱρδὺς Κρήσκηνς.

Creſcens unus ex quindecim viris, & Phœbi ſacerdos φανηφόρος. Hic vir Eruditus pro τε φανηφόρος, Μελανηφόρος legendum ſuſpicabatur: ſed gratiam illi facimus talis conjecturæ. Melius ϛεφανηφόρος legitur. Sacerdotes Phœbi non erant μελανηφόροι, ſed ϛεφανηφόροι, inſtar ſacerdotum Judaicorum qui Tiara & Corona ornari conſueverant. De ϛεφανηφόροις multa habet Seldenus ad marmora Arundelliana, quæ nec tempus, nec tua ſingularis eruditio patiuntur hic fruſtra tibi repræſentari. Exſtat vero vox μελανηφόροι in Inſcriptione Veneta, quam legere eſt 2. volumine de ſynedriis. Ea vero ſic ſe habet. ΓΑΙΟC &c. ΚΑΙ ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙ &c. ΙΣΙΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΙΔΡΥΣΑΝΤΟ. *Gajus &c. & Melanephori, &c. Iſidi juſtitiæ erexere*: ſic Seldenus, qui exiſtimat penultimæ vocis ſyllabas, male a ſe invicem ſeparatas, & legendum ΙΣΙΔΙ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗ. *Iſidi juſtitiæ*: ſed non memini me legiſſe Iſida vocatam Δικαιοσύνlω. Hoc gratis aſſerit Seldenus, & ſyllabis, & litteris in Inſcriptione apparentibus deceptus. Sed laboranti iſti Inſcriptioni aliter ſuccurrendum exiſtimarem, & legendum ΙΣΙΔΙ ΚΑΙ ΟΣ. ΣΥΝΙΔΡΥΣΑΝΤΟ. *Iſidi, & Oſiridi ſimul ædificaverunt*. Nam Iſis & Oſiris in cultu fere ſemper ſociebantur. Erant σύμβωμοι, & eadem Collegia iis fere ſemper eadem ſacra faciebant. Eſt & alia Inſcriptio ubi etiam occurrit vox ΜΕΛΑΝΗΦΟC. Legitur apud viros eruditiſſimos, & Seldenus, loco laudato, eam non prætermiſit. Integram non repræſentabimus, ſed illius tantum verba, quæ ad inſtitutum noſtrum faciunt, vel quæ qualemcunque merentur emendationem. Ea vero talia ſunt. ΘΕΟΦΙΛΟΣ &c. ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟC ΤΗΝ ΚΟΝΙΑCΙΝ ΤΟΥ ΠΑCΤΟΦΟΡΙΟΥ ΚΑΙ ΤΗΝ ΓΡΑΦΗΝ ΤΩΝ ΤΕ ΤΟΙΧΩΝ ΚΑΙ ΤΗC ΟΡΟΦΗC ΚΑΙ ΤΗΝ ΕΚΛΥCΙΝ ΤΩΝ ΘΥΡΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΙΣΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ &c. *Theophilus &c. Melanephorus ſacelli hujus Tectorium, & parietum tectique picturam & portarum valvas dicavit Sarapidi, Iſidi, Anoubidi, & Harpocrati*. Quidam legunt ἔκλυσιν τῶν θυρῶν, alii λάυσιν, alii Κάυσιν, vel ἔλαυσιν, vel ἔκαυσιν. Sed legendum ἔγκαυσιν τῶν θυρῶν, quia valvæ ornatæ erant pictura quæ vocabatur ἐγκαυϛικὴ. Non quidem ceſtro & veruculo, in ebore & cornu parata, quæ talis picturæ genera vocabantur etiam κεϛρωτὰ. Sed alia ἐγκαυϛικὴ, quæ fiebat cera igne delibuta, & in qua variæ figuræ delineari ſolebant. Tali ἐγκαυϛικῇ fores ornabantur, & aliæ figuræ repræſentabantur. Tales variæ imagines Arte ἐγκαυϛικῇ paratæ, de quibus in Concilio Nicæno ſecundo mentio frequentiſſima. Tales & imagines Chriſti & Virginis memorantur ab Evangeliſta Luca, ſcilicet effigiatæ apud Simeonem Metaphraſtem. Quod certe a veritate tam eſt alienum, quam certiſſimum ædium valvas talibus cereis imaginibus ἐγκαυϛοῖς, olim ornatas & decoratas fuiſſe. Auſon. Epigr. 25.

> *Ceris inurens januarum limina*
> *Et atriorum pegmata.*

Dicæarchus, τοῖς τῶν οἰκιῶν προθύροις, καὶ ἐγκαύσμασι κάλλιϛα κατεσκευασμένη. *Foribus & encauſtis operibus egregie ornata*. Unde corrigendus Vitruvius, apud quem legitur, *ipſaque forium ornamenta non fiant Ceroſtrota*. Legendum *Ceſtrota*, ceſtro inuſta. Nam fores ſolebant etiam imaginibus cera inuſta paratis ornari, ἐγκαυϛικοῖς. Unde operarii dicebantur *Encauſtæ*. Et opera ἔγκαυϛα. Hinc Phaeton Encauſtus apud Martialem.

> *Encauſtus Phaeton tabula depictus in hac eſt.*
> *Quid tibi vis, Dipyron, qui Phaetonta facis?*

Ergo legendum in inſcriptione ſuperiori τῶν θυρῶν ἔγκαυσιν, non καῦσιν, λαῦσιν, aut ἔκλυσιν. Ibidem memoratur κονίασις τῦ παϛοφορίυ. Quid eſſet paſtophorium, ſciſcitari videbaris, cum tibi Muſiſque tuis adeſſem in locupletiſſima Bibliotheca tua: occurrit vox iſta, ſed corrupta, ter in Gloſſis Iſidori. *Sabarium Atrium Templi*. Et, *ſafarium Atrium Templi*. Et, *Paſtorium Atrium Templi*. Proculdubio in ultimo hoc loco legendum *Paſtophorium*. Sic etiam lego in aliis duobus locis. Scio

quosdam legere *sacrarium*. Alios sabarium, a zaba, unde Σαβαρεῖον apud Græcos recentiores, quasi armarium, & locus armis servandis destinatus. Vel a ציבור vel צבר congregatio, & congregare, quod in istis locis conventus populi & congregationes haberentur. Si vox *safarium* servanda foret, mallem illam derivare a ספר, quod notat librum, adeo ut *safarium* notet *locus in quo libri sacri olim reconderentur*. Sed in ista voce videor mihi animadvertere vestigia vocis pastophorii, quæ cum per compendium scripta fuisset, psaphorium, facillime potuit in *sapharium* deflectere. Nam revera apud Isidorum idem notat & *pastophorium*, & *sapharium*, nimirum Atrium Templi. Nam non notat Chorum, ut voluit non nemo; imo Atrium Templi, Appendices quasdam Templi, cellas, Exedras, conclavia, quæ nullus bonæ mentis pro Choro Ecclesiæ accipiat. *Pastophorium* vero fit a παστὰς, vel παστός, quæ voces notant vel Thalamum, vel velum. Hinc Venus παστοφόρος, quod Thalamis præesset. *Pastophori* vero, qui Thalamis Deorum præerant, vel qui in Thalamis ædium sacrarum, Festis Numinibus dicatis, solebant commorari, vel saltem aliquando somnos & cibos carpere. Dicebantur & *Calybitæ*. *Huc, Calybita, veni*, in Carmine Copæ Syriscæ. A *calyba*, quod idem est ac παστὰς, Tentorium. *Sunt Topia & Calybæ*, in eodem carmine, id est Thalami, Tentoria, unde Καλύβη φοίβου, Tentorium, & sella Apollinis, quod idem est ac Pastophorium. A Thalamis ergo sacris, vel velis variegatis, & diversis coloribus distinctis & vermiculatis, dicebantur Pastophori, & loca, ubi habitabant, Pastophoria, quasi loca Pastophoris destinata, & variis velis obducta & ornata. Pastophoriorum mentio frequentissima apud LXX. interpretes, & sumitur pro לשכה Conclavi, quæ vox Hebraica etiam Græca evasit: nam dicitur etiam Lesca vel Lesche. Λέσχη apud Hesiodum, ἐπαλέα λέσχην; occurrit & apud Herodotum, & Helianum. Magnum Etymolog. λέσχαι παρὰ βοιωτοῖς, τὰ κοινὰ δειπνητήρια. *Leschæ apud Boeotos loca ubi convivabantur*. Imo, ubi ad confabulandum conveniebant, & ad opera sua legenda, recitanda, & cum aliis communicanda. Ideo vocabantur etiam Ὠδεῖα. Et hinc etiam λεσχηνεύεσθαι, *Confabulari*: & λεσχηνώτης apud Laertium de Thalete. Latine, cella, conclave, taberna, Græce παστοφόριον. Quod notat Collegium pastophororum, & locum etiam ubi conveniebant. Vox usitata apud Ægyptios & quæ a LXX. interpretibus sæpe etiam usurpatur. A παστὰς, vel παστος, factum παστοφόριον, nimirum a cella & velo ante cellam oppanso. Hinc tamen non factum Pastor, quod voluit vir eruditus, qui existimat, vel saltem suspicatur tertium Librum Maccabæorum vocari Pastora vel Pastorem, quia summus sacerdos ibi repræsentatur intercedens & orans in Pastophorio, & cella quadam sacra, Templique quodam conclavi. Unde, inquit, a Pastophorio vel a παστὰς, potuit denominari liber iste, Pastor, quem memorat Hieronymus in Catalogo scriptorum Ecclesiasticorum. Sed fallitur vehementer; non ibi loquitur Hieronymus de 3. libro Maccabæorum, sed de Libro Hermæ, qui Pastor vocabatur, quia in illo continentur variæ revelationes, quas Auctor dicit sibi declaratas ab Angelo qui speciem Pastoris referebat. A specie revelantis facta Libro denominatio, & intelligendus est Liber Hermæ, in veteri Ecclesia notissimus, non vero tertius Liber Maccabæorum, qui ἀπὸ τῆς παστάδος, vel παστοφορίου nomen adeptus fuerit. In eo tamen probandus Junius, quod παστοφόριον pro æde sacra acceperit, & Conclavi, seu cella Templo contigua. Nam vani sunt tam quam qui maxime, qui existimant παστοφόριον notare arculam in qua sacra Eucharistia recondebatur, & pro ægrotis & absentibus asservabatur. Hoc putant se colligere ex Constitut. Apostol. Clementis, l. 8. cap. 13. ὅταν πάντες καὶ πᾶσαι μεταλάβωσι, οἱ Διάκονοι λαβόντες τὰ περισσεύματα εἰς τὰ παστοφόρια εἰσφερέτωσαν. *Cum omnes communicaverint, Diaconi reliquias transferant in Pastophoria*. Sed quid hæc ab Tabernacula & Ciboria in quibus hodie Eucharistia apud Latinos asservatur? An hoc moris erat temporibus Apostolicis? An vox παστοφορίου alicubi isto sensu usurpatur? Imo vero, apud ipsum Auctorem Constitut. Apostol. l. 2. c. 58. παστοφόρια sumuntur pro Cellis & conclavibus quæ ad latera Templi debebant ædificari. Adeo ut nunquam Auctori in mentem venerit repositorium sacræ Eucharistiæ hoc in loco notare. Eodem sensu accipit quo fecerunt LXX. interpretes, Theodotion, & alii, & apud illos nihil aliud notat quam Exedram & cellam sacram. Usu tamen obtinuit ut sumeretur etiam pro ædificio quodam, sive sacro, sive communi. Quod patet in loco Chronici Mosomensis. *Locus enim non tam naturali munitione firmus, quam humano labore, & non opere manuali factus, modo aggere, modo pastophorio*. Neque enim vocem, *pastophorio*, sollicitandam existimo, quæ mihi bene se habere videtur; cum ibi notet ædem, Tentorium, Turrim, Arcis quoddam diminutivum, quo locus iste munitus tueri facile se poterat. Sed tamen proprie dicitur de cellis & conclavibus sacris, quæ quia mansionibus sacerdotum erant destinata, vel aulæis & velis obducta, dicebantur ἀπὸ τῆς παστάδος, vel ἀπὸ τοῦ παστοῦ, pastophoria. Imo facile crediderim istas ædiculas & cellas primo fuisse portatiles, & ambulatorias, ut ita dicam, quæ modo figebantur & explicabantur, & modo complicabantur, instar Tabernaculi Judæorum, quod cum a Levitis ferri & bajulari soleret, sic & Tabernacula Deorum Gentium, a suis mystis & sacerdotibus bajulari consueverant. Unde forsan Pastophori, & Auleorum sacrorum & velorum portatores, ab aliis vocabantur. Nisi forsan hanc sortiti fuerint denominationem a velis Numinibus suis consecratis, & in quibus tanquam in Tabulis pictæ erant Deorum effigies. Nam talia erant olim vela falsis Numinibus dicata, præcipue in Ægypto. Hinc πέπλον Isidis adeo decantatum, & nulli fere non dictum, & de quo forsan locus iste Claudiani πολυθρύλλητος.

—— Et quicquid inane
Nutrit in Isiacis quæ pingitur India velis.

Alii legunt *Judaicis*, Alii *Attalicis*, Alii *Idæis*, Alii *Niliacis*. Sed ferri potest nostra lectio. Isis erat Terra. In illius velis Terra repræsentabatur, & quælibet Regio ornata ibi videbatur rebus quibus natura loci uberior credebatur. Cum vero India monstrorum haberetur feracissima, ideo varia incredibilia, prodigiosa, & inania alere fingebatur. Inter ista vero Isidis vela, unum sacrum habebatur, & præcipuum, quod diebus quibusdam festis, & solennioribus κωμασίαις, ut loquitur Clemens Alexandrinus, ab Hierophantis portabatur. Unde forsan nomen adepti sunt & παστοφόροι dicti, de quibus Diodorus Siculus, Apulejus, & alii. Ab illis dictum pastophorium. Hesychius παστοφόριον, τὸ τῶν παστὸν φερόντων. *Pastophorium locus eorum qui velum portant*. Velum Minervæ, vel Isidis, vel alterius cujusdam numinis. Cum vero velum Isidis Terram repræsentaret, & fundus, ut ita dicam, instar Terræ, esset nigri & obscuri coloris, ideo forsan illius παστοφόροι, dicti sunt μελανηφόροι: nam revera μελανηφόροι Isidis

dis cultui præcipue addicti erant, ut ex supra memoratis inscriptionibus cuivis constare potest. Isidis peplum & velum maxima parte nigrum erat, & ipsa Isis etiam nigra repræsentabatur. Nam Terra Isidis nomine designabatur, & præcipue Ægyptus, quæ dicebatur Ægyptus, & Ἠερία, & Αερία a nigredine, & fusco & luteo colore. Et Ceres quæ eadem erat cum Iside, & quæ pro Terra ab Ethnicis colebatur, dicebatur etiam nigra, & veste nigra induebatur. Pausanias in Arcadic p. 240. Ἐπὶ Σίμυ τῦ Φιγάλυ βασιλέυοντος, ἠφανίσθη Φιγαλεῦσιν ὑπὸ πυρὸς τῆς μελαίνης Δήμητρος τὸ ἀρχαῖον ξόανον. *Regnante Simo Phigali filio consumptum est igne apud Phigalenos vetustissimum nigræ Cereris simulachrum*. Et ibid. infer. p. 271. Δήμητρος δὲ ἄντρον αὐτόθι ἱερὸν ἐπίκλησιν μελαίνης. *Ibi est antrum Cereris, cognomento nigræ*. τὸ δὲ ἀπὸ τύτυ λέγυσι, θυμῷ τι ἅμα εἰς τὸν ποσειδῶνα, αὐτὴν γὰρ ἐπὶ τῆς περσεφόνης τῇ ἁρπαγῇ πένθει χρωμένην, μέλαιναν ἐσθῆτα ἐνδῦναι, καὶ εἰς τὸ σπήλαιον τῦτο ἐλθῦσαν, ἐπὶ χρόνον ἀπεῖναι πολύν. *Quod ideo factum dicunt, quod Ceres ira percita contra Neptunum, & dolore, & luctu ob raptum Proserpinæ, vestem nigram induerit, & in antrum istud se abdiderit, & per longum temporis spatium latuerit*. Μέλαιναν δὲ ἐπονομάσαι φασὶν αὐτὴν, ὅτι καὶ ἡ θεὸς μέλαιναν τὴν ἐσθῆτα εἶχε. *Cererem vero nigram dici ferunt, quod vestem nigram induerat*. Terra ergo, sive Ceres, sive Isis, nigra cum diceretur, ii qui illius ξόανον bajulabant, vel illius vestem, aut peplum, aut velum portabant, jure dicebantur μελανηφόροι, & a Deæ quam colebant nomine denominationem suam accersebant. Sicut vero Isis nigra vocabatur, Osiris etiam seu Nilus niger dicebatur: & forsan ab Iside & Osiride, Melanophori prima origine nomen suum derivarunt. Nam Osiris etiam statua nigra colebatur, ut videre est apud Plutarchum. Et revera Osiris nigrum notare videtur. Fluxit enim a voce שיור, *Sior*, quo nomine designatur Nilus in sacra scriptura. שיחור vero notat nigrum.

Nam viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,

apud Poetam. Unde dicebatur μέλας Græcis, & Melo Latinis. Festus. *Melo alio nomine Nilus vocatur*. Servius ad 4. Georg. *Antea Nilus Latine Melo dicebatur*: ad Æneid. 1. *Ennius dicit Nilum, Melonem vocari*: ad 4. Æneid. *Atlas Telemon dicitur sicut Nilus Melo*. Quæ vox reddenda Symmacho l. 1. Epist. 8. ubi legitur, *Mosella*, nimirum ab Ausonio celebrata & decantata, *est Ægyptio Nilo Major*. Sed in variis codicibus legitur, *Ægyptio Melone major*. Quam vocem cum Librarii quidam ignorarent, & Ægypti celeberrimum fluvium nomine Nili tantum nossent, Melonem in Nilum facile commutarunt, optime tamen scriptum erat Melo. Nam sic Nilus Græcis dicebatur, seu Melas. Scilicet a nigredine, qua illius aquæ Limosæ & Lutosæ colorabantur; unde & Osiris, seu Syris, seu Sior dicebatur: & ideo Nilo statua nigra dicabatur, & ab Ægyptiis colebatur. Pausanias in Arcad. Ποιεῖται δὲ πλὴν τῦ Αἰγυπτίυ Νείλυ, ποταμοῖς τοῖς ἄλλοις, λευκῦ λίθυ τὰ ἀγάλματα. τῷ Νείλῳ δὲ, ἅτε διὰ τῆς Αἰθιόπων κατιόντι εἰς θάλασσαν, μέλανος λίθυ τὰ ἀγάλματα ἐργάζεσθαι νομίζυσιν. *Aliis Fluminibus, præterquam Nilo, signa & simulacra lapidea alba dicari consueverunt. Sed Nilo ex Æthiopia ruenti, signa & statuæ consecrari solent lapidis nigri*. Unde sacerdotes Cereris, Isidis, Osiridis, Nili, Melanophori dici potuerunt. Forsan etiam quia nigris vestibus erant induti, ut modo ingerebam, cum apud te primo de Melanophoris sermo instituereter.

Nam in quibusdam sacris & festis luctuosis, sacerdotes nigris vestibus erant induti. In omnibus fere sacris Albus color usurpabatur; apud Hebræos, Ægyptios, alios, nihil frequentius. Hinc Alba & Candida turba, linigeri, &c. pro sacerdotibus. Exemplorum tanta messis, ut intempestive tibi diligens viderer, si tibi harum rerum ita conscio, illa nunc obtruderem. Videantur Rabbini ad Codicem Joma, Hieronymus, Plinius, Apulejus, Ovidius, Artemidorus, & alii. *Albus color*, inquit Cicero, *DIS decorus est*. Sic & illorum cultoribus. Horat. l. 2. Serm. Saty. 2.

Ille Repotia, Natales, aliosque dierum
Festos albatus celebret.

Pers. Satyr. 2.

—— Negato,
Juppiter, hoc illi, quamvis te albata rogarit.

Decorus erat etiam sacerdotibus, qui, in sacris, fere semper albis vestibus uti solebant. Aliquando tamen & nigris. Seneca in Oedip.

Vates amictu corpus & frontem quatit,
Lugubris imos palla perfundit pedes.

Sic etiam Bellonarii, seu Bellonæ sacerdotes, apud Tertullianum de pallio, *cum ob diversam affectionem*, id est (diversam suffectionem, confectionem, infectionem, diversum colorem quo vestes infectæ & saturatæ erant,) *tenebricæ vestis, & tenebrici super caput velleris, in Bellonæ montes fugantur*. Sic legendum locum existimarem, non vero *mentis fugantur*, ut voluit vir maximus; nam revera Bellonarii efferati, & fanatici, in fanis furore correpti, per montes, valles, silvas, bacchantes grassabantur. Erant vero tecti tetricis velleribus, & induti vestibus Tenebricis, id est nigris quæ furentibus istis moribus erant omnino congruæ. Talis erat, *Atratus ille senex*, de quo Suetonius in Galba c. 18. Iisdem etiam vestibus utebantur isti Camarim de quibus statim verba faciebam, cum de Melanophoris primus quæstionem moveres. Camarim erant sacerdotes de quibus in S. Scriptura mentio non uno loco. Videatur 2. Reg. 23. 5. Ose. x. 5. Sophon. 1. 4. ubi vox ista redditur vel per Æditnos, vel per sacerdotes & Deorum ministros. Posset addi locus Jobi 3. 5. ubi Jobi patientia victa, de die suo natali in has prorumpit voces, *Terreant illam*, יום כמרירים. Reddunt multi interpretes, *amaritudines*, adeo ut amarissimam istam diem denotet Jobus impatiens, & illius memoriam semper acerbissimam apud posteros exoptet. Sed isti sententiæ non possum fidem alligare meam, & mallem reddere כמרירים, quasi Camarim, Pontifices, Sacerdotes, Auspices, ut quidam reddiderunt istam vocem, qui præfecti dierum erant, faustos & infaustos dies indicabant, & infelices, ἀπράκτυς, ἀπαισίυς, ἀποφράδας, rogantibus declarabant. In Ephemeridibus notabantur dies isti apti & inepti ad res agendas & auspicandas. Talis erat Tabula in ædibus Trimalcionis apud Petronium. Ephemeris dicitur

—— —— Tritas
Cernis Ephemeridas.

Notabantur in Kalendariis dies isti κακοὶ & πονηροὶ, inepti ad ἐργασίαν & πραγματείας. Dicebantur & Ægyptiaci, de quibus Augustinus in Epistolam ad Galatas, & eo nomine etiam veniunt memorati in Kalendar. veteribus Romanorum.

Male in vetustioribus scribitur, DIES ÆGEP. Legendum DIES ÆGIP. Dies Ægyptiaci, ut bene & integre scribitur in Kalendario tempore Constantini, vel Constantini filiorum, scripto, & ab Hervvarto, Bucherio, Petavio, Lambecio jam dudum publicato. Dies Ægyptiaci sunt dies infausti & infelices, inter quos Jobus natalem suum diem optat imposterum recenseri, ab iis qui istis diebus annotandis vacabant & præficiebantur. Vocat vero illos Jobus כמרירי, ab eadem voce כמר quæ sacerdotes & Auspices designabat, a כמר quod *Atrum* esse, & *nigrum* significat, quia isti Pontifices, & Sacerdotes atris, & nigris vestibus solebant incedere, & in sacris ritibusque suis magicis, se conspiciendos præbere. Ab eadem voce כמר fluxit denominatio *Cimmeriorum*, non tantum Septentrionalium, apud Scythas, & ad Bosphorum, sed Cimmeriorum Campanorum, juxta Cumas & Baias ad Avernum lacum, sitorum, qui lucem fugere credebantur, & antra speluncasque subire, ibique vivere, instar Troglodytarum. De his Homerus in Odyss. Lycophron, Eustathius, Strabo ex Ephoro, Plinius, & alii. Sed si Cimmerios a כמר derivari concesserim, non eadem facilitate concedam vocem Camillus fluxisse a voce כמר. Sic volunt quamplurimi viri graves & eruditi. Nam sicut כמר notat sacerdotem, sic Camillus notat sacerdotem & Deorum ministrum. Est vox quæ frequenter occurrit. Non tamen quærenda apud Auctorem Originum Constantinopolitanarum loco quem Lambecius & Combefisius non intellexerunt. Nescio an laboranti loco sanando operam male collocaverim, penes te & tui similes erit arbitrium & judicium. Sic vero se habet afflictissimus iste meo judicio locus, Συλβάνος ὁρῶν π... μεσημβρίαν ζώδιον, εἰς τὸ γόνυ κάμυ δίκλω κεκμηκότος, ἔφη, καλὸς ὁ στοιχειωσάμενος, καιροὶ γὰρ ἐπὶ τούτω ἀγόνατοι ἔσονται. Lambecius ista verba sic corrigit & reddit. *Silvanus videns ad meridiem signum in sublime tollens genu curvum instar fessi*, loco κάμυ legit καμπτὸν. Combefisius vero ea sic reddenda existimat. *Silvanus ad meridiem signum positum videns, sublato in altum genu, ut pœn fessis pueris mos est, præclarus es, cujus hoc signum ac figura est, sub quo nimirum & tempora ingeniculata sint futura*. Loco κάμυ legit καμίλλυ. Exagitans vero emendationem Lambecii sic suam asserit & vindicat. *Ineptus est auctor ac superfluus si* καμπτὸν *scripsit. Malo ergo* κάμυ, *positumque existimo* ἀντὶ τοῦ Καμίλλυ, *ut solent Græci vel augere syllabas vel elidere*. Κάμιλλος *autem quid Græcis & Latinis, exploratum est. Nempe* παῖς ἀμφιθαλής. *Quem patrimum matrimumque & puberem interpretantur. Sic præcipue dicti sacrorum ministri ac sacrificulis adstantes pueri. Ipse Hetruscis Mercurius, quod Deorum minister. Sic pueri magnatum ministri, quos sic incomposite genu passim levare ac flectere, velut tædio lassitudinisque impatientia, quisque videat*. Hæc Lambecianis non sunt meliora, & amborum nullus loci lectionem & sensum mihi videtur assecutus. Quem sic legendum potius existimarem, Συλβάνος ὁρῶν ζώδιον εἰς τὸ γόνυ Ἑρμοῦ δίκλω Τετμηκὸς vel τετμηκότος. *Videns signum & statuam supra genu scissam & truncatam instar signorum & simulachrorum Mercurii*, quæ erant ἄνω τὸ γόνυ τετμηκότα. Nam Mercurii, & ἑρμαῖοι λόφοι, tantum superiorem hominis partem referebant, minime vero inferiorem, & erant prorsus ἀγόνατοι. Sic etiam simulachrum istud in quod Sylvanus oculos converterat εἰς τὸ ἄνω γόνυ τετμηκὸς, non κεκμηκὸς, nam lassi & fessi non sunt ita genu levato, & in altum sublato. Deinde tales fessi & situ incompositi non dicerentur ἀγόνατοι, sine genibus, nec possent esse figura temporum ἀγονάτων, & seculi duri & ferrei. Et tamen simulachrum istud repræsentabat καιροὺς ἀγονάτους, quod liquido comprobat revera signum fuisse ἀγόνατον. Nimirum Ἑρμοῦ δίκλω, *instar Mercurii*, qui sine cruribus, tibiis, pedibus, solebat repræsentari. Unde jure dici poterat ἀγόνατος, & aptus erat ætati duriori figurandæ & indicandæ: καιρὸς ἀγόνατος, *seculum rigidum, inflexibile*, in quo affectus adeo sævi, ut nullo modo moveri, curvari, cicurari possint. Sic πύλαι ᾅδου dicuntur ἀγόνατοι, quia curvari & flecti non possunt, nec habent genua tangenda, more supplicantium opem, favorem, misericordiam implorantium. Ideo illis *fabæ* comparantur in symbolo Pythagoræ, ubi suos a fabis abstinendum esse docet. Φησὶ γὰρ Ἀριστοτέλης, apud Diogenem Laertium in vita Pythagoræ, *αὐτὸν*, Pythagoram, παραγγέλλειν ἀπέχεσθαι τῶν κυάμων, ὅτι ὅμοιοι ᾅδου πύλαις, ἀγόνατον γὰρ μόνον. *Aristoteles dicit Pythagoram a fabis abstinendum monuisse, quia sunt similes inferni januis, sunt enim solæ infœcundæ*. Sic vulgo interpretes. Sed hic infœcunditatem fabarum notari non existimo, & inferni januarum. Sed potius quod sint *sine genu, sine misericordia*, & ad illas flectendas lachrymæ volvantur inanes. Sunt ἀγόνατοι, *sine genibus*. Hoc ex parte vidit Porphyrius de Antro Nympha. Κυάμοις οὐκ ἐφιζάνουσιν, οὓς ἐλάμβανον εἰς σύμβολον τῆς κατ' εὐθεῖαν γενέσεως καὶ ἀκαμποῦς. διὰ τὸ μόνον σχεδὸν τῶν σπερματικῶν δι' ὅλου τετρῆσθαι, μὴ ἐγκοπτόμενον ταῖς μεταξὺ τῶν γονάτων ἐμφράξεσι. *Non fabis insident, quas generationis continuæ, rectaque serie progredientis, symbolum statuebant. Quia fabæ ferme solæ inter omnia quæ seruntur, scapo pertuso & perforato sunt, nullis internodiorum obturationibus incisæ & interceptæ*. Hic, secundum Porphyrium, fabæ dicuntur ἀγόνατοι, quod non haberent internodia, articulos, genua, quod inclementiam & inexorabilitatem videtur innuere. Sic signum istud, de quo supra, erat sine genibus, ad καιρὸν ἀγόνατον designandum, erat ipsum ἀγόνατον, non vero ἄνω καμπτὸν γόνυ, & erat ἄνω τὸ γόνυ τετμηκὸς, non κεκμηκὸς, denique erat Ἑρμοῦ δίκλω, non vero Κάμυ vel Καμίλλυ. Sed si Camillus in isto loco non inveniatur, millies tamen alibi occurrit. Dionysii Halicarn A. R. L. II. ταῦτα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπηρετοῦσιν τοῖς ἱερεῦσιν οἱ λεγόμενοι παρὰ Ῥωμαίων Κάμιλλοι. *Hæc ministeria eodem modo sacerdotibus præstabant, qui a Romanis dicuntur Camilli*. Plutarch. in Numa. Καὶ τὸν ὑπηρετοῦντα τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα λέγεσθαι Κάμιλλον. *Florentem puerum, patrimum & matrimum, Jovis sacerdoti ministrantem, Camillum dici*. Statius Tullianus de vocabulis Rerum apud Macrob. ait, *Tuscos, Camillum vocare Mercurium, quo vocabulo significant præministrum Deorum*. Festus, *Antiqui, ministros, Camillos dicebant*. Quod etiam apud Servium invenitur ad XI. Æneid. sic in Glossis Philoxeni. ἱέρεια *Camilla*. Nimirum sacerdos, sacrificula, quæ sacris ministrabat; ut *Camilli* erant sacerdotes, non a Camarim, כפר, ut volunt viri eruditi, sed a voce Arabica quæ ministerium, & ministerium sacrum notat. Nam خدم *Cadam* notat servire, & خدمالله *Cadmala* est *servus Dei*. Ideo Mercurius dicebatur etiam Cadmillus. Lycophron in Cassandra

> Βουλαῖς ἀνάγνοις, ἃς ὁ Καδμίλου γόνος
> Ἤρτυσε.

Consiliis impiis & sceleftis quæ filius Cadmili paraverat. Non est sollicitanda vox Καδμίλου ut voluit Meursius, qui pro Καδμίλου, Κασμίλου legendum existimavit. Recte legitur *Cadmilos*. Phavorinus, Κάδμος οὐ κύριον μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἑρμοῦ ἐπίθετον, οὐ

παράγωγον Κάδμιλος παρὰ Λυκόφρωνι. *Cadmus, non tantum est proprium nomen, sed est & Mercurii epithetum, a quo deducitur Cadmilus apud Lycophronem.* Bene est quod *Cadmilum* legat, quod Meursii emendationem temerariam prodit. Sed male quod a Cadmo, Cadmilum derivatum asserat tanquam diminutivum. Non est a Cadmo, non est a במר sed a ܟܕܡܠܐ *Cadmala* quod notat servum Dei, sicut Θεόδουλος apud Græcos, *Gotschalcus* apud Germanos, *Abdala*, seu אלה עבר apud Hebræos. Sic etiam ܟܕܡܠܐ *Cadmala*, unde *Cadmilus*, quod deinde in *Casmilus*, & *Camillus* deflexit. Quod confirmatur egregio loco Glossarii Syro Arabici ܟܘܡܪܐ inquit, est الحبر خادم الله *sacerdos, servus Domus Dei, vel* خادم *servus Dei, Cadmala.* Camar vero notat revera sacerdotem & sacrificulum, sed alia est istius nominis ratio. Nam notat proprie *nigrescere & atrari*, unde sacerdotes isti vocabantur *Camarim*, quasi nigri & atrati, & induti vestibus tenebricis, ut loquitur Tertullianus. Kimchius in 2. Reg. 23. שחורי לפי נקראו הכמרים והכהנים שניהם עובדים עז במרים אלא שמשתווין בלבושם כי הכמים לובשים *Camarim & Cohanim utrique serviebant idololatriæ & cultui peregrino, & vestimentis suis tantum erant distincti. Nam Camarim vestibus nigris erant induti, & ideo dicuntur Camarim.* Kimkius ad Sophon. C. I. "הכמרים הם לובשים שחורי *Camarim erant induti vestibus nigris.* Quod erat indicium falsorum sacerdotum, qui idolorum cultum curabant & promovebant. Sacerdotes veri numinis *Albis* induebantur, præcipue ii quibus de Genealogia sua sacerdotali controversia non poterat moveri. Qui vero inter sacerdotes veros volebant irrepere, & temere recenseri, & originem suam ex tribu Sacerdotali & Levitica non poterant vindicare & asserere, illi a sacerdotio removebantur, & tanquam pseudo-sacerdotes, nigris induebantur, ut ab aliis, quos albus color ornabat, facile distingui possent. Talmudici in Tractat. Middot. ויוצא וכהן שנמצא בו פסול לובש שחורים ומתעטף שחורים והו לך לו שלא נמצא בו פסול לובש לבנים ותעטף לבנים נכנס ומשמש עם אחין הכהנים. Hæc Latine sic sonant apud Constantinum l'Empereur, Tract. Talmud. Middot. p. 177. *Sacerdos in quo inveniebatur vitium, sive in corpore, sive in natalibus, induebat sibi atras vestes, ac atris involvebat se, itaque egressus abibat. Cui vero non erat vitium, induebat sibi vestes albas, ac se albis involvebat, & ingressus ministrabat cum sacerdotibus fratribus suis.* His gemina leguntur apud Maimonidem in Bait Hammikdasch cap. 6. היו יושבין בלשכת הגזית ודנין את הכהונה ביוחסין ובמומין כל כהן שנמצא בית דין הגדול ומתעטף שחורים ויוצא מן העזרה הכהונה ובודקין את בלבנים ומשמש עם אחיו פסול ביוחסין לובש שחורים הכהנים וכל שנם צא שלם וכשר לובש. *Consessus magnus sedes habet in conclavi lapideo, judicant de genere sacerdotali, & inquirunt de natalibus sacerdotum, & de vitiis eorum: sacerdos quicunque reperitur natalibus inquinatus, induit vestes nigras, quibus amictus egreditur ex Atrio. Quicunque vero reperitur perfectus, & legitimus, induit vestes albas, quibus itidem amictus ingreditur, & sacro ministerio fungitur cum fratribus suis sacerdotibus.* Ad quam consuetudinem, inter Judæos usurpatam, forsan alluditur Apocal. c. 3. vers. 5. Ὁ νικῶν, οὗτος περιβαλεῖται ἐν ἱματίοις λευκοῖς. *Qui vicerit ille vestietur albis*, & versu superiori, περιπατήσουσι μετ' ἐμοῦ ἐν λευκοῖς, ὅτι ἄξιοί εἰσι. *Incedent mecum in albis, quia digni sunt.* In Templo meo se sistent, & Altaria mea circundabunt, albis amicti vestibus, quia digni inventi sunt isto habitu & decore. Nam in illis nulla vitia reperta sunt, & illos Dei esse sobolem, & ex cœlo originem suam derivare, & arcessere, accuratioribus exploratoribus evidenter constabat. Ac proinde digni sunt qui inter veros sacerdotes recenseantur, & albis amiciantur, ut sacerdotes veri Dei. Nam revera Sacerdotes Hebræi albis induebantur. Hinc est quod multi asserant Apostolos, qui locum sacerdotum sub lege nova impleverunt, dictos vulgo *Albos* apud Arabes. Et revera frequentissime vocantur حواريين *Auariin*, quod *albos* notare censuerunt viri doctrina & eruditione conspicui. Videantur Acta Apostolorum, Alcoranus, Avicenna, Auctor Arabs vitarum Apostolorum, & alii, ubi Apostoli frequenter vocantur الحواريين, id est *albi*. De nominis ratione sic olim pronuntiarunt viri magni hujus Athenæi φωστῆρες splendidissimi, quondam præceptores mei, l'Empereur, & Golius: l'Empereur rogatus de voce حواريين sic respondebat. *Vertere licet puri, electi, magnates, denique Apostoli. Etenim est a* חור, *quod primo in variis linguis album significat. Albedine autem puritas & sanctitas indigetatur. Quia vero albæ vestes erant magnatum, ideo Heroes, & primarii, isto nomine veniunt, quasi illustres dicas, valde enim albicantia lucida esse solent. Qualia cum optime videri queant, ipsum verbum & intueri & prospicere significat. Hinc eligendi notio. Itaque Apostoli merito isto veniunt nomine, quia primi puritate, 2. præcellunt reliquis, 3. atque a Christo electi, 4. ut prospiciant aliis.* Hæc vir ille doctissimus, quibus doctrina non cedunt ea quæ ad Suratam 61. Alcorani quondam commentabatur præstantissimus Golius. Sic enim ille. *Dicuntur Havariin, a voce Havar quæ candorem notat. Id est albati, & candidi. Sunt illi qui in Jesum primo crediderunt numero* XII. *Traditur vero a quibusdam eos candidandis vestibus operam dedisse, fullonum instar; sic Gelaldinus. Hoc nugatorium est, inde natum quod eadem dictio Havariion, vulgato usu fullonem notat. Attamen ipso nomine dicti videntur Apostoli, ceu Chaldaice* חורין *candidi, vel quod sinceri amici & ministri Christi vel quod albas induti stolas pingerentur in Oriente, vel quasi φωτίζοντες, vel φωτιζόμενοι, id est prælucentes aliis, aut illuminati, vel pro* חורין *principes*, *Jerem.* 29. 6. Eadem etiam fere habet eruditus Anglus Thomas Gravius Notis ad Versionem Persicam Evangeliorum. In ea quippe Matth. 8. 21. occurrit etiam vox *Havarion*. Ad quam vocem sic Gravius. حواري, *Havaria Fullonem significat, & credunt Muhammedani Apostolos, non piscatores, sed Fullones fuisse. Sic Giladdinus celebris apud illos scholiastes, cujus verba hic apponam, ad Surat. 3. Alcorani* يبيضونها وقيل قصارين يحورون الثياب *Traditur eos Fullones fuisse, & in vestibus candidandis, & dealbandis operam suam collocasse. Eadem habet ad Surat. 61. & similia alius Scriptor dictus* جمع اللغ, *& nisi brevitati studerem, plura hac de re ex eorum scriptis proferri possent. At longe rectius a mentis candore & innocentia, ob vitæ & doctrinæ puritatem, nomen hoc merentur. Illud præterea notandum, non tantum Christi Apostolos, sed etiam ipsius Mahammedis socios, adjutores, & fidelissimos sectatores* حوارون *id est Havarioun & eodem nomine insigniri.* Ubi Apostoli vocantur *Havarion* vel *Havariin*, *Albi*, quocunque genere candoris & albedinis intelligatur. Male Postellus legit *Gevarioune*. Pejus etiam vir magnus olim asserebat Apostolum Thomam a Christianis Orientalibus vocatum *Anania*. Falsum est, vocabatur *Avaria*, id est Apostolus, ab eadem

voce Arabica *Avarion* vel *Avariin*, Apostoli. Hinc apud Avicennam مرهم الحواريين *unguentum Apostolorum* مرهن vel مرهم est μύρον apud Græcos, حواريين est *Hauariin* seu *Apostolorum*. Ibid. vocatur مرهن منذي & مرهن زهرين. Quod cum non intelligeret interpres Gerardus Cremonensis, illud partim prætermisit, & partim reddidit, verbis quæ sensum verborum Arabicorum non repræsentant. Nam prætermisit مرهن منذي, quod notat meo judicio *unguentum præconum* seu *Apostolorum*, & reddidit مرهن زهرين *unguentum Veneris*, cum reddendum mihi videatur *unguentum splendoris*, *candoris*, *albedinis*, id est unguentum Apostolorum, qui Albi dicebantur, vel a candore doctrinæ, vel a puritate morum, vel ab albedine vestium quibus induebantur. Possit quidem, nec sine quadam verisimilitudine, vox *Hauarion* deduci ab *Auaria*, quod Æthiopice notat mittere, & legatum notat, ita ut Apostoli, missi & Angeli dicerentur, & vocarentur ሐዋርያ id est *euntes*, *incedentes*, *missi*, *legati*, *nuncii* &c. sed cum vox *Avarion* sit frequentior apud Christianos Orientales, imo & familiarissima Muhammedanis, potest jure derivari a voce Arabica, ut & Hebraica, quæ *candorem* & *albedinem* notat. Quod nimirum forsan crediderint Apostolos instar Sacerdotum Leviticorum albis indutos fuisse, cum sacris vacare solerent. Quod tamen omnino falsum est: & licet hoc asserant inter Pontificios non obscuri nominis viri, alii tamen contra sentiunt, ut Nicolaus Alemannus in Parietin. Lateranensibus, & alii, qui Apostolos in iisdem decubuisse vestibus profitentur in quibus sacrificarent, ut loquitur Auctor satis antiquus. Et frustra hic trahitur *penula* Apostoli Pauli, de qua 2. Timoth. 4. Syrus reddit ܒܝܬ ܟܬܒܐ *Thecam librorum*. Sic Arabs Erpenianus, apud quem legitur وعا الكتب *vas librorum*, licet in editione Londinen. Polyglottω legatur فيلونيه *Philonium*, seu *penula*. Quod reddiderunt per *domum librorum* seu *Thecam librarium*, sed mallem per *Thecam Calamariam* verba interpretis Syri reddere. Cum postea fiat mentio librorum & membranarum. Quicquid sit de Syra versione, Apostolus nullo modo cogitavit de sacris & Albis vestibus. Cum penula esset nigra, & vestis viatoria, & amictus a peregrinantibus solitus usurpari. Quod profitetur vir doctus media in Roma, qui cum de utraque penula apud florentissimam concionem dissereret, ex illius ore facundo vis veritatis erupit. Sic enim ille, *quod si per penulam intelligunt vestimenti genus Rei sacræ proprium, & ab aliis diversum, primum haud credibile est, in iis angustiis ac pressuris, vacasse primis Christianis, peculiarem habitum, ad rem divinam excogitare: deinde cum antiquior sacerdotum pænula ad amussim fere congruat cum ea quam gentilium ætate in foro usurpabant, jam clarum manet, sacram vestem eo modo accipi non posse. Et revera Joann. Chrysostomus, Theophylactus, Hieronymus, intellexerunt vulgarem & communem eam penulam quam adversus pluviam & frigus olim gestabant. Quæ sententia reliquis proculdubio præferenda est.* Quam sententiam variis argumentis olim asseruisse Sirmundum me quondam monuit vir eruditissimus. Sed periit istud Sirmundi opusculum, cum variis ad Concilium Arelatense Annotatis, quæ non sapiebant palato pontificio, & ideo suppressa, nam imperio societatis sub dominantis erat. Vir tamen ejusdem ordinis, nec minoris ac Sirmundus nominis, sic etiam loqui τολμᾶ. L. de prima missa. *Tametsi admitto D. Paulum habuisse sacras vestes, ad usum sacrificii, tamen eam penulam de qua Paulus ad Timotheum scribebat, fuisse vestem communem habeo persuasissimum. Nam diserte Tertullianus cap. 6. Apolog. penulam sumit pro lacerna itineraria, imbri ac frigori arcendo accommodata. Potuit ergo talis aliqua vestis ab Apostolo significari, cum penulam Troade relictam poposcit; nec est quod suadeat significatam eo nomine vestem sacram ad usum solius sacrificii, quamvis non dubitem, quin D. Paulus vestes a profana & communi distinctas ad usum sacrificii adhibuerit. Itaque dissentio a Cornelio a Lapide, Baronio, Ferrario &c.* Partim vera, partim falsa, illi excidunt. Falsum Apostolos vestibus peculiaribus in sacris usos fuisse. Hoc perridiculum asseruerat Alemannus ipse. Sed verum est penulam fuisse vestem ad usum communem, a Gentibus ipsis usurpatam, & quæ ad sacra & Religionem nullo modo spectabat. Primo Christiani erant Palliati, & Tribone induti. Postea relictis penes Monachos, & Ascetas palliis, presbyteri inceperunt comptiores incedere, & birris & penulis tandem assueverunt. Penula vero, quod ex variis antiquis statuis colligere est, erat vestis viatoria & vulgaris, communis omnibus vestis, pulla, fusca, rufa, raro alba. Unde male *penula Pauli* sumitur pro veste sacra, quasi sacrificio Eucharistico peragendo destinata, & veluti Paulus fuisset λευκοφόρος & alba veste indutus. Iisdem, cum aliis, vestibus utebantur Apostoli. Jacobus Episcopus Hierosolymitanus, nec fuit bysso linove vestitus, nec ingrediebatur Sanctuarium Hierosolymitanum. De illo quidem sic Eusebius ex Hegesippo, l. 2. c. 23. τούτῳ μόνῳ ἐξῆν εἰς τὰ ἅγια εἰσιέναι, οὐδὲ γὰρ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνα, καὶ μόνος εἰσήρχετο εἰς τὸν ναόν. *Unus ex omnibus, in intimum Templi sanctuarium ingrediendi jus facultatemque habebat, neque enim lanicio, sed linea tantum veste utebatur, & solus Templum intrabat*, ut instar sacerdotum Leviticorum, lineis vestibus amictus preces suas funderet. Sed Hegesippum hic fabulam narrare, diu est quod Scaliger palam fecit, in suis ad Eusebium Animadversionibus. Sicut & nos laminam auream Joannis Apostoli & illius sacerdotium, ac proinde illius vestes albas & sacerdotales, de quibus idem Eusebius, L. V. c. 24. longe removenda ostendimus in Variis nostris Sacris. Vestes tamen Apostolorum Joannis & Philippi sacerdotales & Albas fuisse, ineptiori certe, & magis ridiculo argumento contendit Baronius. Nam ad ann. 394. ubi de Theodosio seniore agit, num. x. exhibet nummum ubi expressa est effigies Theodosii, cum hac inscriptione DN. THEODOSIUS P. F. AUG. in adversa vero parte, duæ figuræ sedentes repræsentantur capitibus radiis ornatis, cum hæc altera inscriptione, VOT. XXX. MULT. XXXX. Ad quæ verba Baronius, cujus radiata ista capita oculos perstrinxerant, sic exultabundus differit. *Vides Theodosii senioris veram certamque vultus effigiem. Ex adversa vero numismatis facie, intueris expresse, sacerdotali decoros habitu, geminos illos, quos in visu vidit Apostolos, Joannem atque Philippum expressos reddi. Habes etiam ex his Lector, inter alia, unde antiquum sacerdotalem habitum discas, simulque tonsuram intelligas, atque palliola humeros ac pectus decore ambientia.* Vide quantum erroribus sint obnoxii, & quam sæpe turpiter impingant viri cætera insignes. Nam hic nec apparet Theodosius senior, nec Apostoli Joannes & Philippus, nec vestes sacerdotales. Sunt vestes consulares, sunt imperatores duo Theodosius & Valentinianus, nec est Theodosius

ſenior, ſed junior Theodoſius. Hoc potuiſſe animadvertere Baronius ex inſcriptione numi. Nam ibi nuncupantur, ſolvuntur, multiplicantur vota, nimirum Tricennalia & Quadrageſimalia, ut ita dicam. Hoc volunt iſtæ notæ. VOT. XXX. MULT. XXXX. Quod certe non cadit nec cadere poteſt in Theodoſium ſeniorem. Imperavit enim Theodoſius hic magnus annos tantum ſexdecim. Quomodo ergo potuiſſet nuncupare ſolvere, multiplicare vota tricennalia, & quadragenaria? Junior vero Theodoſius imperavit octo ſupra quadraginta annos, adeo ut minime ſit dubitandum quin numus iſte juniori Theodoſio ſit tribuendus, qui hic cum Valentiniano admodum juvene, ut pote qui annum tantum ageret undecimum, ſociatus repræſentatur, cum veſtibus conſularibus. Fucum fecit Baronio, & illi fraudi fuit, ſplendor radiorum quibus capita Imperatorum Conſulum decorantur, & ornantur. Nam cum Beati & Sancti tali ornamento ſoleant delineari, ſtatim Sanctos & Apoſtolos cogitavit, cum capita Imperatorum ipſorum, qui ut Numina ſæpe coli ſolebant, & ſupra ſortem humanam evehi, tali radiorum apparatu ornata conſpiciantur. Sic, apud Poetam, Latinus

Cui tempora circum
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt.

Sic Plinius in Panegyrico Trajani *radiatum Domitiani caput* ridet, & exſibilat. Sic Auctor Panegyrici Maximiano dicti, *Trabeæ veſtræ triumphales, faſces Conſulares, ſellæ curules, & hæc obſequiorum ſtipatio & fulgur, & ille tam divinum verticem claro orbe complectens*, &c. Poſſet hoc variis exemplis comprobari, ſed nec res, nec locus, nec tempus id agere patiuntur, & notius eſt quam ut multiplici & operoſa teſtium fide adſtrui neceſſe ſit. Sufficit oſtendiſſe Baronium hallucinatum fuiſſe, & fruſtra res ſacras quæſiviſſe, ubi tantum civiles & politicæ occurrebant. Sic præcipiti Religionis ſtudio quidam quærunt, IXO, Jeſum, Chriſtum, Deum in numo TKΘ *Titi, Quintii, Dei*. Sic alii in Numo Apamenſium, in honorem imperatoris Philippi Arabis cuſo, quærunt Noachum & monumentum Diluvii, quod fuſe a nobis alibi reprobatum eſt. Sic in Numo Domitiani nuper edito, quærunt etiam Religionem Chriſtianam, propter crucem, quæ ibi conſpicitur, cum ſit monumentum Iſiacorum ſacrorum, & Ægyptiorum, in quibus frequentes cruces ſolent etiam occurrere. Sic in Numo Theodoſii, Apoſtoli & veſtes ſacerdotales quæruntur, cum ſint tantum imperatoris veſtes Conſulares, a veſtibus Apoſtolorum alienæ, cum Apoſtoli, & Apoſtolorum Diſcipuli, veſtes alias quam communes non ſolerent induere. Prioribus Eccleſiæ ſeculis Chriſtiani pro arbitrio veſtibus utebantur, iis potiſſimum quas apud populares ſuos conſuetudo invexerat. Sæculo exeunte quarto, vel ineunte quinto, Siſinnius Epiſcopus Albis uti voluit. Unde ab aliis carpitur, & arguitur. Sic enim de illo Socrates Hiſt. Eccleſ. l. 2. c. 22. Αλλοτε Αρσάκιον τὸν ἐπίσκοπον κατὰ τιμὴν ὁρῶν, ἠρωτήθη ὑπό τινος τῶν περὶ Αρσάκιον, διὰ τί ἀνοίκειον ἐπισκόπῳ ἐσθῆτα φορεῖ, καὶ ποῦ γέγραπται λευκὰ τὸν ἱερωμένον ἀμφιέννυσθαι. ὁ δὲ, σὺ πρότερον, ἔφη, εἰπὲ ποῦ γέγραπται, μέλαιναν ἐσθῆτα φορεῖν τὸν ἐπίσκοπον. τοῦ δὲ ἐρωτήσαντος ἐν ἀπόρῳ γενομένου πρὸς τὴν ἀντερώτησιν, ἐπήγαγεν ὁ Σισίννιος, ἀλλὰ σὺ μὲν οὐκ ἂν, ἔφη, δεῖξαι δυνήσῃ ὡς δεῖ τὸν ἱερωμένον μέλανα ἀμφιέννυσθαι. ἐμοὶ δὲ καὶ ὁ Σολομὼν παρῄνεσε λέγων, ἔστωσάν σοι ἱμάτια λευκά, καὶ ὁ Σωτὴρ ἐν τοῖς Ευαγγελίοις, λευκῇ φαίνεται ἐσθῆτι χρησάμενος. οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ Μωσῆν καὶ Ηλίαν λευκοφοροῦντας τοῖς Αποστόλοις ἔδειξεν. *Alio quodam die cum Arſacium honoris cauſa inviſeret Siſinnius, a quibuſdam Arſacii familiaribus interrogatus, cur veſtes Epiſcopo minime convenientes geſtaret, & ubinam ſcriptum eſſet ſacerdotem alba veſte indui debere, reſpondiſſe fertur. Tu prior mihi dicas velim, quo in loco ſcriptum ſit, Epiſcopum atra veſte uti debere. Cumque is qui interrogaverat, ad hanc contrariam interrogationem hæreret, ſubjicit Siſinnius, tu quidem oſtendere nunquam poteris, ſacerdotem debere atris veſtibus indui. Me vero Salomon adhortatus eſt dicens, ſint tibi veſtimenta alba. Et Servator noſter in Evangeliis alba veſte uſus eſſe deprehenditur. Moyſen etiam atque Eliam, albis indumentis veſtitos ſuis Apoſtolis oſtendit.* Hic media in Conſtantinopoli, præſente Patriarcha ſeu Archiepiſcopo, inter Epiſcopos, movetur lis & controverſia de veſtibus clericorum, an atri, albi, vel alterius cujuſdam coloris eſſe deberent. Si albus color prævaluiſſet, & ab omnibus clericis fuiſſet uſurpatus, an vel minimum hic occurriſſet argumentum Siſinnium carpendi, illumque inſimulandi novitatis & varietatis? An ſi in ſacris, vel extra ſacra, ſi in Eccleſia, vel in foro, vulgares veſtes albæ, & clericis peculiares fuiſſent, an Siſinnius provocaſſet ad exemplum Chriſti, Moſis, & Eliæ, & ad mandatum Salomonis? An Salvatorem memoraſſet Apoſtolis oſtendentem Moſem & Eliam λευκοφοροῦντας, præterito ipſorum Apoſtolorum exemplo, ſi verum fuiſſet ipſos Apoſtolos & Apoſtolicos viros Albis indumentis amictos fuiſſe? Certe nullus dubito quin forma, figura, color, materia veſtium, inter ἀδιάφορα tunc temporis recenſerentur, & ab arbitrio Eccleſiaſticorum & Eccleſiarum pendiſſe hanc vel illam veſtium figuram, hunc vel illum colorem uſurpare & adoptare. Verum quidem eſt candidum Eccleſiaſticis magis placuiſſe in ſacris, & ſolennibus, & tandem obtinuiſſe. Ad Siſinnium tamen uſque & Conſtantinopoli nigræ veſtes præferebantur. Sic poſtea exiſtimaverim hoc in deſuetudinem abiiſſe. Nam annis poſt Siſinnium ſeptuaginta, in ipſa Conſtantinopoli, Atræ veſtes erant indicium mœſtitiæ & doloris, & in Eccleſia, & extra Eccleſiam. Hoc colligitur ex Theodoro Lectore H E. l. 1. qui narrat Acacium Patriarcham Conſtantinopolitanum, ut dolorem & animi ægritudinem ſignificaret, ob Decretum Baſiliſci Imperatoris, contra Concilium Chalcedonenſe, nigras veſtes ſibi induiſſe, vera ingentis τεκμήρια luctus. τύπῳ γενικῷ Βασιλίσκος τὴν σύνοδον ἐκβληθῆναι προσέταξεν. ἐπέχειτο δὲ τοῦτο καὶ Ακάκιον ποιῆσαι, ὅπερ οὐκ ἴσχυσε, πάσης ὁμοῦ τῆς πόλεως, ἀνδράσιν ἅμα καὶ γυναιξὶν, ἐν τῇ Εκκλησίᾳ κατὰ Βασιλίσκου συναθροισθείσης. Ακάκιος δὲ καὶ ἑαυτὸν, καὶ τὸν θρόνον, καὶ τὸ θυσιαστήριον, μελανοῖς ἐνδύμασιν ἠμφίεσε. *Baſiliſcus generali ſanctione Synodum Chalcedonenſem rejici juſſit. Operam autem dabat, ut idem quoque faceret Acacius; verum id perficere nullo modo potuit; cum univerſa civitas, tam homines quam fœminæ, in Eccleſiam conveniens Baſiliſco obſtitiſſet. Quin etiam Acacius ſemet ipſum, & Cathedram, atque Altare, nigris veſtibus obtexit.* Indicio certiſſimo album, vel alium a nigro, colorem tum temporis obtinuiſſe, cum paulo ante in ipſa Conſtantinopoli, albus color Eccleſiaſticis viris non bene convenire & congruere cenſeretur. Unde facile credi poteſt, veſtium modum arbitrarium, &, ſicut &, nunc, mutationibus obnoxium fuiſſe. Nullaſque ea de re, primis Temporibus in Eccleſia fixas fuiſſe leges, & fortuito totum iſtud veſtium ſacrarum Choragium ex variis hominum ordinibus in Eccleſiam irrepſiſſe;

qui cum variis indumentis uterentur, etiam Christiani facti illa non abjiciebant, nec se contra Ecclesiæ leges peccare existimabant, si semper iisdem vestibus essent amicti, quibuscum, antequam ritibus Christianis initiarentur, solebant incedere. Plebs ut plurimum albis utebatur. Rhetores palliis purpureis, vel croceis, vel albis. Philosophi fuscis & nigris. Quod patet ex Cyrilli Lexico, Basilio Presbytero ad Gregor. Nazianz. Orat. & Theophylacto Simocatta l. 8. Hist. c. 12. Cyrillus, *Τρίβωνες, περιβλήματα τινὰ, τῶν μὲν Ῥητόρων ἐρυθροὶ καὶ φοινικοὶ, φαιοὶ δὲ τῶν φιλοσόφων. Pallia, sunt indumenta quædam Rhetorum & Philosophorum; Rhetorum sunt rubra & purpurea, Philosophorum vero fusca.* Simocatta vero Theophylactus, Atheniensibus Rhetoribus tribuit λευκὸν τριβώνιον, *Pallium album*. Cum vero & plebs, & Sophistæ, & Rhetores, & Philosophi ad Ecclesiam confluerent, & ejuratis erroribus, Christianismum amplecterentur, non mores, nec vestium rationem immutabant, singuli ordinum suorum sæpe servabant habitum, unde diversi in Ecclesia colores, ab Ecclesiasticis & clericis, lapsu temporis fuerunt usurpati. Nam sæpe, iisdem quibus ante Christianismum utebantur vestibus, post etiam utebantur. Hieronymus de Aristide, in Catalogo Scriptorum Ecclesiast. *Aristides Philosophus Atheniensis, & sub pristino habitu discipulus Christi.* Origenes apud Eusebium l. VI. c. 20. de Heracla Presbytero. *πρότερον κοινῇ ἐσθῆτι χρώμενος, ἀποδυσάμενος, καὶ φιλόσοφον ἀναλαβὼν σχῆμα, μέχρι τοῦ δεῦρο τηρεῖ. Primum usus communi veste, quam postea abjiciens, philosophicum habitum induit, & huc usque servavit.* Idem Euseb. l. IV. c. XI. de Justino Martyre. *Μάλιστα δ' ἤκμαζεν ἐπὶ τῶνδε Ἰουστῖνος, ἐν φιλοσόφου σχήματι πρεσβεύων τὸν θεῖον λόγον. Ista tempestate floruit præ omnibus Justinus, sub habitu Philosophi verbum Dei prædicans.* Hinc habitus & pallium nigrum Philosophorum ad Episcopos, Presbyteros, Ascetas, & Monachos transiit, qui sæpissime nigris vestibus induebantur. Quo non referendus locus Ammiani Marcellini l. 22. circa finem, ubi cum de Alexandria, florentissima urbe, varia commemorasset, quæ illam commendarent, inter alia addit. *Ne nunc quidem in eadem urbe Doctrinæ variæ silent. Non apud eos exaruit Musica, nec Harmonia conticuit, & recalet apud quosdam adhuc, licet atros, consideratio mundani motus & syderum, doctique sunt haud numero pauci.* Hæc lectio occupat omnes Ammiani editiones, & nulla codicum varietate reddita suspecta. Suspicionem tamen sensus non bene congruus ingenerat. Unde verba ista, *licet Atros*, sollicitantur. Lindenbrogius ea vexanda non existimat. Et per, *Atros*, Monachos atris & pullis vestibus indutos intelligendos censet. Sed Valesius legit, *licet raros*. Petavius vero improbatis duabus istis lectionibus, *literatos*, legendum existimavit. *Hæ duæ voculæ*, inquit, *sunt depravatæ; nec recte conjiciunt, Christianos, maxime Monachos, intelligi, quos pullatos fuisse constat, neque enim Monachi sese mathematicis præsertim artibus addixerunt. Quare minima mutatione lego, literatos, pro licet atros.* Ego legebam *Hieres & jatros* sacerdotes & medicos. Sed nihil determino, & suum judicium cuique permitto. Sufficit constare Monachos pullatos & atros fuisse, & veluti μελανηφόρους, quod illorum ordo esset dolentis, lugentis, mœrentis, & austeriorem & severiorem vitam aperte profitentis. Hinc est quod & apud Ethnicos in sacris lugubribus nigras etiam induerent vestes, ut supra observatum, sicut & cum numinibus durioribus & καταχθονίοις facerent. Quo refertur locus Servii, qui si recte legeretur pro ut nunc se habet in hodiernis exemplaribus, favere videretur. Sic Servius ad XII. Æneid. *impolluta & pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi, ut neque funesta sit, neque fulgorata, neque maculam habeat* ΘΚ *homine mortuo*. Ad quæ verba vir doctus olim dubius & anxius hæc scripto consignabat. *In hac veste sinus est, qui mihi rugam in fronte excitat. Quæ enim macula est illa,* Θ. Κ. *homine mortuo. Utrumque* Θ. Κ. θεοῖς καταχθονίοις *designare solet in inscriptionibus Græcis passim. Unde vestis* Θ. Κ. *habet homine mortuo, ea forte fuit qua sacerdos usus est, dum subterraneis DIS sacra mortuorum celebraret. An vestis hæc sacerdotalis habuerit literas* Θ. Κ. *illisque fuerit distincta & præfixa, , non memini me alibi legere. Quare non ex Tripode oracula fundo, sed conjecturas & nugas meas, in re obscura ita propono, ut non respuam alienas.* Alius vir doctus recentioris quidem ætatis, sed famæ & doctrinæ non minoris, tangit etiam locum istum Servii, Notis ad l. 2. Constit. Apostol. *Hinc etiam Magistratuum perversa vestis, funesta, & impura, maculam habens* Θ. Κ. θανάτου & κατακρίσεως, *nota ex Seneca* l. 1. de Ira. c. 16. Valerio Maxim. l. 9. l. 12. *& Servio l. 12. Æneid. vers.* 169. Hæc ille more suo docte & acute. Sed certe illi & aliis gratiam possumus facere conjecturarum suarum, alibi meo judicio felicius usurpandarum. Nam vel fallor, vel locus Servii in mendo cubat, quod facile sanari potest. Nam ibi non legendum Θ. Κ. sed, *ex*: non sunt Literæ Græcæ, sed Latinæ, & fit mentio *vestis maculatæ ex homine mortuo*. Non vero *habentis maculam* Θ. Κ. *homine mortuo*. Nam quæ connexio verborum istorum? certe barbara foret, & Servio Grammatico indigna. Scribendum & legendum, *ex*, non Θ. Κ. non opus est hic magno acumine, & maximo molimine maximas nugas agere. Levi brachio conficitur istud negotium & exigua mutatione sanatur iste locus Servii. Hoc revocat mihi in mentem alium locum ejusdem Servii, qui certe olim maximas excitavit turbas, & eruditas rixas. Rem facetam certe & jocosam narrabo. Neque enim prohibiti isti excursus, & licet scribendo jocari, sicut si coram mutuos sermones misceremus. Lutetiæ Parisiorum lis mota est inter eruditos de loco Servii ad Eclog. V. Virgilii; locus sic se habet, *Tria circa Apollinis simulachrum videmus. Lyram quæ nobis cælestis imaginem Harmoniæ refert; gryphenæum, quod & terrenum numen ostendit, sagittas quibus infernus Deus & noxius indicatur.* Omnia hic fere clara & perspicua. Unicum verbum, nimirum *Gryphenæum*, negotium facessebat doctis, & illis crucem figebat. Cum illis omnibus aqua hæreret, oracula peregrina consulenda censuerunt. Scribitur Cadomum, literarum florentissimum Emporium. Bochartus, Briosius, Palmerius, Halleus, alii, alacres eriguntur, & vexatum locum in omnes partes vertunt. Fervet negotium, fervent animi & calami, quilibet Oedipum se præstare contendit, & ad scopum felicius aliis satagit collineare. Ipse ego vix ephebos egressus, & qui Musarum liminibus oscula prima fixeram, nolui esse ἀσύμβολος, & quid valerent tunc nascentes vires volebam experiri. Sed post varias contentiones, & varia sententiarum divortia, levi molimine tota lis fuit composita. Nam cum aperto veteri satis codice MSS. Servii, occurrat *Gryphem æneum*, unde ex mala dispunctione literarum, *Gryphenæum* conflatum fuerat, statim controversia dirimebatur, defervebat acrimonia ista literaria, quilibet mirabatur ἀστοχίαν suam, & singuli sarcinulas suas & quisquilias, doctas, Juppiter! & laboriosas,

colligebant, & sibi servabant. Sic alter locus Servii torsit & fatigavit eruditos, cum omnia sint ibi plana, ut vix hærendi sit locus, nec vel minima asperitas quæ gressum morari & retardare possit. Nulla vestis ibi maculata Θ.K. sed ex mortuo, quod patet ex ipso Servio ad Æn. 4. p. 371. Sed tamen ibi mentio vestis funestæ, nigræ meo judicio & atræ, & ad funus prosequendum aptæ, vel ad Deos inferos colendos. Nam variis victimis utebantur Ethnici, modo albis, modo nigris. Variis etiam Aris, modo Altaribus, modo Focis, modo Mundis, in scrobe nimirum & fossa, & loco obscuro & subterraneo, cum inferis sacra faciebant. Sic etiam vestibus nigris sacra peragebant inferis, & erant Melanophori. Albis vero erant amicti in cultu quo superos prosequebantur, aptis ad gaudium, lætitiam, Deorum munificentiam & benevolentiam, declarandam & significandam. Hinc est quod beati qui perfecte Deum colunt, in albis repræsentantur, ut superius observabam. Et ideo color Albus & Byssus vocantur δικαιώματα τῶν ἁγίων, Apoc. 19. 8. Vulgo reddunt interpretes, *justificationes sanctorum*. Quasi Fideles Sancti hic intelligerentur, qui sunt induti bysso & candore justitiæ Christi, quo justi & credentes in Christum solent justificari. Sed ibi ἁγίων non est masculini generis, sed neutrius, est genitivus pluralis nominativi ἅγια, id est *sancta*, *locus sanctissimus*. δικαιώματα vero non notat semper *justitias & justificationes*, sed *statuta*, *Decreta*, *ceremonias*, *ritus*. δικαιώματα τῶν ἁγίων, sunt *ritus & Ceremoniæ constitutæ*, ut in Sancto Sanctorum semper observarentur. Byssus ergo & vestes lineæ & albæ erant institutæ ad usum Sanctuarii & præcipue cælestis, in quo Sancti & beati albis stolis & vestibus amicti conspiciuntur. Vel quia sacerdotes, ut superius observatum. Vel quia Virgines. Virgines vero in Festis solennioribus vestibus albis induebantur. In Talmud. Babylon. Tract. Bava Batra. לא היו ימים טובים בישראל כחמשה עשר באב וכיום הכפורים שבהן בנות ירושלים יוצאות בכלי לבן *Nulli Dies magis festi sunt Israelitis quam decimus quintus mensis Ab*, *qui* Julio nostro respondet, *& dies Expiationum, quippe quibus filiæ Hierosolymitanæ egrediebantur vestibus albis*. Vel quia Beati sunt Reges & victores. Albus vero Color symbolum victoriæ & Regiæ dignitatis. Vel quia Candidati Resurrectionis gloriosæ. Nam secundum Judæos, Sancti cum vestibus albis, impii vero nigris, amicti ultimo die resurgent. Hinc R. Jochanan in Bereshit Rabbath dicit. לא לבנים ולא שחורים קברו אותי בכלים צבועים בדרוקא שאם עמדתי עם הצדיקים לא אכלם ואם עמדתי בין הרשעים לא אבוש Hæc sic reddidit Manasse Ben Israel, sed illa non intellexit, & in illius verbis nullus congruus fluit sensus. *Sepelite me vestibus tinctis colore Deroca, id est candidis, neque nigris. Ne, quando resurgam inter probos & justos, pudeat mei ob nigras meas vestes. Vel si inter malos & impios resurgam, ne me pudeat mei ob vestes candidas*. Hæc certe non sunt ad mentem & consilium R. Jochanan. Nam si vult vestiri veste coloris *Deroce*, id est candidi, quo modo non pudebit inter improbos, cum veste sua candida? Manasse proculdubio nescivit quid esset *Deraca*, & existimavit esse colorem album. Sed fallitur. *Deraca* videtur decurtatum ex *sandaraca*, quæ ex Verrio apud Festum, est genus *coloris coccinei vel cærulei*. Ex *sandaraca* vel *sandoracha*, factum est *Daracha*. Vestibus Daracha vel sandaracha tinctis & imbutis vult sepeliri R. Jochanan, non nigris, ut impii, non albis, ut justi, ut die Resurrectionis in quo improbi vestibus nigris, & justi vestibus Albis amicti resurgent, & ex mortuis excitabuntur, illum pudor non corriperet, si inter nigros alba, inter albos nigra veste indutus conspiceretur. Hæc verba aliter redduntur in Tractatibus Talmudicis Nidda, & Sabbath. Nam ibi legitur, *sepelite me*, non, *in vestibus*, דרקא, *subrufis & candidis*, sed בכלי האולירים. *In vestibus Ulriarimis*. Sic reddit vir maximus & qui familiam ducit inter φιλανατόλους. Sed vox ista est vox nihili. Et credo האולירים Haoulirim corruptum, & legendum Haourilim, cæruleis, nimirum vestibus, quibus sepeliri volebat, non nigris, instar impiorum, non albis, instar justorum qui in albis debebant resurgere. Beati ergo, quasi jam resurrexissent, ornati sunt indumentis Albis, & vestibus non nigris, non tinctis sandaracha, sed in sanguine Agni Apocal. c. 7. habent λευκὰς στολὰς ἃς ἐλεύκαναν ἐν τῷ αἵματι τοῦ ἀρνίου, non quæ purpureum colorem sibi conciliarint ex sanguine agni, ut vult vir quidam eruditus, vel quæ mundiores sint redditæ & ornatiores, ut volunt viri magni, quasi dealbare & λευκαίνειν, ista omnia significaret. Certe stolæ proprie albæ hic sunt intelligendæ, non quidem in ipso sanguine tinctæ, & sanguineo colore infectæ & saturatæ, ut Tyrio sanguine, sed dealbatæ per meritum sanguinis Agni, quo omnes vestium beatorum sordes delentur & amoventur. Adeo ut Sanctorum vestes sanguine Christi purgatæ, & ab omnibus aliis coloribus & maculis liberatæ, nive & ipsa luce evadant candidiores. Qua loquendi ratione forsan alludit Spiritus Sanctus ad sententiam Judæorum, qui Die expiationis cum Deus placaretur & propitius factus fuisset sacrificio Hirci immolati, & alterius hirci emissarii & ἀποπομπαίου, fasciam Coccineam cornibus hirci, vel Altaris alligatam, statim apparuisse candidam, colore purpureo illico in candidum immutato, fingunt, ut peccata rubicundiora & oculos magis ferientia omnino deleta, expuncta, dealbata significarentur. Quo referunt Judæi verba Esaiæ Proph. c. 1. 18. *si fuerint peccata vestra ut Coccinum, quasi nix dealbabuntur, si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt*. Instar linguæ Coccineæ, quæ, DIE expiationum, subito dealbabatur, cum sanguine, & cæso hirco, & emissario altero, placatus erat Deus. Nam talem fasciam coccineam alligabant, vel capiti & cervici duorum Hircorum, vel ad vestibulum exterius Templi, vel ad interius vestibulum, vel mediam partem ad rupem deserti ad quod Hircus deducebatur, & alteram mediam partem ad cervicem Hirci emissarii. Rabbini in Gemara ad Codicem Joma. תנו רבנן בראשונה היו קושרין לשון של זהורית על פתח אולם מבחוץ הלבין היו שמחים לא הלבין היו עצבין ומתביישין וגו. *Tradunt Rabbini quod in principio alligabant linguam Coccineam ad ostium vestibuli exterioris: si albescebat, lætabantur, si non albescebat, dolebant & confundebantur &c.* Dealbabatur ergo fascia coccinea, sanguine Hircorum die expiationis. Sed stolæ integræ beatorum dicuntur dealbatæ sanguine agni, quo placatus est Deus, & omnis nigredo peccati expuncta & deleta. Hinc stolæ sanctificatorum albæ, sanctitati beatorum, illorum victoriæ, & gloriæ admodum congruentes. Nigræ vestes indicium luctus & miseriæ; albedo & candor, symbolum lætitiæ, & gaudii. Hinc etiam locus Psal. 68. ubi Deus spem prostratam Ecclesiæ suæ excitat & erigit. *Quando sederis inter lapides focarios, tandem aliquando evades liber, & instar columbæ radiabis, & candido jubare coruscabis*. Solatur Ecclesiam in Captivitate Babylonica languentem & jacentem, & dicit. Etiamsi nigrorem contraxeris lebetibus focariis & ollis atriorem, tamen evanescet externa ista luctus & captivitatis facies, & candore & al-

bedine propter libertatem tuam hostes tuos Babylonios & Assyrios superabis, qui columbas colunt, & solent adorare; columbas nimirum albas.

Alba Palæstino culta columba Syro.

Sic *gladius columbæ* apud Jeremiam 25. 38. 46. 16. 50. 16. Soph. 3. 1. est gladius Syrorum & Babyloniorum. Ergo Ecclesia in captivitate nigris vestibus operitur: sed liberata, hostes lætantes & insultantes, imo ipsorum Numina, albedine, cultu, & elegantia, longe vincit & superat. Nimirum illorum columbas, & sydera quæ Babylonii colebant, imo & eorum sacerdotes, qui albis induebantur. Unde vocabantur ברים. *Lino & Bysso induti*. Es. 44. 25. Jerem. 50.36. non a ברא mentiri, ex quo facta vox qua designantur isti Theatrales circulatores, qui simplicioribus imponunt & illudunt, qui dicuntur *des Badins*, quasi mendaces, sed a בר linum, quia sacerdotes isti lino & bysso indui solebant. Contra vero Melanophori nigris amiciebantur, unde derivata est illorum denominatio. Et forsan eadem vox restituenda est Pomponio Melæ loco a viris doctis sollicitato, & vexato. Sic enim ille l. 2. c. 1. circa finem, *Melanchlænis, atra vestis, & ex ea nomen*. Nam non legendum *Melanchimos*, nec *Melanchitona*, nec *Melanchinus*, sed *Melanophoros*. Nam quidam codices habent *Melanosthaοros*, &, ut credo, pro *Melanophoros*. Unde fluxit vox qua isti populi adhuc hodie nominantur, nimirum *Mourophori*, quasi Melanophori.

Hæc de Melanophoris satis, vir Amplissime, & proculdubio plus satis, quæ vereor ne animi ægritudinem, imo pallorem tædiosa lectione concilient, imo & luctum acerbissimum, quem posses atra veste, & Melanophorus, omnibus significare. Ne facias tamen rogo, atque iterum rogo, & aliquid condones voluntati & studio tibi nimis complacendi. Si omnia displicuerint, & vanus fuerit conatus noster, una litura omnia deleas, & nigro notes lapillo.

Interea, vir Amplissime, patiaris me te prosequi verbis & voto Regum sapientissimi, לבנים בכל עת יהיו בגדיך. *In omni tempore sint vestimenta tua candida.*

Festa fluat tibi quæque Dies, & stamina Parcæ
Ducant purpurea candidiora nive.

Tuus omni cultu & observantia

Kal. Maj. CIↃ IↃ C LXXXVI.

LE MOINE

F I N I S.

CLAU-

CLAUDII SALMASII
DUARUM INSCRIPTIONUM
VETERUM
HERODIS ATTICI RHETORIS
ET REGILLÆ CONJUGIS HONORI POSITARUM
EXPLICATIO.

EJUSDEM

AD DOSIADÆ ARAS;
SIMMIÆ RHODII OVUM, ALAS, SECURIM; THEOCRITI FISTULAM,
NOTÆ.

NICOLAO RIGALTIO J.C.
REGIÆ BIBLIOTHECÆ
CURATORI
CL. SALMASIUS S. D.

REMITTO *ad te, Vir eruditiſſime, inſcriptionem Regillæ, quam non ita pridem abs te accepi: pro qua & gratias, quantæ maximæ agi poſſunt, ago, & majores etiam, quam quantas agere poſſum, debere ultro profiteor. Nemo voluptatis ſuæ, cujuſcumque tandem generis illa ſit, ſatis dignam mercedem, aut juſtum pretium ſe perſolvere unquam poſſe putavit. Atquin ſcito me longe maximam cepiſſe ex illius inſcriptionis lectione. Nam præter ipſius carminis ſummam elegantiam, & mere Atticum ſaporem; ac rerum aliquot antiquarum cognitionem, quam hinc tantum, non aliunde liceat haurire, non mediocriter etiam illo nomine mihi placuit, quod meam veterem de Herode Attico conjecturam, quam ſi veriſimilem modo doctis hominibus adprobaſſem, pulcrum ac beatum me putarem, veriſſimam eſſe plane confirmaverit. Viſum igitur mihi eſt, ut priorem illam Herodis ante decennium, plus minus, tertio ab urbe milliari in via Appia effoſſam & repertam, notis olim & verſione inſtructam ad edendum paraveram: ſic iſtam quoque nuper in eodem loco erutam, eodem ornatu quo illam compſeram, a me comptam & compoſitam in publicum emittere. Sed cum in eo eſſem, eodem impetu, ac de eadem opera fideliaque quaſi dealbare libuit obſcura illa, & tenebricoſa poematia, quæ Theocriti vulgariis editionibus adjunguntur; Ovum, inquam, Alas, Aras, & Securim cum Fiſtula; eaque multo ſitu hactenus, & caligine infuſcata elucidare, & antiquo nitori reſtituere. Quæ quidem opuſcula ut cum iſtis Herodis & Regillæ inſcriptionibus jungerem, eo libentius feci, quod argumentum minime ab his diſcrepans aut alienum continerent. Quippe ſi Aras, unam Muſis, alteram Minervæ conſecratam ſpecies: ſi Securim Epei eidem Minervæ, ſi Theocriti Fiſtulam Pani dedicatam conſideres, non male ad hoc inſcriptionum genus referri illa omnia poſſe tibi videbuntur. Nec prohibet, quod multo antiquiores, quam Herodes ſit, auctores habent iſta, quæ nos in ultimum tamen locum rejecimus. Nam & hic ordo rectus eſt, ut quemadmodum a noſtris & vicinis, ad longinquas & toto orbe diviſas penetramus regiones; ſic per ea quæ temporibus noſtris propiora ſunt, ad illa quæ longius antiquitas ſubmovit, quaſi gradibus ac numeris quibuſdam, aſcendamus. Igitur ex duabus Aris, alteram penitus collapſam, ac ſub ruina ſua jacentem, egeſtis ruderibus, excitavimus, & a ſolo reſtituimus: alteram multis locis labefactatam, nec fronte nec baſi ſatis integram, refecimus. Ovum vero ipſum totum conquaſſatum confractumque, collectis ac colligatis felici non minus quam facili manu fragminibus, ſolidavimus, & ex putri carioſoque, quale hactenus a propolis, inter malas vitioſaſque merces circumferebatur, haud ſecus ac ſi a partu recens eſſet, ſanum & integrum, nitidumque ac politum dedimus. Ecquod aliud porro notabilius nobiliuſque factum, quam Alas ſuas Amori reddidiſſe? quas enim antehac truncas, & laceras & pinnis undique defluentibus diſſipatas abjecerat, eas jam meliores factas, ac in priorem faciem atque ordinem*

restitutas, ut resumeret, & se dignas putaret, curavimus. At Epei Securim, quis negare ausit quin eam partim temporum injuria, partim hominum inscitorum qui nimis indiligenter illam tractaverant, incuria, utrimque retusam & nullo jam latere scindentem, totamque rubigine obsessam & obtectam, cote plusquam Naxia vel Samia a nobis tersam & politam, in antiquam aciei bonitatem & splendorem reposuerimus? Quid porro de Panis Fistula dicam? nonne eam jam stridulum quid, atque impeditum sonantem, obturatis foraminibus, & cannis etiam aliquot contusis atque collisis, vix ipsi auctori agnoscendam, sic ab omni parte sanavimus & sarcivimus, ut nunc & illius nomine qui consecravit, & ejus numine cui consecrata est, apparere digna possit? Verum ne quis decipiatur ignarus, ac tot phaleratis, & magnificis nominibus inductus, nos aliquid magni præstitisse censeat, palam dico, hæc mera παίγνια *sunt, quibus veterum poetarum lascivia lusit: Jam & nos quoque ludendo, & aliud agendo, dum nihil habemus majus, aut magis serium, quæ temporum vetustate, aut hominum invetustate in his erant corrupta correximus, quæ implicata explicavimus. Hæc tu, doctissime atque amicissime Rigalti, si premenda judicabis & tenebris damnanda, tuo quoque non invitus judicio, sed admodum libens & pronus accedam. Sin vero promenda ac luce donanda tibi videbuntur, tum idem etiam mihi videri credito. Vale, &*

Hoc habe quidquid est libelli,

Qualecunque, *quod ut amicitiæ nostræ testimonium non parvum extaret in opere non magno, missum ad te volui tibique dedicatum. Divione, ex Museo nostro, X. Kal. Apriles* CIↃ. IↃCXVIII.

CONSECRATIO TEMPLI
IN AGRO HERODIS
ATTICI TRIOPIO.

ΠΟΤΝΙΑΘΗΝΑΩΝ ΕΠΙΕΙΡΑΝΕ ΤΡΙΤΟΓΕΝΕΙΑ
ΗΤΕΠΙ ΕΡΓΑ ΒΡΟΤΩΝ :: ΛΑΙΣ ΡΑΜΝΟΥΣΙΑΣ ΟΥΠΙ
ΓΕΙΤΟΝΕΣ ΑΓΧΙΘΥΡΟΙ ΡΩΜΗΣ ΕΚΑΤΟΝΤΟΠΥΛΟΙΟ
ΠΕΙΟΝΑ ΔΗΚΑΙ ΤΟΝΔΕ ΘΕΑ ΤΕΙΜΗΣΑΤΕΧΩΡΟΝ
ΔΗΜΟΝ ΔΗΩΟΙΟ ΦΙΛΟΞΕΙΝΟΝ ΤΡΙΟΠΑΟ
ΤΟΦΡΑ ΚΕ ΚΑΙ ΤΡΙΟΠΕΙΑΙ ΕΝ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ ΑΛΕΓΗΣΘΟ
ΩΣΟΤΕ ΚΑΙ ΡΑΜΝΟΥΝΤΑ ΚΑΙ ΕΥΡΥΧΟΡΟΥΣ ΕΣ ΑΘΗΝΑΣ
ΗΛΘΕΤΕ ΔΩΜΑΤΑ ΠΑΤΡΟΣ ΕΡΙΓΔΟΥΠΟΙΟ ΛΙΠΟΥΣΑΙ
ΩΣ ΤΗΝΔΕ ΡΩΕΣΘΕ ΠΟΛΥΣΤΑΦΙΛΟΝ ΚΑΤΑΛΩΗΝ
ΛΗΙΑΤΕ ΣΤΑΧΥΩΝ ΚΑΙ ΔΕΝΔΡΕΑ ΒΟΤΡΥΟΕΝΤΑ
ΛΕΙΜΩΝΩΝ ΤΕ ΚΟΜΑΣ ΑΠΑΛΟΤΡΕΦΕΩΝ ΕΦΕΠΟΥΣΑΙ
ΥΜΜΙ ΓΑΡ ΗΡΩΔΗΣ ΙΕΡΗΝ ΑΝΑΓΑΙΑΝ ΕΗΚΕ
ΤΗΝ ΟΣΣΗΝ ΠΕΡΙ ΤΕΙΧΟΣ ΕΥΤΡΟΧΟΝ ΕΣΤΕΦΑΝΩΤΑΙ
ΑΝΔΡΑΣΙΝ ΟΨΥΓΟΝΟΙΣΙΝ ΑΚΙΝΗΤΗΝ ΚΑΙ ΑΣΥΛΟΝ
ΕΜΜΕΝΑΙ ΗΔΕΠΙΟΙ ΕΞΑΘΑΝΑΤΟΙΟ ΚΑΡΗΝΟΥ
ΣΜΕΡΔΑΛΕΟΝ ΣΕΙΣΑΣΑ ΛΟΦΟΝ ΚΑΤΕΝΕΥΣΕΝ ΑΘΗΝΗ
ΜΗΤΩΙ ΝΗΠΟΙΝΟΝ ΒΩΛΟΝ ΜΙΑΝ Η ΕΝΑ ΛΑΑΝ
ΟΧΛΙΣΣΑΙ ΕΠΕΙ ΟΥ ΜΟΙΡΕΩΝ ΑΤΡΕΙ'Σ ΑΝΑΓΚΑΙ
ΟΣΚΕΘΕΩΝ ΕΔΕΕΣΣΙΝ ΑΛΙΤΡΟΣΥΝΗΝ ΑΝΑΘΗΙΗ
ΚΑΥΤΕ ΠΕΡΙΚΤΙΟΝΕΣ ΚΑΙ ΓΕΙΤΟΝΕΣ ΑΓΡΟΙΩΤΑΙ
ΙΕΡΟΣ ΟΥΤΟΣ Ο ΧΟΡΟΣ ΑΚΙΝΗΤΟΙ ΔΕ ΘΕΑΙΝΑΙ
ΚΑΙ ΠΟΛΥΤΙΜΗΤΟΙ ΚΑΙ ΥΠΟΣΧΕΙΝ ΟΥΑΣ ΕΤΟΙΜΑΙ
ΜΗΔΕΤΙΣ ΗΜΕΡΙΔΩΝ ΟΡΧΟΥΣ Η ΕΝΑΛΣΕΑ ΔΕΝΔΡΩΝ
Η ΠΟΙΗΝ ΧΙΛΩΙ ΕΥΑΛΔΕΙ ΧΛΩΡΑ ΘΕΟΥΣΑΝ
ΔΜΟΗΝ ΚΥΑΝΕΟΥ ΑΙΔΟΣ ΡΗΞΙΕ ΜΑΚΕΛΛΑΝ
ΣΗΜΑ ΝΕΩΝ ΤΕΥΧΩΝ ΗΕ ΠΡΟΤΕΡΟΝ ΚΕΡΑΕΙΞΩΝ
ΟΥ ΘΕΜΙΣ ΑΜΦΙ ΝΕΚΥΣΣΙ ΒΑΛΕΙΝ ΙΡΟΧΘΟΝΑ ΒΩΛΟΝ
ΠΛΗΝ ΟΚΕΝ ΑΙΜΑΤΟΣ ΗΙΣΙ ΚΑΙ ΕΓΓΕΝΟΣ ΕΣΣΑΜΕΝΟ
ΚΕΙΝΟΙΣΔΟΥΚ ΑΘΕΜΙΣΤΟΝ ΕΠΕΙ ΤΙΜΑΟΡΟΣ ΕΣΤΩΡ
ΚΑΙ ΓΑΡ ΑΘΗΝΑΙΗ ΠΕΡΙ^{οι} ΧΘΟΝΙΟΝ ΒΑΣΙΛΗΑ
ΝΗΩΙ ΕΓΚΑΤΕΘΗ ΚΕ ΣΥΝΕΣΤΙΟΝ ΕΜΜΕΝΑΙ ΙΡΩΝ
ΕΙΔΕΤΩΙ ΑΚΛΥΤΑ ΤΑΥΤΑ ΚΑΙ ΟΥΚ ΕΠΙΠΕΙΣΕΤΑΙ ΑΥΤΟΝ
ΑΛΛΑ ΠΟΤΙΜΗΣΕΙ ΜΗ ΟΙ ΝΗΤΙΤΑ ΓΕΝΗΤΑΙ
ΑΛΛΑ ΜΙΝ ΑΠΡΟΦΑΤΟΣ ΝΕΜΕΣΙΣ ΚΑΙ ΡΟΜΒΟΣ ΑΛΑΣΤΩ
ΤΙΣΟΝΤΑΙ ΣΤΥΓΕΡΗΝ ΔΕ ΚΥΛΙΝΔΗΣΕΙ ΚΑΚΟΤΗΤΑ
ΟΥΔΕ ΓΑΡ ΙΦΘΙΜΟΝ ΤΡΙΟΠΕΩ ΜΕΝΟΣ ΑΛΙΟ ΛΙΔΕΩ
ΩΝΑΘ ΟΤΕ ΝΕΙΟΝ ΔΗΜΗΤΕΡΟΣ ΕΞΑΛΑΠΑΞΕΝ
ΤΩ ΗΤΟΙ ΠΟΙΝΗΝ ΚΑΙ ΕΠΩΝΥΜΙΗΝ ΛΑΣΑΣΘΑ
ΧΩΡΟΥ ΜΗΤΟΙ ΕΠΗΤΑΙ ΕΠΙΤΡΟΠΙΟΣ ΕΡΙΝΥΣ.

IIDEM VERSUS,

UT LEGI DEBENT.

ΠΟΤΝΙ' Ἀθηνάων ἐπιείρανε Τριτογένεια,
Ἣτ' ἐπὶ ἔργα βροτῶν ἐλαῖς, Ῥαμνουσιὰς Οὖπι,
Γείτονες ἀγχίθυροι Ῥώμης ἑκατονταπύλοιο.
Πείονα δὴ καὶ τόνδε θεὰ τιμήσατε χῶρον,
Δῆμον Δηῷοιο φιλόξεινον Τριόπαο.
Τόφρα κε καὶ Τριόπειαι ἐν ἀθανάτοισι λέγησθον.
Ὡς ὅτε καὶ Ῥαμνοῦντα, καὶ εὐρυχόρους ἐς Ἀθήνας
Ἤλθετε, δώματα πατρὸς ἐριγδούποιο λιποῦσαι.
Ὡς τήνδε ῥώεσθε πολυστάφυλον κατ' ἀλωήν,
Λήϊά τε σταχύων καὶ δένδρεα βοτρυόεντα,
Λειμώνων τε κόμας ἁπαλοτρεφέων ἐφέπουσαι.
Ὕμμι γὰρ Ἡρώδης ἱερὴν ἀνὰ γαῖαν ἔηκε,
Τὴν ὅσσην περὶ τεῖχος εὔτροχον ἐστεφάνωται,
Ἀνδράσιν ὀψιγόνοισιν ἀκινήτην καὶ ἄσυλον
Ἔμμεναι. ἡδ' ἐπὶ οἷ ἐξ ἀθανάτοιο καρήνου
Σμερδαλέον σείσασα λόφον κατένευσεν Ἀθήνη,
Μήτω νήποινον βῶλον μίαν, ἢ ἕνα λᾶαν
Ὀχλίσσαι. ἐπεὶ οὐ μοιρέων ἀτρεῖες ἀνάγκαι,
Ὅς κε θεῶν ἑδέεσσιν ἀλιτροσύνην ἀναθείη.
Κλῦτε περικτίονες, καὶ γείτονες ἀγροιῶται.
Ἱερὸς οὗτος ὁ χῶρος. ἀκίνητοί δὲ θέαιναι,
Καὶ πολυτίμητοι καὶ ὑποσχεῖν οὔας ἑτοῖμαι.
Μηδέ τις ἡμερίδων ὄρχους, ἢ ἐναλσέα δένδρων,
Ἢ ποίην χιλῷ εὐαλδέϊ χλωρὰ θέουσαν
Δμωῇ κυανέου Ἄϊδος ῥήξειε μακέλλῃ,
Σῆμα νέον τεύχων, ἢ ἐ πρότερον κεραΐζων.
Οὐ θέμις ἀμφὶ νέκυσσι βαλεῖν ἱερόχθονα βῶλον.
Πλὴν ὅ κεν αἵματος ἦσι καὶ ἔγγονος εἰσαμένοιο.
Κείνοις οὐκ ἀθέμιστον, ἐπεὶ τιμάορος ἔστωρ.
Καὶ γὰρ Ἀθηναίη περὶ οἱ χθόνιον βασιλῆα
Νηῷ ἐγκατέθηκε συνέστιον ἔμμεναι ἱρῶν.
Εἰ δέ τῳ ἄκλυτα ταῦτα, καὶ οὐκ ἐπιπείσεται αὐτοῖς.
Ἀλλ' ἀποτιμήσει, μή οἱ νήτιτα γένηται.
Ἀλλά μιν ἀπρόφατος Νέμεσις καὶ ῥόμβος Ἀλάστωρ
Τίσονται, στυγερὴν τε κυλινδήσει κακότητα.
Οὐδὲ γὰρ ἴφθιμον Τριόπεω μένος Αἰολίδαο
Ὤναθ' ὅτε νειὸν Δημήτερος ἐξαλάπαξεν.
Τῷ ἤτοι ποινὴν καὶ ἐπωνυμίην ἀλέασθαι
Χώρου, μή τοι ἕπηται ἐπὶ Τριόπειος Ἐριννύς.

O Bona Athenarum præses, Tritonia virgo,
Cuique hominum curæ res sunt, Rhamnusias Upi.
Urbis vicinæ, quæ stat centum inclita portis,
Hunc & vos celebrate locum pinguem ubere glebæ,
Dictum Deoi Triopæ de nomine pagum:
Ut notæ hinc sitis, Triopeja numina, Divæ.
Ac velut Actæas si quando invisitis arces,
Et Rhamnuntem, alto delapsæ vertice cæli;
Sic Divæ huc properate, hæc consita vitibus arva,
Et lætas segetes, & amicta arbusta racemis
Lustrantes, mollique virentia gramine prata.
Vobis Herodes tellurem hanc rite sacravit,
Quanta patet, circum muri vallata corona,
Usque vel ad seros mansura intacta nepotes.
Sic namque horrificas divino vertice cristas
Concutiens, visa est nutu assensisse Minerva:
Non glebam hinc ulli, lapidemve impune movendum.
Nec Parcæ faciles, aut illi parcere promptæ,
Qui divum sanctas violaverit impius ædes.
Auribus accipite hæc, vicina & rustica pubes.
Hic sacer est locus, & divæ non sede movendæ,
Multa coli dignæ, atque aures adhibere paratæ.
Dispositas ne quis vites, arbustaq. læta,
Et late irrigui viridantem graminis herbam,
Audeat orcivo fodiens exscindere rastro,
Sive novum statuat, vetus evertatve sepulcrum.
Luce nefas cassum sacra circundare terra,
Ni trahat ex illo genus, hanc qui condidit ædem.
Olli quippe licet: Testis vindexque, Minervæ
Numine præpositus, nigri regnator Averni,
Et templo, & pariter sacrorum acceptus honore.
Hæc si audita neget sibi quis, neque scire laboret,
Insuper aut habeat, non impunitus abibit.
Hunc cita sed Nemesis, atque irrequietus Alastor
Tristibus urgebunt tali pro crimine pœnis.
Nec Triopam quondam, cui sanguinis Aeolus auctor,
Juvit, sacratum Cereri temerasse novale.
Quisquis eris, pœnamque loci, nomenque memento
Ut fugias, ne te Triopea sequatur Erinnys.

CLAUDII SALMASII NOTÆ.

EGREGIUM ac præclarum vetustatis monumentum, & quo nobilius atque illustrius aliud non habet luculentus ille veterum inscriptionum Thesaurus summo labore, mirabilique industria a Grutero nostro V. CL. collectus. Quis autem fuerit hujus egregiæ inscriptionis auctor, quæsivere viri doctissimi. Atque ipse quidem Herodem se nominat illo versu;

> Ὑμμὶ γὰρ Ἡρώδης ἱερὴν ἀνὰ γαῖαν ἔθηκε.

Sed quis iste Herodes, rex an privatus, liber an servus, albus an ater fuerit, tam nesciri scio, quam vix sciri posse arbitror. De privato regem facere voluere docti homines: quibus testibus aut argumentis, nondum assequi potui. Nihil enim tale ex tota inscriptione, legas ac perlegas licebit, elicere possis. Nam quod illum trigesimum inscriptionis versum adducunt, ad regnum regiumque genus isti Herodi asserendum, si sententiam ejus versiculi pensiculatius explorassent, aliud eos pronuntiaturos fuisse non dubito. Ut concedam Herodem qui heic nominatur, fuisse illum magnum Judæorum regem, (quod minime tamen concedo) illo tamen testimonio, quo volunt regnum ejus confirmari stabilirique, nihil invalidius esse, nihil incertius affirmare ausim, immo nihil falsius. Quod ostendam pluribus ad locum ipsum. Nunc illam de Herode rege opinionem paucis confutemus. Ajunt Magnum Herodem, quem Judæis regem imposuit Augustus, ut versutum ac versatilem in omnibus rebus, sic in religione quoque fuisse, quam sæpe ad arbitrium & suum & aliorum mutabat, temporibus & locis eam accommodans, cum Augusto gratificari studeret, a quo precarium regnum obtinuerat. illum igitur, qui his moribus esset præditus, & religione non aliter quam quodam ambitionis instrumento uteretur, cæterorum principum ac potentum more, inter Judæos quidem pro Judæo se gessisse, inter Græcos Græcam consuetudinem & ceremoniarum ritum usurpasse. Non jam de Herode, atque ejus religione disputo, nec abnuo quin his moribus fuerit; sed an hæc ejus inscriptio fuerit: quod ut credamus, non illa sola ratio potest efficere, quæ de Herodis ambitione & cupiditate imperii sui monumenta ad posteros transferendi adfertur. Adeo enim verisimile non est regem heic Herodem designari, ut potius incredibile prorsus mihi videatur ullam ejus hac inscriptione fieri mentionem. Nimis multa sunt quæ hanc sententiam refellant; illud omnium maxime: quis enim credat, aut cuinam probabile videri queat, tantæ celebritatis loco ac tam urbi propinquo, callidum principem & qui gratificari cuperet Augusto, tribus ab urbe milliaribus, in fundo suo posita columna regem appellari se voluisse, nec regem quidem simpliciter, sed generis humani regem? Quis hæc potuisset videre, quis potuisset pati, ut Judææ regulus qui principum Romanorum beneficio regnum obtinebat, honorem divinæ domus ambiret, & titulum dominorum suorum usurparet? Ambitiosus sane fuerit, non fuisse tam stultum facile mihi persuadeo. Satis enim habuisset Ἰουδαίων βασιλῆα inscribere se, non χθονίων. Omitto alia longe absurdiora, quæ illam interpretationem sequerentur, & plura suo loco dicemus. Diximus, qua licuit, & ostendimus hunc Herodem, cujus in hac inscriptione nomen positum est, nec fuisse, nec esse posse regem illum Herodem, quem Antonius & Augustus imposuere Judæis. Alium igitur Herodem quæramus. Si post regem notissimus aliquis quærendus est, notiorem alium non novi Herode Attico, celeberrimo Rhetore temporibus Hadriani, Antonini Pii & Marci Philosophi imperatorum. Quem auctorem hujus antiqui monumenti, non injuria posset aliquis suspicari, vel hac maxime ratione, quod in alium magis convenienter hæc suspicio cadere non possit. Haud valde validum, inquies, argumentum. Nec ego sane pro valido, aut valde firmo vendito. Sed conjecturæ tantum vice illud propono, quam eo nomine mihi blandiri non inficias eo, quod nihil absurdi præ se ferat, ut illa de Herode Tetrarcha, utpote quæ nec fundum habeat, nec rationem. Spectata præterea consuetudine illius Herodis Attici, quam refert in ejus vita Philostratus, magis magisque in eam sententiam accedo. Scribit enim hunc Rhetorem alumnorum suorum statuas solitum consecrare, in agris, in sylvis, ad fontes, & aliis celeberrimis locis, cum imprecationibus eorum qui moverent illas sede sua, vel detraherent. quod aperte in hac fundi dedicatione factum ab illo videmus. Locus Philostrati est egregius, & huc eximie facit: *εἰκόνας γοῦν ἀνετίθει σφῶν θηρώντων τε καὶ θηρακότων, καὶ τεθηρασόντων· τὰς μὲν ἐν δρυμοῖς· τὰς δ' ἐπ' ἀγροῖς· τὰς δὲ πρὸς πηγαῖς· τὰς δὲ ὑπὸ σκιαῖς πλατάνων, οὐκ ἀφανῶς, ἀλλὰ ξὺν ἀραῖς τοῦ περικόψοντος, ἢ κινήσοντος.* Quis non agnoscit eumdem in hac inscriptione genium, & in illa Farnesianæ columnæ ejusdem ut auctoris, ita & argumenti? Vides enim Herodem statuas deliciis suis ponentem, venantum habitu, & fundum hunc *θεοῖς συμβώμοις* dedicantem, *σὺν ἀραῖς τοῦ μετακινήσαντος*. Nam *ἀραὶ* nunquam concipiebantur absque alicujus ex Diis inferis compellatione, atque adtestatione, ut in hac inscriptione:

> Μήπω νήποινον βῶλον μίαν ἢ ἕνα λᾶαν
> Ὀχλίσαι, ἐπεὶ οὐ μοιρέων ἄτρεπες ἀνάγκαι.

appellat paulo post testem & vindicem Ditem sive Plutonem:

> —— ἐπεὶ τιμάορος ἔσωρ.
> Καὶ γὰρ Ἀθηναίη περὶ οἱ χθόνιον βασιλῆα
> Νηῷ ἐγκατέθηκε.

Et in illa Farnesiana: *οὐδενὶ θεμιτὸν μετακινῆσαι ἐκ τοῦ Τριοπίου.* Omnes igitur hujuscemodi consecrationes *ξὺν ἀραῖς* sunt conceptæ, & majorem religionem continent quam quæ sine imprecationibus fiunt. Hoc est quod dixit Philostratus, *οὐκ ἀφανῶς, ἀλλὰ ξὺν ἀραῖς τοῦ κινήσοντος.* Non enim latere aut dissimulari poterant consecrationes & dedicationes *ξὺν ἀραῖς* factæ. Periculum quippe magnum significabant, & denuntiabant iis, qui adversus

confecrationis legem feciffent. Nec poterat aliquis ignorantiæ excufatione defungi. Tenebantur enim omnes inquirere & fcifcitari, quænam effet loci religio. Alias contemptui religionis hæc voluntaria ignorantia afcribebatur. quod clare demonftratur in fine hujus infcriptionis, his verbis:

> Εἰ δέ τῳ ἄκλυτα ταῦτα, καὶ οὐκ ἐπιπεύσεται αὐτοῦ,
> Ἀλλ' ἀποτιμήσει, μή οἱ νήτιτα γένηται. id eft,
> *Si cui hæc inaudita fuerint, neque fcifcitatus fuerit,*
> *Sed infuper habuerit, non impune ferat.*

Dedicationes aliter conceptæ ἀφανεῖς erant, ut parvæ auctoritatis & nullius pene religionis: vim enim religionis intendunt imprecationes adjectæ. Nulla autem confecratio paulo majoris momenti fiebat, abfque ἀρῶν ajectione. De qua nos alibi pluribus in noftris ad Hiftoriam Auguftam animadverfionibus. Hinc in ifta infcriptione, μοῖραι, πλούτων, νέμεσις, ἀλάστωρ, ἐριννύς. Et in Farnefiana: δαίμων ἐνοδία, κόρη, χθόνιοι θεοί. Hi enim omnes χθόνιοι θεοὶ funt, & horum appellatione diræ & imprecationes in confecrationibus concipiebantur. Sed hæc hactenus. Quæftionis autem poffet effe, unde Athenienfis ille Rhetor vel Sophifta, loco tam propinquo urbis Romæ ædificare, & dedicare Τελόπιον inftituerit, & an fundum eo loci ita appellatum habuerit? Sed quare dubitemus, cum hæc infcriptio dubitationem omnem tollat? Herodes nomen Romanum non èft. Græculum igitur oportet effe, cujus hoc Τελόπιον fuit, tribus milliaribus ab urbe diftans. Quæcumque igitur dubitandi caufa in hujus Herodis Attici perfona poteft intervenire, & in alium quemvis Herodem cadit. De hoc autem Herode Athenienfi propterea minus dubitamus, quod fciam eum multa opera & ædificia publica, multis locis in Italia & Græcia & inftauraffe, & de novo feciffe, ftatuas, templa, balnea, aquarum ductus; fimulacra multa pofuiffe: ditiffimus enim fuit, & magnificentiffimus: de quibus vide Philoftratum in ejus vita. Is refert Canufium eum in Italia mœnibus inftauraffe & aquam in oppidum induxiffe, cujus maxime indigebat. ᾤκισε δὲ, inquit, καὶ τὸ ἐν Ἰταλίᾳ Κανύσιον ἡμερώσας ὕδατι μάλα τοῦτο δεόμενον. Quominus mirum fit Τελόπιον fundum fic appellatum, in via Appia dedicaffe. Nam & Conful fuit Herodes & Marci præceptor, & uxorem Regillam duxerat, fororem Braduæ nobiliffimi viri & confularis, cujus nomen corruptum eft apud Philoftratum: ἐπὶ τούτοις ὡς ἀληθέσι γράφεται αὐτὸν φόνον Βραδείας ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφὸς δοκιμώτατος ὢν ἐν ὑπάτοις. Scribendum Βραδούας ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφός. Duos Braduas confules in Faftis reperio, unum M. Atilium Braduam, qui conful fuit cum Annio Trebonio Gallo fub Trajano: alterum Appium Annium Braduam, qui cum T. Vibio Varo confulatum geffit fub Antonino Pio imperatore. utrius horum foror fuerit Regilla, uxor Herodis, alio loco difquiram. Mihi tamen propemodum conftat M. Atilii Braduæ fororem fuiffe. rationes alibi reddam. Hæc de auctore hujus monumenti dixiffe fufficiat. Sit fane quilibet, dum ne fit Judæus ille. De Attico valde mihi placeret, quod dubitanter a me dictum velim. quis etiam affirmare aufit? dicam tamen, non alium mihi notum Herodem, cui magis adfcribi conveniat hanc veterem ἐπιγραφήν.

ΠΟΤΝΙΑΘΗΝΑΩΝ) Minervam & Nemefim συγχόρτους in eodem loco colendas inftituiffe Herodem ad hunc locum fcripfit vir eruditiffimus. συγχόρτους θεοὺς adhuc non legi. Σύνναοι fane & σύμβωμοι dicebantur qui in eodem templo eademque ara pofiti fimul colebantur. Hos συγχόρτους qui vocet, poetam aut oratorem aliquem nondum vidi. Omnes Dii σύνναοι, non erant utique & σύμβωμοι. at qui σύμβωμοι, eofdem omnino & συννάους fuiffe neceffe eft, ut hoc loco Minerva & Nemefis funt σύμβωμοι. Pluton autem σύνναος tantum, non etiam σύμβωμος. ex hoc verfu apparet:

> Καὶ γὰρ Ἀθηναίη περὶ οἱ χθόνιον βασιλῆα
> Νηῷ ἐγκατέθηκε συνέστιον ἔμμεναι ἱρῶν.

Pluton igitur σύνναος, non etiam σύμβωμος Adrafteæ & Minervæ, ipfæ vero σύμβωμοι· quas & fimul nominat Catullus de Nuptiis Pelei & Thetidis:

> *Aut rapidi Tritonis hera, aut Rhamnufia virgo*
> *Præfens victrices fæpe eft hortata catervas.*

DI SYNNAVI vocantur in veteri quadam infcriptione. In epigrammate Leonidæ Mercurius & Hercules σύμβωμοι ponuntur; in alio item epigrammate Bacchus & Minerva. Minus mirum in hac infcriptione Minervam & Adrafteam συμβώμους collocari: at in epigrammate queritur Minerva, ut virgo & fobria, ebriofo deo Bromio σύμβωμον fe datam. Bacchus etiam in alio palam profitetur fibi non bene convenire cum Hercule ἀδηφάγῳ quem σύμβωμον habebat, cum ille quod utrique in commune effet appofitum, folus comederet, & leonina focietate fecum ageret. Epigramma longe venuftum & elegans, quod adfcribere non pigebit, ut aliquot mendis eluam quibus laborat. imperfectum vulgo fufpicati funt doctiffimi viri, & ad fententiam aliquid defiderari: itaque duobus verfibus auxerunt; fed non erat neceffe. Dorice autem fcriptum eft, & fic e vetuftiffimo Codice Palatino reftituendum:

> Ὦ τᾶνδε στείχοντες ἀταρπιτὸν, αἴτε ποτ' ἀγροὺς
> Δαμόθεν, αἴτ' ἀπ' ἀγρῶν νεῖσθε ποτ' ἀκρόπολιν,
> Ἄμμες ὅρων φύλακες δισσοὶ, ὧν ὁ μὲν Ἑρμᾶς
> Οἷον ὁρῇς μ', οὗτος δ' ἄπρος Ἡρακλέης.
> Ἄμφω μὲν θνατοῖς εὐάκοοι, ἀλλὰ ποθ' αὐτοὺς
> Αἴτ' ὠμὰς παραθῇς ἀχράδας, ἐγκέκαφεν.
> Ναὶ μὰν ὡσαύτως τὼς βότρυας, αἴτε πέλονται
> Ὥριμοι, αἴτε χύδαν ὄμφακες, εὐτρέπικεν.
> Μισέω τὰν μετοχὰν, οὐδ' ἥδομαι· ἀλλ' ὁ φέρων τι
> Ἀμφ' ἐνὶ κοινᾷ τοῖς δυσὶ παρτιθέτω.
> Καὶ λεγέτω, τῆ τοῦθ' Ἡράκλεες· ἄλλό τε τοῦτο
> Ἑρμᾶ. καὶ λύοι τὰν ἔριν ἀμφοτέρων.

in vulgatis Anthologiæ codicibus legitur:

> —— ἀλλὰ ποθ' αὐτοὺς
> Αὐτῷ μοι παραθεὶς ἀχράδας ἐγκέκαφεν.

quæ corruptiffima funt, & nullum fenfum efficiunt. In optimo libro Palatinæ Bibliothecæ fcriptum erat, αἴτ' ὠμαὶ, ex quo nos fecimus, αἴτ' ὠμὰς παραθῇς. five, inquit, crudas piros apponas, five maturas, tantundem eft, omnia vorat: fic & de uvis, & coctas & acerbas appofitas folet devorare. Nihil igitur deeft, ut fufpicabatur vir eruditiffimus, quem fefellit hæc locutio, ποθ' αὐτοὺς· Græci enim ἑαυτὸν pro ἐμαυτὸν, & ἑαυτοὺς pro ἡμᾶς ponunt; nec poetæ tantum, fed etiam oratores: quod paffim obvium eft illorum fcripta pervolutantibus, idque etiam in recentiorum fcriptis occurrit. Palladius in Laufaico de Philoromo: ἰδίοις ἀπελθὼν ποσὶν καὶ ἀναλώμασιν ἑαυτὸν ἐπαρκέσας· pro ἐμαυτὸν· & perperam corrigunt. Idem alibi: ἐὰν γὰρ τοῦτο μὴ γένηται, ἢ ἀγχόνῃ ἔχω χρήσασθαι, ἢ ἑαυτὴν δισκεῦσαι· ἑαυτὴν pro ἐμαυτήν. nihil enim mutandum eft. Συν-

νέργιοι

νέρκιοι etiam dicebantur qui in eodem templo colebantur Dii. Hercius Juppiter notus, & Hercii lares. Hinc σωνέρκιοι, qui sub eodem tecto culti. Tertullianus adversus Valentinianos: *Interim in tricenario fœcunditas tota deficit: castrata est vis, & potestas, ac libido genitalis Æonum, quasi non & numerorum tanta adhuc coagula superessent & nulla alia de pædagogio nomina: quare enim non & synerceiæ & syntrophæ nominantur?* hoc est σωνέρκειοι καὶ σωύτροφοι. Hodie legitur apud Tertullianum *sterceiæ*, corruptissime. σωνέρκιοι vel σωνέρκειοι sunt quos dixi. Sophocles, — ἑρκίε σέγης. At vir doctissimus nescio quas ibi *stercias* somniat, quas ὁρμαθὸς interpretatur, inductus vitiosa scriptura, quæ in glossis habetur: *Steria*, ὁρμαθός· quod cum reperisset, *stercia* statim legendum pronunciavit: & bene sic sibi processisse τὸ εὕρημα putavit: quo quid ineptius fingi potest? nemo non videt in illo glossarii loco scribendum: *Seria*, ὁρμαθός. *seria* pro *series*, ut *planitia* pro *planities*, & similia sexcenta: in iisdem glossis, *Series* ὁρμαθὸς exponitur. Colligunt autem docti viri alios etiam Deos præter Adrasteam & Minervam in eo templo fuisse dedicatos: nam in Farnesiana columna mentio fit Cereris, Proserpinæ & Hecates. Sed sciendum est diversam esse Deorum illorum causam: citantur enim ibi, & adducuntur tanquam testes & vindices in eos futuri qui contra legem consecrationis fecerint. Τριόπιον, ut dixi, & totum illud territorium Nemesi & Minervæ dedicatur. Dii autem inferi, ut Pluto, Ceres, Proserpina, Hecate, adversus violatores invocantur: nunquam enim ἀραὶ concipiebantur absque invocatione inferorum deorum: in hac igitur inscriptione Dis pater testis invocatur; in illa vero Farnesiana, Ceres, Proserpina, & Hecate. Et hæ divæ inter χθονίες, & inferos deos. μάρτυς δαίμων ἡ ἐνοδία. καὶ οἱ κίονες Δήμητρος καὶ κόρης ἀνάθημα καὶ χθονίων θεῶν. Δημήτηρ & κόρη inter χθονίες. Artemidorus: χθόνιοι δὲ Πλέτων καὶ Περσεφόνη, καὶ Δημήτηρ, καὶ Κόρη, καὶ Ιακχος καὶ Σάραπις καὶ Ισις καὶ Ανεβις, καὶ Αρποκράτης καὶ Εκάτη χθονία καὶ Ερινύες. Hæc omnia secus accipiebant viri docti.

ΕΠΙΕΙΡΑΝΕ) pro ἐπιήρανε. ει pro η. sic in veteribus inscriptionibus: Ασκληπιάδης, & σώτειρ. Nam in Farnesiana columna, ΤΕΙ ΑΠΠΙΑΙ, aliud est, ΤΕΙ ibi scriptum est pro ΤΗΙ. Ε nempe pro Η, ut in eadem ΜΕΤΑΚΙΝΕϚΑΙ pro ΜΕΤΑΚΙΝΗΣΑΙ. & DEMETROS pro Δήμητρος. KINESANTI pro Κινήσαντι. At heic ει pro η positum est. Sic in alia veteri inscriptione, ΔΕΙΝΑΡΙΑ pro ΔΗΝΑΡΙΑ scriptum legi: quæ scribendi consuetudo satis fidem facit veteres η & ει diphthongum, ut ἰῶτα pronuntiasse, contra ac opinantur hodie quidam semidocti. Sic ει pro υ in multis vocibus iidem veteres scribebant: μείυρον pro μύυρον, dicentes, & μείωπα pro μύωπα & χείμειαν pro χύμειαν, & alia ejusmodi infinita, de quibus nos alibi.

ΗΤΕΠΙΕΡΓΑ ΒΡΟΤΩΝ :: ΛΑΙΣ) legebat vir doctissimus Casaubonus: ὁράεις ἐπὶ ἔργα βροτῶν ὁράεις· quod & ipsum mihi placeret, nam id secuti sumus in versione, nisi longius paulo discedere videretur a veteris scripturæ vestigiis, quæ præfert λάεις cum unius litteræ defectu. Fuit cum putarem litteram non deesse & esse integrum, λάεις, quæ vox idem significat, quod ὁράεις· hinc Grammatici λέοντα dictum putant ἀπὸ τῦ λάειν, quod animal sit ὀξυδερκέστατον. Hesychius: λάετε, βλέπετε, σκοπεῖτε. legitur hodie apud Hesychium, Λάπται. sed contumax syllaba repugnat: correpta enim prima est in λάειν, quæ sic esset producenda. Homerus: Λασαίροντα λάων. cum igitur una littera videatur in saxo derasa esse, suspicor legendum: Ἡ δ' ἐπὶ ἔργα βροτῶν ἐλάεις· quæ opera hominum exagitas, & insequeris: mala scilicet & improba facinora. Phurnutus de Nemesi: ἀπὸ τῦ λανθάνειν ὄπισθεν, καὶ παρατηρεῖν τὰ πραττόμενα ὑφ' ἡμῶν, καὶ κολάζειν τὰ κολάσεως ἄξια. Id autem ἐπελαύνειν significat. Non potui propius effingere veterem scripturam: posset & videri Æolice scriptum ἐλάϊς, ut βοάϊς. quod Æolum proprium est. Incerta porro hujus loci scriptura fecit, ut hunc versum ita redderem:

Cuique hominum curæ res sunt Rhamnusias Upi.

cum respicerem scilicet ad verbum ὀπίζειν, a quo dictam volunt τὴν Ωπιν. si ὁράεις cum Casaubono placuisset, tum sic vertissem,

Quæque hominum facta inspectas Rhamnusias Upi.

Legenti vero ex nostra conjectura ἐλάεις, vertendum ita fuerit,

Quæque hominum male facta agitas Rhamnusias Upi.

ἔργα βροτῶν heic dixit auctor, ut Catullus *facta virum* de malefactis, in carmine de Nuptiis Pelei & Thetidis.

Quare facta virum multantes vindice pœna, Eumenides.

Vera igitur lectio ἐλάϊς, & ἐλάϊς scriptum pro ἐλάεις, ut infra ῥήξις, pro ῥήξεις, & σίσασα pro σείσασα.

ΡΑΜΝΟΥΣΙΑΣ ΟΥΠΙ) Οὖπις vel Ωπις Diana est a cujusdam Nymphæ nomine, Dianæ sodalium una: vel potius Nymphæ illius nomen Dianæ sociæ finxit summus poeta de Dianæ ipsius nomine, quæ Οὖπις vel Ωπις dicebatur a quadam puella quæ ex Hyperboreis usque, sacra mergitum fascibus occultata in insulam Delum detulerat, ut notavit Servius. Vetus Callimachi scholiastes ad illud: Οὖπι ἄνασσ' εὐῶπι· ὕπις ἐπίθετον Αρτέμιδος, ἡ παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι τὰς τικτέσας, ἡ παρὰ τὴν θρέψασαν αὐτὴν Οὖπιν ἡ ἀπὸ τὰς Υπερβορέας κόρας, Οὖπιν, Εκαέργην, Λοξώ, ἃς ἐτίμησεν Απόλλων καὶ Αρτεμις· καὶ ἀπὸ μιᾶς μὲν Οὖπις ἡ Αρτεμις· Λοξίας δὲ καὶ Εκάεργος ἐκ τῶν λοιπῶν ὁ Απόλλων. Paria refert Servius XI. Æneid. Sed ejus verba corruptissima vulgo circumferuntur. Sic igitur doctissimi Grammatici locum legimus. *Quidam dicunt Opim, & Hecaergon primos ex Hyperboreis sacra in insulam Delon occultata in fascibus mergitum pertulisse. Alii putant Opim & Hecaergon nutritores Apollinis & Dianæ fuisse. Hinc itaque Opim Dianam ipsam cognominatam, Apollinem vero Hecaergon.* sequitur apud eundem vitiosissime: *vel quod proxima luna quæ Dianæ terris facile conspiciat * quoniam nita i vocali eca ergas ola* το τυ καενιεκτιμεκρομεν quæ sunt inquinatissima. Sensus Servii hic est, Opim Dianam dictam quod luna quæ & Diana, proxima sit terris, & de proximo omnia conspiciat. ἀπὸ τῦ ὠπίσασθαι. Hecaergos autem Sol qui & Apollo, ἀπὸ τῦ ἑκὰς ἐνεργεῖν, hoc est de longinquo. Atque hinc restituenda verba Grammatici. Notandum in illis Servii *Opim* & *Hecaergon* Hyperboreos sacra in Delum insulam pertulisse occultata fascibus mergitum: nam & hoc ipsum tradit Callimachus Hymno in Delum his verbis:

—— καὶ οἱ καθύπερθε βορεῖης
Οἰκία θινὸς ἔχυσι, πολυχρονιώτατον αἷμα.
Οἱ μὲν τοι καλάμην τε καὶ ἱερὰ δράγματα πρῶτοι
Ασχύων φορέεσιν ——

paulo post eos nominat qui sacra illa primi detulerunt, vel primitias:

> Πρῶταί τοι τάδ᾽ ἄνεικαν ἀπὸ ξανθῶν Ἀριμασπῶν
> Οὖπίς τε Λοξώ τε καὶ εὐαίων Ἑκαέργη.

Atque inde οὐλοφόροι dicti. Insignis ejusdem Servii locus, sed insigniter depravatus in XI. Æneid. ad illum versum,

> *Dixit, & aurata volucrem Threissa sagittam*
> *Deprompsit pharetra.*

ubi *Threissam Opim* appellat poeta: cujus rei rationem sic reddit Servius: *propter Amazonas: & hanc Virgilius non ita finxit, ut Tarpejam & ceteras, sed proprio nomine videtur induxisse. Græci enim tradunt ouloforos ex Hyperboreis, qui & ipsi sunt Treci, in insulam Delon venisse, hanc & Hecaergon, Apollinem & Dianam educasse, ut etiam ex cognominibus Deorum, cum illa Opis, & hic Hecaergos appellatur, agnoscitur. Quod supra plenius dictum est.* Confer Servii verba, ut edita sunt, cum his quæ huc adduximus, & quid præstiterim, cognosces: οὐλοφόρους vocat qui sacra illa in mergitum fascibus primi detulerunt. Hesychius, οὖλοι, δράγματα. Advertendum etiam quæ Callimachus ἱερὰ δράγματα vocavit, Servium appellare *sacra in fascibus mergitum occultata.* immo *sacros mergites* videtur potius vertere debuisse. Opis igitur vulgo Diana. Nam Ὦπις, Οὖπις & Ὦπις idem Ὦπις commune est, Οὖπις Jonicum, ex quo Doricum factum est Ὦπις· ut κόρη, κούρη & κώρα idem. Alexander Ætolus:

> Ὑμνῆσαι ταχέων Ὦπιν βλήτειραν ὀϊστῶν.

Callimachus, Οὖπι ἄνασσ᾽ εὐῶπι. illo tamen loco apud Callimachum Hesychius legisse videtur: Ὦπι ἄνασσ᾽ εὐῶπι. Sed idem alibi Οὖπιν appellat:

> Αὐταὶ δ᾽ Οὖπι ἄνασσα περὶ πρύλιν ὠρχήσαντο.

Non possum satis mirari virum doctissimum notationibus suis in Festum, Servio objicientem memoriæ peccatum, quasi dicat hic Grammaticus ex Alexandro Ætolo Camillam Dianæ nomen fuisse. Aperte enim Servius Opim ibi Dianam vocatam scribit ab Alexandro, non Camillam: *Opim quando dicimus, Nympham significamus, si autem dicamus opem, auxilium intelligimus. Opes vero numero plurali census accipimus: nam Ops terra est, uxor Saturni, quam Græci Rheam vocant. Sane hoc nomen ipsius Dianæ fuisse ab Ephesiis dedicato templo ei impositum Alexander Ætolus poeta in libro qui inscribitur Musæ refert.* Satisne clare Dianam Opim dictam Alexandro adnotavit? non potuit clarius. Heic vero Οὖπις vel Ὦπις est Nemesis, sic appellata ἀπὸ τῆς ὄπιος· ut enim Νέμεσις ἀπὸ τῆς νεμέσεως vel νεμεσήσεως, sic Ὦπις ἀπὸ τῆς ὄπιος· quod curam scilicet, hoc est ὄπιν agat rerum humanarum. παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι τὰ πραττόμενα ὑπ᾽ ἀνθρώπων· quemadmodum Οὖπιν Lucinam dictam volunt Grammatici, ἀπὸ τοῦ ὀπίζεσθαι τὰς τικτούσας. ὀπίζεσθαι enim est ἐπιστροφὴν ἔχειν, & curam agere: unde apud Poetas: —— θεῶν ὄπιν οὐκ ἀλέγειν. Hesychius: ὄπις, ἐπιστροφή. perperam legitur, περιστροφή· At Phurnuthus malit Opim dictam, ἀπὸ τοῦ λανθάνειν ὄπισθεν & παρατηρεῖν τὰ ἀνθρώπεια. Hinc Poetis ὀπισθόπους Νέμεσις appellatur. Seneca:

> *Ultor nocentes sequitur a tergo Deus.*

Tibullus:

> *Nescius ultorem post caput esse Deum.*

Sed nostra originatio verior: cum enim idem scripserit, Νέμεσιν ἀπὸ τῆς νεμέσεως nuncupatam, cur non & ὄπιν ἀπὸ τῆς ὄπιος, Ὦπις igitur & Οὖπις est Nemesis, ut νόσος, νοῦσος· κόρη, κούρη, & similia. Non mirum autem Nemesin Οὖπιν dictam, cum sic Diana diceretur. Nam Dianam & Nemesim eandem esse veteres adnotarunt. vide Harpocrationem.

ΡΩΜΗΣ ΕΚΑΤΟΝΤΟΠΤΛΟΙΟ) Assentior Casaubono scribenti: ἑκατονταπύλοιο· ἑκατόμφυλλον enim, & ἑκατοντάφυλλον dicebant: ἑκατόμπεδον & ἑκατοντάπεδον· ἑκατομκάρανον, & ἑκατοντακάρανον apud Poetas. Sic ἕξπουν, & ἑξάπουν· ἕξκλινον & ἑξάκλινον· ἕξπηχυ & ἑξάπηχυ. Sed & in aliis numeris hoc observabant: ὀκτάπουν enim libentius dicebant, quam ὀκτωπουν, & ὀκτάκνημον, ὀκτάραβδον, & similia, ut πεντάμηνον πεντάκλινον, & alia infinita.

ΠΕΙΟΝΑ ΔΗ) ΠΕΙΟΝΑ pro πίονα. sic τειμήσατε in eodem versu pro τιμήσατε· sic εἰχὼρ in veteribus glossis pro ἰχὼρ· εἰθύνω pro ἰθύνω· εἰλὺς pro ἰλύς· εἴλη pro ἴλη· εἱμὰς pro ἱμὰς de loro. εἱμείρομαι pro ἱμείρομαι· & apud Hesychium: εἱμείρεται, ἐπιθυμεῖ. Εἶξις pro ἶξις· sic εἶπος pro ἶπος, & εἰπωτήριον pro ἰπωτήριον. Glossæ: *prælum*, Εἰπωτήριον λινοῦ. vulgo habetur in veteri Glossario: *prænum*, εἰπωτήριον λινοῦ. εἰπωτήριον dixit pro ἰπωτήριον, *pressorium*, scilicet. nam ἰποῦν est *premere*.

> —— ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς,

Aristophani & Æschylo. At vir doctus in illo Glossarum loco, *prænum*, pro instrumento nescio quo accepit dentibus aculeato, quo linum pectitur. Et sic apud Tertullianum quoque legendum esse docuit: *tentaverat & Domitianus prænum Neronis de crudelitate.* cum optimi libri ibi habeant: *Domitianus prænomine Neronis de crudelitate.* quæ lectio vera est. Juvenalis:

> —— *& calvo serviret Roma Neroni.*

Idem Tertullianus in libro de Pallio *Subneronem* eum eleganter appellat, ut ibi pluribus diximus. εἰπωτήριον igitur est prælum vel pressorium. Hinc εἶπος pro ἶπος est mustricula in illo versu Callimachi apud Pollucem lib. 10. cap. 34.

> Εἶπον τ᾽ αὐδίκτην τε μάλ᾽ εἰδότα μακρὰν ἀλέσθαι.

εἶπος enim & αὐδίκτης genera muscipularum. corruptissime vulgo versus ille legitur in editionibus Pollucis. Hesychius εἶπος, παγὶς καὶ πᾶν βάρος. Glossæ veteres, εἴπωσις ἡ σφίγξις, *pressura*, pro ἴπωσις.

ΔΗΜΟΝ ΔΗΩΙΟ Φ. ΤΡΙΟΠΑΟ) *Demoe*, inquit Festus, *apud Atticos sunt, ut apud nos pagi.* Totum illud territorium, sive fundum, & quicquid muro incluserat, & Diis consecraverat Herodes, Triopium vocabatur, ut certo scimus ex Farnesiana columna: οὐδενὶ θεμιτὸν μετακινῆσαι ἐκ Τριοπίου, ὅ ἐστιν ἐπὶ τοῦ τρίτου, ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Ἀππίᾳ ἐν τῷ Ἡρώδου ἀγρῷ. Non igitur totus ager ille Herodis, quem secundum viam Appiam possidebat, Triopium dicebatur: sed certa tantum ejus portio, quem muro sepserat, Adrasteæ & Minervæ consecrarat, & monumentum sibi suisque ædificaverat. Hanc agri sui partem, in qua monumentum & τέμενος, quare Triopium indigetarit Herodes, ejus est tantum, qui divinandi facultate pollet, dicere. A Triopa quidem Triopium denominatum ostendit: an quia Triopæ ibi ædes dicata fuerit, ut velle videtur doctissimus Casaubonus? Nugæ. non enim hoc dicit auctor: immo plane contrarium

licet colligere ex hac inſcriptione, in qua mentionem facit Τριοπείου ἐριννύος, & Triopam numen Cereris læſiſſe tradit, & ejus novalem excidiſſe & devaſtaſſe. Præterea Triopam Heroem cultum fuiſſe Græcis, nec ex poetis nec ex hiſtoricis compertum habemus, præſertim cum de quo Triopa heic intelligendum ſit, nobis probe conſtet. Is enim Triopas accipi debet, qui pater Eriſichtonis fuit, ut inferius oſtendemus. Unde vero cultus Triopæ in Italia? Nam ibi fere tantum colebantur Heroes ubi erant eorum ſepulchra & ἡρῶα. Fallitur etiam vir eruditus, qui totum illud territorium, ſecundum viam Appiam, in quo ſitus erat Herodis fundus, Τριόπιον dictum eſſe vult. Longe aliud ſuadet inſcriptio Farneſiana, ex qua plane colligas, Τριόπιον in Herodis agro fuiſſe tantum appellatum illud τέμενος & ἀπότμημα fundi in quo ſibi monumentum & ſuis heredibus ſtruxerat Herodes. Cum enim ſic habeat inſcriptio: ὐδενὶ θεμιτὸν μετακινῆσαι ἐκ Τριοπίου· inde ſequeretur neceſſario, totum illum tractum Diis fuiſſe ſacrum, ex quo nihil tangi moverique fas eſſet. Atqui nec totum agrum ſuum ab Herode dedicatum eadem inſcriptio ſatis evidenter demonſtrat, dum illud Τριόπιον in agro Herodis eſſe poſitum declarat. ὅ ἐςιν ἐπὶ τῦ τρίτυ, ἐν τῇ ὁδῷ τῇ Αππίᾳ, ἐν τῷ Ηρώδυ ἀγρῷ. Solum igitur Τριόπιον erat diis ſacratum, reliquus autem Herodis ager minime ſacer. Ab illo Triopio, totum pagum δῆμον Τριόπαο heic vocat. Sed quare a Triopa, aut cur Triopium hoc Herodis monumentum? an quod a Triopa ultimam generis originem repeteret? De nobilitate Herodis hæc Philoſtratus: ὁ σοφιςὴς Ηρώδης ἐτέλει μὲν ἐκ πατέρων εἰς τὺς διςυπάτυς. ἀνέφερε δὲ εἰς τὰ τῶν Αἰακιδῶν, ὓς ξυμμάχυς ποτὲ ἡ Ελλὰς ἐπὶ τὸν Πέρσην ἐποιεῖτο· ἀπηξίυ ἢ ὐδὲ τὸν Μιλτιάδlw, ὐδὲ τὸν Κίμωνα, ὡς ἄνδρε ἀρίςω ϗ πολλῦ ἀξίω Αθlwαίοις τε καὶ τοῖς ἄλλοις Ελλησι περὶ τὰ Μηδικά. Sed hæc nihil ad Triopam vel Triopium: cujus denominationis rationem neſcire me ingenue fateor, nec omnia fas eſt ſcire: pluribus tamen infra de hujus Triopii appellatione diſſeremus, & dictum ἀπὸ τῶν τριῶν ὀπῶν aſſeremus, hoc eſt, a tribus ingreſſibus, vel quod tres fines ſpectaret, & in triſinio poſitum eſſet: quæ vera ut non ſint, ſaltem veriſimilia videri poſſunt. Triopium locus Cnidi ab hoc Triopa cognominatum. Hic enim Triopas Canaces & Neptuni filius fuit, atque inde Æolides dictus πατρωνυμικῶς. Nam Canace Æoli filia, ut poſtea dicetur.

ΔΗΩΟΙΟ) *Cereris filium Triopam* vertit heic Caſaubonus: quaſi Δηῶος hoc loco πατρωνυμικὸν eſſet: in quo falſus eſt. Δηῶος enim heic ἐπιθετικῶς, non πατρωνυμικῶς dictum eſt, nec habet formam Patronymicorum. Δηωΐδης quippe diceretur. Sic *Deoida divam* Proſerpinam Cereris filiam vocavit Ovidius:

—— raptam Deoida divam.

Præterea quis Triopam Cereris filium dixit? is enim de quo heic intelligitur, Canaces filius fuit, ut infra dicemus. Alius Triopas inter reges Argivorum ſeptimo loco ponitur a veteribus, Phorbantis filius. ſed nec hic Cereris filius fuiſſe memoratur. Alius item Triopas Abantis filius veteri Theocriti Scholiaſtæ ex Jaſone rerum Cnidiarum ſcriptore celebratur. Meminit & Euſtathius cujuſdam Triopæ Perrhæborum regis, quem filius Carnabas violenter in imperio ſe gerentem occidit, & præmia tyrannicidis propoſita meruit. Triopas vero de quo heic ſermo eſt, & quem *Deoum* vocat Herodes, is eſt quem Iphimediæ patrem nominat Apollodorus in primo Bibliothecæ. Sed quare Δηῶς ille nuncupatur? An quia Cereris cultui in primis deditus fuit? Triopium enim ab illo nomen accepit in inſula Cnido, in quo Ceres eximie colebatur. Callimachus Hymno in Cererem:

—— θεὰ δ' ἐπεμαίνετο χώρῳ,
Οσσον Ελευσῖνι, Τριόπῳ θ' ὅσον, ὁκκόσον Εννᾳ.

Sed & Dotio urbe Theſſaliæ, in qua regnabat Triopas, & lucum & templum Ceres habebat, & præcipuo cultu ibi venerabatur. Atque hinc fortaſſean Δηῶον Τριόπαν vocarit auctor hujus carminis. Sed quia in hoc eodem carmine dicitur Triopas Cereris numen læſiſſe, & ejus lucum excidiſſe, atque inde Τριόπειος Εριννύς in fine carminis appellatur, propterea Δηῶον Τριόπαν appellavit, quaſi cerritum καὶ θεοχόλωτον. Nam fame ab Cerere immiſſa ita vehementer laboravit, ut nulla re poſſet ſatiari. Sic Δημητριακὺς Græci vocant, quos ira Cereris in furorem, aut aliud πάθος θεήλατον dedit. De filio tamen Triopæ Eryſichthone, non de Triopa ipſo hoc narratur a veteribus. Fuerit igitur μνημονικὸν ἁμάρτημα auctoris, vel Τριόπαν ἀντὶ τῦ Τριοπίδαν uſurparit more poetis uſitato; qui Οἰδιπόδας vocare conſuerunt Oedipodis filios Polynicem & Eteoclem. Sed multo probabilius eſt, memoriæ vitio lapſum eſſe hujus inſcriptionis auctorem, dum ea ſcribit de Triopa, quæ alii omnes de Eryſichthone Triopæ filio tradiderunt. Sic igitur nobis placet Δηῶον hoc loco accipi. Nam Cereris filium interpretari nullo modo poſſumus.

ΦΙΛΟΞΕΙΝΟΝ ΤΡΙΟΠΑΟ) De Triopio ac Triopa multa jam diximus; reſtant tamen adhuc non pauca, nec protrita dicenda. Stephano ἐθνικογράφῳ, Τριόπιον πόλις Καρίας ἀπὸ Τριόπυ τῦ πατρὸς Ερυσίχθονος· λέγεται ϗ Τριοπία. Ελλάνικος ϗ Τρίοπα φησὶν αὐτὸν ἀπὸ τῦ Τριόψ· τὸ ἐθνικὸν Τριόπιος καὶ Τριοπίτης· καὶ Τριοπῖτις τὸ θηλυκὸν· & Τριοπηὶς ὡς ἀπὸ τῦ Τριοπεύς· καὶ τὸ κτητικὸν Τριοπικὸς· Τριοπικὸν ἱερὸν, Ηρόδοτος πρώτῃ. Ita enim apud Stephanum legendum eſt, ut poſuimus: ex quibus diſcas Triopam patrem Eryſichthonis, a quo Triopium urbs Cariæ, Triopem etiam fuiſſe appellatum ab Hellanico. & ſane Τριόπιον ἀπὸ τῦ Τρίοπος, non ἀπὸ τῦ Τριόπα dictum, ut & reliqua ἐθνικὰ ſeu τοπικά, Τριόπιος, Τριοπίτης, &c. Τριόπειος autem a Triopa: ut heic Τριόπειαι θεαὶ, Τριόπειος ἐριννύς. unde Ovidius Triopeius Eryſichthon dicitur:

Nec tamen idcirco ferrum Triopeius illa
Abſtinuit.

perperam hodie legitur *Dryopeius*. ſic & *Triopeida* filiam Eryſichthonis, neptem Triopæ idem dixit:

Sæpe pater dominis Triopeida tradit. ——

Apollodorus autem primo Bibliothecæ Τρίοπα hunc nominat, ſicut & Hellanicus, non Τριόπαν: Κανάκη δὲ ἐποίησεν ἐκ Ποσειδῶνος Οπλέα ϗ Νηρέα ϗ Επωπέα ϗ Αλωέα καὶ Τρίοπα. Callimachus in Hymno Cereris ſemper Τρίοπαν.

Θήκατο βυπείνᾳ Τριόπεω γόνον οἰκτρὸν ἰδέσθαι.
& Αμφότερον, Τριόπαν τε ϗ ἱέα —— paulo poſt:
Νεῖται τοι Τρίοπας. idem:
Μέσφ' ὅτε τοι Τριόπαο δόμοις ἐνὶ χρήματα κεῖτο.

Atque ita etiam auctor hujus inſcriptionis. ſed hæc levia fortaſſe & minuta, nimiſque adeo grammaticula. Τριόπιον igitur urbs Cariæ a Triopa vel Triope Eryſichthonis patre: qua urbe mirifice

delectatam esse Cererem scribit Callimachus eodem Hymno Cereris:

> —— θεὰ δ' ἐπεμαίνετο χώρῳ
> Ὅσσον Ἐλευσῖνι, Τριόπῳ θ' ὅσον, ὁκκόσον Ἔννᾳ.

Τριόπιον, Cnidi promontorium ab hoc Triopa: sed non astipulantur Theocriti veteres glossæ Idyll. XVII.

> Ἐν δὲ μιᾷ τιμῇ Τρίοπος κατατεθεῖο κολώνῳ.

Τριόπιον, inquit, ἀκρωτήριον τῆς Κνίδου ἀπὸ Τριόπου τοῦ Ἄβαντος, ὡς ἐν τοῖς Κνιδιακοῖς Ἰάσων φησί. Idem paulo supra Τριόψ βασιλεὺς τῆς Κῶ ἀφ' οὗ τὸ ἀκρωτήριον ὠνόμασται τῆς Κνίδου. atque is videtur esse Triops, quem Meropis patrem facit Stephanus ἐθνικογράφος his verbis: Μέροψ Τριόπα παῖς ἀφ' οὗ Μέροπες οἱ Κῷοι καὶ νῆσος Μεροπίς. alibi tamen eum Μέροπα γηγενῆ fuisse vult. Jam hæc dividia est inter auctores: Pausanias enim narrat Cnidon insulam οἰκισθῆναι ὑπὸ τοῦ Τριόπα. Si Callimacho fides, fuerit ille quem diximus Erysichthonis pater, Canaces vero & Neptuni filius. Ejus hæc sunt verba:

> Θήκατο βουπείνα Τριόπεω γόνον οἰκτρὸν ἰδέσθαι·
> Οὔπω τὰν Κνιδίαν, ἔτι Δώτιον ἱρὸν ἔναιον.
> Τὶν δ' αὐτᾷ καλὸν ἄλσος ἐποιήσαντο Πελασγοὶ
> Δένδρεσιν ἀμφιλαφές· ——

Narrat ibi quomodo Erysichthon Triopæ filius nemus Cereri sacratum vastarit, & quo genere pœnæ sit ab eadem dea affectus: idque accidisse refert priusquam Triopas in insulam Cnidon Pelasgos deduxisset. Hoc si verum est, nondum erat Triopium urbs Cariæ vel Cnidi: idem tamen tribus infra versiculis meminit Triopii tanquam jam existentis:

> Ὅσσον Ἐλευσῖνι, Τριόπῳ θ' ὅσον, ὁκκόσον Ἔννᾳ.

Sed poeticus hic est προχρονισμός· nam ibidem aperte indicat, tunc cum Erysichthon fame ab Cerere immissa laboravit, nondum Thessalorum coloniam in Cariam fuisse deductam. Sed post illum βούλιμον nati sui Triopam in Cariam commigrasse, & Triopum urbem ibi condidisse, & de suo nomine appellasse, a quo & promontorium ipsum Τριόπιον, quod Τριόπον Callimachus appellat, ut & Scholiastes Theocriti loco jam citato. Sed quid scholiis illis faciemus quæ in Callimachum leguntur? sic enim auctor eorum scribit, τὰν Κνιδίαν esse Θεσσαλίας χώραν. Idem plane videtur dicere Stephanus περὶ ἐθνικῶν, ne putemus illum Græculum id somniasse. Δώτιον πόλις Θεσσαλίας ὅπου μετῴκησαν οἱ Κνίδιοι ὧν ἡ χώρα Κνιδία, ἀπὸ Δωτίας τῆς Ἐλάτου κληθεῖσα, ἢ ἀπὸ Δώτου. Tantum enim abest ut Cnidii in Thessaliam commigrarint, aut ulla Thessaliæ regio Cnidia dicta sit, ut contra constet Thessalos duce Triopa, relicta Dotio Thessaliæ urbe in insulam Cnidon profectos esse, ubi Triopion condiderunt, de regis sui nomine Triopæ appellatum. Quid igitur sibi voluerunt illi Grammatici? nimirum decepti sunt verbis Callimachi, quæ tamen aliter capi non possunt, quam quomodo diximus. τὰν Κνιδίαν autem idem poeta dixit pro τὰν Κνίδον· sic Ptolemæus τὴν Κῴαν pro Co insula. Sic *Melia insula* Varroni pro *Melos*. Sed hæc pluribus ad Stephanum ipsum: in illo autem Triopio conventus Doriensium populorum celebrabatur, & certamina in honorem Neptuni & Nympharum. Corrigendus obiter Scholiastes Theocriti Eidyll. XVII. Ἡ γὰρ Βερενίκη, θυγάτηρ Ἀντιγόνης τῆς Κασσάνδρου τοῦ Ἀντιπάτρου ἀδελφῆς ἐπιδεδωκότος τὴν ἐν τῷ περιτροπίῳ τῶν Δωριέων σύνοδον, καὶ τὴν αὐτόθι δρωμένην πανήγυριν, καὶ τὸν ἀγῶνα τὸν ἀγόμενον Ποσειδῶνι καὶ Νύμφαις· scribe: τὴν ἐν τῷ Τριοπίῳ τῶν Δωριέων σύνοδον. Agonem illum non in honorem Neptuni institutum, sed Apollinis, tradit Herodotus in prima musa: ἐν γὰρ τῷ ἀγῶνι τοῦ Ἀπόλλωνος Τριοπίου ἐτίθεσαν τὸ πάλαι τρίποδας χαλκέους τοῖς νικῶσι. Verisimile est & Cererem in illa urbe in primis cultam fuisse. Nam & id scribit Callimachus, & Pelasgi qui illam urbem condiderunt, in patria sua eam divam præcipue colebant. Idem Callimachus:

> Τὶν δ' αὐτᾷ καλὸν ἄλσος ἐποιήσαντο Πελασγοί.

Et probabile est pœna Erysichthonis monitos impensius ejus Deæ numen observasse ac coluisse. Sed hæc hactenus.

ΤΡΙΟΠΑΟ) Farnesianæ Columnæ inscriptio, cujus multis locis memini, & ex qua didicimus ἕρκος istud ab Herode consecratum Τριόπιον fuisse dictum, quæque magnam isti poemati facem adluxit, nobis heic paucis illustranda est. Fecit hoc ante vir illustris Josephus Scaliger suis in Eusebium animadversionibus. Sed quo argumento Jonicis litteris vetus illud monumentum exaratum esse dixerit, ignoro. Nam eam inscriptionem nobis, tanquam Jonicarum litterarum exemplum ibi proposuit: quod ego fateor me satis admirari non posse. Primum errat in eo, quod putat aliam formam Jonicarum litterarum fuisse, atque illarum, quibus omnis Græcia usa est post repertos viginti quatuor elementorum characteres: Deinde male Jonicas litteras, & veteres Atticas easdem facit, cum satis certum sit, alphabetum viginti quatuor litteris constans, quo hodieque Græcia utitur recens & Jonicum esse inventum, cum Atticum illud vetus esset, & illius temporis, quos sexdecim tantum litteras in alphabeto suo numerabant Græci. Nam is vetustissimus in Græcia litterarum numerus fuit a Cadmo ex Phœnicia allatus. Addidere postea Palamedes & Simonides reliquas octo: qui has addidisse quidem dicuntur, non tamen priorum formam mutavisse. Novum igitur & Jonicum inventum, Grammatica viginti quattuor litterarum. Forma autem ipsa litterarum semper eadem fuit in veteri & recenti Alphabeto: nisi quod addititiæ illæ litteræ, non ad Phœniciarum formam & exemplar institutæ fuere, ut priores sexdecim quas ex Phœnicia in Græciam intulit Cadmus. Scribendi tamen ratio diversa fuit apud Græcos, cum illis tantum sexdecim litteris utebantur a Cadmo inventis, & postquam integro viginti quattuor litterarum Alphabeto sunt usi: Exempli gratia si vocem Θεὸς priscis litteris exarare velis, non ΘΕΟΣ, sed Τηεὸς scribendum fuerit: si ΧΡΟΝΟΣ, ΚΗΡΟΝΟΣ: & pro ΨΥΧΗ, ΠΣΥΚΗΕ· pro ΞΗΡΟΝ, ΚΣΕΡΟΝ· pro ΦΗΜΙ, ΠΗΕΜΙ. atque hic priscus scribendi modus fuit ante Jonicum Alphabetum quo deinceps omnis Græcia uti cœpit. Plinius lib. 7. cap. 57. *Gentium tacitus consensus primus omnium conspiravit ut Jonum litteris uterentur*: quid apertius? nonne manifesto hæc verba indicant litteras quas hodie Græci habent in usu, Jonicas esse? quas Æoles, Dores, Attici, & reliqui omnes Græci usurparunt. Grammaticam aliam apud Græcos, præter hanc Jonicam frustra requiras, quæ & recentissimi inventi fuit. Insigniter bene ad hanc rem facit Harpocrationis locus: Ἀττικοῖς γράμμασι Δημοσθένης κατὰ Νεαίρας, ἀντὶ τοῦ παλαιοῖς· τὴν γὰρ τῶν εἰκοσιτεσσάρων στοιχείων γραμματικὴν ὀψέ ποτε παρὰ τοῖς Ἴωσιν εὑρεθῆναι. Θεόπομπος δὲ ἐν τῇ εἰκοστῇ πέμπτῃ τῶν Φιλιππικῶν ἐσκευωρῆσθαι λέγει τὰς

πρὸς τὸν βάρβαρον συνθήκας, ἃς οὐκ Ἀττικοῖς γράμμασιν ἐστηλιτεῦσθαι, ἀλλὰ τοῖς τῶν Ἰώνων. vides τὴν τῶν εἴκοσι στοιχείων γραμματικὴν apud Jones inventam esse: vetustior igitur illa γραμματικὴ quæ sexdecim tantum litteras habebat, quas Atticas & vetustas vocabant, non quod forma differrent ab Jonicis, sed numero: nam qui veterem illam Grammaticam interpolarunt, non formam characterum mutaverunt, sed numerum ampliaverunt, & pro sexdecim, quattuor & viginti fecerunt: quæ res non parum scribendi rationem immuravit, ut superius ostendimus. Priscis enim litteris ATHENAION scriberes: at secundum Jonicam Grammaticam in promptu esset scribere, ΑΘΗΝΑΙΟΝ. Hinc est quod scribit Plinius Græcas veteres litteras fuisse easdem pæne cum Latinis. Scribendo enim ATHENAION prisco more, propius accedis ad Latinum scribendi morem, quam si scribas ΑΘΗΝΑΙΟΝ. Nam neque Θῆτα, neque Ητα litteras Latini agnoscunt. At vir doctissimus veteres Atticorum, Ionum, & Latinorum litteras easdem fuisse vult, nec Harpocrationi credit. Cui minime assentior. Hesychius: Ἀττικὰ γράμματα ἀρχαῖα, ἐπιχώρια. Quod autem Harpocration scribit viginti quattuor litterarum Grammaticam ab Ionibus inventam esse, propter Simonidem id dictum arbitror, qui Cous fuit, & quattuor litteras reperisse fertur, Z. H. Υ. Ω. quibus complevit numerum Alphabeti; nam jam quattuor numero adjecerat Palamedes, ad illas sedecim priores. Sic γραμματικὴ τῶν εἴκοσι τεσσάρων στοιχείων Ionicum est inventum, & recens a Simonide Coo vel Ceo. Sed de Simonide videtur illud obstare quod Cos insula non Ionici sed Dorici generis fuerit. Strabo lib. XIV. Δωριεῖς δέ εἰσιν ὥσπερ καὶ Ἁλικαρνασεῖς καὶ Κνίδιοι καὶ Κῷοι. Tzetzes in Historico, homo inepte gloriosus & ambitiosus, cum vulgo Simonides longas litteras reperisse perhiberetur, utrum Samius illas Simonides an qui Ceus fuit, repererit, nescire se profitetur his versibus:

> Τὸν Σιμωνίδην λέγουσιν ἐφευρέτην ὑπάρχειν
> Τοῦ ἦτα πάλιν καὶ τοῦ ω, τῶν δύο μακρῶν λέγω.
> Εἴτε τὸν τοῦ Ἀμόργου δὲ τὸν Σάμιον ἐκεῖνον,
> Εἴτε τὸν Λεωπρεπέος τὸν Κεῖον οὐ γινώσκω.

Samus sane τοῦ Ἰωνικοῦ γένους fuit: videndus Herodotus in prima musa. Sed quis Samium Simonidem novit? Nam quem heic Tzetzes Samo oriundum, Amorgo patre natum dicit, eum esse putem quem domo Amorginum, Crinæ filium fuisse & jamborum scriptorem veteres tradiderunt. Amorgus autem insula una ex Cycladibus, vel ut alii, Sporadibus. Strabo: ἔστι δὲ καὶ Ἀμοργὸς τῶν Σποράδων, ὅθεν ἦν Σιμωνίδης ὁ τῶν ἰάμβων ποιητής. Vide & Stephanum περὶ τῶν ἐθνικῶν. Suidas hunc Amorginum Crinæ filium facit: non defuerunt tamen qui hunc Amorginum Simonidem Samium fuisse vellent. Proclus apud Photium: ἰάμβων δὲ ποιηταὶ, Ἀρχίλοχος δὲ ὁ Πάριος ἄριστος καὶ Σιμωνίδης ὁ Ἀμοργῖνος, ἢ ὥς ἔνιοι, Σάμιος. Enimvero inter tantam varietatem opinionum de primis & ultimis litterarum inventoribus omnes ferme auctores ex diverso in unam sententiam venientes, scribunt Simonidem Ceum cæptam per alios Græcam litteraturam absolvisse: nec enim post eum alius memoratur qui litteras aliquas ad illas sexdecim, quæ primæ omnium in usu fuerunt, adjecerit. Plinius lib. VII. cap. LVI. *Litteras utique in Græciam attulisse e Phœnice Cadmum sedecim numero. A. B. C. D. E. I. K. L. M. N. O. P. R. S. T. V. quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hac figura,* Θ. Ξ. Φ. X. *totidem post eum Simonidem Melicum* Z. H. Υ. Ω. *quarum omnium vis in nostris recognoscitur*: ita legenda sunt verba Plinii. Martius Victorinus: *Scripseram autem vobis quantum repeto & alia plura, inter quæ nostros antea, sicuti & Græcos quoque,* XVI. *litteris usos, ex quibus fuisse quinque vocales apud utrosque: his postea quasdam a Palamede & alias a Simonide adjectas implesse numerum* XXIV. Suidas in voce Σιμωνίδης· προσεξεῦρε δὲ καὶ τὰ μακρὰ τῶν στοιχείων, καὶ τὰ διπλᾶ. τὰ μακρὰ sunt H & Ω. τὰ διπλᾶ Ξ & Υ. Plinius tamen Ξ a Palamede additam scribit non a Simonide: sed omnino in Plinio corrigendum est ad hunc modum: *quibus Trojano bello Palamedem adjecisse quatuor hac figura,* Θ. Z. Φ. X. *totidem post eum Simonidem Melicum,* Ξ. H. Υ. Ω. sic Simonides repererit duas longas H & Ω. & duas duplices Ξ. & Υ. secundum Suidam, vel illum auctorem a quo habet Suidas, qui & voce Παλαμήδης notat, quattuor Palamedem harum litterarum haberi auctorem, Z. Θ. Υ. & X. ita enim apud Suidam legendum: καὶ εὑρετὴς γέγονε τοῦ Z στοιχείου, καὶ τοῦ Θ καὶ τοῦ Φ καὶ τοῦ X. male hodie legitur καὶ τοῦ Π. sic τὰ διπλᾶ καὶ τὰ μακρὰ adinvenit Simonides, ut Palamedes τὰ δασέα. densæ vero sunt, Θ. Φ. X. nam Θ. valet T H. & Φ, Π H, & X, K H. densas tamen illas, etiam duplices quidam vocarunt: nam duarum vicem litterarum quodammodo obtinent, propterea quod H nota aspirationis, cujus in se potestatem habent, in numero litterarum fuerit apud veteres. Meleager in quodam Epigrammate X litteram quæ inter densas ponitur διπλοῦν γράμμα Συρηκόσιον vocat.

> Γυμνὴν ἢν ἐσίδῃς Καλλίστιον, ὦ ξένε, φήσεις,
> Ἤλλακται διπλοῦν γράμμα Συρηκόσιον.

Cujus epigrammatis mentem non viderunt eruditi interpretes: nam quod putarunt per διπλοῦν γράμμα Συρηκόσιον intelligi duas litteras Θ & X. ab Epicharmo Syracusio inventas, in eo falsi sunt, cum unicam X litteram ita Meleager appellet. *Si nudam*, inquit, *videris* Καλλίστιον, *fatearis vocandam illam esse* Καλλίχιον, *mutato* T *in duplicem litteram Syracusiam*, hoc est in X. τὸ X, ut dixi, διπλοῦν γράμμα vocat, quod potestate sit duplex, & valeat KH. Aristoteles porro non sedecim, sed decem & octo litteras priscas litteras fuisse, ΑΒΓΔΕΘΙΚΛΜΝΟΠΡΣΤΥΦ, & duas ab Epicharmo additas Θ & X censet apud Plinium loco jam dicto: quibus adde quatuor illas Simonideas, duas longas & duas duplices, habebis viginti quattuor Ionicas. In illis autem sedecim priscis quæ apud Plinium referuntur, perperam vir summus H ponendam putat, quæ non littera proprie, sed nota aspirationis fuit. Manifestum enim plane est, contra sententiam Plinii eam in numerum sedecim illarum litterarum quas Cadmus in Græciam attulit, referri: qui cum Trojano bello quatuor a Palamede priscis illis adjunctas narret, Z nempe, & Θ, & Φ, & X: & totidem postea a Simonide, Ξ H Ψ Ω, iisque omnibus impleatur numerus viginti quattuor litterarum, locum inter eas nullum haberet Υ: Eam tamen in vocalium ordine sedem habuisse tam apud vetustissimos Græcos quam apud Latinos scribunt Grammatici. Velius Longus: *Ac primo eadem est nostrarum potestas vocalium, quæ sunt Græcorum apud antiquos circa productionem correptionemque. Siquidem apud illos quinque tantum fuere vocales,* α, ε, ι, ο, υ; *atque hæ similiter producebantur corripiebanturque, sicut hodie* α ι υ *quæ appellantur apud illos* κοιναί: *postea ut quidam putant, Simonides invenit duas vocales quas dixit* φύσει μακρὰς, η &

ω, ut eſſent ἀντίστοιχα τῷ ε, & τῷ ο, ut quomodo hæ litteræ longæ dicerentur η & ω, ita & illæ breves natura. Vides υ in alphabeto Græco antiquo fuiſſe, priuſquam a Simonide longæ ac duplices litteræ invenirentur. Marius Victorinus: *Scripſeram autem vobis quantum repeto, & alia plura, inter quæ noſtros antea ſicut Græcos quoque* XV. *litteris uſos: ex quibus fuiſſe vocales apud utroſque* V. *poſtea quaſdam a Palamede, & alias a Simonide adjectas impleſſe numerum* XXIV. ita enim legendus hic egregius Victorini locus: vulgo male ſcribitur: *ex quibus vocales fuiſſe apud utroſque: his poſtea:* dicit apud veteres Græcos & Latinos ſedecim tantum litteras in uſu fuiſſe, & ex his quinque vocales apud utroſque, A E I O V. in quo Plinio plane aſſentitur qui in ſedecim illis litteris quas a Cadmo e Phœnice in Græciam allatas ſcribit, V quoque recenſet & numerat: idem Marius: *Noſtri Latini cum litteris uterentur quas a Græcis acceperant, A. B. C. D. E. I. K. L. M. N. O. P. R. S. T. V. & Græci vocales haberent totidem quot & nos, A. E. I. O. V. nam* H *&* Ω *poſtea ſunt ab his repertæ. E & O ternas apud eos habebant poteſtates &c.* idem Victorinus: *Repertores litterarum Cadmus ex Phœnice in Græciam & Evander ad nos tranſtulerunt. A. B. C. D. E. I. K. L. M. N. O. P. R. S. T. V. litteras* XVI. *poſtea quaſdam a Palamede, & alias a Simonide adjectas impleſſe numerum* XXIIII. ita correximus apud Victorinum: vulgo enim vitioſiſſime in illa litterarum enumeratione quas Cadmus ex Phœnice in Græciam, ex Græcia porro in Latium invexit Evander, Q littera ponitur & V. omittitur, e contrario Plinius in enumerandis ſedecim litteris Cadmeis recte Q. omiſit, atque V. poſuit: nam Q. priſcam eſſe litteram & ex illis unam quas Pelaſgi in Latium attulerunt, nemo mihi perſuaſerit, qui ſciam multos ex veteribus ſupervacuam eam exiſtimaſſe & litterarum numero excluſiſſe, quoniam nihil aliud ſit quam C & V, & non minus poſſit ſcribi *quis* per *c*, & *u* & *i* & *s*. de quo veteres Grammaticos licet conſulas. V igitur cum apud Græcos, tum Latinos antiquiſſimos, una ex quinque vocalibus fuit, & ex ſedecim litteris una, quæ tum ſolæ in ſcribendo frequentabantur. Ariſtoteles quoque apud Plinium in illis decem & octo litteris quas ſtatim ab initio fuiſſe vult, eam poſuit: in earum autem litterarum Ariſtotelicarum numero male vir ille ſummus, de quo antea dixi, H notam aſpirationis inſeruit, Z litteram excluſit. Atqui ſi hoc fieri patimur, faceſſat oportet, & alium ſibi locum quam in Alphabeto Græco quærat hæc littera. Quippe cum Ariſtoteles ad eas decem & octo, quas pro priſcis habet, duas Θ & X ab Epicharmo additas quam a Palamede malit, & quattuor poſtea ad illas viginti dicatur adjeciſſe Simonides, duas nempe longas, H & Ω, duaſque duplices Ξ & Υ, quæ omnes viginti quattuor ſunt: aut in hunc numerum recipienda non erit Z, aut ſi recipitur, tum viginti quinque pro viginti quattuor ut agnoſcamus Græcas litteras neceſſe eſt. Dederim quidem hoc non invitus, H litteram etiam fuiſſe apud vetuſtiſſimos Græcos, non ſimplicem tantum aſpirationis notam, quoniam id veteribus quibuſdam Grammaticis placere video, ſed illud nunquam conceſſerim, eam inter ſedecim priſcas illas Cadmeas locum habuiſſe, aut in illis numeratam eſſe. Nec enim in Latinum vetus Alphabetum ingreſſa eſt quod in Latium Evander introduxit, & cum vetuſto Græco, idem omnino fuit numero & ordine, pæne etiam idem figura litterarum. Etſi alia deeſſent, nonne hoc ſatis argumenti erat, quo probaremus H de grege priſcarum illarum litterarum nunquam fuiſſe, ſed extra earum numerum & ordinem ſemper habitam? Cui poſt hæc poteſt eſſe dubium quin Græcæ litteræ veteres a Cadmo hæ fuerint, Α. Β. Γ. Δ. Ε. Ι. Κ. Λ. Μ. Ν. Ο. Π. Ρ. Σ. Τ. Υ. quibus numero & ordine penitus reſpondent, & forma pæne pares ſunt Latinæ iſtæ veteres ab Evandro, A. B. C. D. E. I. K. L. M. N. O. P. R. S. T. V. Plinius cum litterarum inventionem ex Syria peteret, & eas ſedecim numero e Phœnice in Græciam attuliſſe Cadmum diceret, non alias tamen quam Latinas iſtas retulit, quod cum Græcis veteribus eædem eſſent, a Pelaſgis in Latium invectæ. Sed in his male apud Plinium G poſitum legitur, quæ recens littera eſt, & veteribus Latinis prorſus ignota fuit, apud quos C vice gammæ fungebatur, quam & effinxerunt ex rotundata Γ. pro G igitur in Plinio K repoſuimus: ad illas autem ſedecim, quæ primitus in Græcia uſitatæ fuere, & ex Phœniciis ortæ ſunt, ſubſequentibus temporibus octo adjectæ feruntur, Ζ. Θ. Φ. Χ. Ξ. Ψ. Η. Ω. quarum primas quattuor quidam a Palamede, alii ab Epicharmo additas malunt: quattuor poſtremas Simonidem adjeciſſe inter omnes fere auctores convenit. Saltem major meliorque pars ita ſentit, & in eo conſentit. Ceterum quæſtione in primis dignum eſt, cum Simonides ille quattuor & viginti litterarum Græcarum numerum impleviſſe & clauſiſſe memoretur, cur Græcorum recens Alphabetum, viginti quattuor conſtans elementis, Ionicum paſſim ab omnibus appelletur? Ceus quippe fuit Simonides. Atqui Ceos nemo ignorat fuiſſe Doricos, non Ionicos. Unde igitur Ionicum Alphabetum dictum eſt, quod a Simonide Coo completum & abſolutum eſſe perhibent omnes conſtanter? quod diu neſcivi & nunc nuper didici, jam mihi faciendum videtur ut id opera mea ſciant ſtudioſi. Calliſtratum quemdam volunt Samium, Samus autem inſula ex duodecim Ionicis urbibus una, novitias illas & addititias tam a Palamede quam a Simonide litteras, cum vagæ adhuc eſſent, nec ab omnibus obſervarentur, utpote quæ nulla lege nec ordine nec ſede tenerentur, in unum eas corpus cum ſedecim prioribus redegiſſe & concluſiſſe primum, certamque iis ſedem in alphabeto adſignaſſe, atque ita ut communi conſenſu ab omnibus reciperentur perfeciſſe. Suidas: *παρὰ Σαμίοις εὑρέθη πρώτοις τὰ κδ′ γράμματα.* Tzetzes futilis alias auctor, ſæpe tamen utilis:

> *Τὰ δὲ εἰκοσιτέσσαρα γράμματα καὶ στοιχεῖα*
> *Ὁμοῦ συνηνωμένως τεχθὲν σῶμα φανέντα*
> *Παρὰ Σαμίοις εὕρηκα πρῶτον ἀναγνωσθῆναι*
> *Διὰ γραμματικοῦ τινὸς τὴν κλῆσιν Καλλιστράτου.*
> *Τῶν συγγραμμάτων πρῶτον μὲν ἐχόντων ἓξ καὶ δέκα,*
> *Εἶτα ἐννέα καὶ δέκα τὰ σύμπαντα στοιχεῖα,*
> *Καὶ καθεξῆς μέχρις αὐτῶν τῶν εἰκοσιτεσσάρων.*

Calliſtratus ille de ſuo nullas addidit, nec de novo litteras invenit, ſed diverſis & auctoribus & temporibus repertas in unum coegit & compegit alphabetum. Hinc Ionibus vulgo adſcribitur hoc recentioris litteraturæ viginti quattuor elementis comprehenſæ inventum, quod in Samo Ionica primum per totidem litteras ſcribi legique cæptum eſt auctore illo quo dixi Calliſtrato, qui & fortaſſe aliquantulum mutavit & inflexit vetuſtiorum litterarum formas, & minuſculas iſtas, quibus hodie utitur Græcia, repperit & publicavit, cum majuſculæ tantum & capitales, ut vulgo vocamus, apud veteres in uſu eſſent: qua de re nos alibi plura in libro de litteris & dialectis Græcorum. Et hoc eſt quod ait Herodotus Ionas Phœniciarum litterarum *τύπον ὀλίγον μεταρρυθμίσαι*.

Nam per Phœnicias veteres illas intelligit quas in Græciam propagavit Cadmus, in Græcia ipſa repertas & forma ipſa aliquantum differentes a primigeniis Phœniciis, quibus in patria Phœnice Phœnices utebantur. Illas ipſas inquam intelligit, quas antiqui Græciæ populi, Attici aliique ſolas noverunt, & paſſim uſurparunt, antequam recens iſtud viginti quattuor litterarum *ἀλφάβητον* ab Ionibus repertum eſſet & publicatum. Eas litteras vetuſtas Græcas, quas Atticas vocabant, multi ſunt qui dicant Palamedem Græcis communicaſſe a Phœnicibus acceptas: multi etiam ipſum reperiſſe perhibent, cum antea homines Phœniciis litterarum formis uterentur. Scholiaſtes Euripidis: *ὗτος ὁ Παλαμήδης λέγεται εὑρηκέναι ιζ΄ γράμματα μήπω τότε ὄντα, ἀλλὰ Φοινίκων γράμμασιν ἐχρῶντο οἱ ἄνθρωποι, ἄλλοι δὲ ἄλλοις*: non igitur Tzetzes mentitur, qui pleroſque dicit exiſtimaſſe non a Cadmo ſed a Palamede ſexdecim illas litteras inventas eſſe.

> *Λέγουσι γὰρ οἱ σύμπαντες εὑρεῖν τὸν Παλαμήδην,*
> *Οὐ τὰ εἰκοσιτέσσαρα γράμματα καὶ ϛοιχεῖα,*
> *Μόνα δ᾽ ἐκ πάντων δέκα ἓξ ἅπερ ἂν γνοίης μόνος.*

& paulo infra:

> *Οὔπω μὲν τὰ ἑκκαίδεκα γράμματα καὶ ϛοιχεῖα*
> *Τινές φασιν ἐφεύρηκεν αὐτὸς ὁ Παλαμήδης.*

At Scaliger Græculum illum, ut aliquid ſcire videretur plus quam ceteri, impudentiſſime mentiri ajebat. Philoſtratus etiam in Palamede ſentire videtur, non eum aliquot tantum litterarum fuiſſe repertorem, ſed omnium, id eſt ſexdecim illarum quas diu Græcia in uſu habuit. Tacitus plane etiam id confirmat his verbis ex XI. Annal. *Quidam Cecropem Athenienſem, vel Linum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem Argivum memorant, ſexdecim litterarum formas; mox alios, ac præcipuum Simonidem ceteras reperiſſe*: quem locum fruſtra vir doctiſſimus Lipſius emendare laborat, dum perſuaſum habet ſecundum quorundam ſententiam, Palamedem tres tantum aut quatuor litterarum formas reperiſſe. Sed locus bene habet. Palamedes ipſe apud Euripidem in Tragœdia cognomine litterarum typos & ſyllabarum copulationes, totamque ſcribendi rationem ſe reperiſſe jactat his verſibus:

> *Τὰ τῆς γελήθης φάρμακ᾽ ὀρθώσας μόνον*
> *Ἄφωνα καὶ φωνοῦντα συλλαβὰς τιθεὶς*
> *Ἐξεῦρον ἀνθρώποισι γράμματ᾽ εἰδέναι.*

Herodotus vero, nec Palamedis, nec Simonidis, nec Epicharmi meminit, nec aliorum cujuſquam, qui aut litteras primi inveniſſe, aut inventis aliquas addidiſſe, traduntur, ſed Phœnices refert qui duce Cadmo in Græciam venere. Herodotus vero refert Phœnices qui cum Cadmo in Græciam venere, litteras quoque eo intuliſſe, eaſque lapſu temporis aliquantum immutatas a priore & genitiva figura Ionibus vicinis tradidiſſe, qui & illarum figuram paulum inflexerunt. A quibus poſtea ceteri Græci accepere, earumque formam nihil immutatam ab Ionico charactere retinuerunt: atque hæ ſunt, quibus omnes Græciæ gentes tacito conſenſu conſpiratione que uti inſtituerunt, quibuſque hodierni Græci utuntur. Ionicæ igitur litteræ ſunt communes iſtæ & vulgares, quas hodie habemus, cum Græce legimus, aut ſcribimus, eaſque parum a Phœniciis ſitu & figura diſtare tradit Herodotus, qui teſtatur ſe vidiſſe. Non ſemel tamen mutatam fuiſſe formam litterarum Phœniciarum idem refert: nam Phœnices, qui cum Cadmo litteras in Græciam invexere, non diu illas ſervavere integras, ut ex patria attulerant, ſed & dialectum & litterarum characteres labente tempore penitus immutarunt. Iones etiam qui ab illis acceperunt, earum formam leviter mutarunt: nec poſtea mutatus eſt litterarum modulus, ſed ita reliquis Græcis, & in ea facie, quam Iones introduxerunt, receptus eſt. Sciendum præterea *Καδμήια* illa *γράμματα* quæ narrat Herodotus ſe vidiſſe inſculpta Thebis in tripodibus Apollini Iſmenio dicatis, & ſibi viſa eſſe non admodum diſſimilia Ionicis, non ex eo fuiſſe genere characterum, quos primi Phœnices, qui cum Cadmo venerant, puros putos ex Phœnice attulere, ſed ad eam formam, qua poſtea interpolati ab iiſdem fuere, cum & dialectum ipſam nativam & mere Phœniſſam labente tempore, poſtquam diu in Græcia morati eſſent, mutaverunt. Vicini vero tunc temporis Iones, cum ab illis litteras mutuati eſſent, hanc recentiorem formam imitati ſunt, quam & ipſam *ὀλίγα μετερρύθμισαν*, ut ſcribit Herodotus. Ergo non mirum ſi Phœnicias litteras Ionicis ſimiles ſibi viſas ſcripſit Herodotus; non enim de iis Phœniciis intelligendum quibus in patria ſua Phœnices utebantur, ſed de illis, quas ſibi fabricarunt, poſt longam temporis moram in Græcia factam, ubi & dialectum, ut diximus, & litterarum modulum immutarunt. Herodotus de illis Phœnicibus, qui duce Cadmo in Bœotiam migravere: *μετὰ δὲ χρόνου προβαίνοντος, ἅμα τῇ φωνῇ μετέβαλον καὶ τὸν ῥυθμὸν τῶν γραμμάτων*: atque eo genere litterarum ſcripta fuere illa Epigrammata quæ ibi refert Herodotus: quæ ſi velles litteris Ionicis exarare, non aliis eſſet utendum, quam quibus hodie utimur. Cujus rei magnum argumentum eſt, quod longo poſt Cadmi adventum tempore inſcriptiones illæ factæ ſunt, cum jam ſcilicet lingua Phœnicum degeneraſſet, & litteræ ipſorum a primigenia figura deſciviſſent. Græce enim ſcripta fuere illa epigrammata, non Phœnicum idiomate, & illis characteribus expreſſa, quos progreſſu temporis in Græcia ſibi formaverant, non quos primum ex Phœnice attulerant, quique uſitati Phœnicibus erant. Hoc fefellit doctiſſimum virum, qui putavit Ionicas litteras Phœniciis ſimiles eſſe, & Phœniciarum nobis exemplum producit ex Samaritano Alphabeto, & abutitur Herodoti teſtimonio. Verum enim eſt Ionicas litteras eaſdem pæne cum Cadmeis fuiſſe, ſed eis Cadmeis quæ tempore Amphitryonis, & Labdacidarum a Thebanis uſurpabantur: multum diſſimiles priſcis illis & nativis Phœniciis, quas Cadmus in Bœotiam importaverat. A quibus Iones cum ſumerent litterarum formas, non eas veteres & primigenias, ſed has recentiores, & corruptas imitatione expreſſerunt. Hinc Herodotus ſimiles Ionicas Phœniciis ſibi viſas tradit, in illis vetuſtis epigraphis ab Amphitryone, Leodamante & Scæo politis. Præterea nihil magis refellat Scaligerum, quam *αὐτοψία* ipſa Phœniciarum, & Ionicarum notarum ex adverſo poſitarum & comparatarum. Quid enim tam diſſimile ac diverſum? Atqui ſcripſit Herodotus, *τὰ πολλὰ ὁμοῖα ἐόντα τὰ Καδμήια γράμματα τοῖς Ἰωνικοῖς*. Duplex igitur ejuſdem incomparabilis viri peccatum: primum, quod litteras Ionicas priſcis Phœniciis ſimiles eſſe exiſtimavit. Qui enim ſimiles poſſint eſſe, cum Cadmeæ recentiores, ex quibus profectæ ſunt Ionicæ, & ipſæ aliquantum immutatæ, adeo differrent, ac diſpariles eſſent illis priſcis Cadmeis, quas de patria ſua Phœnice attulerat Cadmus? Secundus error, quod Ionicas litteras alias putavit eſſe a Græcis vulgaribus. Nam cum *Ἰωνικὰ γράμματα* nomina-

vit Herodotus, ea utique intellexit, quibus ipse & reliqui tum temporis Græci utebantur, & postea semper usi sunt, postquam Alphabetum Græcum viginti quattuor elementa habere cæpit: totidem autem jam elementis constabat Herodoti tempore. quas igitur alias litteras potuit nominare Herodotus, cum docere vellet ac probare, Græcas litteras Cadmeis, ex quibus sumptæ essent, similes sibi repertas in aliquot veteribus monumentis? Sane non Doricas, non Æolicas, sed Jonicas nominavit, quia primi Jones ex Phœnicibus eas acceperant, & in reliquas Græciæ gentes propagarant: quæ tacito consensu litterarum Jonicarum formam & usum recepere. Nam ante Cadmum nullæ in Græcia litteræ, post Cadmi adventum sedecim tantum in usu. mox Jones viginti quattuor numerum impleverunt. Attici tamen veteres diu retinuerunt eum sedecim litterarum numerum nec statim receperunt Jonicum Alphabetum, quod quattuor & viginti litterarum erat. quando autem receperint, scire non parvi feci, & nunc tanti erit alios etiam id docere. Sub Euclide Archonte factum id invenio, persuasione cujusdam Archinoi qui Athenienses ad Jonicas litteras recipiendas primus induxit & impulit. Suidas: τοὺς δὲ Ἀθηναίους ἔπεισε χρῆσθαι τοῖς Ἰώνων γράμμασιν Ἀρχῖνος ὁ Ἀθηναῖος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλείδου. Luculentus super hac re locus apud veterem Scholiasten Euripidis in Phœnissas: sed quem editiones inquinatissime scriptum exhibent, eum nos emendatiorem huc afferemus. ad hæc verba Euripidis: *σοι νιν ἔκγονοι κτίσαν·* notat ille: *γράφεται, σῶ νιν ἐκγόνῳ κτίσαν. ἵν' ᾖ, τῷ ἐκγόνῳ σου τῷ Κάδμῳ, αἱ θεαὶ κατέκτισαν τὰς Θήβας.* [illegible] *δὲ περὶ τὴν ἀρχὴν ἁμάρτημα. ἐπ' ἄρχοντος γὰρ Ἀθήνησιν Εὐκλείδου, μήπω τῶν μακρῶν εὑρημένων, τοῖς βραχέσιν ἀντὶ μακρῶν ἐχρῶντο, τῷ ε ἀντὶ τοῦ η, καὶ τῷ ο ἀντὶ τοῦ ω. ἔγραφον οὖν, τοῖ δήμοι,* [illegible] *δήμῳ. μὴ νοήσαντες δὲ* [illegible] *τῆς ἀρχαίας γραφῆς καὶ δεῖ μεταθεῖναι τὸ ο εἰς τὸ ω μέγα, ἐτάραξαν τὸ νοητόν.* qui, inquit, non attenderant antiqua & Attica scribendi consuetudine scriptum esse eo loco apud Euripidem *σοῖ ἐκγόνοι*, quod secundum recentem & receptam litteraturam mutandum erat in *σῷ ἐκγόνῳ*, turbaverunt & confuderunt poetæ sensum. Ceterum correctione adhuc indigent hæc verba in illo vetere scholio, *ἐπὶ ἄρχοντος γὰρ Εὐκλείδου οὔπω μακρῶν εὑρημένων τοῖς βραχέσιν ἀντὶ μακρῶν ἐχρῶντο·* perspicue enim falsa sunt, & auctoris menti contraria, qui dicere voluit Athenienses ante Euclidem Archonta breves vocales pro longis usurpasse, priusquam scilicet longæ inventæ essent. legendum igitur puto: *πρὸ ἄρχοντος γὰρ Εὐκλείδου.* nam sub Euclide prætore priscum illum scribendi morem abjecerunt, quo breves vocales loco longarum ponebant. Sed & illud, *μήπω μακρῶν εὑρημένων*, falsum est, nisi recte accipiatur. *μήπω εὑρημένων*, respectu Atheniensium, qui etsi jam pridem repertæ essent, pro irrepertis tamen eas habebant, quibus non uterentur. Simonides enim, cui tribuitur earum inventio, haud parvo intervallo Euclidem præcedit. Nec repertæ modo illæ antequam Euclides magistratum Athenis caperet, sed etiam multo ante id tempus apud Jones erant usitatæ. Athenis duo fuerunt Archontes hoc nomine: prior eorum magistratum gessit anno secundo Olympiad. LXXXVIII. posterior vero anno item secundo Olympiad. XCIIII sub hoc posteriore Athenienses in usum receperunt Jonicas litteras, tribus aut quattuor annis post Euripidis obitum, totidemque antequam Socrates veneno necatus est. Eusebius hoc factum refert in annum primum Olympiadis XCV. his verbis, ut in Hieronymi versione leguntur: *Athenienses viginti quattuor uti cœperunt, quum ante sexdecim tantum haberent.* manifestus triennii metachronismus. Jam igitur in vivis esse desierat Euripides cum illa scriptura Jonica ab Atheniensibus admissa est, & vetus exclusa, atque abolita, quam usque ad tempora Euclidis magistratus usurpasse reperiuntur. hinc post mortem Euripidis, qui Tragœdias ejus describebant librarii, omnia vestigia antiquæ illius scripturæ quæ eo vivente adhuc vigebat, aboleverunt, & hanc recentem substituerunt. quod & in aliorum auctorum scriptis, qui ante receptam Jonicam scribendi formam vixerant, fecerunt, ac de libris eorum τῆς ἀρχαίας γραφῆς sustulerunt, & nova mutarunt. id cum in omnibus locis Tragœdiarum satis diligenter præstitum esset ab antiquis Criticis & libris, nec ullæ amplius apparerent in iis notæ τῆς παλαιᾶς γραφῆς, non idem tamen observatum esse in illo Phœnissarum loco quem supra retulimus queritur ibidem vetus Scholiastes. cum enim *τοῖ ἐκγόνοι* scriptum esset, vetusto more, mutari debuisse in *τῷ ἐκγόνῳ*, ut recens & usitatus scripturæ modus postulabat: quod a negligentibus librariis omissum, & a Criticis minime animadversum, ut loci illius *τὸ νοητὸν* turbaretur in causa fuisse. Hæc mens veteris interpretis qui Scholia in Euripidem scripsit. Ex his omnibus satis liquido constare puto, alphabetum XXIV. litterarum, ab Jonibus primum in insula Samo concinnatum conflatumque esse, & ab Atheniensibus sero admodum receptum. Versum Aristophanis citant ex ejus comœdia *Βαβυλωνίοις*, & de his litteris Jonicis vel Samiacis interpretantur Grammatici veteres.

Σαμίων ὁ δῆμος ἐστιν, ὡς πολυγράμματος.
Plane ista gens est Samia, multis litteris.
vel, *multilittera.*

Hunc versum apud eum in illa Comœdia nescio quis admirabundus pronuntiabat, videns Babylonios, qui fabulæ nomen indiderant, e pistrino exeuntes, multis litteris frontem inscriptos: *populus*, inquiebat, *iste Samius plane est. en ut litterati sunt.* Suidas ad illa verba: *ὅτι παρὰ Σαμίοις εὑρέθη πρώτοις τὰ κδ γράμματα ὑπὸ Καλλιστράτου, ὡς Ἄνδρων ἐν τρίποδι. τοὺς δὲ Ἀθηναίους ἔπεισε χρῆσθαι τοῖς Ἰώνων γράμμασιν Ἀρχῖνος ὁ Ἀθηναῖος ἐπὶ ἄρχοντος Εὐκλείδου. τοὺς δὲ Βαβυλωνίους ἐδίδαξε διὰ Καλλιστράτου Ἀριστοφάνης ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κα' ἐπὶ Εὐκλέους. περὶ δὲ τοῦ πείσαντος ἱστορεῖ Θεόπομπος.* Servos inscriptos & litteris notatos, Samiorum populum vocavit Aristophanes allusione facta ad Samios qui alphabetum ex XXIV. elementis primi composuerunt & in cæteros Græciæ populos diddiderunt. Sed nondum cum illa scriberet Aristophanes, Jonicum vel Samiacum Alphabetum receperant Athenienses, quod non multo post ipso adhuc vivente Aristophane, Archinoo agente ab iisdem introductum est. Babylonios per Callistratum docuit Aristophanes *ἐπὶ Εὐκλέους ἄρχοντος*, uno & viginti annis ante magistratum Euclidem; nullum ego novi istoc nomine qui Athenis archon fuerit: quod si unum & viginti annos retro numeremus a prætore Euclide, non in Euclem qui nullus est, sed in Isarchum incidemus. ante Isarchum porro archon erat Stratocles qui viginti duobus annis ante Euclidem gessit magistratum Athenis: hujus fortasse nomen apud Suidam reponendum, & numerus leviter corruptus sic corrigendus: *ἔτεσι πρὸ τοῦ Εὐκλείδου κβ' ἐπὶ Στρατοκλέους.* sub illo magistratu Stratocle non *Βαβυλωνίους διὰ Καλλιστράτου*, sed per seipsum *ἱππεῖς* Comœdiam docuisse legimus in argumento *ἱππέων*. poteramus etiam emendare, *ἐπὶ Διοκλέους*· qui Diocles sex tantum annis ante Athenis Archon fuit quam Euclides eumdem magistratum iniret. Verum hæc alibi diligentius a nobis & accuratius examinabuntur.

non possum præterire locum Hesychii de Samiorum litteris qui maxime huc spectat: sic autem legendus: Σαμίων ὁ δῆμος. φησί τις παρὰ τῷ Ἀριστοφάνει τοὺς ἐκ τοῦ μήλωνος ἰδὼν Βαβυλωνίους, Σαμίων ὁ δῆμός ἐστιν, ὡς πολυγράμματος· καταπληττόμενος τὴν ὄψιν αὐτῶν καὶ ἐπαπορῶν, ἔστι καὶ ἑτέρα ἱστορία διὰ τὴν πολυγράμματον ἔφη Σαμίων δῆμον, ἐπειδὴ Ἑλλήνων Σάμιοι πολυγράμματοι ἐγένοντο πρῶτοι καὶ χρησάμενοι καὶ διδόντες εἰς τοὺς Ἕλληνας τὴν διὰ τῶν τεσσάρων καὶ εἴκοσι στοιχείων χρῆσιν. ex his & aliis quæ supra diximus clarum est, concinentibus omnium auctorum sententiis, Samios ac per hoc Iones ejus Grammaticæ quæ per viginti quattuor literarum formas explicatur, ceteris Græcorum populis auctores extitisse. Atque hæc scribendi ratio, litterarumque Samiarum usus, ea forma & eo numero, jam tum apud Ionas vigebat Herodoti temporibus: qui cum in insula Samo, ubi hæc litteratura primum reperta est, historiam conscripserit, & Ionica lingua composuerit, quin Ionicas litteras nominando eas ipsas intelligat, quæ ante ejus ætatem apud Samios repertæ fuisse traduntur, quæque tum maxime in insula Samo, & apud reliquos Iones passim in usu erant, cum illa scribebat: ut autem recentes istæ Ionicæ vocabantur a Samiis earum repertoribus, sic veteres illæ sedecim, quarum passivus in Græcia fuit usus ante repertas viginti quattuor Ionicas, Atticæ dicebantur, vel ex eo quod Attici populi, recentibus istis & Ionicis jam ubique per totam Græciam diditis, & usu receptis, ipsi tamen adhuc priscas retinebant, nec nisi admodum sero ut Ionicas reciperent induci potuerunt: vel quod litterarum quibus uterentur, semet inventores perhiberent, nec eas ab aliis accepisse videri vellent. Hesychius Ἀττικὰ γράμματα ἐπιχώρεια interpretatur, hoc est indigenas & vernaculas litteras, & in Attico solo natas. nam & auctores sunt qui Cecropem Atheniensem sexdecim litterarum formas reperisse dicant. Tacitus Annal. XI. *Quidam Cecropem Atheniensem vel Libanum Thebanum, & temporibus Trojanis Palamedem sexdecim litterarum formas, mox alios ac præcipuum Simonidem ceteras reperisse.* Hinc Ἀττικὰ γράμματα ἀντὶ τῶν παλαιῶν veteribus, non quod figura differrent, sed quod scribendi modum longe alium efficerent: Exempli gratia, E, veteribus Atticis idem & ejusdem formæ quod apud Iones: sed nondum in ordinem litterarum recepto H Ionico, cogebatur Atticus scribere TEI pro THI: & ξερὸν pro ξηρὸν. Plato: οὐ γὰρ ἢ ἐχρώμεθα, ἀλλὰ ε τὸ παλαιόν. Sic nondum recepto ω, scribebant τοι pro τῷ & ita de ceteris. Sed & o litteram pro syllaba ου ponebant: & hunc scribendi morem retinuerunt Attici. Hinc Διονύσο pro Διονύσου in Achæi tragici Omphale apud Athenæum. At nunquam id admisisset Ionicus, ut ο pro ου scriberet. Immo contra moris habent ου ponere diphthongum, ubi ο tantum breve a reliquis ponitur. Sic νοῦσον pro νόσον scribere amant: οὖρον pro ὄρον· οὔρεα pro ὄρεα· adeo ambitiose affectarunt litterarum ab se inventarum usurpationem, eas omnibus locis inculcando, singulisque vocibus inserciendo, ut passim legitimas & priscas sede sua deturbarent, & has recentiores in locum earum reponerent. Sic ἀνδρηΐην pro ἀνδρείαν scribebant, βασιληΐην pro βασιλείαν· ἱστορίην pro ἱστορίαν· sic θῶυμα pro θαῦμα, τρῶμα pro τραῦμα & similia sexcenta: sic διξὰ & τριξὰ pro δισσὰ & τρισσά. nam ξ novitia littera & Ionici inventi. sic τ in θ mutant, & κ in χ· quæ omnes litteræ adjectæ fuere ad complendum numerum viginti quattuor litterarum: quod complementum uno ore omnes Ionibus attribuunt. Harpocration: τὴν γὰρ τῶν εἴκοσι τεσσάρων στοιχείων παρὰ τοῖς Ἴωσιν ὕστερον εὑρεθῆναι. Ultima igitur hæc & recentissima litterarum dispositio & formatio, quam Iones introduxerunt. Scriptura vero, qua illius Farnesiæ columnæ monumentum exaratum legitur, non Ionica est, sed ab Ionica longe distat: nunquam enim Ionicus ὀδενὶ pro οὐδενὶ scriberet: nec Ηερόδο pro Ηρώδου: nec TEI pro τῇ: nec τοι pro τῷ: quod in hac inscriptione passim occurrit. Veterum igitur Græcorum hæc scribendi consuetudo, ante repertas ab Ionibus viginti quattuor litteras: de qua scribendi consuetudine, præter ea quæ in superioribus adduximus, libet etiam adferre insignem locum Marii Victorini de Arte Gramm. lib. I. simul, ut eum gravi mendo liberemus: ita igitur apud eum scribendum: *Et significaveram prius quam Græcis inter vocales repertæ essent η & ω, vicem earum tam apud illos, quam apud nos explesse, ε & ο: ο etiam scribi solitam pro syllaba ου. E autem pro ε & ἦτα. Easdemque ο & ε quoties accepissent in finem ἰῶτα, dativum casum apud utrosque significare, & harum scriptionum exempla non solum ex libris veteribus, sed etiam ex peritorum quorundam scriptionibus, ut καμέλοι, κάπροι.* Hanc eandem plane scripturam licet in isto lapide observare, nimirum ο pro ου. ε adjuncto ἰῶτα in finem dativum casum significare, ut ἐν τεῖ pro ἐν τῇ: item ο adjuncto ἰῶτα tertium etiam casum notare, ut ὁδοῖ pro ὁδῷ: ἀγροῖ pro ἀγρῷ: ἐν τοῖ pro ἐν τῷ. Sic plane apud Victorinum, καμέλοι pro καμήλῳ; & κάπροι pro κάπρῳ. Non poteramus locum illustriorem adducere, ad scripturam illius columnæ exponendam: quod autem ait Victorinus ea scriptione usos esse Græcos ante repertas vocales η & ω, ego & post repertas easdem diu in usu mansisse apud Græcos scio: atque in veteribus præcipue monumentis inscribendis, aut scribendis fœderibus locum habuisse. Sed & ejusdem scripturæ exempla extitisse in veteribus libris suo tempore non obscure innuit idem Victorinus. Et nos supra notabamus ex Achæi Omphale, Διονύσο pro Διονύσου. Nam quamvis υ inter veteres litteras Atticas fuerit, nunquam tamen eam litteram Attici cum ο junxerunt ut syllabam facerent, sed ο semper apud illos & pro ου syllaba, & pro ω ponebatur: sic autem declinabant & scribebant, Ο ΛΟΓΟΣ, ΤΟ ΛΟΓΟ, ΤΟΙ ΛΟΓΟΙ: pro τοῦ λόγου, & τῷ λόγῳ. Velius Longus de orthographia: *Græcorum vero, qui de antiquis litteris scripserunt, commentarii, item Latinorum qui illos sequuti sunt, eadem littera veteres solitos scribere ostendunt,* μακρὸς, μακροῦ, μακρῷ, & confusas fuisse ο & ου & ω. ita legendus ille locus, qui corruptissime excusus est: quod ait eadem littera veteres scripsisse, μακρὸς, μακροῦ & μακρῷ, prorsus verum est: nam ita scribebant, ΜΑΚΡΟΣ, ΜΑΚΡΟ, ΜΑΚΡΟΙ, quod est, μακρὸς, μακροῦ, μακρῷ. Hæc etiam inscriptio Farnesiana eodem plane modo scripta est, temporibus, quod mireris, Antoninorum Marci & Pii: nam sub illis vixit Herodes Atticus. Sed quod longe majore admiratione dignum est, testor eamdem me scriptionem reperisse in vetustissimo Glossarum manuscripto codice ex Bibliotheca Puteanorum fratrum. Eæ sunt glossæ, quarum editionem curavit H. Stephanus. In eo igitur libro tot locis ea mihi scriptura reperta est, ut non fortuito ita scriptum suspicari liceat, aut negligentis librarii incuria, sed certa scribendi consuetudine: pauca de multis exempla proferam. Hoc enim frequentissimum extat in illo Glossario μέχρ ιτότο pro μέχρι τούτου· σταθμοχος pro σταθμοῦχος· κοσμόσιν pro κοσμοῦσιν. sic σποδαῖος pro σπουδαῖος· ἀγλειτοργησία: εἶδος ὀρνέο. πορδίο pro πορδίου· λδίσσει ἰδό, pro ἰδού. κόρητες pro κούρητες. *Jactant*, ῥίπτοσιν, ἀκοντίζοσιν. *Insuasum*, εἶδος δοκαρίο καπνισμένο, pro δοκαρίου καπνισμένου. ἀπὸ γένος pro ἀπὸ γένους· ἐκ

μέρος, pro ἐκ μέρους. μεθύσσα pro μεθύουσα, & infinita talia, quæ piget ascribere: vix enim numero comprehendi possunt: sic etiam ε pro η in illo Glossario multis locis positum repperi: ut πεποίθεσις pro πεποίθησις· & μάθεσις pro μάθησις· κίνεσις pro κίνησις. Illud igitur ο στοιχεῖον pro syllaba ου positum, non tantum ante repertas viginti quattuor ab Ionibus litteras, sed etiam post, liquido possumus affirmare. Philoxenus enim qui Socratis tempore vixit, cum Dionysio rescriberet, & invitanti se negare vellet, non aliud in membrana pinxit, quam varias ο litteræ formas, parvas, magnas, & medias. Vaticana appendix proverbiorum a Schotto edita: μεταπεμπομένου δὲ Διονυσίου αὐτὸν γράψαι μοι οὐκ ἔγνω· λαβὼν δὲ βιβλίον τὸ στοιχεῖον ο πολλάκις ἐν αὐτῷ περιέγραψε μόνον, εἰς μικρά καὶ μεγάλα τὸν τοῦ γράμματος χαρακτῆρα τυπώσας, καὶ ὅτι τὴν παράκλησιν διωθεῖται διὰ τούτο δηλώσας. apud Suidam scribitur: τὸ α στοιχεῖον ἔγραψε μόνον: perperam, etsi defendat vir doctus, qui notat α litteram negandi vim apud Græcos habuisse. Sed fallitur vir optimus: α enim apud Græcos per se posita non negat, sed in compositione privativam vim habet: reponendum igitur in Suida: τὸ ο στοιχεῖον. quod jam vidit præstantissimus Scaliger. O igitur idem valet quod οὐ, & est abnutivum. Sic Bœoti, ὀ πίττομαι dicebant pro οὐ πείθομαι. Hesychius, ὀ πίττομαι. οὐ πείθομαι, Βοιωτοί. ita enim legendum apud Hesychium. At contra οὐ diphthongum pro ο littera scribebant: quod non est veterum Atticorum, ut perperam sentiunt doctissimi viri, sed Ionum. Cum enim Attici veteres sedecim tantum numero litteras haberent, iisque solis totam scribendi rationem constituerent, tantum abest, ut ο litteram per οὐ exprimerent, ut contra illa littera sola uterentur, & vicem οὐ diphthongi, & loco Ω. Jonicum igitur est ου pro ο. veteris autem Atticismi scriptura ο pro ου. Nam Iones post constitutas viginti quattuor litteras ο litteram per οὐ scribebant. Rationem addunt veteres Grammatici, ἵνα στοιχειακῶς αὐτὸ περισπᾶται ὡς μακρόν. βραχὺ γὰρ ὂν οὐκ εἶχεν περισπᾶσθαι. Sic etiam E per εἰ scribebant ab eadem ratione. Sed & hoc moris Ionici ο breve in ου mutare in singulis fere vocibus: vetus autem Grammatica quæ υ non habebat, non poterat ου pro ο scribere. Recens itaque est non vetus hæc scriptio. Apud Ausonium in Epigrammate:

——*οὖ tibi sit obscœne*. οὖ non est diphthongus sed littera: ut enim Eἶ pro simplici E: sic οὖ pro simplici O. optat igitur illi obscœno figuram litteræ O, quæ figura designat aut laqueum quo gula stringitur, aut bojam, aut certe annulum quo pedes vinciuntur, aut aliquod tale instrumentum cui pedes immittuntur: illum locum non recte interpretantur doctissimi viri: sic autem debet, ut nos diximus, exponi. Operæ pretium est etiam discutere locum ex Athenæi excerptis, nondum satis exacte animadversum. In eclogis igitur Athenæi, ut nos docuit præstantissimus Casaubonus, ita scriptum est: ὅτι πάντες οἱ ἀρχαῖοι τῷ ου ἀντὶ τοῦ ο στοιχείου προσεχρῶντο. Vir magnus suis in Eusebium animadversionibus hunc locum citans notat ο μικρὸν, ut vocatur hodie, veteribus inauditum fuisse, & verba Athenæi, quæ citat ille excerptorum auctor, esse ex eo loco ubi in poculo erat inscriptum Διονύσο, pro Διονύσου· ἐν τούτοις, inquit Athenæus, λείπει τὸ υ στοιχεῖον, ἐπεὶ πάντες οἱ ἀρχαῖοι τῷ ο ἀπεχρῶντο οὐ μόνον ἐφ' ἧς νῦν τάττεται δυνάμεως, ἀλλὰ καὶ ὅτε τὴν δίφθογγον διασημαίνει διὰ τοῦ ο μόνον γράφουσι. Videamus an Athenæo conveniat, cum ejus breviatore. Eclogarius dicit veteres omnes τῷ ου ἀντὶ τοῦ ο στοιχείου abusos esse. Contra vero Athenæus aperte docet veteres τὸ ο non solum pro littera ο usurpasse, sed etiam pro diphthongo ου. manifesta hæc dissensio est, quam miror non animadversam viris doctissimis. Aut igitur hallucinatus est illarum ἐκλογῶν auctor, & male Athenæi verba accepit, aut sane librarius erravit, cum scribendum fuerit; ὅτι πάντες οἱ ἀρχαῖοι τῷ ο στοιχείῳ ἀντὶ τοῦ ου προσεχρῶντο: idque convenit & Athenæo, & exemplo ab eodem producto, ubi Διονύσο pro Διονύσου. ο nimirum pro ου. Marius Victorinus de orthographia lib. 1. *& o similiter quoque cum esset unum breve, & idem faceret longam syllabam, præterea exprimeret vocem quæ apud eos per o & u scribitur, ou*. Sed verius est nihil mutandum in illo Eclogarii loco, qui cum aliud dicat, & aliud Athenæus, verum uterque tamen dicit. ου pro ο scripserunt veteres sed Ionici, ita enim & ει pro ε scribebant. Excerpta Athenæi: ὅτι ἀρχαῖοι τῷ ου ἀντὶ τοῦ ο στοιχείου προσεχρῶντο. ὡς δὲ καὶ τῷ ει ἀντὶ τοῦ ε. E contrario veteres Attici τῷ ο ἀπεχρῶντο ἀντὶ τῆς διφθόγγου ου. aut igitur Eclogarius ille verba Athenæi ex eo loco ubi in poculo erat inscriptum Διονύσο pro Διονύσου, in animo non habebat cum illa scriberet, aut si habuit, tota re falsus est & mentem Athenæi minime cepit. Ergo antiquorum fuit Græcorum hæc scriptura ο pro ου, quam videmus expressam in hac columnæ Farnesianæ inscriptione. Recentiorum autem, hoc est Ionum, ut οὐ diphthongum scriberent pro littera ο, ob eas rationes, quas superius adduxi. Priscianus lib. 1. *pro o quoque ou solent frequenter ponere Græci*, οὖρος, οὖλος, *pro* ὄρος, ὅλος, νοῦσος *pro* νόσος *dicentes: quod nos frequenter habemus in finalibus maxime syllabis, ut Priamus, Pylus, Pelium, u tamen corripientes*. Restat ut illam inscriptionem, quæ in eadem Farnesiana columna visitur, exponamus, & ejus rationem explicemus. Sic enim in ea scriptum est: HO pro ὅ. HEPOΔO pro ἡρώδου. HOΔOI pro ὁδῷ. ENHOΔIA pro ἐνοδία. Sciendum est aspirationis notam H, quæ ut plurimum Latinis vocibus præponi solet, eandem etiam vim ac figuram apud veteres Græcos obtinuisse, nec superscribi tantum initio vocum ab vocalibus incipientium solitam, ut hodie consuevit, sed etiam ascribi: ut HEKATON, quod hodie nobis est ἑκατόν. Ideoque veteres cum centenarium numerum notare vellent, H tantum scribebant, quæ prima littera est vocis HEKATON. Sic quoties unum notabant, ι litteram ponebant, quæ prima est vocis ἴα, quæ μίαν significat. Sic Δ, designabat duo: sic T, tria: & similia. Scaurus: *Quibus primum illud respondemus, H & esse litteram & apud Græcos quoque fuisse, quod significant Attici, qui principes litteras vocum, a quibus earum nomina incipiunt, numeris notantes, hac quoque in eadem significatione utantur. Nam quoties unum notant, ι litteram ponunt, quoniam apud illos μία ἴα dicitur*: δύο, δ: τρία, τ: *sic &* ἑκατὸν, *id est centum* H *littera notant*: sic enim legendus doctissimi Grammatici locus qui vulgo depravatissimus circumfertur. Priscianus idem observat: *vetustissimi enim*, inquit, *quique Græci pro aspiratione* H *scribebant: quam habebat* HEKATON *in principio*. Vetustissimi autem illi Græci quos intellexit Priscianus, sunt Attici, ut habetur apud Scaurum; nec omisit id monere Priscianus his verbis: *Una per ι scribitur antiquo more Atticorum qui solebant principalem nominis numeri litteram ponere & significare numerum*: quod idcirco nobis notandum est, quia docemus paulo post non Ionicam esse, sed Atticam hujus veteris monumenti Farnesiani scripturam. Præterea reliqui Græci alias notas aspirationis habebant, ut mox dicturi sumus: vetustissimorum igitur Atticorum fuit hæc aspi-

rationis nota, H, quam vocum initio ad latus adponere conſueverant, non ut nunc ſolemus, ſuperponere: cujus rei nobis exemplum ſuppeditat non ſemel hæc Farneſianorum hortorum columna. Ideoque litteram eam eſſe vult Scaurus, & ſic veteribus Atticis habitam oſtendit. Sive littera, ſive nota eſt, ſciendum eſt, eſſe conflatam ex daſea & pſile. Daſean ita pingunt veteres Ͱ. Pſilen autem ſic, ꟷ. quas duas notas ſi jungas in unam, habebis plane noſtram, & veterum Atticorum, H. Iſidorus: *quorum duorum accentuum figuram Latini ex ipſa aſpirationis nota fecerunt: unde ſi jungas has, feciſti eamdem aſpirationis notam* H. *rurſus ſi medium ejus apicem ſcindis*, δασεῖαν & ψιλὴν *facis*, quod veriſſimum eſt. Illud etiam valde notatu dignum, in pleriſque veteribus codicibus Latine ſcriptis, Latinis vocibus anteponi Ͱ, more Græcorum: ut Ͱomo, Ͱumus, & ſimilibus: quod nos vidimus in antiquiſſimo Gloſſarum codice, qui ſervatur in Bibliotheca Palatina, & in Iſidoro manu exarato ejuſdem Bibliothecæ, & aliis non paucis. Apud Æoles autem vice aſpirationis fungebatur digamma, quæ figura non multum diſtabat a daſea ceterorum Græcorum: una quippe tantum κεραίᾳ in planum collocata differebat: duas enim lineas jacentes habuit digamma, daſea unam, ſic enim pingebatur, F. atque ideo digamma vocabatur quod duplicem gammam referret. Scribebatur & ſic, ꟷ. plane ut pſile ꟷ. niſi quod una linea porrecta amplius habet. Atque hoc digamma præfigebatur omnibus verbis a vocali incipientibus, ſive ea lenem ſpiritum exigerent, ſive aſperum: ut Fοινος, Fελενη, Fοικος· & quemadmodum HEKATON Attici ſcribebant, ſic Æoles FEKATON pro eodem. Et quod in hac noſtra inſcriptione exaratum eſt Hοέςιν: Æolico more idem qui vellet exararet, Fοέςιν poneret: & pro HEPOΔOT, FEPOΔOT. Et in illo verſo Æolici Poetæ, Νέςορα δὲ Fοῦ παῖδος, Atticus poſuiſſet, Νέςορα δὲ Hοῦ παιδὸς, hodie vero eſt, Νέςορα δὲ οὗ παιδός. Nec initio tantum vocum eam notam adponebant, ſed etiam in medio, ut ΔημοφοFων, ΛαFοκαFων. hoc eſt Δημοφούων, & Λαυοκάυων: pro Δημοφόων & Λαοκόων. ut πῦρ δάFιον apud Alcmanem, pro πῦρ δάϋιον: perperam autem ΔημοφάFων apud Priſcianum ſcribitur, qui ipſemet vidiſſe teſtatur illa Epigrammata in vetuſtiſſimo tripode Apollinis, qui ſtat in Xerolopſo Byzantii. Græci etiam veteres interponebant aſpirationem mediis vocibus, ut in hac ipſa inſcriptione videmus, ENHOΔIA. ſic δάFιον, ἀFὼς, ὠFὸν. Attici veteres eodem plane modo ſcribebant, TAΘΩΣ, ΛΕΗΩΣ, ΠΡΑΗΟΣ, ΥΙΗΟΣ, ΛΑΗΟΣ: hoc eſt, ut hodie ſcriberemus, ταῶς, λεὼς, πρᾶός, ὑός, λαός: in quibus omnibus vocibus ſcriberent Æoles, ταFως, πραFος, υFος, ΛαFος, ut λαFοκόων ſupra legimus apud Priſcianum pro λαοκόων. Videndus Athenæus, & poſt illum Euſtathius in Homerum: ex his conſtat idem prorſus officium fuiſſe τοῦ Αἰολικοῦ F & Ἀττικοῦ H. & ad eumdem uſum omnino adhiberi utrumque ſolitum: nam pro nihilo ducebatur in metris, non ſecus atque nota aſpirationis, ut hic verſus oſtendit apud Priſcianum:

Αμμες δὲ Fειρήσαντο, τὸδ᾽ ἄρθετο μοῦσα λίγεια: nam ſi ſcribas: Αμμες δὲ βειρήσαντο —— non ſtaret verſus: ſimplicis igitur aſpirationis ibi munere fungitur, nam Fειρήσωντο, eſt pro εἰρήσαντο vel ἰρήσωντο, hoc eſt ηὔξαντο: ubicunque igitur locus erat aſpirationi in Græcis vocibus, ibi Æoles ſuum F adponebant: ſic dictiones omnes quæ ab ῥῶ littera incipiunt, quia ſolet adſpirari, ipſi loco aſpirationis β præponunt, nam in eam litteram mutari conſuevit illorum digamma: hinc βρόδον pro ῥόδον dicunt: βρυτὴρ pro ῥυτὴρ. βράκος pro ῥάκος: quæ dictiones apud antiquiſſimos Atticos ita ſcriberentur: PHAKOS, PHYTHR. PHOΔON. Digamma autem illud Æolicum, tranſire ſolet modo β, modo in υ apud Græcos, hoc eſt in u Latinum: nam υ Græcis interdum conſonantis, interdum vocalis ſedem occupat, ut δάFιον eſt δάυιον: ἀFὼς, αὐὼς. Tranſit in β quoties præponitur vocalibus, initio dictionis, ut Fιχὺς, βιχὺς, Fέλη, βέλη. Sed & in medio quoque dictionis mutatur in β: ut ἔFα, ἔβα, ἔFασον, ἔβασον apud Syracuſios: & ἀFέλιον, ἀβέλιον. ἀFήδονα, ἀβήδονα pro ἀηδόνα. Nam fallitur Priſcianus qui ſcribit digamma niſi vocali præponi, & in principio ſyllabæ non poſſe: nec ea ratio eſt quam ibi adfert, quare Æoles βρόδον dixerint potius quam ῥFόδον, quia ſcilicet β vel digamma poſt ρ in eadem ſyllaba pronuntiari non poſſet: in multis enim non pronuntiabatur, quamvis in principio ſyllabæ poſitum, ut in illo verſu quem ipſe producit ex veteri poeta: Αμμες δὲ Fειρήσαντο —— Si F mutes in β, lege verſus excidiſti: pro ſimplici igitur aſpiratione eo loco ponitur, atque ita etiam poneretur in voce ῥFόδον· quemadmodum Atticis PHOΔON. Sed gaudent ejuſmodi tranſmutationibus Æoles. Hinc βρόδον potius hoc eſt Fρόδον quam ῥFοδον dixere: ſic σκίφος dicebant iidem pro κσίφος· σκένος pro κσένος. Aliquot exempla nobis proferenda ſunt Æolicæ hujus litteræ ſive notæ, in β mutationis, ex quo Latinæ plurimæ voces fluxere: ἴτυς, cum Æolico digamma βίτυς hinc Latinum *vitus* pro circumferentia rotæ. εἴκαθι, Æolice βείκαθι. Hinc Latinum *viginti*. Fοῖνος hoc eſt βοῖνος. vinum. ὠνέω, βωνέω *veneo*, ἰσκὸς Æolice pro ἰξὸς, βισκὸς, viſcus. ἐμῶ, βεμῶ. *vomo*. ἔτος, βέτος· vetus, annoſus. Heſychius: ἐῤῥω, βέῤῥω. *perdo*, *verro*. Sunt alia infinita, quæ libens prætereo, & alii operi reſervo: ſic βέλα pro ἕλα. Heſychius: βέλα, ἕλη αὐγὴ ἡλίου. ſic βεκὰς pro ἑκὰς: idem βεκὰς, μακρόθεν· βιχὺς pro ἰχὺς. idem: βιχὼ, ἰχὼ, σφόδρα ὀλίγον· Λάκωνες· βάγιον, ἅγιον. βαμέλγει, ἀμέλγει, βάγος pro ἄγος· idem Heſychius: βάγος κλάσμα ἄρτου καὶ μάζης, βασιλεὺς καὶ ςρατιώτης. Λάκωνες: nam ἄγος Græcis utrumque ſignificat, κλάσμα ſcilicet & ἡγεμόνα. nam ἄγος κλάσμα ἄρτου. ἀγὸς autem ἡγεμών. βάδομαι, ἀγαπῶ· pro ἅδομαι. βίρακες pro ἵρακες, vel ἵρηκες, & utrumque pro ἱέρακες· in quibus omnibus vocibus digamma Æolicum in β tranſiit, quod apud Lacones non minus quam apud Æoles obtinuit. Sed & apud Cretenſes quoque. βαληκιώτην enim pro ἀληκιώτην vel ἡλικιώτην dicebant. Heſychius: βαληκιώτης, συνέφηβος. Κρῆτες. idem, ἀβέλιον pro ἀέλιον ſic ἀέλλαι pro ἀέλλαι: & αὐῆται pro ἀῆται apud eundem auctorem, eodem pertinent. & αὐήρ. pro ἀήρ. De quibus nos alibi fuſius tractabimus in libro de Dialectis Græciæ. Sed digamma in β aut υ tranſire non novum eſt: nam hoc paſſim veteribus grammaticis obſervatum ac traditum eſt: quis vero dixit, eam in γάμμα quoque tranſmutari? Nemo ſane de hoc monuit. Veriſſimum tamen eſt, gamma litteram loco digammæ multis vocibus præfici ſolitam apud Lacones & Æoles, quod in plurimis dictionibus mihi obſervavi apud eumdem Heſychium: quorum paucas heic ponam ad exemplum. γίς pro ἴς quod alias βίς, unde Latinum *vis*. Heſychius: γίς ἱμὰς, καὶ γῆ, καὶ ἰχὰς· lege ἰχύς. ſic γιχὼ pro ἰχὼ vel βιχώ, ut ſupra habuimus: idem: γιχὺς, ἰχύς. γάδος pro ἄδος. idem: γάδος, πλησμονή. ἄλλοι ὄξος. idem plane quod ἄδος· ſic enim in voce ἄδος· ἄδος πλησμονὴ, κόρος, ἄλλοι ὄξος. ſic γέτος pro ἔτος. γοῖνος, οἶνος. γοῖδα pro οἶδα, γοῖδα, οἶδα. ita legendum. γία, ἄνθη· nempe pro ἴα. γάδεσθαι pro ἄδεσθαι. ſupra habuimus βάδεσθαι pro eodem. ſic

γεςία pro ἑςία supra erat βεςία: unde *Vesta* Latinis γίκαλον pro ἕκαλον vel ἕκηλον, quod aliis βέκηλον. γίκαλον, ἥσυχον· γέαρ pro ἔαρ. & γέλουτρον pro ἔλυτρον γέλουτρον, ἔλυτρον, ηγουν λέπυρον: quæ vox omnino Laconica est, aut Æolica: nam Æoles & Lacones ου pro υ scribebant. θουγάτηρ pro θυγάτηρ Æoles. πούανοι autem pro πύανοι Lacones, & καρούα pro κάρυα, & διφοῦρα pro γέφυρα, &c. sic γελίκη pro ἕλιξ, & alia quæ numero carent: in quibus omnibus paret simplicem gammam positam pro digamma vel duplici gamma: hoc est Γ pro F. Et sic certum Γ & β loco digammæ dictionibus a vocali incipientibus præponi solitum: nam βέλα & γέλα pro eodem accipitur; γάδος & βάδος· γέλιξ, & βέλιξ. βοῖνος & γοῖνος· βίμμα & γέμμα. Æolicum enim est ἕμμα ἀντὶ τοῦ ἱματίου. Hinc præposito digamma, βίμμα & γέμμα dictum est. Hesychius: γίμματα, ἱμάτια. Notandum est præterea priscos Latinos, cum in multis Æoles imitarentur, eas fere tantum voces per digamma Æolicum scribere, in principio syllabæ quæ lenem spiritum haberent, ut ἐνετοί, *Veneti*: ἴς, *vis*: οἶνος, vinum. οἶκος vicus. ἦρ, ver. ἴον & ἰολάς, viola, ἐσθὴς, *vestis*. Hoc enim digamma Æoles utebantur, ubicunque aspiratione opus esset, ad vitandam spiritus asperitatem; in reliquis autem dictionibus quæ apud Græcos aspero flatu notantur, cum eas in suum idioma transferrent, non *u* sed *ſ* aspirationis loco ponebant, ut ὗες, *sues*; ὁλκὸς, *sulcus*; ἕρπω, *serpo*, & similia: quod Atticorum veterum more videntur fecisse: nam & hi Æolicum digamma per sigma aliquando enuntiabant. Μῶα Æolicum est pro cantilena. Hesychius: μῶα, ᾠδὴ ποιά. adde digamma, erit μῶFα. ut ὠόν, ὠFόν, unde Latinis *ovum*. Ceteri Græci μῶσαν & μοῦσαν pro μώαν scripserunt: sic γερῶια γερῶFα. Atticis γερουσία. Falsum tamen est quod notat Priscianus Æoles ubique loco aspirationis digamma ponere, ad effugiendam spiritus asperitatem. Non enim tantum iis vocibus, quæ asperabantur, præficiebant illam litteram, sed quibuslibet, & illis etiam quæ leni flatu efferebantur; omnibus denique vocalibus, & in principio, & in medio vocabulorum eam notabant. Falsum item quod dicit, Latinos in multis, non in omnibus Æolum consuetudinem sequi, ut cum dicerent, *vespera*, *vis*, *vestis*. Nam & in illis ipsis Æoles maxime sequuti sunt veteres Latini. Æolum enim est, βίς, βίσπερος, & βεσθὴς. Æoles sane in multis ψιλωτικοὶ erant: nam quæ apud alios δασύνοντες, ipsi ψιλοῦν consuevere, ut ἕμμα pro εἷμα, ἄμμες pro ὑμεῖς. illis tamen ipsis vocalibus, quas leniter pronunciant, suum illud digamma præponunt, dicentes βίμμα, & βάμμες: non igitur fugientes asperitatem spiritus hoc faciunt, sed hoc ipsum pro aspiratione habent, ut initio hujus exercitationis diximus. Sed quoniam semel indulsimus calamo, pergamus porro. Certum est veteres Latinos F litteram ad Æolici digammæ exemplar effinxisse, immo eamdem utriusque litteræ figuram esse, sed vim ac potestatem diversam. Nam F Latinorum idem sonat ac valet quod φ Ionicum. F vero Æolicum idem quod β vel V Latinum, quando pro consonante accipitur. Latini tamen utramque litteram, digamma scilicet Æolicum, & Φ Ionicum in multis vocibus per B scripserunt: nam & Fελέναν *Belenam* dixerunt, & Φάλαιναν, *Balænam*: Φρύγες, *Bruges*, Macedonum more qui βίλιππον ἀντὶ τοῦ φίλιππον dicebant, & βαλακρὸν pro φαλακρὸν, Βερονίκη pro φερονίκη. F igitur Latinum ex Æolico F expressum esse consentiunt & veteres Grammatici his verbis: *F vero, G & Q in Græcis etiam litteris fuisse & nunc esse, sed G numero servire, atque nonaginta significare. F autem Æolis dun-*

A *taxat, idem valere quod apud nos V, cum pro consonanti scribitur, vocarique Uau & digamma.* Ideo Claudius Cæsar, cum illud digamma recipere vellet in ordinem litterarum, quia jam ejus figuram occupaverat vetus F Latinum, quamvis diversæ aliquantulum potestatis, coactus est contrarium illi situm figuramque commodare, ne confunderetur cum F Latino: scripsit igitur aversam & inversam illam litteram, hoc modo, Ⅎ. quæ tamen idem prorsus valeret quod Æolicum F. Præterea ut Fεκατὸν apud Æoles, & Hεκατὸν apud veteres Atticos, diversa figura, sed eodem modo aspirabatur: sic veteres Latini H & F indifferenter in vocabulis compluribus usurparunt, cum *Hircum*, & *Fircum* dicerent: *Hædum*, & *Fœdum*: *Herbam* & *Ferbam*: *Heliconem* & *Feliconem*: *Hariolum* & *Fariolum*. Glossæ: *Fariolus*, προφήτης, θυοσκόπος: sed & *pariolus* in iisdem glossis scribitur: sic *Habas* & *Fabas*. Et quemadmodum F & H confundebant in quibusdam dictionibus, sic F & C. Nam *Curmen* & *Furmen* pro eodem dicebant. Glossæ: *Curmen*, ζῦθος, ἀπὸ σίτου. *Curmi* Dioscoridi dicitur: alibi *furmen* vocatur; sic *curcilla* & *furcilla*. Isidori Glossæ: *Curcilla opp'lago*: alibi *furcilla* pro eodem: sic *culina* & *fulina* idem: in iisdem glossis, *culina*, *fulina*. Sic *Faunus*, & *Caunus*: qui enim *Faunus* Virgilio, eum *Caunum* legit Fulgentius, & interpretatur quasi καμνόνοιον, in libro de continentia Virgiliana. Pari modo H & C invicem commutantur. Nam *Cirnea* genus vasis Nonio Marcello notatur. Plautus vocat Hirneam. *Cœnius* consulis cujusdam nomen est, apud Agrimensores: at eum *Hœnium* nominant veteres inscriptiones. In iisdem Agrimensorum libris *cectorium* ponitur pro *hectorium*. *Cectoria hoc est, rotundus est, sicut modius: est fossa circa publica.* Cectoria pro Hectoria, ἑκτον enim modius Græcis, quod pars sit sexta Attici medimni, unde Hectorium vel cectorium illis auctoribus, quod rotundum est sicut modius, ut fossæ rotundæ. Valerius de Notis scribit antiquos C loco H posuisse. Hinc Fεκατὸν Æolum, & Hεκατὸν Atticorum, Latini veteres *Centum* dixerunt. Exploratum igitur est, vetustissimos Atticos littera Hτα pro aspiratione usos esse, antequam Jones litteris octo adjectis ad priores sexdecim, implessent numerum XXIIII. Tunc enim ex Hτα, quæ aspirationi tantum serviebat, E longum fecerunt, ipsamque H in duas partes sciderunt, Ⱶ & Ⱶ, ut ex ejus partibus totam aspirandi rationem conficerent: adposita enim hæc nota Ⱶ vocalibus, eumdem usum præstabat, quem olim integra H. Marius Victorinus: *Ac* Hτα, *quæ nunc a nobis scribitur, adspirandi vicem obtinuisse, & a nostris retentam propter peregrina nomina, nunc poni & ante vocales, & juxta C & T & P.* ita legimus mendosissimum in vulgatis editionibus Marii locum: habetur enim vulgo: *ac ita. ita* pro ἦτα. sed & *vicem* pro *vocem*, reposuimus. sic in superioribus ejusdem Grammatici locum pari menda affectum correximus. Nam ubi legebatur: E *autem pro* ε & Ιῶτα legendum docuimus, *pro* ε & *ita*. hoc est ἦτα. nunquam enim E pro ἰῶτα apud veteres Græcos positum est, sed pro ἦτα, hoc est E longo: tantum igitur abest ut H hoc est ἦτα conflata fuerit ex duabus illis aspirandi notis Ⱶ & Ⱶ, quod ante ex Isidoro notabamus, ut contra eæ notæ ex dividuo H factæ sint ab Jonibus, ut aspirationi servirent, postquam integrum Hτα in numerum vocalium receperunt, & pro E longo usurparunt: posteriores ergo istæ notæ sunt, & ab Jonibus inventæ. Sed cujus rei causa nobis hæc longa & morosa disputatio instituta est, id absolvamus tandem. Hujus scilicet inscriptionis Farnesianæ scripturam,

non esse Jonicam, ut sibi persuaserat vir summus, sed mere Atticam & Atticorum veterum. Nam παλαιὰ γράμματα Ἀττικὰ vocabant veteres, & de illo scripturæ genere intelligebant, quæ ex sedecim tantum numero litteris conficiebat: ut contra Jonicam, quæ viginti quattuor peragebatur; quæ & recentissima est, & ea ipsa quam vulgo Græci hodieque retinent. Quapropter cum dicit Plinius veteres litteras Græcas pæne easdem fuisse cum Latinis, Atticas vetustas omninó intelligit, quod ex ipsa inscriptione, quam ibi posuit, certo colligi potest. Atheniensis enim civis ejus auctor est. Ναυσικράτης Ἀθηναῖος. Quinimó tuto licet affirmare, inter veteres Atticas, & Cadmeas litteras nihil aut parum interfuisse, quod ad figuram earum ac numerum attinet: qui enim adjecerunt ad numerum, non dicuntur novasse priorum formam, sed novas tantum addidisse, ut paulo ante dicebamus. Nam Cadmeæ litteræ sexdecim tantum numero fuere, veteres Atticæ totidem: nec plures Evander in vetus Latium invexit. Jones qui numerum illum ampliarunt, & usque ad viginti quattuor progressi sunt, præter novarum additamentum, priorum etiam usum non leviter immutarunt. Nam η pro ε: ω pro ο; ȣ pro ο: scribendum primi docuerunt: quod de novo ab illis inventum est: præterea ψ pro πσι: ξι pro κσι; ΘΑ pro ΤΗΑ: ΧΩ pro ΚΗΟ: ΦΑ pro ΠΗΑ, scripserunt: in quibus non parum diversi abiere ab illa vetere, & Cadmea scribendi ratione. Quare cum scribit Herodotus similes in multis litteras Jonicas Cadmeis sibi visas esse, non de aliis Cadmeis aut aliis Jonicis, quam quibus diximus intelligendum est: non enim per Cadmeas, Phœnicias intelligit quibus Phœnices in patria Phœnice utebantur, sed novas illas, quas in Græcia sibi commenti erant Phœnices, multum nativis Phœniciis dissimiles. Nam & locutionem & scriptionem aliam jam ac Phœnissa longe diversam insueverant. Cum igitur inscriptiones illæ, quas in tripode Apollinis Ismenii insculptas vidisse testatur Herodotus, lingua Græca, non Phœnissa conceptæ sint, dubitari vix potest, quin & earumdem scriptura litteris Cadmeis, hoc est veteribus Græcis, (quibus scilicet Græci ante repertas ab Jonibus viginti quattuor litteras utebantur) comprehensa fuerit. Adeo ut mihi plane constet epigraphas illas hoc modo fuisse scriptas:

ΑΜΦΙΤΡΥΩΝ ΜΑΝΕΤΗΕΚΕΝ ΕΟΝ Α ΠΟ ΤΕΛΕΒΟΑΟΝ.
Ἀμφιτρύων μ' ἀνέθηκεν ἐὼν ἀπὸ Τηλεβοάων
ΣΚΑΙΟΣ ΠΥΓΜΑΚΗΕΟΝ ΜΕ ΗΕΚΕΒΟΛΟΙ ΑΠΟΛΛΟΝΙ
ΝΙΚΕΣΑΣ ΑΝΕΤΗΕΚΕ ΤΕΙΝ ΠΕΡΙΚΑΛΛΕΣ ΑΓΑΛΜΑ.
Σκαιὸς πυγμαχέων μ' ἑκηβόλῳ Ἀπόλλωνι
Νικήσας ἀνέθηκε τεῒν περικαλλὲς ἄγαλμα.
ΛΑΟΔΑΜΑΣ ΤΡΙΠΟΔ ΑΥΤΟΝ ΕΥΣΚΟΠΟΙ ΑΠΟΛΛΟΝΙ
ΜΟΝΑΡΚΗΕΟΝ ΑΝΕΤΗΕΚΕ ΤΕΙΝ ΠΕΡΙΚΑΛΛΕΣ ΑΓΑΛΜΑ.
Λαοδάμας τρίποδ' αὐτὸν ἐΰσκόπῳ Ἀπόλλωνι
Μουναρχέων ἀνέθηκε τεὶν περικαλλὲς ἄγαλμα.

Scripturam Cadmeam & Jonicam alternis posuimus, ut constaret verum esse, quod scriptum reliquit Herodotus, Jonicas litteras easdem pene fuisse cum Cadmeis: nam idem paulo ante eodem loco scripserat Jones paulum tantum immutasse τῶν Καδμηΐων γραμμάτων ῥυθμόν, quatenus autem illum ῥυθμὸν mutaverint, nos superius ostendimus. Non est igitur dubitandum, ut eo redeamus unde sumus digressi, scripturam, quæ nobis in hac inscriptione Farnesiana exhibetur, vetustissimorum Atticorum more esse conceptam. Character vero litterarum magis Romanus est quam Atticus: ut DEMETROS. MARTVS. Nemo enim quantumvis doctus mihi persuaserit Græcos veteres, suum ῥῶ, ut Latinum R formasse, & D rotundum ἀντὶ τοῦ Δ usurpasse, quam formam trigoni vetustissimi quique τῷ δέλτα attribuunt. Sed & V pro Υ nunquam scripserint Græci. Nam si originem ejus litteræ ultimam repetamus, inveniemus Palamedem ex gruum volantium agmine eam figuram reperisse. Grues autem ordine volantes Υ non V faciunt. Grammatici præterea veteres scribunt, *Latinos Υ eodem ordine scriptum habere, quo Græci, recisa tantum virgula*. Deinde Plinii locus, cujus auctoritate id probare maxime contendunt, is maxime hanc sententiam impugnat. Scribit Plinius loco jam supra citato: *Veteres Græcas fuisse easdem pæne quæ nunc Latinæ: indicio erit Delphica tabula antiqui æris, quæ est hodie in Palatio dono principum Minervæ dicata in Bibliotheca, cum inscriptione tali*, Ναυσικράτης Τισαμενȣ Ἀθηναῖος ἀνέθηκεν, quam inscriptionem si ita perscribas, ut voluit vir doctissimus NAVSIKRATES. TISAMENO. ATHENAIOS: cur scripsit Plinius easdem pæne fuisse Græcas veteres cum Latinis? Nam debuit scribere, easdem omnino Græcas & Latinas fuisse. Non supervacuum tantum illud *pæne*, sed etiam falsum, cum nulla littera in illa inscriptione sic exarata, appareat, quæ non sit mere Latina. Sed verius est eam inscriptionem veteribus litteris Græcis, hoc est Atticis, sic fuisse conscriptam: ΝΑΥΣΙΚΡΑΤΕΣ. ΤΙΣΑΜΕΝΟ. ΑΘΕΝΑΙΟΣ ΑΝΕΘΕΚΕΝ. Nam paucis exceptis omnes litteræ eædem quæ & Latinæ. At in hac Herodis inscriptione omnes Latinæ sunt, paucis tantummodo exemptis. Scriptionis autem modus vere Atticus, & vetus. Nec mirum est in Græca inscriptione litteras Latinas fuisse depictas parva utriusque gentis litterarum differentia, & magno linguæ commercio: quod & in aliis monumentis videre est. Nummus Hadriani Imperatoris, quem descripserunt docti viri, sic habet: KAISAR SEMNOS AΔPIANOS: ubi R & S litteræ plane Romanæ sunt: ceteræ communes Græcorum & Romanorum. Sic in alio nummo Augusti V. Latinum pro ȣ positum. ΑΥΓ. ΚΑΙΣΑΡ ΑΥΓΥCΤΟC. Sic in veteribus Græcis codicibus manu exaratis figura u Latini, ἀντὶ τοῦ β reperitur scripta, ut uοῆ, uοίδιον, uοῦς. pro βοῆ, βοίδιον, βοῦς. de quibus omnibus nos alio loco & opere latius disseremus. Atque hæc ad hunc locum satis: immo plus satis. Non tamen pœnitet longa ac exacta disputatione litterarum Jonicarum, & veterum Atticarum Cadmearumque discrimen explicasse. Testis est Quintilianus Messalam, at quem virum? quosdam totos libellos non verbis modo singulis, sed etiam litteris dedisse. Nos vix dimidiato libello omnium fere litterarum rationes explicatas tradidisse quis reprehendat?

ΤΟΦΡΑ ΚΕ ΚΑΙ ΤΡΙΟΠΕΙΑΙ) Triopeas denominari vult Minervam & Nemesim a Triopio, hoc est loco ipsis consecrato. Notum est apud veteres diis cognomina indita ex locis in quibus colebantur. Hinc Τριόπειαι Nemesis & Minerva a Triopio, quod ipsis consecravit Herodes: ut Nemesis Rhamnusia a pago Atticæ Rhamnunte ubi colebatur, & Pallas Attica & Ceres Attica, quarum Athenis præcipuus cultus erat institutus. Ceterum quod ex his verbis liquere putat vir doctissimus, non solum ædem Triopæ Triopejum dictam, sed etiam illud universum territorium, & hanc rationem adfert, quod non poterant Minerva & Nemesis Triopeæ cognominari a Triopio templo, id jam abunde supra confutavimus. Primum ædem

Triopæ in illo loco nullam fuisse certum est. Deinde satis liquet ex inscriptione Farnesiana Triopium non totum territorium fuisse nominatum, sed illam tantum possessionis partem quam muris incluserat Herodes, & his deabus dedicaverat, ut ex hac etiam inscriptione patet. A Triopio igitur Triopeæ Minerva & Nemesis; ut a Triopio urbe Cariæ vel Cnidiæ Triopius Apollo, Triopius Neptunus, & Triopiæ Nymphæ. Nam ibi colebantur, & in eorum divorum honorem certamen quotannis instaurabatur. Scholiastes Theocriti: ἡ τῶν Δωριέων πεντάπολις, Λίνδος, Ἰάλυσος, Κάμειρος, Κῶς, Κνίδος· ἄγεται δὲ κοινῇ ὑπὸ τῶν Δωριέων ἀγὼν ἐν Τριόπῳ, Νύμφαις, Απόλλωνι, Ποσειδῶνι· Καλεῖται δὲ Δώριος ὁ ἀγὼν, ὡς Αριστείδης φησί. Meminit Herodotus Triopii Apollinis tantum, non Neptuni aut Nympharum: apud quem & Τριοπικοῦ ἱεροῦ mentio. Hoc vero Τριόπιον Herodis unde nomen sumpserit, ignoro. Τριόπου quidem ipse dicit ἐπώνυμον. Sed quæ ejus denominationis ratio sit, non video. Unde enim hic Triopas, & quare huic loco nomen dedit? Nam ædem Triopæ in eo loco fuisse, quis nobis indicavit? aut quis nos docuit Triopam hunc pro Deo fuisse cultum veteribus? Deinde cum hic Herodes in isto Triopio simulacra Minervæ, Nemesis & Neptuni constituerit, & dedicaverit, atque etiam Cereris & Proserpinæ, non ab aliquo horum Deorum locum fuisse appellatum miror, sed ex loco Diis potius cognomina imposita, ut Triopei dicerentur. An a triquetra forma Τριόπιον sic locus dictus est? nam ὄψ est ὄψις unde & Τρίοψ ὁ τρίπους. Hesychius: Τρίοψ ὁ ὑπὸ τῶν πυθαγορικῶν ἐν Δελφοῖς τρίπους. Cum igitur hic ager Herodis tres fines spectaret, atque in trifinio positus esset, atque Τριόπιον propterea diceretur, Herodes ipse, ἀποσεμνύνων καὶ ἀπαρχαΐζων τὸν τόπον, ἐπώνυμον Τριόπαο esse dixit. Et sane verum est Τριόπιον a trina facie dictum, & Τρίοπος etiam esse ἐπώνυμον. Immo, ut rem clarius explicemus, in agro Herodis ad viam Appiam hoc Τριόπιον constitutum est, quod sibi suisque monumentum esset, & Τριόπιον dictum quod in trifinio esset positum: ut plurimum enim monumenta in finibus collocabantur. Innocentius: *ipsum terminum & ipsum locum directura trifinium facit: circa Musileum in pedes* LXX. *amplius ped. minus invenies: trifinium subter rivum significat*. Sed & in trifiniis & quadrifiniis Aggenus: *Mœsilea vero habent juris sui hortorum modum cirmjacentem vel præscriptum agri finem*. Hæc sunt Frontini verba quæ Aggenus exponens scribit: *Nam locos frequenter in trifinio & quadrifinio invenimus sicut in suburbanis, & circa publica itinera constitutum esse perspicimus*: perperam in editionibus verba Frontini, cum Aggeni expositione confusa habentur, & male ibidem legitur: *Nam lucos frequenter*: legendum enim *locos*. *Locos* vocat Aggenus, quæ *Mœsilea* Frontino. Juvenalis:

> *Cum tamen a figulis munitam intraverit urbem,*
> *Sarcophago contentus erit.*

ibi vetus Scholiastes, *Sarcophagum locum* exponit: *exiguo loco contentus erit*. Hinc apud Anastasium de vitis Pontificum, *locos colere* pro *sepulcra colere*: pro quo dixit Ado Floriacensis in eadem historia, *loculos colere*: *loculi* enim & locelli sunt γλωσσόκομα. Nam & sic Græci vocant *arcas* quibus corpora conduntur. Sic apud Ulpianum *locus* pro monumento dicitur: *Si quis locum vendiderit, & idem venditor ab herede emptoris in eo sepultus fuerit, actio de evictione intercidit. Hoc casu enim emptor proprietatem amisit*: ubi manifesto locus est Mœsileum, ut Frontinus appellat. Triopium igitur istud nihil aliud fuit quam monumentum ab Herode in trifinio constructum, & inde Τριόπιον appellatum: quod parum videntur animadvertisse doctissimi viri, quod illi versus apertissime indicant:

> Ἱερὸς οὗτος ὁ χῶρος· ἀκίνητοι δὲ θέαιναι
> Καὶ πολυτίμητοι καὶ ὑποχεῖν οὔας ἑτοῖμαι.
> Μηδέ τις ἡμερίδων ὄρχους, ἢ ἀνάλσεα δενδρῶν
> Ἢ ποίην χλόῃ θάλλει χλωρὰ θέουσαν
> Δμωῇ κυανέου Ἀΐδος ῥήξειε μακέλλῃ,
> Σῆμα νέον τεύχων ἢ πρότερον κεραΐζων.
> Οὐ θέμις ἀμφὶ νέκυσσι βαλεῖν ἱερόχθονα βῶλον
> Πλὴν ὅκεν αἵματος ᾖσι καὶ ἔκγονος εἰσαμένοιο.

In quibus cum mentio fiat, vitium, arborum, herbarum, quas excindere & effodere non liceret, vel hac re maxime confirmatur monumentum eo loco fuisse sacratum: nam circa monumenta hortos, sylvas, lucos institui solitos ostendit Frontinus his verbis: *Similiter locorum religiosorum quibus secundum cautionem modus est restituendus: habent enim Mœsilea juris sui hortorum modos circumjacentes, aut præscriptum agri finem*. Nec enim parvus agri modus sepulchris adscribebatur, ut ex veteribus inscriptionibus multis colligi potest, & auctorum monumentis. Isti autem Triopio vel monumento Herodis adjunctum erat & Minervæ Nemesisque ædes, in qua & aliorum deorum statuas collocari curaverat. Nam ut plurimum ædes & templa etiam in trifinio, & quadrifinio ædificari moris erat. Aggenus: *Si enim loca sacra ædificabantur, quam maxime apud antiquos in confinio constituebantur, ubi trium vel quattuor possessionum terminatio conveniret: & unusquisque possessor donabat certum modum sacro illi ex agro suo, & quantum donasset, scripto notum faciebat, ut per diem solemnitatis eorum privatorum agri, nullam molestiam inculcantis populi sustineret. Sed & si quid spatiosius cedebatur, sacerdotibus templi illius proficiebat*: ita enim legendum apud Aggenum. Illud etiam observandum ex iisdem auctoribus limitum, templa quæ in quadrifinio erant posita quattuor ingressus habuisse; quæ in trifinio, tres; quæ autem inter duos fines constituebantur, ex duabus tantum regionibus adiri solita. Non dubium est igitur hoc Τριόπιον quod in tres partes pateret, sic fuisse appellatum, ab Herode, qui, ut appellationem augustiorem redderet, ejus caussam accersivit ab antiquo quodam Triopa: idque poetico more fecit: ὀπὰς Græci januas appellant. Hinc Τριόπιον quod τρεῖς ὀπὰς haberet, & tribus locis apertus esset: quo probatur in trifinio fuisse constitutum hoc templum: sic διόπης οἶκος Græcis, qui duos ingressus habet: & δίοποι αὐλοὶ, quæ duobus foraminibus spiritum reddunt. Pollux: ἤτε ὀπὴ εἴρηται ἐν αἰολοσίκωνι Ἀριστοφάνης, καὶ ὁ διόπης· de janua ibi loquitur Pollux. Hesychio, ὀπὴ θύρας dicitur: ανοπεία, ὀρνέου ὄνομα καὶ εἶδος, ἢ ἀνὰ τὴν ὀπὴν τῆς θύρας, ἢ ἀνὰ τὴν θυρίδα. Nisi vera est hæc nominis Triopii ratio, quæ vera alia esse possit nescio. Nam quæ de cultu Triopæ, & ejusdem æde afferuntur a doctissimo viro, mihi non placent. Unde enim Triopas heros in Italia cultus, tam propinquo urbis loco, quem in Græcia sua hoc honore dignatum nusquam legimus, nec fando accepimus?

ΩΣ ΤΗΝΔΕ ΡΩΕΣΘΕ) ῥώεσθε, non est, *potenter vos gerite*, ut verterunt doctissimi viri. Sed ῥώεσθαι est, *festinare, cum studio properare*: σπουδαίως κινεῖσθαι, ut Grammatici exponunt. Apud Homerum: Ὡς Τρῶες ῥώοντο. Theocritus in Ovo, ut a nobis emendatum est: τοὶ δ' ἀμέτρῳ πόθῳ ματρὸς φίλας ῥώοντ' αἶψα ποθ' ἱμερόεντα μαζόν. Hinc

ποδοῤῥώλω Ἀταλάντlω vocavit Callimachus, *pedibus velocem*. Has divas precatur Herodes, ut eodem studio eodemque affectu, ad agrum suum accedant, & templum sibi consecratum, quo Rhamnuntem & Athenas, dilectissima sibi loca solebant invisere, cœlo relicto; atque ut propere & festinanter incedant per vineas & segetes, sylvasque & prata lustrent. Nam ῥώεσθαι proprie, est cum impetu, aliquo tendere: quare studium & affectus ostenditur.

ΚΑΙ ΔΕΝΔΡΕΑ ΒΟΤΡΥΟΕΝΤΑ) Δένδρεα heic possent accipi pro vitibus racemis refertis: nam & arbores vineas vocabant. Horatius:

> *Nullam, Vare, sacra vite prius severis arborem.*

Alcæus, unde accepit, dixerat;

> Μηδὲν ἄλλο φυτεύσῃς πρότερον δένδρεον ἀμπέλω.

Sed cum superiore versu jam vites nominarit, dicendo πολυστάφυλον κατ' ἀλωlὼ: (nam ἀλωὴ Græcis est ἀμπελόφυτος γῆ) heic δένδρεα sunt arbores, quæ vites ascendentes sustinent. Sic infra Ἡμερίδων ὄρχους, & ἄλσεα δένδρων separatim posuit. Theocritus in epigrammate de loco eodem modo consecrato, ut hic erat ab Herode:

> —— ἀέναον δὲ
> Ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδων πάντοτε πλήθει
> Δάφναις καὶ μύρτοισι καὶ εὐώδει κυπαρίσσῳ,
> Ἔνθα πέριξ κέχυται βοτρυόπαις ἕλικι
> Ἄμπελος.

Quod genus vitium Græci ἀναδενδράδας vocant. Δένδρεα igitur βοτρυόεντα heic sunt, quibus πέριξ κέχυται βοτρυόπαις ἄμπελος.

ΙΕΡΗΝ ΑΝΑ ΓΑΙΑΝ ΕΗΚΕ) Sic proprie loquutus est. Nam ἀνειμένα χωρία Græci appellant, Diis consecrata. Grammatici, οἱ δὲ ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ ἕρκη. sic animalia Diis consecrata ἄφετα dicebantur. Callimachus:

> Τέκνον ὅτις τὰ θεοῖσιν ἀνειμένα δένδρεα κόπτεις.

ΤΗΝ ΟΣΣΗΝ ΠΕΡΙ ΤΕΙΧΟΣ) Deerat hic versus in editione Casauboni, quem postea nobis submisit præstantissimus Bongarsius: & non parum facere mihi visus est, ad totius inscriptionis lucem: nam ex eo intelligimus non omnem possessionem suam ab Herode consecratam, sed partem dumtaxat, in qua monumentum construxit, & templum ædificavit, murisque totum locum sepsit. Hujusmodi autem loca sacra, muro septa, Græci vocant ἕρκη & περιβόλους. Pollux: οἱ δ' ἀνειμένοι θεοῖς τόποι, ἄλση τε καὶ τεμένη καὶ ἕρκη καὶ ὁ περὶ αὐτὰ κύκλος περίβολος. Theocritus in epigrammate:

> Ἕρκος δ' εἰς ἱερὸν περιδέδρομεν· ἀέναον δὲ
> Ῥεῖθρον ἀπὸ σπιλάδων πάντοτε πλήθει
> Δάφναις & μύρτοισι καὶ εὐώδει κυπαρίσσῳ.

Ita enim legimus ex vetustissimo codice: vulgo scriptum est Σακὸς δ' εἰς ἱερὸς περιδέδρομεν. Hoc igitur τεῖχος εὔτροχον Herodis proprie est περίβολος. Pausanias autem περίβολον Δελφικοῦ Ἀπόλλωνος templum ipsum vocat. Quia vero ejusmodi περίβολοι sacri, lucos, & sylvas & hortos & vineas concludebant, factum est ut περιβόλια recentioribus Græcis horti dicerentur & sylvæ. Moschopulo, κῆπος λαχάνων καὶ δένδρων ἄλσος τὸ κοινῶς περιβόλιον. Infimæ Latinitatis auctores corrupte *Brolium* appellant *Sylvam*. Luitprandus Ticinensis de rebus per Europam gestis lib. 3. cap. 4. *Sed & inter cætera, quasi esset privilegium amoris, concessit cervum quem is suo in brolio venaretur, quasi quod nulli unquam nisi clarissimis magnisque concessit amicis*. *Briolium* vel *brolium* pro *peribolium*: inde vox Gallica vetus *brevil*, quæ sylvam significat: νεὼ περίβολον Græci vocant, non tantum templi muros, sed totum illud conseptum, quo vineæ, arbores, hortique templo circumjacentes includuntur. Ælianus lib. XVII. cap. XLVII. Hist. animal. οὐκοῦν ἐν τῷ νεὼ περιβόλῳ τιθάσσας ὄρνιθας πολλὰς τρέφεσθαι φησί. & cap. II. lib. XI. ἔστι δὲ αὐτόν τῷ θεῷ ἄλσος καὶ ἔχει περίβολον καὶ δένδρα ἱερὰ καὶ πῦρ ἄσβεστόν τε καὶ ἀκοίμητον. & cap. III. eod. lib. ἐν Αἴτνῃ δὲ ἄρα Σικελικῇ Ἡφαίστου τιμᾶται νεώς, καὶ ἔχει περίβολον & δένδρα ἱερά. paulo post ἄλσος vocat. Herodes igitur περίβολον intelligit hoc versu,

> Τlὼ ὅσσlω περὶ τεῖχος εὔτροχον ἐστεφάνωται.

Hoc est, omnem illum agri modum vineis oleisque consitum, muroque cinctum, qui templo monumentoque cohærebat, & tutelæ nomine cedebat. Hinc περίβολος & περιβόλιον recentioribus Græcis, hortus vel sylva muris circumsepta. *parcum* vulgo vocamus.

ΣΜΕΡΔΑΛΕΟΝ ΣΙΣΑΣΑ ΛΟΦΟΝ) Σίσασα pro σείσασα. sic σίειν Anacreonti ἐν συμποσιακοῖς ἡμιαμβίοις·

> Θαλερὰν σίει δὲ χαίταν
> Μαλακωτάτῳ κλαδίσκῳ.

Idem Anacreon in Etymologico magno, Θρηκίlω σίοντα χαίτlω. Vetus glossarium Græcolatinum hanc scripturam quoque agnoscit. σίω, *moveo*, *libro vibro*: male vulgo scribitur, σείω. Nam σίω legisse & scripsisse auctorem illarum glossarum patet ex serie litterarum præcedentium & subsequentium hoc modo: σιφών, σίω, σιωπή. sic δαΐσας apud Lucianum in quodam Epigrammate: ὑδροποτῶ, δαΐσας, τοχίσας. Sed hujus scripturæ ι pro ει exempla longe plurima extant in vetustissimo Glossarium libro. Nam ibi δανίζειν· ἐπίγειν· ἶδος· σιράγγιον· κώνιον· σισοπυγίς· τίχος· ἀχρίος, ἀχειότης· & alia infinita quæ parcam ascribere. κονιον pro κώνειον etiam legi in hoc versu Diogenis Laertii:

> Πρὸς γὰρ Ἀθηναίων κώνιον μὲν ἁπλῶς σὺ ἐδέξω.
> Αὐτοὶ δ' ἐξέπιον τοῦτο τεῷ στόματι.

Sic enim ille versus in omnibus vetustis exemplaribus legitur. Sic σίχειν & σίχοντες in vetusto Epigrammate, pro στείχοντες. ad quem locum nos plura.

ΒΩΛΟΝ ΜΙΑΝ Η ΕΝΑ ΛΑΑΝ ΟΧΛΙΣΣΑΙ) Solemnia verba hæc in monumentorum consecratione, NE QUIS INDE LAPIDEM MOVERET, CESPITEM VELLERET: lex Juliani Cod. Theod. de sepulcris violatis: *Pergit audacia ad busta diem functorum, & aggeres consecratos: cum & lapidem hinc movere, terram solicitare, & cespitem vellere, proximum sacrilegio majores semper habuerint*. Paulus lib. I. sentent. de sep. & lugendis: *Qui monumento inscriptos titulos eraserit, vel statuam everterit, vel quid ex eodem traxerit, lapidem, columnamve sustulerit, sepulcrum violasse dicitur*.

ΟΧΛΙΣΣΑΙ) ὀχλίζειν, κινεῖν, μοχλεύειν. Hesychius: ἀποχλίζειν dixit Palladius in Lausaico, de Alexandra; ἀπελθόντες τοίνυν ἡμεῖς, καὶ ἀποχλίσαντες τὴν θύραν τοῦ μνήματος, & εἰσελθόντες εὕρομεν αὐτὴν κοιμηθεῖσαν. perperam hodie legitur, ἀποχρίσαντες.

ΕΠΕΙ ΟΥ ΜΟΙΡΕΩΝΑΤΡΕΙΕΣ ΑΝΑΓΚΑΙ)

Nihil erit, de quo non dubitemus, si & lapidum scripturam vocabimus in dubium. At hunc locum viri clarissimi variis modis emendare conati sunt, cum mendosum eum esse putarent. Ego vero nec de fide lapidis, nec de ejus qui descripsit, hoc loco dubitare ausim: præsertim cum nihil occurrat in præsentia reponendum, quod non nimium abscedat a vestigiis hujus scripturæ. Ατρεῖες igitur erit heic positum pro ἀτρῆες· ει pro η. ut supra, ἐπιείρανος, pro ἐπιήρανος. aut Æolice dictum fuerit ἀτρῆες, ut Callimacho Περσεῖος pro Περσῆος apud Scholiasten veterem Nicandri:

> Δενδρον τῦ Περσεῖος ἐπώνυμον. ——

οὐκ ἀτρῆες μοίρεων ἀνάγκαι, sunt Parcæ valde formidabiles. nam Ατρεὺς, idem quod ἄτρεςο. Et vox est plane poetica. Sic Euphorion ἀτρέας Αθlωαίυς dixerat ἐπιθετικῶς, hoc est ἀτρέςυς. apud Hermogenem:

> —— κ) ἀτρέα δῆμον Αθlωῶν.

Non novum est autem Græcos poetas nominibus propriis ἀντὶ τῶν ἐπιθετικῶν abuti. sic ἕκτορα κεκρύφαλον dixit Leonidas Tarantinus in Epigrammate. Sappho δία ἕκτορα, quod omnia contineret, nominavit. sic Metrodoro ἀγαμέμνων αἰθὴρ. Sic alius παρθενος μαίανδρον vocavit: plura collegit Casaubonus in Athenæum, quem vide. Nos quoque non pauciora congeremus in epigrammatum Græcorum editione ἀτρὺς autem ἀνάγκη, ut σωτὴρ τύχη Æschylo, & κλυτὲς ἱπποδάμεια Homero.

ΜΟΙΡΕΩΝ ΑΝΑΓΚΑΙ) Sic μοίρας ἀνάγκη, Euripidi in Electra:

> Μοίρας ἀνάγκης ἡγεῖτο χρεὼν,
> Φοίβυ δ' ἄσοφοι γλώσσης ἐνοπαί.

vel μοῖρα κ' ἀνάγκης ἡγείτω χρεῶν. sic enim melius legere.

ΙΕΡΟΣ ΟΥΤΟΣ Ο ΧΩΡΟΣ) Persius:

> —— *pueri, sacer est locus, extra*
> *Meiite.*

Valerius Probus in Notis: L. S. *locus sacer.* de monumento autem hic sermo, quod Herodes in via Appia, in agro suo, sibi extruendum consecrandumque curavit. *Sacrari monumenta*, & *consecrari* dicebantur: in lege Tiberii de sepulcris: *ut extremis ac compaginantibus agris limitibusve suis, monumenta sepulchrave sacrarentur.* Valerius in notis: M. C. *monumentum consecravit*: hinc illa in veteribus monumentorum inscriptionibus: CVM PIGNERIBVS. DE. EA. NATIS. LOCVM. CONSECRAVIT. & P. LICINII. ET. ÆLIÆ. AMYNTÆ. CINERIBVS. HIC. LOCVS. SACER. EST. item: LOCVM. ITA. VTI. EST. CONCAMERATVM. PARIETIBVS. ET. PILA. COMPREHENSIS. CONSECTAVERVNT. SIBI. Inde explicandus hic versus, ἱερὸς ὗτος ὁ χῶρος, de monumento Herodis in via Appia consecrato.

Η ΕΝΑΛΣΕΑ ΔΕΝΔΡΟΝ) Nisi dubitarem de lectione versus illius qui proximum sequitur, minus laborandum mihi esset in afferenda hujus loci vera scriptura. Nam si recte legi censerem in illo versu

> Δμώlω κυανέυ Αἴδος ῥήξειε μάκελλαν·

atque ita in lapide incisum esse crederem, minime dubium haberem hoc loco legi debere:

> —— ἢ ἐν ἄλσεα δένδρων.

ἐν pro ἐς more Æolico, cujus moris vestigia quædam agnovi in hoc poemate. ῥῆξαι autem μάκελλαν εἰς ὄρχυς, εἰς δένδρα, εἰς ποίlω, infringere ligonem vel impingere in arbores & vineas. Sic enim dentem infringere alicui rei solidæ dicimus. & hæc elegans esset locutio: nec opus reponere πήξειε pro ῥήξειε. ἐν ἄλσεα autem, ut apud Pindarum in Pythionikαις· ἐν ποτε Καλλίςαν ἀπώκησαν χρόνῳ νᾶσον· pro εἰς Καλλίςαν ἀπώκησαν. & ode III. eorumdem Pythionικῶν· ἐν παντα δε νόμον εὐθύγλωσσος ἀνὴρ προφέρει. idem alibi, ἐν ἅρματα, pro εἰς ἅρματα. sic apud Dium Pythagoricum: ἀλλὰ καὶ μέμψιος ποτὶ κολάσει δικαίως ἐςὶ ἄξιοι τυγχανόντων, διὰ τὰς αὐτῶν ἀκολασίας ἐμβαλλόμενοι ῥύπον ἐν ζωὰν ἐλευθέρων παίδων. ita enim corrigendum: male apud Stobæum legitur, ἐν ζώα ἀνελευθέρων παίδων. Sed, ut dixi, non nimium sana mihi videtur illa scriptura: quare sic potius totum hunc locum legerim, parva mutatione: nam suspicor in lapide sculptum fuisse, Δμώνι & μακέλλαι pro Δμώlω μάκελλαν. ita igitur scripserim:

> Μηδέ τις ἡμερίδων ὄρχυς, ἢ ἐναλσέα δένδρων,
> Η ποίlω χιλῷ εὐαλδεῖ χλωρὰ θέυσαν
> Δμώη κυανέυ Αἴδος ῥήξειε μακέλλα.

ἐναλσέα δένδρων unica voce ἀπὸ τῦ ἐναλσές· ἐναλσὴς est nemorosus ἀπὸ τῦ ἄλσος: ut ἐναγὴς ἀπὸ τῦ ἄγος. & similia. Nam de sinceritate dictionis minus dubitandum. Hæc interim statuo, donec aliquid certius accepero ab illis, qui lapidem ipsum accurate & diligenter descripsisse dicuntur.

ΧΛΩΡΑ ΘΕΟΥΣΑΝ) Miram elegantiam locutionis, mirum est pro vitio habitam doctissimis viris. Non igitur mendum est, ut opinantur, nec ulla correctione opus. ποίlω χλωρὰ θέυσαν elegantissime dixit, herbam viridantem, aut quasi cum viriditate currentem. Sic candentes dentes, ut loquitur Apulejus, λευκὰ θέοντας eadem plane loquutione dixit Hesiodus in Aspide:

> Η κ) ὀδόντων οἱ πλῆτο ςόμα λευκὰ θεόντων.

Sudaret vero satis, qui Latino sermone conaretur illum loquendi modum exprimere: sic χαλκὸν θέειν in Clypeo dixit Homerus, qui ære in orbem erat obductus. Odyss. Υ.

> Αντυγ' ὑπὸ πρώτlω ἣ λεπτότατος θέε χαλκός.

sic Virgilius limbum vestis purpureum, circum vestem currere dixit:

> —— *quam plurima circum*
> *Purpura Mæandro duplici Melibœa cucurrit.*

Græcus poeta πορφύραν κύκλῳ θέειν dixisset: nec dissimili loquendi genere Latini purpurea aurataque segmenta vestibus intexta, *vias* dixerunt. Tibullus:

> —— *vestes quas fœmina Coa*
> *Texuit, auratas disposuitque vias.*

Servius ad illud poetæ, *Virgatis lucent sagulis: quæ habebant in modum virgarum deductas vias.* Sic apud eundem poetam de veste aurata:

> —— *tenuique vias discriminat auro.*

Græci in ejusmodi vestibus χρυσὸν θέειν, & πορφυρανλαμπρὰ θέειν eleganter dicerent. quæ omnia confirmant hanc lectionem.

ΡΗΞΙΕ ΜΑΚΕΛΛΑΝ) Si recte descriptus est hic versus, ῥῆξαι μάκελλαν, εἰς δένδρα κ) ἀμπέλυς, fue-

fuerit, *infringere ligonem arboribus & vitibus*, pro infligere ſcilicet, & impingere: quia enim uſu venit plerumque, ut in exarandis, & effodiendis ſtirpibus, ligones & ſarcula rumpantur, hinc ἐνρῆξαι μάκελλαν τοῖς δένδροις, pro immittere & infligere ligonem, & ligonibus effodere vites, & exarare: ſic Latinis *infringere* eodem ſenſu accipitur, cum dicunt, *dentem infringere*, pro *illidere*: ſic *colaphos infringere* apud Terentium, eſt infligere, in Adelphis:

Plus trecentos colaphos infregit mihi.

ΠΛΗΝ ΟΚΕΝ ΑΙΜΑΤΟΣ ΗΙΣΙ) Perpetua formula monumentorum conſtituendorum. *Vivens ſibi & ſuis fecit. Poſuit ſibi & ſuis: ſibi poſteriſque ſuis curavit pecunia ſua.*

ΕΠΕΙ ΤΙΜΑΟΡΟΣ ΕΣΤΟΡ) Poetica licentia volunt ἕστωρ heic poni pro στήλη. ἕστωρ veteribus Grammaticis exponitur, πάτταλος ὁ διηρμένος ἀπὸ τοῦ ζυγοῦ ἐπὶ τὸν ῥυμὸν ᾧ τὰ ζυγόδεσμα περιελίττεται· ἕστωρ igitur eſt πάτταλος in aratro: quem & ἕκτορα dici invenio. Heſychius: ἕκτωρ ὁ ἐν ῥυμῷ πάτταλος. multa poetis licere ſcio: ſed de palo columnam facere illos non poſſe certo ſcio. Deinde etſi maxime ἕστωρ pro columna poſſet accipi, minus huic loco conveniret hæc interpretatio. Quis enim dicat, columnam in qua lex conſecrationis alicujus ſcripta ſit, in eos vindicaturam, qui adverſus illam legem fecerint? quid ergo putem ἕστωρ perperam heic fuiſſe deſcriptum pro ἕστωρ· εἵστωρ autem pro ἵστωρ ſcriptum erat, ut ſupra τειμήσατε, pro τιμήσατε, & πείονα pro πίονα ἵστωρ μάρτυς· συνθηκοφύλακα etiam interpretatur Heſychius: ἵστωρ, μάρτυς, συνθηκοφύλαξ· ita enim, non οἰκοφύλαξ. ſic ἵστορες θεοὶ accipiuntur in ſacramento quod præſtabant Ephebi Athenis in templo Aglauri, cum circitores mittebantur ad regionem cuſtodiendam ἀμυνῶ δὲ καὶ μόνος καὶ μετὰ πάντων· καὶ τὰ πάτρια ἱερὰ τιμήσω. ἵστορες θεοὶ· Ἄγλαυρος, Ἐνυάλιος, Ἄρης, Ζεύς. perperam apud Pollucem legitur: ἵστορες θεοὶ ἄγραυλοι. Nam ut dixi in templo Aglauri, & per ejus nomen jurabant. Idem Pollux: καὶ ὤμνυον ἐν Ἀγλαύρου. ita ſcribendum: ubi ridicule interpres vertit: *ſub dio jurabant*. Heſychius: Ἄγλαυρος θυγάτηρ Κέκροπος· περίπολοι δὲ ἀττικῆς καὶ ὀμνύουσι κατ' αὐτῆς· ἦν δὲ ἱέρεια τῆς Ἀθηνᾶς. ſic enim legendum apud Heſychium: & Ἄγλαυρος ubique non Ἄγραυλος. Sed hæc præter rem. ἵστωρ igitur hoc loco idem quod μάρτυς, quis ille vero ἵστωρ & τιμάορος? is qui ſequenti verſu nominatur. Pluton ſcilicet, qui in hac inſcriptione μάρτυς appellatur, ut in illa Farneſiana Hecate μάρτυς nominabatur. μάρτυς δαίμων Ἐνοδία. ſic hoc loco, μάρτυς χθόνιος βασιλεύς. Sed ad ſequentem verſum pergamus: ex eo enim pendet hujus loci interpretatio.

ΠΕΡΙ ΟΙ ΧΘΟΝΙΟΝ ΒΑΣΙΛΗΑ ΝΗΩ ΕΓΚΑΤΕΘΗΚΕ) Hic eſt verſus cujus auctoritate regem fuiſſe hunc Herodem, qui Triopium dedicavit, affirmabant doctiſſimi viri. Nos huic regi ſceptrum de manibus excuſſimus, & de rege rhetorem fecimus. Cujus facti rationes aliquot attulimus commentarioli hujus initio. Nec enim nobis veriſimile videbatur eo ſuperbiæ & arrogantiæ progreſſum Herodem Tetrarcham, ut adeo celebri loco, in tanta vicinitate urbis, regem χθόνιον ſe palam inſcriberet, qui regulus tantum eſſet, non admodum magnæ provinciæ, idque precario, ac beneficio Romani imperatoris. Præterea χθόνιον βασιλῆα, pro rege orbis terrarum, nemo Græce peritus diceret: χθόνιον enim Græcis proprie dicitur quod ſub terra eſt, ut χθόνιοι θεοὶ ſunt Dii inferi, ut ἐπίγειοι terreſtres, οὐράνιοι cœleſtes: iſtis rationibus moti facile credidimus hunc verſum non eſſe de rege aliquo mortali accipiendum. Huc accedit quod non tantum regem, ſed etiam Deum ſe faceret hic Herodes, ſi quidem de eo velimus iſtum locum interpretari. Deum enim plane ſe profiteretur his verbis:

> Καὶ γὰρ Ἀθηναίη περὶ οἱ χθόνιον βασιλῆα
> Νηῷ ἐγκατέθηκε συνέστιον ἔμμεναι ἱρῶν.

Sic paria faceret Herodes Minervæ: nam Minervæ ille quidem templum poſuit. At Minerva rurſus illum heic in eodem templo ponere dicitur eadem ſacra participaturum, atque ὁμότιμον omnino futurum. Atque ita Triopium ſibi & Minervæ conſecraviſſe videri poſſet hic Herodes: quod quam abſurdum ſit nemo non videt. χθόνιος igitur βασιλεὺς in hoc verſu eſt inferorum Deus vel Dis pater. Nam χθόνιοι θεοὶ, ut ſupra diximus, ſunt Di i inferi: ita χθόνιος βασιλεὺς eſt Pluto. Οὐδαῖον βασιλῆα & χθόνιον βασιλῆα Plutonem vocant Græci Poetæ. Dionyſius Afer:

> —— οὐδ' ἐνέπουσιν
> Οὐδαίου Κρονίδαο μέγαν κύνα χαλκεόφωνον.

Is eſt igitur χθόνιος βασιλεὺς, quem ſuperiore verſu τιμάορον ἵστορα eſſe dixit: ut in alia inſcriptione ejuſdem auctoris & loci: μάρτυς δαίμων ἡ Ἐνοδία, καὶ κίονες Δήμητρος, καὶ Κόρης ἀνάθημα καὶ χθονίων θεῶν. ut χθόνιοι ibi μάρτυρες appellantur: ſic χθόνιος βασιλεὺς, heic μάρτυς & τιμωρὸς invocatur. Hæc adeo certa & indubitata ſunt, ut pluribus verbis abuti ad ea confirmanda non exiſtimem oportere.

ΚΑΙ ΟΥΚ ΕΠΙΠΕΙΣΕΤΑΙ ΑΥΤΟΝ) ΑΥΤΟΝ, pro αὐτῶν. hoc jam viderunt docti. Sed quomodo ἐπιπείσεται cum illud αὐτῶν ferri poterit? Deinde qui poteſt aliquis illis obtemperare de quibus nihil audiverit, & quæ ignota habuerit? Sic enim ſonant hæc verba: *ſi cui hæc inaudita fuerint, atque iis morem non geſſerit*. Prius eſt legem aliquam notam habere, deinde ei vel obſequi, vel non obſequi: at hic poſtulat, ut etiam ignoratæ & inauditæ legi pareatur: puſillum mendum vide quas turbas dederit. Nam legendum erat:

> —— καὶ οὐκ ἐπιπεύσεται αὐτῶν.

Nunc omnia conſtant, & Helleniſmi ratio, & ſenſus integritas. Si cui, inquit, hæc inaudita fuerint, neque percontatus ea fuerit, ſed neglexerit aut inſuper habuerit, ne ille impune auferat: ignorantiam prætendi non vult, quæ negligentiæ videri queat affinis & contemptui religionis: cur enim neſciviſti, cum ſcire poſſes percontando alios & ſciſcitando de loci religione? Vult igitur eos etiam teneri, qui percontari ſuperſederint: ἐπιπείσεται autem pro ἐπιπεύσεται, ut ſupra πολυστάφιλον pro πολυστάφυλον: & contra ὀψυγόνοισι pro ὀψιγόνοισι.

ΚΑΙ ΡΟΜΒΟΣ ΑΛΑΣΤΩ) Dubium non eſt legi debere, ῥόμβος ἀλάστωρ. Alaſtor enim Græcis eſt δαίμων hominum improborum ac ſceleratorum male facta animadvertenda ſuſcipiens, atque huc illuc circumcurſans ad homines facinoroſos, καὶ ἀλάστορας exagitandos, & perſequendos. Cujus idem plane officium eſt, quod Ἐριννύων. Pauſanias in Arcadicis de Alcmæone qui matrem occiderat: ὡς δὲ οἰκοῦντι αὐτῷ παρὰ τοῖς Ἀρκάσιν οὐδὲν ἐγίνετο ῥᾴων ἡ νόσος, κατέφυγεν ἐπὶ τὸ μαντεῖον τὸ ἐν Δελφοῖς, καὶ αὐτὸν ἡ Πυθία διδάσκει τὸν Ἐριφύλης Ἀλάστορα εἰς ταύτην οἱ χώραν οὐ ξυνακολουθήσειν. Ἐριφύλης Ἀλάστωρ Alcmæonem perſequebatur, ut Κλυταιμνήστρας ἐριννύες Oreſtem. Heſychius: Ἀλάστωρ, πικρὸς

δαίμων. Ζεύς. Juppiter enim etiam ἀλάστωρ dictus, ab hominum peccatis puniendis ῥόμβος autem heic Ἀλάστωρ ἐπιθετικῶς appellatur: qui agitat, & versat, atque in modum rhombi rotat, & torquet nocentes. Eupolis: ὦ ῥόμβοις μαστίξας ἐμὲ ῥόμβος enim non tantum περιδίνησιν, & vertiginem significat, sed & eum qui vertit & circumagit: sic πλανός, & errorem & erronem designat: μίμος histrioniam, & histrionem: φοῖτος, τὴν μανίαν καὶ τὸν μανιώδη· & θυμός, & impetum, & qui impetum facit, & similia sexcenta. Ῥόμβος etiam heic posset esse, qui semper in motu est, dum hac & illac circumcursat ad persequendos impios, & pœnis plectendos: sed prior interpretatio melior. ῥέμβος quoque Græcis planus & erro dicitur: quomodo heic legendum esse quidam meus amicus, vir doctus putabat, quem non audio.

ΤΡΙΟΠΕΩ ΜΕΝΟΣ ΑΙΟΛΙΔΕΩ) Nisi Αἰολίδην addidisset, nesciremus de quo Triopa nobis heic esset intelligendum: plures enim Triopæ memorantur a veteribus. Sed epitheton Αἰολίδης adjectum, dubium hoc prorsus diffindit. Nam quod Triopam Æolide patria sua, pulsum in Italiam venisse autumant viri docti, penitus ἀνιστόρητον est. Deinde Æolides hic Triopas non a patria dicitur Æolide, sed a patre vel avo Æolo. Qui enim ex patria Æolide sunt, non Αἰολίδαι dicuntur Græcis, sed Αἰολεῖς. Αἰολίδης autem πατρωνυμικὸν est. Hic ergo Triopas Æolides, non alius potest esse, quam qui Canaces & Neptuni filius fuit. Canace vero Æoli filia, atque inde Æolides Triopas, Æoli nepos scilicet. Apollodorus Bibliothecæ lib. I. Κανάκη δὲ ἐποίησεν ἐκ Ποσειδῶνος Ὁπλέα καὶ Νηρέα καὶ Ἐλωπέα καὶ Ἀλωέα καὶ Τρίοπα. ita legenda sunt Apollodori verba. Callimachus quoque Κανάκην Αἰολίδα vocat, & ejus filium Τριόπαν facit ex Neptuno in Hymno Cereris: sic enim ibi Triopas patrem Neptunum orans inducitur pro filio Erysichthone:

> Καὶ δ' αὐτὸς Τριόπας πολιαῖς ἐπὶ χεῖρας ἔβαλλε,
> Τοῖα τὸν οὐκ ἀΐοντα Ποσειδάωνα καλιστρέων,
> Ψευδοπάτωρ, ἴδε τόνδε τεῦ τρίτον· εἴπερ ἐγὼ μὲν
> Σεῦ τε καὶ Αἰολίδος Κανάκης γένος ——

Jam nemo possit ambigere, quin hic Triopas Æolides sit ille quem dixi, nepos Æoli, Canaces filius. Τριόπας autem Callimacho, & Herodi, qui Τρίοψ Apollodoro.

ΩΝ ΑΤΟΤΕ ΝΕΙΟΝ ΔΗΜΗΤΕΡΟΣ ΕΞΑΛΑΠΑΞΕΝ) Quæritur quid Triopas iste admiserit, & qua in re Cereris numen læserit, & quo genere pœnæ affectus sit a Cerere: cum sciamus quis hic fuerit Triopas, non operosum est scire, quid ipsi acciderit, aut quomodo Cererem offenderit. Sciendum est hunc Triopam patrem Erysichthonis fuisse, qui Erysichthon nemus Cereri sacrum excidit, & βουλίμῳ a Cerere affectus est, ut notum ex fabulis. Narrat Callimachus in Hymno Cereris, & Ovidius in Metam. libris. Herodes autem Triopæ attribuit, quod alii omnes filio ejus Erysichthoni: nisi quis forte legendum existimet in superiore versu:

> Τριόπεω γενεὸς Αἰολίδαο.

pro Τριόπεω μένος. & sic Triopæ filium intelligemus: patet tamen ex hac inscriptione non uno loco, Herodem non Erysichthoni sed Triopæ adscripsisse illam læsæ Cereris fabulam. Nam Δηιώου Τριόπαν supra ob hanc causam nominavit, & Τριόπειον ἑρμνιώ ultimo hujus carminis versu: quod an dedita opera fecerit, an memoriæ lapsu, non facile dixerim: videri sane posset, cum ἐπωνυμίην Triopii sui a Triopa petierit, eidem quoque Triopæ de industria hanc fabulam adsignasse, ut eam ad hujus Triopii consecrationem accommodaret: quo monerentur scilicet homines ab ejus loci violatione abstinere, qui Triopæ nomen haberet, audito quod & Triopas olim ob simile factum, hoc est violatum Cereris nemus, non impunitus exisset: idque postremis versibus præcipit, ut scirent homines vitandam loci ἐπωνυμίην καὶ ποινήν.

ΕΠΗΤΑΙ ΕΠΙ ΤΡΙΟΠΕΙΟΣ ΕΡΙΝΝΥΣ) ἕπηται ἐπὶ pro ἐφέπηται. Sic Nicandro,

> —— ἐπὶ ζαμενὲς κοτέουσα.

pro ζαμενὲς ἐπικοτέουσα: & ἐπὶ χλωρηΐδα νώτω, pro χλωρηΐδα ἐπὶ νώτῳ.

F I N I S.

DEDICATIO STATUÆ
REGILLÆ HERODIS.

ΔΕΥΡΙΤΕ ΘΥΒΡΙΑΔΕC ΝΗΟΝ ΠΟΤΙ ΤΟΝΔΕ ΓΥΝΑΙΚΕC
ΡΗΓΙΛΛΗC ΕΔΟC ΑΜΦΙ ΘΥΟCΗΟΝΙΡΑ ΦΕΡΟΥCΑΙ
ΗΔΕ ΠΟΛΥΚΤΕΑΝΩΝ ΜΕΝ ΕΗΝ ΕΞ ΑΙΝΕΑΔΑΩΝ
ΑΓΧΙCΕΩ ΚΛΥΤΟΝ ΑΙΜΑ ΚΑΙ ΙΔΑΙΗC ΑΦΡΟΔΙΤΗC
ΓΗΜΑΤΟ ΔΕC ΜΑΡΑΘΩΝΑ· ΘΕΑΙ ΔΕ ΜΙΝ ΟΥΡΑΝΙΩΝΑΙ
ΤΙΟΥCΙΝ ΔΗΩΤΕ ΝΕΗ ΔΗΩΤΕ ΠΑΛΑΙΗ
ΤΗCΙ ΠΕΡ ΙΕΡΟΝ ΕΙΔΟC ΕΥΖΩΝΟΙΟ ΓΥΝΑΙΚΟC
ΑΓΚΕΙΤΑΙ ΑΥΤΗ ΔΕ ΜΕΘΗΡΩΝΙCΙ ΝΕΝΑCΤΑΙ
ΕΝ ΜΑΚΑΡΩΝ ΝΗCΟΙCΙΝ ΙΝΑ ΚΡΟΝΟC - ΕΜΒΑCΙΛΕΥΕΙ
ΤΟΥΤΟ ΓΑΡ ΑΝΤΑΓΑΘΟΙΟ ΝΟΟΥ ΕΙΛΗΧΕΝ ΑΠΟΙΝΟΝ
ΩC ΟΙ ΖΕΥC ΩΚΤΕΙΡΕΝ ΟΔΥΡΟΜΕΝΟΝ ΠΑΡΑΚΟΙΤΗΝ
ΓΗΡΑΙ ΕΝ ΑΖΑΛΕΩ ΧΗΡΗ ΠΕΡΙΚΕΙΜΕΝΟΝ ΕΥΝΗ
ΟΥΝΕΚΑ ΟΙ ΠΑΙΔΑC ΜΕΝ ΑΜΥΜΟΝΟC ΕΚ ΜΕΓΑΡΟΙΟ
ΑΡΠΥΙΑΙ ΚΛΩΘΩ ΕCΑΝΗΡΕΙΨΑΝΤΟ ΜΕΛΑΙΝΑΙ
ΗΜΙCΕΑC ΠΛΕΟΝΩΝ ΔΟΙΩ ΔΕ ΤΙ ΠΑΙΔΕ ΛΙΠΕCΘΗΝ
ΝΗΠΙΑΧΩ ΑΓΝΩ ΤΕ ΚΑΚΩΝ ΕΤΙ ΠΑΜΠΑΝ ΑΠΥCΤΩ
ΟΙΗΝ CΦΙΝ ΝΗΛΗC ΚΑΤΑ ΜΗ ΤΕΡΑ ΠΟΤΜΟC ΕΜΑΡΨΕΝ
ΠΡΙΝΠΕΡ ΤΗΡΑΙΗCΙ ΜΙΓΗΜΕΝΑΙ ΗΛΑΚΑΤΗCΙ
ΤΩ ΔΕ ΖΕΥC ΕΠΙΗΡΟΝ ΟΔΥΡΟΜΕΝΩ ΑΚΟΡΗ ΤΟΝ
ΚΑΙ ΒΑCΙΛΕΥC ΔΙΙ ΠΑΤΡΙ ΦΥΗΝ ΗΑΙ ΜΗΤΙΝ ΟΜΟΙΟC
ΖΕΥC ΜΕΝ ΕC ΩΚΕΑΝΟΝ ΘΑΛΕΡΗΝ ΕCΤΕΙΛΕ ΓΥΝΑΙΚΑ
ΑΥΡΗCΙ ΖΕΦΥΡΟΙΟ ΚΟΜΙΖΕΜΕΝ ΗΛΥCΙΗCΙΝ
ΑΥΤΑΡ Ο ΑCΤΕΡΟΕΝΤΑ ΠΕΡΙCΦΥΡΑ ΠΑΙΔΙ ΠΕΔΙΛΑ
ΔΩΚΕΝ ΕΧΕΙΝ ΤΑ ΛΕΓΟΥCΙ ΚΑΙ ΕΡΜΑΩΝΑ ΦΟΡΗΝΑΙ
ΗΜΟC ΟΤ ΑΙΝΕΙΑΝ ΠΟΛΕΜΟΥ ΕΞΗΓΕΝ ΑΧΑΙΩΝ
ΝΥΚΤΑ ΔΙΑΔΝΟΦΕΡΗΝ ΟΔΕ ΟΙ ΠΕΡΙ ΠΟCCΙ CΑΩΤΗΡ
ΠΑΜΦΑΝΟΩΝ ΕΝΕΚΑΙΤΟ CΕΑ   CΚΥΚΛΟ   ΡΟ
ΤΟΝΔΕ ΚΑΙ ΑΙΝΕΑΔΑΙ ΠΑΡΕΝΕΡΡΑΨΑΝΤΟ ΠΕΔΙΛΩ
ΑΥ   Η ΓΕΝΕCCΙ ΓΕΡΑΑ
ΟΥ ·   ΟCCΗΙΤΑΙ ΚΕΚΡΟΠΙΔΗΝ ΠΕΡ ΕΟΝΤΑ.
ΘΥΡCΗΝΩΝ ΑΡΧΑΙΟΝ ΕΠΙCΦΥΡΙΟΝ ΓΕΡΑC ΑΝΔΡΩΝ
ΕΡCΗC ΕΡΓΕΙΔΟΤΑ ΚΑΙ ΕΡΜΕΩ ΕΙC ΕΤΕΟΝ ΔΗ
ΚΗΡΥΞ ΗΡΩΔΕΩ ΠΡΟΓΟΝΟC ΘΗCΗΙΑΔΑΩ
ΤΟΥΝΕΚΑ ΤΙΜΗΕΙC ΚΑΙ ΕΠΩΝΥΜΟC Η ΜΕΝ ΑΝΑCCΑ
ΕΙC ΒΟΥΛΗΝ ΑΓΕΡΕCΘΑΙ ΙΝΑ ΠΡΩΤΟΘΡΟΝΕC ΕΔΡΑΙ
ΕΛΛΑΔΙ Δ ΟΥΤΕ ΓΕΝΟC ΒΑCΙΛΕΥΤΕΡΟC ΟΥΤΕΤΙ ΦΟΝΗΝ
ΗΡΩΔΕΩ ΓΛΩCCΑΝ ΔΕ ΤΕ ΜΙΝ ΚΑΛΕΟΥCΙΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ
ΗΔΕ ΚΑΙ ΑΥΤΗΠΕΡ ΚΑΛΛΙCΦΥΡΟC ΑΙΝΕΙΩΝΗ
ΚΑΙ ΓΑΝΥΜΗΔΕΙΝ ΚΑΙ ΔΑΡΔΑΝΙΟΝ ΓΕΝΟC ΕΙΗΝ
ΤΡΩΟC ΕΡΙΧΘΟΝΙΔΑΟ ΟΥ ΔΙ ΦΙΛΟΝ ΙΕΡΑ ΡΕΞΑΙ
ΚΑΙ ΘΥCΑΙ ΘΥΕΩΝ ΑΤΑΡ ΟΥΚ ΑΕΚΟΝΤΟC ΑΝΑΓΚΗ
ΕΙΔΕΤΟΙ ΕΥCΕΒΕΕCCΙ ΚΑΙ ΗΡΩΩΝ ΑΛΕΓΙΖΕΙΝ
ΟΥ ΜΕΓΑΡ ΘΝΗΤΗ ΑΤΑΡ ΟΥΔΕ ΘΕΑΙΝΑ ΤΕΤΥΚΤΑΙ
ΤΟΥΝΕΚΕΝ ΟΥΔΕ ΝΕΩΝ ΙΕΡΟΝ ΛΑΧΕΝ ΟΥΤΕ ΤΙ ΤΥΜΒΟΝ
ΟΥΔΕ ΓΕΡΑΘΗΤΟΙC ΑΤΑΡ ΟΥΔΕ ΘΕΟΙCΙΝ ΟΜΟΙΑ.
ΣΗΜΑΜΕΝΟΙ ΝΗΩ ΙΚΕΛΟΝ ΔΗΜΩ ΕΝ ΑΘΗΝΗC
ΨΥΧΗ ΔΕ CΚΗΠΤΡΟΝ ΡΑΔΑΜΑΝΘΥΟC ΑΜΦΙΠΟΛΕΥΕΙ
ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΦΑΥCΤΕΙΝΗ ΚΕΧΑΡΙCΜΕΝΟΝ ΗCΤΑΙ ΑΓΑΛΜΑ
ΔΗΜΩ ΕΝΙ ΤΡΙΟΠΕΩ ΝΑΟΙ ΠΑΡΟC ΕΥΡΕΕC ΑΓΡΟΙ
ΗΑΙ ΧΟΡΟC ΗΜΕΡΙΔΩΝ ΚΑΙ ΕΛΑΙΗΕΝΤΕC ΑΡΟΥΡΑΙ
ΟΥΜΕΝ ΑΤΙΜΗCΕΙΕ ΘΕΑ ΒΑCΙΛΕΙΑ ΓΥΝΑΙΚΩΝ
ΑΜΦΙΠΟΛΟΝ ΓΕΡΑΩΜ ΕΜΕΝΑΙ ΚΑΙ ΟΠΛΟΝΑ ΝΥΜΦΗΝ
ΟΥΔΕ ΓΑΡ ΙΦΙΓΕΝΕΙΑΝ ΕΥΘΡΟΝΟC ΙΟΧΕΑΙΡΑ
ΟΥΔ ΕΡCΗΝ ΓΟΡΓΩΠΙC ΑΠΗΤΙΜΑCΕΝ ΑΘΗΝΗ
ΟΥΔΕ ΜΙΝ Η ΡΩΜΗΙCΙ ΠΑΛΑΙΗCΙ ΜΕΔΕΟΥCΑ
ΚΑΙCΑΡΟC ΙΦΘΙΜΟΙΟ ΠΑΡΟΨΕΤΑΙ ΟΜΠΝΙΑ ΜΗΤΗΡ
ΕC ΧΟΡΟΝ ΕΡΧΟΜΕΝΗΝ ΠΡΟΤΕΡΑΩΝ ΗΜΙΘΕΑΩΝ
Η ΛΑΧΕΝ ΗΛΥCΙΗCΙ ΧΟΡΟCΤΑCΙΗCΙΝ ΑΝΑCCΕΙΝ
ΑΥΤΗC ΑΛΚΜΗΝΗ ΤΕ ΜΑΚΑΙΡΑΤΕ ΚΑΔΜΕΙΩΝΗ.

IIDEM VERSUS,

UT EMENDARI ET SUPPLERI DEBENT.

ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ.

ΔΕΥΡ' ἴτε Θυβριάδες νηὸν ποτὶ τόνδε γυναῖκες,
Ῥηγίλλης ἕδος ἀμφὶ θυοσκόον ἱρὰ φέρουσαι.
Ἡ δὲ πολυκτεάνων μὲν ἔην ἐξ Αἰνεαδάων,
Ἀγχίσεω κλυτὸν αἷμα καὶ Ἰδαίης Ἀφροδίτης.
Γήματο δ' ἐς Μαραθῶνα. θεαὶ δέ μιν οὐρανιῶναι
Τίουσιν, Δηώ τε νέη, Δηώ τε παλαιή.
Ἧσί περ ἱρὸν εἶδος ἐϋζώνοιο γυναικὸς
Ἄγκειται. αὐτὴ δὲ μεθ' ἡρώνῃσι νέασαι
Ἐν μακάρων νήσοισιν ἵνα Κρόνος ἐμβασιλεύει·
Τοῦτο γὰρ ἀντ' ἀγαθοῖο νόου εἴληχεν ἄποινον,
Ὥς οἱ Ζεὺς ᾤκτειρεν ὀδυρόμενον παρακοίτην
Γήραϊ ἐν ἀζαλέῳ χήρῃ περικείμενον εὐνῇ·
Οὕνεκά οἱ παῖδας μὲν ἀμύμονας ἐκ μεγάροιο
Ἅρπυιαι κλωθῶες ἀνηρείψαντο μέλαιναι,
Ἡμίσεας πλεόνων. δοιὼ τ' ἔτι παῖδε λιπέσθην
Νηπιάχω, ἀγνῶτε κακῶν, ἔτι πάμπαν ἀπύστω,
Οἵην σφιν νηλὴς κατὰ μητέρα πότμος ἔμαρψε,
Πρίν περ πηραιῇσι μιγήμεναι ἠλακάτῃσι.
Τῷδε Ζεὺς ἐπίηρον ὀδυρομένῳ ἀκόρητον,
Καὶ βασιλεὺς Διὶ πατρὶ φυὴν καὶ μῆτιν ὁμοῖος·
Ζεὺς μὲν ἐς Ὠκεανὸν θαλερὴν ἔστειλε γυναῖκα,
Αὔρῃσι Ζεφύροιο κομιζέμεν Ἠλυσίῃσιν.
Αὐτὰρ ὁ ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα
Δῶκε ἔχειν, τά λέγουσι καὶ Ἑρμάωνα φορῆναι,
Ἦμος ὅτ' Αἰνείαν πολέμου ἐξῆγεν Ἀχαιῶν,
Νύκτα διὰ δνοφερήν· ὃ δέ οἱ περὶ ποσσὶ σαωτὴρ
Παμφανόων ἐνέκειτο σεληναίης κύκλος αἴγλης.
Τόνδε καὶ Αἰνεάδαι περινερράψαντο πεδίλῳ
Σύμβολον Αὐσονίοισιν εὐγενέεσσι γεραιόν.
Ὥς μιν ἐκόσμησεν καὶ Κεκροπίδην περ ἐόντα
Τυρσηνῶν ἀρχαῖον ἐπισφύριον γέρας ἀνδρῶν·
Ἕρσης ἐκγεγαῶτα καὶ Ἑρμέω· εἰ ἐτεὸν δὴ
Κῆρυξ Ἡρώδεω πρόγονος Θησηϊάδαο.
Τοὔνεκα τιμήεις καὶ ἐπώνυμος. ἡ μὲν ἀνάσσαν
Εἰς βουλὴν ἀγέρεσθαι ἵνα πρωτόθρονες ἕδραι.
Ἑλλάδι δ' οὔτε γένος βασιλεύτερος, οὔτ' ἔτι φωνήν.
Ἡρώδεω γλῶσσαν δέ τε μιν καλέουσιν Ἀθῆναι.
Ἡδὲ καὶ αὐτή περ καλλίσφυρος Αἰνειώνη
Καὶ Γανυμηδείη καὶ Δαρδανίον γένος ἦεν
Τρωὸς Ἐριχθονίδεω· ᾧ δὴ φίλον ἱερὰ ῥέξαι
Καὶ θῦσαι θυέων ἀτὰρ οὐκ ἀέκοντος ἀνάγκη.
Εἰ δέ τοι εὐσεβέεσσι καὶ ἡρώων ἀλεγίζειν.
Οὐ μὲν γὰρ θνητὴ ἀτὰρ οὐδὲ θέαινα τέτυκται·
Τοὔνεκεν οὔτε νεὼν ἱερὸν λάχεν οὔτε τι τύμβον,
Οὐδὲ γέρα θνητοῖς, ἀτὰρ οὐδὲ θεοῖσιν ὁμοῖα.
Σῆμα μὲν οἱ νηῷ ἴκελον δήμῳ ἐν Ἀθήνης.
Ψυχὴ δὲ σκῆπτρον Ῥαδαμάνθυος ἀμφιπολεύει.
Τοῦτο δὲ Φαυστείνῃ κεχαρισμένον ἵσταται ἄγαλμα
Δήμῳ ἐνὶ Τριόπεω· ἵνα οἱ πάρος εὐρέες ἀγροὶ,
Καὶ χορὸς ἡμερίδων καὶ ἐλαιήεντες ἄρουραι·
Οὐ μὲν ἀτιμήσειε θεὰ βασίλεια γυναικῶν
Ἀμφίπολον γεράων ἔμεναι, καὶ ὀπάονα νύμφην.
Οὐδὲ γὰρ Ἰφιγένειαν εὔθρονος ἰοχέαιρα,
Οὔδ' Ἕρσην γοργῶπις ἀπητίμησεν Ἀθήνη.
Οὐδέ μιν ἡρώνῃσι παλαιῇσιν μεδέουσα,
Καίσαρος ἰφθίμοιο παρόψεται ὄμπνια μήτηρ
Ἐς χορὸν ἐρχομένην προτεράων ἡμιθέαων,
Ἣ λάχεν Ἠλυσίῃσι χοροστασίῃσιν ἀνάσσειν,
Αὐτή γ' Ἀλκμήνη τε, μάκαιρά τε Καδμειώνη.

ITE agite o Latiæ templum hoc celebrate puellæ
Regillæ circum effigiem sacra rite ferentes.
Hæc erat Æneadum de sanguine creta potentum,
Anchisæ Venerisque Idææ clara propago.
Nupta tamen Marathone fuit. dilecta Deabus
Cælicolis, magnæ Cereri, Cererique minori,
Sacra quibus stat fœmineæ sub imagine formæ.
Ipsa locum sed habet veteres Heroidas inter,
Insulæ ubi florent, Saturno rege, beatæ.
Hæc illi morum, atque piæ data præmia mentis,
Conjugis & luctum sic Juppiter ipse levavit
Mœrentis viduum extrema jam ætate cubile,
Et sibi quod dulces, præstantia pignora, natas
Lanificæ Harpyæ, nigræ rapuere sorores,
Dimidium numero ex omni. modo bina relicta
Parva, ignara malorum, & adhuc heu nescia, qualem
Abstulerit matrem sibi inexorabilis orcus,
Ante, colus, feræ explessent quam fila senectæ.
Huic flenti sine fine, dedit solatia luctus
Juppiter, atque Jovi par mente & corpore princeps.
Juppiter Oceano uxorem post funera misit,
Elysii Zephyri portandam mollibus auris.
At princeps lunata pedum dat vincula nato:
Qualia Mercurius quondam gestasse putatur,
Cum flamma Æneam, belloque eduxit Achivum
Per noctem: at multa cum luce salutifer illi
Circulus hærebat, pedibus, lunæ æmulus orbi.
Quem talo adsutum mox nexuit Æneadum gens,
Nobilibus clarum Ausoniis insigne futurum.
Cecropidem quamvis, Grajaque ab gente profectum
Hunc, talare decus Tuscorum exornat avorum
Mercurio atque Herse genitum: si creditur olim
Ceryx Herodis Thesidæ sanguinis auctor.
Sic & honoratus, sic nomine dignus habetur:
Olli quippe datum domini partem esse Senatus:
Nec quemquam Hellas habet genere, eloquiove priorem.
Hinc illum linguam vocitant Herodis Athenæ.
Atque hæc pulcra quidem, quam conspicis, Æneone,
Et Ganymedeo sata sanguine, Dardanioque
Trois Erichthonidæ. cui sacrificare voluntas,
Sacrificet: nec enim invitum dare tura necesse est:
Sed si cui heroum cura est non temnere cultum.
Nec mortalis enim, sed nec Dea jure putanda est.
Nec templum illa quidem, sed nec sortita sepulcrum:
Non hominum, sed nec divum mereatur honores.
Par templo moles huic surgit in urbe Minervæ,
Ast anima in regno Rhadamanthi læta vagatur.
In pago Triopæ, Faustinæ hæc grata locatur
Effigies. latis templum prætexitur agris,
Ordine ubi positæ vites, oleæque feraces.
Nec dea fœmineæ dux & regina catervæ
Abnuet hanc nympham sacris sibi adesse ministram.
Spreta sagittiferæ nec enim Iphigenia Dianæ.
Cæsia non Hersen est aspernata Minerva.
Nec quæ inter priscas regnum tenet Heroinas
Cæsaris hanc magni possit contemnere mater,
Mixta choris cupiet cum ludere semidearum:
Ipsa etenim Elysias moderatur diva choreas,
Cumque ipsa, Alcmeneque, beataque Cadmeone.

CLAUDII SALMASII
NOTÆ.

EFFOSSA nuper est ad urbem hæc inscriptio, eodem loco quo ante decennium eruta fuit altera illa Herodis hujus Regillæ viri, Attici Rhetoris, ut nos olim docuimus, contra sententiam doctissimi Casauboni, qui de Herode Judææ Tetrarcha, notis ad illam editis, accipiendum putavit. Sic quod olim conjectura ducti existimabamus, nunc certa re docti possumus affirmare. Continet autem hæc inscriptio dedicationem statuæ Regillæ, in illo templo positæ, quod tertio ab urbe milliari in villa sua Triopio ædificaverat Herodes: quo loci monumentum sibi posterisque suis extruendum idem curaverat, ut ex ejus inscriptione patet, & nos ad ipsam multis ostendimus. Illustre sane utrumque vetustatis monumentum. Nec parum interfuit Reip. litterariæ utrumque ad nos salvum pervenisse, cum propter versuum elegantiam, tum multarum rerum notitiam, quæ aliunde sciri non poterant. Debetur autem hæc ἐπιγραφὴ doctissimo viro I. Syrmundo, qui eam Roma attulit, ad ipsum marmor a se descriptam.

ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ) Quis hic Marcellus fuerit, & ad quam rem positum ejus nomen in hujus inscriptionis fronte, ut ingenue fatear, ignoro. Utrum enim ab ipso dedicata sit hæc Regillæ statua, an ut horum versuum auctor, nomen eis suum præposuerit, incertum habeo. In omnibus sane veteribus inscriptionibus, quibus statuarum dedicationes continentur, semper eorum nomina posita leguntur, a quibus statuæ sunt dedicatæ. Nusquam autem in hoc toto carmine dicitur, a quo posita dedicataque fuerit hæc Regillæ effigies. Ab ipso Herode non fuisse dedicatam, facile intelliget, qui inscriptionem legerit. Oportet igitur hunc Marcellum fuisse aliquem ex consanguineis vel propinquis ipsius Regillæ, qui ponendam hanc ei statuam curaverit, & dedicaverit, vel amicum saltem Herodis, qui in ejus gratiam hoc fecerit, ipso Herode Athenis tunc commorante. Hæc omnia tamen incerta sunt. Marcellum autem per illa tempora invenio nullum, præter illum qui consul fuit cum Celso anno DCCCXXXII. sub Hadriano. Sic enim habent fasti Alexandrini: Μαρκέλλου καὶ Κέλσου. Alii tamen Marcellinum vocant. Plinius Neratii cujusdam Marcelli clarissimi civis meminit. iidem Fasti sub Commodo consules ponunt, anno C∞XXXVI. *Marcellum & Ælianum*: sed vereor, ut ibi pro Μαρκέλλου legendum sit Μαρύλλου: ita enim par illud Consulum nominatur in antiquis marmoribus, MARULLO ET ÆLIANO COS. Mentio etiam cujusdam Marcelli, hominis ut videtur Græci, in vetere nummo: ΟCΤΙΛΙΟC ΜΑΡΚΕΛΛΟC Ο ΙΕΡΕΥC ΤΟΥ ΑΝΤΙΝΟΟΥ ΚΟΡΙΝΘΙΩΝ. Hinc per illa tempora, nisi fallor, vixit, & sacerdos Antinoi fuit, quem Græci volente Hadriano consecraverunt, ut refert Spartianus. Plures denique possunt proferri Marcelli qui illa tempestate vixerint. Ulpius etiam Marcellus, illa tempestate Jurisconsultus notissimus, & celeberrimus, qui coævus fuit Volusio Mæciano. Marcellum quemdam ad mortem voluntariam coegisse dicitur Adrianus apud Spartianum: sed parum refert scire qui & quot Marcelli fuerint illis temporibus, cum vix ac ne vix quidem sciri possit, quis ex illis omnibus auctor hujus inscriptionis fuerit.

ΔΕΥΡΙΤΕ ΘΥΒΡΙΑΔΕΣ) Usitatius erat, Θυμβριάδες Θύμβριν enim Græci, & poetæ præsertim, vocant Tiberim. Θύμβρις ὄνομα ποταμοῦ. Hesych. Dionysius:

> —— ἧς διὰ μέσσης
> Θύμβρις ἑλισσόμενος καθαρὸν ῥόον εἰς ἅλα βάλλει
> Θύμβρις ἐϋρρείτης —— &c.

Stephanus περὶ ἐθνικῶν: Θύμβρις ποταμὸς Ῥώμης, ὡς καὶ Τίβερις· τὸ ἐθνικὸν Θύμβριος καὶ Θυμβριάς: atque hinc debuit esse Θυμβριάδες, hoc loco. Sed familiare Græcis poetis literam μ multis vocabulis exterere: sic Θύβρον & Θύμβρον dicunt. Sic ἀκαπὲς ἄγκιστρον pro ἀκαμπὲς apud Leonidem in Epigrammate. Et ἀφορεὺς pro ἀμφορεὺς apud Simonidem: Ἐξήκοντ᾽ ἀφορεῖς ἐλαίου, ita postulante versu. Sed & eam scripturam in veteribus Pollucis codicibus reperi, ἀφορεῖς pro ἀμφορεῖς.

ΡΗΓΙΛΛΗΣ ΕΔΟC ΑΜΦΙ) Hæc Regilla uxor fuit Herodis Attici, ut scribit Philostratus in ejus vita. Nobilissimam hanc facit inscriptionis auctor, & ad Æneam & Anchisen generis originem refert: Sequitur enim:

> Ἡ δὲ πολυκτεάνων μὲν ἔην ἐξ Αἰνεαδάων,
> Ἀγχίσεω κλυτὸν αἷμα καὶ Ἰδαίης Ἀφροδίτης.

Et infra Αἰνειώνην appellat, & Γανυμηδείην, & Δαρδάνιον γένος. Ex qua autem familia fuerit, nisi conjectura assequi speremus, frustra alia ratione id expiscari tentabimus. Fratrem ejus Braduam vocat Philostratus in vita Herodis: γράφεται αὐτὸν φόνου Βραδούας ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφὸς ἐνδοκιμώτατος ὢν ἐν ὑπάτοις. Ita enim legendum, non Βραδείας, ut vulgo. Duo autem hoc cognomine consules leguntur in Fastis, quorum alter, *Appius Annius Braduas* vocatur, & consul fuit cum Varo Hadriani temporibus; alter vero M. Atilius Metilius Bradua, sub Commodo consul fuit cum Materno. Hos diversa nomina diversæ etiam gentis fuisse ostendunt. Uter horum fuerit Regillæ frater, quæstionis est. Regillæ nomen facile mihi persuaserit, Atilii Braduæ sororem eam fuisse. Atiliæ enim familiæ cognomen fuit Regulus. Nam ille Regulus, qui a Carthaginensibus captus est, M. Atilius Regulus dicebatur, ut notum est. Fœminæ autem illis temporibus ex parentum cognominibus appeliationes sumebant: ut Regilla a Regulo: Drusilla a Druso: Orestilla ab Oreste: Metella a Metello: Agrippina ab Agrippa: Messalina a Messala: non dubium est igitur hanc Regillam ex Atilia familia fuisse, cui cognomen Regulus. Regillæ etiam meminit auctor vitæ Demonactis his verbis: περὶ μέντοι Ἡρώδου ἔλεγεν ἀληθεύειν τὸν Πλάτωνα φάμενον οὐ μίαν ἡμᾶς ψυχὴν ἔχειν, οὐ γὰρ εἶναι τῆς αὐτῆς ψυχῆς Ῥήγιλλαν, καὶ Πολυδεύκη, ὡς ζῶντας ἑστιᾶν καὶ τὰ τοιαῦτα μελετᾶν. Vulgo Ῥηγίλαον ibi scribitur manifesto mendo.

ΓΗΜΑΤΟ ΔΕC ΜΑΡΑΘΩΝΑ) Hoc est, nupsit Herodi Attico qui Marathonius erat. Marathon, ut omnes sciunt, pagus Atticæ: inde fuit Herodes, atque ibi plurimum morabatur: ibique

deceſſit, & ſepeliri ibidem voluerat. Vide Philoſtratum: apud quem legere eſt hoc ipſius ſepulcro inſcriptum epigramma:

> Ἀττικοῦ Ἡρώδης Μαραθώνιος, οὗ τάδε πάντα
> Κεῖται τῷδε τάφῳ, πάντοθεν εὐδόκιμος.

ut autem obiter hoc admoneam, Herodes cujus heic mentio, Attici filius fuit, & habuit filium nomine avi appellatum Atticum, ut infra dicturi ſumus: ipſe vero Attici dicebatur, non Atticus, ut in hoc epigrammate, Ἀττικοῦ Ἡρώδης. Græci, quibus familiare genus hoc loquendi, non aliter hunc Herodem appellare conſueverunt, quam Ἡρώδην Ἀττικοῦ, nunquam vero Ἡρώδην Ἀττικὸν dicerent. Romani vero quibus alia fuit conſuetudo, Herodem Atticum, non Attici, hunc ſemper appellarunt, patris ſui nomine ſcilicet. Hinc cum in veteribus legis, TORQUATO & ATTICO COS. de hoc Herode accipiendum eſt. Apud Græcos enim raro admodum filius patris nomine appellabatur: hinc moris erat poſito alicujus nomine ut ſciretur quo patre natus eſſet, patris etiam nomen adponere: ut Ἡρώδης Ἀττικοῦ, ſub. υἱός· Μιλτιάδης Κίμωνος· Ἀππίων Πλειςονίκου. Romani vero apud quos fere filii patrum quoque nomina & cognomina uſurpabant, nuſquam hoc loquendi genere uſi ſunt, ut dicerent, Heroden Attici, Miltiaden Cimonis, Appionem Pliſtonici; ſed ſuo modo moreque loquentes dixerunt potius Heroden Atticum, Appionem Pliſtonicen, & ſimilia. Hinc Suetonius Apollonium qui Molonis erat filius, ut ab aliis ejuſdem nominis diſtingueret, vocat Apollonium Molonem, quamvis non diceretur Molon, ſed Molonis tantum eſſet filius: *Apollonio Moloni clariſſimo tunc dicendi magiſtro operam dedit:* ubi doctiſſimi viri falluntur, qui legendum contendunt, *Apollonio Molonis*. Græca enim hæc locutio, non Latina, Ἀπολλωνίῳ τῷ Μόλωνος. Omnes autem veteres libri *Apollonio Moloni*, illo loco agnoſcunt, nec aliter eum Cicero cum Quintiliano vocavit. Sic Appionem Grammaticum, quem Tiberius Cæſar Cymbalum mundi vocabat, Gellius in manuſcriptis membranis Appionem Pliſtonicem vocat, ubi vulgo excuſum eſt, Appion Polyhiſtor. atqui Appion ille Pliſtonicis filius fuit. Ita hunc Herodem de quo nunc ſermo eſt, Attici filium, nunquam aliter nominaverunt Latini, quam Herodem Atticum: de quo nos alibi pluribus: hæc enim in tranſitu tetigiſſe ſufficiat.

ΕΔΟϹ ΑΜΦΙ ΘΥΟϹΚΟΛΙΡΑ) Hæc ſunt corruptiſſima: legendum:

> —— ἕδος ἀμφὶ θυοσκόον ἱρὰ φέρουσαι.

vel, θυοσκόοι: ſed illud melius: θυοσκόοι vulgo ſunt Aruſpices. Hinc enim dictos fuiſſe Thuſcos ſcribit Feſtus; *a ſacrificando ſtudioſe, ex Græco* θυοσκόοι· ſic enim legendum apud Feſtum. Hoc vero θυοσκὸν ἕδος, *ſacra effigies, cui ſacra fiunt, aut fieri debent, & ſolent*. Vide Grammaticos. Hinc θυοσκοεῖν, ἱερὰ παρέχεσθαι θεοῖς. Sic legi debet apud Heſychium.

ΘΕΑΙ ΔΕ ΜΙΝ ΟΥΡΑΝΙΩΝΑΙ ΤΙΟΥϹΙΝ ΔΗΩΤΕ) In eo templo, in quo hæc ſtatua Regillæ, dedicaverat etiam ſimulacra Nemeſis & Minervæ, eaſque συμβώμοις fecerat Herodes. Illæ nempe ſunt, quas οὐρανίωνας θεὰς vocat: nam Ceres quæ ſequitur, & ejus filia Proſerpina, non inter οὐρανίωνας, ſed inter χθονίας habitæ, ut ad inſcriptionem Herodis docuimus: putet tamen aliquis per οὐρανίωνας θεὰς intelligi heic tantum Cererem & Proſerpinam, & iis ſolis dedicari ſtatuam Regillæ. οὐρανιῶναι ſunt Cæli filiæ: ſic θεοὶ οὐρανίωνες, Cæli filii, hoc eſt οὐρανοῦ. Sic Αἰνειώνη infra & Καδμειώνη, Æneæ & Cadmi neptes. Sic Ἀκτορίωνες Actoris filii apud Poetam, & Αἰολίωνες, ἀντὶ τοῦ Αἰολέων, Æoli nepotes apud Heſychium: Αἰολίωνες Αἰολεῖς ἀπὸ τοῦ Αἰόλου: ita legendum apud optimum Grammaticum. Sed hæc nota ſunt.

ΔΗΩ ΤΕ ΝΕΗ ΔΗΩ ΤΕ ΠΑΛΑΛΑΙΗ) Duæ Ceres heic nobis proponuntur, nova & antiqua. Pronum eſt intelligere Cererem & ejus filiam Proſerpinam, hoc eſt, ut vertimus, Cererem majorem & minorem. Græci Δήμητρα καὶ Κόρην appellant, Latini Cererem & Liberam: quæ Libera non ab eo dicta eſt quod eſſet Liberi ſoror, ut exiſtimavit Lipſius: ſed Ceres & Libera, ad verbum eſt quod Græcis dicitur Δημήτηρ καὶ Κόρη: veteres enim Latini liberum pro filio dicebant. Hinc liberi pro filiis. Sed & liberum pro filio dixit Juſtinianus in Inſtitutis, plurimique Latinorum ea voce ita uſi ſunt, ut Aurelius Victor Scotti, aliique, ut nos alibi obſervamus. Inde etiam Liberi patris nomen, quod Cereris nempe filius eſſet: nam Jacchus Cereris filius, & frater Proſerpinæ. Unde *mammoſa Ceres ab Jaccho* Lucretio dicitur, quem verſum optimi & vetuſti poetæ nemo hactenus intellexit, ut nec illum veteris poetæ Græci Orphei apud Clementem Alexandrinum:

> —— παῖς δ᾽ ἦεν Ἴακχος,
> Χειρί τε μιν ῥιπτασκε γελῶν Βαυβοῦς ὑπὸ κόλποις.

quorum verborum mentem non vidit Arnobius, cum verſus illos Latine redderet, idque pluribus docuimus in noſtris ad Tertulliani Pallium commentariis. *Liber* igitur & *Libera* ſunt filii Cereris, quos Græci Κοῦρον & Κόρην dixerunt. Sic enim alicubi legi: Δημήτηρ καὶ Κοῦρος καὶ Κόρη. Frequentius tamen occurrit: Δημήτηρ καὶ Κόρη καὶ Ἴακχος: ſed & Ἴακχος & Βάκχος idem plane quod Κόρος ſignificat. Κόρος enim præter illam ſignificationem qua pro puero ſumitur, deſignat etiam tenerum ramum, ex quo corona plectitur, aut πλέγμα μυρτίνης καὶ πᾶν νέον βλάστημα. Idem plane ſignificat vox βάκχου & ἰάκχου apud Græcos. Heſychius: βάκχος κλάδος ὁ ἐν ταῖς τελεταῖς· & βακχᾶν ἐστεφανῶσθαι κισσῷ. Auctor magni Etymologici βάκχον τὸν ἐν τελεταῖς στέφανον exponit: apud eum autem corrigendum, καὶ κλάδος ὁ ἐν ταῖς τελεταῖς ἢ στέφανος: vulgo κλαύδιος excuſum eſt perperam: ſic ἴακχον στεφάνωμα apud Sicyonios ſignificare notat Heſychius. Ut igitur a voce κόρος quæ pro tenello ramo accipitur, κόρον etiam pro puero uſurparunt: ſic Ἴακχος puer Cereris dictus eſt, quem & Κόρον dicebant, ut alibi oſtendemus, ſicut & ejus ſororem Κόρην. Hi enim tres ſæpe conjunctim ponuntur, Δημήτηρ καὶ Κόρη καὶ Ἴακχος. Vide Artemidorum lib. II. cap. XXXV. & XLIV. Apud Tacitum lib. II. Annal. *Ædes Libero Liberæque & Cereri juxta Circum Maximum, quas Aulus Poſtumius dictator voverat:* & in vetuſto lapide, DEO BACCHO, CERERI ET CORÆ. Sciendum vero eſt quam alii Κόραν appellant, cum dicunt, Δημήτηρ καὶ Κόρη, Pauſaniam eam παῖδα appellare, non uno loco, Δημήτηρ καὶ ἡ παῖς: quod ad verbum eſt, *Ceres & Libera*: in Atticis: ἔστι δὲ ἱερὸν ἐν ᾧ κεῖται Δήμητρος καὶ τῆς παιδὸς ἀγάλματα· & alibi paſſim.

ΤΗϹΙ ΠΕΡ ΙΕΡΟΝ ΕΙΔΟϹ, &c. ΑΓΚΕΙΤΑΙ) Cereri & Liberæ ſtatua Regillæ dedicatur. Mos enim hic apud antiquos, cum ſtatuam alicui ponendam curarent, eam alicui numini dedicare: & hunc morem jampridem obſervarunt viri docti. Mithridates Perſa cum ſtatuam Platonis dedica-

ret, hanc inſcriptionem poſuit, Μιθριδάτης ὁ Ροδοβάτε Πέρσης Μούσαις εἰκόνα ἀνέθηκε Πλάτωνος ἣν Σιλανίων ἐποίησε. Noti etiam illi verſus Theocriti:

> Αἴθε μοι ἦσαν ὅσα Κροῖσον πόκα φαντὶ πεπᾶσθαι,
> Χρύσεοι ἀμφότεροι κ' ἀνακείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ.

Videndus Lipſius ad Taciti Annales.

ΑΥΤΗ ΔΕ ΜΕΘΗΡΩΝΗϹΙ ΝΕΝΑϹΤΑΙ) Diſtingue & lege:

> —— μεθ' ἡρώνησι νένασται.

ἡρῶναι pro ἡρωίναι Atticum eſt: ſic infra:

> Οὐδέ μιν ἡρώνησι παλαιῇσιν μεδέουσα.

quod ſimiliter ibi corruptum eſt. Ariſtophanes in Nubibus:

Αἱ φθεγξάμεναι τοῦτο τὸ σεμνὸν μῶν ἡρῶναι τίνες εἰσίν; ubi interpres: Ἀττικὴ ἡ σύνταξις τὸ ἡρῶναι, ὡς ἡ θεοὶ ἡ θεαί. καὶ ἦν τὸ ἀρχαῖον καὶ συνήθες αὐτῷ ἐνθάδε τρισυλλάβως προήνεγκε τὸ ἡρῶναι.

ΔΗΩ ΤΕ ΝΕΗ ΔΗΩ ΤΕ ΠΑΛΑΙΗ) Vetus Scholiaſtes Euripidis in Phœniſſis ad illud, Διώνυμοι θεαὶ Διώνυμοι δὲ παρόσον ἡ μὲν Κόρη καὶ Περσεφόνη, ἡ δὲ Δημήτηρ καὶ γῆ καλεῖται. ἡ μὲν πρεσβυτέρα, ἡ δὲ νεωτέρα: quæ noſtram interpretationem confirmant. Miratur autem doctiſſimus enarrator Taciti filiam matri præponi loco a nobis ſupra citato, *Libero & Liberæ & Cereri*: & ordinem hunc irreligioſum vocat. Sed ſcriptores hoc non obſervant. Euripides Phœniſſis priorem nominat Proſerpinam: αἱ διώνυμοι θεαὶ, Περσέφασσα καὶ φίλα Δαμάτηρ, &c. & quamvis frequentius dicant, Δημήτηρ καὶ Κόρη, ſæpe tamen etiam dicunt: Κόρη τε καὶ Δημήτηρ. Pauſanias Atticis: προσπαλτίοις ἔτι καὶ τούτοις Κόρης καὶ Δήμητρος ἱερόν.

ΕΝ ΜΑΚΑΡΩΝ ΝΗϹΟΙϹΙΝ ΙΝΑ ΚΡΟΝΟϹ ΕΜΒΑϹΙΛΕΥΕΙ) Saturnum in beatis inſulis regnare heic facit: quod neſcio an alibi temere reperias. Veteres Saturnum ἐν τοῖς χθονίοις θεοῖς ponebant. Plutarchus in quæſtionibus Romanis: ἢ ὅτι τοῖς οὐρανίοις ἐπικαλύπτονται, τὸν δὲ Κρόνον ἡγοῦνται θεὸν ὑπουδαῖον καὶ χθόνιον. Idem alio loco: ἢ Κρόνῳ μὲν ἔτος ὁ μὴν ὑπὸ Ῥωμαίων καθιέρωται, Κρόνον δὲ τῶν κάτω θεῶν οὐ τῶν ἄνω νομίζουσι. Elyſii autem campi ſunt κάτω, ſed hic auctor beatas inſulas in Oceano collocat, ut & alii multi ſcriptores. Saturnum etiam multi non ἐν τοῖς χθονίοις & inferis Diis recenſent, ſed ἐν τοῖς πέριξ. Artemidorus lib. II. cap. XLIV. περὶ χθονίων θεῶν καὶ τῶν πέριξ, Saturnum & Oceanum & Tethyn ἐν τοῖς πέριξ non ἐν τοῖς χθονίοις numerat. & c. XXXV. ejuſdem l. αὐτὸν δὲ τὸν Ἄρη, πῆ μὲν ἐν τοῖς ἐπιγείοις, πῆ δὲ ἐν τοῖς χθονίοις, κατατακτέον· οἱ δὲ πέριξ τούτων Ὠκεανὸς καὶ Τηθὺς καὶ Κρόνος καὶ ὅλων φύσις, &c. Nec dubium hac ratione Saturnum ἐν τοῖς πέριξ ab Artemidoro poni, quod beatis inſulis, quæ in Oceano ſunt, præeſſe crederetur. Nam Græcis ὁ πέριξ Ὠκεανὸς dicitur quod terram ambiat. Non mirum autem eum Beatorum inſulis præfici, qui cum apud ſuperos regnaret, aurei ſæculi conditor, καὶ πάσης εὐδαιμονίας προστάτης fuiſſe creditus eſt.

ΧΗΡΗ ΠΕΡΙΧΕΙΜΕΝΟΝ ΕΥΝΗ) Lege, χήρη περικείμενον εὐνῇ.

ΑΡΠΥΙΑΙ ΚΛΩΘΩ ΕϹΑΝΗΡΕΙΨΑΝΤΟ ΜΕΛΑΙΝΑΙ) Vel cæco apparet ſcribendum eſſe:

> Ἅρπυιαι κλωθῶες ἀνηρείψαντο μέλαιναι.

per ἁρπυίας κλωθῶας intelligit Parcas. Nam apud veteres qui ſubita morte extincti eſſent, ac inter homines apparere deſiſſent, ab Harpyis rapti credebantur. Homerus Odyſſ. α.

> Νῦν δέ μιν ἀκλειῶς ἅρπυιαι ἀνηρείψαντο.
> Ὤχετ' ἄϊστος ἄπυστος, ἐμοὶ δ' ὀδύνας τε γόους τε
> Κάλλιπεν,

Hic vero ἁρπυίας κλωθῶας Parcas vocat. Κλωθὼ una ex Parcis. Sed & ſic omnes dictæ. Heſychius: κλωθῶες αἱ μοῖραι: vulgo κλῶθες excuſum eſt, perperam. Fortaſſe tamen nihil mutandum: nam κατακλῶθες Parcæ Homero dicuntur: κλῶθες igitur & κατακλῶθες eædem. Odyſſ. H.

> Πείσεται ἅσσα οἱ αἶσα κατακλῶθές τε βαρεῖαι
> Γεινομένῳ νήσαντο λίνῳ.

Et fortaſſe κατὰ κλῶθες βαρεῖαι ſcriptum apud Homerum pro κλῶθες καταβαρεῖαι. ſic ἐπιχλωρηίδα νώτῳ· ἐπιζαμενὴς κοτέουσα, & ſimilia. Grammatici ad illum verſum: τὸ δὲ κλῶθες ἡ κατακλῶθες μεταπλασμὸν ἔπαθεν ἐκ τοῦ αἱ Κλωθοί, οὗ εὐθεῖα ἡ Κλωθώ· δηλοῖ δὲ τὰς μοίρας παρονομασθείσας ἀπὸ μιᾶς αὐτῶν τῆς Κλωθοῦς.

ΗΜΙϹΕΑϹ ΠΛΕΟΝΩΝ) Senſus eſt, ex pluribus liberis quos habebat Herodes, dimidiam partem ipſi rapuiſſe Parcas, ac duos tantum relictos: ſic quattuor liberos habuiſſe videtur Herodes. Philoſtratus tamen tres tantum nominat, duas filias & natum unicum: & filias quidem ambas amiſiſſe, filium autem ſuperſtitem reliquiſſe ſcribit. Sed cui potius credemus? Marcelle tibi, vel quiſquis alius hujus inſcriptionis auctor. Ex natis duabus priorem Panathenaidem deceſſiſſe memorat idem Philoſtratus: quam & in urbe ſepelierunt Athenienſes, & diem, in qua obiit, ex numero dierum decreto ſuſtulerunt, ad patris luctum levandum. Sic igitur hanc litem componemus. Certum eſt Regillam prægnantem & partui vicinam deceſſiſſe. Fœtum igitur quem in utero gerebat, quique cum ipſa periit, inter liberos qui Herodi erepti ſunt recenſet hic auctor. Oportet nondum mortua Elpinice altera ex Herodis filiabus, poſitam & dedicatam hanc ſtatuam fuiſſe: atque ita duos Herodi relictos liberos intelligit, Elpinicen illam & Atticum filium. Philoſtratus de morte Regillæ ſic ſcriptum reliquit: κύειν μὲν αὐτῷ τὴν γυναῖκα Ῥηγίλλαν ὄγδοόν που μῆνα. τὸν δ' Ἡρώδην οὐχ ὑπὲρ μεγάλων Ἀλκιμέδοντι τῷ οἰκέτῃ προστάξαι τυπτῆσαι αὐτήν. πληγεῖσαν δὲ εἰς τὴν γαστέρα τὴν γυναῖκα ἀποθανεῖν ἐν ὠμῷ τῷ τόκῳ. ita ſcriptum legi in Epitome manu exarata: vulgo editum eſt: Ἀλκιμέδοντι τῷ ἀπελευθέρῳ. Certum tamen eſt hunc Alcimedontem fuiſſe Herodis libertum: ſed fortaſſe ſervus adhuc erat, cum obiit Regilla.

ΔΟΙΩ ΔΕ ΤΙ ΠΑΙΔΕ ΛΙΠΕϹΘΗΝ) Scribendum:

> —— δοιὼ δ' ἔτι παῖδε λιπέσθην.

ΝΗΠΙΑΧΩ ΑΓΝΩ ΤΕ ΚΑΚΩΝ) Scribe, & diſtingue.

> Νηπιάχω, ἀγνῶτε κακῶν, ἔτι πάμπαν ἀπύστω.

ΟΙΗΝ ϹΦΙΝ ΝΗΔΗϹ) Non dubium mihi eſt, lapidem ſcriptum habere, νηλής.

> Οἵην σφιν νηλὴς κατὰ μητέρα πότμος ἔμορψε.

νηλέϊ πότμῳ, νηλέϊ δεσμῷ, ſæpius apud poetas occurrit: at νηδὴς nihil eſt.

ΠΡΙΝΠΕΡ ΓΗΡΑΙΗCΙ ΜΙΓΗΜΕΝΑΙ ΗΛΑΚΑΤΗCΙ) Eleganter *γηραιαῖς ἠλακάταις μιγῆναι* de iis qui ad ſenectutem perveniunt. Simili plane locutione Martialis *breves colos* dixit, de vita brevi ac non diuturna.

> *Latonæ venerande nepos, qui mitibus herbis*
> *Parcarum exoras penſa, breveſque colos.*

Animadverſione autem dignum, *ἠλακάταις* heic ab auctore dici, non *ἠλακάτην*, quamvis de unius vita fatoque agatur, ut a Martiale colos, non colum:

> *Non tulit invidiam nigri regnator Averni,*
> *Et raptas fatis reddidit ipſe colos.*

Licet enim plerique veterum uni ex Parcis quæ Clotho dicebatur, hoc nendi officium, & fatalia fila ducendi tribuerint, alios tamen non paucos, ſingulis Parcis ſuam colum adſignaſſe, iiſque tribus ſimul vitam uniuſcujuſque volvendam dediſſe, certum eſt. Hinc *κλωθῶας* Græcis dictas Parcas ſupra notabamus, quas Latini poetæ *lanificas ſorores* appellant. Ovidius duas nominat Clotho & Lacheſin:

> *At Clotho Lacheſiſque dolent ſua fila reneri,*
> *Et fieri regni jura minora ſui.*

quos verſus ideo attulimus, ut inſigni mendo eos liberaremus: nam vulgo legitur, *ſua fila teneri*. *Reneri*, *ἀνακλώθεσθαι*· dolent enim reneri quod ſemel neverunt. Idem mendum irrepſit in Epiſtolam Albinovani ad Liviam:

> *Sed rigidum jus eſt, & inevitabile mortis:*
> *Stant rata, non ulla fila tenenda manu.*

Omnino legendum, *fila renenda*. Sic Græci *ἀνακλωθῆναι*. Juſtinus Martyr: *ἔτι δὲ εἰ καθὼς φασὶν Ἕλληνες τὰ ὑπὸ τῶν μοιρῶν ἐπικλωθόμενα, ἀδύνατον ἐστὶν ἀνακλωθῆναι*· *quæ a Parcis neta ſunt, non poſſe reneri*. Sic Pernere apud Martialem:

> *Cum mihi ſupremos Lacheſis perneverit annos.*

ſed hæc obiter dicta ſint.

ΟΔΥΡΟΜΕΝΩ ΑΚΟΡΗΤΟΝ) Inconſolabilem, inſatiabilemque luctum quo mortem Regillæ proſequutus eſt Herodes, multis deſcribit Philoſtratus in ejus vita: non defuere tamen qui fictum illum luctum eſſe contenderent, & ad elevandam ſuſpicionem criminis, quod ei objiciebatur, occiſæ ab ipſo Regillæ, vel ipſius juſſu, cum levi de cauſa ab ejus liberto Alcimedonte pulſata eſſet, & ex eo ictu abortum feciſſet, interiiſſetque, prægnans enim tunc erat. Et hoc nomine reus actus eſt Herodes a Brauda Regillæ fratre, & abſolutus. Falſum crimen fuiſſe conatur adſtruere Philoſtratus hujus *ἀκορήτου* luctus argumento, & aliis multis præterea quæ ipſius verbis afferre non pigebit, ut ea locis aliquot emendem: *ξυνήρατο δὲ αὐτῷ τῆς ἀπολογίας τὸ μηδὲν προσάξαι τοιοῦτον ἐπὶ τὴν Ρηγίλλαν· ἔπειτα τὸ ὑπερπενθῆσαι ἀποθανοῦσαν· διεβάλλετο μὲν γὰρ καὶ ταῦτα ὡς πλάσματα· ἀλλ᾽ ὅμως τἀληθὲς ἴσχυεν· οὐ γὰρ ποτε οὔτ᾽ ἂν θέατρον ἀναθεῖναι αὐτῇ τοιοῦτον, οὔτ᾽ αὖ δευτέραν κλήρωσιν τῆς ὑπάτου ἀρχῆς ἐν αὐτῇ ἀναβάλλεσθαι μὴ καθαρῶς ἔχοντα τῆς αἰτίας, οὔτ᾽ ἂν τὸν κόσμον αὐτῆς εἰς τὸ ἐν Ἐλευσῖνι ἱερὸν ἀναθεῖναι φέροντα, φόνῳ μεμιασμένον*. pro *ἐν αὐτῇ ἀναβάλλεσθαι*, docti viri reponunt, *ἐπ᾽ αὐτῇ*, ſed fruſtra ſunt: *ἐν σοὶ ἐστὶ* Græci dicunt, pro in te eſt, per te ſtat, ex te pendet. Dicit igitur Herodem *ἐν Ρηγίλλῃ ἀναβάλλεσθαι τὴν ὕπατον ἀρχὴν*, qui ejus cauſa conſulatum rejecit. Cum enim ſecundum conſul fieri poſſet, noluit, & hoc conjugis manibus tribuit, quod eam ſcilicet lugeret. Sequitur & illud memorabile apud eundem Philoſtratum de hoc Herodis luctu. Totam nempe domus faciem mutaviſſe, & picturas parietum velis nigris induxiſſe: quod nunc quidem maxime in uſu eſt, an uſitatum olim fuerit neſcio, immo non fuiſſe puto vel ex hoc Philoſtrati loco, qui tanquam rem novam in Herode hoc miratur: *ὁ δὲ καὶ τὸ σχῆμα τῆς οἰκίας ἐπ᾽ αὐτῇ ὑπήλλαξε, μελαίνων τὰ τῶν οἴκων ἄνθη παραπετάσμασι καὶ χρώμασι, καὶ λίθῳ Λεσβίῳ· κατηφὴς δὲ ὁ λίθος καὶ μέλας*: ubi perperam interpres *τὰ τῶν οἴκων ἄνθη*, ædium florem vertit: debuit enim, *œcorum picturas*. *οἶκοι* ſunt membra ædium: *οἶκοι* enim plures *ἐν οἰκίᾳ*. Vitruvius *œcos* Latine reddidit.

ΚΑΙ ΒΑCΙΛΕΥC) Marcus Antoninus Philoſophus.

ΖΕΥC ΜΕΝ ΕC ΩΚΕΑΝΟΝ) Ad inſulas fortunatas, quæ in Oceano a veteribus poſitæ. Horatius:

> *Nos manet Oceanus circumvagus: arva, beata*
> *Petamus arva, divites & inſulas.*

Philoſtratus: *φασὶ δὲ καὶ τὰς μακάρων νήσους ὁρίζεσθαι τῷ Λιβυκῷ τέρματι πρὸς τὸ ἀοίκητον ἀνεχούσας ἀκρωτήριον*. Nihil notius.

ΤΩ ΔΕ ΖΕΥC ΕΠΙΗΡΟΝ) Apud Homerum & antiquiores poetas, nuſquam reperitur *ἐπίηρον* hoc ſenſu, ſed *ἐπίηρα*, ut, *μητρὶ φίλῃ ἐπίηρα φέρωι*: quam vocem veteres Grammatici *συγκεκόφθαι* volunt ἀπὸ τοῦ *ἐπίηρανον*. Sed nugari ſolemne eſt Grammaticis. *ἦρ ἦρος* vetus verbum eſt quod gratiam ſignificat & auxilium, vel beneficium: unde *ἦρα φέρειν*, *ἦρα τίνειν*, gratiam reddere, & *ἦρ ἀρδίων*, gratia ſagittarum apud Doſiadam in ara. Illud autem *ἦρα*, unde *συγκεκόφθαι* dicent belli grammatici? *ἦρα φέρειν* igitur, & *ἦρα ἐπιφέρειν* eſt gratificari. Pro quo Homerus *ἐπίηρα φέρειν* verſu exigente ſæpe poſuit. Nam *ἐπίηρα φέρειν* poſitum pro *ἦρα ἐπιφέρειν*: ut *ἐπιχλωρηίδα νώτῳ* apud Nicandrum, pro *ἐπὶ νώτῳ χλωρηίδα*· & *ἐπιζαμενὲς κοτέουσα*, pro *ζαμενὲς ἐπικοτέουσα*, & alia ſexcenta, de quibus nos alibi. Idem Homerus in Odyſſ. cum dicit,

> —— *καὶ ἐφ᾽ ἡμῖν ἦρα φέρουσα.*

ſatis oſtendit *ἐπίηρα φέρειν*, eſſe *ἦρα ἐπιφέρειν*. Ex illo autem *ἐπίηρα* recentiores *ἐπίηρον* fecerunt: ut hoc loco, *τῷ δὲ Ζεὺς ἐπίηρον*, ubi fortaſſe ſubintelligendum, *διδοὺς* aut *φέρων*: niſi quis malit legere, *τῷ δὲ Ζεὺς ἐπίηρος*. *ἐπίηρον* Grammatici exponunt *βοηθὸν καὶ ἐπιχάριτον*: ſed nihil neceſſe. Senſus autem hujus loci hic eſt: In gratiam & ſolatium Herodis, nec modum nec finem lugendi facientis, Juppiter uxorem ejus ad Oceanum miſit & inſulas fortunatas: imperator vero M. Antoninus ejus filium Senatorem fecit.

ΑΥΤΑ Ο ΑCΤΕΡΟΕΝΤΑ ΠΕΡΙCΦΥΡΑ) Scribendum ac diſtinguendum puto:

> *Αὐτὰρ ὁ ἀστερόεντα περὶ σφυρὰ παιδὶ πέδιλα*
> *Δῶκεν ἔχειν.*

ἀστερόεντα πέδιλα vocat calceos lunatos, quibus adſuta erat lunula: quod patriciorum erat inſigne *σεληνίδας* Græci vocant, de quibus videndus Plutarchus in quæſtionibus Romanicis: Philoſtratus in vita Herodis, *ἐπισφύρια μηνοειδῆ*. Sic auctor *ἀστερόεντα πέδιλα* vocat. Johannes Gazenſis in libro *περὶ ἀρχαιολογίας* nondum edito, *καππάγια*

calceos

calceos Senatorum Romanorum fuiſſe appellatos ſcribit, quod formam litteræ *Κάππα* adſutam haberent. Sed *κάππα Ρωμαϊκὸν* vocat, & C intelligit, quæ Lunæ figuram exhibet. Verba ejus hæc ſunt: *Νουμᾶς βασιλεὺς ἐν τοῖς ὑποδήμασι Ρωμαίων τῶν πατρικίων τυποῦσθαι τὸ Ρωμαϊκὸν κάππα, ὃ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ἐστὶ ῥῶ, οἱ διὰ τὸ τῶν κοινῶν ἐπιμελεῖσθαι πατέρων ἔχον ἐπωνυμίαν· ἐφόρουν οἱ πατρίκιοι τὰ καππάγια, ὡς οὐκ ἐξὸν ἄλλως ὁρᾶσθαι τῷ βασιλεῖ.* Quæ omnia falſa ſunt & inepta: non enim *καππάγια* dicta quod *κάππα* adſutum haberent, nec *κάππα Ρωμαϊκὸν*, eſt C. *καππάγια* autem vocat quæ alii *καμπάγια*, Latini campagos: de quibus nos multa in noſtris ad Hiſtoriam Auguſtam Commentariis. Deinde quid illud eſt quod idem dicit, *τὸ Ρωμαϊκὸν κάππα ὅπερ ἐστὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησιν ῥῶ?* Quis enim C vel cappa Romanum, ut vocat, dixit eſſe Græcum *ῥῶ?* aut quænam fingi poteſt utriuſque litteræ affinitas & ſimilitudo? Sed videor intelligere quid velit. C. apud Romanos centenarii numeri nota eſt, ut *ῥῶ* apud Græcos. Fuere autem qui putarent ſemicirculum illum qui aſſuebatur calceis Patriciorum, non lunulam referre, ſed notam centenarii numeri, quod initio tot Senatores fuerint. Iſidorus: *Patricios calceos Romulus reperit quattuor corrigiarum, aſſutaque Luna. His ſoli patricii utebantur. Luna autem in eis non ſideris formam, ſed notam centenarii numeri ſignificabat, quod initio patricii Senatores centum fuerint.* *Ἀστερόεντα πέδιλα*: heic vocantur, quibus ſideris forma, ut loquitur Iſidorus, hoc eſt Lunæ erat adnexa. Sed hæc pluribus ad Spartianum.

ΤΑ ΛΕΓΟΥΣΙ ΚΑΙ ΕΡΜΑΩΝΑ ΦΟΡΗΝΑΙ) Docet unde mos ille apud Romanos originem ceperit, Lunam adfigendi patriciorum calceis. Sed hiſtoria quæ heic narratur, & ratio quam hujus conſuetudinis reddit, apud nullum alium auctorem, eorum qui hodie extant, occurrit. Nam Plutarchus alias cauſas adfert, in capitulis Romanicis. Unde fabulam hanc hauſerit auctor, neſcio: apparet tamen ex iis eam habere qui *αἴτια* ſcripſerunt: quorum præcipui memorantur, inter Græcos Callimachus, inter Latinos Varro. Verum ut ſcias doctiſſimum poetarum non prorſus ignoraviſſe hiſtoriam quæ hic tangitur, II. Æneid. refert ſtellam cælo delapſam, viaſque ſignantem præluxiſſe Æneæ, & Idæa ſylva ſe condidiſſe, eaque duce Æneam & ſocios ſalvos ad eum locum perveniſſe, quem petebant. Sic autem ille:

> —— *de cælo lapſa per umbras*
> *Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.*
> *Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti*
> *Cernimus Idæa claram ſe condere ſylva*, &c.

Sanctum ſidus paulo poſt vocat:

> *Heic vero victus genitor ſe tollit ad auras,*
> *Affaturque Deos, & ſanctum ſidus adorat.*

Heic vero non ſtella, ſed Mercurio duce, qui ſtellam in modum Lunæ talaribus infixam habebat, Æneam Idam petiiſſe, & in tutum ſe recepiſſe ſcribit: & in ejus rei memoriam Æneadas ſtellæ illius vel Lunæ figuram calceis ſuis adſuiſſe: quod poſtea nobilitatis inſigne fuit Romanis. Quintus autem Smyrnæus, non ſtellam nec Mercurium ſtelligera habentem talaria, ſed Venerem ipſam ducem Æneæ fuiſſe tradit, cum Trojæ incendium fugeret: lib. XVI.

> ——*Κύπρις δ᾽ ὁδὸν ἡγεμόνευεν,*
> *Υἱωνὸν καὶ παῖδα καὶ ἀνέρα πήματος αἰνοῦ*
> *Πρόφρων ῥυομένη.* ——

ΑΙΝΕΙΑΝ ΠΟΛΕΜΟΥ ΕΞΗΓΕΝ ΑΧΑΙΩΝ) Sic Quintus Smyrnæus:

> —— *οὐλομένης ἠδὲ φοβούμενον ἔργα μόθοιο*
> *Ἐξῆγεν πολέμοιο δυσηχέος.* ——

CΕΛ..... ΚΥΚΛΟ...) Lacunam hanc facili, ſed vera conjectura ſic replemus:

> —— *σεληναίης κύκλος αὐγῆς.*

vel *αἴγλης*, quod magis probo. Apollonius lib. III. Argon.

> *Ὡς δὲ σεληναίην διχομήνιδα παρθένος αἴγλην.*

Hunc circulum vel lunulam calceis Romanorum adnecti ſolitam *uncinum* etiam vocari paulo poſt dicimus: unde *uncinati calcei* Catoni, qui aliis lunati. Sic aprorum ora lunata vocavit Statius, ab illo dente adunco vel uncinato, qui in ipſorum roſtro prominet, lib. XI.

> *Fulmineos veluti præceps cum comminus egit*
> *Ira ſues, ſtrictiſque erexit pectora ſetis,*
> *Igne tremunt oculi, lunataque dentibus uncis*
> *Ora ſonant.*

Sic dentem apri *lunulam* vocat Calpurnius Ecloga VI.

> —— *ubi pendulus apri*
> *Dens ſedet, & nivea diſtinguit pectora luna.*

Martialis vitam ruſticam eo nomine maxime commendat, quod eam agitantibus,

> *Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.*

Sic Tertullianus in Pallio inter maxima urbanæ ac forenſis vitæ impedimenta, togam poſuit, & uncos calceos: illos tamen uncos calceos, ut & uncinatos Catonis, olim pro repandis accipiebamus: cujus ſententiæ me nondum pœnitet, tales autem fuiſſe veterum calceos, in fronte prima ſcilicet acuminatos, & quaſi uncinatos, multis docuimus ad illum Tertulliani locum, ubi hæc diligenter excuſſimus, & de lunatis etiam accipi poſſe demonſtravimus.

ΤΟΝΔΕ ΚΑΙ ΑΙΝΕΑΔΑΙ) *τόνδε*, ſcilicet *κύκλον*, hunc circulum calceo adſui curaverunt Æneadæ. Diximus ſupra, & omnes ſciunt hunc circulum Græcis *σεληνίδα*, Latinis Lunam aut lunulam appellari: ſed pauci norunt, uncinum etiam appellatum, atque inde uncinatos calceos Catoni dictos apud Feſtum: *Qui magiſtratum curulem cepiſſet, calceos mulleos, alii uncinatos, ceteri perones.* Ita enim legendum: nam in illis verbis qua explicandis qua corrigendis varie laborarunt viri docti, & omnes quidem fruſtra. Qui magiſtratum curulem ceperant, aut qui triumphabant, mulleis, id eſt rubris aut puniceis calceis utebantur, quos poſtea uſurparunt ſoli Imperatores cum reliquis triumphantium inſignibus: patricii autem & ſenatores qui magiſtratum curulem non cepiſſent, nigris, ſed uncinatis, hoc eſt lunatis. Nam calcei ſenatorum nigri. Juvenalis:

> —— *nigræ Lunam ſubtexit alutæ.*

Horatius:

> —— *nigris medium impediit crus*
> *Pellibus* ——

Uncinus autem recurvus, & ad semicirculi figuram factus: hinc hamus, & uncinus, & circulus, pro eodem. Nam hamatæ loricæ sunt ex ferreis circulis succusæ: & *uncinata corpuscula* Ciceroni, quæ Lucretio *hamata*, & Epicuro ἀγκιστροειδῆ: sed hæc pluribus in Tertullianii Pallio ad illum locum; *quem enim non expediat in algore rigere nudipedem quam in calceo uncipedem?* nam qui ad clavos quibus confixi erant calcei, referunt, vehementer errare ibidem docemus.

ΠΑΡΕΝΕΡΡΑΨΑΝΤΟ ΠΕΔΙΛΩ) παραῤῥάψασθαι vel παρενράψασθαι proprium ad hanc rem verbum. Latinis *adsuere*, sed & panni qui adsuuntur vestibus, Græce παραῤῥάμματα dicuntur. Herodotus lib. IIII. ἐν δὲ ταύτῃ ἐνύδριες ἁλίσκονται καὶ κάστορες, καὶ ἄλλα θηρία τετραγωνοπρόσωπα, τῶν τὰ δέρματα περὶ τὰς σισύρας παραῤῥάπτεται. Pessime ibi interpres, *quorum pelles ad rhenones faciendos consuuntur*; nec animadversum Stephano. Sic enim debuit: *quorum pelles sisuris & vestibus adsuuntur*: ad ornatum enim vestis, extimæ tantum oræ per circuitum adsuebantur ejusmodi pelles: non autem ex his totæ vestes conficiebantur. Id Græci παραράπτεσθαι, & παραράμματα limbi & fasciæ quæ adtexuntur caudis vestium. Hesychius: παραιρήματα, παραράμματα ἱματίων· quod verbum Thucydidis est: sic autem explicat Pollux: Θουκυδίδης δὲ ἐκ τῶν ἐσθήτων παραιρήματα τὰ πρὸς ταῖς ὤαις ἃς παραιρεῖσθαι φησὶν ὡς ἰσχυρὰς εἰς ἀγχόνην. Hinc liquet quid sint παραράμματα in vestibus.

.....ΑΥ......ΗΤΕΝΕCCI ΓΕΡΑΑ) Huic versui restituendo, supplendoque non magnam dedimus operam, sed bonam: quod illis solis ut negent permitto, qui aliter restitui potuisse ostendent, quam hoc modo;

> Τὸν δὲ καὶ Αἰνεάδαι παρενεῤῥάψαντο πεδίλῳ
> Σύμβολον Αὐσονίοισιν εὐγενέεσσι γεραιόν.

pediculos & apices litterarum, qui volet, rimetur, & si poterit, labem & vitium lapidis melius resarciat: nos contenti sumus hoc Catone. Philostratus in vita Herodis, σύμβολον εὐγενείας, hanc calceorum Lunam vocat: γράφεται αὐτὸν φόνου Βραδύας ὁ τῆς Ῥηγίλλης ἀδελφὸς ἐνδοτιμώτατος ὢν ἐν τοῖς ὑπάτοις καὶ τὸ σύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι; qui locus unice confirmat conjecturam vestram.

ΟΥ......ΟCCΗΤΑΙ ΚΕΚΡΟΠΙΔΗΝ ΠΕΡ ΕΟΝΤΑ) Verba ipsa auctoris non tam facile possumus hoc loco restituere quam in superiore versu: sententiam tamen æque bene. sic enim legimus:

> Ὡς μιν ἐκόσμησεν καὶ Κεκροπίδην περ ἐόντα
> Τυρσηνῶν ἀρχαῖον ἐπισφύριον γέρας ἀνδρῶν.

Verba hæc non ausim præstare ipsissima esse poetæ, de sententia minus dubitamus. Vult enim dicere, vetus hoc ornamentum & insigne nobilium Romanorum tributum fuisse Attico Herodis filio, quamvis non ex aliqua nobili & antiqua familia Romana originem duxisset, sed merus esset Cecropides. Et hoc quidem verum, quod ad patrem ipsius attinet: nam de matre Romanum fuisse, atque etiam nobilissimum constat.

ΘΥΡCΗΝΩΝ ΑΡΧΑΙΟΝ ΕΠΙCΦΥΡΙΟΝ ΤΕΡΑC ΑΝΔΡΩΝ) Corrige, Τυρσηνῶν pro Θυρσηνῶν, & γέρας pro τέρας. nam τέρας heic locum non habet. Τυῤῥηνοὺς autem heic pro Romanis vocat, quos supra Αὐσονίοις dixit. Eorum enim hoc ἐπισφύριον γέρας: aut certe alludit ad genus calceamenti quod Tuscum dicebatur, quo genere utebantur Romani Senatores. Virgil. de Evandro lib. VIII.

> *Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.*

Servius ad locum: *Tusca calciamenta, & dicit Crepidas, quas primo habuere Senatores, post equites, deinde milites. Alii calceos Senatorios intelligi volunt, quia hoc genus calceamenti a Tuscis sumptum est.* Pollux: Τυῤῥηνικά, τὸ κάττυμα ξύλινον, τετραδάκτυλον. οἱ δὲ ἱμάντες ἐπίχρυσοι. σανδάλιον γὰρ ἦν. ὑπέδησε δὲ αὐτὸ Φειδίας τῇ Ἀθηνᾷ· ἐκάλουν δὲ αὐτὰ Τυῤῥηνουργῆ: quod facit cum Servio, qui Tusca calciamenta, crepidas fuisse vult. Hesychius idem sentit: Τυῤῥηνικὰ σανδάλια, κάττυμά τι ὑψηλὸν οὕτω καλεῖται. De his accurate tractamus ad Historiam Augustam, & accuratissime in nostro de re vestiaria Commentario.

ΕΠΙCΦΥΡΙΟΝ ΓΕΡΑC) ἐπισφύριον quoque dicitur Philostrato: τὸ ξύμβολον τῆς εὐγενείας περιηρτημένος τῷ ὑποδήματι· τοῦτο δὲ ἐστὶν ἐπισφύριον ἐλεφάντινον μηνοειδές: ex quo id etiam discimus eboreas fuisse istas lunulas: aliquando etiam & osseæ & æneæ fiebant, ut alibi ostendimus. Suaviter autem nugatur bonus Isidorus, qui cum legisset apud Græcum scriptorem mulleos calceos habere ἐπισφύρια ὀστέινα ἢ χαλκᾶ, ad quæ corrigiis religabantur, dixit eos habere in superiori parte malleolos & osseos, vel æneos: imposuit illi vox σφύριον quæ malleolum significat. Hinc putavit ἐπισφύριον esse malleolum in superiori parte mullei calcei. Mullei autem calcei non differebant forma a calceis senatoriis, sed colore tantum. Nam hi erant nigri, illi autem mullei coloris, hoc est rubri, quos soli triumphantes gerebant, vel qui magistratum curulem cepissent: hisque sua etiam erant ἐπισφύρια non minus, quam nigris: quæ ἐπισφύρια jucundo errore malleolos vertit Isidorus: ἐπισφύριον apud Poetam est pars ocreæ.

> Κνημῖδ' ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας.

Vide Grammaticos: περισφύριον ornamentum etiam muliebre, ut periscelis.

ΕΡCΗC ΕΡΓΕΙΔΟΤΑ) Pessime descriptus hic locus: quod vitio lapidis imputare licet, vetustate, ut videtur, hac in parte exesi, nec integras literas exhibentis. Sic autem in eo fuisse scriptum liquido jurare possim:

> Ἕρσης ἐκγεγαῶτα καὶ Ἑρμέω ——

Atticum Herse & Mercurio prognatum ideo dicit, quod Herodes ejus pater, generis sui originem ad Cerycem referret, quem Mercurii & Herses filium fuisse vult hic auctor, ut ad sequentem versum dicturi sumus. Non Cerycem, sed Cephalum facit Mercurii & Herses filium Apollodorus lib. III. βιβλιοθ. quem vide.

ΕΙC ΕΤΕΟΝ ΔΗ) Una littera extrita lege,

> —— εἰ ἐτεὸν δὴ
> Κήρυξ Ἡρώδεω πρόγονος Θησηϊάδαο.

Sic apud Apollonium Argon. lib. IIII.

> —— εἰ ἐτεὸν δή.
> Ὑμετέρης γαίης Ἀχελώϊος ἐξανίησι.

& lib. II.

> Κλῦτε πανελλήνων προφερέστατοι, εἰ ἐτεὸν δὴ
> Οἴδ' ὑμεῖς.

Nec dubium eſt ita in lapide fuiſſe inciſum, & etiam nunc eſſe.

ΚΗΡΥΞ ΗΡΩΔΕΩ ΠΡΟΓΟΝΟϹ) *Κήρυκα* heic accipiebam Mercurium; nam *Κήρυξ θεῶν* poetis dicitur, ut in ovo Simmiæ: *ἐριβόας θεῶν ἔκιξε Κήρυξ*: unde & *Κηρύκειον* virga ejus: cum autem Atticum Herodis filium Mercurio, & Herſe progenitum ſuperiore verſu dixerit, Mercurium *πρόγονον* Herodis fuiſſe neceſſe eſt, qui Attico pater. Sed *Κήρυξ* Mercurius abſolute non dicitur, ſed *Κήρυξ θεῶν*. *Κήρυξ* igitur heic nomen proprium: unde *Κήρυκες* familia Athenis. Cerycem autem illum quidam Eumolpi filium, alii Aglauri & Mercurii eſſe volunt: Auctor vero hujus inſcriptionis, Mercurii & Herſes, quod probabilius eſt. Nam Mercurium cum Herſe concubuiſſe fabulæ ferunt, multum invidente Aglauro, & ut Mercurium excluderet ſatagente, & ob hoc in lapidem ab eodem mutata. Cephalum tamen non Cerycem Mercurii & Herſes ex illo concubitu filium tradit Apollodorus, ut ſupra notavimus, illum qui ab Aurora adamatus & raptus eſt, quem diverſum facit a Cephalo Procridis marito, Deionei filio. Poteſt tamen & fieri ut Cerycem & Cephalum ex Mercurio genuerit Herſe: ſed quodcunque fuerit, verum in fabulis qui quærunt, fruſtra quærunt. De hoc Ceryce ita Pauſanias in Atticis: *τελευτήσαντος δὲ Εὐμόλπου Κήρυξ νεώτερος λείπεται τῶν παίδων· ὃν αὐτοὶ Κήρυκες θυγατρὸς Κέκροπος Αγλαύρου καὶ Ερμοῦ παῖδα εἶναι λέγουσιν, ἀλλ' οὐκ Εὐμόλπου*. Hunc Cerycem Pollux quoque cum Pauſania Pandroſo & Mercurio genitum tradit, non Herſe & Mercurio. *Κήρυξ ὁ μὲν τις τῶν μυστικῶν ἀπὸ Κήρυκος τοῦ Ερμοῦ καὶ Πανδρόσου τῆς Κέκροπος*. Non igitur dubium Cerycem heic intelligi debere illum Mercurii & Herſes, ſive, ut alii, Aglauri filium. Hinc *Κήρυκες*, Athenis nobiliſſima & antiquiſſima familia: incertus auctor apud Suidam: *ἐπηράσαντο δὲ αὐτῷ Εὐμολπίδαι καὶ Κήρυκες·* &, *παρ' οὐδὲν θέμενος τὰ σεμνὰ Εὐμολπιδῶν καὶ Κηρύκων καὶ τῶν ἄλλων γενῶν ἱερῶν τε ὄντων καὶ θεοφιλῶν, ἐπίρρητον δὲ καὶ θήλειαν σοφίαν προελόμενος*. Ex illis Cerycibus ortum ſe ferebat Herodes ut ex hoc loco conſtat.

ΗΡΩΔΕΩ ΠΡΟΓΟΝΟϹ ΘΗϹΗΙΑΔΑΟ) Mirum eſt Philoſtratum Herodi dare generis auctores Æacidas, cum & Cecropiden & Theſiden eum faciat hic auctor: nulla autem, quod ſciam, affinitas vel cognatio Theſidis cum Æacidis. Theſides autem ideo Herodes, quod ut Theſeus ad Erechtheum & Cecropem genus ſuum referret, inde etiam originem duceret Herodes, de ſe ſi creditur ipſi. Plutarchus de Theſeo: *Θησέως τὸ μὲν πατρῷον γένος εἰς Ερεχθέα καὶ τοὺς πρώτους αὐτόχθονας ἀνήκει*. Nam Cecrops Erechthei filius: Cecropis Pandion: Pandionis Ægeus: Ægei Theſeus. Ex filia autem Cecropis Herſe & Mercurio Ceryx: a quo Ceryce Herodem originem traxiſſe vult auctor iſte. Sic Theſides Herodes. De Æacidis nullum in hac inſcriptione verbum, cui fidem haberi tutius eſt, quam Philoſtrato.

ΤΟΥΝΕΚΑ ΤΙΜΗΕΙϹ ΚΑΙ ΕΠΩΝΥΜΟϹ) *Τιμήεις* ad Senatoriam Attici dignitatem pertinet, qua ab imperatore donatus eſt: *ἐπώνυμος* autem ad ipſius nomen pertinet: *ἐπώνυμοι* enim, ut mediocriter eruditi ſciunt, Græcis dicuntur, qui nomine ſuo digni ſunt, quos Latini eleganter vocant, *nominis ſui viros*: ut apud Spartianum: *Severus, vir ſui nominis*: & apud Vopiſcum: *Probus ſui nominis vir*. Græce *ἐπώνυμος* & *φερώνυμος*. Sophocles:

> *Πενθεὺς ἐσομένης συμφορᾶς ἐπώνυμος.*

Huic autem Herodis filio, Attico nomen fuit: hinc *ἐπώνυμον* eum dicit quod linguam *ἀκριβῶς* *Αττικίζουσαν* haberet, & ſuo nomine dignus videretur, eaque de cauſa *Ηρώδου γλῶττα* vulgo vocabatur Athenis, qui Herodes inter Atticos Atticiſſimus fuit. Philoſtratus in vita Ariſtoclis: *ἡ δὲ ἰδέα τοῦ λόγου, διαυγὴς μὲν καὶ Αττικίζουσα, διαλέγεσθαι δὲ ἐπιτηδεία μᾶλλον ἢ ἀγωνίζεσθαι· χολὴ γὰρ ἄπεστι τοῦ λόγου, καὶ ὁρμαὶ πρὸς βραχύ. αὐτὴ δὲ ἡ Αττίκισις εἰ παρὰ τὴν Ηρώδου γλῶσσαν βασανίζοιτο, λεπτολογεῖσθαι μᾶλλον δόξει, ἢ κρότου τε καὶ ἠχοῦς ξυγκεῖσθαι*.

ΗΜΕΝ ΑΝΑϹϹΑ ΕΙϹ ΒΟΧΛΗΝ ΑΓΕΡΕϹΘΑΙ) Putabam omnino verſum deſiderari, poſt hunc, *ἣ μὲν ἄνασσα*, cujus hic eſſet ſenſus, reginam Fauſtinam impetraſſe huic Attico Senatoriam dignitatem a Marco imperatore. Nam *ἄνασσα* iſto loco non aliud mihi ſuadebat: ſed re diligentius conſiderata, nihil deeſſe comperi. Una tantum littera addita legendum, *ἣ μὲν ἄνασσαν Εἰς βουλὴν ἀγέρεσθαι*: quæ indubitata lectio eſt. Sic igitur totus locus eſt concinnandus.

> *Τοὔνεκα τιμήεις καὶ ἐπώνυμος, ἣ μὲν ἄνασσαν*
> *Εἰς βουλὴν ἀγέρεσθαι ἵνα πρωτόθρονες ἕδραι.*
> *Ελλάδι δ' οὔτε γένος προφερέστερος, οὔτ' ἔτι φωνήν.*

Sententia autem hoc ordine ita procedit: *τοὔνεκα τιμήεις ἣ μὲν εἰς ἄνασσαν βουλὴν ἀγέρεσθαι· ἐπώνυμος δὲ ὅτι βασιλεύτερος τὴν γλῶσσαν οὐκ ἄλλος τις ἐν Ελλάδι*. Similem ſententiæ ordinem nuper obſervabam apud elegantiſſimum auctorem, Florum lib. II. cap. XII. *Multo vehementius ſub hoc Macedones quam ſub patre conſurgunt: Quippe Thracas in vires ſuas traxerant, atque ita induſtria Macedonum, viribus Thracum, ferociam Thracum, diſciplinam Macedonicam temperaverunt*: ita ſcriptum exhibent optimæ D. Nazarii membranæ. quod ſic procedit: *atque ita induſtria Macedonum ferociam Thracum, viribus Thracum diſciplinam Macedonicam temperaverunt*. Tertium autem colum primo reſpondet, quartum ſecundo. Ad eumdem plane modum hujus loci ſententia ordinata eſt: nam *εἰς βουλὴν ἀγέρεσθαι* reſpondet voci *τιμήεις*: *Ελλάδι δ' οὔτε γένος προφερέστερος*, ad verbum *ἐπώνυμος*, refertur.

Η ΜΕΝ ΑΝΑϹϹΑ) Luce clarius litteram N. deeſſe hujus vocis fini, quam fragmine lapidis deciſo periiſſe ſuſpicor, vel vetuſtate abolitam & exeſam. E contrario quartus ab iſto verſus duabus litteris habet amplius quam ſat eſt in fine: nam *Αθηναίων* pro *Αθήνῃσι* perperam ſcribitur. *Ανασσαν* autem *βουλὴν* vocat, Senatum Romanum. Martialis eodem ſenſu dominum Senatum appellat, l. XIV.

> *Syntheſibus dum gaudet eques, dominuſque Senatus.*

Probus apud Vopiſcum Senatores mundi principes vocat in oratione ad Senatum his verbis: *Recte atque ordine P. C. proximo ſuperiore anno factum eſt ut veſtra clementia orbi terrarum principem daret, & quidem de vobis qui & eſtis mundi principes, & ſemper fuiſtis & in veſtris poſteris eritis*. Ex his igitur clarum eſt *ἄνασσαν βουλὴν* heic Senatum intelligi.

ΕΙϹ ΒΟΥΛΗΝ ΑΓΕΡΕϹΘΑΙ) Sic *εἰς βουλὴν ἀγέροντο* apud Apollonium in Argon. pro quo alibi idem dixit, *εἰς βουλὴν ἑδριόωντο*.

ΙΝΑ ΠΡΩΤΟΘΡΟΝΕϹ ΕΔΡΑΙ) Metaplaſmus, *πρωτόθρονες ἀντὶ τοῦ πρωτόθρονοι*: ſic *ἐρυσάρματες ἵπποι* apud Homerum & Heſiodum ſimili metaplaſmo pro *ἐρυσάρματοι*, ut obſervant Grammatici. Sic *πηλαγόνες* pro *πηλαγόνοι*. Etymologicum magnum: *Πηλαγόνες, οἱ γίγαντες. Καλλίμαχος, Πηλαγόνων ἐλατῆρα. εἴρηται παρὰ τὸ ἐκ πηλοῦ γεγονέναι*,

πατέσιν ἐκ γῆς. Vulgo apud Callimachum legitur Πηλογόνων. Nec in compoſitis tantum vocibus, ſed & in ſimplicibus frequentes hujuſmodi metaplaſmi apud Poetas, ut ἰῶκα δακρυόεσσαν apud Homerum, pro ἰωκὴν· ἀλκὶ πεποιθώς, pro ἀλκῇ. πολλὴν κρόκα μηρύσασθαι Heſiodo pro κρόκην. ſic in veteri Scholio κλάδι pro κλάδῳ·

> Εν μύρτου κλάδι τὸ ξίφος φορήσω
> Ωσπερ Αρμόδιος κ' Αριστογείτων.

at paſſim legitur κλάδῳ, repugnante verſu. Heſychius: κλάδα, κλάδον, ῥάβδον· male κλάδων excuſum eſt.

ΕΛΛΑΔΙ Δ ΟΥΤΕ ΓΕΝΟϹ ΒΑϹΙΛΕΥΤΕΡΟϹ ΟΥΤΕΤΙ ΦΟΝΗΝ) φονὴν pro φωνὴν: nam ſic legendum eſt. Hujus autem verſus ſententia referri debet ad vocem ἐπώνυμος, ut jam diximus. Attici reliquos omnes populos & elegantia ſermonis, & originis vetuſtate antiſtabant: nam αὐτόχθονες eſſe gloriabantur: at huic Herodis filio Atticus nomen fuit: ἐπώνυμον eum igitur eſſe dicit, & vere Atticum, quod & generis nobilitate, & facultate dicendi omnes ſuperaret. Βασιλεύτερος eleganter heic præſtantiorem & excellentiorem deſignat. Græci enim βασιλεῖς vocant in ſua arte homines, qui in ea excellunt & ceteris præſtant. Adrianus Sophiſta apud Philoſtratum in ejus vita Herodem vocabat βασιλέα τῶν λογων. Ηρώδην δὲ τὸν βασιλέα τῶν λόγων ἀγαπητὸν, ἣν νέος τε καὶ γέρων ἀποκρίνωμαι. Sic Teleſtes apud Athenæum, Φρύγα καλλιπνόων αὐλῶν βασιλῆα appellat. Sic & apud Eunapium Proæreſius in inſcriptione ſtatuæ, βασιλεύων λόγων dicitur: πολλὰ δὲ ἐπὶ πολλοῖς ἀγαθοῖς καὶ τυχόντος ἐπαίνων, ἀνδριάντα κατασκευασάμενοι χαλκοῦ ἰσομέτρητον ἀνέθηκαν ἐπιγράψαντες, Η ΒΑϹΙΛΕΥΟΥϹΑ ΡΩΜΗ ΤΟΝ ΒΑϹΙΛΕΥΟΝΤΑ ΛΟΓΩΝ.

ΒΑΣΙΛΕΥΤΕΡΟΣ ΟΥΤΕ ΤΙ ΦΩΝΗΝ) Sic regnum loquendi dixit Manilius lib. IV.

> *Ille decus linguæ faciet, regnumque loquendi.*

ΗΡΩΔΕΩ ΓΛΩϹϹΑΝ ΔΕ ΤΕ ΜΙΝ ΚΑΛΕΟΥϹΙΝ ΑΘΗΝΑΙΩΝ) Ejiciendæ hæ duæ litteræ ex fine, quæ & ſenſum turbant & verſumque ſcribendum,

> Ηρώδεω γλῶσσαν δέ τε μιν καλέουσιν Αθῆναι.

Unde vero illud ΩΝ irrepſerit, neſcio: nam in lapide eſſe ita ſcriptum vix eſt ut credam. Sed & magis mirum mihi videtur iſta de Herodis filio, hoc loco dici, cum tam diverſa de eo prodat Philoſtratus in Herodis vita. Marcellus iſte, vel ſi quis alius inſcriptionis auctor, eloquentiorem neminem in tota Græcia fuiſſe quam hunc Herodis filium ſcribit, adeo ut vulgo Athenis cognominaretur *Herodis lingua*, quod dicendi virtute ſcilicet, maxime ſimilis eſſet patri, ut qui eum audirent loquentem, patrem Herodem audire ſe putarent. At quam longe aliter de eo ſentit & narrat Philoſtratus! qui tam inertis ac hebetis ingenii hunc fuiſſe refert, adeoque fugacis & fluidæ memoriæ, ut vix primas litteras ediſcere potuerit, quas nunquam tamen didiciſſet, niſi patri veniſſet in mentem, eas illi hujuſmodi lepido commento inculcare. Pueros viginti quatuor, ætate æquales cum illo educare & alere inſtituit, litterarum nominibus vocatos, ut eos crebrius appellando, ſic tandem litterarum nomina pronuntiare aſſueſceret, addiſceretque. Sed & ſtultum eum & potatorem & inſanis amoribus deditum fuiſſe ibidem memorat, patremque quoties de illo incideret mentio, hunc in ore ſemper habuiſſe verſum:

> Εἷς δέ τι που μωρὸς καταλείπεται εὐρέι οἴκῳ.

Quibus omnibus permotus Herodes exheredem eum fecit, maternis tantum bonis ei relictis, vel reſtitutis. Hæc Philoſtratus, quæ quis non miretur, cum videat hac inſcriptione eum ut eloquentiſſimum laudari, & Senatoria dignitate ornatum ab Imperatore? Nec vero poſt mortem Herodis Senatorem eum factum poſſit aliquis exiſtimare, cum diſertis verbis ſupra dicatur in ſolatium Herodis uxorem & liberos amiſſos lugentis, in Senatorum numerum cooptatus ab Antonino Auguſto ejus filius Atticus: nec porro de alio Herodis filio, quam de hoc Attico loqui Marcellum, dicendum eſt: nullum enim alium habuit, præter hunc Atticum: iterum dicam, mirari hoc ſatis non poſſum. Non in hac re tamen tantum diſſentientem ab hoc auctore Philoſtratum deprehendi, ſed & in numero liberorum Herodis, cum hic tres ille quatuor ponat: & Herodem ab Æacidis originem ducere velit ille, hic autem ab Erechtheidis. In quibus omnibus hujus inſcriptionis auctori quam centum Philoſtratis, magis credere res ipſa nos cogit.

ΚΑΙ ΔΑΡΔΑΝΙΟΝ ΓΕΝΟϹ ΕΙΗΝ) Scribe, ἦεν, vel ne longius recedamus, ἦεν, quod Attici dicunt pro ἦν. Sed & εἴην pro ἦν poteſt eſſe, ut εἰν pro ἐν, Jonice &c.

ΤΡΩΟϹ ΕΡΙΧΘΟΝΙΔΑΟ) Melius, Τρῶος Ἐριχθονίδεω. atque ita lege.

ΟΥΔΙ ΦΙΛΟΝ ΙΕΡΑ ΡΕΞΑΙ) Certum eſt legi debere:

> —— ᾧ δὴ φίλον ἱερὰ ῥέξαι
> Καὶ θῦσαι, θυέων ἀπὸρ οὐκ ἀέκοντος ἀνάγκη.

Si quis volet rem divinam Regillæ facere, faciat. nemo enim invitus ad hoc cogitur. Non peccabit, qui faciet, eamque iſthoc honore dignabitur: non enim mortalis eſt. Non tamen hoc officium ab invitis etiam exigitur, cum de Dearum numero minime cenſenda ſit, quibus neceſſario ſacra faciunda ſunt, quæque in ſui numinis contemptores ſevere vindicant; ſed Heroinarum tantum, quarum cultum minime ſibi negligendum putant, qui magna pietate & religionis amore ſunt præditi. Regillam igitur ut Heroinam vult coli, eique hac de cauſa non templum ut Deæ, non tumulum ut fœminæ mortali, ſed ἡρῷον ædificatum eſſe ſcribit.

ΟΥ ΜΕ ΓΑΡ ΘΝΗΤΗ) Vel puer viderit legendum;

> Οὐ μὲν γὰρ θνητὴ, ἀτὰρ οὐδὲ θέαινα τέτυκται.

ΟΥΤΕ ΝΕΩΝ ΙΕΡΟΝ ΛΑΧΕΝ ΟΥΤΕΤΙ ΤΥΜΒΟΝ) Non templum, nec tumulum ſortita eſt, quid igitur? ἡρῷον, quod illi ab Herode Athenis extructum eſt.

ΟΥΔΕ ΓΕΡΑΘΗΤΟΙS) Etiam hoc corruptiſſimum, ut alia multa in hac inſcriptione, ſed facilis emendandi ratio; Scribendum enim:

> Οὐδὲ γέρα θνητοῖς, ἀτὰρ οὐδὲ θεοῖσιν ὁμοῖα.

Hoc eſt, honores quidem eam majores poſtulare, quam qui homini debentur, ſed minores, quam quos diis reddere conſuevimus, hoc eſt quales Heroibus tribui ſolent.

ϹΗΜΑ ΜΕΝΟΙ ΝΗΩ ΙΚΕΛΟΝ ΔΗΜΩ ΕΝ ΑΘΗΝΗϹ) Scribe: Σῆμα μέν οἱ νηῷ ἴκελον. Sic περιφραστικῶς ἡρῷον appellat: ubi autem hoc ἡρῷον fuerit, utrum in urbe ipſa, an in Marathone pago,

incertum facere posset hujus vocis δῆμος notio, quæ aliquando pagum, quales erant Attici, designat, aliquando populum ipsum, & multitudinem in urbe collectam, ut cum Δήμῳ ἐνὶ Τρώων Homerus dicit, pro populo Trojano, vel etiam urbe ipsa. Ut pro pago acciperem inducebat me quod in pagis, & secundum vias publicas ut plurimum exstruere consueverant Athenienses tumulos, ἡρῷα, templa: quod testatur Pausanias in Atticis: Ἀθηναίοις δὲ καὶ ἔξω πόλεως ἐν τοῖς δήμοις, καὶ κατὰ τὰς ὁδοὺς θεῶν ἐστὶν ἱερὰ καὶ ἡρώων καὶ ἀνδρῶν τάφοι. pagum autem non alium quam Marathonem accipiebam, unde fuit Herodes, & in quo sepeliendum se mandaverat suis libertis. Sed quare Δῆμον Ἀθήνης hunc pagum potius, quam alium quemvis vocaret, non inveniebam: nec enim peculiari cultu Minervam colebant Marathonii, neç templum ejus in eo pago fuisse conditum meminerunt scriptores, cum & in aliis compluribus Atticæ terræ pagis, & aras Minervæ consecratas & cultum ejus celebratum sciamus. Δῆμον igitur Ἀθήνης heic nobis interpretari placet ipsam urbem, hoc est ἄστυ. Sic ἀτρέα δῆμον Ἀθηνῶν vocabat Athenienses Euphorion: Homerus, Δῆμον Ἐρεχθῆος. In urbe autem sepultam fuisse Regillam probabile est: nam & Panathenaidem ejus filiam in urbe sepultam tradit Philostratus: τὸ ἐπὶ Παναθηναΐδι τῇ θυγατρὶ πένθος Ἀθηναῖοι ἐπράϋναν, ἐν ἄστει τε αὐτὴν θάψαντες, &c. Ipse etiam Herodes in urbe sepultus est, eodem auctore Philostrato, quem vide. Mirari tamen mihi subit eum auctorem qui tam accurate vitam Herodis in litteras misisse profitetur ut multa etiam de eo multis ignorata memoriæ mandasse dicat, mentionem nullam facere hujus ἡρῴου Regillæ. Atqui non omittere debuit, illo præsertim loco quo de Regillæ morte & Herodis luctu tam multa dixit. Quid si quod ille theatrum ab Herode ædificatum in honorem Regillæ scribit, hoc ἡρῷον fuisse interpretabimur? Theatrum illud construxisse videtur Herodes eo loco in quo sepulta fuit Regilla, eique dedicavisse, ut ejus ἡρῷον esset. Philostratus, τὸ ἐπὶ Ῥηγίλλῃ θέατρον vocat: & alio loco ἀναθεῖναι αὐτῇ scribit hoc theatrum Herodem. Sane ipse etiam Herodes in Panathenaico stadio sepultus est, quod sua impensa faciendum curavit ad exercitium Atticæ juventutis; de quo stadio Philostratus sic ait, ἔργον ξυνθεὶς ὑπὲρ πάντα τὰ θαυμάσια· οὐδὲν γὰρ θέατρον αὐτῷ ἁμιλλᾶται. Hujus stadii meminit etiam Pausanias in Atticis. Non jam igitur dubito quin σῆμα νεῷ ἴκελον, quod heic habemus, sit Theatrum ἐπὶ Ῥηγίλλῃ Philostrati. Statius epicedio in patrem, scribit, sibi fortuna permitteret, magnificum se & templis parem tumulum patri extructurum theatrumque ibidem ei dedicaturum, in quo ludi musici celebrarentur in honorem ejus. Locum ipsum non gravabo ascribere: non parum enim hanc inscriptionem illustrat.

> *Atque utinam fortuna dares mihi, manibus aras,*
> *Par templis opus, aeriamque educere molem,*
> *Cyclopum scopulos ultra atque audacia saxa*
> *Pyramidum, & magno tumulum prætexere luco.*
> *Illic & Siculi superassem dona sepulcri,*
> *Et Nemees lucum, & Pelopis solemnia trunci.*
> *Illic Oebalio non finderet aera disco*
> *Grajorum vis ulla virum. non arva rigaret*
> *Sudor equum, aut putri sonitum daret ungula fossa:*
> *Sed Phœbi simplex chorus. heic frondentia vatum*
> *Præmia laudato genitor tibi rite dicarem.*

Illud, *par templis opus*, idem plane cum hoc nostro, σῆμα μὲν οἱ νηῷ ἴκελον: quibus verbis & sepulcrum pariter & theatrum ibidem conditum uterque intelligit.

ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΦΑΥϹΤΕΙΝΗ ΚΕΧΑΡΙϹΜΕΝΟΝ) Hæc Faustina Marci Antonini Philosophi uxor, quæ jam in vivis esse desierat, cum Regillæ statua dedicata est. Utra autem prior decesserit, Faustina an Regilla, quamvis non certum habeam, Regillam tamen priorem fatis concessisse non paucis nec dubiis conjecturis colligo; quas heic aperirem si quid ad hujus loci illustrationem facerent. Videtur autem Faustina in eodem hoc templo consecrata in quo Regillæ statua erat posita. Hinc est quod gratam & acceptam Divæ Faustinæ hanc Regillæ effigiem dicit, Regillamque ipsam quasi nympham pedisequam & sacrorum ministram Faustinæ non spernendam fore scribit paulo post.

ΦΑΥϹΤΙΝΗ Φαυστείνῃ, pro Φαυστίνῃ. Sic enim Grammatici: τὰ διὰ τοῦ ινα Ἰταλικὰ πρὸ μιᾶς τὸν τόνον ἔχοντα διὰ τοῦ ι γράφεται· Φαυστῖνα, Μαρῖνα, πλὴν τοῦ σεῖνα. Sed Φαυστείνη heic ut Ἀντωνεῖνος passim in veteribus monumentis scribitur, & Παυλεῖνος.

ΔΗΜΩ ΕΜΙ ΤΡΙΟΠΕΩ) De hoc Triopio satis multa diximus ad inscriptionem Herodis. Sive autem ab illa quam ibi notavimus caussa, sive ab alia hoc Triopium denominatum sit, harum inscriptionum auctores sono nominis invitante, τοῦ Τριόπα ἐπώνυμον finxerunt: eique adfinxerunt quæ de antiquo Triopa apud veteres fabularum scriptores legerant, ad majorem, ut par est, loco conciliandam religionis auctoritatem. Hinc poetice τὸν Τριόπιον δῆμον Τριόπα dixerunt: nam omnia quæ in Græcia terra Τριόπια usquam extant, ab aliquo Triope vel Triopa appellata sunt, non item illud in via Appia Triopium, ubi villa Herodis fuit.

ΝΑΟΙ ΠΑΡΟϹ ΕΥΡΕΕϹ ΑΓΡΟΙ) Immo, ναοῦ πάρος. atque ita omnino emendandum. Nam circum templa & ædes sacras & monumenta fere semper haud parvus agri modus vacabat, vineis aut oleis & aliis arboribus consitus. Hinc illæ inscriptiones obviæ passim in veterum monumentis, *tot pedes in fronte, tot in agrum*. Statius:

> —— *& magno tumulum prætexere luco.*

Sed hoc pluribus firmari non est opus.

ΚΑΙ ΧΟΡΟϹ ΗΜΕΡΙΔΩΝ) Sic vitium choreas Manilius dixit lib. v.

> *Et te Bacche tuas nubentem junget ad ulmos,*
> *Disponetque jugis imitatus fronde choreas.*

Eleganter χορὸς ἡμερίδων, vinearum ordines vocat: nam in vinea στίχοι sunt, ut & in choro. ὄρχους enim στίχους ἀμπέλων Græci exponunt. Chorus autem κατὰ στίχον καὶ ζυγὸν ordinabatur. Immo ὀρχὸς & χορὸς idem est: nam ὀρχεῖσθαι ab ὀρχὸς idem significat quod χορεύειν a χορός. ὀρχὸς καθ᾽ ὑπέρθεσιν pro χορός, sic ὄλχος pro λόχος, apud Hesychium. κόρτος pro κρότος. ἀλχήρης ὕπνος pro λαχήρης. sic ὀρφέω, pro ῥοφέω. unde Latinum sorbeo: φ in b: ut ἄλφος albus, ὀρφὸς orbus, ut pluribus dicam in libro de Dialectis.

ΕΛΑΙΗΕΝΤΕϹ ΑΡΟΥΡΑΙ) pro ἐλαιήεσσαι. sic ὑλήεντα Ζάκυνθον apud poetam pro ὑλήεσσαν· & κλυτὸς Ἱπποδάμεια ἐλαιάεσσαν νηδὺν apud Sophoclem varie olim interpretati sunt Grammatici. Hesychius, ἐλαιάεσσα νηδὺς, Σοφοκλῆς Ὀδυσσεῖ ἀκανθοπλῆγι· ἤτοι ἐλαιάεσσα ἀντὶ τοῦ σκιά, ἀγρία· ἢ ἀπὸ τοῦ ληΐζεσθαι, πάντα ληϊζομένη καὶ κατεσθίουσα· ἢ ἀπὸ ἐλαίου λιπαρά. ita legendum apud Hesychium: nam male in editionibus ἐλαιάδεσσα. ἐλαιάεσσα autem pro ἐλαιήεσσα ab ἐλαιήεις. quæ interpretatio sola vera est.

ΘΕΑ ΒΑϹΙΛΕΙΑ ΓΥΝΑΙΚΩΝ) Divam Faustinam ita appellat.

ΚΑΙ ΟΠΛΟΝΑ ΠΥΜΦΑΝ) Manifeſtum eſt legi debere : καὶ ὀπάονα νύμφῃ .

ΟΥΔΕ ΓΑΡ ΙΦΙΓΕΝΕΙΑΝ ΕΥΘΡΟΝΟC ΙΟΧΕΑΙΡΑ) Ideo Dianæ & Minervæ heic meminit, quod his Deabus fundum ſuum conſecraverat Herodes, & templum ibidem eis poſuerat, in quo & ſtatua Regillæ poſita fuit & dedicata, & niſi fallor, etiam Divæ Fauſtinæ : quam autem Ραμνουσίαν Οὖπιν vocavit in priore inſcriptione, heic Dianam aperte appellat, ut inde manifeſtum ſit Dianam & Nemeſim pro eadem accepiſſe : nam Οὖπι cognomentum Dianæ. Veteres autem plerique Dianam Adraſteam cognominatam putarunt, ab Adraſto quodam qui primus ei ſtatuam collocavit. Harpocration : Δημήτριος δὲ ὁ Σκήψιος Ἄρτεμιν φησὶν εἶναι τὴν Ἀδράστειαν ἀπὸ Ἀδράστου τινὸς ἱδρυμένην. quod memini me animadvertere ad inſcriptionem Herodis.

ΟΥΔΕ ΜΙΝ Η ΡΩΜΗCΙ) Nihil corruptius: ſcribe ut ſupra emendavimus :

Οὐδέ μιν ἡρῷνησι παλαιῇσιν μεδέουσα.

Ἡρῷναι Attice pro ἡρωΐναι, ut in ſuperioribus nobis obſervatum : ſic ἡρῷσσαι pro ἡρωΐσσαι apud Apollonium lib. IV.

Ἡρῷσσαι Λιβύης τιμήοροι ——

ad quem locum doctiſſimus interpres ſic ſcribit : ἡρῷσσαι προπερισπωμένως Ἡρωδιανὸς ἐν δεκάτῳ φησὶν ἐκ συναλοιφῆς τοῦ ἡρωΐσσαι. τοῦ ἥρως δὲ τὸ θηλυκὸν γίνεται ἡρωΐσσα· ἢ ἀντὶ τοῦ ἡρωΐναι. ita enim emendamus: vulgo πρωΐνας, inepte.

ΚΑΙCΑΡΟC ΙΦΘΙΝΟΙΟ) Per Cæſarem, Commodum intelligit : nam vivente M. Antonino Auguſto Commodi patre hæc ſcripta ſunt. Servat autem differentiam, quæ tunc temporis obſervabatur inter Cæſares & Auguſtos. Cæſares enim vocabantur, qui deſignati erant imperii ſucceſſores : itaque βασιλεὺς ſupra eſt Auguſtus : heic Καῖσαρ, Auguſti filius. Mater vero Cæſaris hoc loco eſt Fauſtina.

Η ΛΑΧΕΝ ΗΛΥCΙΗCΙΝ) De Fauſtina accipiendum.

ΜΑΚΑΙΡΑ ΤΕ ΚΑΔΜΕΙΩΝΗ) Καδμειώνη, Cadmi neptis; ut Αἰνειώνη ſupra, & οὐρανιώνη. Semelem autem hic Καδμειώνην appellat.

F I N I S.

ΔΩΣΙΑΔΑ ΒΩΜΟΣ Α.

Ὀλὸς ού με λιβρὸς ἱρῶν
Λιβάδεσσιν οἷα κάλχῃ
Ὑπὸ φοινίῃσι τέγγει
Μαύλιες δ' ὕπερθε πετρῶν Ναξίων θουμέναι
Παμμάτων φείδονται Πανὸς, ού στροβίλῳ λιγνύϊ
Ἰξὸς ἠώδης μελαίνει τρεχνέων με Νυσίων
Ες γὰρ βωμὸν ὁρῇς με μήτε παγχρύσοις
Πλίνθοις, μήτ' Ἀλύβης παγέντα βώλοις
Οὐδ' ὃν Κυνθογενὴς ἔτευξε φύτλη
Λαβὼν τὰ μηκάδων κέρα
Λισσαῖσιν ἀμφὶ δειράσιν
Οσσαι νέμονται Κυνθίας
Ισόρροπος πέλοιτό μοι
Σὺν οὐρανοῦ γὰρ ἐκγόνοις
Εἰνάς μ' ἔτευξε γηγενὴς
Τάων δ' ἀείζωον τέχνην
Ενευσε πάλμυς ἀφθίτων
Σὺ δ' ὦ πιὼν κρηνόθεν ἣν
Ινις κόλαψε Γοργόνος
Θύοις τ' ἐπισπένδοις τέ μοι
Ὑμηττιάδων πολὺ λαροτέρην
Σπονδὴν· ἄδην ἴθι δὴ θαρσέων
Ες ἐμὴν τεῦξιν. καθαρὸς γὰρ ἐγὼ
Ιὸν ἱέντων τεράων. οἷα κέκευθ' ἐκεῖνος
Ἀμφὶ Νέαις Θρηϊκίαις ὃν σχεδόθεν Μυρίνης
Σοὶ τριπάτορ πορφυρέου φὼρ ἀνέθηκε κριοῦ.

CLAUDII SALMASII
NOTÆ.

ANTE hos decem plus minus annos, in Germania cum essem, & Heidelbergæ agerem, hunc *βωμίσκον* in veteri epigrammatum Codice, qui servatur in Bibliotheca illustrissimi Palatini Principis, mihi repertum, necdum editum, ad Josephum Scaligerum *τὸν μακαρίτην* misi: remisit ille mihi suam de illa sententiam & expositionem: quam videre licet, in ea quam tum ad me dedit epistola, quæ nunc inter postuma ejusdem opuscula & alias ad diversos epistolas habetur excusa. Dosiadæ autem hanc aram tribuimus ex auctoritate vetusti Codicis, licet ille nomen Dosiadæ ad istud poematium non præferret, sed alterius aræ, quæ sequebatur, basi subscriptum haberet, hoc modo: ΔΩΣΙΑΔΑ ΒΩΜΟΣ ΟΝ ΜΟΥΣΑΙΑΣ ΕΣΤΗΣΕΝ ΕΝ ΓΑ. Quam subscriptionem ad hanc aram pertinere judicavimus, cum alterum illum *βωμίσκον*, & alterius authoris esse, nec ad Musas quidquam attinere certo sciremus, ut latius in nostris ad eum notis ostendemus. Dosiadan etiam hujus ludicri auctorem Lucianus agnoscit in Lexiphane: *ἡμεῖς δὲ οὐδὲ ποιητὰς ἐπαινοῦμεν τοὺς κατὰ γλῶτταν γράφοντας ποιήματα· τὰ δὲ σὰ ὡς πεζὰ μέτροις παραβάλλειν, καθάπερ ὁ Δωσιάδα βωμὸς ἂν εἴη καὶ ἡ τοῦ Λυκόφρονος Ἀλεξάνδρα, καὶ εἴτις ἔτι τούτων τὴν φωνὴν κακοδαιμονέστερος.* Sed quis hic fuerit Dosiadas, aut quo tempore vixerit, quæro qui me doceat. Athenæus non semel *Δωσιάδαν ἐν Κρητικοῖς* laudat. Diogenes Laertius patrem Epimenidis, Cretensis ex quorundam sententia Dosiadan appellat. An idem hic sit nescio. Cretenses illi fuisse videntur. Hic Rhodius dicitur in veteri Scholio ad Ovum Simmiæ. Aræ autem istius forma non quadrata & cubica, ut aræ vulgo fiebant, sed *ἀνισόπλευρος πανταχῇ* quæ forma fuit vetustiorum ararum, & ut plurimum Jonicarum. Nicomachus Gerasinus lib. II. Ἀριθμητικῆς: *ἕτεροι δὲ τοὺς αὐτοὺς βωμίσκους προσαγορεύουσιν, ἀπὸ οἰκείας εἰκόνος· οἱ γὰρ παλαιότεροι βωμοὶ, μάλιστα δὲ Ιωνικοὶ, οὔτε τὸ πλάτος τῷ βάθει, οὔτε συναμφότερα τῷ μήκει ἴσα ἔχουσιν, οὔτε τὴν βάσιν τῇ κορυφῇ, ἀλλὰ πάντη εἰσὶν ἐξηλλαγμένοι ταῖς διαστάσεσιν:* non poterat melius hujus aræ figura describi. Hujusmodi vero numeri *ἄνισοι* non tantum *βωμίσκοι* dicebantur a forma τῶν Ιωνικῶν βωμίσκων, sed & *σφηκίσκοι* & *σφηνίσκοι*. tales enim *σφῆνες* secundum eumdem Nicomachum, *τεκτονικοί τε καὶ οἰκοδομικοὶ, καὶ χαλκευτικοὶ, καὶ οἱ τῶν ἄλλων τεχνῶν πλάσσονται, ἀπὸ ὀξυτέρου ἄκρου διαδιώειν ἀρχόμενοι καὶ ἀεὶ μᾶλλον πλατυνόμενοι ἀνομοίως κατὰ πάντα τὰ διαστήματα.* *σφηκίσκοι* etiam hi numeri *ἀνισόπλευροι* sunt appellati, a forma *σφηκῶν*, id est vesparum, quæ ventrem substrictum habent & in medio sunt graciles: sic *σφηκίσκους* appellabant homines, *media*, ut dicebat Ennius, *regione cracentes*: quos cingulos vocabant Latini. Festus: *Cingulos appellabant homines, qui in his locis ubi cingi solet, satis sunt tenues*. Græci *σφηκοὺς* & *σφηκίσκους* appellant, *τοὺς λαγαροὺς τοῖς σώμασιν ἀνθρώπους καὶ οὐ προκοιλίους*. ita enim scribendum apud Hesychium. *σφηκοὶ* ad verbum sunt cinguli: nam *σφηκοῦν* est cingere, & *σφήκωμα δεσμός*. Nicomachus: *τοιοῦτος γὰρ καὶ ὁ τῶν σφηκῶν ὄγκος ἀποσφιγγόμενος κατὰ μέσον, καὶ τὴν λεχθεῖσαν ὁμοιότητα ἐμφαίνων. παρὰ τοῦτο εἰκὸς καὶ τὸ σφήκωμα ὀνομάσαι· ἔνθα γὰρ ἂν ἀποσφίγγῃ τὴν τοῦ σφηκὸς ἐντομὴν μιμεῖται.* cum enim fascia aut cingulo constringimur, ea parte gracilio-

res, & exiliores reddimur. Talis igitur ararum Jonicarum facies, pressis & extenuatis lateribus, nec fronti nec basi æqualibus, ut nec frons, nec basis invicem sibi latitudine respondent, ut plane videre est in hoc & sequenti βωμίσκῳ. Sed & cunei fabriles lignei ferreique ad hanc effigiem fiunt: in acumen enim desinentes ea parte qua in materiam immittuntur, in latitudinem progrediuntur, mox in medio strictiores ex parte qua tenentur, ad summum in latius crassiusque caput exeunt, ut ex Nicomacho supra tetigimus. Sed hæc de figura satis: nunc ad expositionem veniamus, quam non adeo facilem esse, non verbis tantum suis declaravit vir ille, quem dixi, doctissimus, verum re ipsa clarius ostendit. Sententiam enim hujus poematii nullo modo assequutus est. Sed nec ejus obscuritatem dissimulat Lucianus, qui loco supra nobis adducto, Alexandræ Lycophronis, poemati omnium tenebricosissimo illud comparare non dubitavit. Ara igitur hæc Musarum est, quæ sic loquitur: *Non me victimarum niger sanguis imbuit, ut purpura vel sanguineo purpuræ liquore vestis tingitur. Secespitæ vero Naxia cote tersæ samiatæque abstinent pecudibus*: quas vocat πᾶμα Πανός. hoc est, *nullæ victimæ in hac ara cæduntur, nec vertiginoso fumo, viscus manans ex arboribus Arabicis, fuscat me atque atram reddit.* hoc est, nulla mihi tura imponuntur, aut odores Sabæi heic adolentur. Μουσάων γὰρ ἄκαπνον ἀεὶ θύος, ut ait ille. *Aram me vides, nec auri lateribus, nec argenti glebis compactam: nec vero mihi comparanda sit ara illa quam ex caprarum cornibus struxit Cynthius Apollo. Nam cum Gratiis fabricavit me novenarius Musarum numerus, quibus dedit Juppiter artem nunquam interituram. Tu autem qui bibis ex fonte, quem fodit Pegasus, istic sacrifices & libamenta fundas, Hymettio melle longe mibi gratiora dulcioraque. Audenter vero ad me accede: sum enim pura ab venenatis monstris, qualia occultantur in illa ara: quæ circa Neas Thracias, prope Myrinam urbem extat, quam tibi o Minerva dedicavit, aurei arietis vel potius velleris raptor.* Hic totius aræ sensus, quem mox per partes explicabimus: at quam longe abierit vir ille incomparabilis, dici non potest, qua emendando, qua exponendo. Aram quidem Musarum Athenis in Academia fuisse refert Pausanias in Atticis: ἔστι δὲ Μουσῶν τε βωμὸς καὶ ἕτερος Ἑρμοῦ. sed de ea minime heic loqui vult Dosiadas, immo omnia quæ heic de ara Musarum dicuntur, non ad aliam aram referri debent, quam ad hoc ipsum poematium in formam aræ factum, quod Musis & Gratiis adjuvantibus composuisse & ipsis dedicasse testatur. Nunc singula videamus.

Ὀλὸς οὔ με λιβρὸς ἱρῶν) Emendabat Scaliger: ἕλκος οὔ με λαβρὸς ἱρῶν· sed versus hanc emendationem respuit. ὀλὸς proprie est atramentum sepiæ, qui & θολὸς dicitur: heic vero μεταφορικῶς pro victimarum sanguine ponitur: λιβρὸς autem nigrum significat. Hesychius, λιβρὸν, σκοτεινὸν, μέλαν. Sed & λίβυς idem apud vetustiores Græcos significasse videtur. Hinc Λίβυες enim vocati quod nigri essent: sic & Μαύρους eos populos vocarunt Græci ab eadem ratione: nam μαῦρον & ἀμαυρὸν nigrum est, καὶ σκοτεινόν. a voce autem λίβυς quæ nigrum denotat, λιβύαι dictæ sunt, situlæ quædam nigræ quæ in sepulcris collocabantur. Hesychius: λιβύας· τὰς μελαίνας ὑδρίας τὰς ἐπὶ τοῖς τάφοις τιθεμένας. Suaviter nugabatur nescio quis Græculus qui Glossas aliquot ad hanc aram adscripserat: nam μελιβρὸς heic junctim legebat, exponebatque, μελιβρὸς ὁ τὰ μέλη βιβρώσκων.

Λιβάδεσσιν οἷα κάλχην) κάλχην purpuram vel herbæ genus interpretantur Grammatici quæ purpureo colore vestes inficit. Hesychius, κάλχη πορφύρα καὶ βοτάνιον ἀνθόφορον. Etymologicum magnum in voce Κάλχας: ἢ παρὰ τὸ κάλχη ὃ σημαίνει τὴν βοτάνην δι' ἧς ἡ πορφύρα βάπτεται. & hæc quidem nota sunt; illud non item, herbam illam quam Græci κάλχην, Latinos caltham vocare: nam caltha ex Græco κάλχη, quod Siculis erat κάλθη. nam θ in χ, & contra illi mutabant: ut ὄρνιχες pro ὄρνιθες. & similia. κάλχην autem caltham esse ex Dioscoride vincam. Is lib. III. cap. CLVI. βούφθαλμοι, οἱ δὲ κάλχαν καλοῦσι. sic enim legendum est, non ut vulgo κάχλαν. Veteres autem Grammatici uno ore caltham βούφθαλμον esse interpretati sunt. Auctor antiquarum glossarum: *caltha*, βούφθαλμον. &, βούφθαλμον ἄνθους εἶδος, *caltum*. Dioscorides lib. IV. de Chrysanthemo quod cum Buphthalmo quidam confundunt: χρυσάνθεμον ἢ χάλκα· οἱ δὲ βούφθαλμον. χάλκα transpositum pro κάλχα. nam & χάλκην quoque dicebant. Hesychius, χάλκη, πορφύρα. Sic certo certius κάλχην esse caltham: quod alibi probabimus; non enim hæc sunt hujus operis aut loci: κάλχην autem non pro purpura, sed pro veste, quæ purpura inficitur, accipio *Non me*, inquit, *sanguis victimarum tingit, quemadmodum sanguineis liquoribus imbuitur vestis.* κάλχην enim, non tantum πορφύραν exponunt Grammatici, sed etiam διφθέραν. Hesychius: κάλχη πορφύρα, διφθέρα, βοτάνιον ἀνθόφορον. & ita hoc loco placet accipi. Si de purpura intelligeremus, legendum esset, οἷα κάλχη. nam purpura tingit, non tingitur: atque hoc fortasse verum est.

Μαυλιες δ' ὑπερθε) Μαύλιας heic ἀντὶ τῶν κοπίδων posuit quibus victimæ mactantur. μαυλὶς μάχαιρα καὶ ἡ μισθῷ τι ποιοῦσα. ita legendum apud Hesychium.

Παμμάτων) Melius παμάτων. sic πολυπάμων, & πέπαμαι. in vulgatis tamen editionibus fere semper πολυπάμμων & πέπαμμαι scriptum habetur, vitiose.

Παμάτων φείδονται Πανὸς) In vetusto libro, φείδοντο scribitur, & supra repositum, φείδονται. quod ad sensum quidem melius videtur, sed illud φείδοντο versus modulo magis congruit. Nam in Trochaicorum tertia sede raro pedem alium, quam trochæum collocant: ita legendum putarim φίδοντο pro ἐφίδοντο, id est, abstinuerunt: vel φίδοιντο· φείδονται tamen retineo: nam τέγγει præcessit, & μελαίνει sequitur: sæpe autem Græci poetæ τὴν δίφθογγον αι solent in carmine breviare. Homerus Iliad. I.

Εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμαι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Empedocles:

Τῇ δὲ διαλλάσσονται διαμπερὲς, οὐδ' ἅμα λήγει.

Aratus:

Ἥμισυ μὲν κεν ἴδηαι μετήορον, ἥμισυ δ' ἤδει.

Plura collegit exempla Casaubonus in lectionibus Theocriti: quem vide.

Οὐ στροβίλῳ λιγνύϊ) Ita reposuimus pro eo quod erat in veteri codice, στροβίλων λιγνύι. Cave sis autem *strobilum pineum* heic accipias cum magno viro, & *fructum pro ipsa arbore*. Fumum enim intelligit quem tus exhalat, cum in ara incenditur: qui quod vortiginosis flexibus, & quibusdam quasi spiris & convolutionibus contritus in auras eat, στρόβιλον eum ἐπιθετικῶς appellat. καπνοῦ στροφάλιγγας poetæ vocant: στρόβιλον vero συστροφὴν ἀλλώδη interpretantur Grammatici: hinc στροβιλοῦν contorquere, & convolvere. στρόβιλον λιγνύα dixit, ut Jon poeta Erinaceum στρόβιλον, qui in orbem se convolvit:

Στρόβιλος ἀμφάκανθον εἱλίξας δέμας.

ita legendum: vulgo ἀμφ' ἄκανθαν. ἀμφάκανθον δέμας, spinis undique obsitum. στρόβιλον λιγνύα Plinius explicat lib. XIII. cap. I. ubi de unguentis loquitur: Iliacis temporibus non erant, nec ture supplicabatur. Cedri tantum & citri suorum fruticum in sacris fumo convolutum nidorem verius, quam odorem noverant. *fumo convolutum nidorem*, ex illo Homerico est, —— τὴν κνίσσαν ἑλισσομένην περὶ καπνῷ. στρόβιλον λίγνυα convolutum illum odorum qui in ara accendebantur, fumum heic vocavit Dosiadas.

Ἰξὸς δ' ὠδῆς μελαίνει τρεχνέων με Νυσίων) Nemo non intelligat per ἰξὸν ὠδῆ τρεχνέων Νυσίων, *tus* designari. Viscosum enim illum, & lentum humorem qui ex turis arbore manat, ἰξὸν heic vocari certissimum est: *spuma pinguis* Plinio dicitur, cap. *de ture & arboribus turis*: tus autem in Arabia nasci, non nisi pueri docendi sunt: hinc Νυσίων τρεχνέων ἰξὸς heic vocatur, a Nysa Arabiæ monte: τέρχνος vero & τρέχνος, nam utrumque dicitur, φυτὸν, βλάστημα, κλάδον, στέλεχος interpretantur Lexicographi.

Εἰς τὸν βωμὸν ὁρῇς με μήτε παγχύρυ) Versus hic debet esse phalæcius cum sequentibus aliis duobus: non dubium est igitur extra legem tendi. Vitium hæret in voce παγχύρυ. vocem esse Persicam heic vetus Scholiastes annotabat, & aurum significare: an verum dicat nescio, non enim Persice didici: versus nihilominus laborat: esset aliquid si legeretur πάγχυ aut πάγχρυ, tunc enim legi metricæ ratio constaret: πάγχος autem, vel πάγχρος aurum Persice significaret. Sed turone credi potest illi Græculo? ἀγχοῦρος apud Hesychium legitur pro Aurora vel Lucifero, & verbum Cypriorum esse tradit: Ἀγχοῦρος ὄρθρος, οἱ Κύπριοι ἢ φωσφόρος. ita enim scribendum: quid si ἀγχοῦρος etiam aurum significavit? sic enim Auroram ab auro videntur Latini deduxisse. ἄγχαυρον pro eodem legitur apud Apollonium lib. IV. ubi doctus interpres, ἀπὸ τῆς αὔρας derivat: pro quo ἀγχοῦρον Hesychius, absque dubio legit in illo poetæ loco. Quid multis opus est? versum istum sic ego legendum, ac constituendum censeo.

Εἰς τὸν βωμὸν ὁρῇς με μήτε γ' αὐρῷ
Πλίνθοις, μηδ' Ἀλύβης παγεῖσα βώλοις.

αὐρὸς vox prisca, quæ Græcis idem quod χρυσός. inde Latinis *aurum* suum. Hypsicrates apud Festum αὐρὸν Græce ab inventoris nomine dictum esse prodit. Hinc θησαυρὸς ubi aurum reponitur. Utut est, aurum heic intelligi debere satis constat. Massas autem auri apud antiquos in lateres redigi solitas notum est: hinc αὐρῷ πλίνθοις Dosiadas heic vocat. Sic χρυσοῦ πλίνθοι apud Herodotum de Crœso. Varro apud Nonium:

Ludon fluens sub Sardibus flumen tulit
Aurum, later quod conquadravit regius.

Idem de vita Pop. Romani lib. III. *nam lateres aurei & argentei primum conflati & in ærarium conditi*.

Μητ' Ἀλύβης παγεῖσα βώλοις) Hoc est, *argenti glebis structum & compactum*. notus Homeri versiculus:

—— ἐξ Ἀλύβης ὅθεν ἀργύρου ἐστὶ γενέθλη.

hinc Ἀλυβηΐδα κελέβην Euphorion vocat argenteum poculum apud Stephanum, περὶ ἐθνικῶν.

A

Ὃς μὲν τὴν κελέβην Ἀλυβηΐδα μοῦνος ἀπηύρα.
τουτέστι τὴν ἀργυρᾶν. Vide Strabonem & Homeri interpretes.

Λαβὼν τὰ μηκάδων κέρα) Ita scripsimus cum in libro esset, λαβόντα· σχῆμα autem πρὸς τὸ σημαινόμενον, cum præcedat, Κυνθογενὴς φύτλη. nam dicendum fuerat λαβοῦσα: sed refertur πρὸς τὸν Κύνθιον Ἀπόλλωνα. De ara cornea Deli omnia jam vulgata. Glossæ ad hunc locum: Κύνθος. δὲ ὄρος Δήλου ὅπου κεράτινος βωμὸς λέγεται δὲ ἐκ δεξιῶν κεράτων πεπλέχθαι τὸν βωμὸν μόνον, ἐκ δ' ἀριστερῶν οὐδαμῶς.

B

Ὅσαι νέμονται Κυνθίας) Scribendum Κυνθίαις. ἀμφὶ Κυνθίαις δειράσιν. ex caprearum Cynthiarum cornibus structam in Delo aram ab Apolline scribit etiam Callimachus:

Ἄρτεμις ἀγρώσσουσα καρήατα συνεχὲς αἰγῶν
Κυνθιάδων φορέεσκεν, ὁ δ' ἔπλεκε βωμὸν Ἀπόλλων.

sed Κυνθίας non muto.

Σὺν οὐρανοῦ τοῖς ἐκγόνοις) Οὐρανοῦ ἐκγόνους Gratias interpretatur heic vetus Scholiastes, & ego cum illo. Gratias Cæli filias heic fingit, quas alii Jovis & Eurynomes esse dixerunt. Sed & sic οὐρανοῦ ἔκγονοι fuerint, siquidem Juppiter Saturno, Saturnus Cælo natus, secundum veteres Theogoniæ auctores. Magis tamen est, ut aliam Theogoniam sequatur, quæ Gratias Cælo filias asserat, ut de Amore, & Musis, quarum non una γενεαλογία refertur apud priscos Theologos.

C

Εἰνάς μ' ἔτευξε γηγενής) Hæc γηγενὴς εἰνάς, sunt novem Musæ, quas γηγενεῖς inde dictas credere possumus, quod earum mater Mnemosyne, Cæli & Terræ filia fuisse dicatur apud Hesiodum in Theogonia. Sed verius ex eo γηγενεῖς interpretari quod secundum Musæum duplex fuerit Musarum γένεσις, una vetustiorum, & Saturno coæqualium, Cœlo & Terra genitarum; altera recentiorum, & Jovis ac Mnemosynæ filiarum. Hoc me docuit doctus Apollonii Scholiastes initio lib. III. ἐν δὲ τοῖς εἰς Μουσαῖον ἀναφερομένοις δύο ἱστοροῦνται γενέσεις Μουσῶν· πρεσβυτέρων μὲν κατὰ τὸν Κρόνου γενομένων· νεωτέρων δὲ τῶν ἐκ Διὸς καὶ Μνημοσύνης. idem de Amore, ac de Gratiis quoque dicendum.

D

Τάων δ' ἀείζωον τέχνην) Τάων, nempe Μουσῶν. πρὸς τὸ σημαινόμενον. non enim ad εἰνὰς refertur, sed ad Μοῦσαι.

Εὐδοσε πάλμυς ἀφθίτων) Hoc est Juppiter, Deorum immortalium rex & pater. πάλμυς eadem notione apud Lycophronem, nisi fallor, usurpatur. Hesychius: παλμυὸς βασιλεὺς, πατήρ, οἱ δὲ πάλμυς. sequitur apud eundem: Παλμύτης Αἰγύπτιος θεὸς, sed perperam pro Παμμύλης, ut alibi dicemus.

E

Σὺ δ' αὖ πιὼν κρήνηθεν ἣν ἶνις κόλαψε Γοργόνος) Noli de fonte Pirene dictum accipere, sed de fonte Heliconis, quem percusso ungula saxo Pegasum aperuisse, tam notum est, ut nihil notius possit esse: ut & notissimum, Gorgonis filium equum Pegasum apud poetas jactari.

Εἴ ἐμὴν πεῦξιν) Ita vetus liber: sed legendum: ἐς ἐμὴν πεῦξιν. sunt enim anapæstici.

F

Οἷα κέκλυθ' ἐκεῖνος ἀμφὶ Νέαις Θρηϊκίαις) Aram Chryses intelligit, juxta quam a serpente percussus est Philoctetes. Dicit igitur hæc ara Musarum, puram se esse a serpentibus, & tuto ad ipsam quemvis accedere posse: nullum enim a serpentibus esse periculum, ut in ara Chryses in qua serpens delitescebat, qui Philocteten percussit, cum propius ad eam accessisset. Rectum igitur Νέαις, nec corrigendum νέοις. Νέαι insula juxta Lemnon, in qua fuisse aram illam, & Philocteten ictum a serpente quidam volunt. Stephanus περὶ ἐθνικῶν· Νέαι νῆσος

πλησίον Λήμνου ἐν ᾗ Φιλοκτήτης κατά τινας ἐδήχθη ὑπὸ ὕδρου.

Ον σχεδόθεν Μυρίνης) Μυρίνη urbs in Lemno insula, de qua heic accipiendum: est enim & alia τῆς Αἰολίδος.

Σοὶ τριπάτορ πορφυρέου φωρ ἀνέθηκε κριοῦ) Aram illam Chryses ab Jasone fuisse conditam præter auctorem βωμίσκου, quem mox explicabimus, etiam testatur Philostratus in Philoctete his verbis: ἀναπλέοντες εἰς Τροίαν οἱ Ἀχαιοὶ καὶ προσχόντες ταῖς νήσοις, ἐμαστεύοντο τὸν τῆς Χρύσης βωμὸν, ὃν Ἰάσων ποτὲ ἱδρύσατο, ὅτε ἐς Κόλχους ἔπλει. Φιλοκτήτης τε ἐκ τῆς ξὺν Ἡρακλεῖ μνήμης τὸν βωμὸν τοῖς ζητοῦσι δεικνὺς ἐγχρίμπτεται τῆς αὐτῷ τοῦ ὕδρου τὸν ἰὸν ἐς θάτερον τοῖν ποδοῖν, οἱ μὲν ἐπὶ Τροίαν οἱ Ἀχαιοὶ στέλλονται, ὁ δὲ ἐν Λήμνῳ ταύτῃ κεῖται διαβόρῳ, φησὶ Σοφοκλῆς, καταστάζων νόσῳ τὸν πόδα. Jam intelligimus quis iste sit purpurei fur arietis, & quis ille purpureus aries. Nam de Jasone capiendum qui vellus aureum furatus est, nemo jam non videt. Purpureum autem arietem heic vocat, non illum aureum in quo fatum Mycenarum erat, quem Atreum surripuisse volunt poetæ, sed arietem quo Phryxus in Colchos delatus est, seu potius ejus vellus: quod aureum quidem plurimi esse dixerunt, quidam vero purpureum, alii etiam album. Scholiastes Apollonii ad lib. IV. πολλοὶ δὲ χρυσοῦν τὸ δέρας εἰρήκασιν οἷς Ἀπολλώνιος ἠκολούθησεν, ὁ δὲ Σιμωνίδης ποτὲ μὲν λευκὸν, ποτὲ δὲ πορφυροῦν. quod valde velim notari: Simonidem modo album, modo purpureum in suis poematis hoc vellus appellitavisse Qua de re sic ego sentio; non novam quidem & aliam a vulgata de hoc ariete fuisse Simonidi opinionem, nec quem aureum uno fere ore omnes prædicassent, ipsum aut album aut purpureum existimasse, sed λευκὸν καὶ πορφυροῦν sic usurpasse, ut poetis mos est cum aliquid eximie pulchrum designare volunt, ut quum auream Venerem vocant, eandem enim & *purpuream* appellitarunt. Marius Victorinus in libro de metris citat hunc Pæonicum versum:

Ver agere purpurea te Venus amoribus diva pollens jubet.

Apud eumdem etiam hic purus anapæsticus citatur:

Nitet aurea purpureæ Veneris coma, roscida lactea cervix.

& πορφυρῆ Ἀφροδίτη Anacreonti apud Ælianum lib. IV. de animal. cap. II. ὥσπερ οὖν τὴν Ἀφροδίτην ὁ Τήϊος ἡμῖν Ἀνακρέων ᾄδει, πορφυρῆν τε λέγων, καὶ χρυσῷ δὲ εἰκασμένη φανείη ἄν. καὶ τοῦτό γε κατὰ τὸν Ὁμήρου θεὸν τὴν αὐτὴν ἣν ἐκεῖνος ἀναμέλπει χρυσῆν. ita πορφυρῆ Ἀφροδίτη apud Anacreontem quæ apud Homerum χρυσῆ. Sic etiam purpureum Amorem dixere. Ovidius:

In me purpureus tela resumpsit Amor.

sic & χρυσοῦν στόμα & πορφυροῦν στόμα, pro ore pulchro. Simonides πορφυρέου ἀπὸ στόματος ἱεῖσα φωνὰν παρθένος. nec aliter *purpureum os* Horatio. sic πορφυρέα ἔρνη Pindaro, ἀντὶ ἀγλαῶν· ἀνθησάμενός τε κόμαν πορφυρέοις ἔρνεσι. sed & purpureum & album de eodem ita videtur dixisse Simonides, ut Horatius *purpureos olores* dixit pro candidis: & Albinovanus, *purpuream nivem*. Purpureus igitur huic Dosiadæ & Simonidi est, qui aureus ab aliis passim vocatur, quem & λευκὸν idem Simonides vocavit. Scholiastes tamen Euripidis refert Simonidem in Hymno Neptuni dixisse, pellem Phryxæi arietis revera purpurei fuisse coloris, & purpurarum matutinarum sanguine infectam: ejus verba hæc sunt: τοῦτο οἱ μὲν ὁλόχρυσον εἶναι φασὶν, οἱ δὲ πορφυροῦν. καὶ Σιμωνίδης δὲ ἐν τῷ Ποσειδῶνος ὕμνῳ ἀπὸ τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ πορφυρῶν κεχρῶσθαι αὐτὸ λέγει. idem porro Simonides etiam aureum illum Atrei arietem in quo fatum regni Mycenarum situm erat, purpureum fuisse dixit. Tzetzes in Chiliad.

> Ἀτρέως δ' ἐν τοῖς θρέμμασιν ἦν τι χρυσοῦν ἀρνίον.
> Ὁ Σιμωνίδης πορφυροῦν εἶναι δὲ τοῦτο λέγει.

sic πορφύρεος κριὸς in hac Ara dicitur qui aliis χρύσεος. Scholiastes Euripidis. τοῦτο οἱ μὲν ὁλόχρυσον εἶναι φασὶν, οἱ δὲ πορφυροῦν· καὶ Σιμωνίδης δὲ ἐν τῷ Ποσειδῶνος ὕμνῳ, ἀπὸ τῶν ἐν τῇ θαλάσσῃ πορφυρῶν κεχρῶσθαι αὐτὸ λέγει. sic ἁλιπόρφυρον vellus illud fuerit Simonidi. Utut sit, πορφύρεος κριὸς, heic ἀντὶ χρυσέου positus. Sed hæc plus satis de purpureo, sive aureo vellere: nunc restat quærendum quis sit hic τριπάτωρ cui aram dedicasse fertur Jason. Τριπάτορα Minervam appellari opinor, non ob aliam rationem, quam quod Τριτογένεια aliis poetis passim dicatur, de cujus appellationis causa consulendi veteres Grammatici: obiter tantum admonere velim corrigendum, & supplendum in hac voce Etymologici magni auctorem: ubi enim sic vulgo habetur, Τριτογένεια ἡ Ἀθηνᾶ, ἤτοι ὅτι ἐκ τῆς μήτρας καὶ τῆς κεφαλῆς τοῦ Διὸς ἐξῆλθεν, ἢ ὅτι παρὰ τῷ Τρίτωνι ποταμῷ γέγονεν, ἢ ὅτι τρίτη μετὰ τὴν Ἄρτεμιν καὶ Ἀπόλλωνα ἐγένετο. duo illa, ὅτι ἐκ τῆς μήτρας καὶ τῆς κεφαλῆς, non possunt sola constituere rationem nominis τριγένεια. tertium igitur deest, quod plenum habet Suidas hoc modo, ὅτι ἐκ τῆς νηδύος καὶ ἐκ τῆς μήτρας καὶ τῆς κεφαλῆς. Sed quod sequitur apud eundem Suidam, τριτὼ γὰρ κεφαλὴ κατὰ διάλεκτον, expungendum est, alio enim pertinet: sed hæc Grammaticalia plane sunt, id est inepta. Unde vero τριτογενὴς nomen habeat, τριπάτωρ eadem notione censeri hoc loco existimo, & Minervam eo nomine significari. Non ignoro τριτοπάτορας Glossographis exponi, ἀνέμους ἐξ οὐρανοῦ καὶ γῆς γενομένους καὶ τῆς γενέσεως ἀρχηγούς, quos & τριτοπάτρεις & τριπάτρεις nominabant: sed huc non pertinere item scio. Nam nihil tam certum est quam τριπάτορα hoc loco Minervam intelligi debere, cui ara in Chryse Lemni promontorio ab Jasone dedicata est. Auctor argumenti ad Philoctetem Sophoclis:

> Χρύσης Ἀθηνᾶς βωμὸν ἐπικεχωσμένον,
> Ἐφ' ᾧ περ Ἀχαιοῖς χρηστὸν ἦν θῦσαι, μόνος
> Ποίαντος ἤδει παῖς ποθ' Ἡρακλεῖ συνών.

ubi perperam quidam legunt χρυσῆς Ἀθηνᾶς, & auream Minervam interpretantur. Χρύση Ἀθηνᾶ τοπικῶς dicta a promontorio Lemni in quo aram habebat, ab Jasone, cum ad Colchos iret, positam & consecratam. Philostratus Χρύσης βωμὸν simpliciter vocat: ἀναπλέοντες εἰς Τροίην Ἀχαιοὶ καὶ προσχόντες ταῖς νήσοις ἐμαστεύοντο τὸν τῆς Χρύσης βωμὸν ὃν Ἰάσων ποτὲ ἱδρύσατο ὅτε εἰς Κόλχους ἔπλει. per Χρύσην intelligit Χρύσην Ἀθηνᾶν. in illis tamen Græcis versibus Sophoclis Philoctetæ argumenti vicem præfixis edendum curavit Gulielmus,

> Ἐν Χρύσῃ Ἀθηνῆς βωμὸν ἐπικεχωσμένον.

ΒΩΜΟΣ ΔΕΥΤΕΡΟΣ.

Ημάρσενός με στήτας
Πόσις μέροψ δίσαβος
Τεῦξ' οὐ σποδεύνας ἶνις Εμπούσας μόρος
Τεύκροιο βούτα καὶ κυνὸς τεκνώματος
Χρύσας ἀΐτας ἆμος ἔψανδρα
Τὸν γυόχαλκον θῦνον ἔρραισεν
Ον ὡπάτωρ δίσευνος
Μέρησε μητρόρριπτος
Εμὸν δὲ τεῦγμ' ἀθρήσας
Θεοκρίτοιο κτανέτας
Τριεσπέροιο καύτας
Θωΰξεν αἰνύξας
Χάλεψε γὰρ νιν ἰῷ
Σύργαστρος ἐκδυγήρας
Τόνδ' εἱλινεῦντ' ἐν ἀμφικλύστῳ
Πανός τε ματρὸς εὐνέτας φὼρ
Δίζωος, ἶνις δ' ἀνδροβρῶτος ἰνοραίσταν
Ηρ' ἀρδίων εἰς Τεῦκρίδ' ἄγαγον τρίπορθον.

CLAUDII SALMASII
NOTÆ.

HÆc ara non minus habet obscuritatis, & in exponendo difficultatis, quam superior, immo etiam aliquanto plus: quod satis hactenus testificati sunt doctissimi viri qui operam ad eruendum ejus sensum contulerunt, & hoc tantum adepti sunt, ut frustra laborasse, & operam omnem lusisse merito dici queant. An non hoc magnum obscuritatis ejus argumentum, quod nihil in ea videre potuerint principes in his literis viri? Johannes Auratus ætatis suæ vir Græce eruditissimus, huic tenebricoso *παιγνίῳ* primus admovit manus, qui se & tenebras, quibus involvebatur, densissimas discussisse tum putavit, & doctis hominibus hactenus persuasit: inter quos Gulielmus Canterus non dubitavit interpretationem ejus pro vera venditare, & calculo etiam suo confirmare. Sed quantum utrumque fugerit ratio, rem ipsam auctorem dabimus. Sic enim veterem hujusce poematii editionem interpolaverunt, ut de facie qua noscebatur, nullo modo amplius agnoscendam reliquerint: quales autem has mutationes esse dicemus, *μισητῆς* pro *μεστήτας*, quod prius legebatur: & *ὁ δύσμορος δύσαβος*, pro, *πόσις μέροψ δίσαβος*, ut vetus habebat editio? & de integro jambico versu: *τεῦξ' οὐ σποδεύνας ἶνις ἐμπούσας*, dimidiatum facere hoc pacto: *σποδεύνας ἶνις ἐμπούσας*? & hæc tanta ac talia peccaverunt, ut ei sententiæ, quam veram esse somniabant, verba ipsa accommodarent, vel potius eo invita pertraherent. Hinc non mirum ex falsis emendationibus, interpretationes longe falsiores natas. Nos nihil prius habuimus, quam veterem lectionem restituere, ut in antiquis editionibus visitur, & manu exaratis exemplaribus. Emendationes etiam aliquot nostras in contextum recepimus, quarum rationem suis locis reddemus. Auctorem quidam faciunt Theocritum, alii Simmiam: neutrum fuisse puto. Dosiadæ ascribebant veteres mem-

A branæ Palatinæ, quæ hanc inscriptionem basi subscriptam habebant: *Δωσιάδα βωμὸς, ὃν ἵστασε Μούσαις ἐν γᾷ*. Sed ad superiorem aram hunc titulum pertinere supra diximus. Dosiadas autem hic Rhodius, quod monere omisimus, cum de illo ageremus: nam sic in Ovi titulo scriptum reperi: *Βησαντίνου Ροδίου ᾠὸν, ἢ Δωσιάδα ἢ Σιμμίου· ἀμφότεροι γὰρ Ρόδιοι*. Sed dicet aliquis, nihil prohibere quominus hic *βωμίσκος* Dosiadæ quoque attribuatur, ut & præcedens. Sane ex fine præcedentis aræ videtur istius, quam nunc in manibus habemus, argumentum sumptum, ut sive idem hujus sit auctor, qui & superioris fuit, sive alius, ex postremis aræ Musarum verbis, hanc aram fingendi occasionem

B ceperit. Cum enim ara Musarum in fine vel basi sic loquatur, tuto ad se adiri posse, quod illa serpentum venenatorum prodigia non celet sub se delitescentia, ut Ara illa quam Jason prope Lemnon insulam struxit & Minervæ dedicavit. Auctor iste quisquis est aram illam ab Jasone structam, ad exemplum Aræ Musarum composuit, & hæc ipsa est quam sic loquentem induxit: *Me viraginis & semimasculæ mulieris maritus condidit eo loci quo Achilles Thetidis filius ab Apolline occisus est*, &c. quæ nos paulo post singillatim explicabimus. Nam hæc omnino est ara Chrysæ quam Jason condidit: sed ne utriusque *βωμίσκου* eumdem auctorem existimem facit quod in illa quam priore loco posuimus, Ara Jasonis in Chryse

C prope Lemnon statuitur: in hac vero auctor Chrysem Lemniam cum Chrysa Troica confundat, in qua Apollinis Sminthii templum & ara ad quam occisus Achilles ab Apolline & Paride memoratur. At in Chryse quæ circa Lemnon, non Apollini sed Minervæ ab Jasone ara dedicata est. Facilius igitur nobis est, cujus non sit hæc ara, quam cujus sit auctoris, affirmare. Sed jam tempus est, ut ad singula verba exponenda accedamus, nam in verbis fere tota hujus *γρίφου* obscuritas versatur.

Ημάρσενός με στάτας πόσις) Neminem dubitaturum arbitror, quin recte reposuerimus *ἠμάρσενος* pro

εἰμ' ἄρσενος, quod in vetustis editionibus erat, & scriptis codicibus. ἡμάρσενα autem στῆται vocat Medeam, quasi *semiviram* dixeris, & *semimasculam*, quia cum femina esset, ea facinora fecerit, quæ sexum superarent, & in animum muliebrem vix caderent. sic *mascula Sappho* Ausonio & Horatio, quod animo plus quam muliebri sese ex Leucate monte præcipitem dedisset. ἡμάρσενος igitur στήτας πόσις Jason heic intelligi debet qui Medeæ maritus fuit.

Μέροψ) Quare μέροψ Jason appelletur, quærendum. μέροψ Theocrito Echo vocata est, quod μέρος τῆς ὀπὸς reddat, non totam. μέροπες ἄνθρωποι διὰ τὸ μεμερισμένην ἔχειν τὴν ὄπα. An μέροψ heic Jason dicitur, quod fidem Medeæ non servarit, quasi bilinguem dicas & non unius oris ac vocis hominem, sed perfidum, & promissis suis verbisque minime stantem, διὰ τὸ μεμερισμένην ἔχειν τὴν ὄπα? an vero μέροψ pro Thessalo positus? Nam Triopas ex Thessalia in insulam Coam commigravit, cujus Triopæ filius Merops, unde Meropes Coi dicti: at heic Μέροπα pro Thessalo posuit, siquidem Merops oriundo vere Thessalus fuit. Jason autem Thessalus. Quid si μέροψ simpliciter, & vulgari sua notione accipimus pro homine, ut μέροπα δίσαβον, hominem juventuti restitutum, seu bis juvenem factum intelligamus? Minus tamen hoc ultimum probo, nam nullum pæne verbum vacantis, & otiosæ significationis in hoc poematio reperitur, sed omnia sunt αἰνιγματώδη. Magis placet, ut Μέροπα pro Thessalo accipiamus.

Δίσαβος) Vetus editio legebat, δίσαβος. nos δίσαβος fecimus, ita postulante versu: viri docti reposuerant δύσαβος, ut de Troilo intelligeretur. Sed eam opinionem satis supra refutavimus. δίσαβος autem Jason vocatur, quod a Medea in juventutem restitutus sit, ut Pherecydes & Simonides testabantur: quod alii de Æsone ipsius patre dixerunt, quem Medea recoxisse & senio absterso juventæ reddidisse fertur. Scholiastes Euripidis in Argumento Medeæ: Φερεκύδης δὲ καὶ Σιμωνίδης φασὶν ὡς ἡ Μήδεια ἀνεψήσασα τὸν Ἰάσονα νέον ποιήσειε. περὶ δὲ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ Αἴσονος ὁ τοὺς νόστους ποιήσας φησὶν οὕτως. Vide versus. Hinc igitur Μέροψ δίσαβος Jason.

Τεῦξ' οὐ ἀποδδύνας) Pro οὐ quod habebant membranæ & vetus editio, οὗ, mutato tantum accentu reposuimus. Sententia hæc est: *Semimasculæ mulieris maritus Thessalus, bis juvenis, id est Jason, ibi me posuit & struxit, ubi Achilles Thetidis filius a Trojano Hecubæ filio, id est Paride occisus est.* De ara Chrysæ, quam struxit Jason cum iret ad Cholchos, diximus in superioribus. Heic author manifesto confundit, Chrysen quæ ad Lemnon, in qua posita, & dedicata Minervæ ara ab Jasone, cum Troica Chrysa, in qua colebatur Apollo Sminthius, in cujus templo ante aram occisus est Achilles. Idque adeo clarum & apertum est, ut probatione non egeat. Sed ne miremur, Chrysen Lemniam & Troicam ab hoc auctore confundi, sciendum in eodem errore versari Stephanum περὶ ἐθνικῶν. sic enim scribit: Χρύση, βαρυτόνως, ἡ πόλις τοῦ Ἀπόλλωνος, ἐγγὺς Λήμνου. Σοφοκλῆς Λημνίαις.

Ὦ Λῆμνε, Χρύσης τ' ἀγχιτέρμονες πάγοι.

καὶ ἐν Αἰχμαλωτίσι,

Ταύτην ἐγὼ Χρύσην τε καὶ Κίλλαν.

In priore versu Sophoclis de Chryse quæ Lemno vicina, accipi debere apparet ex voce Λῆμνε, & ex titulo Tragœdiæ, Λημνίαι: in posteriore vero de Troica intelligendum, & urbs Κίλλα, quæ ibi junctim cum Chryse ponitur, & urbs est τοῦ Τρωϊκοῦ πεδίου, & titulus Tragœdiæ Αἰχμαλωτίδες, satis ostendunt. Nam Αἰχμαλωτίδες ibi sunt Trojanæ mulieres captivæ. Sic apud Homerum Chryse & Cilla, ut Apollini sacræ urbes, conjunctim memorantur, Iliad. α.

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ' ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας,
Κίλλαν τε ζαθέην ——

de qua Troica Chrysa videndus Strabo lib. XIII. & Eustathius in Homerum: legitur apud Stephanum in voce Χρύση· καὶ πανηφαιστία τῆς Λήμνου ἀκρωτήριον, πρὸς Τένεδον βλέπον· quibus verbis nihil corruptius. Corrigendum: καὶ περὶ Ἡφαιστίαν τῆς Λήμνου ἀκρωτήριον. Ἡφαιστία urbs Lemni, circa quam promontorium nomine Chrysen collocat idem Stephanus: & sciendum est illam ipsam esse Chrysen de qua Sophocles in isto versu:

Ὦ Λῆμνε, Χρύσης τ' ἀγχιτέρμονες πάγοι.

Item sciendum in illo promontorio positam esse aram ab Jasone, nullum vero ibi templum fuisse, sed aram tantum sub dio constitutam patet ex istis versibus Sophoclis in Philoctete:

Σὺ γὰρ νοσεῖς τόδ' ἄλγος ἐκ θείας τύχης,
Χρύσης πελασθεὶς φύλακος, ὃς τὸν ἀκαλυφῆ
Σηκὸν φυλάσσει κρύφιος οἰκουρῶν ὄφις.

Sic igitur statuendum est, nullam urbem fuisse Chrysen Lemno vicinam, sed promontorium tantum hoc nomine prope Hephæstiam urbem Lemni: in quo promontorio collocatam aram & Minervæ consecratam ab Jasone supra docuimus: urbem autem Chrysen in agro Troico fuisse, in qua templum Apollinis Sminthei, ante cujus aram Achilles ab Apolline & Paride sagitta confixus est, & occisus, ut narrat heic auctor hujus βωμίσκου. qui tamen in eo falsus est, quod eandem hanc Chrysen putavit in qua Achilles occisus, cum promontorio Lemni, in quo ara Jasonis, quam loquentem inducit, & cujus figuram heic nobis exhibuit. Vehementer etiam erravit Stephanus, qui Χρύσην urbem Lemni Apollini sacram esse dixerit, cum de Troica tantum Chryse hoc verum sit, & nullam hoc nomine in Lemno vel prope Lemnon urbem fuisse constet, sed promontorium περὶ Ἡφαιστίαν, quem πάγον Χρύσης Sophocles appellat ἐν Λημνίαις. Vetus quoque auctor qui sub nomine Dictys Cretensis libellum de bello Trojano scripsit, in eodem errore fuit, & Chrysen Troicam cum Lemniaca confundit: vult enim Philocteten haud procul ab ara Sminthii Apollinis cujus templum apud Troicam Chrysam fuit, a serpente fuisse percussum, cum omnes in Chryse ad Lemnum id ei accidisse scribant, dum investigat aram quam ibi olim Jason Chrysæ Minervæ dedicaverat: sic imposuit illi ὁμωνυμία Chrysæ urbis in agro Troico sitæ: in qua templum Apollinis, & Chryses promontorii prope Lemnun, vel in ipsa Lemno, in quo ara Minervæ: verba autem ejus ista sunt: *sed Chryses quem sacerdotem Sminthii Apollinis supra diximus, utriusque exercitus offensam metuens, quisque partium ad eum venerat, cum his se adjunctum esse simulabat. Interim in eo sacrificio Philocteta haud procul ab ara templi ejus astans, morsu serpentis forte contingitur: dein ab omnibus qui animadverterant clamore sublato, Ulisses accurrens serpentem interficit: neque multo post Philocteta cum paucis uti curaretur, Lemnon insulam mittitur.*

Σποδδύνας) σποδδύνας cum ἐμπούσας jungebant doctissimi viri, & de Hecuba interpretabantur: quam recte mox viderimus: ὁ σποδδύνας hoc loco est Achilles, quem eleganter sic appellat, quod cum mater, ut exueret quod a patre habebat mortale, de nocte in ignem conditum cinere calido obruebat; interdiu autem ungebat ambrosia. Apollodorus lib. III. ὡς δὲ ἐγέννησε Θέτις ἐκ Πηλέως βρέφος, ἀθάνατον θέλουσα ποιῆσαι τοῦτο, κρύφα Πηλέως εἰς τὸ πῦρ ἐγκρυβοῦσα τῆς νυκτὸς, ἔφθειρεν ὃ ἦν αὐτῷ θνητὸν πατρῷον. Nota tibi illud εἰς τὸ πῦρ ἐγκρυβοῦσα. Sic enim cineribus conditum & obrutum fuisse Achillem significat, ut solent panes, qui inde ἐγκρυφίαι dicebantur. Hinc σποδδύναν cum heic vocat auctor, quod in cinere calido scilicet cubaret: nam totam noctem in igne positum mansisse verba Apollodori indicant.

Ινις ἐμπούσας) ἔμπουσαν heic Hecubam accipiebant, ut de Troilo intelligeretur, quem Hecubæ filium fuisse constat. Sed qua ratione empusa diceretur Hecuba, quæro: eam quidem in canem esse versam poetæ passim testantur; sed quid cani cum empusa? certum est Græcos ἔμπουσαν appellare, φάσμα quoddam δαιμονιῶδες, quod ab Hecate immitti credebatur, & in varias formas mutari, ut modo aqua, modo ignis fieret, nunc in serpentem, nunc in puellam verteretur: de quo consulendi sunt Grammatici, & in primis Aristophanis Scholiastes in Ranis. Hinc ἔμπουσαν vocat Thetidem, quod empusæ modo, in varias se verterit figuras, ne cum Peleo concumberet, ut narrat Ovidius lib. XI. Metam. ἶνις igitur ἐμπούσας, est Achilles, Thetidis filius.

Μόρος Τεύκροιο βούτα) Miro & novo genere loquendi Achillem heic vocat μόρον Πάριδος, non qui Paridem occiderit, ut Euripides, vel Pindarus, nisi fallor, Medeam appellat Πελίαο φόνον, sed qui a Paride occisus sit. Sic vulnus Ulyssis apud Virgilium, non quod accepit Ulysses, sed quo alium vulneraverit:

—— & vulnere tardus Ulyssi.

Non valde dissimile est, quod Sallustius metum Pompeii dixit, non quo timebat, sed quo timebatur: de quo locutionis genere nos alibi plura.

Τεύκροιο βούτα καὶ κυιος τεκνώματος) Paridem heic per Τεῦκρον βούταν & κυιὸς τέκνωμα designari, notius est, quam ut probari pluribus debeat: mirifice hunc versum corruperant, & mutilarant eruditi viri, dum interpretationibus suis, hæc omnia ad Troilum trahere conantur. Nos lectionem, quæ in veteribus excusis comparebat, & in vetustis membranis confirmabatur, restituimus, & exposuimus.

Χρύσας αἴτας ἄμος ἴψανδρα) Repetendum est aræ initium, ut de hujus loci sententia constet: *Semimasculæ me mulieris maritus, hoc est Jason, ibi condidit & posuit ubi Achilles Thetidis filius a Teucro bubulco interfectus est, tunc cum Apollo,* quem heic Χρύσας αἴταν vocat, *virorum decoctorem, loricatum Thynnum, id est Achillem extinxit:* ita loquitur ara. Achillem autem Apollinis sagittis interfectum quidam volunt, alii a Paride, sed ejus manum telumque dirigente Apolline. Virgil.

—— direxti tela manumque
Corpus in Æacidæ.

Heic vero auctor, Paridem simul & Apollinem posuit, Achillis interfectores. Nunc ad singularem vocum expositionem veniamus.

Χρύσας αἴτας) Χρύσας αἴταν vocat Apollinem quod in urbe Chryse coleretur, ut supra ex Homero diximus,

Κλῦθί μευ ἀργυρότοξ᾽ ὃς Χρύσην ἀμφιβέβηκας.

Ovidius:

—— Chrysenque & Cillan Apollinis urbes.

αἴτας autem non tantum amasium significat secundum Thessalos, sed etiam ἑταῖρον καὶ συμπολίτην. Hesychius, αἴτης ἑταῖρος. Sed & illo τοῦ ἐρωμένου sensu non minus heic locum habere possit: quem enim Chrysa coleret, & veneraretur, hunc Χρύσας αἴταν dici recte arbitror. Alcman pulchras etiam & amabiles puellas αἴτας vocavit. Vetus Scholiastes ἀνέκδοτος in Theocriti αἴτην· τοὺς ἐρωμένους ἔνιοι αἴτας καλοῦσιν ὡς Θετταλοί· καὶ ὁ Ἀλκμὰν τὰς ἐπεράστους κόρας λέγει αἴτας· nisi κόρους ibi legendum aliquis opinetur. Χρύσας heic Dorice pro Χρύσης. Nam Dorice scripta hæc ara. Strabo tamen etiam Χρύσαν eum appellat lib. XIII. frustra igitur fuere, qui hoc loco χρυσοῦς αἴτας reponi volebant.

Αμος ἴψανδρα) Ita reposuimus pro εὖσ᾽ ἄνδρα, quod in vulgatis legebatur. Nam vetus Codex habuit ἴψ᾽ ἄνδρα, nos una voce ἴψανδρα fecimus. Metaplasmus autem est pro ἴψανδρον. ut ἐρυσάρματες ἵπποι, & πρωτόθρονες ἕδραι, ut supra notare memini: ἴψανδρα, hoc est virorum incoctorem vel decoctorem Achillem appellat, vel propter duodecim captivos Trojanos, quos ad pyram Patrocli interfecit, & simul combussit; vel ex eo quod cum magnam Trojanorum stragem in fluvio Scamandro ederet, & Scamander adversum ipsum ad vindicandos cives suos, ita abundasset, ut in vitæ periculum eum adduxerit, Vulcanus, Junonis instinctu, magna ignium vi fluminis impetum repressit, & anguillas, ceterosque pisces torruit, & Trojanorum cadavera, quæ flumine ferebantur elixa reddidit, haud minus ac si in lebete fervente essent posita. Hinc ἴψανδρα vocat Achillem: & licet hoc ipse Achilles non fecerit, tamen quod in ejus gratiam & salutem, a Vulcano factum fuerit, cujus ipse causa fuit, quasi ab eo factum videri voluit hic auctor: & hanc veram istius vocabuli rationem puto. Nam illa de duodecim Trojanis ad rogum Patrocli occisis & combustis, minus cum verbo ἰψεῖν, unde hoc nomen compositum est, quadrat; assos enim illos, ut ita dicam, & tostos intelligi par est, qui cum Patrocli cadavere ustulati sunt: at istos elixos, quos flumen bulliens, & vi Vulcani fervens vorticibus volvebat: hinc verbum ἴψανδρος. Vide Homerum Iliad. φ.

Τὸν γυόχαλκον θῦνον ἔρραισεν) θῦνον pro οὖρον, quod in editionibus habetur, scriptum in membranis reperi: a verbo θύνω, quod est curro, & impetum facio, nomen θῦνος, quod non solum cursum & impetum significat, sed etiam *impetejum*, ut loquebantur veteres, καὶ πηδητικὸν, & in currendo velocem. Sic πλάνος a verbo πλανῶ, non errorem tantum, sed etiam erronem denotat: sic μῖμος, & qui agit histrio, & fabula quæ agitur: sic ῥόμβος, & vertiginem significat, & hominem qui vertigine laborat, vel circitorem, & vagum, & circumcursorem, ut diximus ad Herodis inscriptionem illo loco,

—— καὶ ῥόμβος ἀλάστωρ.

posset etiam heic legi, τὸν γυόχαλκον θῦνον, a celeritate & impetu thunni piscis, quem propterea ἀπὸ τοῦ θύειν dictum Grammatici afferunt. Utut sit, γυόχαλκον θῦνον Achillem heic appellari non dubitamus.

Ο[r] ωπατωρ δίσεως) Vet. editio legit ἀπάτωρ,

atque ita membranæ Palatinæ: viri docti repoſuerunt, ὀπάτωρ nihilo melius quod ad verſum: quod ad ſenſum vero attinet, longe pejus: nos ὀπάτωρ fecimus, hoc eſt ὁ ἀπάτωρ, & ad verſus modulum, & ad ſententiæ rationem recte: nam de Paride iſta dicuntur, a quo interfectum Achillem nunc refert, cum antea ab Apolline occiſum dixerit: ſed ex Poeta conſtat ab utroque fuiſſe interemptum. Iliad. enim τ. cum Xanthus equus mortem Achilli prædiceret, μόρσιμον illi eſſe dicit, θεῷ τε καὶ ἀνέρι ἶφι δαμῆναι: quod quidem ſemel ſimulque factum eſt: non enim diverſis vicibus Paris & Apollo Achillem vulnerarunt, & interfecerunt, ſed telum miſit Paris, Apollo direxit: at hic auctor ut rem cæcis ambagibus magis involveret, & obſcuraret, primum Achillem Τέκροιο βύτα μόρον appellat, deinde ab Apolline occiſum refert: deinde redit ad Paridem, & ab eodem interfectum narrat: quæ omnia, ut dixi ad majores huic αἰνιγματώδει ſcripto tenebras inducendas pertinent. Sed tametſi ſeparatim narret, quod uno eodemque tempore accidit, rei tamen veritas manet: nam conſtat ab Apolline & Paride Achillem interemptum.

Ον ὠπάτωρ δίσευνος) Ἀπάτωρ Paris dicitur, quod priuſquam eſſet agnitus, cum in Ida monte paſtor erat, cujus eſſet patris, ignoraretur, ac per hoc patrem non habere crederetur: nam quovis alio potius, quam quo revera fuit, patre natus exiſtimari potuit. Spurii Latinis dicebantur, vel Spurio patre nati, quorum pater ignorabatur. Græci ἀπάτορας vocant. Plutarchus: διὰ τί τοὺς ἀπάτορας σπουρίους υἱοὺς καλοῦσιν; Sic Panem ἀπάτορα vocat Theocritus in Fiſtula, quod ex promiſcuo procorum cum Penelope concubitu creatus putaretur, atque ideo cujus eſſet patris, incertum haberetur. Heic vero ἀπάτωρ Paris, quod diu ſine patre fuerit, priuſquam agnoſceretur a ſuis.

Δίσευνος) Δίσευνος idem Paris vocatur, propter Oenonen & Helenam: ſed nec quare μητρόρριπτος dicatur obſcurum eſt.

Θεοκρίτοιο κτάντας) Id eſt Paridis, διὰ τὸ Θεὰς ὑπ' αὐτοῦ κριθῆναι, ut notum eſt: at Theocritus in Fiſtula κατὰ μετάληψιν, ſeſe Paridem indigetat, quod Paris Θεόκριτος.

Τελεσπόροιο) Membranæ, Τελεσπορίοιο, perperam. Τελέσπορον λέοντα Herculem, niſi fallor, vocat Lycophron: cauſa nominis minime obſcura eſt.

Καύτας) Eædem membranæ, καύστας: utrumque dicitur, & καυτὸν & καυστὸν: unde καυστειρός: ſic encautum & encauſtum: & falluntur, qui mutandum cenſent: de quo nos alibi.

Θώϋξεν ἀνιύξας) Ita ex veteri libro emendavimus, pro eo quod vulgabatur, ἄϊξεν ἀναΐξας: mendum tamen adhuc ſupereſt in voce ἀνιύξας: nam verſus propter illam laborat: itaque legendum putarim: αἰν' ἰύξας, pro αἰνῶς ἰύξας· vel ἀντιύξας: ſed illud melius: θωΰσσειν, θωρυβωδῶς βοᾷν exponunt Grammatici, & ἰύζειν, κραυγάζειν & βοᾷν. ſed & ſibilum edere ſignificat: ac fortaſſe non male ἀντιύξας legeretur, ut Philoctetes a ſerpente morſus, præ dolore vocem eam emiſerit, quæ ſibilum ſerpentis a quo percuſſus fuit, imitaretur. Sane alterutram lectionem veram eſſe probe ſcio.

Σύργαστρος ἐκδύγηρας) Ita ex conjectura legendum judicavimus, cum vetus liber legeret, ἐκδὺς γῆρας. Sed eam lectionem verſus reſpuit: ἐκδύγηρας ſerpenti aptum & proprium epithethon, nam quotannis ſenecturem exuunt: pro σύργαστρος idem liber, σύγγαστρος retinebat. Sed conjecturam virorum doctorum admiſimus, qui σύργαστρος legendum probarunt, quod item ſerpentis proprium. Hanc vocem in veteri inſcriptione reperi, ſed corruptam: nam ubi vulgo ſcriptum eſt, DIIS PATERNIS SURGASTEO MAGNO: omnino ſcribendum, SURGASTRO MAGNO, quod ego de Æſculapio interpretor, quem in draconem verſum, & ſic Epidauro Romam advectum ſatis ſciunt qui in hiſtoria Romana non penitus ſunt hoſpites: niſi cui placeat magis de aliquo genio interpretari: nam genios ſub anguium effigie colebant. Ego ad Æſculapium pertinere judico: quod alibi pluribus adſtruam.

Τουδ' εἰλινεῦντ' ἐν ἀμφικλύστῳ) Corruptiſſimus hic locus circumfertur in editionibus, & ſcriptis libris: nam quod ἑλινεῦντα legitur in vulgatis, verſui repugnat: ἀειλινεῦντα item corruptum, quod habent membranæ: nos εἰλινεῦντα fecimus: nam hic verſus par & ſimilis eſſe ſequenti debet: εἰλινέω autem ab εἴλω· ut ἀγινέω ab ἄγω. ἐγινύειν etiam pro eodem dicitur.

Πανός τε ματρὸς εὐνέτας φὼρ δίζωος) Ulyſſem hæc verba deſignant, qui Philocteten in Lemno inſula hærentem, & cum pedis dolore luctantem, ſagittarum ejus gratia, ſine quibus capi non poterat Troja, inde abſtraxit, & ad Græcorum exercitum deduxit: in quo negotio exequendo Sophocles Neoptolemum Ulyſſi adjungit: alii Diomedem cum Ulyſſe hoc idem perfeciſſe tradunt, quos ſequutus eſt hujus aræ auctor.

Ινις δ' ἀνδροβρῶτος) Vulgo exponunt, *filium hominum voratoris*, & de Neoptolemo accipiunt: hominum autem voratorem Achillem fuiſſe volunt, quod partim in vita ſua multos homines occiderit, partim etiam poſt mortem Polyxenam ſibi mactari juſſerit. Sed quid ineptius, quam hominum voratorem aut comeſtorem intelligere, qui homines interfecerit? jam docuimus, non de Neoptolemo, ſed de Diomede hæc eſſe accipienda, quem cum Ulyſſe Lemnon profectum, ut Philocteten inde accerſerent, & ad Trojam ducerent, memoriæ prodidere quidam. Tydei autem filius Diomedes, quem Tydeum ἀνδροβρῶτα heic vocat, quod bello Thebano Menalippi, a quo letiferum vulnus acceperat, cerebrum hauſerit. Statius lib. VIII. ſub finem:

> *——jamque inflexo Tritonia patre*
> *Venerat, & miſero decus immortale ferebat.*
> *Atque illum effracti perfuſum tabe cerebri*
> *Adſpicit, & vivo ſcelerantem ſanguine fauces.*

Et initio lib. IX. de eodem Tydeo:

> *——jam morſibus uncis*
> *Pro furor! uſque adeo tela exſaturavimus, artus*
> *Dilacerant.——*

Euripides de Tydeo:

> Εἰς ἀνδροβώτους ἡδονὰς ἀφίξεται
> Κάρηνα πυρσαῖς γεύσεται Μεναλίππου σπάσας.

Ινορραίσαν ἦρ' ἀρδίων) Ita emendavimus, pro ἰλιορραίσαν· ἰνορραισαὶ ἄρδιες, quaſi dicas, nervicidas ſagittas: ſagittarum enim proprium, cum in corpus penetrant, nervos & venas ſcindere.

Εἰς Τάλκριδ' ἄγαγον τρίπορθον) ἄγαγον pro ἤγαγεν repoſuimus: de duobus enim loquitur, Ulyſſe ſcilicet & Diomede: & verſus in integrum reſtituimus, ex fide membranarum Palatinæ Bibliothecæ.

ΣΙΜΜΙΟΥ ΤΟΥ ΡΟΔΙΟΥ

ΩΟΝ.

Κωτίλας
ματέρος
τῆ τοῦτ' ὠὸν νέον
πρόφρων δὲ θυμῷ δέξο· δὴ γὰρ ἁγνᾶς
τὸ μὲν θεῶν ἐριβόας Ἑρμᾶς ἔκιξε κάρυξ
ἄνωγε δ' ἐκ μέτρου μονοβάμονος μέγαν πάροιθ' ἀέξειν
θοῶς δ' ὕπερθ' ὠκὺ λέχειον νεῦμα ποδῶν σποράδων πίφαυσκε
θοαῖσι δ' αἰόλαις νεβροῖς κῶλ' ἀλλάσσων ὀρσιπόδων ἐλάφων τέκεσσι
παλαικραιπνοῖς ὑπὲρ ἄκρων ἱέμεναι ποσὶ λόφων κατ' ἀρθμίας ἴχνος τιθήνας
καί τις ὠμόθυμος ἀμφίπαλτον αἶψ' αὐδὰν θὴρ ἐν κόλπῳ δεξάμενος θαλάμων πυκωτάτων
καὶ πάδ' ὦκα βὰς μεθέρπων ἀφαρ ὄγε τὸ λάσιον νιφοβόλων ἀν' ὀρέων ἔσσυται ἄγκος
ταῖσι δὴ δαίμων κλυτᾶς ἶσα θέωσι ποσὶ δονέων τὰ πολύπλοκα μετίει μέτρα μολπᾶς
ῥίμφα πετράκοιτον ἐκλιπὼν ὄρευς εὐνὰν ματρὸς πλαγκτὸν μαιόμενος βαλίας ἑλεῖν τέκος
βλαχαὶ δ' οἰῶν πολυβώτων ἀν' ὀρέων νόμον ἔβαν τανυσφύρων τ' ἀν' ἄντρα νυμφῶν
ταὶ δ' ἀμβρότῳ πόθῳ φίλας ματρὸς ῥώοντ' αἶψα μεθ' ἱμερόεντα μαζόν
ἴχνει θένων τὰν παναίολον Πιερίδων μονόδουπον αὐδάν
ἀριθμὸν εἰς ἄκραν δεκάδ' ἰχνίων κόσμον νέμοντι ῥυθμῷ
φῦλ' ἐς βροτῶν ὑπὸ φίλας ἐγὼν πτέροισι ματρὸς
λίγεια μιν κάμ' ἀμφὶ ματρὸς ὠδῖς
ἁγνᾶς ἀηδόνος
Δωρίας
ἄτριον.

CLAUDII SALMASII NOTÆ.

Habes Ovum Simmiæ, ad priſtinam ſuam faciem & ſplendorem, partim ingenii fiducia, partim ſcriptorum librorum ope, a nobis reſtitutum: in quo caſtigando & explicando multam hactenus ſed inanem operam ſumpſerunt doctiſſimi hujus ætatis homines: ſed eam viam hujus poematii, non valde alias obſcuri, exponendi iniiſſe videntur, ut etiam ſi caſtigatiſſimos codices, & integerrimam ſcripturam nacti eſſent, nunquam profecto veram interpretationis rationem tenere poſſent: non igitur mirandum, ſi tot emendationum monſtra peperit falſa illa ratio, quam ad hoc ovum explanandum adhibebant: hinc factum eſt, ut non lucem ex tenebris, ſed ex luce tenebras dederint, ipſique ſe in laqueos induerint, in quibus adhuc hærerent, niſi ego ſolviſſem. Cum igitur a primo verſu ad ultimum, a ſecundo ad penultimum, & ita deinceps, progrediendum eſſet, ut in ejuſdem Simmiæ ſecuri, vulgari & ſolito ordine, τὴν ἀνάγνωσιν facere inſtituerunt, a primo ad ſecundum, a ſecundo ad tertium, & ita uſque ad finem, & ultimum Ovi verſiculum procedentes: ex qua ἀναγνώσεως ratione tantam inſequi perturbationem fuit neceſſe, ut idoneus inde ſenſus elici nullo modo potuerit. Atqui jam olim Hephæſtion in libro περὶ μέτρων eum quem ſupra diximus ordinem ſequendum in iſtius ludicri poematii lectione indicarat. Sic enim ille ſcribit in Enchiridio: ἀντιθετικὰ δὲ ὅσα κατὰ θέσιν μὲν γέγραπται, οὐ μὴν τοι καὶ τὴν αὐτὴν τάξιν παραβάλλεται ἀλλήλοις τὰ ἀντιστρέφοντα: ἀλλὰ τὸ πρῶτον ἀπὸ τοῦ τέλους, τῷ πρώτῳ παραβάλλεται τῷ ἀπὸ τῆς ἀρχῆς· τὸ δὲ τρίτον ἀπὸ τέλους, τῷ τρίτῳ, καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν οὕτω. ταύτης δὲ τῆς ἰδέας ἐστὶ τὸ ὠὸν τοῦ Σιμμίου καὶ ἄλλα παίγνια. Idem alio loco: ἀντιθετικὰ δὲ ἐστὶν ὁπόταν ὁ ποιητὴς γράφῃ ὁπόσα δή ποτε κῶλα ὡς ἀνόμοια καὶ ὡς βούλεται· εἶτα τούτων ἀνταποδῷ τῷ μὲν τελευταίῳ τὸ πρῶτον, τῷ δὲ δευτέρῳ ἀπὸ τέλους τὸ δεύτερον, καὶ οὕτω πάντα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον· τοῦτο δὲ τὸ εἶδος παρὰ μὲν τοῖς παλαιοῖς σπανιώτατον ἐστὶν, παρὰ δὲ Σιμμίᾳ τῷ Ῥοδίῳ ἐστὶν οὕτω πεποιημένα ἐν τῷ ἐπιγεγραμμένῳ ὠῷ: id etiam docuerat Scholiaſtes vetus ad Alas his verbis: τὸ σχῆμα τοῦ πτερυγίου οὐκ ἔχει ἀπὸ τοῦ πρώτου ἐπὶ τὸ ἔσχατον τὴν ἀνάγνωσιν, ὡς ἐπὶ τοῦ πελέκεως καὶ τοῦ ὠοῦ. Priuſquam autem ad expoſitionem veniamus, pauca de auctore hujus παιγνίου ſunt dicenda. Simmiam eſſe auctorem Hephæſtioni credimus, licet in dubium vocent veteres membranæ in quibus ita ſcriptum offendi: Βησαντίνου Ῥοδίου ὤϊον ἢ Δωσιάδα, ἢ Τιμαίου, ἀμφότεροι γὰρ Ῥόδιοι. Quis ille Beſantinus Rhodius, quærant, quibus otium eſt. Biſantinum eum alicubi vocat Stobæus. Simmiam Theocrito antiquiorem fuiſſe ex eo colligo, quod Hephæſtion Philicum poetam Tragicum cum Simmia recentiorem facit: quem Philicum unum τῆς πλειάδος fuiſſe, & ſub Ptolemæo Philadelpho floruiſſe, quo tempore vixit etiam Theocritus, ſatis compertum eſt: ſic Philicus & Theocritus coævi fuerint, Simmias vero utroque vetuſtior: ſed de his accuratius in Epigrammatum veterum editione. Nam Meleager in ſua pancarpia compilanda, Simmiam non præteriit.

> Σμυρναίου τε κλάδον Νικαινέτου, ἠδὲ Φαέννου
> Τέρμινθον, βρωτὴν δ' ἀχράδα Σιμμίεω.

atque hæc de auctore, de quo ſi plura interim ſcire cupis, adeundus tibi Suidas. Nunc ad argumentum veniamus. Mitti hoc luſciniæ Ovum cuidam lectæ fœminæ ſibi falſo perſuaſerat vir eruditiſſimus. Alii Dianæ hoc Ovum offerri a poeta cre-

diderunt. Omnes frustra fuere: ἀλληγορικὸν enim totum est hujus ποιήματος argumentum: nec Ovum lusciniæ, aut hirundinis inscribi debet, ut est in veteribus membranis, ᾠὸν χελιδόνος, sed ᾠὸν simpliciter, ut apud Hephæstionem duobus locis, ἐν τῷ ἐπιγεγραμμένῳ Σιμμίου ᾠῷ: vocat quidem istud ovum poeta, partum ἁγνᾶς ἀηδόνος, sed de vera luscinia minime intelligendum est: ἀλληγορικὴν enim esse hanc ὑπόθεσιν diximus totam, & sic de hoc tantum Ovo, id est, de hoc poematio in modum & figuram ovi a poeta composito, omnia quæ heic sub ovi specie dicuntur, accipienda sunt. Sic Dosiades in Ara Musarum, non aliquam aram quæ alicubi extaret, in honorem Musarum constituta, sed illam ipsam a se compositam & versibus structam intellexit: quam ideo a Musis positam Gratiisque finxit, quod a poeta Gratiarum Musarumque alumno condita constructaque esset: sic in isto παιγνίῳ poeta Ovum appellat, ἄτριον δωρίας ἀηδόνος, id est texturam Doricæ lusciniæ: quibus verbis se concepisse atque edidisse hoc Ovum aperte significat, non autem ovum revera Lusciniæ alicui matronæ mittere, aut Divæ dedicare. Δωρίαν enim ἀηδόνα ipse se vocat, quod de genere Dorico fuerit: more poetis usitato, qui ἀηδόνας ipsi se vocitare consuerunt. Callimachus de Heraclito poeta:

> Αἱ δὲ τεαὶ ζώουσιν ἀηδόνες, ᾗσιν ὁ πάντων
> Ἁρπακτὴς ἀΐδης οὐκ ἐπὶ χεῖρα βαλεῖ.

ubi ἀηδόνας vocat, Heracliti carmina, & labores musicos. Sic Euripides Palamedem πάνσοφον ἀηδόνα vocavit: idem Euripides *tibias*, λωτίνας ἀηδόνας elegantissime dixit. Invitat igitur lectorem Simmias ad Ovum istud suum, ingenii sui fœtum benevole excipiendum. *Accipe*, inquit, *hoc Ovum, Doricæ lusciniæ fœtum: lubenter autem & prompto animo suscipe: nam matre pura, & dulciloqua editum est. Mercurius autem Deorum nuncius*, hoc est λόγος προφορικὸς, *illud adprehendit, & in hominum genus edidit, matris alis surreptum, quibus fovebatur:* quæ verba nihil aliud quam τὴν ἔκδοσιν hujus opusculi a poeta adornatam allegorice significant. *Jussit autem Mercurius istud Ovum a singulari metro*, id est monometro, *incipiens, usque ad decimum versum semper crescendo procedere:* nam hoc Ovum a monometro Trochaico incipit, κωτίλας, ματέρος; quibus duobus primis colis, respondent duo postrema, item monometra, ἄτριον, δωρίας: a quibus deinceps sequentes versus crescere incipiunt, & invicem sibi respondent priores posterioribus κατ' ἀντίθεσιν: a fine vero & ab initio æqualiter crescentibus metris, atque inter se pariantibus, ad medium Ovi pervenitur, in quo bini versus siti sunt sibi pares, & reliquis omnibus majores, quorum unus ab initio descendit, alter ab fine ascendit decimum locum ab sua quisque parte veniens, occupat. Sic a monometro, ut diximus, ad decametron progressus est Mercurius, id est λόγος μουσικὸς, in hoc Ovo contexendo & componendo. Decametron diximus, non proprie; nam nullus in hoc opusculo versus heptametro major est: sed quod a primo versu qui revera μονόμετρος, usque ad eum numerum reliqui versus crescunt, dum pede aut syllaba præcedentes a sequentibus superantur, donec ad decimum perveniatur, qui omnes antecedentes superat. Hoc est quod dicit ἐκ μέτρου μονοβάμονος μέγαν πάροιθ' ἀέξειν ἀριθμὸν εἰς ἄκραν δεκάδα ἰχνίων. Quæ sequuntur minime obscura sunt: nam motum Mercurii & pedum supplosionem in percutiendis istis metris, comparat hinnuleorum citatis gressibus qui matris vestigia sequuntur, & illius desiderio interim vagientes lupum aut leonem ex latibulis suis excitant: qui voce hinnuleorum audita statim eos persequitur, & ad paratam prædam convolat: eodem plane modo Mercurium, & ad hinnuleorum celeritatem proxime, in istius incliti carminis metris, multiplicibus quidem illis καὶ πολυπλόκοις fingendis, & citato pede ad numerum feriendis esse versatum. Sed lubet totum apponere, eo quo debet ordine legi, ut intelligi possit etsi turbata & eversa Ovi figura,

Κωτίλας
ἄτειον
ματέρος
δωρίας
τῆ τοῦτ' ᾠὸν νέον
ἁγνᾶς ἀηδόνος.
πρόφρων δὲ θυμῷ δέξο· δὴ γὰρ ἁγνᾶς
λίγεια μιν κάμ' ἀμφὶ ματρὸς ὠδίς.
τὸ μὲν θεῶν ἐριβόας Ἑρμᾶς ἔκιξε κάρυξ
φῦλ' ἐς βροτῶν ὑπὸ φίλας ἑλὼν πτέροισι ματρός.
ἄνωγε δ' ἐκ μέτρου μονοβάμονος μέγαν πάροιθ' ἀέξειν
ἀριθμὸν εἰς ἄκραν δεκάδ' ἰχνίων κόσμον νέμοντι ῥυθμῷ.
θοῶς δ' ὕπερθ' ὠκὺ λέχριον νεῦμα ποδῶν σποράδων πίφαυσκε
ἴχνει θένων τὰν παναίολον Πιερίδων μονόδουπον αὐδάν.
θοαῖσι δ' αἰόλαις νεβροῖς κῶλ' ἀλλάσσων ὀρσιπόδων ἐλάφων τέκεσσι.
ταὶ δ' ἀμβρότῳ πόθῳ φίλας ματρὸς ῥώοντ' αἶψα μεθ' ἱμερόεντα μαζὸν
παλαικραιπνοῖς ὑπὲρ ἄκρων ἱέμεναι ποσὶ λόφων κατ' ἀρθμίας ἴχνος τιθήνας.
βλαχαὶ δ' οἰῶν πολυβώτων ἀν' ὀρέων νόμον ἔβαν τανυσφύρων τ' ἀν' ἄντρα νυμφῶν.
καί τις ὠμόθυμος ἀμφίπαλτον αἶψ' αὐδὰν θὴρ ἐν κόλπῳ δεξάμενος θαλάμων πυκωτάτων
ῥίμφα πετρόκοιτον ἐκλιπὼν ὄρους δ' εὐνὰν ματρὸς πλαγκτὸν μαιόμενος βαλίας ἑλεῖν τέκος
καὶ πίδ' ὦκα βὰς μεθέρπων ἄφαρ ὅγε τὸ λάσιον νιφοβόλων ἀν' ὀρέων ἔσσυται ἄγκος.
ταῖσι δὴ δαίμων κλυτᾶς ἶσα θέουσι ποσὶ δονέων τὰ πολύπλοκα μετίει μέτρα μολπᾶς.

Versibus ita ordinatis, & ἐκ παραλλήλου positis, melius apparebit eorum ἀνταπόδοσις, (omnes quippe ἀντιθετικοὶ sunt:) faciliusque multo, & expeditius totius poematis, legenti patebit intellectus: nunc eorum quæ in contextu mutavimus atque emendavimus, ratio reddenda est, & singulorum pæne verborum expositio proponenda.

Κωτίλας ἄτριον) Editio vetus habuit ἄγειον vel ἀγρίου. nos ἄτειον fecimus. sciunt qui in pervolvendis Græcæ litteraturæ scriptis codicibus vel mediocriter sunt versati, τὸ γ pro τ sæpius scriptum reperiri:

periri: ſic in Fiſtula Theocriti, *σαίτγας*, pro *σαίτπας* ſcriptum exhibebant membranæ: plura obſervamus in animadverſionibus noſtris ad Græcorum epigrammatum editionem. Sed mirum doctiſſimum Grammaticum Heſychium hac ſcribendi ratione fuiſſe deceptum, qui in Lexicon ſuum retulit, *ἰσγέον* pro *ἰςέον*. *ἰσγέων, γνωςέον, ἰςέον*. ſcriptum alicubi invenerat, *ἰσγέον* pro *ἰςέον*. quod eum fefellit, dum putavit *γλῶτταν* fuiſſe, *ἰσγέον* pro *ἰςέον*. *ἄτριον* autem *δωρίας ματέρος* hoc Ovum appellat, quaſi dicas texturam, & compoſitionem Dorici poetæ: non enim veræ luſciniæ ovum intelligit, ut jam oſtendimus: nec verum ovum luſciniæ, mittit ad aliquam lectam fœminam, ut colum Theocritus ad Theogenidem Niciæ uxorem: nam perquam inepte & pæne plus quam poetice, *luſciniæ texturam* appellaret, ovum a luſcinia editum: intelligit igitur hoc ipſum Ovum, ab ipſo contextum, & compoſitum, qui *Δωρίαν ἀηδόνα* ſe vocat, quod Doricus poeta fuerit. Rhodium fuiſſe hunc Simmiam liquet. Rhodus autem *μία τῶν νήσων τῶν Δωριέων*. Strabo de Rhodiis: *Δωριεῖς δέ εἰσιν, ὥσπερ καὶ Ἁλικαρνασεῖς καὶ Κνίδιοι καὶ Κῷοι*. *ἄτριον* Grammatici *ὕφασμα καὶ ὕφος* exponunt *καὶ ςήμονα*; in epigrammate nondum edito;

—— *καὶ τὰν ἄτρια κειναμεύαν*
Κερκίδα, ταὶ ἰςῶν μολπατίδα ——

inde *εὐήτριοι χιτῶνες*, non *malidenſes*, ſed bene ac denſe texti. Eleganter vero *ἄτριον* de poemate: ſic Latini *texere*, & *contexere carmina* dicunt: ſic iidem de ſtamine vel tela, ut & de verſibus, verbum *ducere* uſurpant. Tibullus:

Filaque de niveo vellere ducta putat.

& *ducere lanas* apud eoſdem frequens: ſed & *ducere carmen*, & *deducere*. Ovidius:

Proque bono verſu, primum deducite pilum.

Manilius lib. III.

—— *veſtros extendere fines*
Cogor, & indignos in carmine ducere cantus.

Ita emendavimus ex auctoritate Codicis Gemblacenſis: peſſime hodie legitur:

—— *& irriguos in carmina ducere cantus.*

ducere cantus, ut *ducere carmen*, Propertio & Ovidio: illi lib. IIII.

Cæſaris in nomen ducuntur carmina. ——

huic alicubi in libris de Ponto, ſed nunc locus non ſuccurrit: ab *ἄτριον* autem verbum *ἀτρίζεσθαι* quod texere ſignificat. Heſychius: *ἀτρίζεται, πήνεται*: ſic enim legendum, non *πένεται*, ut vulgo. *πήνομαι* verbum a quo *πῆνος* pro textura, & Latinum *panus*: ſed hæc alias.

Τῆ τοῦτ᾽ ὠὸν νέον) *Τῆ* ut apud Homerum, *τῆ Κύκλωψ πίε οἶνον*: & apud Callimachum *ἐν τοῖς ἀνεκδότοις*· *Τῆ Κερασοῖ, δίδωμι καὶ φαρέτρην*. Ita autem hunc verſum reſtituimus, pro eo quod erat in veteribus editionibus & membranis, *τῆ τόδ᾽ ὠὸν νέον*. Dimeter enim Jambicus eſſe debet *βραχυκατάληκτος*, ut reſpondere poſſit *ἀντιθετικῶς* illi qui ſequitur, *ἁγνᾶς ἀηδόνος*. Notandum vero primam in *ὠὸν* heic corripi propter ſequentem vocalem, ut in voce *Ἀλκμαίων* illo verſu:

Νέρων, Ορέςης, Ἀλκμαίων μητροκτόνοι.

& apud Timoclem:

Ο νοσῶν τι μανικὸν Ἀλκμαίων᾽ ἐσκέψατο.

eodem plane modo prima in *ςοϊκῶν* corripitur in iſto epigrammate:

Ω ςωϊκῶν μύθων εἰδήμονες ——

ſic prima in *οἷος* brevis apud Tragicos ſæpe, & apud Homerum:

Τὴν ἀρετὴν οἷος ἐσσὶ, τί σε χρὴ ταῦτα λέγεσθαι;

& ſecunda in *ἀδοιάςως* apud Anacreontem in Elegiis referente Hephæſtione,

Οὐδέ τί τοι πρὸς θυμὸν ὅμως γε μὲν ὡς ἀδοιάςως.

Sed hæc plus ſatis: nam paſſim exempla legentibus occurrunt. *ὠὸν νέον* vocat, propter recentem hujus poematii, ad ovi effigiem compoſiti *ἔκδοσιν*.

Πρόφρων δὲ θυμῷ δέξο) Quis iſte quem invitat Simmias ad hoc Ovum benigne ſuſcipiendum? nemo certe heic nominatur. Divinandum igitur fuit doctiſſimo viro, qui miſſum cuidam matronæ volebat: nam ex verbis auctoris id neutiquam poterat exſculpi. Sed & alius quidam ſomniavit Dianæ oblatum: ut divinatio illum ſua, ſic hunc ſuum ſomnium fruſtra habuit: cogitare autem heic alium non poſſumus quam lectorem, cum nullius nominatim mentionem fecerit: lectorem igitur compellat, cui iſtud Ovum ſuum offert poeta, rogatque ut amico, & lubenti animo recipiatur. Vidit hoc etiam gloſſularum auctor, quæ ad hunc locum ſcriptæ legebantur, minutiſſimis & fugientibus litteris: *παραινεῖ*, inquit, *ὁ ποιητὴς τὸν ἀκροατὴν λαβεῖν τῆς δωρίας ἀηδόνος τὸ ὠὸν μετὰ πολλῆς προθυμίας· ἡδεῖα γάρ ἐςὶν ἡ φωνὴ τῆς δωρίας ἀηδόνος.*

Δὴ γὰρ ἁγνᾶς λίγεια μιν κάμ᾽ ἀμφὶ ματρὸς ὠδίς) Hæc erant corruptiſſima in veteribus membranis, quæ nihilo meliores hac in parte antiquitus excuſis fuere: nam eamdem plane lectionem exhibebant, hoc pacto, *δεῖ γὰρ ἁγνὰ λίγεια μιν κ᾽ ἀμφὶ ματρὸς ὠδίς*. ex quibus nullus idoneus ſenſus potuit elici: nos *δὴ γὰρ* repoſuimus: deinde in ſequenti colo, *λίγεια μιν κἀμφὶ ματρὸς ὠδίς*. cum & ad ſententiæ, & ad verſus integritatem aliquid deſiderari videremus, utrique eadem opera medicinam fecimus, legendo, *λίγεια μιν κάμ᾽ ἀμφὶ ματρὸς ὠδίς*, ut eſſet ſimilis illi ſuperiori Jambico trimetro catalectico, *πρόφρων δὲ θυμῷ δέξο, δὴ γὰρ ἁγνᾶς*. nam facile factu fuit ut duarum ſimilium ſyllabarum concurſus alteram abſorberet. Pari modo corruptum verſum infra reſtituimus, ubi vulgo legebatur, *πανυσφύρων τ᾽ ἄντρα νυμφῶν*, pro *πανυσφύρων τ᾽ ἀν᾽ ἄντρα νυμφῶν*. *δὴ γὰρ* pro *ἤδη γάρ*. Heſychius: *δὴ γὰρ, ἤδη γάρ*. Homerus: *δὴ γὰρ κεχολώατο λίην*. quod & apud Apollonium Rhodium ſæpe occurrit. *Accipe*, inquit, *hoc ovum, prona ac benigna mente: nam puræ & dulciloquæ matris partu editum eſt*: hoc eſt, *cura & ſtudio caſti ac ſuaviloqui poetæ elaboratum*.

Τὸ μὲν θεῶν ἐριβόας Ερμᾶς ἔκιξε κάρυξ) Hæc eſt lectio membranarum, quam tamen mendi ſuſpectam habeo, in verbo *ἔκιξε*, quod minus videatur convenire cum eo quod ſequitur,

φῦλ' ἐς βροτῶ. itaque legendum putarim, ἔδιξε pro ἔκιξε, ab antiquo verbo δίκω, quod eſt jacio. Heſychius, δίκων, βάλλων. idem: δείκειν, ἀφιέναι, ῥίπτειν. Fingit heic poeta Mercurium iſtud Ovum deſub matris alis rapuiſſe, & in medium jeciſſe: quæ omnia ἀλληγορικῶς ſunt exponenda, & per Mercurium λόγος προφορικὸς intelligendus, qui Ovum iſtud, hoc eſt poemation ad inſtar ovi factum, mentis conceptioni ſurripuit, & in medium hominum miſit vel jecit, id eſt vulgavit, & publicavit: & hoc ſenſu rectum eſt, ἔδιξε φῦλ' ἐς βροτῶ, non ἔκιξε: ita igitur corrigendum.

Ὑπὸ φίλας ἑλὼν πτέροισι ματρὸς) Ita correximus, cum eſſet in veteri libro, πέτροισι, quod etiam exhibebat vetus editio. Sed jam ita corrigendum viderunt eruditi viri: contrario modo corruptum erat infra πτερόκοιτον pro πετρόκοιτον in iiſdem membranis, ut ad locum dicemus.

Ἄνωγε δ' ἐκ μέτρου μονοβάμονος) Hæc jam in ſuperioribus explicavimus. Mercurius, hoc eſt, λόγος προφορικὸς vel μουσικὸς juſſit hoc Ovum ἐκ μέτρου μονοβάμονος incipiens, id eſt a monometris trochaicis, ut ſunt,

> Κωτίλας
> ἄτριον
> ματρὸς
> δωρίας

paulatim adaugeri & creſcere, ſingulis verſibus pede aut ſyllaba ampliatis, atque ita procedentibus, uſque ad decimum metrum, quod in medio poſitum eſt, & cum altero item decimo, ſuo pari & æquali, reliqua omnia metra, quæ a fine & ab initio proceſſerunt, uſque ad medium, numero pedum & ſyllabarum anteit.

Ἐκ μονοβάμονος μέτρου) Μονόβαμον μέτρον vocat, τὸ μονόμετρον: infra pro eodem dixit, μονόδουπον αὐδάν. ἴχνει θένων τὰν παναίολον πιερίδων μονόδουπον αὐδάν. nam μονόμετρον ſemel percutitur: non igitur ſaltum ſingularem, ut Seneca loquitur, vocat μέτρον μονόβαμον, nec de ſaltu in longum, aut in altum hæc accipienda ſunt.

Μέγαν πάροιθ' ἀέξειν ἀριθμὸν) Numero enim pedum vel ſyllabarum verſus ſubinde creſcunt, donec ad ultimum, hoc eſt decimum, qui medium locum obtinet pervenerint.

Εἰς ἄκραν δεκάδ' ἰχνίων) Ἄκραν δεκάδα ἰχνίων vocat, quod decem tantum verſus in hoc Ovo diſſimiles ſint, quorum decimus cæteris omnibus major: ideo uſque ad illam δεκάδα in ſingulis verſibus pedum numerus ampliatur. Sunt quidem in hoc opuſculo in totum viginti duo verſus, ſed quattuor ex his ſunt monometri ἀντιθετικοὶ, qui pro uno computantur: decem & octo reliqui, item ἀντιθετικοὶ, pro novem tantum cenſentur, quod bini ſemper ἀντιθετικῶς incedant, pedum numero, & qualitate pares: ſic fiunt decem, quorum decimus cum ſuo pari, totius operis ultimus eſt, & maximus: ideo ἄκραν δεκάδα vocat.

Κόσμον νέμοντι ῥυθμῷ) Sic repoſuimus pro veteri lectione quæ habebat, κόσμος νέμοντο ῥυθμῷ. corrupte & ſine ſenſu: poſſet etiam legi: κομούμενόν τε ῥυθμῷ. ſic optime quadraret cum ſuo antithetico colo, μέγαν πάροιθ' ἀέξειν.

Θοῶς δ' ὕπερθ' ὠκὺ λέχριον) Non celabo lectorem quomodo hic verſus in veteribus membranis conceptus fuerit, ut emendationis noſtræ ratio appareat: ſic igitur legebant:

> Θοῶς δ' ὕπερθ' ὠκὺ λέχριον φέρω νεῦμα πολλῶ πιφαύσκε.

ut de ſententia nihil dicam, quæ ex tam corruptis verbis idonea non poteſt elici, nullo modo paria facit hic verſus cum ſuo ἀντιθετικῷ, cui per omnia æqualis eſſe debuit: ſic enim ille habet:

> ἴχνει θένων τὰν παναίολον πιερίδων μονόδουπον αὐδάν.

Sic autem recte mihi videbar utrique mederi, & verſui & ſententiæ, ſcribendo nimirum:

> Θοῶς δ' ὕπερθ' ὠκὺ λέχριον νεῦμα ποδῶν φορέων πίφαυσκε.

Haud ſane melius poterat hic locus conſtitui, ut ſcripta ſunt verba membranarum, ſed auctor gloſſularum, quæ ad oram codicis membranacei erant adſcriptæ, mihi ut aliter emendarem, perſuaſit, poſtquam eum aliter hunc locum legiſſe comperi; ſic enim ille habet: τόδε λέχριον φέρων νεῦμα ποδῶν σποράδων, ὅτι πλάγιον τὸ μέτρον καὶ οὐκ ὀρθὸν, ἀλλὰ κατὰ μικρὸν αὐξανόμενον. Videtur ergo legiſſe.

> Θοῶς δ' ὕπερ λέχριον φέρων νεῦμα ποδῶν σποράδων πίφαυσκε.

Quod ſi ὠκὺ retinemus, ut habetur in membranis, omnino delenda fuerit vox φέρων: utramque enim tolerare verſus non poſſit: tunc ita legendum eſſet:

> Θοῶς δ' ὕπερθ' ὠκὺ λέχριον νεῦμα ποδῶν σποράδων πίφαυσκε.

Sed præſtet meo quidem judicio expungere τὸ ὠκὺ, & φέρων retinere, legendo ut ſupra poſuimus. Pro νεῦμα ποδῶν fuit cum legerem, ῥεῦμα ποδῶν. nunc nihil muto: νεῦμα enim hoc loco non ἀπὸ τοῦ νεύειν, ſed a νέω vel νέομαι quod eſt vado, & incedo. λέχριον νεῦμα ποδῶν σποράδων Mercurii, hoc eſt λόγου, dixit propter varietatem & inæqualitatem pedum, & metrorum, quibus hoc poema contextum eſt. σποράδας autem πόδας dixit, ut Euripides δρομάδα κῶλον, in Helena, & μανιάδας λυσσήματα in Oreſte. Sic Claudianus *victricem ſolum* dixit, & Julianus Anteceſſor *victricem calculum*. ſic Γάλλοι δρομάδες, in quodam Galliambico apud Hephæſtionem:

> Γάλλοι μητρὸς ὀρείης φιλόθυρσοι δρομάδες.

Ἴχνει θένων τὰν παναίολον) Sic fuit emendandum vetuſti codicis vitium, qui ſcriptum habebat, ἴχνη θένω. alludit ad metrorum percuſſionem, quæ pedis pulſu ſublati poſitique fiebat. Mercurium igitur, hoc eſt λόγον, percuſſiſſe pedibus ait, hanc παναίολον πιερίδων μονόδουπον αὐδάν. Hæc contraria ἐκ παραλλήλου poſita videntur, παναίολος & μονόδουπος. ſed μονόδουπον vocat, quod a monometris incipiat, quæ ſemel tantum percutiuntur: παναίολον autem, quod deinceps creſcendo, multorum ac diverſorum metrum varietate atque inæqualitate conſtat.

Θοαῖσι δ' αἰόλαις νεβροῖς κῶλ' ἀλλάσσων) Eleganter motum inceſſumque Mercurii, pedumque pulſum in percutiendis metris quibus conſtat hoc Ovum, velocemque pedum ac temporum juncturam, comparat hinnuleis qui ſine matre in montibus deprehenſi, quod ab ea deerraverint, raptim ad ejus perſequenda veſtigia feruntur, velocique curſu ipſam aſſequi conantes, clamorem interim edunt lactis & uberum deſiderio, quo clamore excitata de latibulis aliqua fera, ſpelæum ſuum deſerit, & prædæ cupiditate, magno cum impetu per denſam convallem feſtinat ad hinnuleos corripiendos. Pro κῶλα ἀλλὰ σῶν,

quod erat in veteri editione, fecimus adjuvante membranarum ſcriptura, κῶλ᾽ ἀλλάσσειν. Eleganter κῶλ᾽ ἀλλάσσειν νεβροῖς dicitur Mercurius, & quaſi greſſum cum hinnuleis permutare, qui celeritatem hinnuleorum in gradiendo exæquet.

Ορσιπόδων ἐλάφων τέκεσι) Ita legendum verſus gratia, ut illi colo reſpondeat antithetici ſui,

Αἶψα μεθ᾽ ἱμερόεντα μαζόν. ὀρσιπόδων autem pro ὀρσιπέδων correximus: ſic ὀρσίπους βοὴ, ὀρσίπους ἐριννὺς apud Tragicos pro veloci.

Ταὶ δ᾽ ἀμβρότῳ πόθῳ φίλας ματρὸς) Et hoc ex noſtra conjectura eſt: nam membranæ legunt, ἀμερότῳ. ἄμβροτον πόθον pro magno & immenſo amore poſuit.

Ὑπὲρ ἄκρων ἱεμένα ποσὶ λόφων) Ita membranæ, ἱεμένα: ſed nobis ſcribi placuit ἱέμεναι. ad νεβροὺς enim refertur, de quibus dixit ſuperiore verſu, ταὶ δ᾽ ἀμβρότῳ: deinde ita etiam verſus ratio legi poſtulat: nam iſtud ἱέμεναι pæonicus eſt quartus, & reſpondet illi, qui in ſequenti antithetico habetur, ἀν᾽ ὀρέων: eadem ratione pro ποσσὶ λόφων, ſcripſimus ποσὶ λόφων, ut par eſſet illi pæonico ſequentis metri νόμον ἔβαν.

Κατ᾽ ἀρθμίας ἴχνος τιθλώας) Ita ſcripſimus, cum ſcriberetur in membranis & editione veteri, καταειθμίας. ἀρθμία τιθλώα eſt φίλη τιθλών, ut duobus locis ſupra dixit, φίλας ματρός. ἄρθμιοι, φίλοι. Sed hoc vulgare eſt.

Βλαχαὶ δ᾽ οἴων πολυβότων) Οἴων heic non eſt ab ὄϊες, ſed ab οἶος. οἴων, ſolorum & a matre deerrantium hinnuleorum. Pro παλαικραιπνοῖς quod in ſuperiore verſu legitur, omiſimus monere, cum ibi eſſemus, ſcribendum videri, παλιγκραιπνοῖς; nam παλαικραιπνοῖς non caret vitio.

Πολυβώτων ἀν᾽ ὀρέων) Πολυβώτων ſcripſi pro πολυβότων exigitur enim hoc loco Jonicus ἀπὸ ἐλάττονος, ut ſit ſimilis pedi ſuperioris metri ἀντιθετικοῦ, ὑπὲρ ἄκρων. ſic πολύβωτον Σίσυφον, dixit Cratinus ἐν Σερίφοις.

Χαίρετε πάντες θεοὶ πολύβωτον μοντίαν Σίσυφον.

Τανυσφύρων τ᾽ ἀν᾽ ἄντρα νυμφῶν) Ita ſupplevimus hoc colon unius tantum additione ſyllabæ, ut pariaret cum præcedenti metri colo, κατ᾽ ἀρθμίας ἴχνος τιθλώας. ἄντρα pro ἀν᾽ ἄντρα ſcriptum erat, ut ſupra, κἀμφὶ pro κάμ᾽ ἀμφὶ, duabus ſimilibus ſyllabis, vicinitatis & ſimilitudinis gratia, in unam contractis.

Καί τις ὠμόθυμος ἀμφίπαλτον αἶψ᾽ αὐδὰν θὴρ) Ἀμφίπαλτον αὐδὰν, vocat balatum hinnulorum, de quo ſupra: βλαχαὶ δ᾽ οἴων πολυβότων ἀν᾽ ὀρέων νόμον ἔβαν. *Et fera*, inquit, *aliqua immanis, audita voce, ſeu balatu hinnulorum, de ſuis latebris excitatur, & accurrit ad prædam:* ἀμφίπαλτον αὐδὰν appellat, quæ repercutitur, & quaſi circum reſilit, quoties offendit ſolido, ut cum montibus incurrit, aut ſaxoſis & cavernoſis locis. Fera igitur illa accipiens vocem hinnulorum circa ſpelæum ſuum, montium repercuſſu, reſonantem, ſtatim e ſpelunca exit, ut prædam rapiat: hoc eſt quod ἀμφίπαλτον αὐδὰν dicit.

Θὴρ ἐν κόλπῳ δεξάμενος θαλάμων πυκωτάτων) Ita correximus veteris libri ſcripturam, quæ corruptiſſime legebat, πουκότατον. πύκος, vox vetus quæ denſum ſignificat, unde verbum πυκάζω, & nomen πυκινὸς, & πυκνὸς, & adverbium πύκα in uſu poetis: πύκα ποιητοῖο: hoc autem colon,

—— δεξάμενος θαλάμων πυκωτάτων.

par eſſe debuit illo colo ſequentis verſus,

—— μαιόμενος βαλιᾶς ἑλεῖν τέκος.

πουκότατον igitur heic locum habere non potuit, niſi quis dixerit πουκωτάτων Æolice ſcriptum eſſe pro πυκωτάτων, υ correpta, ut moris eſt Æolibus, ut θουγάτηρ apud Callimachum pro θυγάτηρ, prima brevi. Priſcianus lib. I. *In pleriſque Æoles ſequuti hoc facimus: illi enim* θουγάτηρ *dicunt pro* θυγάτηρ, υ *corripientes: vel magis* υ *ſono* ου *ſoliti ſunt pronuntiare: ideoque adſcribunt* ο, *non ut diphthongum faciant ibi, ſed ut ſolum* υ *Æolicum oſtendant*: nec hic tantum Æolum mos, ſed etiam Lacedæmoniorum, quorum iſta ſunt: πουνιάζειν pro πυνιάζειν, πούρδανον pro πύρδανον· κούαμος pro κύαμος· κουάνεον pro κυάνεον· δίφυρα pro γέφυρα, & ſimilia ſexcenta, de quibus fuſius diſputamus in libro de Dialectis Græcorum: ſic πουκωτάτων hoc loco Æolicum eſſet, pro πυκωτάτων, prima brevi, ut in θουγάτηρ apud Callimachum: ſic λιγουροκωτίλης ἐνιπῆς apud Corinnam citante Hephæſtione pro λιγυροκωτίλης: ibi illud γου breve eſt. Scholiaſtes Hephæſtionis: λιγουροκωτίλης, Βοιωτιακὴ τί τοῦ ο προσθήκη, καὶ βραχεῖα μὲν τὶ γου. Grammatici: καὶ γονὸς, γουνὸς, ὁ γόνιμος τόπος. οὕτω καὶ νόσος νοῦσος κατὰ τοὺς Ἴωνας μηκύνοντας τὸ ο τῇ προσλήψει τοῦ υ. ὥσπερ ἀνάπαλιν οἱ Βοιωτοὶ ποιοῦσι κατὰ τὴν Ἡρακλείδου παράδοσιν προσιθέντες αὐτοὶ τῷ υ διχρόνῳ τὸ μικρὸν, ὃ καὶ βραχυνομένου μὲν φησὶ βραχύνοντες, μηκυνομένου δὲ μηκύνοντες, τὸ ὕλη οὔλη λέγοντες, καὶ τὸ ὕδωρ οὔδωρ. ſic non dubium eſt πουκωτάτων heic poſitum pro πυκωτάτων.

Ρίμφα πετρόκοιτον ἐκλιπὼν ὄρους εὐνὰν) Scriptum erat, ῥίμφα πτερόκοιτον: facile fuit veram lectionem reponere quæ eſt πετρόκοιτον. eleganter πετρόκοιτον εὐνὰν, ſaxeum cubile, vocat, leonis vel cujuslibet feræ ſpeluncam: ex illo tamen πτερόκοιτον veteris editionis auctor fecerat, περίκοτον. ex quo deinde variæ doctorum hominum conjecturæ ſunt natæ, omnes falſæ, & frivolæ.

Καὶ τάδ᾽ ὦκα βὰς μεθέρπων) Hæc quoque erant in membranis inquinatiſſima, hoc modo: καὶ τάδ᾽ ὠκαβοᾶς μεθέπων: nec aliter videtur reperiſſe in ſuis codicibus primæ editionis auctor: ſic enim ediderat: καὶ τάδ᾽ ὠκοβοᾶς κοὰν μεθέπων. Sciendum eſt autem μεθέπων æque bene heic legi, quod ad ſententiam: ſed alterum, quod repoſuimus, verſus exigebat, ut opponi poſſet & æquari ſuo ἀντιθετικῷ qui ſequitur. Pro καὶ τάδε melius etiam fortaſſe ſcribi poſſet, καὶ τόδε, ut ad τέκος βαλίας ματρὸς referatur, quod proxime præceſſit: legendo vero τάδε, τέκη ſubintelligemus.

Αφαρ ὅγε) Pes hic eſt proceleumaticus: ille vero qui in ſequenti metro, huic reſpondet, eſt pæon tertius, σαθέεσι. itaque heic legi velim, ἄφαρ ὅσγε.

Τὸ λάσιον νιφοβόλων ἀν᾽ ὀρέων ἔσσυται ἄγκος) Fœdiſſime corrupta hæc ſunt in membranis & editione veteri, ad hunc modum enim ibi ſcripta habentur: λασίων νιφοβόλων ἀνορέων ἔσσυτ᾽ ἀναγκαις. primum τὸ addidimus, & hac ſyllaba verſum auctiorem reddidimus, ut una hac ſyllaba ſaltem præcedentem verſum ſuperaret: alias enim non decem creſcentia metra in hoc poemate haberemus, ut his verbis teſtatus eſt auctor, μέγαν πάροιθ᾽ ἀέξειν ἀριθμὸν εἰς ἄκραν δεκάδα, ſed novem tantum. Idem in ſequenti fecimus, qui ἀντιθετικὸς huic eſſe debet, & numero ſyllabarum ac pedum par. ἄγκος pro ἀνάγκαις repoſuimus: occaſionem huic mendo præbuit vitioſa & perperam diſtincta ſcriptura hoc modo: ἔσσυτ᾽ αἰαγκος, ex quo ἀνάγκαις factum eſt: aptiſſime autem & valde proprie hic Grammaticus & poeta Simmias τὸ λάσιον ἄγκος appellavit: nam Grammatici ἄγκεα exponunt, τοὺς φαραγγώδεις καὶ οἷον ἀνακειμένους δασεῖς τόπους.

Ταῖσι δὴ δαίμων κλυτᾶς ἶσα θέεσι ποσὶ) Et hic verſus, quod ſanus & integer nunc eſt, conjecturis noſtris hoc debet: nam κλυτᾶς μολπᾶς pro κλυταῖς μολπαῖς correximus: & ἶσα θέεσι ποσὶ pro ἰσαθεοῖσι, & alia quæ piget memorare: perturbatior autem in hoc verſu σύνταξις, quæ ſic debet procedere: ταῖς δὴ δαίμων ἶσα θέεσι ποσὶ δονέων μετίει τὰ πολύπλοκα μέτρα κλυτᾶς μολπᾶς: quorum verborum hic ſenſus, Mercurium in iſtis multiplicibus inclytæ cantilenæ metris percutiendis celeritate pedum contendiſſe cum illis hinnuleis qui a matre deerrabundi, pernici gradu per juga montium currentes, eam inveſtigant, & perſequuntur: quibus allegorice oſtendit citam & velocem pedum temporumque juncturam hujus poematis, Mercurium autem, id eſt λόγον, ideo fingit pedibus percutere iſta metra, quod is Deus Lyræ & Muſicæ inventor fuiſſe dicatur: per Mercurium igitur τὴν μουσικὴν allegorice ſignificat, vel quod idem eſt, λόγον μουσικόν; quem & iſtud Ovum publicaſſe vult, quod eſt μουσικὸν totum: & matri ſurripuiſſe, hoc eſt luſciniæ avi μουσικωτάτῃ per quam poetam intelligit Muſices peritiſſimum: & ejus metra πολύπλοκα pulſu pedum percuſſiſſe: quæ omnia ad μουσικὴν vel μουσικὸν λόγον referenda ſunt,

Ποσὶ δονέων) Ita legendum, non ποσὶ πονέων, ut correxerant viri docti: intelligit enim illam percuſſionem metricam de qua ſupra dixi ad illum locum: ἴχνει θένων τὰν παναίολον πιερίδων μονόδουπον αὐδάν. Sunt autem in hoc metro pedes duo ἰσόχρονοι quidem cum duobus pedibus ſuperioris metri, ſed alia temporum vice & ordine, ut πο σι δο νε, reſpondet τῶ, το λα σιον, quod eſt in præcedente verſu: qui duo pedes ταυτόσημοι quidem ſunt, & pari magnitudine, ſed diverſam habent temporum vicem: cum alter ſit pæon primus, alter pæon quartus: ſic ων πολυπλο, in hoc eodem verſu, qui pæon eſt item primus, ponitur tanquam ἀντιθετικὸς καὶ ἰσόρροπος Pæoni quarto præcedentis metri, νιφοβόλων: eadem enim ſpatia temporum habent, ſed ordinem diverſum: quod in iſto genere metrorum ἀντιθετικῶν recte uſurpatur, ubi non neceſſe eſt, ut ἀνταποδοτικὰ cola ordine ac poſitu temporum ſibi reſpondeant, modo temporibus inter ſe parient.

Πολύπλοκα μέτρα μολπᾶς) Πολύπλοκα μέτρα vocat hujus carminis, quod non ſint ex eorum genere, quæ μονοειδῆ, & ὁμοιοειδῆ appellant Græci Grammatici, vel prototypa ac primiformia principaliaque, quorum ſpecies novem ab ipſis ponuntur: non enim pure dactylica ſunt, non jambica, aut trochaica, non etiam Jonica vel choriambica vel pæonica, ſed paucis exceptis, reliqua ſunt ἀσυνάρτητα, καὶ ἐπισύνθετα, variaque omnino ac multiformi pedum compoſitione ac conjugatione texta: quæ omnia per minutias exponere nec libet, nec vacat. Hephæſtionem, qui volet, conſulat, & ex ejus præceptis hujus poematis metra conſtituat: non plus autem quam decem diſſimilia metra habentur in hoc παιγνίῳ, a monometro uſque ad heptametrum progredientia, & additione pedis vel ſyllabæ ſemper accreſcentia. Scholiaſtes vetus explicans illud, ἐκ μέτρου μονοβάμονος, ita ſcribebat: ὅτι ἀπὸ ἐλαχίστου καὶ μονομέτρου εἰς δεκάμετρον προῆλθεν. quis non eodem pertinere putet hæc verba Victorini in libro de metris? *Menſura ſeu modus metrorum hujuſmodi accipietur, nam extremum in his, atque ultimum, quod monometron dicitur, conſtat ex uno pede, maximum vero uſque ad decametron periodum porrigetur*. Sed hæc Victorini σημείωσις nihil ad hunc locum facit, & errat ille Scholiaſtes, qui ἀπὸ τοῦ μονομέτρου εἰς δεκάμετρον hujus Ovi metra progredi annotavit: nullus enim in hoc Ovo verſus δεκάμετρος, nam ultimus & omnium maximus, una tantum ſyllaba heptametro major eſt. Verſus autem omnes qui hexametron ſuperant, περιόδους Græci vocant, Latini circuitus: & hoc eſt, quod ſcribit Victorinus, *in modo ac menſura metrorum, minimum eſſe ac dici monometron, maximum vero uſque ad periodum decametron porrigi*: verſus enim decametros, periodus dicitur, & omnes reliqui ſupra hexametrum: idem Victorinus: *Periodus dicitur omnis verſus hexametri modum excedens*. Hæc valde in vulgatis perturbata. Incertus auctor de metris agens de Ariſtobulio verſu octame ro, *hic circuitus*, inquit, *magis eſt quam verſus*: idem dicit de Pæonico duodenario. Non prætermiſerim etiam quin admoneam hujuſce Simmiaci Ovi metra, cola ab Hephæſtione appellari his verbis: ἀντιθετικὰ δέ ἐστιν ὁπόταν ὁ ποιητὴς γράφῃ ὁπόσα δή ποτε κῶλα, ὡς ἀνόμοια καὶ ὡς βούλεται· εἶτα τούτων ἀνταποδῷ τῷ μὲν τελευταίῳ τὸ πρῶτον, τῷ δὲ δευτέρῳ ἀπὸ τέλους τὸ δεύτερον, καὶ οὕτω πάντα κατὰ τὸν αὐτὸν λόγον. τοῦτο δὲ τὸ εἶδος παρὰ μὲν τοῖς παλαιοῖς, σπανιώτατόν ἐστι, παρὰ δὲ Σιμμίᾳ τῷ Ῥοδίῳ ἐστὶν οὕτω πεποιημένα (κῶλα) ἐν τῷ ἐπιγεγραμμένῳ Ὠῷ. Sic Odas compoſitas ex Strophe, & Antiſtrophe, Epodo, metiebantur per cola. Sed auctor ipſe, cola vocavit hæc Ovi ſui metra, ſic enim ſub perſona Mercurii alluſit: θοαῖσι δ᾽ αἰόλαις νεβροῖς κῶλ᾽ ἀλλάσσων: verum & ſine alluſione vel allegoria, cum dixit hoc Ovum ἐκ μέτρου μονοβάμονος, progredi εἰς ἄκραν δεκάδα ἰχνίων; nam ἴχνια ſunt κῶλα: nam decem ἀνόμοια κῶλα, vel ἰχνίων δεκάδα, quod idem eſt, in hoc carmine conſtituit. Jam κῶλον pro pede vel crure etiam accipitur. Euripides: Καὶ κῶλα κώλοις τετράπουν μιμήσομαι. inde ἄκωλοι Ἑρμαῖ, ſine pedibus: ἄκωλος, ἄπους· & τετράκωλος, τετράπους Heſychio. Hinc *Monocoli populi* Solino, qui unum tantum habent pedem. Sic enim ibi libri omnes agnoſcunt: *legimus monocolos quoque ibi naſci ſingulis cruribus, ſingulari pernicitate*: vulgo corrigunt *monoſcelos*. Saltem *monoſceles* ſcripſiſſent, hoc eſt μονοσκελεῖς. nam μονόσκελοι Græcum non eſt: *monocolos* quoque eos vocabat Agellius lib. IX. cap. IV. niſi correctores interveniſſent, qui *monocolos*, ut habent eo loci libri veteres, mutarunt in *monomeros*. Nec melius doctiſſimus Criticus, qui optimam illam lectionem in antiquo ſuo exemplari repertam, non probavit, ſed *monoſcelos* maluit, confirmato jam atque inveterato errore: & ſic apud Plinium quoque legitur ex correctorum commento. δεκάδα ἰχνίων igitur quam vocat Simmias, δεκάδα κώλων accipimus, nam tot numero κῶλα in hoc poematio conſtituuntur, & a minimo hoc eſt monometro, ad heptametron uſque porriguntur, quod decimo loco poſitum eſt, τῇ συλλαβικῇ vel ποδικῇ παραυξήσει creſcentia, generibus etiam verſuum per ſingula commutatis. Atque hæc ſunt, quæ ad hoc doctiſſimi ac vetuſtiſſimi poetæ pariter & Grammatici opuſculum a ſitu vindicandum, in quo per tot annos jacuit, atque illuſtrandum afferre potuimus: in quibus etſi longior fortaſſe fui quam debui, multa tamen adhuc aliorum induſtriæ reliquiſſe me ſcio, quæ aut non vidi, aut cum viderem neglexi.

ΣΙΜΜΙΟΥ ΤΟΥ ΡΟΔΙΟΥ

ΠΤΕΡΥΓΕΣ.

Λεῦσσέ με τὸν γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ' ἀκμονίδαν τ' ἄλλυδις ἑδράσαντα
Μηδὲ τρέσῃς εἰ τόσος ὢν δάσκια βέβριθα λάχνᾳ γένεια
Τᾶμος ἐγὼ γὰρ γενόμαν ἁνίκ' ἔκρειν' ἀνάγκα
Πάντα δὲ γᾶς εἶκε φραδαῖσι λυγραῖς
Ἑρπετὰ πάνθ' ὅσ' ἕρπει
Δι' αἴθρας

Χάους τε
Οὔτι γε Κύπριδος παῖς
Ὠκυπέτας δ' αὐτὸς ἔρως καλεῦμαι
Οὔτι γὰρ ἔκρινα βίᾳφι, πραΰνῳ δὲ πειθοῖ
Εἶκε ἐμοὶ γαῖα, θαλάσσας τε μυχὸς, χάλκεος οὐρανός τε
Τῶν δ' ἐγὼ ἐκνοσφισάμαν ὠγύγιον σκᾶπτρον, ἔκραινον δὲ θεοῖς θέμιστας

CLAUDII SALMASII

NOTÆ.

INSCRIPTIO hujusce poematis in membranis, πτέρυγες ἔρωτος. quam retinere non placuit: veteres enim Grammatici πτέρυγας simpliciter citant: sic apud Hephæstionem, Σιμμίας ἐν πτέρυξιν. De auctore igitur minus dubitare possumus: at inscriptio, πτερύγιον, quæ in vulgaribus editionibus habetur, falsa est, & a recentioris ævi Grammatistis Græculis manavit, qui hoc poema cum citant, πτερύγιον passim appellant. quam recte, ipsi viderint, non enim πτέρυγα aut πτερύγιον, Alas avium Græci vocare consueverunt, cum sint binæ: ideo πτέρυγας semper nuncupant: sic nec Latini Alam, sed Alas, nam duæ sunt, nominare solent, cum de avium alis loquuntur. πτέρυξ & πτερύγιον Græcis est, quidquid in acumen desinit, aut etiam cujuscumque rei summitas & extremitas: sic πτερύγιον est promontorii cacumen: est & templi fastigium, & gubernaculi pars extrema, & ita in aliis quibuslibet rebus, in avibus autem proprie ille pinnarum ordo in acutum desinens, ab utraque laterum parte, qua majores sunt pinnæ, πτέρυξ vocatur: atque inde ad alias res traducta metaphora: sed πτέρυξ aut πτερύγιον de una tantum, de duabus vero nunquam dicitur: at cum heic utriusque Alæ figura habeatur expressa, πτερύγιον tam falso inscribitur, quam vere πτέρυγες. Genus metri Choriambicum est, καταληκτικὸν εἰς ἰαμβικὴν κατακλεῖδα, hoc est in amphibrachyn, aut bacchium propter indifferentiam ultimæ syllabæ. ἀντιθετικὰ autem hæc metra sunt, καὶ κατὰ χίασιν, ut vocant, conscripta, ut in Ovo: sed contrario modo progrediuntur; non enim a minimo ad maximum, sed contra. Siquidem primum & postremum sunt hexametra, secundum & penultimum pentametra, & ita deinceps decrescendo, usque ad duo media, quæ minima sunt, & monometra jambica. Sed nec ex dissimilibus metris, & variantibus per singula cola, constant hæ Alæ: nam omnia sunt Choriambica, præter medium & minimum quod diximus esse jambicum monometrum catalecton, magistri vocant ἰαμβικὰ κατακλεῖδα, quod ea clausula finiantur jambica metra catalectica, & ut plurimum etiam Choriambica. Primum & ultimum, ut jam diximus, hexametra sunt, quæ Philica Marius Sacerdos appellat in libro de metris, a Philico Corcyræo poeta τῆς πλειάδος, qui sub Ptolemæo Philadelpho vixit, ut supra memini notare: non quod primus invenerit hoc metri genus, nam Simmias longe illo antiquior, heic & in Securi hoc genere usus est: sed quod integrum poema isto numero conscripserit, cujus initium refertur apud Hephæstionem:

> Τῇ χθονίῃ μυστικὰ Δήμητρί τε καὶ Περσεφόνῃ καὶ Κλυμένῳ τὰ δῶρα.

Ipse tamen Philicus hujus metri inventionem sibi adscribit hoc versu, qui in eodem Hephæstione legitur:

> Καινογράφου συνθέσεως τῆς Φιλίκου, γραμματικοί, δῶρα φέρω πρὸς ὑμᾶς.

Quod igitur hoc genere metri plurimum usus sit, Philicum ab ipso appellatum est: ὅτι πρῶτος τούτῳ τῷ μέτρῳ τὰ ὅλα ποιήματα ἔγραψεν. non enim invenit, ut falso gloriabatur, cum Simmias longe ipso anterior, ut qui prima Olympiade floruit, hoc genus usurparit. Perperam apud Atilium Fortunatianum in arte, *Phalæcium metrum* pro *Philicium* scriptum est: sed & *Phalæcus* apud eumdem male pro *Philicus* legitur, ubi dicit Phalæcum conscripsisse hymnos Cereri & Liberæ tali genere metri. Philicus enim non Phalæcus hoc metro carmen in honorem Cereris & Liberæ composuerat cujus initium paulo ante retulimus ex Hephæstione, Τῇ χθονίῃ μυστικὰ Δήμητρι, &c. quem versum sic ibidem latine reddidit, aut imitatus est Fortunatianus.

> *Frugiferæ sacra deæ quæ colitis mystica, junctæque Jovi nefasto.*

Frugifera dea est Δημήτηρ. Jupiter nefastus, ὁ κλύμενος, hoc est Pluto: *juncta Jovi nefasto*, Proserpina. Hunc Philicum docti viri, Philiscus ut vocetur, contendunt: & quibuscunque locis apud auctores Φίλικον scriptum reperiunt, in Φιλίσκον mutant. quod miror: cum ipse Φιλικον sibi nomen

esse, illo versu, quem supra ex Hephæstione attulimus, testatus sit; ubi si Φιλίσκυ legerimus, non stabit versus. Fuere quidem & Φιλίσκοι in terra Græcia, sed hic Φίλικος vocabatur. Sed ad rem redeamus. Argumentum Alarum fere notum. Amor ipse, cujus hæ sunt Alæ, loquitur: quis sit, & quando, & unde natus ostendit. Non enim se Veneris esse puerum, sed omnibus Diis natu antiquiorem esse, & cælo & terræ & mari imperare, & illud imperium non vi ac parendi necessitate, sed amicitia καὶ πειθοῖ adjunctum retinere. Scholiastes ἀνέκδοτος· ὑμνεῖ δὲ οὐ τὸν πάνδημον Ἔρωτα τῆς Ἀφροδίτης, ἀλλὰ τὸν οὐράνιον τὸν γενεσιουργὸν, οὗ καὶ Πλάτων μέμνηται ἐν τοῖς Σωκρατικοῖς διαλόγοις, ὅτε πρὸς Θρασύμαχον περὶ θείου τε καὶ ἀνθρωπίνου διελεγέσθην ἔρωτος. Veteres Amorem varie ἐγενεαλόγησαν. Sappho Terræ & Cæli filium eum esse cecinit. Simonides Veneris & Martis. Orpheus Saturni, hoc versu:

Αὐτὰρ ἔρωτα Κρόνος καὶ πνεύματα πάντ' ἐτέκνωσε.

Ibycus & Hesiodus ἐκ χάους eum prodiisse voluerunt, & natum omnino ante Cælum & cælites omnes. Idem dicit in istis Alis Simmias. Quod vero Scholiastæ heic scribunt, tam ille qui editus est, quam ille qui adhuc in membranis cubat, sensum etiam constare posse, si quis a primo versu ad postremum pergat, a secundo ad penultimum, atque ita deinceps usque ad medium, ut in Ovo & Securi, neutiquam illos audiendos puto. ἔχει δὲ νοῦν πᾶν ἀπὸ τοῦ πρώτου ἐπὶ τὸ ἔσχατον ἐρχῇ ὡς προείρηται. Immo qui hoc dixit, mentem non habuit: nam certum est, sensum recte procedere non posse, si ordinem illum in legendo sequaris: exempli gratia, quis sensus aut quæ cohærentia in istis esset, si ad hunc modum legerentur?

Πάντα δὲ γᾶς εἴκε φραδαῖσι λυγραῖς
Ὠκυτέτας δ' αὐτὸς ἔρως καλεῦμαι
Ἑρπετὰ πάντ' ὅσ' ἕρπει
Οὔτι γε Κύπριδος παῖς
Δι' αἴθρας
Χάους τε.

hinc videre est, quam sæpe fallantur, qui semper Grammaticis habent fidem. Nunc, ne quid temere aut frustra emendasse & mutasse videamur in aucto. is verbis, ratio omnium quæ mutavimus, reddenda est.

Λεῦσσέ με τὸν γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ' ἀκμονίδαν τ' ἄλλυδις ἑδράσαντα) Ita hunc versum totum ex membranarum auctoritate minimo minus restituimus, cum vulgo legeretur, ἀκμονίδαν ταν ἄλλα θ' ἑδράσαντα. quasi hæc poetæ mens fuerit, ut Amor & cœlum & terram & mare creasse ac constabilisse credatur, cum nihil minus quam hoc dicere in animo habuerit. Dicit quidem heic Amor terram & mare & cælum sibi concessisse, Diisque & hominibus se imperare, non tamen ut cælum & mare condiderit: qui sensus ex vulgata lectione oritur. ἄλλυδις etiam pro ταν ἄλλα in hoc versu legit Hephæstion: sed ἑδράσασα pro ἑδράσαντα perperam apud eum scriptum est, ἀκμονίδαν ἄλλυδις ἑδράσαντα heic tantum habebant membranæ, nos τε necessario addidimus: ἀκμονίδαν τ' ἄλλυδις ἑδράσαντα. præcessit enim, γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτα. nec aliter Scholiastes vetus legisse videtur, in cujus paraphrasi ita scriptum habetur: ὁρᾷς με τὸν γῆς τε ἄνακτα, καὶ τὸν οὐρανὸν ἄλλῃ ἑδράσαντα. corruptissime vulgo legitur, καὶ τὸν οὐρανὸν ἄλλα ἑδράσαντα. quod ansam præbuit viris doctis hunc locum corrumpendi, & ταν ἄλλα pro ἄλλυδις substituendi, nempe quod ita legisse videretur Græculus interpres. Sed ex nostra emendatione, jam contrarium apparet, non aliter eum scilicet legisse quam ἄλλυδις, & ἄλλῃ interpretari. Hic erit igitur sensus: *Vide me qui lætæ terræ rex sum, quique Cælum in alia sede constitui*, id est, *qui Cælum solio depuli, & illa sede deturbavi quam obtinebat, cum Terræ imperaret, & dominaretur, meque in ejus locum intuli, & aliam eum sedem quærere coegi*. Uno verbo Cælum throno se dejecisse gloriatur heic Amor & pro illo nunc regnare. Ἀκμονίδαν Cælum significare adeo notum est, ut valde mirer incomparabilem virum de nescio quo Tellumone Terræ rege heic accipiendum putasse, ex Ritualibus Pontificum: quid enim notius, quam Ἄκμονα apud poetas & μυθογράφους, Cæli, id est οὐρανοῦ patrem appellari? hinc Cælum Ἀκμονίδαν vocat Simmias πατρωνυμικῶς, id est Acmonis filium. Hesychius: Ἀκμονίδης ὁ Χάρων καὶ ὁ οὐρανός. Ἄκμονος γὰρ παῖς. Sed de re omnibus nota, plura dicere, verba perdere est.

Μηδὲ τρέσῃς εἰ τόσος ὢν δάσκια βέβριθα λάχνᾳ γένεια) Prius legebatur: δάσκια καὶ λαχνὰ φέρω γένεια. inepte prorsus & absurde: nam λαχνὸν, pro hirsuto vel hispido, Græcum non est, sed λαχνῆεν. nos hanc lectionem concinnavimus ex vestigiis veteris scripturæ, quæ habebat, δάσκια βεβριθότα λάχνα γένια. quæ nec integrum sensum efficiebat, & versum extra legem extendebat. βέβριθα λάχνᾳ γένεια. sic de aureo vellere Apollonius lib. VI.

βεβρίθει λαχνῇσιν ἐπηρεφὲς ——

sic μῆλα βεβριθότα μαλλῷ, apud alium poetam. Mentem hujus loci minime assequuti sunt homines eruditi: non enim hispidum aut hirsutum Amorem heic inducit poeta sed barbatum. *Nec vero horreas*, dicit heic Amor, *si tantulus, tam spissa barba obsitum mentum habeo*: nam miranda, ac tantum non horrenda in puero, qualis Amor fingebatur, densa & prolixa barba. Sed hoc Amor, admirari nos prohibet, aut horrendum putare: cum enim sit vetustissimus Deorum, & illo tempore natus, quo nondum Cælum ac Dii erant, sed Terra totius imperium tenebat, minus mirum esse, opacam sibi profusamque barbam dari. De Amore barbato legi alicubi, sed apud quem, nunc in memoria mihi non est. Veneris etiam barbatæ simulacrum finxere veteres, quam πάσης γενέσεως ἔφορον credebant: ut jam minus miremur, hunc οὐράνιον Amorem, καὶ πάντων γενεσιουργὸν, ut existimabant, barbatum induci.

Τᾶμος ἐγὼ γὰρ γενόμην ἀνίκ' ἔχεν ἀνάγκα) Perperam hæc accipiunt interpretes: non enim Amor hoc vult, se tunc natum esse, cum necessitati visum est: sed rationem adfert, quare cum puer esset, barbatus induceretur: qualis autem hæc foret ratio, ideo sibi barbam dari, quod tunc natus esset, cum necessitas ut nasceretur, statuisset ac decrevisset? sed causam barbæ suæ hanc adfert, quod etsi puer videretur, natu tamen grandissimus esset; utpote ante omnes Deos natus, & illo tempore, quo Necessitas imperabat, & omnia duris & iniquis Terræ jussibus parebant. Terram enim omnium primam ex illa confusa indigestaque mole, quam Chaos dixerunt, prodiisse consentiunt veteres Theologi Græci. Terræ autem, hoc est brutæ Divæ Necessitatem adjungit. Nam quidam ex antiquis Philosophis, τὴν ἀνάγκην τὴν πάντων αἰτίαν εἶναι sanxere, ut Democritus: Pythagoras τὴν ἀνάγκην τῷ κόσμῳ περικεῖσθαι dicebat. Sed heic Amor suam imperandi rationem, longe diversam ab ea, quam Terra cum imperaret, obtinebat, esse ostendit: suam enim in eblandiendo, & persuadendo totam positam: at illam Terræ, in cogendo ac per vim compellendo. Hinc violento ejus & impotenti imperio τὴν ἀνάγκην attribuit: suo vero τὴν πειθώ,

qua omnia ſe confeciſſe loquitur, nihil autem vi, nec ingratiis. Sic τὴν ἀνάγκην τῷ ἔρωτι opponit Parmenides apud Stobæum: οὐχ' ἡ ἀνάγκη μοῦνον ϗ τὸ δόγμα ἀγαθοὺς εἶναι ἐξορμᾷ, ἀλλὰ ϗ ὅπερ ἐξεργάζεται τὰ μέγιστα τῶν ἀνθρωπίνων Ερως, οὗτος ϗ τὴν ἀρετὴν πλεσίδρομον εἶναι ποιεῖ. Se tunc igitur natum hoc loco dicit Amor cum Neceſſitas & Terra regnabant: utramque ſimul poſuit auctor: nam quidam ex veteribus τὴν γῆν ut & τὴν ἀνάγκην, πάντων αἰτίαν ſtatuerunt: alii Amorem τὴν γένεσιν vocaverunt, ut Parmenides, qui eum ante omnia natum voluit. Heſiodus & Acuſilaus Terram & Amorem ſtatim poſt Chaos, in lucem exiiſſe. Vide Platonem in convivio. Simmias autem in his Alis Amorem Terra jam regnante, ortum habuiſſe ſcribit: nam ita de ſe loquentem Amorem inducit:

> Τᾶμος ἐγὼ γὰρ γενόμαν ἁνίκ' ἔκραιν' ἀνάγκα,
> Πάντα τε γᾶς εἶκε φραδαῖσι λυγραῖς.

ἔκραινε autem pro ἔκελνε, quod vulgo legitur, atque etiam in membranis habetur, libentius legerim. κραίνειν eſt imperare: quæ ſignificatio huic loco convenit, non etiam ἔκελνε, niſi in eadem hac notione accipiatur: eorum enim qui imperant, & regnant hoc proprium eſt, ſtatuere ac decernere. Sed κραίνειν melius: ſic κραίνειν στρατοῦ apud Sophoclem: atque inde κραίντωρ, qui dominatur, & regnat.

Πάντα δὲ γᾶς εἶκε φραδαῖσι λυγραῖς) Ex depravata membranarum lectione, hanc veram & ſinceram extudimus: ſic enim illæ ſcriptum præferebant: πάντα δ' ἐκπάσει ϛ φραδέσι λυγραῖς nihil pote corruptius Videant acutiores an aliquid melius inde exſculpere poſſint: in editionibus excuſum erat, πάντα δ' ὑπείκεσκε φρεύεσι λυγραῖς. nullo ſenſu: quam lectionem ſequutus ſit Græcus interpres, non facile eſt ſtatuere. Sic enim hunc locum ἐκφράζει. τότε γὰρ ἐγεινόμην ὅτε ἡ ἀνάγκη ἦρχε, ϗ πάντα ὑπεῖκε ταῖς αὐτῆς γνώμαις. Sed opinor eum ſcripſiſſe τῆς γῆς γνώμαις. & ne quid diſſimulem, ita in veteri libro ſcriptum vidi, quod unice noſtram conjecturam confirmat. φραδὴ, quod eſt γνώμη vel βουλὴ, apud Pindarum aliquoties occurrit. Heſychius φραδαῖσι, βουλαῖς. hujus autem verſiculi mentem multis aperuimus in ſuperiori animadverſione.

Ερπετὰ πάντ' ὅσ' ἕρπει) ἑρπετὰ heic non reptilia, ut vulgaris eſt hujus vocis notio, ſed volucres ſignificat tantum: nam qui omnia animalia heic deſignari crediderunt, falſi ſunt; de ſolis enim avibus loqui palam eſt, verbis quæ ſequuntur: ὅσ' ἕρπει δι' αἴθρας χάους τε, ubi terræ mentio nulla, ut terram peragrantia animalia etiam intelligi putemus. Videtur autem Simmias genus avium ante reliqua omnia creatum exiſtimaſſe, atque adeo ante ipſum Amorem: nam eo ſe natum tempore heic Amor prædicat, quo Telluris imperiis omnia parebant, & avitii omne genus: de ceteris animalibus ſilet: nondum igitur tunc erant, ſecundum auctoris ſententiam: nec enim omiſiſſet. Ariſtophanes in Avium Comœdia, ut Amorem ante Cælum & Terram & omnes Deos editum facit: ſic Avium etiam genus, ex Amore & Chao productum fingit, prius quam Terra aut Cælum in natura rerum eſſent. Eodem pertinet, quod in alio ejuſdem Comœdiæ loco idem auctor fabulatur Κόρυδον, id eſt Galeritam, omnium avium primam editam fuiſſe ac terra priorem:

> Αμαθὴς γὰρ ἔφυς κοὐ πολυπράγμων, οὐδ' Αἴσωπον πεπάτηκας,
> Ος ἔφασκε λέγων, κόρυδον πάντων πρώταν ὄρνιθα γενέσθαι,
> Προτέραν τῆς γῆς.

In quo etſi ab hoc auctore paulum diſſentiat, veterum tamen hanc vulgo fuiſſe opinionem de avitii, ante reliqua animalia, creatione, facile inde probari poteſt: nec enim ridiculi gratia illud a Comico confictum eſſe, fidem fecerit hic Simmias, qui Amorem τῶν θεῶν πρεσβύτατον, ut eum vocat Plato, illo tempore natum ſcribit, quo terra regnabat, & avium omne genus Terræ parebat: quibus verbis aperte indicat nihil tum fuiſſe in rerum natura, præter avium genus. ἑρπετὰ igitur heic ſunt aves: ſic Amorem ὄρπετον Sappho vocavit, ob eam ſcilicet cauſam quod ales fingitur.

> Ερως δ' αὖτε μ' ὁ λυσιμελὴς δονεῖ
> Γλυκύπικρον ἀμάχανον ὄρπετον.

Δι' αἴθρας χάους τε) Χάος, aerem exponunt Grammatici. Vetus Scholiaſtes in ἐκφράσει hujus loci: ὅσα ἑρπετὰ δι' ἀέρος ϗ αἴθρας. Ibycus: ποτᾶται δ' ἐν ἀλλοτρίῳ χάει. Ariſtophanes: τὸ χάος τουτὶ ϗ τὰς νεφέλας. ubi interpres τὸν ἀέρα interpretatur. omnino ingens illud ſpatium, quod terram inter, & cælum eſt, χάος Græci vocarunt. Hinc χάος χάσμα, & χώρησιν, & κοίλωμα Græci interpretantur. Idem etiam ſignificabat κάος. unde Latinis *cavus*, id eſt κοίλωμα; ut ὠὸν, ovum. Æolice autem κόος. Heſychius: κάος κοίλωμα vel κοιλάς. nam ita legendum: idem κόοι χάσματα ἢ κοιλώματα. Stephanus: κόους τὰ κοιλώματα τῆς γῆς, ϗ πάντα τὰ σπήλαια ἔλεγον: hinc Latina vox vetus *covus* pro cælo: nam *cobum*, & *covum* dicebant, hoc eſt κόον. & fallunt Latini Grammatici qui a chaos deducunt. Gloſſæ veteres non editæ: *Covum naturam univerſi, a cavo id eſt, inani vel vacuo.* Item: *Cous eſt quo cælum continetur*: unde Ennius: *Vix ſolum complere coum terroribus cæli*. *Cous* vel *covus* plane eſt Græcorum κόος. a concavitate dictus. Sed de his alias.

Οὔτι γε Κύπριδος παῖς) Ut duplex Venus veteribus, πάνδημος ϗ οὐρανία· ſic etiam duplex Amor, πάνδημος ϗ οὐράνιος. Notiſſimus Platonis locus in Simpoſio.

Ωκυπέτας δ' αὐτὸς Ερως καλεῦμαι) Multæ ſunt cauſæ, quare hanc lectionem non probem, licet eam videatur agnoſcere Græcus interpres, dum exponit: οὐκ εἰμὶ δὲ Αφροδίτης υἱὸς, καλοῦμαι δὲ Ερως. Dicit hic Amor cæleſtis, ſe non eſſe Veneris puerum, & Amorem ſe vocari. Atqui non peculiaris hæc ipſius appellatio, ſed ille puer Veneris etiam Amor vocabatur. Cur igitur dicit hoc loco, αὐτὸς Ερως καλεῦμαι? quaſi hoc ipſe nomen ſolus haberet, ad diſtinctionem alterius, qui non appellabatur Amor: quod falſum eſt. Sed magis magiſque ut hanc lectionem improbem facit vetus ſcriptura, quæ habet, Ωκυπέτας δ' ἀέριος καλεῦμαι. an pro ἀέριος, αἰθέριος legendum, ut οὐράνιον intelligamus? huic conjecturæ ſtare poſſet aliquis. Ego tamen nondum illi palmam do, ſed eam magis palmariam judico, qua totum locum ſic concipio ac diſtinguo, minimum aut nihil plane recedens ab antiquæ ſcripturæ veſtigiis: οὔτι γε Κύπριδος παῖς, Ωκυπέτας τ' ἀέριος καλεῦμαι. Cæleſtis Amor ut diſtinguat ſe ab Amore vulgari ϗ πανδήμῳ, ſic ait: *Nequaquam ego puer Veneris, & aliger aerius nuncupor.* παῖς Κύπριδος, Ωκυπέτας ἀέριος, notæ ſunt, quibus volgivagum illum Amorem, ϗ πάνδημον deſignat quod puer Veneris ſit, quod hac illac circumcurſet ac circumvolitet, & incerto vagoque impetu, modo in hos feratur, modo in illos, & plane ſit ὠκυπέτας ἀέριος. Plato in Convivio de hoc vulgari amore: ὁ μὲν οὖν τῆς πανδήμου Αφροδίτης, ὡς ἀληθῶς πάνδημος ἐστὶ, ἐξεργάζεται ὅ,τι ἂν τύχῃ. quos autem ſemel fixit hic Amor, ad amandum vi cogit: talem porro ſe non eſſe prædicat heic Amor

cæleſtis, & per vim nihil agere, ſed volentibus inſinuare ſe, & ſponte ſua animos inter ſe conciliare, pelliciendo ac perſuadendo. Hinc eum *ὕβρεως ἄμοιρον* dicit Plato in Sympoſio.

Οὔτι γὰρ ἔκρηνα βίαφι, πραΰνω δὲ πειθοῖ) Sic libuit emendare veterem lectionem in membranis vitioſe ita ſcriptam: *ὅτε γὰρ ἔκελνα βίας, πραΰνω δὲ πειθοῖ. ἔκρηνα* pro *ἔκελνα* etiam legerunt Græci Scholiaſtæ: ita enim exponunt: *οὐδὲν ἔπραξα βίᾳ, ἀλλὰ πάντα πραΰνω πειθοῖ.* alius vero non editus, ſic habet: *καὶ οὐδὲν δὲ ἔπραξα βίᾳ, τὰ πάντα δὲ μοὶ πείθονται.* illud *πάντα* quod uterque habet, fere mihi perſuadet, lectum ab illis fuiſſe: *οὔτι γὰρ ἔκρηνα βίᾳ, πάντ' ἐπράϋνα πειθοῖ.* vel *πᾶν δ' ἐπράϋνα πειθοῖ.* idque ut verum eſſe credam, inducit me, quod ſecunda in *πραΰνω* producatur: nam quod ad primam attinet, etſi natura longa eſt, facile ob ſequentem vocalem corripi poteſt, ut in aliis ejuſmodi ſolent: de quibus ad Ovum ſupra notavimus. Nihil igitur verius hac lectione quam ultimo loco poſuimus. Cauſam autem addit hoc verſu Amor iſte Cæleſtis, quare *Κύπριδος παῖς* non dicatur, & *ἀέριος ὠκυπέτας*· nihil enim ſe per vim agere, ſed omnes blanditiis pellicere: illum vero Veneris puerum, & volgivagum Amorem *ὑβριστικὸν* eſſe *καὶ βιαστικόν.* longe igitur ſe ab illo diverſum. Non dicit quidem expreſſe Amorem illum alterum, Veneris filium, violentum eſſe & vi cogere, ſed facile intelligi datur ex comparationis ratione, quam ſic inſtituit: *non ſum, nec vocor ille Cypridis puer, & volgivagus Amor: nihil enim per vim perficere conſuevi.* Sequitur ergo illum alterum omnia per vim facere ſolitum, cui ſe adeo diſſimilem eſſe oſtendit. Non inepte etiam aliquis exiſtimare poſſit, heic conferri exemplum imperii quod exercet nunc Amor, ad imperium quod olim Terra exercebat, priuſquam Amor naſceretur: illam enim *κατ' ἀνάγκην* imperitaſſe; Amorem vero *κατὰ πειθώ.* quam ſententiam ſupra retuli ad illud, *ἀνίκ' ἔκραιν' ἀνάγκα.*

Εἶκει ἐμοὶ γαῖα, θαλάσσας τε μυχὸς, χάλκεος οὐρανός τε) Ex duobus corruptis & mutilis verſibus, unum hunc integrum & ſincerum concinnavimus: ſic enim legebatur in vetuſto Codice:

> *Εἶκε δέ μοι γαῖα θαλάσσας τε μυχὸς οὐρανός τε.*
>
> *Εἶκει δέ μοι γᾶς τε μυχοὶ χάλκεος οὐρανός τε.*

Sic ex duobus malis ac vitioſis, unum, bonum ac ſanum fecimus. *χάλκεος οὐρανὸς* apud Homerum eſt, & Heſiodum. *εἶκει ἐμοὶ*, ut in ſequenti verſu, *τὰν ἐγὼ ἐκνοσφισάμαν*, ubi *ει*, & *ω*, propter ſequentes vocales corripiuntur: non etiam improbaverim, ſi quis malit: *εἶξε δέ μοι γαῖα θαλάσσας τε μυχός*: vel *εἶξαν ἐμοὶ*, ut videntur Scholiaſtæ legiſſe, qui ſic exponunt: *ὑπεῖξαν δέ μοι, οἱ γῆς τε καὶ θαλάσσας μυχοὶ καὶ ὁ οὐρανός*. Videntur igitur legiſſe:

> *Εἶξαν ἐμοὶ γᾶς τε θαλάσσας τε μυχοὶ, χάλκεος οὐρανός τε.*

cui lectioni etiam adſtipulatur alter ex illis duobus depravatis verſibus quos ſupra ex membranis protulimus: *εἶκει δέ μοι γᾶς τε μυχοί.* utro modo legas, nihil refert: noſtram tamen præferimus: nihil vero abſurdius correctione doctorum hominum qui ſic repoſuerant: *οὐρανίων πᾶς τε θεός μοι εἶκει.* cum enim ſequatur, *τὰν ἐγὼ ἐκνοσφισάμαν ὠγύγιον σκᾶπτρον*, quomodo videri poteſt Amor ſceptrum Diis eripuiſſe, qui regno potiebatur, antequam quiſquam Deorum natus eſſet?

Τῶν ἐγὼ ἐκνοσφισάμαν ὠγύγιον σκᾶπτρον) Ita repoſui, cum vulgo eſſet, *τὰν δ' ἐγὼν ἐκνοσφισάμαν.* illud *ἐγὼν*, verſus non patiebatur. Cælum autem & Terram intelligit, quibus Amor ſceptrum de manibus extorſiſſe gloriatur. Huc plane pertinet, quod in primo verſu Amor Terræ regem ſe appellat, & Cælum ſolio a ſe depulſum dicit, & in alia ſede conſtitutum, quam regia ſcilicet: ſic ultimus iſte verſus, interpretationem noſtram illorum verborum primi verſus, *Ἀκμονίδαν τ' ἄλλυδις ἑδράσαντα*, egregie comprobat.

Ἔκραινον δὲ θεοῖς θέμιστας) Ita vetus, ex cujus auctoritate ſic emendavimus: vulgo erat: *ἐκράδαινα δέ σφι θέμιστας*, ex correctione doctorum hominum, qui tam male nomen Deorum in præcedente verſu repoſuerant, quam in hoc ſuſtulerant: ut error errorem ſequitur: pro *ἔκραινον*, malim *ἔκρινον.* ſic enim frequenter apud poetas, *κρίνειν*, & *διακρίνειν θέμιστας*.

F I N I S.

ΣΙΜΜΙΟΥ

ΣΙΜΜΙΟΥ ΤΟΥ ΡΟΔΙΟΥ

ΠΕΛΕΚΥΣ.

Ανδροθέας δῶρον ὁ Φωκεὺς κρατερᾶς μηδοσυύας ἦρα τίων Αθάνᾳ
Τᾶμος ἐπεὶ τὰν ἱερὰν κῆρι πυρίπνῳ πόλιν ἠθάλωσεν
Ουκ ἐνάριθμος γεγαὼς ἐν προμάχοις Αχαιῶν
Νῦν δ' ἐς Ομήρειον ἔβα κέλευθον
Τρὶς μάκαρ ὃν σὺ θυμῷ
Οδ' ὄλβος

Αεὶ πνεῖ
Ιλαος ἀμφιδέρχθης
Σὰν χάριν ἁγνὰ πολύβουλε Παλλάς
Αλλ' ἀπὸ κρηνᾶν ἰθαρᾶν νᾶμα κόμιζε δυσκλής
Δαρδανιδᾶν χρυσοβαφεῖς τ' ἐςυφέλιξ' ἐκ θεμέθλων ἄνακτας
Ωπασ' Επειὸς πέλεκυν τῷ πόκα πύργων θεοτεύκτων κατέρειψεν αἶπος.

CLAUDII SALMASII

NOTÆ.

NUMERO, & genere verſuum, ſitu etiam figuraque, nihil plane differt ab Alis Securis. Et ſane nihil erat, quod æque figuram Alarum exprimeret, ut Securis. Hinc eam bipennem Romani veteres appellarunt: ſic enim ſecuris bipennis dicitur, ut avis bipennis, quod ſcilicet ex utroque latere ferri aciem, in modum alæ vel pinnæ factam haberet, non autem quod in utramque partem ſcinderet, vel acuta eſſet; ex eo quod pinnum pro acuto veteres dicebant. Bipennis igitur adjectivum, ut vocant, nomen, & epitheton ſecuris: ſic enim *bipennis ſecuris* Varroni apud Nonium, ut *paſſer bipennis*. *Ferens ferream humero bipennem ſecurem*, in Parmenone. Sic *ferrum bipenne* Virgilio, pro ſecuri.

—— ferro ſonat acta bipenni Fraxinus.

Servius, *bipennem*, dici ait, *quod ex utraque parte aciem haberet, quaſi duas pinnas*: nihil verius: & id licet ex hac veteris Securis, quam Epeus dedicavit, effigie cognoſcere: eam enim poeta vetuſtiſſimus, eadem forma, eodem numero verſuum compoſitam, ſic Alis aſſimilavit, ut nihil magis ſimile fieri poſſet. Πέλεκυς autem Græcis eſt, quæ Latinis *bipennis*. Hinc πέλεκυν, ἀξίνην δίςομον exponunt Grammatici: quæ vero unam tantum pinnam aut aciem habet, eam ἡμιπέλεκκον vocant. Græci barbari δεξτράλιον, quod una tantum manu, dextra ſcilicet teneretur. Vetus interpres in Homerum: πελέκεας ἀξίνας διςόμους. ἔςι δὲ ςαθμὸς σιδήρου ἔχων μνᾶς δέκα τόδε ἡμιπέλεκκον τὸ ἥμισυ τοῦ πελέκεος, τὸ ἐκ τοῦ ἑνὸς μόνου μέρους ἔχον ἀκμὴν, ὃ καὶ δεξτράλιον καλοῦσι. ſic enim ibi legimus. Iſidorus de originibus *dextralem* vocat, & inde dictam autumat, quod *dextræ habilis ſit*; quæ Latinis *dextralis*, Græcis eſt δεξτράλιος. quod autem ait πέλεκυν etiam ſignificare pondus decem minarum, idem quoque ſcribit Heſychius: πέλεκυς ἀξίνη δίςομος ἢ ςαθμίον ἑξαμνιαῖον ἀρχαῖον. οἱ δὲ δωδεκαμνιαῖον. forte corrigendum, δεκαμνιαῖον. nam ſic habet in voce ἡμιπέλεκκον· ἡμιπέλεκκον τριμναῖον ἢ τετραμναῖον, ἢ πεντάμνουν. τὸ γὰρ δεκάμνουν πέλεκυς καλεῖται παρὰ Παφίοις. Sed hæc non ſunt hujus loci. De auctore nihil dicam: nam Simmiam eſſe vel unicus Hephæſtion perſuadere poſſit, qui Simmiam ἐν τῷ πελέκει citat. Argumentum etiam notum. In hujus autem poematii expoſitione, a primo verſu, ad ultimum procedendum, atque ita deinceps, ut in Ovo vidimus, & Græcus Scholiaſtes admonet, & nos ſcire poteramus, etſi nullus moneret. Interpretationis vicem, libet ſubjicere veteris cujuſdam Scholiaſtæ ἔκφρασιν κατὰ πόδα, quam in vetuſta membrana ſcriptam reperi, magis ne quid deſideraretur, quam quod tali interpretatione indigere videretur hoc poemation. Nihil enim iſtic valde difficile aut obſcurum. Sic igitur habet. ὅπως γέγραπται μὲν εἰς τὸν Επειοῦ πέλεκυν, λέγει δέ· Δῶρον τῇ Αθηνᾷ ὁ Φωκεὺς Επειὸς τῆς τέχνης καὶ τῆς ἐπινοίας χάριν ἀποτίνων, ἀνέθηκεν, ᾧ ποτε πύργων θεοποιήτων κατήρειπε τὸ τεῖχος, ἡνίκα τῇ ἱπποποιητῇ κῆρι, καὶ πυριπνόῳ τὴν πόλιν ἔκαυσεν. διὰ γὰρ ἵππου εἷλον Ιλιον Ελληνες, καὶ τοὺς βαθυπλούτους ἄνακτας ἐκ βάθρων ἔσεισεν Επειὸς, ὃς οὐκ ἦν προμάχοις ἐναρίθμιος, ἀλλ' ἀπὸ κρηνῶν καθαρὸν πόμα ἔφερε τοῖς Αχαιοῖς. νῦν δ' ἐχώρησεν εἰς Ομήρου ποίησιν διὰ τῆς Αθηνᾶς χάριν. μακάριος γὰρ ὃν σὺ ἀπὸ ψυχῆς εἶδες ἵλεως. τῷ γὰρ τοιούτῳ καὶ ἡ εὐδαιμονία ἀεὶ παρακολουθεῖ. Nunc quare quædam in vulgata editione mutaverimus, reſtat ut indicemus, & nonnulla etiam explicemus, nondum ſatis intellecta.

ἀνδροθέᾳ) Sic vocat Minervam, quod fortis & bellicoſa diva ſit, quaſi ἀνδρείαν θεάν. vetus Scholion ad hunc locum: ἀνδροθέα ἡ ἔπανδρος θεά. οἶμαι δὲ ὅτι διὰ τούτου τοῦ ὀνόματος τὴν παρθένον καὶ ἀνδρείαν ἐσήμανεν. quod ad ἀνδρείαν pertinet, verum eſt; quod ad παρθένον, nugæ.

Κρατερᾶς μηδοσυνάς) Ita recte legitur, ita etiam citat Hephæſtion: in veteribus tamen membranis, κρατίςας ſcriptum, quod ferre non poteſt verſus, & pro μηδοσυνάς, correctum δημοσυνάς. quid ſit, neſcio: forte voluit, δειμοσυνάς, a δείμω vel δείμω, quod eſt ædifico: ut δειμοσυνά fabricationem, & architectationem equi Durii ſignificet: ſed μηδοσυνάς verum, & recte Græcus interpres τέχνης καὶ ἐπινοίας exponit.

Ηρα τίων) Vulgo legitur, & ita apud Hephæſtionem excuſum eſt, ἦρα τίνων. Sed prima in verbo, τίνειν fere ſemper producitur. τίων igitur quod

habebant membranæ, malui: non tamen ignoro, primam in τίνω & τίω apud poetas indifferentem inveniri.

Τῷ πόκα πύργων θεοτδμάτων κατέρειψεν αἶπος) Prius legebatur, ᾧ πόκα, æque bene ad sensum, sed versus rationi parum apte: pro illo autem ᾧ πόκα quod in vulgatis erat, legendum putabat vir doctissimus, ὅπποκα. Itane, inquiebat, securicula sua mœnia illa, turresque θεοτδμάτως demolitus est Epeus? fuisse enim lignarium fabrum Epeum, non lapidum quadratarium: sed illud ὅπποκα & versui multum officit, & ad sententiam nihil facit: nam si ita legimus, Ὤπασ' Ἐπειὸς πέλεκυν ὅπποκα πύργων θεοτδμάτων, pro Choriambico, quem metri ratio postulat, pæonem primum habebimus: ex illa porro lectione hæc sententia surgit, Epeum tunc Securim suam Minervæ dedicasse, cum turres Trojanas diruisset: at in sequenti versu hoc idem dicit: τᾶμος ἐπεὶ ταν ἱερὰν πόλιν ἠθάλωσε. ubi quid hac repetitione opus esset, τᾶμος ἐπεὶ, si ὅπποκα hoc loco posuisset? sed non male Epeus dici potest, illa securi turres & mœnia Trojana dissipavisse, qua ligneum equum fabricavit, cujus equi opera turres illæ dirutæ sunt & dissipatæ.

Τᾶμος ἐπεὶ ταν ἱερὰν) Ἱερὰν πόλιν, Ilium vocat, quod a Neptuno & Apolline mœnita fuisse dicatur, ut cum Plauto loquar: *Pergamum divina mœnitum manu*. Hinc πύργως θεοτδμάτως superiore versu dixit.

Δαρδανιδᾶν χρυσοβαφεῖς τ' ἐσυφέλιξ' ἐκ θεμέθλων ἄνακτας) Χρυσοβαφεῖς ex membranis restituimus ad integrandum versum, qui vulgo una συζυγίᾳ mancus & mutilus excudebatur: nam cum pentametros esse deberet, ut esset ἀντίστροφος illi superiori cui respondet, τᾶμος ἐπεὶ, tetrametros erat tantum: melius tamen fortasse legeretur: Δαρδανίδαν χρυσοβαφῆ δ' ἐσυφέλιξ' ἐκ θεμέθλων ἄνακτα, ut de Priamo intelligamus. Sed & Δαρδανίδας ἄνακτας de Priamo & Priamidis intelligere possumus: nam sic etiam Euripides Ἰλιάδας βασιλεῖς dixit: ἀπὸ δ' φθίμενοι βεβᾶσιν Ἰλιάδαι βασιλῆες.

Κηρὶ πυρίπνῳ πόλιν ἠθάλωσεν) Perperam in membranis, κηρὶ πυρινῷ.

Ἀλλ' ἀπὸ κρανᾶ. ἰθαρᾶν τᾶμα κόμιζε δυσκλής) Ἰθαρᾶν habebant veteres membranæ, & supra correctum καθαρᾶν. Sed ἰθαρᾶν rectum est. Hesychius: ἰθαραῖς, ταχέσιν, ἱλαραῖς, καλαῖς, καθαραῖς: κούφαις, λευκαῖς, ταχείαις. δυσκλὴς autem pro δυσκλεὴς reposuimus, quod ita posceret versus.

Σὰν χάριν ἁγνὰ πολύβουλε Παλλὰς) Scriptum editi exhibebant, σὰν χάριν ἁγνὰ ὦ πολύβουλε Παλλὰς, contra legem versus.

Ὃδ' ὄλβος ἀεὶ πνεῖ) Ita membranæ, quod sequuti sumus: nam τὸν ὄλβος ἀεὶ πνεῖ, ut erat in editis, non recte dici arbitror: legi poterat, τῷ ὄλβος ἀεὶ πνεῖ. τῷ enim breve esset, sequente vocali. Sic prima in ποιῶν brevis apud Theocritum, & prima in ᾠὸν apud eundem hunc Simmiam: vide quæ supra notavimus ad Ovum. ἀεὶ πνέει perperam etiam legebatur pro ἀεὶ πνεῖ. nam versus id se ferre posse negavit.

Τὸν Βίων κλυτοῖς ᾖσε θεοῖς) Sciolus aliquis, qui videret, huic Securi manubrium deesse, hoc pati non potuit, & istud de suo addidit. impudentissimum vero oportet fuisse, qui sic posteritati voluerit imponere, & imperitissimum, qui cum manubrium huic Securi putaret inferendum, tam male illud dedolaverit. Deinde ita male, & inconvenienter aptatum est, ut si sententiam ejus spectes, nusquam cohæreat, nec cum ulla Securis parte quadrare possit: plenus enim & absolutus undique hujus poematii sensus, ab extremis utrimque partibus, usque ad medium, qui locus erat prius manubrii: sed ibi qua ratione possit hærere non video: nam quo referes illud, τὸν Βίων κλυτοῖς ᾖσε θεοῖς? ad πέλεκυν scilicet: atqui nulla ibi πελέκεως mentio. Præterea cum omnes hujus poematii versus, ἀντιθετικοὶ sint καὶ ἀντίστροφοι, cur hic solus ἀντιθετικὸν suum non habet? Commode sane duo versus capere poterat manubrium, nec ea re justum crassitudinis modum excederet, cum Theocritus singulis quibusque Fistulæ suæ cannis binos versus impenderit. Sed age, paulo pensitatius istunc insititium, commentitiumque versum examinemus: τὸν Βίων κλυτοῖς ᾖσε θεοῖς: *quam Securim Bion inclytis cecinit Diis*. De Bione falsum: nam certum est hujus poematis auctorem esse Simmiam: mentitur impudenter quisquis est, & Bionis nomen ad fucum faciendum nobis obtendit. At enimvero quid est, ᾄδειν πέλεκυν θεοῖς, *canere Securim Diis?* aut quinam sunt illi κλυτοὶ θεοί? Dedicavit olim Epeus Minervæ Securim, qua Durium equum fabricaverat: hanc dedicationem inscriptionemque, qualem ab Epeo fuisse positam, erat verisimile, versibus inclusit hic Simmias, & sub Securis figura repræsentandam curavit. Hoccine est canere securim? pudet pigetque ineptiarum. Sequitur, Ῥοδοῖ γεγαώς. Rhodium Bionem equidem nullum novi: quod enim de Smyrnæo Bione heic accipiunt, eumque Rhodii fuisse volunt, verbo refutari non merentur. Sequitur, ὃς εὗρε πολύτροπα μέτρα μολπᾶς. apage hunc inventorem: sed ubinam sunt illa πολύτροπα μέτρα quæ invenisse gloriatur? nam in toto hoc carmine nulla sunt πολύτροπα μέτρα, sed omnia Choriambica pura: idque genus, unum esse ex illis decem principalibus & prototypis metrorum generibus, nemo ignorat: nullum igitur in hoc poematio metrum πολύτροπον, nisi hoc unum, quod etiam est κακότροπον. Sed μέτρον πολύτροπον, non sunt μέτρα πολύτροπα. Quis vero non videt, hæc πολύτροπα μέτρα μολπᾶς, ex illis Ovi Simmiæ sumpta esse, πολύπλοκα μέτρα μολπᾶς. His breviter examinatis, superest ut doceamus, quamobrem Simmias huic Epei Securi manubrium non apposuerit. Sciendum est, hoc ποιημάτιον, inscriptionem esse Securis ab Epeo dedicatæ, quam poeta, ut jam diximus, Securis effigie formatam exhibuit: quæ autem Diis dedicabantur, & appendebantur, sive arma essent, sive instrumenta fabrilia, seu res aliæ quæcumque, ea moris erat, parte sui mutilari, ne in usum hominum converti possent, neve parata, aut ad manum essent uti volentibus. Secundum hunc morem Epeus cum Securim dedicaret, manubrium exemit. Hinc Simmias, qui figuram exhibebat securis ab Epeo dedicatæ, eam sine manubrio repræsentavit: sic de clypeis dedicandis, lora & ansæ quibus tenentur, tollebantur. Aristoph. in Equitibus:

> Οὐ γὰρ σ' ἐχρῆν εἴπερ φιλεῖς τὸν δῆμον ἐκ προνοίας
> Ταύτας ἐᾶν αὐτοῖσι τοῖς πόρπαξιν ἀνατεθῆναι.

Scholiastes: ἀνετίθεσαν τὰ ἐκ τῶν πολεμίων ὅπλα, ἄνευ τῶν ὀχάνων, ἵνα μὴ ἑτοίμως ἔχωσιν αὐτοῖς. sic vestes consecrandas priusquam eas tholis suspenderent, scindebant & lacerabant, ne cuiquam usui esse possent. Hesychius: καταιγίσας, καταχίσας· οἱ γὰρ ἀνατιθέντες ἱμάτια κατέσχιζον αὐτὰ ἵνα μὴ ἀρθῶσι παρά τινων. Et hæc ratio est, cur hic πέλεκυς, πελεκκὸν suum non habeat: est autem πελεκκὸς, ut exponitur a Grammaticis, στελεὸς, ὅ ἐστι ξύλον εἰς τὴν ὀπὴν τῶν πελέκεων ἐμβαλλόμενον. Ὀπὴ hujus πελέκεως, est inter illas duas jambicas clausulas,

Οδ' ὄλβος
Αεὶ πνεῖ.

Nemo vero niſi iniquus aut imperitus iſthoc nomine nos reprehendere poterit, quod de optimo poematio, peſſimum verſum, & de bona Securi, malum manubrium ſuſtulerimus: magis mirandum τὸ νόθευμα hujus periodi viris doctiſſimis non ſuboluiſſe hactenus. Hæc autem opuſcula Simmiæ ſive παίγνια, ut vocat Hephæſtion, ex libris ejus diverſorum poematum deſumpta eſſe ſuſpicor. Scribit enim Suidas, quatuor libros διαφόρων ποιημάτων eum reliquiſſe: eaque citat Hephæſtion: Σιμμίας δὲ ἐπετήδευσεν ἐν τοῖς ποιήμασιν τοὺς πλείους κρητικοὺς παραλαμβάνειν.

A Μᾶτερ ὦ πότνια νυμφᾶν ἁβρᾶν
Δῶρ' εἰ κυμοκτύπων ἥρων ἁλίων μυχῶν.

qui verſus non ſatis emendate leguntur in editione Hephæſtionis: idem de trimetro anapæſtico: τῷ δὲ τριμέτρῳ Σιμμίας ὁ Ῥόδιος ὅλον τὸ ποιημάτιον ἔγραψεν. Genus etiam metri ab ipſo Simmiaçum appellatum eſt, antiſpaſticum nempe hypercatalecton: idem Hephæſtion: Σιμμίας δὲ καὶ τῷ ὑπερκαταλήκτῳ κέχρηται.

B Τὸν συγνὸν Μεναλίππου φόνον, αἱ πατροφόνων ἔρεθοι.

Sic inter varia ejus poemata vel ποιημάτια potius, videntur etiam hæc fuiſſe, Ovum, ſcilicet, Alæ, & Securis.

F I N I S.

ΘΕΟΚΙΡΤΟΥ ΣΥΡΙΓΞ.

Οὐδενὸς εὐνάτειρα, μακροπτολέμοιο δὲ μάτηρ
Μαίας ἀντιπέτροιο θοὸν τέκεν ἰθυντῆρα
Οὐχὶ κεράσταν ὅν ποτε θρέψατο ταυροπάτωρ
Ἀλλ' ἐπιλιπὲς αἶθε πάρος φρένα τέρμα σάκευς
Οὔνομ' ὅλον, δίζωον, ὃ τᾶς μέροπος πόθον
Κούρας γηρυγόνας ἔχε τᾶς ἀνεμώδεος·
Ὃς μοίσᾳ λιγὺ πᾶξεν ἰοστεφάνῳ
Ἕλκος ἄγαλμα πόθοιο πυρισμαράγου.
Ὃς σβέσεν ἀνορέαν ἰσαυδέα
Παππφόνου, Τυρίαν τ' ἐρρύσατο.
Ὧι τόδε τυφλοφόρων ἐρατὸν
Πᾶμα Πάρις θέτο Σιμιχίδας.
Ψυχὰν ἀεὶ βροτοβᾶμον
Στήτας οἶστρε Σαέττας
Κλωποπάτωρ, ἀπάτωρ
Λαρνακόγυιε χάροις,
Ἁδὺ μελίσδοις,
Ἔλλοπι κούρᾳ,
Καλλιόπᾳ
Νηλεύστῳ.

CLAUDII SALMASII
NOTÆ.

IN hac explananda Theocriti Fistula, non tantum nobis laboris capiendum fuit, quantum in præmissis opusculis: non quod ulli ex iis difficultate cederet, sed quod felicius doctissimis viris, ejus explicatio cesserit, qui cum prorsus in aliis omnibus, excepta Securi, nihil vidissent, in isto poematio saltem aliquid viderunt: in plerisque tamen eos hallucinatos esse ostendemus, & Græculum cum iis interpretem, cujus unius auxilio freti, in rectam hujus obscurissimi opusculi enarrandi viam ingressi sunt. Fistula vel Σύριγξ hoc ἐπιγραμμάτιον inscribitur, ἀπὸ τοῦ σχήματος, ut Ovum, Aræ, Alæ, & alia hujusmodi, quæ in superioribus habuimus. Hoc enim ordine compacta est, ut a maximis & longissimis versibus incipiens, in minimos & brevissimos desinat, eodem plane modo quo pastoritiæ Fistulæ,

Fistula cui semper decrescit arundinis ordo:
Nam calamus cera jungitur usque minor.

Sic in hoc poemate, longis versibus semper subjiciuntur minores: bini autem versus semper unum Fistulæ calamum constituunt. Ita igitur dispares sunt omnes, in morem disparium Fistulæ cannarum, ut tamen positis ubique, binis paribus, qui cannam unam reddunt, tota disparitas in decem binis consistat, quot numero cannæ vel calami in hac Fistula constituuntur, cum vulgaribus fistulis septem tantum inessent. Virgil.

Fistula disparibus septem compacta cicutis.

Sed cur Theocritus hanc Fistulam ex decem calamis composuerit, & compegerit, cum vulgo ex septenis compingi moris esset, nemo hactenus quæsivit, nemo etiam fortasse scivit: quam veram, vel verisimilem saltem hujusce rei causam esse mihi persuasi, hæc est. Theocritus cum Bucolica sua absolvisset, Fistulam, pastoralis illius & rusticæ suæ sibi Musæ instrumentum, Pani dedicavit, illo more, quo reliqui solebant artifices, opere aliquo eximio perfecto, artis suæ instrumenta, Diis artis præsidibus suspendere, ac dedicare. Sic gladiatores, postquam delusissent, & pugiles, qui legem pulveris & cibi resolverant, ut ait ille, arma & cestus Herculi appendebant: ita Theocritus nunc Fistulam Pani dedicat, post τὴν βουκολικῶν ἔκδοσιν, votum pastorali ac sylvestri Deo solvens, & illius agrestis Musæ præstiti: hanc autem Fistulam, quam Pani dedicatum ivit, ex decem calamis struxit, ex numero scilicet bucolicarum odarum, quas ad illam cecinerat. Nam decem tantum Eclogas Theocriti mere bucolicas esse, testatum reliquerunt veteres critici. Servius: *Sed est sciendum sex eclogas esse mere rusticas, quas Theocritus decem habet.* Ab illis igitur decem Eclogis, decem calamos in hac sua Fistula qua pastorum lusit cantilenas, & quam Pani nunc dedicat, posuisse videtur Theocritus. Versus autem Σύριγγος, κατὰ χίασιν scripti sunt, non tamen ἀντιθετικοὶ, ut in Ovo & Securi Simmiæ, ubi primus ultimo, secundus penultimo, respondent, & ita deinceps, sed κατὰ παράλληλον τάξιν παραβάλλοντες) οἱ ἀντιστρέφοντες, ut magistri loquuntur: nam secundus primo respondet, tertio quartus, quinto sextus, & ita de ceteris.

Οὐδενὸς εὐνάτειρα) Qui nunc primus est versus, antea secundus erat, priusquam illum ejecissem, qui primum locum occupabat, non jure suo, nec merito. Sic autem ille habebat:

Σύριγξ οὔνομ' ἔχεις, ᾄδει δέ σε μέτρα σοφίας.

quem versum Theocriti non esse, qui minime videt, is quid videre possit nescio, tot causæ sunt, quæ Theocrito illum adscribi non posse vincunt:

primum cum omnes versus in hoc poemate παράλληλοι sint, & bini bini incedant, cur hic παράλληλον suum non habet, aut cur terni pro binis heic positi, cum reliqui per binos, usque ad finem procedant? Deinde cum totum hoc scriptum sit αἰνιγματῶδες, immo cum totidem pene ænigmata, quot verba sint, cur hic solus primus versus, planus & apertus & nulla caligine obtectus? non autem hic poetis mos est, ut qua de re per ambages, & ænigmatum tenebras scripturi sunt, eam rem primo statim versu & in ipso limine operis, nude ac simpliciter proponant, & palam indicent: quod heic tamen facit Theocritus, Σύριγγα plane & aperte nominando, initio carminis, quam paulo post μεταληπτικῶς ἕλκος appellat: idque valde esset ridiculum & absurdum, ut quam rem suo nomine prius nuncuparit, eam postea non suo, sed per μετάληψιν sumpto nuncupatum eat: præterea nullam connexionem habet hic versus cum reliquis, sed separatum & abscissum a sequentibus sensum gerit, ita ut inscriptio potius poematii, quam carminis initium videatur esse; nec ea quidem ab ipso poeta profecta, sed ab aliquo imperito conficta, qui nec Græce sciebat, nec syllabarum modulos tenebat. Et nisi mea me conjectura fallit, idem auctor fuit hujus fictitiæ ἐπιγραφῆς, qui & illius commentitii versus, pro manubrio ad Securim appositi: nam ut ibi ἄδειν πέλεκυν dixit, ita heic ἄδειν σύριγγα, ἄδει δέ σε μέτρα σοφίης. ubi etiam secundam in σοφίης producit, more illius sæculi barbari & inficeti, quo omnes syllabæ indifferentes erant: abeat igitur hinc quo dignus est, cum suo illo pari, & gemino germano, quem supra expunximus.

Οὐδενὸς ἀντέιρα) Mirifice heic nugatur Johannes Pediasimus, de ventosis procorum, & Penelopes nuptiis: οὐδεὶς, & οὔτις συνώνυμα sunt. Ulysses apud Cyclopem οὔτιν se vocari dixerat. Theocritus more suo, οὐδενὸς heic pro οὔτινος posuit, μεταληπτικῶς, & Ulyssem intellexit.

Μαίας αντιπέτροιο) Ita in optimo codice scriptum erat, & id nos sequuti sumus: vulgo, ἀντιπάτροιο, quod nec ipsum quidem improbamus, sed illud magis probamus. ἀντίπετρος dicitur Juppiter, quod lapis pro ipso datus sit Saturno devorandus. Hanc lectionem etiam agnoscit vetus interpres. τινὲς, inquit, τὸ ἀντιπέτρου ἐκ τοῦ ἀντὶ πέτρας γεγενῆσθαι φασὶν, ἵνα ᾖ ἀντίπετρος Ζεὺς ἀνθ᾽ οὗ δηλονότι πέτρα ἐδόθη τῷ Κρόνῳ.

Οὐχὶ κεράσταν) De Comata eum loqui velle, non obscurum, quem Comatam multis laudibus prosequitur Eidyllio septimo. Κεράστας autem & Κομάτας sunt συνώνυμα, ut κέρας & κόμη. hinc Κεράσταν heic ἀντὶ τοῦ κομάταν posuit. Hesychius: κεραστής, κομήτης, ἁλιεύς· εἶδος ὄφεως, καὶ ὁ κέρατα ἔχων. idem, κερασταὶ, κομῆται, πολεμικοί.

Ἀλλ᾽ ᾧ πιλιπὲς αἶθε πάρος φρσίν τέρμα σάκευς) Ita nos olim legendum conjecimus, ex vestigiis scriptæ lectionis: ἀλλ᾽ ᾧ ἐπιλιπὲς αἶθε. & conjecturam nostram probavit, & laudavit magnus Scaliger, cum hanc illi ante hos decem annos per litteras communicassem. Pan amavit πίτυν: si πι detrahas, remanebit ἴτυς, quod est τέρμα σάκευς, hoc est circumferentia, & extremitas clypei. ἴτυς enim, ut omnes sciunt, παντὸς περιφερῆς τὸ τελευταῖον μέρος. πιλιπὲς igitur τέρμα σάκευς, est ἴτυς, cui deest πι, littera: quam si addideris, efficies illam quam Pan amavit, hoc est πίτυν. De Pinu a Pane amata extat historia lib. II. γεωπονικῶν a Cassiano Basso compilatorum: ἡ Πίτυς κόρη γενομένη τὸ πρότερον μεταβολὴν φύσεως ἐξ ἔρωτος διπλῆ παρελάμβανεν· ἤρα μὲν γὰρ τῆς κόρης ὁ Πὰν ἀντήρα δὲ ταύτης καὶ ὁ Βορρᾶς. Vide reliqua. Hinc passim pinu coronatus apud Poetas Græcos & Latinos Pan inducitur. Tibullus:

> —— & Arcadio Pinus amata Deo.

Οὐλόμ᾽ ὅλον, δίζωον) Sic distinximus: nam prius legebatur: οὐλόμ᾽ ὅλον δίζων: nec minus in isto, quam in superiore explicando loco frustra fuere interpretes: nam quod volunt, nomen heic positum pro forma, & duplicem Panis formam intelligi, quis non risu dignum existimet? ὅλον & πᾶν idem significant: nam utraque voce *totum* significatur: quod nemo ignorat. Dicit igitur τὸν Πᾶνα, οὐλόμ᾽ ὅλον habere, quod Πὰν scilicet vocetur, quæ vox Græcis τὸ ὅλον significat, τὸ πᾶν scilicet: nam Πὰν & πᾶν solo accentu differunt. δίζωον autem Panem appellat, quod semivir sit, & semicaper, quasi ex duorum diversorum animalium forma compositus.

Ὁ τᾶς μέροπος πόθον) Hæc de Syringe accipiunt, quam puellam Pani amatam esse constat, & in cannam conversam: sed mirum est, omnia quæ heic dicuntur, ad puellam non posse referri, sed ad Fistulam: nam μέροψ, *vocem variam habens*: & γηρυόνα, ut vulgo legunt, hoc est *puella vocalis*, & ἀνεμώδης, *ventosa*, seu *inspirabilis*, nullo modo dici queant de Syringe puella, sed de Syringe tantum jam fistula facta. Atqui perquam ineptum esset, ei puellæ quam Pan amabat, eadem illa omnia attribuere, quæ attribuerentur, jam in harundinem conversæ, jam fistulæ factæ. Hoc enim plane esset dicere: *Pan puellam Fistulam amavit, ex qua postea Fistulam fecit*. Immo illa puella cujus amore Pan incensus est, primum in cannam mutata est: deinde ex illa canna Pan sibi fistulam confecit, & compegit. Non de Syringe igitur hæc accipienda, sed de Echo, quam amavit Pan, ut poetarum fabulæ passim testantur. Hinc Πανὸς ἑταίρην quidam epigrammatarius vocat. Moschus:

> Ἤρα Πὰν Ἀχῶς τᾶς γείτονος, ἤρατο δ᾽ Ἀχὼ
> Σκιρτητᾶ Σατύρω. ——

Μέροπος πόθον) Echo intelligit: μέροψ autem Ἠχὼ dicitur, quod μέρος τῆς ὀπὸς reddat, partem scilicet vocis, & non totam. Hinc Epigramma Græcum eam appellat, φωνῆς τρύγα, ῥήματος οὐράν.

Κέρας γηρυγόνας) Ita emendavimus & scriptorum, & excusorum codicum lectionem, γηρυόνας. γηρυγόνα autem κόρα est Ἠχὼ, quod de voce scilicet, nascatur. Hinc *vocis filiam* eam quidam dixit, quod in Syringem vel Fistulam non possit convenire. γηρυγόνη, ut βουγόνη. Sic enim apis appellatur. Varro: *denique ex bove putrefacto nasci dulcissimas apes, mellis matres, a quo eas Græci βουγόνας appellant.* perperam viri docti ibi emendant, βουγενεῖς. βουγενεῖς quidem dicuntur μέλισσαι, sed & βουγόναι non minus: nam βουγόνος, & βουγόνη· γηρυγόνος, γηρυγόνη. πηλογόνος, πηλογόνη· & similia sexcenta.

Τυρίαν δ᾽ ἐρρύσατο) Membranæ tantum habebant, Τυρίας τε, imperfecto versu, quem ut supplerent, ἀφείλετο, additum est a doctis hominibus: imperfectum reliquissent, mallem. Ego vero, Τυρίαν τ᾽ ἐρρύσατο legendum collegi, certissima conjectura ductus, ex parvulis glossis in veteri membrana mihi repertis, quæ Εὐρώπην ἐυτρώσατο, interpretabantur: non aliter igitur legit earum Glossarum auctor, quam Τυρίαν τ᾽ ἐρρύσατο.

Ὡιτόδε τυφλοφόρων ἐρατόν) πήρα Græcis & peram significat, & cæcam. κατὰ μετάληψιν, τυφλοφόρων posuit pro πηροφόρων. πηρὸς accentu in ultimam retracto, τὸν σιγὸν καὶ ἄφωνον significat. πῆρος vero cum circumflexo, cæcus dicitur: ita Hesychius: quam tamen differentiam alii non servant:

vetus ſcholion nondum editum, ad hunc locum, τυφλοφόρυς interpretatur τὺς ἀγροίκυς. ἐπεὶ πήρας φορῦσιν, inquit, πήρα δὲ καὶ τυφλὴ συνώνυμα.

Πάρις θέτο Σιμιχίδας) Θεόκριτον vocavit Parin auctor βωμίσκυ,

> Θεοκρίτοιο κτάντας.

quod Deas ſcilicet judicarit: at μεταληπτικῶς Theocritus heic ſe Parin appellat, quod Paris θεόκριτος. Pro Σιμιχίδας ſcriptum erat in membranis, Σιμηχίδας, & ſupra correctum Σιμαχίδας: ſed Σιμιχίδας verum: nam a σιμὸς σιμίχος, ut a τιώνος τιωνίχος, & ſimilia, quorum forma Dorica eſt.

Ψυχὰν ἀεὶ βροτοβᾶμον) Hæc perperam diſtincta legebantur in editionibus, ad hunc nempe modum:

> Πᾶμα Πάρις θέτο Σιμιχίδας
> Ψυχὰν, ὦ βροτοβᾶμον.

ψυχὰν autem jungendum cum χάροις. ψυχὰν χάροις. ſic apud Homerum: γέγηθε δὲ φρένα Λητώ.

Στήτας οἶστρε Σαέττας) Laborabat hic verſus in editis: cum enim trimeter acatalecticus eſſe deberet, & ἀντιστρέφειν illi qui præcedit, ψυχὰν ἀεὶ βροτοβᾶμον, erat tantum trimeter catalecticus, una ſyllaba minutus. Σαέττας autem repoſuimus, pro eo quod erat ſcriptum in membranis, Σαίτγας. ſic ſupra in βωμίσκῳ μητρόειπγος pro μητρόειπτος, ſcriptum reperi: de quo ſcribendi genere aliquid in ſuperioribus diximus. στήταν Σαέτταν vocat Omphalen, a Saettis urbe Lydiæ, cujus rara mentio apud veteres. Σαέτται autem vocabatur illa urbs, quam corrupte recentiores Σέττας vocarunt: ita enim ejus urbis nomen apud Ptolemæum in ſcriptis codicibus exaratum inveni: ſic enim habet ille in deſcriptione Lydiæ: ἐν δὲ μεθορίοις Μυσίας καὶ Λυδίας καὶ Φρυγίας, Δάλδεια, Σέτται, Κάδοι· ita libri veteres: nam in editionibus excuſum eſt, Σάτταλα. vetus quoque interpres, Σέτται legit: ſed minime dubium eſſe poteſt quin Σέτται pro Σαέτται corruptum ſit: in vetuſto libro περὶ βαθμῶν ἐκκλησιαστικῶν memini legere, Μάγιδον urbem Lydiæ, quæ olim Σέτται diceretur: hinc στήτα Σαέττα Omphale appellatur, hoc eſt mulier Lyda, ut etiam heic interpretantur veteres Scholiaſtæ. Sed Σέτας male pro Σαέττας ſcribebatur.

Ἐλλοπιεῦρα) Muta hæc puella eſt Echo, quæ vocis quidem ſimia dicitur, ſed ipſa nec vocem habet nec linguam: hinc ἄγλωσσος in veteri epigrammate appellatur.

> Ποιμενίαν ἄγλωσσος ἀν' ὀργάδα μέλπεται Ἀχὼ
> Ἀντίθροον πτανοῖς ὑστερόφωνον ὄπα.

Sic enim illi verſus legendi ſunt.

Νηλόεσσω) Vetus poeta de Echo:

> Τὴν οὐδ' ἀθρῆσαι δυνάμ' ἀντίον οὐδὲ νοῆσαι.

Præter hæc παίγνια quæ vulgata ſunt, & a nobis expoſita, σφαῖραν & θρόνον citant veteres Grammatici, quæ ad nos non pervenerunt, ἀπὸ τοῦ σχήματος ita appellata, ut hæc fiſtula Theocriti, & Ovum Simmiæ, & Ara Doſiadæ cum reliquis. Interpres Hephæſtionis: σύγγραμμα ὁ πέλεκυς. ἐπεὶ κατὰ μίμησιν πελέκυος συντέθειται. μακρὰν γὰρ ἑκατέρωθεν τέθεικεν. ἔστι δὲ σφαῖρα καὶ θρόνος σύγγραμμα καλούμενον. Euſtathius illud ποιημάτιον σφαῖραν inſcriptum, Orpheo auctori vulgo aſcriptum fuiſſe refert, & in honorem Lini compoſitum· ὠνόμασται δὲ Λῖνος τὸ τοιοῦτον ᾠδικὸν εἶδος, ἢ ὡς μετὰ λίνου ἤτοι χορδῆς ᾀδόμενον, ἢ ἀπό τινος Λίνου ἀνδρὸς ἥρωος. φασὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ ποιημάτιον ἐπὶ τῷ Λίνῳ εἶναι, ὃ σφαῖρα μὲν καλεῖται, εἰς Ὀρφέα δ' ἀναφέρεται. Videor etiam alicubi legiſſe Λαβύρινθον εἶδος ποιήματος fuiſſe, in modum Labyrinthi compoſitum: atque hæc hactenus.

F I N I S.

GEORGII D' ARNAUD

DE

DIIS

ΠΑΡΕΔΡΟΙΣ,

SIVE

ADSESSORIBUS

ET

CONJUNCTIS

COMMENTARIUS.

QUOD. BONUM. FELIX. FAUSTUMQUE. SIT

GULIELMO. CAROLO HENRICO. FRISONI

DEI. GRATIA

ARAUSIONENSI. ET. NASSAVIO

PRINCIPI

GELRIÆ. FRISIÆ. GRONINGÆ
AGRORUMQUE. CIRCUMIACENTIUM
NEC. NON. DRENTIÆ. GUBERNATORI
ET. SUPREMO. MILITIÆ. PRÆFECTO
ACADEMIÆ. FRANEQUERANÆ
CURATORI. MAGNIFICENTISSIMO

PIO. FELICI
PATRI. PATRIAE

QUEM. SAECULI. FELICITAS
HIS. IN. TERRIS. ORIRI. FECIT
PATRONO. SUO. SUMMO

NEC. NON. ETIAM

HESSELO. DOUWONI
ERNESTO. AB. AYLVA

DUCONI. MARTENA
A. BURMANIA

MARTINO. A
SCHELTINGA

ULBONI. SIXMA
AB ANDLA

VIRIS. GENEROSIS. ILLUSTRIBUS
ET. AMPLISSIMIS
FRISIÆ. COLUMINIBUS
AD. PATRIAM. CONSERVANDAM
AUGENDAMQUE. NATIS
ACADEMIÆ. FRANEQUERANÆ
CURANDÆ IV. VIRIS
OPTIMIS. SUIS. MÆCENATIBUS
HUNC. LIBELLUM
QUOD. SUA. STUDIA
SINGULARI. PROPE. FAVORE
AMPLEXI. SINT
IN PUBLICUM. GRATI. ANIMI
TESTIMONIUM
SUBMISSE
D. D. D

GEORGIUS. D'ARNAUD

INDEX
CAPITUM.

CAP. I.

MUlta ab hominibus ad Deos transtulerunt gentiles, domus eis tribuerunt, inque illis sedes, unde πάρεδροι dicti sunt. Istas vulgi opiniones improbarunt Philosophi, & vocabula a vulgo usurpata quidem servarunt; sed allegorice intellexerunt. Inde duplex nobis ineunda est tractandi ratio, & communis sensus a religioso est distinguendus.

CAP. II.

Πάρεδρος est qui alicui rei aut personæ adsidet. Πάρεδρον ἄλγος, dolor permanens. Hesychius illustratur. Σύνεδρος & σύνθρονος. Cuique Deo suus adscriptus erat locus in conventibus, qui fiebant aut ad cœnandum, aut ad sententiam in senatu ferendam.

CAP. III.

Dii immortales demum habebantur, qui Jovis epulis aderant. Sedentes, secundum morem antiquum, edebant Dii. Aliquando tamen in lectulis decumbentes inducuntur. Concilia Deorum varia erant. Primum omnium Deorum. Secundum Selectorum & Consentium. Tertium Consentium tantum.

CAP. IV.

Numina quæ sibi invicem aut in conviviis aut in conciliis adsidebant ejusdem ordinis & æquali fere potestate prædita fuisse videntur. Ita Ptolemæus in convivio Alexandro adsidet, Claudius Quirino. In concilio juxta Jovem sedet Juno, Apollinis latus occupat Diana, Oceani Tethys. Inde a Patribus Christus Dei patris σύνθρονος & σύνεδρος dictus est. Lapsi sunt Ill. viri Spanhemius & Cuperus. Helena πάρεδρος Menelai. Bacchus Cereris πάρεδρος. Consors apud Latinos idem valet.

CAP. V.

Honoris causa minores Deos apud majorum gentium numina collocant. Ita apud Junonem Helenam. Imprimis vero reliquos Deos juxta Jovem sedere fingunt, ad eorum potentiam indicandam; ita Apollinem, Venerem, Palladem, Bacchum, Parcas & Deorum matrem. Imo defunctos superum adsessores aliquando faciebant. Inscriptio emendatur. Frequentius autem eos qui pie vixerant inferorum Diis adjungebant. Civitatem & populum florentem ἐγγὺς Διὸς καθῆσθαι, prope Jovem sedere, dicebant Græci.

CAP. VI.

Duodecim Deorum nomina, Consentes dicti, inde consentium Deorum & consentia Sacra. In foro colebantur. Ennio memoratis alii aliquando addebantur, ut Bacchus, Mercurius, Pan apud Mendesios, Hercules & denique Cupido. Homines quidam eis adscripti sunt, Philippus Macedo, Adrianus Imperator, Alexander Magnus & Augustus.

CAP. VII.

Duodecim Deorum concilium absolute concilium vocatur, & consessus. Omnium litium apud Superos judices erant duodecim Dii & conveniebant in Areopago. Caput istius concilii erat Jupiter, eique tantum ut adsessores & consiliarii additi erant. Inde Jovis consilium vocantur, & Græcis πάρεδρος Ζηνὶ σύλλογος.

CAP. VIII.

Græcis πάρεδρος dicitur ille qui alteri consilio adest. Sub Romanis Imperatoribus ita vocabantur Judicum adsessores. Et συνθωκεῖν in judicio adsidere. Latinis adsessores dicuntur, quia ad latus judicis sedebant: ratio enim loci in judiciis habebatur. Apellati quoque sunt consiliarii. Inde in consilium adhiberi, est in adsessorem constitui. Qui reis jus suppeditabant, παρεδρεύειν dicebantur. Præter judices alii quoque habebant adsessores, ita Imperator, Præsides Provinciarum, Episcopi & Duces etiam Imperatorum temporibus adsessores frequenter συγκάθεδροι vocabantur. Collega quoque dicitur συγκάθεδρος, frequentius tamen σύνεδρος. Isocrates emendatur. Συνέδριον collegium. Adsessores vocabantur aliquando κοινωνοὶ πόνων, participes, συμπαρόντες. Apud Athenienses magistratus quidam Archonti adjunctus Πάρεδρος nominabatur. Hesychius emendatur. Lacedæmonii Regibus adsessorem dabant.

CAP. IX.

Vox Græca παρακαθῆσθαι aliquando est cum aliquo versari, convenit Latina adsidere. Inde animalia δίεδρα & σύνεδρα vocantur, quæ dissident, & ea, quæ mutua societate delectantur. Πάρεδρος quoque eum significat, qui cum alio frequenter conversatur. Hinc Πάρεδροι vocati sunt Dii illi, qui similis fere erant naturæ, quorum officia conveniunt, & qui mutua societate gaudent. Hinc ἑταῖροι appellati sunt & Latinis socii & comites. Deinde etiam consociati Dii, qui duplici sensu ita vocantur. Consanguinitatis vocabula aliquando usurpant ad Deorum conjunctionem indicandam. Ideo vocantur consanguinei, cognati, ἀδελφοὶ, fratres, & sorores, & denique gemini. A moribus eisdem ὁμότροποι. A mutuo quod sibi præstant auxilio σύνεργοι. Ab officiorum similitudine σύντεχνοι, cooperarii. D. Augustinus emendatur.

CAP. X.

Quo uno in templo coluntur Græcis σύνναοι, ὁμόναοι, συνέστιοι ἱρῶν, Latinis contubernales

Mercurius & Hercules quoque. Palestris præerant: hinc ipsorum discipuli vocantur athletæ. Castor & Pollux. Inscriptio emendatur. Κάστορες *&* Κλωθῶες. *Hercules & Dioscuri, certaminibus præsunt.*

CAP. XXII.

Non tantum jungebantur, verum etiam confundebantur Vesta, Deorum mater, Pales, Ops, Ceres & Terra. Ceres & Proserpina frequenter copulantur. Proserpina aliquando Ceres vocatur. Herodis Attici locus explicatur. Μεγάλαιν θεαῖν *& absolute* ταῖν θεαῖν *appellatione veniunt Ceres & Proserpina. Pallas & Proserpina sociæ. Juno & Minerva. Parcæ & Lucina partui & nuptiis præerant. Euripides emendatur.*

CAP. XXIII.

Saturnus & Ops junguntur. Jupiter & Juno. Jupiter & Minerva. Jovi quoque dantur Πάρεδροι *Themis & Dice. Apollo cum Diana copulatur. Cum Proserpina Pluto, hi ambo cum Cerere. Æsculapius & Hygia, Vulcanus & Minerva, Mercurius & Venus, Bacchus & Nymphæ, idem & Rhea mutua gaudent societate. Baccho adduntur quoque Ceres & Proserpina.*

CAP. XXIV.

Non tantum bini aut terni conjungebantur Dii, verum etiam plures: ita Consentes sociabantur, nec illi soli; sed aliquando omnes Dii. De Pantheis quædam notantur.

CAP. XXV.

Græci & Romani suos Deos aliquando cum peregrinis sociabant. Deæ conjungebantur cum Heroibus quos vivos dilexerant. Cum Diana Hippolytus seu Virbius; cum Deorum matre Attis, cum Venere Adonis, & Anchises, cum Cerere Jasion & Triptolemus. Diis aliquando etiam addebantur mulieres ex quibus liberos sustulerant. Ita Marti Tritæa, Neptuno Clito. Amoris σύνναος *erat Phryne.*

CAP. XXVI.

Roma ut Dea culta. Aliis Diis adjuncta est, & imprimis Jovi. Imperatoribus cum Diis quibusdam communes nonnunquam honores exhibiti. Cum Roma frequenter sociantur, & aliquando etiam inter se.

CAP. XXVII.

Πάρεδρος *dicitur ille qui alteri* adest ad opem ferendam. Adsidere *apud Latinos aliquando eadem potestate occurrit. Hinc* θεοὶ πάρεδροι, *ratione habita ad homines, sunt* Dii auxiliares. *Lucianus explicatur. Diodorus Siculus & Themistius emendantur. Deos* Comites *aut* Socios *Romani vocant.* Παραστάται *quoque &* συνοπαδοὶ *dicuntur Græcis. Patribus* πάρεδροι *sunt Genii quidam, quorum ope homines res supra naturæ vires positas faciebant.*

CAP. XXVIII.

Qui Deorum jussa obibant Græcis πρόσπολοι *&* ὀπαδοὶ *Latinis* famuli *appellantur.* Κύνες *quoque dicti sunt, quia fidum domino animal canis. Et tandem, quod potissimum instituti nostri est observare,* πάρεδροι *compellati sunt, Latine* comites. *Ex adverso autem Dii qui* socii *&* πάρεδροι *erant dicti sunt* ὀπαδοὶ.

GEORGII D' ARNAUD
DE
DIIS
ΠΑΡΕΔΡΟΙΣ,
SIVE
ADSESSORIBUS
ET
CONJUNCTIS,
COMMENTARIUS.

CAP. I.

Multa ab hominibus ad Deos tranſtulerunt gentiles, domus eis tribuerunt, inque illis ſedes, unde πάρεδροι dicti ſunt. Iſtas vulgi opiniones improbarunt Philoſophi, & vocabula a vulgo uſurpata quidem ſervarunt; ſed allegorice intellexerunt. Inde duplex nobis ineunda eſt tractandi ratio, & communis ſenſus a religioſo eſt diſtinguendus.

TAmetſi Deos ſuos ἀμβρότους & exſangues eſſe crederent gentiles, tamen illis corpora attribuere, nec ea tantum attribuere, verum etiam pene omnia, quæ humanis evenire ſolent, iſtis affingere non ſunt reveriti. Inde eſt quod cuncta, quæ ab hominibus fieri videbant, apud Deos immortales quoque obtinere exiſtimarent. Domus incolere, haud aliter quam nos homunculi, cœleſtia numina finxere. Jovi tanquam Regi palatium, reliquis majoribus Diis circa illud domos tribuerunt: Ovid. Met. lib. I. verſ. 170.

Hac iter eſt Superis ad magni tecta Tonantis,
Regalemque domum dextra lævaque Deorum
Atria nobilium valvis celebrantur apertis.

Imo in ipſa Jovis domo, honoris gratia, quibuſdam ædes exſtructas eſſe affirmant. Theocr. Idyll. XVII. verſ. 17.

Τῆνον καὶ μακάρεσσι πατὴρ ὁμότιμον ἔθηκεν
Ἀθανάτοις, καὶ οἱ χρύσεος δόμος ἐν Διὸς οἴκῳ
Δέδμηται. ——

Illum quoque pater æqualem fecit beatis
Diis, & aurea ei in Jovis regia domus
Ædificata eſt. ——

Forte tamen per Διὸς οἶκον, *Jovis domum*, totum hoc, quod noſtris capitibus ſuperjacet, cœlum intellexit Theocritus. Quemadmodum vero apud nos paſſim evenit, varia ſupellectili cœleſtes illæ domus cenſebantur inſtructæ. Sedium mentio frequens apud Poetas injicitur, quas cum Græci vocare ſoleant ἕδρας, θώκους, θρόνους & aliis porro nominibus, Deos quoque a ſedium illarum juxta ſe invicem ſitu & vicinia, παρέδρους, συνέδρους, συνθρόνους, συνθώκους, & affinibus appellationibus indigitarunt. Non autem credendum eſt rudes illas vulgi, & maximam partem Poetarum, opiniones calculo ſuo comprobaſſe ſaniores gentilium aut Philoſophos, aut Theologos. Cicero certe, cujus de Diis egregia extant teſtimonia, Homerum jure caſtigat Tuſcul. Diſp. lib. I. c. 26. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem a Diis raptum ait propter formam, ut pocula miniſtraret.* —— *Fingebat hæc Homerus & humana ad Deos transferebat, divina mallem ad nos.* Nihilominus, verba ab hominum vulgo & Poetis uſurpari ſolita, non repudiarunt Philoſophi & Theologi, ſed iſto adhibito temperamento retinuerunt, ut quæ illi propria & uſu communi recepta ſignificatione intelligerent, ipſi figurate quam maxime & allegorice explicarent. Quæ duplex res divinas tractandi ratio, nobis in hoc commentario probe erit obſervanda. Alii enim ſunt Dii πάρεδροι aut *adſeſſores*, ſi communem ſignificationem ſpectes, alii ſi ad ſenſum religioſum, qui eſt ille Philoſophorum & Theologorum, nonnunquam etiam Poetarum, quo ſenſu θεοὶ πάρεδροι videntur eſſe *Dii conjuncti*.

CAP. II.

Πάρεδρος *eſt* qui alicui rei aut perſonæ adſidet. Πάρεδρον ἄλγος, dolor permanens. *Heſychius illuſtratur.* Σύνεδρος *&* σύνθρονος. *Cuique Deo ſuus adſcriptus erat locus in conventibus, qui fiebant aut ad cœnandum, aut ad ſententiam in ſenatu ferendam.*

PRima & ſimplici virtute πάρεδρος Græcis eſt, *qui alteri vel homini, vel cuilibet aliæ rei adſidet.* Ita verbum uſurpatum invenies apud Eurip. in Troad. verſ. 72.

Δύϛανε γύναι πάρεδρος χαλκέοις
Εκτορος ὅπλοις. ——

Infelix mulier adſidens æneis
Hectoris armis. ——

Auctor libri Sapientiæ cap. VI. verſ. 15. Ορθρίσας πρὸς αὐτὴν ἐ κοπιάσει, πάρεδρον γὰρ εὑρήσει τῶν πυλῶν αὐτῆ. *Qui mane ſurrexerit citra ærumnas ſapientiam acquiret: inveniet enim ad fores ſedentem.* Heſychius, Πάρεδρον, παρακαθήμενον, παράμενον. Cave credas pro hoc ultimo ſcribendum eſſe παρήμενον, quod facile alicui in mentem venire poſſet: recte enim dixeris πάρεδρον ἄλγος *dolor permanens*. Simili fere ratione παρεδρίην κακοπαθίης, *morbi contumaciam* vocavit Hippocrat. præcept. pag. 27. verſ. 36. Εν γὰρ κακοπαθίης παρεδρίῃ ἐπιτείνοντος τῆ πάθεος, διʼ ἀπορίην τὰ πλεῖϛα ἐκκλίνεσι τῷ παρέοντι. *Ubi enim aſſidue urget affectio, morbuſque increſcit, plurima in animi anguſtia ad rem præſentem opportuna elabuntur.* Ita recte locum conſtituit & vertit Fœſius. Idem quod πάρεδρος prima ſignificatione quoque denotat σύνεδρος. Eurip. Iph. in Aulide verſ. 192.

Κατεῖδον δὲ δύ Αἴαντε συνέδρω,
Τὸν Οἰλέως Τελαμῶνός τε γόνον.

Vidi autem ambo Ajaces ſibi invicem adſidentes,
Oilei & Telamonis filium.

Ita uſurpatur etiam σύνθρονος, Anthol. lib. I. cap. 40. pag. 89.

Αὐτίκα μιν κιθάρῃ λιγυηχέϊ δέξατο δελφὶν
Σύνθρονον, ἐκ δὲ βυθοῦ νήχεθʼ ἑλισσόμενος.

Statim illum excepit delphinus citharæ canoræ
Adſidentem, natabat autem ex alto volvens ſeſe.

Idem puta de reliquis vocabulis, ut σύνθωκος σύνθακος &c. quorum exempla heic non addimus ne in re ſatis nota explicanda nimis videamur curioſi. Dicti autem Dii ſunt πάρεδροι, σύνεδροι & aliis vocibus *adſeſſores* ſignificantibus, quod ſibi invicem adſidere fingerentur: unicuique enim Deo ſuus in cœlo locus adſcribebatur. Julianus Imperator in Cæſaribus, ex verſione Cunæi: *Etenim quod Homerus finxit, Muſis opinor dictantibus, ſuus cuique* (nim. Deo) *attributus eſt locus, quem perpetuo tenere jus illi faſque eſt.* Plutarch. Sympoſ. lib. I. pag. 617. B. Εϛὶ καὶ παρὰ τοῖς θεοῖς διάκρισις τῶν τοιέτων· ὁ μὲν γὰρ Ποσειδῶν, καί περ ὕϛατος εἰς τὴν ἐκκλησίαν παραγενόμενος.

Ιζεν ἄρʼ ἐν μέσσοισιν. ——

ὡς ταύτης αὐτῷ τῆς χώρας προσηκέσης. *Apud Deos quoque hujus rei* (ſedis ſcilicet) *ratio habetur: Neptunus enim, quamvis ultimus in concionem advenerit,*

Sedit in medio. ——

utpote cui iſte locus competebat. Quod non perinde fuiſſe in initio rerum, quando omnia adhuc erant confuſa, teſtis eſt Ovid. Faſt. lib. V. verſ. 19.

—— —— *Par erat omnis honos.*
Sæpe aliquis ſolio, quod tu Saturne tenebas,
Auſus de media plebe ſedere Deus.
Et latus Oceano quiſquam Deus advena junxit:
Tethys & extremo ſæpe recepta loco eſt.

Ob duas vero potiſſimum rationes conveniebant Dii, ſive ad epulas celebrandas, ſive ad ſententias in ſenatu, aut concilio, referendas. Eleganter Lucian. in concil. Deorum pag. 906. Loquitur Momus de Diis ſuppoſititiis. Οὐκ ἀγαπῶντες ὅτι αὐτοὶ μετέχεσι τῶν αὐτῶν ἡμῖν ξυνεδρίων, καὶ εὐωχῦνται ἐπʼ ἴσης. *Non contenti ſi nobiſcum in eadem admittantur concilia, & iiſdem cœnis interſint.*

CAP. III.

Dii immortales demum habebantur, qui Jovis epulis aderant. Sedentes, ſecundum morem antiquum, edebant Dii. Aliquando tamen in lectulis decumbentes inducuntur. Concilia Deorum varia erant. Primum omnium Deorum. Secundum Selectorum & Conſentium. Tertium Conſentium tantum.

Epulas Deorum quis ignorat? Adnoto tantum Deos demum habitos fuiſſe eos qui iſtis conviviis intererant: Horat. lib. IV. Ode 8. verſ. 30.

Dignum laude virum Muſa vetat mori:
Cœlo Muſa beat. Sic Jovis intereſt
Optatis epulis impiger Hercules.

Eleganter Æolus apud Virg. Æneid. lib. I. verſ. 83. Junonem alloquitur:

Tu mihi, quodcunque hoc regni, tu ſceptra Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere Divum.

Servius ad noviſſima illa verba: *Hoc eſt Deum me facis: duplici enim ratione divinos honores meremur, Dearum conjugio, & convivio Deorum: unde in Bucolicis legimus:*

Nec Deus hunc menſa, Dea nec dignata cubili eſt.

Inde & Maximus Tyrius in fine Serm. I. primi ordinis Deos, maximi illius numinis, omniumque regis, ὁμοτραπέζες, *menſæ conſortes*, vocat. Τὲς μὲν περὶ τὰ πρόθυρα αὐτὰ εἱλεμένες, οἷον εἰσαγγελέας τινὰς καὶ βασιλεῖ συγγενεϛάτες, ὁμοτραπέζες αὐτῆ καὶ συνεϛίες. *Quorum Deorum pars quidem in veſtibulo verſatur, quaſi internuncii, regique genere proximi, ejus menſæ & tecti ſocii.* Homeri & antiquis temporibus, ſedentes cœnabant: Athen. lib. V. pag. 192. E. Εκαθέζοντο δὲ καὶ δειπνῦντες οἱ τότε, πολλαχῦ γῦν ὁ Ομηρος φησίν.

Εξείης ἕζοντο κατὰ κλισμές τε θρόνες τε.

Sedebant vero etiam illius ævi convivæ; ſæpius igitur Homerus dicit:

Ordine ſedebant in ſellis & thronis.

Servius ad Æneid. lib. I. verſ. 83. *Olim ſedentes veſcebantur, ſicut ipſe* (Virgilius) *meminit:*

Gramineoque viros locat ipſe ſedili.

&

Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.

& apud Homerum ſedentes Dii epulantur. Catull. in Epithal. Thetid. & Pelei verſ. 303.

Qui poſtquam niveis flexerunt ſedibus artus,
Large multiplici conſtructæ ſunt dape menſæ.

Propria hæc observatio in sacris Herculis: vetitum enim erat ne lectisternium fieret apud aram maximam. Macrob. Saturn. lib. III. cap. 6. Vide præterea Feithium Antiq. Hom. lib. III. cap. 5. Ideo ista adnoto, ut inde constet qua ratione Dii in conviviis πάρεδροι esse potuerint. Addendum vero recentiores Poetas, etsi Homerum ut plurimum hac in re secuti fuerint; aliquando tamen ad suæ ætatis ritum habita ratione, Deos, suosque Heroas, lectulis incumbentes, ad cibum sumendum, nobis exhibuisse. Ita in principio secundi Æneid. libri Æneas toto decumbit. Junge Horat. lib. III. Ode 3. vers. 10.

Hac arte Pollux, & vagus Hercules
Innixus arces attigit igneas:
Inter quos Augustus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Jam pauca de Deorum conciliis mihi sunt commentanda. Diversorum ea generum fuisse constat ex notissimis Virgilii versibus Georg. lib. I. vers. 25.

Tuque adeo quem mox quæ sint habitura Deorum
Concilia incertum est. ——

Tria potissimum videntur fuisse: primo omnium omnino Deorum: Cœlestium, Marinorum, Fluvialium & Sylvestrium, ita apud Hom. Iliad. Υ. vers. 7.

Ζεὺς δὲ Θέμιστα κέλευσε θεοὺς ἀγορήνδε καλέσσαι
Κρατὸς ἀπ' Οὐλύμποιο πολυπτύχου· ἡ δ' ἄρα πάντη
Φοιτήσασα κέλευσε Διὸς πρὸς δῶμα νέεσθαι.
Οὔτε τις οὖν ποταμῶν ἀπέην νόσφ' Ὠκεανοῖο,
Οὔτ' ἄρα νυμφάων, ταί τ' ἄλσεα καλὰ νέμονται,
Καὶ πηγὰς ποταμῶν, καὶ πείσεα ποιήεντα.

Jupiter vero jussit Themidi, ut Deos in concionem vocaret
De vertice salebrosi Olympi: illa autem undique
Circumiens jussit ad Jovis domum venirent.
Neque ullus fluviorum aberat, præter Oceanum;
Neque etiam Nympharum, quæ sylvas incolunt,
Et fluminum fontes, & prata virentia.

Plura apud Homerum aliosque suppetunt exempla; sed hoc nobis sufficiet. Secundo videtur concilium fuisse ex duodecim majorum gentium Diis cum octo Selectis ita dictis a Varrone in fragm. p. 41. Tertio denique loco Consentes, sive illi duodecim majorum gentium Dii, soli convocabantur, illique Jovis consilium constituebant; sed de ipsis mox fusius.

CAP. IV.

Numina quæ sibi invicem aut in conviviis aut in conciliis adsidebant ejusdem ordinis & æquali fere potestate prædita fuisse videntur. Ita Ptolemæus in convivio Alexandro adsidet, Claudius Quirino. In concilio juxta Jovem sedet Juno, Apollinis latus occupat Diana, Oceani Tethys. Inde a Patribus Christus Dei patris σύνθρονος & σύνεδρος dictus est. Et πάρεδρος æquipollens significat. Lapsi igitur sunt Ill. viri Spanbemius & Cuperus, Helena πάρεδρος Menelai, Bacchus Cereris πάρεδρος. Consors *apud Latinos idem valet.*

In istis Deorum & epulis & conciliis proximi ad sese invicem sedebant illi ex superis, qui ejusdem fere ordinis & æquali præditi erant potestate. Ita recte ad latus Alexandri collocat in convivio cœlesti Ptolomæum Lagi filium Theocr. Idyll. XVII. vers. 18. Et e regione utriusque sedet Hercules, generis auctor:

—— Παρὰ δ' αὐτὸν Ἀλέξανδρος φίλα εἰδὼς
Ἑδριάει, Πέρσαισι βαρὺς θεὸς αἰολομήτας.
Ἀντία δ' Ἡρακλῆος ἕδρα σφιν ταυροφόνοιο.
Ἵδρυται, στερεοῖο τετυγμένα ἐξ ἀδάμαντος.

—— *Juxta ipsum vero* (Ptolemæum) *Alexander amice*
Sedet, Persis gravis, callidus Deus.
Et e regione ipsorum Herculis tauricidæ sedes
Constituta est, e duro constructa adamante.

Huc quoque referri debet, quod est apud Senecam in facetissima illa D. Claudii Apocolocynthosi pag. 864. *Sitque e re publica esse aliquem, qui cum Romulo possit*

—— Ferventia rapa vorare:

censeo, ut Claudius ex hac die Deus fiat. Nimirum congruum erat ut Imperator Romanus cum ejusdem populi quondam Rege, ad eandem mensæ partem accumberet, & eisdem cibis vesceretur. In cœtu Deorum Juno aderat Jovi: Julianus Imperator in Cæsaribus, *Aureis in thronis adsidebant utrinque mater atque filia, Juno quidem juxta Jovem, at proxime Saturnum Rhea.* Hinc Διὸς ἄγχιστα *Jovi proxime sedens* dicitur Æsch. in Suppl. vers. 1044.

Δύναται γὰρ Διὸς ἄγχιστα σὺν Ἥρᾳ.

Etenim potest, quandoquidem Jovi cum Junone proxima est.

Et ὁμόθρονον, *solii participem*, Jovis vocat eam Pind. Nemeon. Ode XI. vers. 2.

Παῖ Ῥέας, ἅ τε πρυτανεῖα λέλογχας, Ἑστία
Ζηνὸς ὑψίστου κασιγνήτα, καὶ ὁμοθρόνου Ἥρας.

Filia Rheæ, cui sorte obtigerunt Prytanea, Vesta
Jovis altissimi soror, & ejus solii sociæ Junonis.

Apollini Diana adsidebat: Callim. Hymno in Dian. vers. 169.

Αὔτη δ' ἐς πατρὸς δόμον ἔρχεαι· οἱ δέ σ' ἐφ' ἕδρην
Πάντες ὁμῶς καλέουσι· σὺ δ' Ἀπόλλωνι παρίζεις.

Tethys Oceano, quod olim factum non fuisse notat Ovid. Fast. lib. V. vers. 22.

Et latus Oceano quisquam Deus advena junxit:
Tethys & extremo sæpe recepta loco est.

A gentilibus hanc loquendi rationem, in re gravissimi longe momenti, transtulerunt Patres: & filium Dei patris dignitate & potestate æqualem ejus σύνθρονον & σύνεδρον appellaverunt. Ita D. Gregor. Naz. Stelit. I. in Julian. pag. 82. A. Τὸν τοῦ μεγάλου πατρὸς υἱὸν καὶ λόγον, καὶ προσαγωγέα, καὶ ἀρχιερέα, καὶ σύνθρονον. *Magni patris filium, &*

verbum, *& conciliatorem*, *& summum pontificem*, *& adsessorem*. Cyrillus Alex. lib. III. in Joh. cap. I. pag. 253. de Christo itidem loquitur: Ὁ βασιλεύων ἀεὶ μετὰ τοῦ πατρὸς, ὁ σύνθρονος, καὶ σύνεδρος. *Semper regnans cum patre*, *solii particeps & adsessor*. Quem posteriorem locum & plura alia reperies in Suiceri Thes. Ecclesiast. in V. Συνθρονος. Adde quæ egregia hanc in rem notavit C. Vitringa nostras Observ. Sacr. lib. II. c. 5. Cum vero Dii eadem potestate insigniti sibi invicem adsiderent, videntur Græci scriptores vocabulum ipsum πάρεδρος pro *æquipollens* usurpasse, Hæc si vera fuerint lapsi sunt, quod invitus fere moneo, Illustrissimi duumviri Ez. Spanhemius de præst. & usu numism. tom. II. pag. 335. & Gisb. Cuperus Observ. lib. IV. cap. 3. pag. 49. Contendunt enim παρέδρους alterius Dei tantum dici eos qui inferioris sunt ordinis, cum ejusdem dignitatis Dii sint σύνθρονοι. Quam sententiam, præter adstructam verbo πάρεδρος potestatem, evertunt etiam auctorum veterum testimonia, qui æquales Deos aliquando παρέδρους faciunt. Sic Pindarus Cereri addit Bacchum: ciborum Deæ potus Deum, Isthmion. Ode VII. vers. 3.

—— Ἦ ῥα χαλκοκρότου πάρεδρον
Δαμάτερος ἀν' ἰκ' εὐρυχαίταν
Ἀντείλας Διόνυσον; ——
—— *An æristrepæ adsidentem*
Cereri, *comantem cum*
Genuisti Bacchum? ——

Mercurius Veneris πάρεδρος vocatur Phurn. de nat. De. pag. 197. Helena πάρεδρον sibi adsumsit Menelaum teste Isocrate Helenes Encom. pag. 90. Ὥστε τοῦ γένους ἅπαντος τοῦ Πελοπιδῶν ἐξεφθαρμένου, καὶ κακοῖς περιπεσόντος, οὐ μόνον αὐτὸν τῶν συμφορῶν τούτων ἀπήλλαξεν, ἀλλὰ καὶ θεὸν ἀντὶ θνητοῦ ποιήσασα σύνοικον αὑτῇ καὶ πάρεδρον εἰς ἅπαντα τὸν αἰῶνα κατέστησεν. *Adeo ut cum totum Pelopidarum genus perditum esset*, *& in mala insanabilia incidisset*, *non solum Menelaum ab istis calamitatibus liberavit Helena*; *sed e mortali cum eum fecisset Deum*, *sibi contubernalem & adsessorem in omne ævum constituit*. Alia exempla per hunc librum sparsa invenies, idem confirmantia. Respondet autem vocabulo Græco, hac virtute sumto, Romanum *consors*. Sic Diana Phœbo *consors* Dea Ovidio dicitur ex Ponto lib. III. epist. 2. vers. 48.

Consortem Phœbo gens colit illa Deam.

Omnes Nereides *consortes* auctori Consol. ad Liv. vers. 437.

Illi cæruleum Panope matertera crinem
Solvit, *& immensas fletibus auget aquas*.
Consortesque Deæ centum. ——

Roma Jovis *consors* apud Claud. in Consul. Olybr. & Probi vers. 128. Alloquitur Romam:

—— —— *O numen amicum*,
Dux ait, *& legum genitrix longeque regendo*
Circumfusa polo consors adjuncta tonanti.

Si vel ipsam vocis originem spectes, *consortes Dii* erunt Dii, qui eandem sortem obtinent, eadem dignitate, & potestate præditi.

CAP. V.

Honoris causa minores Deos apud majorum gentium numina collocant. Ita apud Junonem Helenam. Imprimis vero reliquos Deos juxta Jovem sedere fingunt, *ad eorum potentiam indicandam*; *ita Apollinem*, *Venerem*, *Palladem*, *Bacchum*, *Parcas & Deorum matrem*. *Imo defunctos superum adsessores aliquando faciebant*. *Inscriptio emendatur*. *Frequentius autem eos qui pie vixerant inferorum Diis adjungebant*. *Civitatem & populum florentem* ἐγγὺς Διὸς καθῆσθαι, propè Jovem sedere, *dicebant Græci*.

Honoris causa minorum gentium Deos collocabant ad latus alicujus Dei aut Deæ e maximis illis: ita Helenam cœlo adscriptam se Junoni conjuncturum dicit Apollo in Eurip. Oreste vers. 1689.

Ἑλένην Ζηνὸς μελάθροις πελάσω,
Λαμπρῶν ἀστέρων πόλον ἐξανύσας,
Ἔνθα παρ' Ἥρᾳ τῇ θ' Ἡρακλέους
Ἥβῃ, πάρεδρος θεὸς ἀνθρώποις,
Ἔσται σπονδαῖς ἔντιμος ἀεί.
Helenam ad Jovis palatium ducam,
Superato splendentium siderum cœlo,
Ubi apud Junonem & Herculis uxorem
Hebam degens, *auxiliaris Dea hominibus*,
Semper sacrificiis honorabitur.

Potissimum vero Jovis proximam sedem obtinere fabulantur Deos, quorum potentiam indicare, & de quibus aliquid honorifice prædicare volunt. Ita de Apolline in ejus Hymno vers. 29. Callimachus:

—— Δύναται γὰρ ἐπεὶ Διὶ δεξιὸς ἧσται.
—— *Potest enim Apollo*, *quandoquidem Jovis dextræ adsidet*.

Quæ verba explicari possunt aliis Æschyli de eodem Deo in Eumen. vers. 229. Furiæ loquuntur:

Μέγας γὰρ ἔμπας παρ Διὸς θρόνοις λέγῃ.
Potens sane apud Jovis solium haberis.

Eandem in sententiam de Venere scribit Æschyl. in Suppl. vers. 1044.

Δύναται γὰρ Διὶ ἄγχιστα σὺν Ἥρᾳ.
Etenim potest, *quia Jovi proxime adsidet cum Junone*.

Pallas, Dearum post Junonem potentissima, sæpe Jovis latus occupare dicitur: Horat. lib. I. Ode 12. vers. 18.

Unde nil majus generatur ipso, (Jove)
Nec viget quicquam simile aut secundum;
Proximos illi tamen occupavit
Pallas honores.

Plutarch. Sympos. lib. I. pag. 617. B. Ἡ δὲ Ἀθηνᾶ φαίνεται τὸν πλήσιον ἀεὶ τοῦ Διὸς τόπον ἐξαίρετον ἔχουσα· καὶ τοῦτο παρεμφαίνει μὲν ὁ Ποιητὴς δι' ὧν ἐπὶ τῆς Θέτιδός φησιν.

Ἡ δ' ἄρα παρ Διὶ πατρὶ καθέζετο, εἶξε δ' Ἀθήνη.

Διαῤῥήδην δὲ ὁ Πίνδαρος λέγει,

Πῦρ πνέοντος ἅτε κεραυνοῦ ἄγχιστα ἡμένη.

Minerva autem videtur semper sibi proprium habere Jovi proximum locum, *& hoc sane subindicat Poeta in istis*, *quæ de Thetide ait*:

Hæc vero juxta Jovem consedit, at cessit Minerva.

Diser-

Diserte Pindarus dicit;

Quæ proxime ignem spirans fulmen sedet.

Aristid. Hymno in Minerv. pag. 19. *Πίνδαρος δ' αὖ φησὶ δεξίαν κατὰ χεῖρα τοῦ πατρὸς αὐτὴν καθεζομένην τὰς ἐντολὰς τοῖς θεοῖς ἀποδέχεσθαι. Pindarus profecto inquit, Palladem ad dextram patris sedentem, mandata ad reliquos Deos excipere.* Bacchum prope Jovem collocat Julian. in Cæsaribus. *Πάντων οὖν τῶν θεῶν κύκλῳ καθημένων, ὁ Σειληνὸς ἐρωτικῶς ἔχειν δοκῶν μοι τοῦ Διονύσου καλοῦ, καὶ νέου τῷ Διὶ παραλησίου πλήσιον αὐτοῦ τροφεύς τις οἷα, καὶ παιδαγωγὸς καθῆστο. Omnes igitur Dii cum in circulo sederent, Silenus, qui mihi videbatur amore captus Bacchi formosi juvenis, & patri Jovi proximi, juxta illum tanquam nutritor aliquis, & juventutis moderator adsidebat.* Et Seneca Herc. Fur. vers. 458.

E matris utero fulmine ejectus puer
Mox fulminanti proximus stetit patri.

Parcas quoque Jovi adjunxit Eurip. in Peleo apud Stob. Ecl. Phys. cap. IX.

Κλῦτε Μοῖραι Διός αἵ τε παρὰ θρόνον
Αγχόταται ἥμεναι.

Grotius:

Audite Parcæ, quæ solio Jovis
Magni sedetis proxima numina.

Et Matrem denique Deorum Jovis *σύνθρονον* & *σύνθωκον* vocat Julian. Orat. V. pag. 179. Hactenus de Diis. Homines fatis functos, licet privatos, ut de ipsis honorifice se sentire indicarent, amici, & cognati eos in tumuli inscriptione apud Deos sedere fingebant: ita est in lapidis epigraphe, quam exhibet Sponius Misc. Erud. Ant. Sect. X. p. 368.

ΣΟΜΑ. ΜΕΝ. ΗΔΕ. ΚΟΝΙΣ. ΚΕΥΘΕΙ. ΘΕΟΜΗΣΤΟΡΟΣ. ΑΝΡΟΣ
ΝΑΡΚΙΣΣΙΩΝΟΣ. ΗΙΝΥΠΠΟΥ. ΕΥΧΗ. ΔΕ. ΣΥΝΕΔΡΟΣ
ΑΘΑΝΑΤΩΝ ——

Monstrum est non vocabulum illud ΝΥΠΠΟΥ, crediderim fere olim in lapide fuisse ΠΙΝΥΤΟΥ. Deinde pro ΕΥΧΗ, quod nullum hic locum habet, scribendum esse ΨΥΧΗ, & sensus erit admodum clarus: *Hic pulvis quidem occultat corpus viri religiosi Narcissionis sapientis: anima autem adsidet Diis immortalibus.* In eandem fere sententiam leguntur versiculi, basi marmoreæ inscripti, apud Reinesium Classe XVII. num. 140.

ΧΡΥΣΕΙΟΙΣΙ. ΘΡΟΝΟΙΣΙ. ΠΑΡΗΜΕΝΟΝ. ΕΣ. ΦΙΛΟΤΗΤΑ
ΚΑΙ. ΜΕ. ΠΑΡΑ. ΤΡΙΠΟΔΕΣΣΙ. ΚΑΙ. ΑΜΒΡΟΣΙΗΣΙ. ΤΡΑΠΕΖΑΙΣ
ΗΔΟΜΕΝΟΝ. ΚΑΤΑ. ΔΑΙΤΑ. ΘΕΟΙ. ΦΙΛΟΝ. ΕΙΣΟΡΟΩΣΙ

Aureis soliis lubenter adsidentem,
Et apud tripodas, & divinas mensas
Me delectantem cœna, Dii amice tractant.

Frequentius vero apud veteres, neque extra rem fuerit illud hic indicare, honori ducebant, si quis defunctus inferorum Diis Plutoni, Proserpinæ aut etiam Parcis adsideret, & familiariter cum iis victitaret, qui honos tantum tribuebatur illis, qui pie in his terris vitam egerant. De Amphiarao Stat. Theb. lib. VIII. vers. 191.

Anne sedes hilaris juxta tua numina Parcas,
Et vice concordi discis ventura docesque?

De Alcestide Eurip. in cognomine Tragœdia v. 745.

—— Πρόφρον σε χθόνιός θ' Ερμῆς
Αΐδης τε δέχοιτ'. Εἰ δέ τι κἀκεῖ
Πλέον ἐσ' ἀγαθοῖς, τούτων μετέχουσ',
Αιδου νύμφᾳ παρεδρεύοις.
—— *Propitius te Mercurius infernus*
Et Dis excipiat. Et si quid istic
Commodi, præ ceteris, consequantur boni, istius particeps,
Plutonis sponsæ adsideas.

Egregie vero huc faciunt lepidi Aristophontis in Pythagorista versiculi. Pythagoreorum superbiam, cum se solos bonos esse contenderent, salse deridet apud Grotium Excerpt. pag. 843.

—— Διαφέρειν δὲ πάμπολυ
Τοὺς Πυθαγοριστὰς, τῶν νεκρῶν· μόνοισι γὰρ
Τούτοισι τὸν Πλούτωνα συσσιτεῖν ἔφη
Δι' εὐσέβειαν. ——
—— *At multum a ceteris*
Differre Pythagoristas: nam Ditem patrem
Hos sibi perpetuo coepulones sumere
Pietatis ergo. ——

Jam denique notandum est Græcos *ἐγγὺς Διός καθῆσθαι, prope Jovem sedere,* usurpasse pro *feliciter rem gerere, florere.* Ita in Æschyli Eumenid. vers. 1002. locutionem usurpatam invenies:

Χαίρετ' ἐν αἰσιμίαις πλούτου,
Χαίρετ' ἀστικὸς λεὼς
Ικταρ ἥμενοι Διός.
Valete divitiis a fato concessis
Valete Atheniensis populus
Prope Jovem sedentes.

Et ab Euripide apud Strabonem pag. 563. C.

Πρόσω δὲ βάντι ποταμὸν Ηλις, ἣ Διός
Γείτων κάθηται. ——
Ultra flumen progredienti occurrit Elis, quæ Jovi
Vicina sedet. ——

Id est, quæ *floret* & omnibus bonis affluit.

CAP. VI.

Duodecim Deorum nomina, Consentes *dicti, inde* consentium Deorum & consentia Sacra. *In foro colebantur. Ennio memoratis alii aliquando addebantur, ut Bacchus, Mercurius, Pan apud Mendesios, Hercules & denique Cupido. Homines quidam eis adscripti sunt, Philippus Macedo, Adrianus Imperator, Alexander Magnus & Augustus.*

Fidem liberaturus capite tertio a me datam, de Deorum duodecim concilio, quædam disserere jam instituam. Nomina eorum omnibus, decantato illo Ennii disticho, innotuerunt:

Juno, Vesta, Ceres, Deiana, Menerva, Venus, Mars,
Mercurius, Jovi', Neptunus, Volcanus, Apollo.

Latini uno vocabulo *Consentes* indigitarunt; inde *consentium Deorum*, pro hoc concilio in lapide antiquo apud Gruterum pag. III. num. I.

CONSENTIO. DEORUM
MARIANA SOZOMENE
IMPERIO. ... FECIT

Et *consentia Sacra* apud Festum, quæ *ex multorum consensu sunt statuta*. In foro urbium imprimis coli solebant, hinc duodecim Deorum ara erat Athenis in foro. Thucydides lib.VI.p.447. Καὶ ἄλλοι τε αὐτῶν ἦρξαν τὴν ἐνιαύσιον Ἀθηναίοις ἀρχὴν, καὶ Πεισίστρατος ὁ Ἱππίου τοῦ τυραννεύσαντος υἱός, τοῦ πάππου ἔχων τοὔνομα, ὃς τῶν δώδεκα θεῶν βωμὸν τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἄρχων ἀνέθηκε. *Et alii ex illis* (Pisistratidis) *annuo apud Athenienses magistratu defuncti sunt, tum etiam Pisistratus Hippiæ, qui tyrannidem exercuit, filius, avi nomen habens, qui duodecim Deorum aram, cum archon esset, in foro constituit*. Romæ duodecim Deorum statuæ in foro conspiciebantur, Varro de re rust. lib. I. c. I. *Et quoniam Dei, ut ajunt, facientes adjuvant, prius invocabo eos, nec ut Homerus & Ennius Musas, sed duodecim Deos Consentes, neque tamen eos urbanos, quorum imagines ad forum auratæ stant, sex mares, & feminæ totidem*. Præter memoratos Ennii disticho Deos, aliquando etiam alios honoris causa Consentes vocabant: ita Bacchum indigitatum reperies in inscriptione apud Gudium pag. 14. numer. 10.

CERERI. FRVGIFERAE
ET. LIBERO. PATRI
CONSENTI
SACRVM

Hinc forte apud Euripidem vocatur ἐν τέλει θεὸς, *Deus in potestate*, aut *magistratum gerens Deus*, in Bacch. vers. 858.

—— Γνώσεται δὲ τὸν Διὸς
Διόνυσον, ὃς πέφυκεν ἐν τέλει θεὸς.
—— *Sentiet vero Jovis filium*
Bacchum, Deum in potestate constitutum.

Mercurius apud Gudium pag. XXXV. n. 8.

TI. CLAVDIVS. TI. AVG. LIB
PHYANIVS. PROCVRATOR
PRAED. ET. HORR. CLAVD
MERCVRIO. CONSENTI. SAC
RVM

Pan a Mendesiis inter majorum gentium Deos numeratus est Herodot. lib. II. cap. 46. Τὸν Πᾶνα τῶν ὀκτὼ θεῶν λογίζονται εἶναι οἱ Μενδήσιοι· τοὺς δὲ ὀκτὼ θεοὺς τούτους προτέρους τῶν δώδεκα θεῶν φασὶ γενέσθαι. *Mendesii Panem ex octo Deorum numero esse existimant: hos autem octo Deos ante duodecim Deos extitisse perhibent*. Huic loco adjungi debet alius Herodoti lib. II. cap. 145. Παρ' Αἰγυπτίοισι δὲ, Πὰν μὲν ἀρχαιότατος, καὶ τῶν ὀκτὼ τῶν πρώτων λεγομένων θεῶν· Ἡρακλῆς δὲ, τῶν δευτέρων, τῶν δώδεκα λεγομένων εἶναι. *Pan sane, apud Ægyptios, antiquissimus habetur, & ex octo Diis, qui primi omnium æstimantur. Hercules autem, ex secundis, qui duodecim numero dicuntur esse*. Herculem Deum fuisse non vero Heroem notat Themist. Orat. XX. pag. 239. D. Δίκαια μὲν δὴ καὶ οἱ παλαιὲ πράξαντο ἄνθρωποι ἐφ' Ἡρακλεῖ τῷ Διὸς καὶ Ἀλκμήνης, ἀποθειώσαντές τε αὐτὸν, καὶ ἱερὰ ἴδια κατασκευάσαντες, καὶ θυσίας θύοντες, οὐ μόνον ὅσας ἥρωϊ θύειν καλὸν ἦν, ἀλλ' ὅσας δαίμονι ἤδη, ἀλλὰ καὶ ὅσας θεῷ. *Profecto etiam juste cum Hercule egerunt antiqui homines, Jovis illo & Alcmenes filio, cui immortalitate donato, sacra propria constituerunt, & sacrificia fecerunt, non tantum qualia facere convenit Heroi; sed qualia Genio, imo etiam qualia Deo*. Recte vero quidam e Græcis distinguebant inter duos Hercules, quorum alterum ut Deum, alterum ut Heroa colebant. Herodot. lib. II. cap. 44. Καὶ δοκέουσι δέ μοι οὗτοι ὀρθότατα Ἑλλήνων ποιέειν, οἱ διξὰ Ἡράκλεια ἱδρυσάμενοι ἔκτηνται· καὶ τῷ μὲν, ὡς ἀθανάτῳ, Ὀλυμπίῳ δὲ ἐπωνυμίην θύουσι· τῷ δ' ἑτέρῳ, ὡς ἥρωϊ, ἐναγίζουσι. *Et optime mihi facere videntur illi ex Græcis, qui duplicis generis Herculi dicata templa possident: & uni quidem ut immortali & Cœlesti cognomine sacra faciunt: alteri vero ut Heroi parentantur*. Sicyonii ut Deo & tanquam Heroi sacra faciebant. Pausan. lib. II. cap. 10 Καὶ νῦν ἔτι ἄρνα οἱ Σικυώνιοι σφάξαντες, καὶ τοὺς μηροὺς ἐπὶ τοῦ βωμοῦ καύσαντες, τὰ μὲν ἐσθίουσιν ὡς ἀπὸ ἱερείου, τὰ δὲ ὡς ἥρωϊ τῶν κρεῶν ἐναγίζουσι. *Et ad hæc usque tempora agna cum faciunt Sicyonii, & femora super ara comburunt, partim ea, ut de sacrificio, comedunt, partim ea, ut Heroi, Herculi litant*. Hercules vero Cœlestis sive Olympius recte inter Consentes Deos referri potest, cum a sole minime diversus sit, quæ eadem est ratio cur Pan, Mercurius & Bacchus Consentes dicantur: omnes enim ad solem reducuntur a Macrobio, & a Cl. viro Ever. Ottone in prima parte egregii de tutela viarum libri. Lepide Cupido, ille Deorum potentissimus juxta & molestissimus, duodecim Diis olim additus, postea ex eorum numero ejectus esse fingitur ab Aristophonte in Pythagorista; apud Grot. Excerpt. pag. 841.

Εἶτ' οὐ δικαίως ἐστ' ἀπεψηφισμένος
Ὑπὸ τῶν θεῶν τῶν δώδεκ' εἰκότως Ἔρως;
Ἐπήραττ' ἐκείνοις γὰρ ἐμβάλλων στάσεις,
Ὅτ' ἦν μετ' αὐτῶν. ——

Grotius vertit:

At nonne jure ac merito de sententia
Consentium Deorum damnatu'st Amor?
Nam seditiones atque turbelas dabat
Vitam illic agitans. ——

Eleganter dixit Amorem e Consentium numero ἀποψηφισμένον fuisse: ita fere Lucianus vocat ψήφισμα, *Senatus consultum* Deorum, quo παρέγγραπτοι θεοὶ, sive *insititii Deastri*, ex illorum cœtu eliminantur. Vide ipsum pag. 919. Tom. II. Edit. Sambuci. Ut semper sunt homines qui supra humanum se efferunt fastigium, inventi quoque sunt, qui non contenti Heroum, aut Geniorum, imo non vulgus Deorum indigitamentis, duodecim majorum gentium Diis addi voluerunt. De Philippo Macedonum Rege refert Diod. Sic. lib. XVI. pag. 559. Φίλιππος μὲν οὖν μέγιστος γενόμενος τῶν καθ' ἑαυτὸν ἐπὶ τῆς Εὐρώπης βασιλέων, καὶ διὰ τὸ μέγεθος τῆς ἀρχῆς ἑαυτὸν τοῖς δώδεκα θεοῖς σύνθρονον καταριθμήσας, τοιαύτης ἔτυχε τῆς τοῦ βίου καταστροφῆς. *Philippus igitur cum maximus suæ ætatis in Europa Regum evasisset, & propter magnitudinem imperii se ipsum duodecim Diis adsessorem adnumeraret, talem consecutus est vitæ finem*. Adrianum Imperatorem infami adulatione Cyziceni, impotenti ejus ambitioni inservientes, decimum tertium Deum vocarunt teste Socrate Hist. Eccl. lib. III. cap. 23. quæ duo loca observata sunt ab Illustr. Ez. Sanphemio de præst. & usu num. Tom. II. pag. 335. Ex aliis notissima est ambitiosa Demadis oratoris Attici rogatio, qua petebat ut Alexander vivus adhuc & vegetus Senatus consulto ab Atheniensibus duodecim Diis insereretur, cujus impudentia centum talentis mulctata est: Ælian. Var. Hist. l. V. c. 10. Nec tamen mirum eo pervenisse audaciæ Demadem, cum ejusdem

Alexandri statua Jovis ornatu conspicua ab adulatore quodam Corinthio dedicata sit teste Pausan. lib. v. c. 24. in fine. Huc referri potest quod apud Horatium legimus lib. III. Ode 25. vers. 5. qui Augustum suum *Jovis consilio* inserere meditabat:

——— Quibus
Antris egregii Cæsaris audior
Æternum meditans decus
Stellis inserere, & consilio Jovis.

Innuit Augustum Consentium numero se additurum: Jovis enim consilium illi constituebant, ut jam demonstrabimus.

CAP. VII.

Duodecim Deorum concilium absolute concilium *vocatur, &* consessus. *Omnium litium apud Superos judices erant duodecim Dii & conveniebant in Areopago. Caput istius concilii erat Jupiter, eique tantum ut adsessores & consiliarii additi erant. Inde* Jovis consilium *vocantur, & Græcis* πάρεδροι Ζηνὶ σύλλογος.

Hoc duodecim Deorum concilium, quandoquidem longe frequentius erat ceteris, absolute & κατ' ἐξοχὴν *concilium* dicitur. Virgil. Æn. lib. x. vers. 2.

Panditur interea domus omnipotentis Olympi,
Conciliumque vocat Divum pater atque hominum Rex
Sideream in sedem. ———

Sexto autem versiculo Jupiter Deos illos congregatos compellans, *Cælicolas magnos* vocat, ut nullum supersit dubium quin per *concilium* sint intelligendi Consentes Dii. Eadem ratione *concilium Deorum* explico apud Ovid. Metam. lib. XIV. vers. 812. Mars Jovem alloquitur,

Tu mihi concilio quondam præsente Deorum &c.

Et *consessum Deorum* in inscript. apud Gruterum pag. 11. num. 11.

I. O. M.
ET. CONSESSVI. DEO
RVM. DEARVMQVE
PRO. SALVTE. IMPERII
ROMANI

omnium litium, quæ apud Deos movebantur, judices erant οἱ δώδεκα, hinc *Senatores Deorum* vocantur a Marciano Cap. lib. I. pag. 16. Sic in disceptatione Minervæ & Neptuni de Attica. Apoll. Bibl. lib. III. cap. 13. §. 1. Γενομένης δὲ ἔριδος ἀμφοῖν περὶ τῆς χώρας, Ἀθηνᾶν καὶ Ποσειδῶνα διαλύσας Ζεὺς, κρίτας ἔδωκεν, οὐχ', ὡς εἶπόν τινες, Κέκροπα καὶ Κραναόν, οὐδὲ Ἐριχθέα, θεοὺς δὲ τοὺς δώδεκα· καὶ τούτων δικαζόντων ἡ χώρα τῆς Ἀθηνᾶς ἐκρίθη. *Exorta lite inter utrumque de regione, Minervam & Neptunum conciliavit Jupiter, judicibus datis, non ut quidam dixerunt, Cecrope & Cranao, neque Erechtheo: sed duodecim Diis, & ex horum sententia Palladi adjudicata est regio.* Athenienses insuper finxerunt duodecim Deos convenire solitos fuisse, ad causas judicandas, in Areopago: Demosth. contra Aristocr. pag. 455. Ἐν μόνῳ τούτῳ δικαστηρίῳ θεοὶ δίκας φόνου, καὶ δοῦναι καὶ λαβεῖν ἠξίωσαν, καὶ δικασταὶ γενέσθαι διενεχθεῖσιν ἀλλήλοις ὡς λόγος. Λαβεῖν μὲν Ποσειδῶν ὑπὲρ Ἁλιρροθίου τοῦ υἱοῦ παρὰ Ἄρεος· δικάσασθαι δὲ Εὐμενίσι καὶ Ὀρέστῃ οἱ δώδεκα θεοί. *In hoc solo judicio Dii cædis pœnas dare aut exigere voluerunt, & judices esse illorum quæ inter se disceptarentur, ut sermo est. Neptunus quidem dicitur a Marte pœnas repetiisse propter filium Halirrhothium: & jus dixisse Eumenidibus & Orestæ duodecim Deos.* Sed hæc quis ignorat? Caput concilii erat Jupiter, imo tantum ei videntur dati esse ut *adsessores* & *consiliarii*. Vide τὸν πάνυ P. Burmannum ad Ovid. Met. lib. I. vers. 167. ex cujus nota haud exiguum percepi fructum. Inde sæpe a reliquis Consentibus distinguitur, Plautus in Epid. Act. v. sc. I. vers. 4.

Si undecim Deos præter sese secum adducat Jupiter.

In inscriptionibus frequenter est.

I. O. M.
CETERISQVE
DIS. CONSENTIBVS

Distincte Seneca Quæst. Nat. lib. II. cap. 41. *Secundam* (manubiam) *mittit quidem Jupiter, sed ex consilii sententia. Duodecim enim Deos advocat.* Plato Jovem putabat esse supremum in cœlo Ducem sub quo duodecim alii erant inferioris ordinis Duces, Consentes nimirum Dii, in Phædro pag. 202. in fine. Τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη, μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη· τῶν δὲ ἄλλων ὅσοι ἐν τῷ τῶν δώδεκα ἀριθμῷ τεταγμένοι θεοὶ ἄρχοντες ἡγοῦνται κατὰ τάξιν ἣν ἕκαστος ἐτάχθη. *Hunc vero* (Jovem) *sequitur exercitus Deorum & Dæmonum, in undecim dispositus partes, domi enim sola ex Diis remanet Vesta: reliqui autem quotquot duodecim Deorum numero continentur dispositi in ordinem Dii Prætores, præeunt ex ordine in quo quisque collocatus est.* Jovis *consilium* constituunt illi duodecim Dii teste August. de Civ. Dei lib. IV. cap. 23. *Consentes in consilium Jovis adhibentur.* Diversæ sententiæ sæpe in isto consilio erant, & quisque in suam Jovem pertrahere obnixe studebat, Stat. Theb. lib. X. vers. 878.

Jamque Jovem circa studiis diversa fremebant
Argolici Tyriique Dei. ——

Alia exempla passim apud Poetas reperias licet. Denique Deos easdem partes obtinere apud Jovem, quas adsessores apud Judicem, liquet vel inde, quod Jovi ab ipsis iidem honores tribuebantur, qui a consiliariis Principi, aut magistratibus. Virg. Æn. lib. X. vers. 117.

——— Solio tum Jupiter aureo
Surgit, cœlicolæ medium ad limina ducunt.

Servius, *ut magistratum deducunt*. Et Jovem in solio sedentem Diis adstantibus pinxit Zeuxis teste Plin. Hist. Nat. lib. XXXV. cap. 9. in fine. Inde etiam cum *adsessores judicum* a Græcis πάρεδροι, ut mox demonstrabimus, dicti sint, Deos Consentes quoque Jovis παρέδρους appellare non refugerunt: saltim eorum concilium πάρεδρος Ζηνὶ σύλλογος vocatur Eurip. in Helena vers. 885.

Ἔρις γὰρ ἐν θεοῖς, σύλλογός τε σοῦ πέρι
Ἔσται πάρεδρος Ζηνὶ τῷδ' ἐν ἤματι.

Lis enim inter Deos, & concilium de te
Assidebit Jovi hoc eodem die.

CAP. VIII.

Græcis πάρεδρος dicitur ille qui alteri consilio adest. *Sub Romanis Imperatoribus ita vocabantur Judicum adsessores. Et συνθωκεῖν in* judicio adsidere. *Latinis* adsessores *dicuntur, quia ad latus judicis sedebant: ratio enim loci in judiciis habebatur. Apellati quoque sunt* consiliarii. *Inde* in consilium adhiberi, *est in adsessorem constitui. Qui reis jus suppeditabant, παρεδρεύειν dicebantur. Præter judices alii quoque habebant adsessores, ita Imperator, Præsides Provinciarum, Episcopi & Duces etiam. Imperatorum temporibus adsessores frequenter συγκάθεδροι vocabantur.* Collega *quoque dicitur συγκάθεδρος, frequentius tamen σύνεδρος. Isocrates emendatur.* Συνέδριον collegium. *Adsessores vocabantur aliquando κοινωνοὶ πόνων,* participes, *συμπαρόντες. Apud Athenienses magistratus quidam Archonti adjunctus* Πάρεδρος *nominabatur. Hesychius emendatur. Lacedæmonii Regibus adsessorem dabant.*

AD tempus Diis valere jussis ad homines nos conferamus, expositeri qui apud hos πάρεδροι sint dicti, ut inde clarius illucescat cur Consentes Jovis πάρεδροι fuerint. Qui consilio alicui adest ejus πάρεδρος vocatur, Pindar. Olymp. Ode 2. vers. 139. De Rhadamantho loquitur,

> Ὃν πατὴρ ἔχει Κρόνος ἑτοῖ-
> μον αὐτῷ πάρεδρον.
> *Quem habet pater Saturnus*
> *Aptum adsessorem.*

Πάρεδροι dicebantur, imprimis vero sub Imperatoribus Romanis, illi qui judicibus in cognitionibus jus suppeditabant, & consilium dabant. Achilles Tat. Am. Leuc. & Clit. lib. VII. pag. 447. Ἔδοξε τῷ προέδρῳ τῶν δικαστῶν· ἦν δὲ τοῦ βασιλικοῦ γένους, καὶ τὰς μὲν φονικὰς ἐδίκαζε δίκας, κατὰ δὲ τὸν νόμον συμβούλους ἐκ τῶν γεραιτέρων εἶχεν, οὓς ἐπιγνώμονας ἐλάμβανε τῆς γνώσεως. ἔδοξεν οὖν αὐτῷ διασκοπήσαντι σὺν τοῖς παρέδροις αὐτοῦ, θάνατον ἐμοῦ καταγνῶναι κατὰ τὸν νόμον. *Visum est judicum præsidi, qui regio ortus genere, causas capitales judicabat, & juxta leges consiliarios ex senioribus habebat, quos in cognitionem judicii adsumebat: visum autem ipsi, rem cum adsessoribus perpendenti, me secundum legem morti damnare.* Vocabantur quoque σύνθωκοι vel σύνθακοι, certe συνθωκεῖν idem significat quod παρεδρεύειν, Joseph. Antiq. Jud. lib. XV. cap. 3. § 8. Ὑπὲρ τούτων ἔγραφεν Ἡρώδης, καὶ τὰς ἄλλας διεξῄει τιμὰς, ἃς ἔχοι παρ' Ἀντωνίῳ, συνθωκῶν ἐν ταῖς διαγνώσεσι. *De his scripsit Herodes, & reliquos enumerabat honores, ab Antonio ipsi habitos, tum quod ejus in cognitionibus consiliarius fuisset* &c. Latinis *adsessores* dicuntur. Glossæ Veteres, Πάρεδρος, *adsessor*. Sueton. in Galba cap. XIV. *Corn. Laco ex adsessore præfectus Prætorio, arrogantia socordiaque intolerabilis.* Et integer titulus de *Officio adsessorum* extat in Digestis. Dicti sunt ita, non secus ac πάρεδροι, quod ad latus judicis sederent: alludit ad hoc Propert. Eleg. ult vers. 19. Minoa & Rhadamanthum Æaco, cui tunc sorte judicium obtigerat, adsidere fingit:

> *Aut siquis posita judex sedet Æacus urna,*
> *In mea sortita vindicet ossa pila.*
> *Adsideant fratres* ——

In judiciis nimirum loci habebatur ratio, & judici proximus honorificentissimus erat: Suet. in Tiberio c. XXXIII. *Magistratibus pro tribunali cognoscentibus plerumque se offerebat consiliarium, assidebatque mixtim, vel ex adverso in parte primori.* Ammian. Marc. lib. XXIII. cap. 6. p. 416. De Persis ait. *Ad judicandum autem usu rerum spectati destinantur, & integri, parum alienis consiliis indigentes: unde nostram consuetudinem rident, quæ interdum facundos, jurisque publici peritissimos post indoctorum collocat terga.* Romani *adsessores* frequenter quoque *consiliarios* appellaverunt. Suet. in Claudio c. XII. *Cognitionibus magistratuum ut unus e consiliariis frequenter interfuit.* Paulus l. 4. D. de Off. Adsess. *Consiliario, eo tempore quo adsidet, negotia tractare in suum quidem auditorium nullo modo concessum est.* Inde *in consilium adhiberi* est a judice in adsessorem constitui. Plinius lib. VI. Epist. 11. *O diem lætum! adhibitus in consilium a Præfecto urbis, audivi ex diverso agentes summæ spei, summæ indolis juvenes duos.* Nec tantum qui judicibus consilio aderant, verum etiam qui reis jus suppeditabant, παρεδρεύειν dicebantur. Evagrius Hist. Eccles. lib. VI. c. 7. Περὶ τούτων μὲν οὖν ἐμοῦ παρεδρεύοντος καὶ παρόντος γε αὐτῷ, κατὰ τὴν βασιλέως γέγονε τὴν ἀπολογίαν ὑφέξων. Interpres vertit: *Me igitur consiliarium & comitem habens, venit Constantinopolim, his accusationibus responsurus.* Vide ad eum locum a Valesio notata. Præter judices aliis quoque dabantur adsessores, ut ipsi aliquando Imperatori: Herodian. lib. V. cap. 1. Καὶ πρῶτον μὲν τῆς συγκλήτου βουλῆς τοὺς δοκοῦντας καὶ ἡλικίᾳ σεμνοτάτους καὶ βίῳ σωφρονεστάτους, ἑκκαίδεκα ἐπελέξαντο, συνέδρους καὶ συμβούλους τοῦ βασιλέως. Eleganter hæc Politianus sic transtulit in Latinum sermonem: *Quippe jam primum sedecim ordinis senatorii viros, ætatis gravitate vitæque sanctimonia præcellentes, adsessores principis* (Alexandri) *& consiliarios delegerunt.* Præsidibus addebantur adsessores, ut colligere licet ex l. 3. D. de Off. Adsess. *Si eadem provincia, postea divisa, sub duobus præsidibus constituta est velut Germania, Mysia: ex altera ortus, in altera adsidebit, nec videtur in sua provincia adsedisse.* Confer notas Gothofredi. In Ecclesia etiam suos habebant consiliarios Episcopi, quos συνεδρευτὰς vocat Ignatius ad Trallian. cap. VII. Τί δὲ πρεσβυτέριον ἀλλ' ἢ σύστημα ἱερὸν, σύμβουλοι καὶ συνεδρευταὶ τοῦ Ἐπισκόπου; *Quid vero Presbyterorum consessus aliud est, quam cœtus sacer, consiliarii & adsessores Episcopi?* Et συνεδρεία ἐπισκόπου, Idem ad Philadelph. c. VIII. Πᾶσιν οὖν τοῖς μετανοοῦσιν ἀφίησιν ὁ Θεὸς, ἐὰν συνδράμωσιν εἰς ἑνότητα Χριστοῦ, καὶ συνεδρείαν τοῦ Ἐπισκόπου. *Omnibus igitur qui resipiscunt condonat Deus, si concurrant ad communionem Christi, & consilium Episcopi.* In militia denique ducibus adjungebantur homines juris simul & artis militaris peritissimi: Socr. Hist. Eccl. lib. VII. c. 20. Πέμπει πρεσβευτὴν περὶ εἰρήνης Μαξιμῖνον, ἄνδρα ἐλλόγιμον, ὃς τοῦ στρατηγοῦ Ἀρδαβουρίου συγκάθεδρος ἦν. *Mittit oratorem pacis Maximinum virum insignem, qui Ducis Ardaburii adsessor erat.* Sub Imperatoribus vero Romanis judicum adsessores συγκάθεδροι dicebantur, qui apud Athenienses πάρεδροι· Ulpianus ad Demosth. Medianam p. 403. Πάρεδροι γὰρ ἐδίδοντο τοῖς νεωτέροις, οἱ νῦν καλούμενοι συγκάθεδροι. *Dabantur enim juvenibus πάρεδροι, qui nunc συγκάθεδροι vocantur.* Nota etiam συγκαθέδρους dictos fuisse, eos qui idem munus obibant, *collegas*: si fides habenda vulgato Interpreti Modestini l. 10. §. 6. D. de Excusat. Ὁμοίως καὶ εἰς τὸν τόπον ἐκείνου τοῦ ἐπιτρόπου, ὃν μετὰ ταῦτα συγκάθεδρον ἑαυτῷ τις ἀπήγαγε, δοθήσεται κουράτωρ, ὥς φησι διάταξις τοῦ θειοτάτου Σεβήρου. Interpres, *Similiter, & in locum illius tutoris, quem postea sibi collegam quis adduxerit, dabitur curator, ut ait constitutio Divi Severi.* Sed forte rectius Augustinus, qui *adsessorem* dedit. Frequentius ista potesta-

te venit σύνεδρος, ut apud Isocratem Areopag. pag. 202. quem locum recitabo, ut corruptum eadem opera restituam: Καὶ περὶ τούτων ἐκέλευον ὑμᾶς ἕλεσθαι συνέδρους ἢ συγγραφέας, δι' ὧν ὁ δῆμος κατελύθη τὸ πρότερον. Quæ sic Latina fecit Wolfius, *Et ad illas constituendas vos indicto concilio creare consessores, aut scribas deligere juberem, per quos antebac popularis status abrogatus est*. Credidit συνέδρους fuisse quosdam viros a munere ita dictos, quorsum sensus verborum Isocratis ut nunc leguntur nos ducit; sed inepte: si quid enim video reponendum est συνέδρους ι συγγραφέας *decem scribas collegas*. De decem illis scribis, Pisandri & Antiphontis opera creatis, vide egregiam Valesii notam ad Harpocrat. pag. 181. Ut vero σύνεδροι *collegæ* ita συνέδριον dicebantur *collegium*, hinc vero συνεδρεύεσθαι Hesychio teste significat συνέρχεσθαι, εἰς βουλὴν συνάγεσθαι *convenire, in concilium cogi*. Diodorus Sic. lib. XVI. pag. 544. Τῆς δὲ γερουσίας συνεδρευούσης ἐν τῷ βουλευτηρίῳ &c. *Cum vero Senatus Corinthiorum convenisset in curiam*, &c. Sed, antequam de tabula manum, monendum est, adsessores judicum & magistratuum, qua civilium, qua militarium, appellatos fuisse κοινώνους πόνων aut ἀρχῆς, ut erudite docent magni duumviri Lindebrogius & Valesius, ad Ammian. Marcell. lib. VIII. cap. I. pag. 558. Latini aliquando una voce *participes* vocant: l. unica C si rector prov. *Quod ita late patere volumus, ut non solum circa administrantes, sed etiam circa administrantium filios, nepotes ac propinquos, participes domesticosque*. Verbo *participes* additum est glossema *id est consiliarios*. Idem Græcis quoque sunt συμπαρόντες. Ulpianus loco laudato, παρεδρεύοντος ἄρχοντι τῷ υἱεῖ, quod in Demosthene est, exponit, συμπονοῦντος καὶ συμπαρόντος τῷ παιδί· Et Evagrius supra, ἐμοῦ παρεδρεύοντος καὶ παρόντος γε αὐτῷ. Hinc explico locum D. Lucæ in Actis Apost. cap. XXV. comm. 24. ab aliis forte non ita intellectum. Καί φησιν ὁ Φῆστος. Ἀγρίππα βασιλεῦ, καὶ πάντες οἱ συμπαρόντες ἡμῖν ἄνδρες. *Et Festus inquit: Agrippa Rex, & omnes qui nobis adestis viri*. Alloquitur Festus in posteriore parte orationis Chiliarchos & principes civitatis, quos in præcedenti commate sacer scriptor in acroaterium ingressos esse dicit, qui forte ipsius, Provinciæ Præsidis, consilium constituebant. Addendum denique apud Athenienses fuisse magistratus in judicio & a quinquaginta viris solitos comprobari, qui πάρεδροι compellabantur absolute. Hesychius Πάρεδρος, σύνθρονος (istud enim verbum e præcedenti commate ad hoc transfero, nemine, ut spero, dissentiente) ἀρχή τις. id est Πάρεδρος, *adsessor, magistratus aliquis*. Ejus officium erat Archontas omni ope & consilio juvare. Unicuique Archonti duo adjudicabantur πάρεδροι. Harpocration. Πάρεδρος, Λυκοῦργος ἐν τῷ περὶ Ἱερείας. Πολύ ἐστι τοὔνομα παρά τε τοῖς ῥήτορσι, καὶ ἐν τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ. Ἀριστοτέλης δ' ἐν τῇ Ἀθηναίων πολιτείᾳ φησί. Λαμβάνουσι παρέδρους, ὅτε Ἄρχων καὶ Πολέμαρχος, δύο ἑκάτερος, οὓς ἂν βούληται· καὶ οὗτοι δοκιμάζονται ἐν τῷ δικαστηρίῳ πρὶν παρεδρεύειν, καὶ εὐθύνας διδόασιν, ἐπὰν παρεδρεύωσιν. Πάρεδρος, *Lycurgus in oratione de Sacerdote. Frequens est nomen cum apud rhetores, tum etiam in antiqua comœdia. Aristoteles vero in Atheniensium civitate dicit: adsumunt*, παρέδρους, adsessores, *quisque duos pro lubitu: atque hi comprobantur pro tribunali antequam adsessoris munus capessant, & rationes reddunt cum adsederunt*. Præterea addit I. Pollux lib. VIII. §. 92. Δοκιμασθῆναι δὲ αὐτοὺς ἐχρῆν ἐν τοῖς πεντακοσίοις. *Comprobari autem debebant illi a quinquaginta viris*. Lege ad eum locum a doctissimis commentatoribus notata, nec operæ pœnitebit. Pari ratione ut Archontes Atheniensium, ita quoque Lacedæmoniorum Reges suos adsessores habebant. Cicero de Divinat. lib. I. pag. 370. G. *Lacedæmonii Regibus suis augurem adsessorem dederunt*.

CAP. IX.

Vox Græca παρακαθῆσθαι *aliquando est* cum aliquo versari, *convenit Latina* adsidere. *Inde animalia* δίεδρα *&* σύνεδρα *vocantur*, quæ dissident, *& ea*, quæ mutua societate delectantur. Πάρεδρος *quoque eum significat*, qui cum alio frequenter conversatur. *Hinc* Πάρεδροι *vocati sunt Dii illi, qui similis fere erant naturæ, quorum officia conveniunt, & qui mutua societate gaudent. Hinc* ἑταῖροι *appellati sunt & Latinis* socii & comites. *Deinde etiam* consociati Dii, *qui duplici sensu ita vocantur. Consanguinitatis vocabula aliquando usurpant ad Deorum conjunctionem indicandam. Ideo vocantur* consanguinei, cognati, ἀδελφοί, fratres, *&* sorores, *& denique* gemini. *A moribus eisdem* ὁμότροποι. *A mutuo quod sibi præstant auxilio* σύνεργοι. *Ab officiorum similitudine* σύντεχνοι, cooperarii. *D. Augustinus emendatur*.

HActenus de παρέδροις communi significatione dictis disseruimus: nunc erit exponendum quinam Dii sensu religioso ita fuerint indigitati Græci, eos qui societate conjuncti frequenter conversabantur, sibi invicem παρακαθῆσθαι, *adsidere*, dicebant. Athen. lib. IV. pag. 163. A. Φυγοῦσα γ' οὖν σε, καὶ τοὺς σοὶ παραπλησίους ἡ Ἀρετή, Ἡδονῇ παρακάθηται, ὥς φησι Μνασάλκης ὁ Σικυώνιος ἐν ἐπιγράμμασιν.

> Ἁδ' ἐγὼ ἁ τλάμων Ἀρετὰ παρὰ τῇδε κάθημαι
> Ἡδονῇ, αἴσχιστως κειραμένη πλοκάμους.

Te igitur fugiens, tuique similes, Virtus cum Voluptate versatur, ut inquit Mnasalces Sicyonius in epigrammatibus:

> Illa ego misera Virtus isti adsideo
> Voluptati, scissis fœde capillis.

Eodem sensu *adsidere* Romane loquentibus nonnunquam usurpatur: Cicero in L. Pisonem pag. 760. C. *Sed præterita omitto: me ut Cn. Pompejus omnibus suis studiis, laboribus, vitæ periculis, complexus est: cum municipia pro me adiret, Italiæ fidem imploraret, P. Lentulo Consuli, auctori salutis meæ, frequenter adsideret*. Hinc animalia inviolatam inter se pacem observantia, nec mutuam societatem fugientia, σύνεδρα, *confidentia*, ut ita dicam, vocantur, & contra δίεδρα, *dissidentia* & perpetuas inimicitias gerentia. Aristot. Hist. Anim. lib. IX. §. 8. Ἔτι δὲ τοῖς ὠμοφάγοις ἅπαντα πολεμεῖ, καὶ ταῦτα τοῖς ἄλλοις· ἀπὸ γὰρ τῶν ζώων ἡ τροφὴ αὐτοῖς· ὅθεν καὶ τὰς διεδρίας, καὶ τὰς συνεδρίας οἱ μάντεις λαμβάνουσι· δίεδρα μὲν τὰ πολέμια τίθεντες· σύνεδρα δὲ τὰ εἰρηνεύοντα πρὸς ἄλληλα. *Præterea autem crudivoris omnia pugnant, atque illa omnibus: animantia enim ipsis cibus sunt. Inde etiam* διεδρίας *&* συνεδρίας *observant vates: inimica quidem* δίεδρα *esse statuentes: at* σύνεδρα, *quæ inter se pace fruuntur*. Hac vero potestate σύνεδρος usurpavit Antoninus Lib. fab. VII. pag. 38. Καὶ οὐ γίνεται σύνεδρος οὕτως ὁ ἐρωδιὸς ἄνθῳ, καθάπερ οὐδ' ὁ ἄνθος τῷ ἐφίππῳ, ὅτι μέγιστα κακὰ ἔπαθεν ὁ Ἄνθος ὑπὸ τῶν ἵππων· καὶ ἔτι νῦν ὅταν ἀκούσῃ φωνοῦντος ἵππου φεύγει μιμούμενος ἅμα τὴν φωνήν. *Et non versatur cum antho erodius, ita neque an-*

thus cum ephippo, quia maxima ab equis perpessus est mala Anthus : & adhucdum ubi equum hinnientem inaudiverit, fugit ejus vocem simul imitans. Inde & πάρεδρος nonnunquam alterius dicitur, qui cum eo conjunctus frequenter versatur, ita verbum usurpat Eurip. in Medea vers. 843.

Τᾷ σοφίᾳ παρέδρους
Πέμπει ἔρωτας.

Ut cum Sapientia victitent
Mittit Amores.

Jam vero θεοὶ πάρεδροι, *Dii adsessores*, sensu penitiori sunt Dii similis fere naturæ, quorum officia conveniunt, & qui arcto societatis vinculo constricti sunt. Hæc ratio est cur ἑταῖροι Græcis, at Latinis scriptoribus *socii & comites*, dicantur Dii conjuncti. Ita Amor Gratiarum, Veneris Musarumque ἑταῖρος est apud Plut. in Amatorio pag. 758. C. Ἀλλὰ τῶν Μουσῶν, καὶ Χαρίτων, καὶ Ἀφροδίτης ἑταῖρον Ἔρωτα. *Sed Musarum, & Charitum Venerisque socium Amorem.* Recte Musis sociatur Amor juxta elegantissimi Bionis versum apud Stobæum Eccl. Phyc. cap. XII.

Μοῖσαν ἔρως καλέει, Μοῖσαι τὸν ἔρωτα φέροιεν.

Grotius Latine vertit:

Musas dulcis Amor, Musæ mihi detis Amorem.

Adde ejusdem mellitissimos versiculos, qui leguntur in Stobæi Florileg. Serm. LXIII. Juno & Pallas *sociæ* Silio Ital. lib. IX. vers. 526.

Affatur virgo socia Junone parentem.

Quam Juno & Minerva conjunctæ sint inferius ostendam. Mithras solis *socius* in Thes. Gruteri pag. XXII. inscript. 12.

D. I. M.
ET. SOLI. SOCIO
SAC.

Pari sensu Philologia Minervæ *consociata* dicitur apud Martian. Cap. lib. I. pag. 14. Aliter tamen sunt intelligendi *consociati Dii*, a Livio ita nominati lib. I. cap. 45. quod communiter a pluribus populis colantur. Id clarissime ex ipsius verbis liquet: *Jam tum erat inclytum Dianæ Ephesiæ fanum: id communiter a civitatibus Asiæ factum fama ferebat. Quum consensum Deosque consociatos laudaret mire Servius inter proceres Latinorum, —— perpulit tandem, ut Romæ fanum Dianæ populi Latini cum populo Romano facerent*: Somnus & Bacchus *comites*: Silius Ital. lib. VII. vers. 205.

Donec composuit luctantia lumina Somnus,
Somnus, Bacche, tibi comes additus.

Inde est in lapide litterato apud Grut. pag. LXVII. num. 8.

DIIS. MAXIMIS
BACCHO. ET. SOMNO
HVMANAE. VITAE
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIB
SACRVM

Rationem hujus consortii discere potes ex Propert. lib. III. Eleg. 16. vers. 14.

Quod si Bacche tuis per fervida tempora donis
Arcersitus erit Somnus in ossa mea.

Antevorta & Postvorta Jani *comites* Macrobio Saturn. lib. I. cap. 7. pag. 180. *Sicut Antevorta & Postvorta divinitatis* (Jani scilicet) *aptissimæ comites apud Romanos coluntur.* Nonnunquam etiam consanguinitatis vocabulis appellabantur socia numina. Ita *consanguineus Gratiarum Hymen.* Martian. Cap. lib. I. in principio. Venus & Ceres *cognatæ* Apulejo Met. lib. V. pag. 174. *Suscipit Ceres: tuis quidem lacrymosis precibus & commoveor & opitulari cupio, sed cognatæ meæ* (Veneris) *cum qua etiam antiquum fœdus amicitiæ colo, bonæ præterea fœminæ, malam gratiam subire nequeo.* Imo Diis mutuo consortio se delectantibus ἀδελφῶν, *fratrum & sororum*, nomina dederunt. Themist. Orat. XXIV. pag. 303. A. Ἀλλὰ τὴν Ἀφροδίτην ἀεὶ συμπλέκειν ταῖς Μούσαις προθυμησόμεθα· ἀδελφαὶ γὰρ ἀλλήλων, καὶ ἀσπάζονται τὴν κοινωνίαν. *Sed id semper agemus, ut cum Musis conjungamus Venerem: sorores enim sunt & lubenter sociantur.* *Sororem* Matris Deum vocat Deam Syriam Apul. Met. lib. IX. pag. 221. *Propter unum cantharum, quem Deum Mater sorori suæ Deæ Syriæ hospitale munus obtulit, noxios religionis antistites ad discrimen vocari capitis.* Mercurius Musarum *germanus* Martian. Cap. lib. I. pag. 9. Fides Justitiæ *soror*. Horat. lib. I. Ode 14. vers. 7.

—— Cui Pudor, & Justitiæ soror
Incorrupta Fides, nudaque Veritas.
Quando ullum invenient parem?

Acron, *Fides est appellata Justitiæ soror.* Ita Justitia & Pax ἀδελφαὶ, *sorores*, in Eclogis Phys. Stobæi cap. IX.

Λιπαροθρόνους τ' ἀδελφὰς Δίκαν
Καὶ στεφανηφόρον Εἰράναν.

Veniat celso subnixa toro
Pax Justitiæ juncta sorori,
Lætis frontem vincta coronis.

Grotii versionem agnoscis. Minime vero omittenda hic sunt lapidi antiquo inscripta verba apud Gruterum pag. MLXXIII. num. II.

ΘΕΟΙΣ. ΑΔΕΛΦΟΙΣ
ΣΥΝΘΡΟΝΟΙΣ. ΤΟΙΣ
ΕΝ. ΑΙΓΥΠΤΟΥ
ΘΕΟΙΣ
ΙΣΙΑΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ
ΑΝΕΘ.

Et denique, majoris adhuc conjunctionis indicandæ gratia, quædam numina *gemina* vocantur. Somnus & Mors Hom. Iliad. Π. vers. 672.

Πέμπε δέ μιν πομποῖσι ἅμα κραιπνοῖσι φέρεσθαι,
Ὕπνῳ καὶ Θανάτῳ διδυμάοσιν. ——

Mitte illum pernicibus deductoribus ferendum,
Somno & Morti geminis. ——

Hos duos *fratres* quoque vocari proletarium est. Apollo & Diana *gemini numinis* titulo mactantur a Seneca Herc. Fur. vers. 905.

Geminumque numen, Phœbus & Phœbi soror,
Soror sagittis, aptior Phœbus lyræ.

Ad ſimilem Deorum naturam indicandam recte eos ὁμοτρόπυς, *æqualibus moribus præditos*, vocabis, auctoritate fretus Pindari Olymp. Ode XIII. verſ. 8.

—— Δίκα πολίων
Ασφαλὲς βάθρον, ὲ ὁμότροπος Εἰράνα, τάμιαι
Ανδρασι πλύτυ. ——

—— *Juſtitia civitatum*
Firmum fundamentum, & iiſdem moribus
Prædita Pax, ſuppeditantes
Hominibus divitias. ——

Et quia mutuam ſibi operam præſtant Dii conjuncti, eos aliquando dixerunt συνεργὺς. Grotii Excerpta pag. 457.

Αἰδῶ σέβεσθε συνεργὸν ἀρετῆς δορίμαχυ.
Colite Pudorem namque Virtutis comes
Pugnacis ille eſt. ——

Ita Grotius. Scholiaſtes Æſch. ad Prom. Vinct. verſ. 921. Τὺς δὲ εἰρημένυς ἀνάγει, ὲ συνεργοὺς τῦ κράτους ἔχει· τ̃ μὲν βροντὴν μηχανησάμενον· τ̃ δὲ Στεροπὴν, ἀςραπὴν εἰς ἐκφόβησιν πάντων τῶν ἄλλων θεῶν. *Hos vero prædictos* (Brontem nimirum & Steropen, quorum ope uſus fuerat Jupiter contra Saturnum) *in Cœlum ducit, & imperii ſocios habet: quorum alter ipſi tonitru fabricavit: hic autem, Steropes, fulgur, ad terrorem incutiendum reliquis Diis*. Numina autem, quæ junguntur propter officiorum & operum ſimilitudinem nominantur θεοὶ σύντεχνοι, Latine *Dii cooperarii*. Minerva Vulcani σύντεχνος apud Platonem in Polit. pag. 123. verſ. 9. Τέχναι δὲ παρὰ Ηφαίςυ ὲ τ̃ συντέχνυ. *Artes vero debentur Vulcano ejuſque cooperariæ*. Contra Vulcanus Minervæ *cooperarius* eſt D. Auguſt. de Civ. Dei lib. VI. cap. 10. *Quæ illarum matrona eſt Vulcani? Non utique virgo, quoniam habet maritum. Abſit autem ut meretrix, ne filio Junonis & cooperario Minervæ facere injuriam videamur*. In quibus verbis, ut ſententia recto ſtet talo, pro *quoniam* omnino ſcribendum eſt *quæ non*. Hæ fere ſunt voces quibus veteres *ſocia numina* compellare conſueverunt. Nunc ordo poſtulat, ut demonſtremus, quo pacto in ſacris conjuncta fuerint.

CAP. X.

Qui uno in templo coluntur Græcis σύνναοι, ὁμόναοι, συνέςιοι ἱρῶν, *Latinis* contubernales *vocantur. Heſychius & Herodis Attici inſcriptio emendantur. Duplici ratione erant* σύνναοι, *aut quibus unum conſecratum erat templum, aut quibus diverſæ ſub uno tecto ædiculæ. Utriuſque modi exempla. Templa talia* ſocia, *ſeu* communia *dicuntur. Uno vocabulo* delubra. *Nunquam duo numina, uno in templo ſine aliqua phyſica aut morali ratione jungebantur. Hinc* θεοὶ σύνναοι Deos ſocios *ſignificant, iidemque vocantur* σύννοικοι, *&* ὁμότοιχοι, *id eſt* contubernales. *Eoſdem vero qui* σύνναοι, *recte* παρέδρους *dici poſſe vel inde liquet, quod* πάρεδροι *etiam Græcis ſint illi*, qui una habitant. *Statuæ Deorum in alterius, ſed conjuncti, templo non raro collocabantur.*

PRimo nobis loco differendum erit de Diis qui ſocio in templo culti ſunt. Uno verbo Græcis vocantur σύνναοι. Heſych. Σύνναιος, σύνοικος. Emendo σύνναος. Hinc in baſi apud Gruterum pag. LXXXIX. num. 2.

DI. SYNNAVI

Æoles ſuos digammate inſerto ſcribebant ΣΥΝΝΑΕΟΣ, quos Latini imitantes *Synnavus* dicunt. Iidem σύνναοι etiam ὁμόναοι ſunt apud Heſychium in Voce Ομόχεται. Cum periphraſi συνέςιοι ἱρῶν, *ſacrorum* aut *templorum communione gaudentes*, vocantur ab Herode Attico Rhetore in prima inſcript. verſ. 30.

ΚΑΙ. ΓΑΡ. ΑΘΗΝΑΙΑ. ΠΕΡΙ. ΧΘΟΝΙΟΝ. ΒΑΣΙΛΕΑ
ΝΗΩΙ. ΕΓΚΑΤΕΘΗΚΕ. ΣΥΝΕΣΤΙΟΝ. ΕΜΜΕΝΑΙ. ΙΡΩΝ

In priore verſiculo unuſquiſque facile videt legendum eſſe, ΠΑΡΑ. ΟΙ. ΧΘΟΝΙΟΝ. ΒΑΣΙΛΗΑ, adeo ut ſententia hæc ſit:

Etenim Minerva apud ſe Tartareum Regem
In templo collocavit, ut ſibi eſſet contubernalis.

Romani θεὺς συννάους, *Deos contubernales* nominant: Lactant. de falſa relig. cap. XI. §. 39. *Jupiter enim ſine contubernio conjugis filiæque coli non ſolet*. Et Cæſarem Quirini *contubernalem* vocat Cicero ad Att. lib. XIII. Epiſt. 28. quod ejus ſtatua in Quirini templo conſpiceretur. Quoque *Novenſiles* dicti ſunt, modo recte Marii Victorini verba art. Gramm. lib. I. pag. 2470. emendaverit Salmaſius ad Hiſt. Aug. ſcriptores tom. II. pag. 139. *Novenſiles autem, quos Græci* συννάυς, *a novem ac ſidendo, id eſt, eadem ſede præditi*. Idem Salmaſius ad Herodis Att. Inſcripti I. pag. 14. contendit Deos συνερκείυς aliquando vocatos fuiſſe, qui vulgo σύνναοι· ſed cum illa maximi Viri tantum conjecturis innitantur, pro certis nemini obtrudo. Neque ea rationibus confirmare, neque impugnare auſim, quæ captum meum, quod fateri non pudet, longe ſuperant. Duobus potiſſimum modis Dii erant *contubernales*, aut in uno templo colebantur, aut variis ſub uno tecto & intra unum ſeptum ædiculis. Prioris exempla ſunt multa: ita Vulcanus & Minerva eodem in templo jungebantur Athenis Auguſt. de Civ. Dei lib. XVIII. cap. 12. *Quia in templo Vulcani & Minervæ, quod ambo unum habebant Athenis expoſitus inventus eſt puer*. Celeus & Metanira Athenag. leg. pro Chriſt. pag. 13. D. Βία & Ανάγκη *Vis & Neceſſitas* Pauſan. lib. II. pag. 121. Dione & Jupiter apud Strab. lib. VII. pag. 506. C. Υςερον ἀπεδείχθησαν τρεῖς γραῖαι, ἐπειδὴ ἡ σύνναος τῷ Διὶ προσαπεδείχθη ὲ ἡ Διώνη. *Poſtea tres anus adhibitæ ſunt, poſtquam cum Jove in ſocietatem templi recepta eſt Dione*. Loquitur de templo Jovis Dodonæo. Jungebantur quoque paſſim uno in templo Caſtores, Æſculapius & Salus, & alia bene multa numina. Hunc morem ſalſe perſtringit Machon apud Athen. lib. VIII. pag. 337. C.

———— Εν τεμένει καθίσας τινι,
Ο πρὸ τῶν πυλῶν ἦν κατὰ τύχην ἱδρυμένον,
Ιδων τε πῃ θύοντα τ̃ νεωκόρον,
Πρὸς τ̃ Αθηνᾶς ϰὴ θεῶν, τίνος φράσον
Εςιν ὁ νεὼς, βέλτιςέ, φησιν, οὑτοσί;
Ο δ᾽ εἶπεν αὐτῷ Ζηνοποσειδῶνος, ξένε·
Ο Δωρίων δὲ, πῶς ἂν ἂν ἐνταῦθ᾽, ἔφη,
Δύναιτο καταγώγιον ἐξευρεῖν τις, ὃ
Καὶ τὺς θεὺς φάσκυσιν οἰκεῖν συνδύο;

Ita legitur locus in Excerptis Grotii pag. 851. qui eum quoque egregie ſic Latinitate donavit:

———— *Igitur in fano ſedet,*

Quod propter urbis ipsa adstabat mœnia:
Ubi cum videret sacra facientem popam,
Per te Minervam, per Deos, inquit, precor,
Dic bone vir, templum hoc cui sacratum est numini?
Respondens ille; est, ait, hoc Jovineptunium:
Quis ergo jam mortalis, inquit, Dorio,
Hospitium speret urbe in illa, quæ Deos
Duos conjungit unum in contubernium.

Et Sacerdotes Romani improbabant propositum Marcelli Gloriæ & Virtuti templum dedicare volentis, existimantes non Divinæ majestati convenire duo numina intra unius templi parietes concludere. Plut. in Marcello pag. 314. C. Επειτα ναὸν ἐκ τῶν Σικελικῶν λαφύρων ᾠκοδομημένον, ὑπ' αὐτοῦ Δόξης καὶ Αρετῆς καθιερῶσαι βουλόμενος, καὶ κωλυθεὶς ὑπὸ τῶν ἱερέων, οὐκ ἀξιούντων ἑνὶ ναῷ δύο θεοὺς περιέχεσθαι, πάλιν ἤρξατο προσοικοδομεῖν ἕτερον. *Cum, e proventu prædæ Siculæ, a se ædificatum templum Gloriæ & Virtuti consecrare vellet Marcellus, impeditus a Sacerdotibus, quibus non placebat uno in templo duos contineri Deos, alium huic adjungere cœpit.* Templi vero, in quo duo erant sacella, totidem Diis sacra, meminit Pausan. lib. II. cap. 25. Επὶ δὲ τῆς ὁδοῦ ταύτης ἱερὸν διπλοῦν πεποίηται, καὶ πρὸς ἡλίου δύνοντος εἴσοδον καὶ κατὰ ἀνατολὰς ἑτέραν ἔχον. Κατὰ μὲν δὴ τοῦτο Αφροδίτης κεῖται ξόανον, πρὸς δὲ ἡλίου δυσμὰς Αρεως. *Juxta hanc autem viam duplex fanum factum est, ad solis occasum & ad ortum ingressum habens. In hoc Veneris est simulacrum, at in illo ad occasum Martis.* Sed quid multa eaque obscura exempla cumulare attinet, cum clarissimum nobis ad manum sit: in Capitolio enim trium Deorum Jovis, Junonis & Palladis ædes uno tecto continebantur. Dion. Halic. lib. IV. pag. 259. Εν δὲ αὐτῷ τρεῖς ἔνεισι σηκοὶ παράλληλοι, κοινὰς ἔχοντες πλευράς· μέσος μὲν, ὁ τοῦ Διός· παρ' ἑκάτερον δὲ τὸ μέρος, ὅ τε τῆς Ηρας καὶ ὁ τῆς Αθηνᾶς, ὑφ' ἑνὸς ἀετοῦ καὶ μιᾶς στέγης καλυπτόμενοι. *In eo autem tria sunt sacella juxta se invicem sita, communia habentia latera: in medio quidem Jovis est: sed utrinque, Junonis & Minervæ, uno sub fastigio & tecto sub eodem.* Latini vocant *socia templa* Ovid. Fast. lib. VI. vers. 73.

Aurea possedit socio Capitolia templo
Mater, & ut debet, cum Jove summa tenet.

Uno vocabulo *delubra* dicuntur: Ascon. Ped. ad Ciceronis Divin. pag. 17. *Et sunt qui templa esse dicant singulorum Diis attributorum locorum, delubra multarum ædium sub uno tecto a diluvio pluviæ munitarum.* Adde hic Serv. ad Æn. lib. II. vers. 225. *Delubrum dicitur, quod uno tecto plura complectitur numina, quia uno tecto diluitur: ut Capitolium in quo est Minerva, Jupiter, Juno sunt σύνναιοι.* Lege σύνναοι, modo hæc duo novissima verba Servii fuerint: prorsus enim glossema redolent. Dici quoque possunt *communia templa*, licet Victor in XIII. Urbis regione alio sensu Dianæ Aventinæ templum *commune* appellaverit; quia nimirum a plurimis communiter populis dedicatum erat. Græcis talia templa sunt κοινὰ ἱερὰ. Vide Strab. lib. XIV. pag. 974. Τρίτον δ' ἐστὶν ἱερὸν τοῦ Καρίου Διὸς κοινὸν ἁπάντων Καρῶν, οὗ μέτεστι καὶ Λυδοῖς, καὶ Μυσοῖς ὡς ἀδελφοῖς. *Tertium vero templum Carii Jovis commune omnibus Caribus, cujus etiam in partem veniunt Lydi & Mysii tamquam fratres.* Alia auctorum loca prudens prætereo. Figuram delubri, aut templi, cui utrinque additæ sunt ædiculæ uno tecto munitæ, vide in nummo elegantissimo apud Ez. Spanhem. de præst. & usu num. Tom. II. pag. 643. Nunquam vero duo numina uno in templo junxerunt, sine physica quadam mythica aut morali ratione, quam sæpe addunt scriptores antiqui: ita Plut. Sympos. lib. IV. problem. 4. pag. 668. E. Τῶν δὲ θαλαττίων τὸ ἅλας πρῶτον, οὗ χωρὶς οὐδὲν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐστὶν ἐδώδιμον· ἀλλὰ καὶ τὸν ἄρτον οὗτος ἐμμιγνύμενος συνηδύνει· διὸ καὶ Δήμητρος σύνναος ὁ Ποσειδῶν. *Primum vero locum obtinet sal inter illa quæ e mari proveniunt, sine eo enim nihil omnino esui aptum est: imo & pani immixtus eum palato gratiorem reddit: ideo etiam Cereris contubernalis est Neptunus.* Adde quoque Schol. Pind. Pythion. Ode III. vers. 139. Hinc & σύνναοι θεοὶ aliquando tantum *Deos socios* significant: Eustath. ad Iliad. Υ. pag. 1268. vers. 48. Η δ' αὐτὴ καὶ τὴν σύνναον τῷ ἀλόγῳ θράσει θῆλυν Αφροδίτην, πρὸς στήθεα, ἐν τοῖς μετὰ ταῦτα, χειρὶ παχείῃ ἐλάσασα, συγκατέρριψε. *Illa autem Pallas inconditæ audaciæ* (id est Martis) *sociam Venerem, in pectus, in sequentibus, manu crassa feriens, dejicit.* Recte vero Deos cognatos in uno templo junxerunt, namque illi, qui conjuncti habitant arcto societatis vinculo videntur constricti. Inde & σύνοικοι *contubernales* dicuntur Dii, qui inter se conveniunt: Plut. de fac. in orbe lun. pag. 943. B. Καὶ σύνοικός ἐστι τῆς μὲν χθόνιος ὁ Ερμῆς. *Et hujus quidem Proserpinæ contubernalis est Mercurius infernus.* Plato Sympos. pag. 187. vers. 44. Επὶ θύραις καὶ ἐν ὁδοῖς ὑπαίθριος κοιμώμενος, τὴν τῆς μητρὸς φύσιν ἔχων, ἀεὶ Ενδείᾳ ξύνοικος. *Ad fores & in viis sub dio somnum capiens, matris naturam habens, semper Egestati conjunctus.* Et Ομότοιχος Λύπη Μανίας, *mœror furoris contubernalis*, Antiphani apud Stob. Serm. XCVIII. pag. 539. id est, ut recte explicari possunt ista, verbis Euripidis in Andromeda apud eundem Stobæum,

Λύπη Μανίας κοινωνίαν ἔχει τινα.

Mœrori & furori intercedit quædam communio.

Restat denique ut ostendamus Deos συνναοὺς quoque fuisse παρέδρους, quod licet multis rationibus, si necessitas urgeret, adstruere possem; tamen uno tantum defungar exemplo, eoque luculentissimo, Juliani Imper. Orat. IV. pag. 150. D. Οἱ τὴν Εδέσσαν οἰκοῦντες ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον καὶ Μόνιμον αὐτῷ καὶ Αζιζον συγκαθιδρύουσι. —— ὡς ὁ Μόνιμος μὲν Ερμῆς εἴη· Αζιζος δὲ Αρης, Ηλίου πάρεδροι. *Edessam, ab omni ævo soli sacram regionem, incolentes cum sole uno in templo collocant Monimum & Azizum. —— ut Monimus quidem Mercurius: sed Azizus Mars sit, Solis adsessores.* Nulla alia erat ratio quare eos Solis παρέδρους, vocaret Imperator, si solam excipias, quam ex ipsius verbis colligo, quod illis idem templum cum Sole dedicatum fuerit. Præterea, si linguæ Græcæ usum spectes, πάρεδροι non tantum sunt illi *qui mutua societate gaudent*, verum etiam illi *qui locum aliquem* aut *domum simul incolunt*. Eurip. in Hec. vers. 616.

Κόσμον τ' ἀγείρασ' αἰχμαλωτίδων πάρα,
Αἵ μοι πάρεδροι τῶν δ' ἔσω σκηνωμάτων
Ναίουσιν. —— ——

Et ornatum colligens a captivis mulieribus,
Quæ mecum intra hæc tentoria
Habitant. —— ——

Scholiastes exponit: Καλλωπισμὸν ἀγείρασα παρὰ τῶν αἰχμαλωτίδων, αἳ οἰκοῦσιν ἔνδον τῶν δὲ τῶν σκηνῶν, σύνοικοι ἐμοί. *Ornamenta cogens apud mulieres*

lieres captivas, quæ habitant his in tabernaculis mihi contubernales. Et Pindarus Pythion. Ode IV. vers. 7.

> Ενθα ποτὲ χρυσέων
> Διὸς αἰητῶν πάρεδρος,
> Οὐκ ἀποδάμου Απόλ-
> λωνος τυχόντος γ', ἱέρεα
> Χρῆσεν. —— ——

> *Ubi quondam aurearum*
> *Jovis aquilarum contubernalis,*
> *Apolline non peregre*
> *Profecto, Sacerdos*
> *Vaticinata est.* —— ——

De Pythia loquitur, quæ cum in templo Apollinis habitaret, recte dici poterat πάρεδρος, *contubernalis*, aurearum aquilarum: fabulantur enim duas aquilas a Jove emissas, unam ab Oriente, ab Occidente alteram Delphis convenisse, in cujus rei memoriam duo aureæ aquilæ de tholo templi Delphici suspensæ sunt: Vide Strabonem lib. IX. pag. 643. A. Quanto rectius autem duo in uno templo incolentes Dii πάρεδροι dici possunt? Omisissem fere loqui de tertia ratione Deos in templis conjungendi: statuas nimirum Deorum in alterius Dei sed socii, templo collocare mos erat. Ita supra ex Cicerone notavimus Cæsarem Quirini *contubernalem* esse dictum, quod ipsius statua in fanum Quirini illata esset. Sic quoque Jovis effigies in Apollinis Delphici templo conspiciebatur, teste Themist. Orat. IV. pag. 52. D. Εἴδη τε ἐν αὐτῷ τέλεια ἵδρυται αὐτοῦ βασιλέως, καθάπερ, οἶμαι, ἐν Δελφοῖς οὐ τοῦ Απόλλωνος μόνου, ἀλλὰ καὶ τοῦ Διός. *Et signa in illo fano ipsius Regis perfecta collocantur, quemadmodum, credo, in templo Delphico non solius Apollinis, verum etiam Jovis simulacra conspiciuntur*. In Palæmonis templo imagines Neptuni & Leucotheæ, Pausan. libro decimo primo capite secondo. Recte in æde maris Dei marinorum numinum statuæ collocantur. In Palatii delubro Latonæ signum Plin. Hist. Nat. lib. XXXVI. cap. 5. Nec mirum si mater cum filio conjungatur. Scite igitur fecit Augustus, qui in Divi Julii delubro, ejus generis auctorem, Venerem e mari exeuntem dicavit, ut refert idem Plin. Hist. Nat. libro trigesimo quinto capite decimo. Et Hebe matri conjunctissimæ Junoni adstabat in templo ipsius prope Mycenas docente id Pausan. libro decimo primo pag. 148. Eadem autem ratione qua statuas Deorum conjunctorum in alterius templo dedicabant, ita quoque aras: exemplum suppeditat Athen. lib. II. pag. 38. C. Φιλόχορος δὲ φησὶ, Αμφικτύονα τὸν Αθηναίων βασιλέα μαθόντα παρὰ Διονύσου τὴν τοῦ οἴνου κρᾶσιν, πρῶτον κεράσαι· διὸ καὶ ὀρθίους γενέσθαι τοὺς ἀνθρώπους οὕτω πίνοντας, πρότερον ὑπὸ τοῦ ἀκράτου καμπτομένους, καὶ διὰ τοῦτο ἱδρύσασθαι βωμὸν ὀρθοῦ Διονύσου ἐν τῷ τῶν Ωρῶν ἱερῷ. αὗται γὰρ καὶ τὸν τῆς ἀμπέλου καρπὸν ἐκτρέφουσι. *Philochorus autem dicit, Amphictyonem, Atheniensium Regem, a Baccho artem vini temperandi edoctum, primum temperasse: atque rectos evasisse homines qui ita bibebant, cum antea a meraco incurvati essent, ideoque aram recto Baccho dedicasse in Horarum templo: ipsæ enim vitis fructum educant*.

CAP. XI.

De Diis Συμβώμοις & Ομοβώμις, qui super eisdem aris colebantur. Nunquam sine ratione ita sociabantur Dii: eam sæpe addunt scriptores antiqui. Cornutus emendatur. Juxta se invicem statuebant aras Deorum consociatorum. Locus in quo multa sunt dedicata altaria dicitur κοινοβωμία. Æschylus emendatur. Recte vero πάρεδροι vocabantur Dii quorum aræ erant vicinæ: illæ enim aliquando dicuntur ἕδραι.

A Templis ad aras devolvimur: socia enim numina etiam conjungebantur, communi super ara factis sacrificiis, atque illi Dii proprio vocabulo Σύμβωμοι, aut quoque, ut apud Hesychium est, Ομόβωμοι, dicebantur Amani & Anandrati συμβώμων apud Persas Deorum meminit Strabo lib. XI. pag. 779. D. Καὶ τὸ τῶν συμβώμων θεῶν ἱερὸν ἱδρύσαντο Αμανοῦ καὶ Αναυδράτου Περσικῶν δαιμόνων. *Et συμβώμων Deorum Amani atque Anandrati Persicorum numinum delubrum ædificarunt*. Quod modo de συνναόις Diis diximus, nunquam sine ratione veteres duo numina uno in templo conjunxisse, id vel maxime hic locum habet: nullo enim arctiori religionis vinculo Deos constringere poterant, quam si eos sacris socia super ara peractis venerarentur. Prometheo & Vulcano communiter consecratam aram memorat Vetus Commentator Soph. ad Oed. Col. vers. 56. Ο μὲν Προμηθεύς, πρῶτος καὶ πρεσβύτερος ἐν δεξιᾷ σκῆπτρον ἔχων· ὁ δὲ Ηφαιστος, νέος καὶ δεύτερος· καὶ βωμὸς ἀμφοῖν κοινός ἐστιν ἐν τῇ βάσει ἀποτετυπωμένος. *Prometheus quidem primus & antiquior sceptrum dextra tenens: at Vulcanus, juvenis & secundus, & utrique communis ara in basi depicta est*. In proclivi est hujus conjunctionis rationem exhibere; ignis enim Deo ejus inventorem, & artificum præsidi ipsorum doctorem, quid mirum si veteres addiderunt? Sæpe antiqui Scriptores ipsi cum de Diis συμβώμοις loquuntur, societatis rationem apponunt, de Apolline & Mercurio Pausan. lib. I. Eliac. pag. 413. Μετὰ δὲ τοῦτον Απόλλωνος καὶ Ερμοῦ βωμός ἐστιν ἐν κοινῷ· διότι Ερμῆν λύρας, Απόλλωνα δὲ εὑρετὴν εἶναι κιθάρας, Ελλήνων ἐστὶν ἐς αὐτοὺς λόγος. *Post illam vero est ara Apollini & Mercurio communis, quia Græci de eis perhibent, Mercurium lyræ, citharæ parentem esse Apollinem*. De Atheniensibus, qui in Academia Amori simul & Palladi sacra peragunt Athen. lib. XIII. pag. 561. E. Αθηναῖοι δὲ τοσοῦτον ἀπέχοντο συνουσίας τινὸς διαλαβεῖν προεστάναι τὸν ἔρωτα, ὥστε τῆς Ακαδημίας ἐκδήλως τῇ Αθηνᾷ καθιερωμένης, αὐτόθι τὸν Ερωτα ἱδρυσάμενοι συνθύουσιν αὐτῷ. *Athenienses vero tantum abest ut existiment coitui alicui præesse Amorem, ut in Academia, quæ certissime Minervæ consecrata est, etiam Amorem collocaverint eique simul sacrificaverint*. Somnus & Musæ σύμβωμοι apud Troezenios, quod ratione addita narrat Pausan. lib. II. pag. 184. Επὶ δὲ αὐτῷ Μούσαις καὶ Υπνῳ θύουσι, λέγοντες τὸν Υπνον θεῶν μάλιστα εἶναι φίλον ταῖς Μούσαις. *Super eadem autem ara Musis & Somno faciunt, dicentes Somnum omnium Deorum Musis amicissimum esse*. Ita cur Herculi & Musis socia apud Romanos ara sit dicata exponit Plut. Quæst. Rom. num. LIX. pag. 278. E. Inde Hercules Musarum Romanis indigitatus est. Similiter, quia vinum libidinem excitat, Baccho & Veneri, quosdam simul sacrificare scribit Phurnutus, sive potius Cornutus, de Nat. Deor. pag. 218. Καὶ κινητικὸν γὰρ πρὸς συνουσίαν ὁ οἶνος· διὰ τοῦτο ἐνίων κοινῇ μὲν θυόντων Διονύσῳ

καὶ Ἀφροδίτη. *Et ad coitum excitat vinum, adeo ut propterea quidam communia Baccho & Veneri sacra faciant.* Hac ratione doctissimi scriptoris verba castiganda sunt, vulgo perperam legitur διὰ τοῦτο ἐνίων κοινῇ μεθυόντων. Manu scriptus liber, ut in notis videre est, habet ἔνιοι κοινῇ θύουσι, quæ lectio sententiæ quidem satis facit; sed nimis ab antiquæ scriptionis vestigiis recedit. Et Alpheo & Dianæ super eadem ara sacra fiebant: Schol. Pind. Nemeon Ode I. vers. 3. Τὸν γὰρ Ἀλφειὸν φασὶν ἔρωτι ἁλόντα τῆς Ἀρτέμιδος, ἐπιδιῶξαι αὐτὴν ἄχρι τῆς Σικελίας· τοῦ δὲ τέλους τῆς διώξεως αὐτόθι γενομένου, αὐτόθι συστῆναι τὴν Ἀρέθουσαν. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ τὴν Ἄρτεμιν Ἀλφειῶαν προσαγορεύεσθαι. Καὶ ἐν Ὀλυμπίᾳ δὲ ὁ Ἀλφειὸς τῇ Ἀρτέμιδι συναφίδρυται. *Nam Alpheum ferunt amore captum Dianæ, eam persecutum esse usque ad Siciliam, cum vero insectatio ibi desiisset, ibidem quoque factam esse Arethusam: atque ideo Dianam Alpheoam compellari. In Olympia autem Alpheo cum Diana sacrificant.* Quod tamen verbum συναφίδρυται duplici ratione intelligi potest, ut de communi ara ita etiam de communi templo; sed priori sensu sumi debere liquet ex Pausan. lib. v. pag. 412. Ἀλφειῷ καὶ Ἀρτέμιδι θύουσιν ἐπὶ ἑνὸς βωμοῦ. *Alpheo & Dianæ super eadem ara sacra faciunt.* Nec tantum communibus aris Diis dicatis, eorum societas indicabatur; verum etiam aris, licet diversis, juxta se invicem positis. Id clarissimum in modum liquet ex Athen. lib. II. pag. 38. C. Καὶ διὰ τοῦτο ἱδρύσασθαι βωμὸν ὀρθοῦ Διονύσου ἐν τῷ τῶν Ὡρῶν ἱερῷ. —— Πλησίον δ᾽ αὐτοῦ καὶ ταῖς Νύμφαις βωμὸν ἔδειμεν, ὑπόμνημα τοῖς χρωμένοις τῆς κράσεως ποιούμενος. καὶ γὰρ Διονύσου τροφοὶ αἱ Νύμφαι λέγονται. *Et ideo exstruxit Amphictyo aram recti Bacchi in Horarum templo. —— Prope illam autem & Nymphis aram ædificavit, illis qui vino utuntur documentum aqua esse miscendum: Bacchi enim nutrices sunt Nymphæ.* Hecates & Furiarum aræ vicinæ sunt apud Sat. Theb. lib. IV. vers. 457.

Tres Hecatæ, totidemque satis Acheronte nefasto
Virginibus, jubet esse focos. ——

Ut superis altaria, ita inferis *foci* proprii sunt. Sæpe eodem in loco duodecim Deorum altaria conspiciebantur: Strabo l. XIII. pag. 923. B. Μυρίνα ἐν ἑξήκοντα σταδίοις Αἰολὶς πόλις ἔχουσα λιμένα· εἶτ᾽ Ἀχαιῶν λιμὴν, ὅπου οἱ βωμοὶ τῶν δώδεκα θεῶν. *Sexaginta inde stadiis Æolica urbs est Myrina, portum habens, deinceps Achæorum est portus, ubi aræ duodecim Deorum.* Erant illæ quoque Olympiæ; sed sex tantum: singulæ enim aræ duobus numinibus erant dicatæ. Schol. Pind. ad Olympion. Od. x. vers. 58. Μετὰ δὲ τῶν δώδεκα θεῶν τοὺς βωμοὺς ἐποίησε· βωμοὺς γὰρ ἵδρυσε διδύμους ἕξ. *Postea duodecim Deorum aras exstruxit: aras enim sex geminas statuit.* Talis autem multorum altarium collectio, uno vocabulo Græcis dicitur κοινοβωμία. Æsch. Suppl. vers. 230. locutus erat de Jove, Apolline, Neptuno, & Mercurio:

Πάντων δ᾽ ἀνάκτων τῶνδε κοινοβωμίαν
Σέβεσθ᾽. Ἐν ἁγνῷ δ᾽ ἑσμὸς ὡς πελειάδων,
Ἵζεσθε, κίρκων τῶν ὁμοπτέρων φόβῳ.

Horum omnium Deorum ararum congeriem
Veneramini. In loco autem sacro, ut examen columbarum,
Sedete, accipitres cognatos metuentes.

Ita locus ille sine dubio constituendus est, male vulgo legitur Σέβεσθ᾽ ἐν ἁγνῷ, δεσμὸς &c. Stanleii editionem jam ad manum non habeo, ac proinde, quæ ejus sententia sit penitus ignoro. Addendum vero his est, Deos, quorum aræ vicinæ sunt, recte dici posse παρέδρους, quandoquidem aræ ipsæ ἕδραι vocantur: Æsch. in Suppl. vers. 512.

—— Εὖ γὰρ ὁ (lege ἡ) ξένος λέγει,
Ἡγεῖσθε βωμοὺς ἀστικοὺς θεῶν ἕδρας.

—— *Recte enim hæc advena dicit,*
Viam præmonstrate ad altaria, urbanas Deorum sedes.

Idem mox de statuis & Deorum simulacris adstruemus.

CAP. XII.

Statuæ Deorum conjunctorum apud se invicem collocabantur. Anthologia emendatur. Panis imago juxta Rheæ. Palladis prope Herculis. Recte πάρεδροι dicuntur: ἕδρω enim & ἕδος est statua. *Templa quoque ἕδη vocantur. Sæpe imagines Deos sedentes repræsentabant: adeo ut πάρεδροι sensu maxime proprio aliquando nominati sint.*

QUemadmodum de aris hoc demonstravimus, ita quoque Deorum conjunctorum statuæ, prope se invicem collocabantur: certissime id constat ex epigrammate quodam Anthol. lib. IV. pag. 466. Miratur Poeta unde Minervæ signum juxta Bacchi positum sit, cum nulla consuetudo Baccho cum Dea intercedat. Sed ipsum audiamus:

Εἰπὲ τί σοι ξυνὸν καὶ Παλλάδι τῇ γὰρ ἄκοντες
Καὶ πόλεμοι, παρὰ σοὶ δ᾽ εὔαδον εἰλαπίναι.
Μὴ προπετῶς ὦ ξεῖνε θεῶν περὶ τοῖα μετάλλα,
Ἴσθι δ᾽ ὅσοις εἴκελος (lege ἴκελος) δαίμονι τῇδε πέλω.
Καὶ γὰρ ἐμοὶ πολέμων φίλιον κλέος. οἶδεν ἅπας μοι
Ἠῶος δμηθεὶς Ἰνδὸς ἀπ᾽ Ὠκεανοῦ.
Καὶ μερόπων δὲ φυὴν ἐγεγήραμεν· ἡ μὲν ἐλαίῃ,
Αὐτὰρ ἐγὼ γλυκεροῖς βότρυσιν ἡμερίδος.
Καὶ μὴν οὐδ᾽ ἐπ᾽ ἐμοὶ μήτηρ ὠδῖνας ἐπέτλη,
Λῦσα δ᾽ ἐγὼ μηρὸν πάτριον· ἥδε κάρη.

Quid tibi, dic quæso, cum Pallade, quam juvat hasta
Bellaque, cum solæ sint tibi cordi epulæ?
Ne temere exquiras de Divis talia posthæc;
Attamen huic quam sim scito Deæ similis.
Armorum semper placuit mihi gloria, victi
Sunt Indi testes, ultimus est Oriens.
Nos hominum mentes donis hilaravimus ambo,
Hæc oleæ succum, vitis at ipse dedi.
Nec de me mater partus est passa dolores,
Ipse femur patrium, rupit at illa caput.

Pro ἀπ᾽ Ὠκεανοῦ, si mei judicii res esset, scriberem lubens ἐπ᾽ Ὠκεανόν. Tunc Bacchus dicet se Indos domuisse usque ad mare, adeo ut ad ultimum Orientem, quemadmodum verti, penetraverit. Sed nostrum negotium agamus. Panis imaginem juxta Rheæ statuit Pindarus teste ejus Schol. ad Pythion. Oden III. vers. 137. Ἀριστόδημός φησιν Ὀλύμπιχον αὐλητὴν διδασκόμενον ὑπὸ Πινδάρου, γενέσθαι κατὰ τὸ ὄρος, ὅπου τὴν μελέτην συνετίθει, καὶ ψόφον ἱκανὸν καὶ φλόγα ἰδεῖν καταφερομένην. Τὸν δὲ Πίνδαρον ἐπαισθόμενον συνιδεῖν Μητρὸς θεῶν ἄγαλμα λίθινον τοῖς ποσὶν ἐπερχόμενον· ὅθεν αὐτὸν συνιδρύσασθαι πρὸς τῇ οἰκίᾳ Μητρὸς θεῶν καὶ Πανὸς ἄγαλμα. *Aristodemus ait Olympichum tibicinem, a Pindaro edoctum,*

fuisse in monte, in quo opera sua componebat, & fortem strepitum, & flammam sensisse deorsum latam. Quod cum animadvertisset Pindarus existimasse Matris Deorum signum lapideum, pedibus ad se venire: unde juxta se invicem dedicavit apud domum, Matris Deum & Panis statuam. Utriusque numinis conjunxit simulacrum, quod ambo crederentur terrores immittere. Ambo etiam in furorem agere poterant homines: de Cybele, sive Deum matre, nota res est, quod ad Panem attinet id constat ex Nonno Dionys. lib. x. vers. 4.

> Οἰςρηθεὶς Ἀθάμας μανιώδεϊ Πανὸς ἱμάθλῃ.

> *Athamas exagitatus furiali Panis flagello.*

Palladis statua prope Herculis simulacrum ponitur, quod Dea ei opem frequenter tulisse fingatur: Pausan. lib. vi. pag. 500. Ζεὺς δὲ ἐνταῦθα καὶ ἡ Δηϊάνειρα καὶ Ἀχελῶος καὶ Ἡρακλῆς ἐςιν, Ἄρης τε τῷ Ἀχελώῳ βοηθῶν. Εἱςήκει δὲ καὶ Ἀθηνᾶς ἄγαλμα, ἅτε ἐσα τῷ Ἡρακλεῖ σύμμαχος. *Jupiter vero illic & Deianira & Achelous & Hercules est, Marsque Acheloo auxilium ferens. Stat etiam Minervæ simulacrum, quippe quæ semper Herculi succurrat.* Συνεργὸς *auxiliatrix* Herculis vocatur apud eundem pag. 516. Æsculapio sæpissime additur Telesphorus: Vide Sponium Misc. Er. Ant. pag. 312. statua. III. Amor passim comitatur Venerem. Egregius enimvero est locus Diod. Sic. lib. I. pag. 32. ubi omnes Ægypti Deos prope Bibliothecam Regis, cum Osiride, ordine collocatos, hujus παρέδρους vocat. Συνεχεῖς δὲ ταύτῃ τῶν κατ' Αἴγυπτον θεῶν ἁπάντων εἰκόνας, τοῦ βασιλέως ὁμοίως δωροφοροῦντος ἃ προσῆκαν ἦν ἑκάςοις· καθάπερ ἐνδεικνυμένου πρός τε τὸν Ὄσιριν καὶ τοὺς κάτω παρέδρους, ὅτι τὸν βίον ἐξετέλεσεν εὐσεβῶν καὶ δικαιοπραγῶν πρός τε ἀνθρώπους καὶ θεούς. *Huic autem bibliothecæ contiguæ sunt imagines omnium per Ægyptum Deorum, quorum singulis Rex conveniens munus offert: ac si ostenderet Osiridi & ejus deinceps adsessoribus, se vitam agere religiosam & justam, erga homines & Deos.* Receptam hanc opinionem, statuas Deorum juxta se invicem collocatas eorum communionem designare, repudiat Seneca de Benef. lib. I. cap. 3. *Ergo & Mercurius una stat:* (cum Gratiis nimirum) *non quia beneficia oratio commendat, sed quia pictori ita visum est.* Charitas tamen Mercurio socio gaudere, præter Plutarchum de audiendo pag. 44. D. cujus locum jam notavit Lipsius, docet Cornut. de Nat. Deor. pag. 197. qui de Venere loquens dicit: Παρέδρους τε καὶ συνέδρους τὰς Χάριτας ἔχει, καὶ τὴν Πειθὼ καὶ τὸν Ἑρμῆν, διὰ τὸ πειθοῖ προσάγεσθαι καὶ λόγῳ καὶ χάρισι τοὺς ἐρωμένους. *Adsessores vero & comites Venus habet Gratias, Suadam & Mercurium: quod amati in amantium sententiam oratione & beneficiis adducantur.* Recte vero πάρεδροι, quemadmodum apud Diodorum loco recitato, appellantur Dii quorum statuæ vicinæ erant: ipsæ enim ἕδραι vocabantur. Æschyl. Suppl. vers. 506.

> ——— Ὡς ἂν τῶν πολιασσούχων θεῶν
> Βωμοὺς προνάους, καὶ πολιασσούχων ἕδρας
> Εὕρωμεν. ——

> ——— *Ut Deorum urbis præsidium*
> *Aras ante templa positas, & eorundem statuas*
> *Inveniamus.* ——

Et ἕδη quoque: apud Herodem Atticum inscript. II. vers. 2.

> ΡΗΓΙΛΛΗΣ. ΕΔΟΣ. ΑΜΦΙ. ΘΥΟΣΚΟΑ. ΙΡΑ. ΦΕΡΟΥΣΑΙ

> *Apud Rhegillæ signum thurea dona ferentes.*

Hinc θεοὶ εὔεδροι *Dii pulcras habentes statuas:* Æschyl. Sept. ad Th. vers. 96.

> Πότερα δῆτ' ἐγὼ ποτιπέσω βρέτη δαιμόνων.
> Ἰὼ μάκαρες εὔεδροι,
> Ἀκμάζει βρετέων ἔχεσθαι.

> *An vero ego accidam simulacris Deorum.*
> *O numina pulcras habentia statuas*
> *Jam tempus est ut simulacra comprehendamus.*

Supra, cum de Diis συννάοις agebam, notare prætermisi templa Deorum aliquando etiam ἕδη appellata esse, ut apud Pausan. lib. II. pag. 156. Ἔμπροσθεν δὲ τοῦ ἕδους Τελέσιλλα ἡ ποιήσασα τὰ ᾄσματα ἐπείργασται ςήλῃ. *Ante templum autem Telesilla, quæ carmina composuit columnæ imposita est.* Et in prima inscript. Herodis Attici vers. 19.

> ΟΣΚΕ. ΘΕΩΝ. ΕΔΕΕΣΣΙΝ. ΑΛΙΤΡΟΣΥΝΗΝ. ΑΝΑΘΕΙΗ

> *Qui cum Deorum templis impie egerit.*

Ita fere Latinis templa quoque sunt *sedes*: vide P. Burmannum ad Ovid. Metamor. libro decimo vers. 229. Sed hæc obiter. Imagines Deorum sæpe eos exhibebant, sedentes, unde sensu magis proprio, Dii quorum simulacra conjuncta erant πάρεδροι *adsessores* dicebantur. Pausan. libro quinto capite decimoseptimo. Τῆς Ἥρας δέ ἐςιν ἐν τῷ ναῷ, Διὸς ἄγαλμα· τὸ δὲ Ἥρας καθήμενόν ἐςιν ἐπὶ θρόνῳ, παρέςηκε δὲ γένεια ἔχων. *Junonis autem in templo Jovis est signum: Junonis quidem sedet in solio, adstat vero barbam habens Jupiter.* Idem libro septimo cap. 20. Ἔςι δὲ ἐν τῇ ἀγορᾷ Διὸς ναὸς Ὀλυμπίου, αὐτός τε ἐπὶ θρόνου, καὶ ἑςῶσα Ἀθηνᾶ παρὰ τὸν θρόνον. *Est in foro Jovis Olympii templum, & ipse in solio, juxta illud autem stat Minerva.* Meminit quoque statuæ Jovis sedentis pag. 592. Sed hoc illi erat proprium: vide Suidam in Voce Ζεὺς, & a Kustero ibidem adnotata. Celebratissimum Jovis Olympii signum Deum sedentem imitabatur. Antiquæ imagines Palladis quoque sedebant: Strabo lib. XIII. pag. 897. C. Πολλὰ δὲ τῶν ἀρχαίων τῆς Ἀθηνᾶς ξοάνων καθήμενα δείκνυται, καθάπερ ἐν Φωκαίᾳ, Μασσαλίᾳ, Ῥώμῃ, Χίῳ, καὶ ἄλλαις πλείοσιν. *Multæ vero ex antiquis Minervæ statuis sedentes ostenduntur, quemadmodum Phocææ, Massiliæ, Romæ, in Chio aliisque pluribus.* Tria maxima numina Jupiter, Juno & Minerva juxta se invicem sedentia non raro visuntur in numis; elegantissimi sunt, qui eam in rem extant apud Rycquium de Capitol. Rom. cap. XIII. pag. 134.

Cap. XIII.

Super eadem basi Deorum sociorum statuas collocabant. Basi statuæ majoris Dei minorum numinum, sed conjunctorum, imagines inscribebant. Una aliquando sub imagine duo aut plura numina repræsentabantur. Inprimis vero e Mercurio & aliis Diis componebantur. Dedicabant fere semper alteri Deo, numinis ipsi conjuncti statuam: imo etiam quando hominum signa Diis dicabant, attendebant ut studiis ipsorum & moribus conveniens esset numen.

De statuis hoc capite dicere pergemus. Majorem conjunctionem indicabant, si duorum aut plurium Deorum signa super una collocarent basi, hoc de Amore & Gratiis refert Pausan. lib. VI. pag. 515. Τῶν Χαρίτων δὲ ἐν δεξιᾷ, ἄγαλμά ἐστιν Ἔρωτος· ἕστηκε δὲ ἐπὶ βάθρου τοῦ αὐτοῦ. *Charitum ad dextram est Amoris simulacrum, stat vero super eadem basi*. De Pallade & Hercule Strabo lib. XIV. pag. 944. C. Ἀνέθηκε δὲ πάλιν ὁ Σεβαστὸς Καῖσαρ εἰς αὐτὴν βάσιν τὰ δύο, τὴν Ἀθηνᾶν, καὶ τὸν Ἡρακλέα. *Iterum duo hæc uni basi imposuit Augustus Cæsar, Minervam & Herculem*. Nemo ignorat Amorem Gratiarum comitem esse, & Palladem Herculi frequenter adjungi jam supra demonstravimus. Deorum vero conjunctorum, sed paulo inferioris ordinis, imagines in basi alterius Dei cognati & majoris incidebantur. Ita apud Pausan. lib. II. pag 113. Τοῦ Ποσειδῶνος δὲ εἰσιν ἐπειργασμένοι τῷ βάθρῳ καὶ οἱ Τυνδάρεω παῖδες, ὅτι δὴ σωτῆρες καὶ οὗτοι νεῶν καὶ ἀνθρώπων εἰσὶ ναυτιλλομένων. *Neptuni autem basi insculpti sunt Tyndaridæ, quod & ipsi navium hominumque navigantium servatores sint*. Qui locus eo magis est notandus, quod meam observationem firmat, addita ratione istius, in basi statuæ Neptuni, Tyndaridarum sculpturæ. Similiter in basi signi Palladis conspiciebantur. Musæ, apud eundem capite 3. ejusdem libri: Ἐν μέσῳ δὲ τῆς ἀγορᾶς ἐστιν Ἀθηνᾶ χαλκῆ· τῷ βάθρῳ δὲ αὐτῆς ἐστι Μουσῶν ἀγάλματα ἐπειργασμένα. *In medio autem foro ænea est Minerva, ejusque basi insculptæ sunt Musarum imagines*. In Academia Athenis ad introitum luci Minervæ erat basis, cui verosimiliter olim imposita fuerat Deæ statua, illi autem insculptæ erant imagines Vulcani & Promethei Schol. Soph. ad Oed Col. vers. 56. Συντιμᾶται δὲ καὶ ἐν Ἀκαδημίᾳ τῇ Ἀθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ἥφαιστος· καὶ ἐστὶν αὐτῷ παλαιὸν ἵδρυμα καὶ ναὸς ἐν τῷ τεμένει τῆς θεοῦ. δείκνυται δὲ καὶ βάσις ἀρχαία κατὰ τὴν εἴσοδον, ἐν ᾗ τοῦ τε Προμηθέως ἐστὶ τύπος καὶ τοῦ Ἡφαίστου. *Honoratur etiam in Academia cum Minerva Prometheus quemadmodum & Vulcanus: estque illi antiqua statua & ædes dicata in luco Deæ. Ostenditur quoque ad ejus introitum basis antiqua, cui & Promethei & Vulcani figura inscripta est*. Vulcanus quare cum Minerva jungatur inferius docebimus: de Prometheo nemini id mirum accidere debet, qui homines

—— —— νηπίους ὄντας τὸ πρὶν
Ἔννους ἔθηκε, καὶ φρενῶν ἐπηβόλους.

—— —— *Imperiti cum antea essent,*
Sapientes fecit, mentisque compotes.

Quemadmodum de se ipse gloriatur apud Æsch. in cognomine Tragœdia vers. 430. Neuter tamen potestate æqualis erat Palladi, quæ proximos Jovi in cœlo honores obtinebat. Huc etiam refero figuram antiquo lapidi incisam apud Gruterum Thes. pag. MLXXIII. in ea conspicitur Anubius Crocodilo insistens. Jam vero notum, Ægyptios crocodilo etiam honores divinos tribuisse. Veteres non contenti Deorum quorundam statuas juxta se invicem collocare, aut eisdem basibus imponere, una sub imagine mixta duo plurave numina aliquando comprehenderunt. Ita Bacchum & Priapum, quorum imagines mutua gaudent vicinia apud Athen. lib. V. pag. 201. C. uno signo comprehendi docet Augustinus ad gemmas part. II. num. 13. Frequenter cum Mercurio miscebantur reliqui Dii, quando eorum statuæ ab inferiori parte quadratæ erant, atque ita Jovis Ammonis simulacrum fictum esse narrat Pausan. lib. VIII. cap. 32. Ἐστι δὲ ἄγαλμα Ἄμμωνος πρὸς τῇ οἰκίᾳ, τοῖς τετραγώνοις Ἑρμαῖς εἰκασμένον, κέρατα ἐπὶ τῆς κεφαλῆς ἔχον κριοῦ. *Est vero signum Ammonis ante domum, Hermis quadratis simile, cornua in capite habens arietis*. De Hermathenis autem, Hermeraclidibus, Hermerotibus, Hermaphroditis, & quæ hujus generis sunt alia, quantum sufficit notavit Sponius Misc. Erud. ant. Sect. I. art. 4. Imaginis ex Hercule Mercurio & Pane conflatæ exemplum est Anthol. lib. IV. pag. 477.

Τεισσοὺς ἀθανάτους χωρεῖ λίθος; ἁ κεφαλὰ γὰρ
 Μανύει τρανῶς Πᾶνα τὸν αἰγόκερων.
Στέρνα δὲ καὶ νηδύς, Ἡρακλέα· λοιπὰ δὲ μηρῶν
 Καὶ κνήμης Ἑρμῆς ὁ πτερόπους ἔλαχεν.

Tres immortales hic lapis continet: caput enim
 Indicat clare Panem caprinis cornibus insignem:
Pectus autem & ilia Herculem: at reliqua femorum
 Et genuum Mercurio alipedi obtigerunt.

Junonis imaginem e multis aliis compositam memorat Lucian. de Dea Syra pag. 782. Ἡ δὲ Ἥρη σκοπέοντί τοι πολυειδέα μορφὴν ἐκφανέει, καὶ τὰ μὲν ξύμπαντα ἀτρεκέϊ λόγῳ Ἥρη ἐστίν· ἔχει δέ τι καὶ Ἀθηναίης, καὶ Ἀφροδίτης, καὶ Σεληναίης, καὶ Ῥέης, καὶ Ἀρτέμιδος, καὶ Νεμέσιος, καὶ Μοιρέων. *Juno autem eam examinanti multiformis apparet, quamvis omnia revera Junonem exhibeant. Habet autem aliquid Minervæ, Veneris, Lunæ, Rheæ, Dianæ, Nemesis & Parcarum*. Adeo composita est illa imago, ut me non erraturum existimem si Pantheam esse pronuntiem, de quibus statuis consuli quoque potest Spon. Misc. Erud. Ant. Sect. I. art. 5. ut jam alios mittam qui dedita opera de Pantheis commentati sunt. Dicabant passim Diis cognatorum Deorum signa: Silenus & Satyrus Baccho sacri apud Gruterum pag. LXVI. num. 6.

LIBERO. AVG. SIGNVM
SILENI. ET. SATYRI
M. VLPIVS. ONESIPHORVS. ET
APPVLEIA. D. D. MARCELLA

Antholog. lib. VI. cap. 5.

Κισσοκόμᾳ Βρομίῳ Σάτυρον σεσαλαγμένον οἴνῳ
 Ἀμπελοεργὸς ἀνὴρ ἄνθετο Ληναγόρας

Hederigero Bromio Satyrum a vino casabundum
 Lenagoras vinitor dicavit.

Somnus Æsculapio Grut. pag. LXX. num. 8.

DEO. AESCVLAPIO. VAL. SYMPHORVS.
ET. PROTIS. SIGNVM. SOMNI
AEREVM. TORQVEM. AVREVM. EX.
DRACVNCVLIS.

Apollinis signum eidem consecratur in inscriptione apud Sponium Misc. erud. ant. Sect. IV. p. 132.

ΤΩ. ΣΩΤΗΡΙ. ΑΣΚΛΗΠΙΩ. ΣΩΣΤΡΑ. ΚΑΙ.
ΧΑΡΙΣΤΗΡΙΑ. ΝΙΚΟΜΗΔΗΣ. Ο. ΙΑΤΡΟΣ.
ΤΑΝ. ΠΑΙΔΟΣ. ΚΑΛΛΙΣΤΑΝ
ΕΙΚΩ. ΤΑΝΔΕ. ΘΕΟΙΟ
ΠΑΙΑΝΟΣ. ΚΟΥΡΟΥ. ΜΑΤΡΟΣ. ΑΠ. ΑΡΤΙΤΟΚΟΥ.

Æsculapio servatori dona pro salute adepta, & gratiarum actiones, Nicomedes medicus:

Hanc pulcherrimam imaginem pueri Dei
Pæanis a partu recentis &c.

Alia exempla, quæ bene multa ex antiquis monumentis produci poterant, sciens prætereo. Addendum tantum est, veteres quoque observasse, cum hominum imagines Diis dedicabant, ut illi Deo consecrarent, quocum ipsorum studia & officia maxime conveniebant: ita Mithridates Persa Platonis statuam Musis dedicavit. Diogen. Laert. lib. III. pag. 202. Ἐν δὲ τῷ πρώτῳ τῶν ἀπομνημονευμάτων Φαβωρίνου φέρεται, ὅτι Μιθριδάτης ὁ Πέρσης ἀνδριάντα Πλάτωνος ἀνέθετο εἰς τὴν Ἀκαδημίαν, καὶ ἐπέγραψε, Μιθριδάτης ὁ Ροδοβάτου Πέρσης, Μούσαις εἰκόνα ἀνέθηκε Πλάτωνος, ἣν Σιλανίων ἐποίησε. *In primo autem commentariorum Phavorini circumfertur, Mithridatem Persam statuam Platonis collocasse in Academia, & inscripsisse ipsi; Mithridates Rhodobati filius Persa, Musis dedicavit imaginem Platonis, quam Silanion fecit.* Orphei statua erat in Cereris Eleusiniæ fano apud Taygetum Pausan. lib. III. pag. 261. Οὐ πόῤῥω δὲ τῶν ἄκρων τοῦ Ταϋγέτου, Δήμητρος ἐπίκλησιν Ἐλευσινίας ἐστὶν ἱερόν. —— καὶ Ὀρφέως ἐστὶν ἐν αὐτῷ ξόανον. *Non longe a jugis Taygeti est fanum Cereris cognomento Eleusiniæ —— & Orphei in illo est imago lignea.* Recte profecto Plato Musis, & Orpheus Cereri consecratur, quorum ille homines Musarum, hic Cereris initia docuit. Huc pertinet, quod de duobus amantibus dicitur apud Theocr. Idyll. X. vers. 33.

Αἴθε μοι ἦς ὅσα Κροῖσόν ποκα φαντὶ πεπᾶσθαι,
Χρύσεοι ἀμφότεροι κ' ἀνεκείμεθα τᾷ Ἀφροδίτᾳ.

Utinam mihi tot bona suppeterent, quot Croesum possedisse ferunt.
Ambo certe Veneri consecrati aurei ipsius in templo conspiceremini.

Adde Amatoris apud Alciphronem verba Epist. 38. lib. I. Καὶ εἰ συνελθοῦσαι ἅπασαι πανταχόθεν εἰκόνα τινὰ αὐτῆς ἐν Ἀφροδίτης ἢ Χαρίτων θεῖεν, δέξιον αὖ τι μοι ποιεῖν δοκοῦσιν. *Et si omnes undique meretrices concurrentes, signum aliquod Bacchidis in Veneris aut Charitum dedicarent, egregium hercules aliquid mihi facere viderentur.* Quivis sentit quam belle conveniat, ut duo amantes in Veneris, & pulchra meretrix in ejusdem aut Charitum delubro collocentur. Sed de statuis Deorum, & de notis cognationis, quæ in illis observantur, tantum est.

CAP. XIV.

Luci, præsertim aquis irrigui, in Nympharum erant tutela. Sæpe alicui Deo singulari dicabantur, quin aliquando communiter duobus. Pausanias emendatur: Urbes singulas singulis Diis ut plurimum sacras fuisse ex litibus super ea re exortis unicuique innotuit. Cecrope autem in Attica regnante primum hoc jus in urbes sibi sumserunt Dii. Plures aliquando Dii una in urbe colebantur, qui συνοικεῖν *recte dicuntur.*

Non templis tantum & aris & statuis superstitiosa gentilium natio fictos suos Deos sociabat, verum etiam amplius spatium tribuentes, septa & lucos ipsis communes, imo urbes & integras regiones consecrarunt. Luci sub tutela Nympharum, imprimis si aquæ copia adesset, esse censebantur. Ut enim viæ Mercurio, litora Neptuno, ita fere Nymphis loca arboribus consita & aquis irrigua tribui solebant. Elegans est hanc in rem locus Strabonis lib. VIII. pag. 528. B. Μεστὴ δ' ἐστὶν ἡ γῆ πᾶσα Ἀρτεμισίων, καὶ Ἀφροδισίων, καὶ Νυμφαίων ἐν ἄλσεσιν, ἀνθέων τὸ πολὺ διὰ τὴν εὐυδρίαν. συχνὰ δὲ καὶ Ἑρμεῖα ἐν ταῖς ὁδοῖς, Ποσείδεια δ' ἐπὶ ταῖς ἀκταῖς. *Plena est tota regio Dianæ, Veneris & Nympharum templis in lucis, quæ ut plurimum dedicantur propter aquarum abundantiam: frequentia Mercurii in viis, at Neptuni delubra in litoribus conspiciuntur.* Crebro autem luci Deo alicui singulari erant sacri, nec uni semper, sed quemadmodum in templis fieri demonstravimus, aliquando pluribus. Exemplum est apud Pausan. lib. VII. pag. 577. Ἐστι δὲ καὶ ἀγάλματα τοῦ λιμένος, ἐγγυτάτω χαλκοῦ πεποιημένα Ἄρεως· τὸ δὲ Ἀπόλλωνος καὶ Ἀφροδίτης. Πρὸς τῷ λιμένι δὲ ἐστι τέμενος· λίθου μὲν πρόσωπον καὶ ἄκραι χεῖρες καὶ πόδες, ξύλου δὲ τὰ λοιπὰ εἴργασται. Ἐστι δὲ σφισι καὶ ἄλσος ἐπὶ θαλάσσῃ. Integrum adscripsi locum, ut luxatum obiter reponerem. Lego: Ἐστι δὲ καὶ ἀγάλματα τοῦ λιμένος ἐγγυτάτω χαλκοῦ πεποιημένα Ἄρεως καὶ Ἀπόλλωνος· τῶ δὲ Ἀφροδίτης λίθου μὲν πρόσωπον καὶ ἄκραι χεῖρες καὶ πόδες, ξύλου δὲ τὰ λοιπὰ εἴργασται. Πρὸς τῷ λιμένι δὲ ἐστι τέμενος. Ἐστι δὲ σφισὶ καὶ ἄλσος ἐπὶ θαλάσσῃ. *Visuntur quoque prope portum signa ex ære facta Martis & Apollinis: at Veneris simulacri e lapide quidem facies, manus extremæ & pedes, ex ligno autem reliqua confecta sunt. Prope portum est delubrum. Habent quoque lucum ad mare.* Aliter quidem hæc emendat Kuhnius, a quo viro dissentire mihi fere religio est; sed nimis multa ex conjectura addit, cum ego vix quicquam immutem, & antiqua tantum vocabula trasponam. In alterius Dei septo aut luco non raro cognati numinis templa dedicabant. Somni & Apollinis ædes in Æsculapii septo apud Pausan. lib. II. pag. 134. Ἐντεῦθέν ἐστιν ὁδὸς ἐς ἱερὸν Ἀσκληπιοῦ· παρελθοῦσι δὲ ἐς τὸν περίβολον ἐν ἀριστερᾷ, διπλοῦν ἐστιν οἴκημα· κεῖται δὲ Ὕπνος ἐν τῷ προτέρῳ· τὸ ἐνδοτέρω Ἀπόλλωνι ἀνεῖται Καρνείῳ. *Inde via tendit ad sacrum Æsculapii: in septum penetrantibus ad sinistram gemina est ædes: in priore stat Somnus, interior dicata est Apollini Carneo.* Adde Schol. Soph. ad Oed. Col. vers. 56. De Prometheo loquitur: Καὶ ἐστὶν αὐτῷ παλαιὸν ἵδρυμα καὶ ναὸς ἐν τῷ τεμένει τοῦ θεοῦ. *Est quoque antiqua ipsius statua & templum in luco Deæ.* De statuis quidem & aris Deorum in focii luco collocatis exempla non desunt; sed ad alia mihi jam pergendum est. Urbes singulis numinibus sæpe olim sacras fuisse quis ignorat? Historiæ certe discidiorum super ea re exortorum abunde id evincunt. Neminem credo latet discidium Neptuni & Palladis de Athenarum urbe, quod eleganter describit D. Au-

gustin. de Civ. Dei lib. XVIII. cap. 9. Trium Deorum Apollinis, Dianæ & Herculis ſuper Ambracia litem, ex qua judice Cragaleo victor evaſit Hercules, refert Anton. Liber. Metam. fab. IV. Forte tamen non omnibus æque innotuit, Cecrope in Attica regnante, Deos primum id jus in urbes ſibi vindicaſſe, cujus obſervationis auctorem habeo Apollod. lib. III. cap. 13. §. 1. Ἐπὶ τούτου φασὶν ἔδοξε τοῖς θεοῖς πόλεις καταλαβέσθαι, ἐν αἷς ἔμελλον ἔχειν τιμὰς ἰδίας ἕκαστος. *Hoc Cecrope regnante perhibent viſum eſſe Diis urbes adſumere, in quibus proprios quiſque honores eſſet accepturus*. Plurimæ autem fuerunt urbes duobus Diis ſacræ, ita Corinthus Soli & Neptuno: Dion Chryſoſt. Orat. XXXVII. pag. 457. C. Ἄργος μὲν Ἥρας, Ἀθηνᾶς δὲ Ἀθῆναι ϗ αὐτῶν γε τούτων θεῶν, Ῥόδος μὲν Ἡλίου, Ὀγχηστὸς δὲ Ποσειδῶνος, Κόρινθος δὲ ἑκατέρων. Τρὶς δέκα τοι πτολίετρα ϗ οὐχ ἕνα πυργονόγόπάσσω. *Argos quidem habet Juno, Minerva Athenas, & hi ipſi Dii, Sol Rhodum, at Onchestum Neptunus, Corinthum vero uterque*. Appoſite Callim. Hymno in Dian. verſ. 33. Alloquitur Dianam Jupiter:

> *Τρὶς δέκα τοι πτολίετρα ϗ οὐχ ἕνα πύργον ὀπάσσω.*
> *Τρὶς δέκα τοι πτολίετρα, τὰ μὴ θεὸν ἄλλον ἀέξειν*
> *Εἴσεται, ἀλλὰ μόνην σε, ϗ Ἀρτέμιδος καλέεσθαι.*
> *Πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας διαμετρήσασθαι,*
> *Μεσσόγεως, νήσους τε· ϗ ἐν ἀπάσῃσιν ἔσονται*
> *Ἀρτέμιδος βωμοί τε ϗ ἄλσεα. ——*
> *Tredecim tibi urbes & multa tradam caſtella:*
> *Tredecim ſane urbes quæ nullum aliud numen*
> *Colent, ſed ſolius Dianæ nomen invocabunt.*
> *Multas vero urbes communiter partiendas dabo,*
> *Mediterraneas quoque regiones & inſulas: in omnibus autem erunt*
> *Dianæ aræ & delubra. ——*

Recte vero numina illa, quorum ſacra in eadem urbe celebrabantur, *συνοικεῖν* dicas, juxta Æſchyli verſus in Eumen. verſ. 920. ubi Chorus Furiarum, poſtquam ipſis Minerva receperat præcipuo cultu Athenis in poſterum honoratum iri, dicit:

> *Δέξομαι Παλλάδος ξυνοικίαν*
> *Οὐδ' ἀτιμάσω πόλιν. ——*
>
> *Accipiam Palladis contubernium*
> *Neque civitatem lædam. —*

Ordo nunc poſtulat ut de Regionibus Diis conſecratis quædam moneamus.

Cap. XV.

Regio unaquæque Deum habebat præſidem, qui ἐστιοῦχος dicebatur. Plures aliquando una in regione colebantur. Habebantur illi Dii conjuncti: ideo Neptunus & Minerva, Nemeſis & eadem uno in templo collocantur. Caſaubonus contra Salmaſium defenditur. Σύγχορτος conterminus, *de regionibus & hominibus uſurpatur, atque inde* ſocium *denotat: opponitur ipſi* δύσχορτος inacceſſus. *Omnes Ægypti Dei quia in eadem regione colebantur πάρεδροι, σύμβωμοι & σύνναοι erant. Imo & σύνθρονοι. Inſcriptio explicatur. Quando plures Dii uni præerant regioni, maximus ex illis ὕπατος χώρας vocabatur.*

Unamquamque regionem ſuum habuiſſe Deum præſidem exemplis facile evinci poteſt. Bœotia Neptuno erat ſacra teſte Scholiaſte antiquo Hom. ad Iliad. E. verſ. 422. Ἡ Βοιωτία ὅλη ἱερὰ Ποσειδῶνος, *Tota Bœotia Neptuno ſacra eſt*. Sed ne multa hic loca in unum conferam facit Sidonius Apollin. qui Carm. IX. verſ. 165. catalogum exhibet plurimarum regionum, urbium & locorum, quæ ſingula in alicujus Dei tutela erant poſita:

> *Non divos ſpecialibus faventes*
> *Agris, urbibus inſuliſve canto,*
> *Saturnum Latio, Jovemque Cretæ,*
> *Junonem Samo, Rhodoque Solem,*
> *Ennæ Perſephonem, Minervam Hymetto,*
> *Vulcanum Liparæ, Papho Dionem,*
> *Argis Perſea, Ilioque Veſtam,*
> *Thymbræ Delion, Arcadem Lycæo,*
> *Martem Thracibus, ac Scythis Dianam.*

Numen vero quod regioni præerat ejus *ἐστιοῦχον* nonnunquam dicebatur, ſic in Eurip. Suppl. v. 1.

> *Δήμητερ ἑστιοῦχ' Ἐλευσῖνος χθονός.*
>
> *Ceres tutelaris Dea Eleuſiniæ regionis.*

Sed plures aliquando Deos una in regione præcipuo cultu venerabantur. Colligo hoc e Callimachi verbis ſupra laudatis.

> *Πολλὰς δὲ ξυνῇ πόλιας διαμετρήσασθαι,*
> *Μεσσόγεως, νήσους τε. ——*
>
> *Multas vero urbes tibi communiter cum aliis dividendas dabo,*
> *Mediterraneas regiones, & inſulas.*

Attica Neptuno & Minervæ ex æquo erat ſacra, inde ipſius populum deſcribens Sophocl. Oed. Col. verſ. 1062. ait:

> *—— Οἳ τὰν ἱππίαν*
> *Τιμῶσιν Ἀθάναν,*
> *Καὶ τὸν πόντιον Γαιάοχον,*
> *Ῥέας φίλον υἱόν.*
>
> *—— Qui equeſtrem*
> *Colunt Minervam,*
> *Et maris Deum Neptunum*
> *Dilectum Rheæ filium.*

Κατ' ἐξοχὴν ideo vocabantur *θεὸς ϗ θεὰ Deus & Dea*, quo pacto iſta, ni fallor, ſunt intelligenda in epigrammate lapidis antiqui apud Gruterum p. CCCXVII. n. 3. collata pag. LXXIX. n. 6.

ΑΓΑΘΗ ΤΥΧΗ
ΕΠΙ ΚΛ. ΑΤΤΑΛΟΥ ΑΡ
ΧΟΝΤΟΣ ΚΟΣΜΗΤΗΣ
ΕΦΗΒΩΝ ΙΕΡΕΥΣ ΘΕΟΥ
ΚΑΙ ΘΕΑΣ ΕΙΡΗΝΑΙ
ΟΣ Ο ΠΑΙΑΝΙΕΥΣ.

Nulla alia dari poteſt ratio quare communi in templo divini honores utrique perſoluti ſint. Ita apud Plut. Symp. lib. IX. problem. 6. Ἐνταῦθα γοῦν ϗ νεὼ κοινωνεῖ μετὰ τῆς Ἀθηνᾶς. *Athenis igitur ſocio in templo cum Minerva colitur Neptunus*. Ex his quoque explico, cujus rei hactenus aliam cauſam invenire non potui, quid moverit Atticum Rhetorem Herodem, ut in conſecratione agri ſui *συννάους* fecerit Palladem & Nemeſim. Quia nimirum in Attica utrique Deæ ſingularis prope honor habitus eſt. Minervæ Athenis, Nemeſi in ejuſdem regionis pago Rhamnunte. Non tempero quominus hac occaſione Iſ. Caſaubonum contra Cl. Salmaſium, qui eum injuria corripuit, pro virili mea defendam. Ridebis, mi lector, me tantillum duobus maximis viris

judicem ſedere; ſed hoc mihi non ſumo, & meam tantum ſententiam propono, quam ſequi & repudiare tibi integrum erit. Salmaſius ad principium conſecrationis agri Herodis Attici ſcribit: *Minervam & Nemeſin συγχόρτυς in eodem loco colendos inſtituiſſe Herodem ad hunc locum ſcripſit vir eruditiſſimus. συγχόρτυς θεὺς adhuc non legi. Σύνναοι & σύμβωμοι dicebantur qui in eodem templo eademque ara poſiti ſimul colebantur. Hos συγχόρτυς qui vocet, aut poetam aut oratorem aliquem nondum vidi*. Recte maxime Salmaſi dicis nuſquam συγχόρτυς Deos vocari, qui in eiſdem aris aut templis colebantur, & audacter id tecum affirmare auſim, quod enim tu non legiſti nuſquam extat. Sed Dii quominus σύγχορτοι vocentur quid vetat, cum homines etiam σύγχορτοι dicantur? Χόρτος Græcis proprie eſt *terminus*: e calamis, aut ſtramine, quo agri, tanquam muro, a ſe invicem dividebantur; ſignificat etiam caularum parietes, qui ex eadem erant materia. Auctor Etymol. magni: Χόρτος αὐλῆς ὁ τ̃ αὐλῆς ὅρος. Inde σύγχορτος, quod reſpondet Latino *conterminus*. Eurip. in Herc. Fur. verſ. 371.

Καὶ Πηλιάδες Θεράπναι,
Σύγχορτοί τ' Ομόλας ἔναυλοι
Πεύκαις. —— ——

Et Peliacæ Therapnæ,
Vicinique Homoles inhabitantes
Pinus. —— ——

Et σύγχορτα πεδία *vicini campi* apud Strab. lib. VIII. pag. 577. A.

—— —— Οἰνόη
Σύγχορτα ναίειν πεδία τᾶς τ' Ελευθερίας.

—— —— *Oenoæ*
Vicinos incolere campos & Eleutheriis.

Similiter σύγχορτος χθὼν *regio contermina* Æſchylo Suppl. verſ. 6.

—— Δίαν τε λιποῦσαι
Χθόνα σύγχορτον Συρίᾳ φεύγομεν.

—— *Et ſacram linquentes*
Regionem Syriæ conterminam fugimus.

Ne omittas ad hunc locum Stanleii notas inſpicere. Ab hac vero, alia ſignificatio deducenda, qua σύγχορτοι dicuntur *ſocii, comites qui una victitant*: illi enim quam maxime ſunt *vicini*. Hac poteſtate verbo uſus eſt Orpheus in Argon. verſ. 191.

Ηλυθε δ' αὖ μετὰ τοῖσι Μενοίτιος ἐξ Οπόεντος
Σύγχορτος Μινύαις. ——

Venit autem cum illis Opunte Menœtius
Ut comes eſſet Minyarum. ——

Vocabulo σύγχορτος opponitur δύσχορτος, *qui terminum habet acceſſu difficilem*. Ita οἴκους δυσχόρτους *inacceſſas domos* vocavit Eurip. Iphig. in Taur. verſ. 219.

Αἶ, αἶ, νῦν δ' ἀξείνου πόντου ξείνα,
Δυσχόρτους οἴκους ναίω.

Heu, Heu, nunc axeni ponti hoſpes,
Acceſſu difficiles domos incolo.

Dixit igitur Caſaubon. Herodem συγχόρτυς Deos, id eſt *vicinos*, una in regione habitantes, in eodem loco colendos inſtituiſſe: non enim unquam credo exiſtimavit, ne ſomnians quidem, Deos συννάυς & συμβώμυς etiam vocatos eſſe συγχόρτυς. Recte vero illud a Caſaub. obſervatum eſt: nam præter exempla, quæ adduximus ad demonſtrandum ejuſdem regionis Deos ſocios eſſe habitos & ſuper aris & in templis conjunctos fuiſſe, multa produci poſſunt alia. Ita omnes in Ægypto Dii erant conjuncti, quod in eadem regione colerentur. Inde Oſiridis πάρεδροι dicuntur Diod. Sic. lib. I. pag. 32. Frequenter σύνναοι vocantur & σύμβωμοι, ut in marmore antiquo apud Ampliſſ. Cuperum Harpocr. pag. 148.

ΙΣΙΔΙ ΣΕΡΑΠΙΔΙ ΑΝΟΥΒΙΔΙ
ΑΡΠΟΚΡΑΤΕΙ ΘΕΟΙΣ ΣΥΝ
ΝΑΟΙΣ ΚΑΙ ΣΥΜΒΩΜΟΙΣ
ΕΥΧΗΝ

Egregius eſt locus Artemid. Oneirocr. lib. II. c. 24. Σάραπις καὶ Ισις καὶ Ανυβις καὶ Αρποκράτης, αὐτοί τε καὶ τὰ ἀγάλματα αὐτῶν, καὶ τὰ μυςήρια, καὶ πᾶς ὁ περὶ αὐτῶν λόγος, καὶ τῶν τούτοις συννάων τε καὶ συμβώμων θεῶν ταραχὰς καὶ κινδύνυς ἀπειλὰς καὶ περιςάσεις σημαίνυσι. *Serapis, Iſis, Anubis & Harpocrates ipſi & ſimulacra ipſorum & myſteria & denique omnia quæ ad illos pertinent, & ad* συννάυς *&* συμβώμυς *Deos, turbas, pericula, minas & moleſtias portendunt.* Optime Sponius, qui Miſc. erud. ant. pag. 19. hæc citans addit: *Dii ipſis* Synnai *erant, Oſiris, Bubaſtis, Apis & Horus*. Ita in templo Iſidis & Serapidis Harpocratem fuiſſe docet D. Auguſt. de Civ. Dei lib. XVIII. cap. 5. *Et quoniam fere in omnibus templis ubi colebantur Iſis & Serapis: erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videretur, ut ſilentium fieret.* Sæpe in marmorum antiquorum inſcriptionibus Serapidi adduntur σύνναοι Dii. Apud Spon. Miſc. erud. ant. pag. 329.

ΜΑΡΚΟΥ ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΑΛΕΞΑΝ-
ΔΡΟΥ
ΕΥΤΥΧΟΥΣ ΕΥΣΕΒΟΥΣ ΣΕΒ. ΚΑΙ ΙΟΥΛΙΑΣ
ΜΑΜΑΙΑΣ
ΣΕΒΑΣΤΗΣ ΜΗΤΡΟΣ ΣΕΒ. ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑ-
ΛΩ
ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ.

Et Reineſium Claſſe I. num. 199. collato n. 290.

ΔΙΙ ΗΛΙΩ ΜΕΓΑΛΩ ΣΑΡΑΠΙΔΙ ΚΑΙ
ΣΥΝΝΑΟΙΣ ΘΕΟΙΣ.

Alias bene multas inſcriptiones, idem teſtantes omitto. Addo tantum Ægypti Deos, quemadmodum erant omnes σύνναοι & σύμβωμοι, imo & πάρεδροι, ita quoque συνθρόνυς fuiſſe. Sic apud Gruterum pag. MLXXIII. n. II.

ΘΕΟΙΣ. ΑΔΕΛΦΟΙΣ
ΣΥΝΘΡΟΝΟΙΣ. ΤΟΙΣ
ΕΝ. ΑΙΓΥΠΤΟΥ
ΘΕΟΙΣ
ΙΣΙΑΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ
ΑΝΕΘ

Hinc explico a multis ad partes vocatam inſcriptionem; ſed a paucis, credo, intellectam: Grut. p. LXXXVI. n. I.

ΑΝΤΙΞΟΩΙ
ΣΥΝΘΡΟΝΩΙ ΤΩΝ
ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΘΕΩΝ
Μ. ΟΥΑΠΙΟΣ ΑΠΟΛΛΟΝΙΟΣ
ΠΡΟΦΗΤΗΣ

Hic plerumque ſibi fingunt Antinoum Conſentibus additum; ſed fruſtra: quid enim tunc fiet illis Ægyptiis Diis? Ego prorſus crediderim Antinoum *σύνθρονον* Ægypti Deorum dictum, quod ipſe Ægyptius eſſet Deus. Profecto ei ſacra in Ægypto erat urbs, olim Beſa, deinceps ab ejus nomine Antinous, ſive etiam compoſite Beſantinous dicta. Cum autem plures Dii una in regione colebantur, ille quem potiſſimum honore proſequebantur, *ὕπατος χώρας ſummus regionis* dicebatur: Æſch. in Agamemn. verſ. 518.

Νῦν χαῖρε μὲν χθὼν, χαῖρε δ' ἡλίου φάος,
Ὕπατος τε χώρας Ζεὺς, ὁ Πύθιός τ' ἄναξ.

Nunc tu ſalve terra, ſalve ſolis lumen,
Et maximus regionis Deus Jupiter, & Pythius rex

Atque hæc de Diis in eiſdem regionibus cultis a me dicta volo.

CAP. XVI.

Diis conjunctis eodem tempore ſacra faciebant, ita Cereri & Telluri, Helenæ & Caſtoribus. In partem ſacrificii Rheæ vocantur ejus πάρεδροι Titias & Cyllenus. Deo cuivis aliquid dedicantes ſæpe ipſi ſocios Deos addebant. In laudibus Deorum, cum illo cujus in honorem carmen compoſitum erat, crebro etiam conjuncta ei numina celebrabant.

Hoc capite obſervo, frequenter Græcos & Romanos, cum alicui Deo ſacra facerent, aut aliquid conſecrarent, eodem tempore numinum ipſi conjunctorum quoque rationem habuiſſe. Videtur id colligi poſſe ex Ovid. Faſt. lib. I. verſ. 671.

Placentur matres frugum Telluſque Cereſque
Farre ſuo, gravidæ viſceribuſque ſuis.
Officium commune Ceres & terra tuentur.
Hæc præbet cauſam frugibus, illa locum.

Diceres eum poſteriore diſticho cauſam afferre ritus, quem in priore memoraverat: quare nimirum Tellus & Ceres eodem tempore eſſent placandæ. Idem adſtruitur quoque ex collatione duorum locorum Euripidis, quorum alter eſt in Hel. verſ. 1683. de Helena loquitur:

Ὅταν δὲ κάμψῃς, καὶ τελευτήσῃς βίον,
Θεὸς κεκλήσῃ, καὶ Διοσκόρων μέτα
Σπονδῶν μεθέξεις· ξένιά τ' ἀνθρώπων πάρα
Ἕξεις μεθ' ἡμῶν. ——

Ubi vero metam ſuperaveris, & finem conſecuta fueris vitæ
Dea fies, & cum gemino Caſtore
Tibi ſacrificabitur, atque ab hominibus facta peregrinantibus vota
Quemadmodum nobis ita quoque tibi perſolventur.

In Oreſte alter verſ. 1638. de eadem loquitur.

Ζηνὸς γὰρ οὖσαν, ζῆν νιν ἄφθιτον χρεὼν,
Κάστορί τε Πολυδεύκει τ' ἐν αἰθέρος πτυχαῖς
Σύνθακος ἔσται. ——

Cum enim Jovis ſit filia eam immortalem eſſe oportet,
Et Caſtori & Polluci in ætheris receſſibus
Adſidebit. ——

Apud Apollon. Rhod. lib. I. verſ. 1125. Argonautæ ſacrum Deorum Matri inſtituentes in ejus partem quoque vocant Titiam & Cyllenum magnæ Deæ comites:

Βωμὸν δ' αὖ χεράδος παρενήνεον· ἀμφὶ δὲ φύλλοις
Στεψάμενοι δρυΐνοισι θυηπολίης ἐμέλοντο,
Μητέρα Δινδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες,
Ἐνναέτιν Φρυγίης, Τιτίην θ' ἅμα, Κύλληνόν τε
Οἳ μοῦνοι πολέων μοιρηγέται, ἠδὲ πάρεδροι
Μητέρος Ἰδαίης κεκλήαται, ὅσσοι ἔασι
Δάκτυλοι Ἰδαῖοι Κρηταιέες. ——

Aram e lapidibus congeſtis exſtruxerunt, & quum foliis
Quernis cinxiſſent, ſacris operam dederunt,
Matrem venerandam Dindymenem invocantes,
Phrygiæ incolam, & una Titiam Cyllenumque,
Qui ſoli multorum Duces, & adſeſſores
Matris magnæ audiunt, quotquot ſunt
Dactyli Idæi Cretenſes. ——

Præcipue hanc obſervationem firmat Plut. Sympoſ. lib. VII. Quæſt. 6. pag. 708. C. Καὶ καθάπερ οἱ θεῷ θύοντες ἅμα συμβώμοις καὶ συννάοις κοινῶς συνεπεύχονται, καὶ καθ' ἕκαστον ἐκείνων μὴ ὀνομάζοντες. *Et quemadmodum illi qui Deo ſacrificant, pariter quoque ejus συμβώμοις & συννάοις ſupplicant, licet ſingulos nominatim non compellent &c.* In inſcriptione apud Gudium pag. LV. num. 13. aram Nemeſi & συννάοις θεοῖς ſive *ſociis Diis* dicatam legimus:

ΔΕΣΠΟΙΝΗ. ΝΕΜΕΣΕΙ
ΚΑΙ. ΣΥΝΝΑΟΙΣΙ. ΘΕΟΙΣΙ
ΑΡΡΙΑΝΟΣ. ΒΩΜΟΝ
ΤΟΝΔΕ. ΚΑΘΙΔΡΥΣΑΤΟ

Ita ſuperiori capite attulimus exempla, in quibus quædam res Serapidi ejuſque συννάοις & συμβώμοις Diis conſecrabantur. Quando Hymnos in honorem Dei alicujus aut Deæ canebant, frequenter ſimul ejus ſociis laudes impertiebant: ita apud Pindarum Pythion. Ode III. verſ. 138. puellæ Panem & Rheam carminibus tota nocte dicuntur celebrare.

Ἀλλ' ἐπεύξασθαι μὲν ἐγὼν ἐθέλω
Ματρὶ, τὰν κοῦραι παρ' ἐμὸν πρόθυρον
Σὺν Πανὶ μέλπονται θαμὰ
Σεμνὰν θεὸν ἐννύχιαι.

Sed invocare volo
Matrem, quam virgines prope meum veſtibulum
Cum Pane canunt frequenter,
De nocte, venerandam Deam.

Egregie Scholiaſt. Οὐχ ὅτι αἱ κόραι σὺν τῷ Πανὶ χορεύουσι καὶ ἀνυμνοῦσι τὴν Ῥέαν, ἀλλὰ τὴν Ῥέαν καὶ τὸν Πᾶνα ἀνυμνοῦσι· πάρεδρος γὰρ ὁ Πὰν τῇ Ῥέᾳ. *Non quia puellæ cum Pane choreas ducunt & Rheam celebrant; ſed Panem & Rheam ſacris laudibus proſequuntur: Comes enim Rheæ eſt Pan.* Eleganter auctor incertus Hymni cujuſdam in Nemeſin, qui legitur ad calcem editionis Arati Oxonienſis A. C. MDCLXXII. cum Nemeſi πάρεδρον ipſius Juſtitiam celebrat v. 16.

Νέμε-

Νέμεσιν θεὸν ἄδομεν ἀφθίταν,
Νημερτέα, καὶ πάρεδρον Δίκαν,
Δίκαν τανυσίπτερον, ὀμβρίμαν &c.

Nemesin Deam canimus incorruptam,
Veracem, & sociam Justitiam,
Justitiam alatam, potentem &c.

Hac ratione hosce versiculos antea deformes pristino nitori feliciter restituit elegantissimus Burette, *Memoires literaires de l' A.R. des belles lettres Tom.* VIII. *pag.* 290.

CAP. XVII.

Triplex fuit gentilium Theologia, mythica, moralis & physica; hinc triplicis ordinis rationes, quibus adducti varios Deos conjunxerunt. Inter illas, quæ ex fabulis antiquis petendæ sunt, præcipua est Cognatio. Sociabantur quoque Dii quorum munia, dum vivebant, paria erant. Hercules vates & medicus. Tertio loco copulabantur propter similia inventa: & quarto denique, qui mutua sibi officia præstiterant.

POstquam varias Deos conjungendi rationes, & quinam socii a veteribus habiti fuerint indicavimus, nunc eo deventum erat, ut catalogum talium Deorum exhiberemus; sed non a re alienum futurum duxi, si in antecessum quædam de causis præfarer, quibus permoti hæc vel illa numina sociarunt.

Duplici fere ex fonte omnes gentilium Dii profluxere: aut enim solem, lunam aliaque corpora, aut ipsos homines divinis honoribus prosecuti sunt. Superius illud genus coluerunt propter commoda ex ipsorum naturalibus virtutibus ad universos homines redundantia. Solem lumine suo reficere, calore omnia fovere, Lunam & stellas, solis absentis solatia, ejus vices implere videbant: imo vi sua & tactu non parvas rebus humanis adferre mutationes existimabant. De altero hoc genere, homines dico, illi cœlo adscripti sunt, qui eximiis virtutibus supra vulgus eminebant, & quorum in omnes homines, atque in rempublicam singularia officia & merita extabant. Horum vitam & res gestas narrantes, quemadmodum hominibus fere innatum est veris falsa, magnis facinoribus alia fidem superantia addere, ita illis quævis miracula sequentibus temporibus adscripserunt. Atque hæ fabulæ, imprimis a Poetis profectæ, Theologiam mythicam seu fabularem constituunt. Sapientiores tamen e gentilibus, quorum ingenium ad ficta a Poetis portenta non stupebat, facile spurias illas Historias agnoverunt, neque tam homines ipsos, sed virtutes quæ de illis prædicabantur venerati sunt, ut in Minerva sapientiam, in Vulcano industriam, in Hercule fortitudinem. Hæc est Theologia quæ moralis dicitur. Cum vero duo numinum genera supra nominata, licet originis diversissimæ, paulatim confunderentur, & virtutes solis & lunæ aliorumque corporum causæ naturales, hominibus istis cœlo adscriptis attribuerentur, nec abs Sole Apollo, a Luna Diana, neque ab aere distingueretur Juno, tertius de Diis ratiocinandi modus obtinuit, physicam Theologiam vocant. Jam vero quemadmodum triplex fuit gentilium Theologia, ita propter totidem rationum genera Deos suos consociarunt: illæ enim sunt mythicæ, morales, aut physicæ. Inter rationes consortii e fabulari Theologia arcessendas, primum locum obtinet cognatio. Supra notavimus Latonam Apollinis matrem & Venerem Juliæ gentis auctorem, hanc in D. Cæsaris illam in Apollinis templo recte collocatam fuisse. Apprime eandem in rem facit locus Arriani in Periplo Ponti Eux. pag. 114. quem mihi indicavit doctor meus P. Wesseling, haud ignobile in orbe litterato nomen. *Εἰ δέ σοι δοκεῖ, πέμψον μοι πεντάπουν μάλιστα Ἑρμοῦ ἄγαλμα· τηλικοῦτον γάρ μοι δοκεῖ ἔσεσθαι ὥς γε πρὸς τὸν νεὼν σύμμετρον· καὶ ἄλλο τοῦ Φιλησίου τετράπουν, οὐ γὰρ ἀπὸ τρόπου δοκεῖ μοι σύνναος καὶ σύμβωμος ἔσεσθαι τῷ προπάτορι· καὶ ὁ μέν τις τῷ Ἑρμῇ, ὁ δὲ τῷ Φιλησίῳ, ὁ δὲ καὶ ἀμφοῖν, θύσει παριών. Χαριοῦνται δὲ καὶ οὗτοι κἀκεῖνοι τῷ τε Ἑρμῇ καὶ τῷ Φιλησίῳ· τῷ μὲν Ἑρμῇ, ὅτι τὸν ἔγγονον αὐτοῦ τιμῶσι· τῷ δὲ Φιλησίῳ, ὅτι τὸν αὐτοῦ προπάτορα.* *Si tibi placet, mitte mihi signum Mercurii, quinque ad summum pedum: tale enim videtur, ad templi magnitudinem ratione habita, conveniens futurum, & aliud Philesii quatuor pedum: non enim absonum mihi videtur si eodem in templo & super eadem ara cum avo colatur. Forte aliquis Mercurio, alius Philesio, tertius ambobus sacra faciet in transitu. Omnes autem Mercurio & Philesio rem gratam facient, Mercurio quidem quod nepotem, at Philesio quod avum venerantur.* Ita quoque junguntur Ceres & Proserpina, mater & filia, Jupiter & Neptunus fratres. Vulcanus & Minerva teste Platone in Critia pag. 502. vers. 37. Ἥφαιστος *δὲ κοινὴν καὶ* Ἀθηνᾶ *φύσιν ἔχοντες, ἅμα μὲν ἀδελφὴν, ἐκ ταυτοῦ πατρός.* *Vulcanus & Minerva communi natura præditi, Germani etiam ex eodem patre.* Bacchi & Herculis convenientiam ostendens poeta Anthol. lib. IV. pag. 466. notat utrumque Jove prognatum esse:

Ἀμφότεροι Θήβηθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταὶ
Κἠκ Ζηνός. —— ——

Ambo Thebani, & ambo bellatores
Et ex Jove. —— ——

Castor & Pollux, quod gemini essent, conjungebantur: Rutilius Numat. Itin. I. vers. 155.

Pande precor gemino placatum Castore pontum.

Apollo similiter & Diana gemini: hinc *geminum numen* vocantur a Seneca in Herc. Fur. vers. 905.

Geminumque numen Phœbus & Phœbi soror.

Sociantur quoque Pluto & Proserpina, quos Poetæ matrimonii vinculo conjunctos esse perhibent, & æqualiter inferis imperare, inde *Tartarei Reges* audiunt Lucano lib. VI. vers. 651.

—— Quo non metuant emittere manes.
Tartarei reges, ——

Propter alias quoque rationes e fabulari Theologia repetendas, conjungebantur Dii. Ita Apollo & Bacchus, quia ambo perpetua juventute vigebant & quoniam uterque intonsis crinibus erat decorus. Potissimum vero, qui similia, dum his in terris degebant, obierant munia. Sic Hercules & Apollo, quem utrumque eodem tempore Admeti Pheretis filii armenta egisse fabulantur, teste D. Augustino de Civit. Dei lib. XVIII. cap. 13. *His temporibus Latona peperit Apollinem, non illum cujus oracula solere consuli superius loquebamur; sed illum, quem cum Hercule ferunt Admeti regis armenta pavisse.* Vaticinandi peritia uterque excelluit, de Apolline notum est, de Hercule adfirmat

Plut. de EI apud Delph. pag. 387. D. Ἐπεὶ προϊὼν γε τῷ χρόνῳ ὁ θεὸς ἔοικε μαντικώτατος ὁμοῦ γενέσθαι καὶ διαλεκτικώτατος. *Quandoquidem interjecto tempore, & ipse Hercules videtur vaticinandi simul & ratiocinandi peritia excelluisse*. Imo eos in illa arte profectus fecit, ut cum Λοξίᾳ, ipso Apolline fatidico, de tripode disceptaverit, quod forte etiam, quæ ejus erant vires, abstulisset, nisi utrumque fulmine intermedio separasset Jupiter, quemadmodum alicubi hanc historiam me legisse memini; aliter tamen depicta erat in tabula apud Pausan. lib. X. pag. 830. Ἡρακλῆς δὲ καὶ Ἀπόλλων ἔχονται τοῦ τρίποδος καὶ ἐς μάχην περὶ αὐτοῦ καθίστανται· Λητὼ μὲν δὴ καὶ Ἄρτεμις Ἀπόλλωνα, Ἀθηνᾶ δὲ Ἡρακλέα ἐπισχοῦσι τοῦ θυμοῦ. *Hercules vero & Apollo manibus tenent tripodem & de eo decertant: at Latona & Diana Apollinem, Minerva Herculem placat*. Meminit etiam hujus discidii lib. III. pag. 265. Futurorum doctrina imbutus cœli columnas ab Atlante accepit Hercules, teste Clemente Alex. Strom. lib. I. pag. 132. vers. 9. Ἡρόδωρος δὲ τὸν Ἡρακλέα, μάντιν καὶ φυσικὸν γενόμενον ἱστορεῖ παρὰ Ἄτλαντος τοῦ βαρβάρου τοῦ Φρυγὸς διαδέχεσθαι τὰς τοῦ κόσμου κίονας· αἰνιττόμενος, τὴν τῶν οὐρανίων ἐπιστήμην μαθήσει διαδέχεσθαι. *Herodorus autem narrat Herculem, cum vates & rerum naturalium peritus evasisset, ab Atlante Barbaro illo Phryge mundi columnas per manus accepisse: innuens cœlestium rerum cognitionem doctrina acquiri*. Medicinæ quoque operam dedit, a Chirone edoctus, quocum per aliquod temporis spatium versatus est teste Eratosth. Catast. c. XL. Inde Plutarchus explicat fabulam Alcestidis ex inferis revocatæ ab Hercule in Amatorio pag. 761. D. Λέγεται δὲ καὶ τὴν Ἄλκηστιν ἰατρικὸς ὢν ἀπεγνωσμένην σῶσαι τῷ Ἀδμήτῳ χαριζόμενος, ἐρῶντι μὲν αὐτῷ τῆς γυναικὸς, ἐρωμένῳ δὲ αὐτοῦ γενομένῳ. *Dicitur quoque Hercules, quia medicus erat Alcestin, de cujus vita jam conclamatum erat, sanasse in gratiam Admeti, qui uxorem diligebat, & cujus ipse amore flagrabat*. Ob ejusdem naturæ inventa jungebantur Dii, ita Mercurius & Apollo, quorum hic citharæ, ille lyræ parens prædicatur. Pausan. Eliac. lib. I. pag. 413. Μετὰ δὲ τοῦτον Ἀπόλλωνος καὶ Ἑρμοῦ βωμὸς ἐστιν ἐν κοινῷ. διότι Ἑρμῆν λύρας, Ἀπόλλωνα δὲ εὑρετὴν εἶναι κιθάρας Ἑλλήνων ἐστὶν ἐς αὐτοὺς λόγος. *Post illam vero ara est Apollinis & Mercurii communis: quia Græci de iis perhibent, Mercurium lyræ, Apollinem citharæ inventorem esse*. Par ratio est ob quam copulantur Saturnus & Ops. Macrob. Saturn. lib. I. c. 10. pag. 191. *Philocorus Saturno & Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit, —— quod Saturnus ejusque uxor tam frugum quam fructuum repertores esse credantur*. Propter officia præstita, ut Nymphæ & Bacchus: Meleager Anthol. lib. I. cap. 19. epigr. 3.

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος,
  Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος, ἢν δέ νιν εἴργεις
  Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον.

Nymphæ Bacchum, cum puer ex igne exsiliit,
  Lavarunt, in cineribus recens volutatum.
Ideo Nympharum amicus est Bromius, si eum arceas
  Ne misceri possit, accipies ignem adhuc flagrantem.

Omnes rationes, quæ ex fabulis depromi possunt, ad ostendendum quamobrem Bacchus & Hercules socii sunt, coacervavit Anonymus in epigrammate Anthol. lib. IV. cap. 12. pag. 466.

Ἀμφότεροι Θήβηθε, καὶ ἀμφότεροι πολεμισταὶ,
  Κἠκ Ζηνὸς, θύρσῳ δεινὸς, ὁ δὲ ῥοπάλῳ.
Ἀμφοῖν δὲ στῆλαι συντέρμονες, εἴκελα δ' ὅπλα·
  Νεβρὸς, λεοντῆ· κύμβαλα δὲ πλαταγή.
Ἥρη δ' ἀμφοτέροις χαλεπὴ θεός· οἱ δ' ἀπὸ γαίης
  Ἦλθον ἐς ἀθανάτους, ἐκ πυρὸς ἀμφότεροι.

Uterque Thebis oriundus, uterque bellator
  Et ex Jove, hic thyrso metuendus, ille clava.
Amborum autem vicinæ columnæ, & arma similia:
  Hinnulea pellis, leoninæ: cymbala, crepitaculo.
Et Juno utrique gravis Dea, ac de terra
  Venerunt in cælum ex igne ambo.

Nunc pergo ad morales rationes, propter quas varia numina conjuncta sunt.

CAP. XVIII.

Monita moralia dabant veteres, quoties Deos aliquos propter moralem rationem sociabant. Bacchi nutrices Nymphæ. Victoria omnibus additur; præcipue tamen bellorum Diis, ut Bellonæ & Minervæ. Virtutes quædam Dearum persona indutæ Diis jungebantur. Callimachus tentatur. Inter se, quemadmodum & vitia, copulabantur.

Antiqui quoties quædam numina jungebant ob causas morales, toties moralia præcepta dabant. Ita Herculem & Mercurium sociabant, ἐν τῇ ἰσχύϊ μετὰ λογισμοῦ χρῆσθαι δέοντος. *Quod robore cum ratione utendum sit*. Agnoscis verba Cornuti de nat. De. cap. XVI. in fine. Junonem & Minervam conjungebant, indicantes opes & potentiam, virtute & prudentia comite indigere. Jovi addebant Themin & Dicen, quod æquitas & justitia imperantibus potissimum necessariæ virtutes sint. Aliam tamen hujus rei rationem dedit Anaxarchus; sed Alexandro subserviens, qui pœnitentia ductus Cliti a se interfecti, gravi in mœrore jacebat: ita regem alloquebatur, Οὐκ οἶσθα, ὅτι τὴν Δίκην ἔχει πάρεδρον ὁ Ζεὺς, καὶ τὴν Θέμιν, ἵνα πᾶν τὸ πραχθὲν ὑπὸ τοῦ βασιλέως ἢ ὑπὸ τοῦ κρατοῦντος θεμιτὸν ᾖ καὶ δίκαιον. *An nescis Jovi adsidere Justitiam & Themin, ut quidquid ab imperante factum est justum & æquum sit*. Sic ejus verba refert Plut. in Alexandro p. 695. A. Adde Ampliss. Cuperum Observ. lib. IV. pag. 55. Et Plut. ad princip. indoct. p. 781. prout ejus verba egregie emendavit Leopardus Emend. lib. III. cap. 15. Vulcani comes erat Minerva, quoniam semper industriam comitatur sapientia & vice versa: inde Plato scribit in Critia pag. 502. vers. 37. Ἥφαιστος δὲ κοινὴν καὶ Ἀθηνᾶ φύσιν ἔχοντες, ἅμα μὲν ἀδελφὴν ἐκ ταὐτοῦ πατρὸς, ἅμα δὲ φιλοσοφίᾳ, φιλοτεχνίᾳ τε ἐπὶ τὰ αὐτὰ ἐλθόντες· οὕτω μίαν ἄμφω λῆξιν τήνδε τὴν χώραν εἰλήχατον, ὡς οἰκείαν καὶ πρόσφορον ἀρετῇ καὶ φρονήσει πεφυκυῖαν. *Vulcanus vero & Minerva communi præditi natura germani ex eodem patre, simul etiam Philosophiæ & artium æquali studio præditi; ideo eandem sortem hanc terram sortiti sunt, ut propriam & virtuti ac sapientiæ aptam natam*. Parcæ & Lucina copulabantur & ex æquo nascentibus præsidere credebantur, quod singulorum hominum fata jam a prima usque nativitate definita sint. Baccho comites dabant Nymphas, monentes meraci vehementiam aqua esse temperandam. Plut. Symp. lib. I. p. 613.

D. Οὐχ ἧττον ταῖς Μούσαις τὸν Διόνυσον ἢ ταῖς Νύμφαις κεραννύντες· ἐκεῖναι μὲν γὰρ αὐτὸν τοῖς σώμασιν ἵλεω καὶ πρᾶον, αὗται δὲ ταῖς ψυχαῖς μειλίχιον ὄντως καὶ χαριδότην ἐπεισάγουσι. *Non secus Musis quam Nymphis Bacchum miscentes; hæ enim ipsum corporibus mitem & mansuetum, at illæ animis benignum & gratum insinuant.* Hinc Nymphas Bacchi nutrices esse finxerunt: Athen. lib. II. pag. 38. C. & lib. XV. pag. 693. E. Καὶ θεσμὸς, φησὶν ἐτέθη προσφέρεσθαι μετὰ τὰ σιτία πᾶσιν ἀκρατόμενον, ὂν γεῦμα καὶ δεῖγμα τῆς δυνάμεως, τοῦ ἀγαθοῦ θεοῦ· τὸν δὲ λοιπὸν ἤδη κεκραμένον· διὸ καὶ τρόφους τοῦ Διονύσου τὰς Νύμφας ὀνομασθῆναι. *Et lex constituta est, ut statim post cibum, omnibus purum putum traderetur, quod esset experimentum potentiæ boni Dei. Reliquo autem tempore mixtum, quæ ratio etiam est cur Nymphæ Bacchi nutrices vocentur.* Addo quoque Plut. Sympos. lib. III. Quæst. 9. in fine. Τοῦ δὲ Διονύσου, πλείονας· ὅτι δεῖ τὸν θεὸν τοῦτον ἐν πλείοσι μέτροις Νυμφῶν, τιθασσευόμενον καὶ παιδευόμενον, ἡμερώτερον ποιεῖν καὶ φρονιμώτερον. *Bacchi plures sunt nutrices: quod ille Deus pluribus Nympharum* (id est aquæ) *mensuris mansuefactus & castigatus, mansuetior & prudentior fieri debeat.* Eleganter Tibull. lib. III. Eleg. 7. vers. 25.

Naida Bacchus amat, cessas o lente minister:
Temperet annosum Martia lympha merum.

Cum omnibus Diis jungebatur Victoria, quia Deorum est semper vincere. Hinc passim in inscriptionibus videas signa Victoriæ huic vel illi Deo dedicata; præcipue tamen bellorum Diis addebatur: ædes Victoriæ & Bellonæ memoratur in antiquo lapide apud Gruterum pag. CII. num. 7.

M. MERVLA. TVRPILII
ME. F. DRVSIVS. FIDE
LIS. FID. F. TRIB. PL
TVRREM. CEN. PED
EX. S. C. VICTORIAE
ET. BELLONAE. AEDEM
DD DD

Palladis πάρεδρος fuit teste Cornuto. pag. 189. Μάλιστα δὲ καὶ τὴν Νίκην αὐτῇ πάρεδρον διδόασιν. *Potissimum Minervæ sociam dant Victoriam.* Adstat simulacro Palladis aliud Victoriæ apud Pausan. lib. V. pag. 446. Παρὰ δὲ τὴν Ἀθηνᾶν πεποίηται Νίκη. *Juxta Minervam autem facta est Victoria.* In pompa Alexandri utrinque in suo curru habebat hinc Minervam illinc Victoriam teste Athen. lib. V. pag. 202. A. Passim autem in numis conspicitur Minerva Victoriolam manu gestans. Et recte sane: cui enim prudentia & fortitudo adfuerit vix poterit deesse Victoria. Virtutes quoque Dearum persona indutæ propter morales rationes Diis jungebantur. Jovi Reverentia seu Pudor additur, documentum Regibus nihil indecorum aut pudore expers esse faciendum. Elegans est hanc in rem locus Sophocl. in Oed. Col. vers. 1262. Polynices Oedipum alloquitur:

Ἀλλ' ἔστι γὰρ καὶ Ζηνὶ σύνθακος θρόνων
Αἰδὼς ἐπ' ἔργοις πᾶσι, καὶ πρὸς σοὶ πάτερ
Παραστα θήτω. ——

Etenim & solio Jovis est comes
Pudor ad omnia opera, tibi quoque mi pater
Adsit. ——

Βία & Κράτος, *Vis & Robur*, Jovem quoque comitari finguntur, quod robore & fortitudine regna sibi acquirant reges; Callim. Hymn. in Jovem v. 67.

Οὔ σε θεῶν ἑσσῆνα πάλοι θέσαν, ἔργα δὲ χειρῶν,
Σή τε Βίη, τό, τε Κάρτος, ὃ καὶ πέλας εἵσαο δίφρου.

Non sors te Regem fecit Deorum; sed opera manuum tuarum,
Et Robur & Virtus tua, quam etiam prope solium tuum collocasti.

Pro ὃ mallem in numero multitudinis ἅ· non enim solam *Fortitudinem*, seu Κράτος Jovi adsidere fingunt, verum etiam Βίαν *Robur*. Hinc σύνθρονος Διὶ *Jovis adsessor*, vocatur a Moschione apud Stob. Eccl. Phys. lib. I. cap. II. pag. 18. quem locum & plura alia vide apud Illustr. Ez. Spanhemium ad dictum Callimachi locum. De Fortitudine, Stat. Theb. lib. X. vers. 730.

Diva Jovis solio juxta comes, unde per orbem
Rara dari terrisque solet contingere Virtus.

Majestas denique, plura enim exempla cumulare nihil attinet, Jovi adsidere eumque fingitur custodire, quoniam cum majestate regia potestas etiam tollitur: Ovid. Fast. lib. V. vers. 45.

His bene Majestas armis defensa Deorum
Restat: & ex illo tempore firma manet.
Assidet illa Jovi: Jovis est fidissima custos
Et præstat sine vi sceptra tremenda Jovi.

Ex his facile quis intelliget ipsas Virtutes, immo & vitia frequenter copulari. Fides & Justitia *consortes* Silio Italico dicuntur lib. II. vers. 486. Nam qui Justitiam is quoque fidem servat. Hercules alloquitur Fidem.

Ante Jovem generata, decus Divumque hominumque,
Qua sine non tellus pacem non æquora norunt,
Justitiæ consors tacitumque in pectore numen.

Sorores appellat Horat. lib. I. Ode 24. vers. 6.

—— *Cui Pudor & Justitiæ soror*
Incorrupta Fides, nudaque Veritas
Quando ullum invenient parem?

Hinc multa legas exempla templorum virtutibus quibusdam, aut vitiis simul consecratorum. Ita fanum *Contumeliæ* & *Impudentiæ* memorat Cicero de legg. lib. II. pag. 442. D. Βίας & Ἀνάγκης Pausan. lib. II. pag. 121. Alia non pauca adduci possent eamdem rem firmantia; sed prudens illis non immoror.

CAP. XIX.

Physicas rationes, quæ veteres impulerunt ut Deos suos sociarent, in quinque classes refero. Ad primam pertinent numina repræsentantia res naturales, quæ sæpe junguntur & junctæ virtutem suam exserunt. Secundo loco recenseo Deos, quorum virtutes physicæ circa easdem res versantur. Bacchus medicus & vates. Cornutus castigatur. Bacchus verax. Tertium locum tribuo Diis qui virtutibus suis naturalibus opem sibi mutuam præstant.

Nunc ad Physicas adgredior rationes, quas ut ordine recensere possim, in quinque potissimum classes distinguam. In Primam refero numina repræsentantia res naturales, quæ sæpissime junguntur, & junctæ aliquando vir-

tutem suam exserunt. Ops & Saturnus copulantur, quia secundum Varronem sunt Cœlum & Terra de LL. lib. IV. p. 11. vers. 56. *Principes Dei, cœlum & terra: hi Dei iidem qui in Ægypto Serapis & Isis —— ut iidem principes in Latio Saturnus & Ops*. Neptunus & Jupiter duo elementa, hic aer superior, sive æther, ille mare. Jupiter & Juno: quoniam aerem significat Juno, æthera Jupiter, Jovi additur quoque Minerva sive æther supremus, inde ex Jovis capite nata fingitur. Vide D. August. de Civ. Dei lib. IV. c. 10. Sociabantur quoque Juno & Minerva, quia per hanc ætherem supremum, per illam aerem indicabant. Bacchus Cereri cur sæpe conglutinetur, hanc rationem reddit Theon ad Arati Diosem. vers. 337. Οἱ παλαιοὶ τὸν Διόνυσον τῇ Δημήτρᾳ συγκαθίερωσαν, αἰνιττόμενοι τὸ γόνιμον τῆς ὑγρότητος. *Antiqui Bacchum cum Cerere consecrarunt, innuentes humorem genitalem esse*. Intelligit credo, per Cererem fruges, quæ a Baccho, sive humiditate superveniente fœcundæ redduntur. Minus tamen longe quæsita videtur ratio Euripidis in Bacch. vers. 274. Qui Bacchum potum, at Cererem cibum quemvis invenisse tradit.

> —— Δύο γὰρ ὦ νεανία,
> Τὰ πρῶτ' ἐν ἀνθρώποισι, Δημήτηρ θεὰ,
> Γῆ δ' ἐστὶν, ὄνομα δ' ὁπότερον βούλει κάλει.
> Αὕτη μὲν ἐν ξηροῖσιν ἐκτρέφει βροτοὺς,
> Ὁ δ' ἦλθ' ἐπὶ τἀντίπαλον, ὁ Σεμέλης γόνος,
> Βότρυος ὑγρὸν πόμ' εὗρε. ——

> —— *Duo enim sunt o juvenis,*
> *Quæ primas obtinent apud homines, Ceres Dea,*
> *Terra autem est, utro nomine libuerit eam voca.*
> *Ipsa autem siccis rebus alit mortales,*
> *Hic vero venit e contrario, Semelæ natus,*
> *Invento humido uvæ potu.* ——

Jam vero unicuique notum Cererem & Bacchum, illam pro cibo, hunc pro potu sæpe nominari. Egregium igitur factum, si hi duo maximi humanæ vitæ conservatores communibus sacris honorantur. Secundum locum tribuo Diis, quorum virtutes physicæ circa easdem res versantur. Ita Ceres & Proserpina jungebantur quod ambo ad frugum maturitatem conferebant. De Cerere nemo ignorat, quod ad Proserpinam attinet id docet Aug. de Civ. Dei lib. VII. cap. 20. *Et hanc ipsam* (Proserpinam) *dicit* (Varro) *significare fœcunditatem seminum*. Et mox addit, *Exortam esse opinionem, quod filiam Cereris, id est, ipsam fœcunditatem, quæ a proserpendo Proserpina dicta esset, Orcus abstulerat*. Alii volunt Proserpinam cum Cerere conjungi & ejus filiam nuncupari, quod farina sit, quæ e frumento Cerere dicto elicitur. Farinam certe *Cereris Liberam* vocat Antiphanes apud Athen. lib. X. pag. 449. C. Est periphrasis placentæ:

> —— Ξουθῆς μελίσσης νάμασιν τε συμμιγῆ
> Μηκάδων αἰγῶν ἀπόρρυτον θρόμβον ἐγκαθημένον
> Εἰς πλατὺ στέγαστρον ἁγνῆς παρθένου Δηοῦς Κόρης.

> —— *Flavæne apiculæ latici mugientibus*
> *Mixtum de capris fluentum, molliter quod insidet*
> *Latis genitæ Cereris castæ virginis segestribus.*

Sic recte locum vertit & castigavit Grotius Excerpt. pag. 605. Utrique Deæ jungebatur Pluto; quia credebant eum visceribus terræ imperare, & semina, quamdiu sub terra erant, ejus in potestate esse: inde ipsi quoque cum Cerere preces fundebant, ut uber frugum proventus esset, Hesiod. Op. & Di. vers. 463.

> Εὔχεσθαι δὲ Διὶ χθονίῳ, Δημήτερί θ' ἁγνῇ,
> Ἐκτελέα βρίθειν Δημήτερος ἱερὸν ἀκτήν.

> *Precandum est summano Jovi, & almæ Cereri,*
> *Ut fruges ad maturitatem perductæ graves sint.*

Apollo & Jupiter, utrique genitales Dii, quorum hic frequenter γενέθλιος indigitatur, superior a sole diversus non est, qui omnium rerum generationem promovet. Apollo & Bacchus copulantur, quoniam ille qui Sol est, aerem temperans, homines sanare fingitur, & medicus audit: Strabo lib. XIV. pag. 242. A. Ἰατρικὸς γὰρ Ἀπόλλων, καὶ ἡ Ἄρτεμις ἀπὸ τοῦ ἀρτεμέας ποιεῖν· καὶ ὁ Ἥλιος δὲ καὶ ἡ Σελήνη συνοικειοῦνται τούτοις, ὅτι τῆς περὶ τὸν ἀέρος εὐκρασίας αἴτιοι. *Medicus enim est Apollo & Diana, his autem attribuitur Sol & Luna, quod æris temperiem efficiant*. Bacchus est vinum, quod multis medicaminibus haud deterius varios morbos sanat. Plutarch. Sympos. lib. III. Quæst. I. p. 647. A. Ὁ δὲ Διόνυσος οὐ μόνον τῷ τὸν οἶνον εὑρεῖν ἰσχυρότατον φάρμακον καὶ ἥδιστον, ἰατρὸς ἐνομίσθη μέτριος, ἀλλὰ καὶ τῷ τὸν κιττόν. *Bacchus non ideo tantum medicus est habitus, quia vinum efficacissimum juxta & suavissimum remedium; sed etiam quia hederam invenit*. Quoniam Sol omnia videt & rimatur vates fingitur Apollo, itidem Bacchus: vinum enim in furorem agens videtur futurorum scientiam hominibus temulentis inspirare. Elegans est locus Eurip. in Bacch. vers. 298.

> Μάντις δ' ὁ δαίμων ὅδε· καὶ γὰρ ἐν βροτοῖς
> Καὶ τὸ μανιῶδες, μαντικὴν πολλὴν ἔχει·
> Ὅταν γὰρ ὁ θεὸς εἰς τὸ σῶμ' ἔλθῃ πολὺς,
> Λέγειν τὸ μέλλον τοὺς μεμηνότας ποιεῖ.

> *Vates autem est Bacchus, namque hominum opinio est*
> *Furori multam inesse fatidicam virtutem.*
> *Quando enim Deus homines multus occupavit*
> *Furore percitos futura prædicere facit.*

Haud aliter Cornut. de nat. Deor. cap. XXX. p. 216. Καθὸ δοκεῖ καὶ τὸ οἶνος ἀληθῶς εἰρῆσθαι· τάχα διὰ τοῦτο ἡ μαντεία ἔσθ' ὅτε τοῦ Διονύσου γινομένη. Legendum videtur: Καθὸ δοκεῖ καὶ ὁ οἶνος ἀληθὴς εἰρῆσθαι. Hoc sensu: *Propter eam rationem ob quam vinum verax dicitur, forte etiam ideo vaticinatio Baccho attributa fuerit*. Emendationem meam firmat tritum illud, *in vino veritas*. Et Theocr. Idyll. XXIX. vers. 1. quem locum innuit in notis Galeus.

> Οἶνος ὦ φίλε παῖ, λέγεται καὶ ἀλάθεα·
> Κἄμμες χρὴ μεθύοντας ἀλαθέας ἔμμεναι.

> *Vinum mi puelle, dicitur etiam veritas,*
> *Et nos ebrii veraces esse debemus.*

Horat. lib. I. Sat. 4. vers. 89.

> —— *Post hunc quoque potus,*
> *Condita cum verax aperit præcordia Liber.*

Elegans plane in rem nostram, est locus Athen. lib. II. p. 38. Καὶ οὗτός ἐστιν, ὁ τῆς ἀληθείας οἰκεῖος τρίπους: Διὸ Ἀπόλλωνος μὲν οἰκεῖος διὰ τὴν ἐκ μαντικῆς ἀλήθειαν· Διονύσου δὲ διὰ τὴν ἐν μέθῃ. *Et hic est genuinus Veritatis tripus: ideoque Apollini proprius est propter vaticiniorum veracitatem: Baccho autem propter eam quæ in ebrietate*. Duplici hoc medici & vatis nomine claruit Bacchus apud Amphi-

cleenses teste Pauf. lib. x. pag. 884. Λέγεται δὲ ὑπὸ τῶν Ἀμφικλειέων, μάντιν τε σφίσι τὸν θεὸν τοῦτον καὶ βοηθὸν νόσων καθεστηκέναι. *Dicitur autem de Amphicleensibus, Bacchum ipsis futura prædixisse, & morbos sanasse.* Tertio loco recenseo Deos, qui propterea conjunguntur, quoniam virtutibus suis physicis mutuum sibi præstant auxilium. Horarum, sive anni tempestatum, σύνθρονος dicitur Pan apud Orpheum Hymno x. quod per illum tempestates fiant.

> Ἐλθὲ μάκαρ σκιρτητὰ, περίδρομε, σύνθρονε Ὥραις

Eleganter Scaliger Latine reddidit:

> *Pervage Faune, Sali, collegaque Temperiarum*

Ceres & Plutus divitiarum Deus consociantur: ex frugibus enim magnæ opes comparantur, inde quoque Cereris filius a quibusdam habitus est. Apposite Themist. Orat. xxx. pag. 351. D. Δήμητρος παῖδα τὸν Πλοῦτον οἱ ποιηταὶ ᾄδουσιν. ὡς οὐδαμόθεν ἐξ ὧθεν οὕτως αὐξανομένης περιουσίας. ὡς διὰ τῶν ἐκ γεωργίας καλῶν. *Cereris filium esse Plutum canunt Poetæ, quod nulla ex re ita augeantur opes, ut bonis, quæ ab agricultura proveniunt.* Neptunus & Ceres, quia sale opus est ad cibos condiendos, eisque gratum palato saporem conciliandum: Plutarch. Sympos. lib. iv. problem. 4. pag. 668. E. Τῶνδὲ θαλαττίων τὸ ἅλας πρῶτον, οὗ χωρὶς οὐδὲν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐστὶν ἐδώδιμον· ἀλλὰ καὶ τὸν ἄρτον οὗτος ἐμμιγνύμενος συνηδύνει· διὸ καὶ Δήμητρος σύνναος ὁ Ποσειδῶν. *Primum vero locum obtinet sal inter illa quæ e mari proveniunt, sine eo enim nihil omnino comedi potest; imo & pani immixtus eum sapidum reddit; ideo quoque Neptunum Cereri dant contubernalem.* Venus & Bacchus, quod vinum largiter potum ad Venerem excitet. Cornut. de nat. Deor. pag. 218. Καὶ κινητικὸν γὰρ πρὸς συνουσίαν ὁ οἶνος· διὰ τοῦτο ἐνίων κοινῇ μὲν θυόντων Διονύσῳ καὶ Ἀφροδίτῃ. *Ad coitum enim excitat vinum; adeo ut quidam propterea communia Baccho & Cereri sacra faciant.* Elegans est locus Apuleii Met. lib. ii. pag. 119. *Tunc ego vocata Fotide: Ecce, inquam, Veneris hortator & armiger Liber advenit ultro. Vinum istud sorbeamus hodie omne, quod nobis restinguat pudoris ignaviam, & alacrem vigorem libidinis incutiat.* Ceres quoque Veneri conjuncta est: nam & illa libidini stimulos dat: tritum est vetus hoc dictum. *Sine Cerere & Baccho friget Venus.*

CAP. XX.

Quarto loco observo Deos sociari, qui ad sidera referri debent. Frequenter communibus sacris culti sunt duodecim Dii, quia duodecim signa cœlestia repræsentabant, atque inde genitales *dicti. Quinto denique junguntur illi, qui rem eandem significant. Ita uno in templo aliquando compinguntur omnes Dii, quod omnes ad solem reduci possint.*

Quarto loco observo illa numina, quæ ad sidera referebantur, frequenter conjuncta esse. Hinc geminum numen, & inviolatæ societatis vinculo constricti Castores, quod in cœlo cuivis utrumque contemplari detur, ne jam dicam de sociis illis ignibus, nautarum in mari procelloso jactatorum animum recreantibus, & serenitatis brevi futuræ spem facientibus. Hercules, qui ad omnes e cœlo lucet, ob eandem illam rationem Dioscuris comes additur. Apollo & Diana junguntur, quoniam hæc Luna ille Sol est. Cornut. cap. xxxii. Ἀπόλλων ὁ ἥλιός ἐστιν, Ἄρτεμις δὲ ἡ σελήνη· διὰ τοῦτο γὰρ καὶ τοξότας, ἀμφοτέρους παρήγαγον, τὴν ὡσανεὶ ἄφεσιν πόρρω τῶν ἀκτίνων αἰνιττόμενοι. Καλοῦνται δὲ ὁ μὲν Ἕκατος, ἡ δὲ Ἑκάτη, διὰ τὸ ἕκαθεν δεῦρο ἀφιέναι καὶ ἀποστέλλειν τὸ φῶς· ὅθεν καὶ παρακειμένως, καὶ ἑκατηβόλους αὐτοὺς προσηγόρευσαν. *Apollo est sol, Diana autem luna; ideo quoque ut sagittatores ambos induxerunt, longinquam scilicet radiorum jaculationem innuentes: vocantur, ille quidem Hecatus, hæc vero Hecate, quod e longinquo usque ad nos lucem mittant: unde & composite,* ἑκατηβόλους *ipsos indigitarunt.* Sed his diutius non immoror; cui enim non dictus Hylas? Apollini ut Soli adjungebantur Dii, qui e planetarum numero sunt. Ita Edessæ cum Sole culti sunt Mercurius & Mars. Julian. Imperator Orat. iv. pag. 150. D Οἱ τὴν Ἔδεσσαν οἰκοῦντες ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον, καὶ Μόνιμον αὐτῷ καὶ Ἄζιζον συγκαθιδρεύουσι. —— Ὡς ὁ Μόνιμος μὲν Ἑρμῆς εἴη. Ἄζιζος δὲ Ἄρης ἡλίου πάρεδροι. *Edessam incolentes ab omni ævo soli sacram regionem, cum ipso eodem in templo collocant Monimum & Azizum —— Adeo ut Monimus quidem Mercurius sit; sed Azizus Mars, Solis socii.* Similiter Solis comites vocantur Lucifer & Mercurius Apulejo de mundo pag. 71. vers. 7. *Cœli spatium Sol annua conversione collustrat, ejusque comites amœnus Lucifer & comis Cyllenius stella.* Consentibus Diis communes aræ & templa dedicabantur, quia duodecim cœlestia signa, per quæ sol annuo spatio iter conficit, repræsentabant. Inde Ægyptii duodecim signa θεοὺς βουλαίους, *Deos consiliarios* appellarunt, epitheto quod majorum gentium Diis, Jovis, ut supra evicimus, consiliariis, unice convenit. Auctorem habeo veterem Criticum ad Apoll. Rhod. lib. iv. vers. 262. Καὶ τὰ μὲν δώδεκα ζώδια θεοὺς βουλαίους προσηγόρευσαν. *Et duodecim signa cœlestia Deos consiliarios indigitarunt.* Quod unicuique numini attributum sit sidus eleganter versibus docet Manil. lib. ii. vers. 438.

> *Lanigerum Pallas, Taurum Cytherea tuetur.*
> *Formosos Phœbus Geminos: Cyllenie, Cancrum,*
> *Jupiter & cum Matre Deum regis ipse Leonem.*
> *Spicifera est Virgo Cereris, fabricataque Libra*
> *Vulcani: pugnax Mavorti Scorpius hæret.*
> *Venantem Diana virum, sed partis equinæ:*
> *Atque angusta fovet Capricorni sidera Vesta.*
> *E Jovis adverso Junonis Aquarius astrum est,*
> *Agnoscitque suos Neptunus in æquore pisces.*

Cum vero homines viderent omnes anni tempestates effici, pro illo quod sol occupabat signo, creditum est duodecim illas constellationes auctores esse omnium rerum, quæ his in terris generantur, & inde explico cur apud Ennium in fragmentis pag. 36. Consentes Dii *genitales* vocentur:

> *Romulus in cœlo cum Dis genitalibus ævum*
> *Degit.* —— ——

Et qui eum imitatus est Ausonius, ut multis jam notatum, periocha libri iv. Iliados.

> *Jupiter interea cum Dis genitalibus una*
> *Consilium cogit Superum de rebus Achivis.*

Festus *Geniales Deos* memorat eodem sensu, nisi forte ipse dederit *Genitales*; sed utrumque ferri

potest. Verba ejus apprime ad rem nostram facientia sic sonant: *Geniales Deos dixerunt aquam, ignem, aerem: ea enim sunt semina rerum, quæ Græcorum alii στοιχεῖα, alii σπέρματα vocant. Duodecim quoque signa, lunam & solem, inter hos Deos computabant.* Sane egregius est locus, ex quo clarissime liquet Consentes Deos, & duodecim signa Zodiaci, commune nomen habuisse. Quinta denique Physica conjunctionis ratio est, cum duo conjugantur Dii, qui ad unam eandemque rem pertinent. Ita Jupiter & Apollo, ambo solem repræsentantia numina: hinc Macrob. lib. I. Saturn. cap. 23. postquam multa recitavit, ut Solis & Jovis convenientiam ostenderet ait: *quæ cuncta Jovis solisque consociatam potentiam monstrant.* Arnob. lib. III. pag. 69. vers. 9. *Nam quid de ipso dicemus Jove, quem solem esse dictitavere sapientes agitantem pinnatos currus, turba consequente Deorum.* Apollinem solem esse quis nescit? Bacchus quoque, quia sol erat, Apollini jungebatur. Servius ad Æn. lib. VI. vers. 77. *Idem enim est Apollo, qui Liber pater, qui sol. Unde ait Lucanus* (lib. V. vers. 73.)

——— Cui numine mixto
Delphica Thebanæ referunt trieterica Bacchæ.

Unde in eorum sacris erat Phœbadum Baccharumque conventus. Adde Acronem ad Horat. lib. II. Ode 19. vers. 3. *Nam quidam volunt ipsum esse Solem, ipsum Apollinem, ipsum Dionysum: nam ut illi novem sacratæ sunt Musæ, ita Soli novem circuli & Dionyso similiter chorus Baccharum.* Sed omnes Dii gentilium ad solem referri possunt, quod ex antiquis fecit Macrobius, e recentioribus I. G. Vossius in suo de Idololatria gentilium opere. Addi his possunt Ampl. Cuperus in Harpocrate, & vir Clariss. Everh. Otto in præclaro de tutela viarum libro. Hanc vero existimem rationem esse dandam, cur aliquando uno in templo omnes Dii compacti sint. Nunc transeo ad catalogum Deorum sociorum, quos ipse, apud scriptores antiquos, consociatos animadverti.

CAP. XXI.

Neptunus & Jupiter conjuncti. Hic σεισίχθων dicitur. Jupiter & Apollo Didymis, Bacchus & Apollo una Delphis culti. Parnasus & Ismenus ambobus sacri. Poetæ sub tutela utriusque. Apollo & Mercurius sociantur; Mercurius & Hercules quoque. Palæstris præerant: hinc ipsorum discipuli vocantur athletæ. Castor & Pollux. Inscriptio emendatur. Κάστορες & Κλωθῶες. Hercules & Dioscuri, certaminibus præsunt.

ENumerationem facturi numinum conjunctorum, primo Deos recensebimus, deinceps Deas, tertio tandem loco utrosque. Quemadmodum autem inter Deos fere principem locum obtinent Jupiter & Neptunus, ita & nos ipsis primas dabimus. Communi in templo cultos fuisse liquet e fragmento Machonis in Excerptis Grotii pag. 851.

Πρὸς τῆς Ἀθηνᾶς καὶ θεῶν τίνος φράσον
Ἐστὶν ὁ νεὼς, βέλτιστε, φησὶν, εἰπέ σοι;
Ὁ δ' εἶπεν αὐτῷ Ζηνοποσειδῶνος ξένε.

Per te Minervam, per Deos, inquit, precor,
Dic bone vir, templum hoc cui sacratum est numini?
Respondens ille, est, ait, Jovineptunium.

Una eademque ara ambobus dedicata est Olympiæ Schol. Pind. ad Olymp. Oden V. vers. 10. Ὀλυμπιάσι βωμοὶ εἰσὶν ἓξ δίδυμοι τοῖς δώδεκα θεοῖς ἀνιδρυμένοι, ἑνὸς ἑκάστου βωμοῦ δύο θεοῖς καθοσιωμένου· πρῶτος Διὸς καὶ Ποσειδῶνος. *Olympiæ sex geminæ sunt aræ duodecim Diis erectæ, adeo ut unaquæque ara duobus Diis consecrata sit. Prima est Jovis & Neptuni.* Sicut Neptunus terram suarum aquarum vi & mole quassabat, ita quoque eandem fulmine concutiebat Jupiter: unde proprio alioquin Neptuno Epitheto, σεισίχθων appellatur ab Orpheo Hymno XIV. vers. 8.

Jupiter & Apollo a Branchidis Didymis Milesiorum conjuncti sunt: Stephan. Byz. Δίδυμα, οὐδετέρως, τόπος καὶ μαντεῖον Μιλήτου, ἀφιερώμενον Διὶ καὶ Ἀπόλλωνι. *Didyma, neutrius est generis, locus & oraculum Mileti, dedicatum Jovi & Apollini.* Ab hoc loco uterque *Didymæus* dictus est: eo respicit Callim. apud Hephæst. pag. XXX.

Δαίμονες εὐυμνότατοι Φοῖβέ τε καὶ Ζεῦ Διδύμων γενάρχαι.

Dii celebratissimi Jupiter & Phœbe Didymorum præsides.

De Apolline Didymæo vide notata ab Ant. Schultingio, viro inter hujus ævi litteratorum juxta & Jureconsultorum principes, ad Ulpiani fragm. tit. XXXI. §. 6. Jovis imago conspiciebatur in templo Apollinis Delphico teste Themist. Orat. IV. pag. 52. D. Εἴδη δ' ἐν αὐτῷ τέλεια ἵδρυται αὐτοῦ βασιλέως, καθάπερ, οἶμαι, ἐν Δελφοῖς οὐ τοῦ Ἀπόλλωνος μόνου ἀλλὰ καὶ τοῦ Διός. *Simulacra autem Imperatoris in eo perfecta collocantur, quemadmodum credo Delphis non solius Apollinis, sed Jovis etiam.* Sed quid attinet pluribus utriusque Dei societatem ostendere, cum omnia, alicujus certe momenti, quæ hanc in rem adferri possunt, præceperit ὁ πάνυ P. Burmannus, in sua de Jove Fulgeratore Dissertatione pag. 109.

Bacchi & Apollinis cultus Delphis erat communis docente id Plut. de Is. & Osir. pag. 365. A. Καὶ Δελφοὶ τὰ τοῦ Διονύσου λείψανα παρ' αὐτοῖς παρὰ τὸ χρηστήριον ἀποκεῖσθαι νομίζουσιν, καὶ θύουσιν, οἱ ὅσιοι θυσίαν ἀπόρρητον ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Ἀπόλλωνος, ὅταν αἱ θυιάδες ἐγείρωσι τὸν λικνίτην. *Et Delphi reliquias Bacchi apud se juxta oraculum sitas esse existimant, & initiati sacrificia non vulganda faciunt in templo Apollinis, quando Bacchæ vanni Deum excitant.* Adde pag. 388. E. Ἐὰν οὖν ἔρηταί τις, τί ταῦτα πρὸς τὸν Ἀπόλλωνα; φήσομεν, οὐχὶ μόνον, ἀλλὰ καὶ πρὸς Διόνυσον, ᾧ τῶν Δελφῶν οὐδὲν ἧττον ἢ τῷ Ἀπόλλωνι μέτεστι. *Si vero dicat aliquis, quid ista ad Apollinem? Dicemus, non tantum ad Apollinem pertinent, verum etiam ad Bacchum, qui non secus ac Apollo Delphos possidet.* Ismenus Bœotiæ fluvius utrique sacer, unde Ismenii cognomen ipsis a Thebanis inditum est; Pausan. lib. IV. pag. 345. Καὶ οἱ Θηβαῖοι Διονύσῳ καὶ Ἀπόλλωνι ἔθυον Ισμηνίῳ τὸν νομιζόμενον τρόπον. *Et Thebani Baccho atque Apollini Ismenio rite sacra faciebant.* Parnassus Phocidis ille mons, Poetarum scriptis notissimus, cum Apolline simul etiam Baccho sacer erat. Euripid. Iph. Taur. vers. 1243.

Τὰν βακχεύουσαν Διονύσῳ
Παρνάσιον κορυφάν.

Bacchi sacrum
Parnasi cacumen.

Catull. Epithal. Pelei & Thet. vers. 190.

Sæpe vagus Liber Parnaſi e vertice ſummo
Thyadas effuſis evantes crinibus egit.

Sophocl. in Antig. verſ. 1244. & ſequentibus. Clariſſime Lucan. lib. v. verſ. 73.

—— —— *Parnaſus gemino petit æthera colle,*
Mons Phœbo Bromioque ſacer. ——

Inde quoque Poetarum uterque habetur Deus: Tibull. lib. III. Eleg. 4. verſ. 44.

—— —— *Caſto nam rite Poetæ*
Phœbuſque & Bacchus Pieridesque favent.

Et Stat. Sylv. lib. v. carm. 3. verſ. 5.

—— —— *Corycia quicquid modo Phœbus in umbra*
Quicquid ab Iſmariis monſtrabat collibus Evan,
Dedici. —— ——

De Apolline, ne tirones quidem ignorant. Elegantes vero ſunt & plane lepidi verſus Horatii, in quibus rationem dat, quare Poetis opem ferre credatur Bacchus lib. I. Epiſt. 19. in principio.

Priſco ſi credis Mecænas docte Cratino
Nulla placere diu nec vivere carmina poſſunt,
Quæ ſcribuntur aquæ potoribus, ut male ſanos
Adſcripſit Liber Satyris Fauniſque Poetas.

Hinc quoque arceſſenda eſt ratio moris antiqui Poetas hedera cingendi, quæ arbor Baccho conſecrata, ab ipſo inventa eſſe creditur. Vide Cioſan. ad Ovid. Triſt. lib. I. Eleg. 7. verſ. 2.

Apollo & Mercurius communem ſortiti ſunt aram inter illas ſex Olympiæ duodecim Diis dicatas. Schol. Pind. Olymp. Ode v. verſ. 10. Meminit etiam altaris hujuſmodi Pauſan. lib. v. pag. 413. Μετὰ δὲ τοῦτον Ἀπόλλωνος καὶ Ἑρμοῦ βωμὸς ἐστιν ἐν κοινῷ· διότι Ἑρμῆν λύρας, Ἀπόλλωνα δὲ εὑρετὴν εἶναι κιθάρας, Ἑλλήνων ἐστὶν ἐς αὐτοὺς λόγος. *Poſt illam vero ara eſt communis Neptuno & Apollini; quia Mercurium lyræ, citharæ parentem eſſe Apollinem, de illis narrant Græci.*

Mercurii & Herculis ſigna prope ſe invicem ſtare dicuntur apud Pauſan. Corinth. cap. XXXIV. Ἴσιδος δὲ ἐνταῦθα ἱερόν ἐστι, καὶ ἄγαλμα ἐπὶ τῆς ἀγορᾶς Ἑρμοῦ, τὸ δὲ ἕτερον Ἡρακλέους. *Iſidis vero eo loci templum eſt, & ſignum in foro Mercurii, nec non etiam aliud Herculis.* Ambo paſtorum numina cenſebantur: Anthol. lib. I. cap. 38. epigr. 3.

Εὔκολος Ἑρμείας ὦ ποιμένες, ἐν δὲ γάλακτι
Χαίρων καὶ δρυΐνῳ σπενδόμενος μέλιτι.
Ἀλλ᾽ οὐχ Ἡρακλέης κ. τ. λ.

Facilis eſt Mercurius, paſtores, lacte
Libato & melle gaudens querno.
Sed non ita Hercules. ——

De Hercule etiam liquet ex epigr. 2. cap. 68. lib. I. Mercurii, qua paſtorum Dei frequens apud utriuſque linguæ ſcriptores injicitur mentio: hinc ipſi aries adjungitur. Vide Vaillant de numis municip. tom. II. pag. 84. Cujus tamen rei myſticam & ἄῤῥητον eſſe rationem quidam exiſtimant. Palæſtræ ambo Dii præpoſiti erant: Athenæus de Amore loquens lib. XIII. pag. 561. D. Δῆλον ἐκ τοῦ κατὰ τὰ γυμνάσια αὐτὸν συνιδρῦσθαι Ἑρμῇ καὶ Ἡρακλεῖ, τῷ μὲν λόγου, τῷ δὲ ἀλκῆς προεστῶτι. *Liquet inde quod in gymnaſiis collocetur apud Mercurium & Herculem, quorum hic quidem ſermoni, ille autem viribus præeſt.* Phurnut. pag. 170. Σέβονται δὲ αὐτὸν ἐν ταῖς παλαίστραις μετὰ τοῦ Ἡρακλέους. *Colunt Mercurium cum Hercule in palæſtris.* Exemplum ſuppeditat Pauſan. lib. IV. cap. 32. Τὰ δὲ ἀγάλματα ἐν τῷ γυμνασίῳ ποιήματά ἐστιν ἀνδρῶν Αἰγυπτίων Ἑρμῆς καὶ Ἡρακλῆς. *Statuæ autem, quæ in gymnaſio, factæ ſunt ab Ægyptiis, Mercurius & Hercules.* Hæc ratio eſt quamobrem athletæ Herculis & Mercurii diſcipuli vocati ſunt. Dionyſ. Hal. Exhort. ad athletas pag. 41. verſ. 28. Μάλιστα δὲ οἱ ἀθληταὶ δέοιντο ἂν τῆς ἀπὸ τοῦ λόγου προτροπῆς καὶ ἐπικελεύσεως, ὄντες μὲν αὐτοὶ Ἑρμοῦ τε καὶ Ἡρακλέους, μαθηταί τε καὶ ζηλωταί. *Maxime vero verborum ſtimulis & adhortamentis indigent athletæ quandoquidem ſunt Mercurii atque Herculis diſcipuli & imitatores.* Ad aram utrinque ſtantes conſpiciuntur Mercurius & Hercules apud Grut. pag. XLII. Signa eorum communia fuere, Hermeraclidum nomine inſignia.

Caſtora & Pollucem, geminos Ledæ filios, paſſim conjungi quis ignorat? Utriuſque ædes communis Romæ in foro fuit: Cicero de Nat. Deor. lib. III. pag. 332. H. In epigrammate lapidis apud Gudium pag. LIX. num. 3. vocantur Ἰστόναιοι.

ΘΕΟΙΣ. ΔΙΟΣΚΟΡΟΙΣ. ΙΣΤΟΝΑΙΟΙΣ
Λ. ΑΥΡΗΛΙΟΣ. ΦΕΡΕΚΥΔΗΣ. ΑΠΕΛΕΥ
ΘΕΡΟΣ. ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΤΟΥ. ΑΝΤΟΝΕΙ
ΝΟΥ. ΣΕΒΗΡΟΥ. ΕΠΙΣΤ. ΚΕΡΚΥΡΑΙ
ΩΝ. ΑΝΕΘΗΚΕΝ

Pro quo ἰστοναίοις, flocci vocabulo, forte reſcribendum erit συνναίοις. A ſolius Caſtoris nomine ambo dicti ſunt Caſtores in Gruteri Theſauro pag. XCIX. num. 1. Sed ea re nihil frequentius. Græcis τὼ Κάστορε audiunt; rarius tamen illud: ex Euripide obſervavit Scaliger ad Catulli Phaſelum verſ. ult. Pari pacto ab una Parcarum Clothone omnes tres Κλωθῶες indigitantur, in ſecunda Herodis Attici inſcriptione verſ. 14.

ΟΥΝΕΚΑ. ΟΙ. ΠΑΙΔΑΣ. ΜΕΝ. ΑΜΥΜΟΝΑΣ. ΕΚ. ΜΕΓΑΡΟΙΟ
ΑΡΠΥΙΑΙ. ΚΛΩΘΩΕΣ. ΑΝΗΡΕΙΨΑΝΤΟ. ΜΕΛΑΙΝΑΙ

Quod ei eximios liberos ex ædibus
Rapuerunt Parcæ nigræ Harpyiæ.

Videnda ſunt omnino, quæ ad eum locum notavit Salmaſius. Templa quoque utrique Deo dicata ſæpe de Caſtore ſolo nominarunt veteres, ut erudite animadvertit Doctiſſ. G. H. Nieupoort Rit. Rom. pag. 293.

Cum Dioſcuris conſociatur Hercules: quorum inſignia, hujus clava & illorum ſtella inſignes pilei, in numo conſpiciuntur a Lacedæmoniis cuſo in honorem Commodi, qui Hercules haberi volebat. Exſtat ejus ectypum pag. 282. *de l' Hiſtoire de l' Academie des belles lettres* tom. I. Similiter fere Troezenii in ſuis numis exhibere ſolebant cum Minervæ capite maris Dei inſigne tridentem. Pauſan. lib. II. pag. 182. Καὶ δὴ καὶ νόμισμα αὐτοῖς τὸ ἀρχαῖον, ἐπίσημα, ἔχει τρίαιναν, καὶ Ἀθηνᾶς πρόσωπον. *Et ſane antiqua eorum numiſmata, pro inſigni habent tridentem & Minervæ faciem.* Quemadmodum ſcilicet a Laconibus Hercules & Dioſcuri junctim & præcipuo cultu colebantur, ita a Troezeniis Neptunus & Pallas. Cum Hercule Mercurioque certaminibus præerant Caſtores, teſtis mihi eſt Pind. Nemeon. Ode x. verſ. 98.

—— —— —— —— Ἐπεὶ
Εὐρυχώρου ταμίαι Σπάρτας, ἀγώνων.

Μοῖραν Ἑρμᾶ καὶ σὺν Η-
ρακλεῖ διέποντι θάλειαν.

Schmidius vertit:

—— —— —— Quoniam
Spatiosæ patroni Spartæ, certaminum
Sortem cum Mercurio & Her-
cule administrant florentem.

CAP. XXII.

Non tantum jungebantur, verum etiam confundebantur Vesta, Deorum mater, Pales, Ops, Ceres & Terra. Ceres & Proserpina frequenter copulantur. Proserpina aliquando Ceres vocatur. Herodis Attici locus explicatur. Μεγάλαιν θεαῖν *& absolute* ταῖν θεαῖν *appellatione veniunt Ceres & Proserpina. Pallas & Proserpina sociæ. Juno & Minerva. Parcæ & Lucina partui & nuptiis præerant. Euripides emendatur.*

E Deabus, non tantum sociabantur Vesta, Deum mater & Pales, imo pro eisdem habebantur teste Servio ad Georg. lib. III. vers. 1. *Pales autem, ut diximus, Dea est pabuli, quam alii Vestam, alii matrem Deorum vocant.* Addo his Opim, Cererem & Terram. Opim cum Vesta confundi liquet ex inscriptione apud Gudium pag. XIV. num. 4.

OPI. VESTAE. DICTAE
CONSERVATRICI.

Terra & Vesta unum numen, si fides habenda Euripidi apud Grotium Excerpt. pag. 417.

Καὶ Γαῖα μῆτερ Ἑστίαν δέ σ᾽ οἱ σοφοὶ
Βροτῶν καλοῦσιν ἡμένην ἐν αἰθέρι.

Quæ hoc pacto Latina fecit Grotius:

Tellusque mater, quæ situ medio ætheris
Librata Vestæ nomen a doctis habet.

Ceres quoque a Terra non distinguitur Euripid. in Bacch. vers. 275.

Τὰ πρῶτ᾽ ἐν ἀνθρώποισι, Δημήτηρ θεὰ,
Γῆ δ᾽ ἐστὶν, ὄνομα δ᾽ ὁπότερον βούλει κάλει.

Primas apud homines obtinet Ceres,
Est autem terra, eamque utro libuerit nomine
vocabis.

Simulacrum Terræ in Cereris templo conspectum fuisse constat e Pausan. lib. VII. pag. 577. Τοῦ δὲ ἄλσους ἱερὸν ἔχεται Δήμητρος· αὐτὴ μὲν καὶ ἡ παῖς ἑστᾶσι· τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Γῆς ἐστὶ καθημένον. *Luco contigua est ædes Cereris: ipsa quidem & Libera stant; at Terræ signum sedet.* Sed plura non accumulo; a terra enim Cererem diversam non esse, ex nomine Græco Δημήτηρ omnes norunt, qui vel a limine Græcas litteras salutarunt. Vesta & Ceres, duo nomina, eandem rem significant: Cornut. de nat. Deor. cap. XXVIII. Ἑξῆς δὲ περὶ τῆς Δήμητρος καὶ Ἑστίας, ὦ παῖ, λεκτέον· ἑκατέρα δ᾽ ἔοικεν οὐχ ἑτέρα τῆς γῆς εἶναι. *In sequentibus autem, o fili, de Cerere & Vesta dicendum erit: neutra vero a terra diversa esse videtur.* August. de Civ. Dei lib. IV. cap. 10. *Tandem terram Cererem, eandem etiam Vestam volunt.* Vesta Matris Deum *coæva* dicitur Mart. Cap. lib. I. pag. 19. vers. 18. Rheam denique sive Opim a Cerere vix differe docetur apud Euseb. Præpar. Evang. lib. III. cap. 109. A Δημήτηρ δὲ τὰ μὲν ἄλλα κατὰ τὰ αὐτὰ ἔχει τῇ Ῥέᾳ· διενήνοχε δὲ, ὅτι αὐτὴ κύει τὴν Κόρην ἐκ Διός. *Ceres vero in reliquis omnibus cum Rhea convenit; sed in eo tantum differt, quod ipsa e Jove* Κόρην (id est Liberam) *gignat.*

Ceres & Proserpina, mater & filia, sæpe sociantur. Sicilia utrique ex æquo sacra erat: Cicero in Verrem lib. IV. pag. 247. H. *Vetus est hæc opinio, Judices, quæ constat ex antiquissimis Græcorum litteris, atque monumentis, insulam Siciliam totam esse Cereri & Liberæ consecratam.* Et lib. V. pag. 302. E. Sic eas invocat: *Vos etiam atque etiam imploro, & apello, sanctissimæ Deæ, quæ Ennenseis lacus, lucosque colitis, cunctæque Siciliæ, quæ mibi defendenda tradita est præsidetis.* Eleusis quoque ambabus erat dicata. Templa utrique communia frequenter memorantur. Quin super eadem ara ipsis sacrificatum esse docet Hesych. Ὁμόβωμοι, θεοὶ ἐν Ἐλευσῖνι Δήμητρος καὶ Κόρης εἰσίν. Quæ verba, cum omi sensu vacua sint, hac ratione refingo. Ὁμόβωμοι θεοὶ, ἐν Ἐλευσῖνι Δημήτηρ καὶ Κόρη εἰσίν. Non raro Cereris seu Δήμητρος nomine venit Proserpina. Hinc apud Ægyptios inferis præsidere credebatur Ceres: Herodot. lib. II. cap. 123. Ἀρχηγετεύειν δὲ τῶν κάτω Αἰγύπτιοι λέγουσι Δήμητρα. *Illic imperare Cererem dicunt Ægyptii.* Δημήτηρ νέα. *Ceres juvenis*, aliquando dicebatur docente Schol. Eurip. ad Phoen. vers. 680. Διώνυμοι) Παρόσον ἡ μὲν Κόρη καὶ Περσεφόνη ἡ δὲ Δημήτηρ καὶ γῆ καλεῖται· ἡ μὲν πρεσβυτέρα ἡ δὲ νεωτέρα. *Binomines) Quatenus scilicet hæc Libera & Proserpina, illa autem Ceres & terra vocatur: hæc quidem vetus illa vero juvenis.* Ex quibus veteris Critici verbis locum in secunda Herodis Attici inscriptione illustrare conatus est Salmasius. Versus est 6.

—— —— ΘΕΑΙ. ΔΕ. ΜΙΝ. ΟΥΡΑΝΙΩΝΑΙ
ΤΙΜΟΥΣΥΝ. ΔΗΩΤΕ. ΝΕΗ. ΔΗΩΤΕ. ΠΑΛΑΙΗ

Intelligit per νέην Δηὼ Proserpinam, quæ maxime proclivis videtur sententia; sed si mihi a Semone isto in diversa abire liceat, crediderim Herodem per νέην Δηὼ indicare voluisse Faustinam, cui statuam Rhegillæ uxoris ipsum dedicasse clarissimum in modum patet ex vers. 48. ubi scribit:

ΤΟΥΤΟ. ΔΕ.ΦΑΥΣΤΕΙΝΗΙ. ΚΕΧΑΡΙΣΜΕΝΟΝ.
ΗΣΘΑΙ. ΑΓΑΛΜΑ

Præterea passim Imperatores, eorumque uxores & liberi Deorum nomina sibi adsumebant, ut egregie monet Illustris Ez. Spanhemius de præst. & usu num. Tom. I. pag. 434. Cereris autem nomen eximie Augustæ conveniebat, quæ mater erat populi eumque fovere & quodammodo alere debebat. Hinc Sabina Δημήτηρ νέα vocatur in lapide antiquo apud Sponium Misc. erud. ant. sect. X. num. 18.

ΣΑΒΕΙΝΑΝ. ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ. ΣΕΒΑΣΤΗΝ.
ΝΕΑΝ. ΔΗΜΗΤΡΑ. ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ
ΑΔΡΙΑΝΟΥ. ΓΥΝΑΙΚΑ. &c.

Faustina, hujus nostræ filia, Ceres dicta est, docente Spanhemio de usu & præst. num. Tom. II. pag. 288. Nec mirum si *Cererem novam* Herodes vocaverit Faustinam majorem, cum ipsius conjux M. Aurelius Antoninus *Bacchus novus* Διόνυσος νέος dictus sit in inscriptione apud Reinesium Class. III. num. 36.

Λ. ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ. ΤΡΥΦΩΝ. ΚΑΙ. ΩΣ
ΧΡΗΜΑΤΙΖΩΝ. ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΥΣ. ΓΕΝΟΜΕ-
ΝΟΣ. ΙΕΡΕΥΣ
ΚΑΤΑ. ΤΟ. ΕΞΗΣ. ΔΙΣ. ΚΑΙ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ.
ΤΟΥ. ΚΑΘΗΓΕΜΟΝΟΣ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΔΙΑ
ΒΙΟΥ. ΕΤΙ. ΤΕ. ΚΑΙ. ΤΕΙΜΗΘΕΙΣ. ΑΡΧΙΕΡΕΥΣ.
ΜΑΡΚΟΥ. ΑΥΡΗΛΙΟΥ. ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ
ΣΕΒΑΣΤΟΥ. ΤΟΥ. ΝΕΟΥ. ΔΙΟΝΥΣΟΥ. ΔΙΑ.
ΒΙΟΥ.

Ita hæc ſupplenda ſunt ex Sponii miſcell. erud. ant. pag. 369. Antonius triumvir quoque *Διονύσȣ νέȣ* nomen ſibi vindicaverat, Plut. in ejus vita pag. 944. A. *Προσῳκείȣ δὲ ἑαυτὸν Αντώνιος Ηρακλεῖ κατὰ γένος, καὶ Διονύσῳ κατὰ τὸ τȣ̃ βίȣ ζῆλον, (ὥσπερ εἴρηται) Διόνυσος νέος προσαγορευόμενος. Genus autem ſuum referebat Antonius ad Herculem, & vitæ genere Bacchum æmulabatur (ut dictum eſt) Bacchus novus appellatus*. Sed de his quantum ſufficit: ad Deas noſtras revertamur. Adeo erant conjunctæ ut *κατ᾽ ἐξοχὴν μεγάλαιν θεαῖν, magnarum Dearum*, appellatione occurrant. Sophocl. Oed. Col. verſ. 680.

Θάλλει δ᾽ ȣ̓ρανίας ὑπ᾽ ἄχνας
Ο καλλίβοτρυς κατ᾽ ἦμαρ αἰεὶ
Νάρκισσος, μεγάλαιν θεαῖν
Αρχαῖον στεφάνωμα. ——

Viret autem a rore cœleſti,
Pulchro flore præditus, indies ſemper
Narciſſus, magnarum Dearum
Jam olim coronæ inſerviens.

Novi quidem multos eſſe, qui per *μεγάλας θεὰς* ibi intelligant Eumenides; ſed non deſunt etiam qui de Cerere & Proſerpina accipiant, pro his facit locus Pauſan. lib. VIII. cap. 31. *Περίβολον θεῶν ἱερὸν τῶν μεγάλων· αἱ δὲ εἰσιν αἱ μεγάλαι θεαὶ Δημήτηρ καὶ Κόρη. Septum Deabus magnis ſacrum. Sunt autem Deæ magnæ Ceres & Proſerpina*. Nullo addito vocabulo etiam abſolute *αἱ θεαὶ* indigitantur. Athen. lib. V. pag. 213. D. *Μὴ περιίδωμεν δὲ ἄνδρες Αθηναῖοι τὴν ἱερὰν τȣ̃ Ιάκχȣ φωνὴν κατασεσιγασμένην καὶ τὸ σεμνὸν ἀνάκτορον τοῖν θεοῖν κεκλεισμένον. Ne aſpernemur viri Athenienſes ſacram Iacchi vocem, quæ obticuit, & auguſtum Dearum fanum, quod occluſum eſt*. Et Lucian. dial. Meretr. VII. pag. 410. *Ωμοσε γὰρ ὦ μῆτερ, κατὰ ταῖν θεαῖν, καὶ τῆς Πολιάδος. Juravit enim mater per geminam Deam & Minervam*. Videntur eædem Deæ in ſimili jurejurando intelligendæ eſſe, apud Grot. Excerpt. pag. 593.

Καὶ ταῦτ᾽ ἐγὼ, μὰ τὴν Αθηνᾶν καὶ θεȣ̀ς,
Οὐκ οἶδ᾽ ὅτ᾽ ἐστὶν. ——

Atqui illa ego per Minervam & Deos (aut Deas)
Neſcio quid ſibi velint. ——

Pag. 851.

Πρὸς τῆς Αθηνᾶς καὶ θεῶν ——

Per Minervam & Deas adjuro te. ——

Adde pag. 855.

Pallas & Proſerpina, in Attica potiſſimum cultæ, junguntur in tabula antiquiſſima, quam in Palatio fuiſſe ſcribit Plin. Hiſt. Nat. lib. VII. cap. 58. Et hac ratione ſcriptam exhibet I. V. Gravina opuſcul. pag. 678.

ΝΑΥϹΙΚΡΑΤΕϹ ΤΙϹΑΜΕΝΟΥ
ΑΘΕΝΑΙΟϹ ΚΟΡΑΙ ΚΑΙ ΑΘΕΝΑΙ
ΑΝΕΘΕΚΕΝ.

Minervæ comitem dat Proſerpinam Val. Flacc. lib. V. verſ. 345.

Florea per verni qualis juga duxit Hymetti,
Aut Sicula ſub rupe choros, hinc greſſibus hærens
Pallados, hinc caræ Proſerpina juncta Dianæ.

Inde eſt quod, cum Megalopoli in ſepto Cereris & Liberæ, duæ juxta Proſerpinæ ſignum poſitæ eſſent imagines, ex his alteram Minervam eſſe exiſtimarint. Pauſan. lib. VIII. cap. 31. *Τοῖς δὲ ἐπανάγȣσιν εἰς τὸ θειότερον δοκεῖ σφᾶς Αθηνᾶν τε εἶναι καὶ Αρτεμιν τὰ ἄνθη μετὰ τῆς Περσεφόνης συλλεγȣ́σας. Sed his qui illa ad divina magis referunt, videntur iſtæ puellæ, Minerva eſſe & Diana cum Proſerpina flores legentes,*

Juno Minervæ ſocia abs Silio Ital. vocatur lib. IX. verſ. 526.

Affatur virgo ſocia Junone parentem.

Σύμβωμοι erant in una ex ſex aris duodecim Diis Olympiæ dicatis, apud Schol. Pind. ad Olympion. Oden V. verſ. 10. Et in marmore antiquo apud Gruterum pag. XXIV. num. 7.

IVNO. ET. MINER. SAC
GENIO. COH. III. BRIT. ARAM
T. FL. FELIX. PRAEF. EX
VOTO. POSVIT. L. M
DEDICAVIT. KAL. DEC
GENTIANO. ET
BASSO. COS

Parcarum Lucina *πάρεδρος* vocatur a Pindaro Nemeon. Ode VII. verſ. 1. qui locus jam ab aliis compluribus ad partes eſt vocatus.

Ελείθυια, πάρεδρος Μοιρᾶν βαθυφρόνων,
Παῖ μεγαλοσθενέος, ἄκȣσον,
Ηρας, γενέτειρα τέκνων. ——
Lucina, quæ Parcis adſides prudentibus,
Filia potentis, exaudi,
Junonis, genitrix liberorum.

Naſcentibus cum Lucina Parcæ præſidebant. Recte vetus Criticus ad eundem Pindari locum. *Τȣ̃το δὲ φησιν, ἐπεὶ δοκοῦσιν παρὰ τὸν τῶν ὠδίνων καιρὸν παρεστάναι, καὶ ἐπικλώθειν τὰ τῆς εἱμαρμένης. Hoc vero dicit, quia creduntur ſub tempus partus adeſſe* (Parcæ) *& ſuper naſcenti fata ipſius nere*. Plato Sympoſ. pag. 188. verſ. 50. *Μοῖρα ȣ̓̃ν καὶ Εἰλείθυια, ἡ καλλονή ἐστι τῇ γενέσει. Parca igitur cum Ilithyia eſt pulcritudo nativitatis*. Hinc videtur emendandus eſſe locus Euripidis a librariis male habitus, in Iphig. in Taur. verſ. 205.

Καὶ νυκτὸς κείνας ἐξ ἀρχᾶς
Λοχείαν, σεῤῥὰν παιδείαν
Μοῖραι συντείνȣσι θεαί.

Quæ verba nulla ratione cohærent, ne dicam de ingrata prorſus, neque in Euripide ferenda, verſus ſecundi cacophonia. Si mei judicii res eſſet, legerem:

Καὶ νυκτὸς κείνας ἐξ ἀρχᾶς,
Λοχεία, στεῤῥὰν παιδείαν
Μοῖραι συντείνȣσιν, σὺν θεᾷ.

Et noctis illius ab initio,
Lucina, difficilem educationem
Parcæ intendunt, cum Dea.

Pro mea conjectura facit etiam versus, qui tunc ejusdem moduli erit, ac sequens & duo præcedentes: Dactylicus nimirum tetrameter catalecticus, adeo ut θεᾷ, quemadmodum alias sæpissime evenit, monosyllabum sit. Hæc vero si quis minus curet, & perinde esse existimet qui tandem versiculi modulus sit, sine ullo sententiæ detrimento σὺν a nobis insertum abesse poterit, quippe quod semper suppleri queat. Parturientibus quoque mulieribus cum Lucina aderant Parcæ: Pind. Olympion. Ode VI. vers. 72.

Τᾷ μὲν ὁ Χρυσοκόμας πραΰμητίν τ' Ἐλευθὼ συμπαρέστασέν τε Μοίρας.

Cui Evadnæ auricomus Apollo lenem
Lucinam cum Parcis adesse jussit.

Nuptiis præterea simul præesse credebantur. I. Pollux lib. III. §. 38. Διὰ τοῦτο καὶ Ἥρα τελεία, ἡ ζυγία· ταύτῃ γοῦν τοῖς προτελείοις προυτέλουν τὰς κόρας καὶ Ἀρτέμιδι, καὶ Μοίραις. *Ideo quoque* τελεία *dicitur Jugatina Juno: hinc enim in sacris ante nuptias initiabant virgines, & Dianæ* (sive Lucinæ) *& Parcis.*

CAP. XXIII.

Saturnus & Ops junguntur. Jupiter & Juno. Jupiter & Minerva. Jovi quoque dantur Πάρεδροι *Themis & Dice. Apollo cum Diana copulatur. Cum Proserpina Pluto, hi ambo cum Cerere. Æsculapius & Hygia, Vulcanus & Minerva, Mercurius & Venus, Bacchus & Nymphæ, idem & Rhea mutua gaudent societate. Baccho adduntur quoque Ceres & Proserpina.*

NUnc eo pervenimus, ut Deorum cum Deabus consortia referamus. Primi procedant, omnium fere antiquissimi & parentes, Saturnus & Ops: eos simul uno in templo cultos esse conjicio ex marmoris inscriptione apud Gruterum pag. XXVI. num. 3.

LOCVS. ADSIGNATVS. AEDI. O-
PIS. ET. SATVRNI
L. MVNATIO. VERO. ET. C. TE-
RENTIO. FELICE
CVRAT. OPER. PVBL

Firmat conjecturam Victor, qui in octava regione Urbis memorat ædem Opis & Saturni in vico Jugario. Et Pausan. lib. I. pag. 43. Ἐστὶ δὲ ἀρχαῖα ἐν τῷ περιβόλῳ, Ζεὺς Χαλκοῦς, καὶ ναὸς Κρόνου καὶ Ῥέας, καὶ τέμενος τὴν ἐπίκλησιν τῆς Ὀλυμπίας. *Antiqua sunt in septo, Jupiter ex ære, & templum Saturni & Opis, & lucus cognomento Olympiæ.* Eadem super ara cultos fuisse docet Macrob. Saturn. lib. I. cap. 10. pag. 191. *Philochorus Saturno & Opi primum in Attica statuisse aram Cecropem dicit, eosque Deos pro Jove terraque coluisse.* Et Schol. Pind. ad Olympion. Oden V. vers. 10.

Junonem, Jovis sororem & conjugem, cum ipso frequenter communibus honoribus venerati sunt homines. Ædem Jovi Patulcio & Junoni Patulciæ dedicatam vide apud Spon. Miscell. pag. 81. Aram utrique consecratam invenies in thesauro Gruteri pag. VII. num. 1.

I. O. M
ET. IVNONI. REGINAE
PRO. SALVTE
M. AVRELII. ANTONINI
PII. FEL. AVG
IVL. PVDENS. SEVERIANVS
ARAM. CVM. BASI
POSVIT

Signum Jovis in Junonis delubro collocatum memorat Pausan. lib. V. cap. 17. Τῆς Ἥρας δέ ἐστιν ἐν τῷ ναῷ, Διὸς ἄγαλμα· τὸ δὲ Ἥρας καθήμενόν, ἐστιν ἐπὶ θρόνῳ. *Est autem in templo Junonis statua & Juno solio insidet.*

Jovem & Minervam, βουλαῖον & βουλαίαν, Athenienses, socia in æde, in curia coluerunt: Antiphon in Orat. περὶ τοῦ χορευτοῦ. Καὶ ἐν αὐτῷ βουλευτηρίῳ Διὸς Βουλαίου καὶ Ἀθηνᾶς Βουλαίας ἱερόν ἐστι καὶ εἰσιόντες οἱ βουλευταὶ προσεύχονται. *Et in curia ipsa Jovis Bulæi, & Minervæ Bulææ delubrum est: in quo supplicant Senatores.* Spartæ τῆς Χαλκιοίκου, hoc nominis Palladi imposuerunt Lacedæmonii, ad dextram erat Jovis signum. Pausan. lib. III. pag. 250. Τῆς Χαλκιοίκου δὲ ἐν δεξιᾷ Διὸς ἄγαλμα ἐκ χαλκοῦ πεποίηται, παλαιότατον πάντων ὁπόσα ἐστὶν ἐκ χαλκοῦ. *Ad dextram Chalciœcæ Palladis erecta est statua Jovis ex ære, omnium quotquot ex ære conflatæ sunt antiquissima.* Conspiciuntur ambo Jupiter & Minerva, utrinque juxta oleam stantes & manus jungentes in numo *Hist. de l'Academie des belles lettres pag. 277. Tom. I.* Ubi etiam recte notatur Minervam a veteribus sæpissime Jovi conjunctam fuisse. Geminæ autem Deæ & Juno & Pallas præcipuo cultu cum Jove honoratæ sunt in Capitolio, qua de re vide Reines. ad Class. I. inscript. 26. Rycquium de Capitol. Rom. cap. XIII. &, neutro horum secundum, elegantissimum Arnold. Drakenborch ad Silium Ital. lib. X. vers. 433.

Jovi comes dabatur Themis, Schol. Eurip. ad Med. vers. 208. Λέγει οὖν ὅτι τῇ παρέδρῳ τῷ Διὶ Δικαιοσύνῃ, ἤγουν τοῖς ταύτης ὅρκοις πιστεύσασα, ἔπραξεν ἃ ἔπραξεν. *Dicit vero sociæ Jovis Themidi, sive ejus jurejurandis confisam, ea quæ fecit fecisse.* Pind. Olympion. Ode VIII. vers. 28.

Ἔνθα σώτειρα Διὸς ξενίου
Πάρεδρος ἀσκεῖται Θέμις.

Ubi alma Jovis hospitalis
Solio comes colitur Themis.

Eam in solio Jovis collocat Ammian. Marcellin. lib. XXI. pag. 287. *Velut ex perpetuis fontium venis vaticina mortalitatis suppeditant verba, quibus numen præesse dicitur Themidis: quam ex eo, quod fixa fatali lege præscire facit in posterum, quæ* τεθειμένα *sermo Græcus appellat, ita cognominatam, in cubili solioque Jovis vigoris vivifici Theologi veteres collocarunt.*

Dice sive Justitia, quæ inulta non sinit mortalium flagitia, Jovi etiam adsidere fingitur. Orpheus Hymno LXI.

Ὄμμα Δίκης μέλπω πανδερκέος ἀγλαομόρφου,
Ἣ καὶ Ζηνὸς ἄνακτος ἐπὶ θρόνον ἱερὸν ἵζει,
Οὐρανόθεν καθορῶσα βίον θνητῶν πολυφύλων,
Τοῖς ἀδίκοις τιμωρὸς, ἐπιβρίθουσα δικαία.

Quæ sic sonant ex versione Scaligeri:

Justitiæ obtestor pulcræ omnituentis ocellum

Ad Jovi' Dictatori' sedet quæ illustre tribunal,
Cœlitus endotuens mores mortalium homonum,
Atque ultrix plectens humana nefantia facta.

Hunc locum antiquissimum, & jam ante multa sæcula Orpheo attributum esse liquet e Demosth. Orat. I. contra Aristog. non procul ab initio. Καὶ τὴν ἀπαραίτητον καὶ σεμνὴν Δίκην, ἣν ὁ τὰς ἁγιωτάτας ἡμῖν τελετὰς, καταδείξας Ορφεὺς, παρὰ τὸν Διὸς θρόνον φησὶ καθημένην πάντα τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐφορᾷν. *Et inexorabilem atque tremendam Justitiam, eam, sanctissima nobis qui tradidit initia. Orpheus juxta Jovis thronum sedentem dicit omnia hominum facta inspicere*. Debes hanc observationem Ti. Hemsterhuis, cui viro mea omnia, utcunque fuerint, ipse debeo. Hesiodi Op. & Die. vers. 257. de eadem Dea versus, in rem nostram facientes, heic addi merentur.

Η δέ τε παρθένος ἐςὶ Δίκη Διὸς ἐκγεγαυῖα,
Κυδνή τ' αἰδοίη τε θεοῖς οἱ Ολυμπον ἔχουσι.
Καὶ ῥ' ὁπότ' ἄν τίς μιν Βλάπτῃ σκολιῶς ὀνοτάζων,
Αὔτικα πὰρ Διὶ πατρὶ καθεζομένη Κρονίωνι,
Γήρυετ' ἀνθρώπων ἄδικον νόον, ὄφρ' ἀποτίσῃ
Δῆμος ἀτασθαλίας Βασιλέων. ——
Justitia autem est virgo Jove prognata,
Honorata & reverita a Diis qui Olympum incolunt.
Ubi vero illam aliquis offenderit prave injuria afficiens,
Statim Jovi patri adsidens Saturnio,
Eloquitur hominum injustitiam, quomodo pendat
Populus regum deliria &c.

Jamblichus in vita Pythag. cap. IX. Jovi tantum Themidem, at Plutoni Dicen adjungit. Sed Themis aliquando etiam cum Dice confunditur, ut apud Sophocl. in Electra vers. 1067.

Αλλ' οὐ τὰν Διὸς ἀςραπὰν,
Καὶ τὰν οὐρανίαν Θέμιν,
Δαρὸν οὐκ ἀποίνητον.
Per Jovis fulmen juro,
Perque cœlestem Vindictam,
Non diu impune erit &c.

Apollo & Diana conjunctissima sunt numina. Ædes Dianæ in sanctissimo Apollinis in Delo delubro ædificata erat teste Clemente Al. Protr. pag. 13. vers. 27. Τί σοι καταλέγω τὰς ὑπερβορέων γυναῖκας; Υπερόχη, καὶ Λαοδίκη κέκλησθον· ἐν τῷ Αρτεμισίῳ ἐν Δήλῳ κεκήδευσθον· τὸ δὲ ἐν τῷ Απόλλωνος τοῦ Δηλίου ἐςὶν ἱερῷ. *Quid tibi referam Hyperboreas mulieres, Hyperochæ & Laodices nomine insignes, sepultas in Delo in fano Dianæ, quod est in Apollinis Delii delubro*. Signum quoque Dianæ collocatum erat in celebratissimo Apollinis Palatini templo. Plin. Hist. Nat. lib. XXXVI. cap. 5. *Timothei manu Diana Romæ est in Palatio, Apollinis delubro, cui signo caput reposuit Aulianus Evander*.

Plutoni & Proserpinæ divinos honores communi in templo aliquando persolutos esse liquet ex antiqui lapidis epigraphe apud Gruterum pag. XCVII. num. 3.

PLVTONI. ET
PROSERPIN
AE. FLAVIA
VENERIA
BESSA. EX
VISV. AEDEM
D. S. P. V. IS. L. M

Et Strabone lib. XIV. pag. 960. D. Κώμη τῶν Νυσαέων ἐςὶν οὐκ ἄπωθεν τῆς πόλεως Αχάρακα ἐν ᾗ τὸ Πλουτώνιον, ἔχον καὶ ἄλσος πολυτελὲς, καὶ Πλούτωνός τε καὶ νεὼν Κόρης, *Pagus Nysænsium est Acharaca non longe ab urbe dissitus, in quo est Plutonium, habens lucum, & templum Plutonis & Liberæ*. Ita recte locum emendavit Illustr. Ez. Spanhemius in epist. ad Morellium pag. 112. quem vide.

Plutonis, Proserpinæ & Cereris imagines hujus in templo conspiciebantur, in via quæ Mycenis Agros tendebat; Pausan. lib. II. pag. 150. Εν δὲ αὐτῷ ναός ἐςιν ἄλλος ὀπτῆς πλίνθου, ξόανα δὲ Κόρης καὶ Πλούτωνος καὶ Δήμητρός ἐςι. *In eodem autem loco ædes est alia e coctilibus laterculis, cui insunt statuæ Proserpinæ, Plutonis & Cereris*.

Æsculapio & Hygiæ sive Saluti delubra communia passim dedicabantur. Pausan. lib. III. cap. 22. in fine: Καὶ ἐν τοῖς ἐρειπίοις ἱερὸν Ασκληπιοῦ καὶ Υγείας ἐςὶν οὐκ ἀφανές. *Et in ruderibus non spernendum est Æsculapii & Salutis delubrum*. Vetus inscriptio apud Spon. Miscell. erud. ant. pag. 117.

AESCVLAPIO. ET. HYGIAE
H. TEMPL. CVM. FONTIBVS. SV
SACRVM

Apud Pausan. lib. II. pag. 163. invenies Salutis signum Æsculapio sedenti adstans. Τὸ δὲ ἐπιφανέςατον Αργείοις Ασκληπιείων ἄγαλμα, ἐφ' ἡμῶν, ἔχει καθήμενον Ασκληπιὸν, λίθου λευκοῦ, καὶ παρ' αὐτὸν ἕςηκεν Υγεια. *Clarissimum vero Argivorum Æsculapii templum, nostra ætate imaginem Dei albo ex lapide sedentem habet eique adstantem Salutem*. Plura non accumulo, multas enim inscriptiones & veterum scriptorum loca, in quibus Æsculapius & Salus junguntur, attulit Ger. Jo. Vossius de Idololatr. gent. pag. 39. B. Ex quo libro me non pauca profecisse lubens fateor.

Vulcanus & Minerva simul honorabantur Athenis in Academia Schol. Soph. ad Oed. Col. vers. 56. Συντιμᾶται δὲ καὶ ἐν Ακαδημίᾳ τῇ Αθηνᾷ, καθάπερ ὁ Ηφαιςος. *Colitur autem Prometheus cum Minerva in Academia, quemadmodum & Vulcanus*. Adde D. August. de Civ. Dei lib. XVIII. cap. 12. *Quia in templo Vulcani & Minervæ, quod ambo unum habebant Athenis, expositus inventus est puer dracone involutus, qui eum significavit magnum futurum, & propter commune templum, cum essent parentes ejus ignoti Vulcani & Minervæ dictum esse filium*. De Erichthonio Augustinum loqui quilibet facile animadvertit. Apud Ægyptios quoque jungebantur: Οὗτοι γὰρ μόνοι θεῶν παρ' αὐτοῖς ἀρσενοθηλεῖς ὑπαρχουσι. *Hi enim soli e Diis apud illos utriusque sunt sexus*. Orus Apollo Hierogl. lib. I. cap. 13. Præsidebant ambo artibus earumque cultoribus. Solon apud Grotium Floril. Stobæi pag. 63.

Αλλος Αθηναίης καὶ Ηφαίςου πολυτέχνεω
Αργαλέοιν χειροῖν συλλέγεται βίοτον.

Pars manibus victum quærunt artesque fatigant
Palladis ingenio Mulciberique datas.

Grotii versionem nemo non agnoscit. Plato de legg. lib. XI. pag. 617. vers. 2. Ηφαίςου καὶ Αθηνᾶς ἱερὸν τὸ τῶν δημιουργῶν γένος, οἳ τὸν βίον ἡμῖν ξυγκατεσκευάκασι τέχναις. *Vulcano & Minervæ sacra est artificum gens, qui nobis ad vitam necessaria artibus comparaverunt*.

Venus & Mercurius mutuo gaudent contubernio: Plut. in principio conjug. præcept. Καὶ γὰρ οἱ παλαιοὶ τῇ Αφροδίτῃ τὸν Ερμῆν συγκαθίδρυσαν, ὡς τῆς

περὶ τ̃ γάμον ἡδονῆς μάλιστα λόγε δεομένης. *Etenim veteres juxta Venerem collocarunt Mercurium, quoniam voluptas quæ in nuptiis eſt potiſſimum oratione indiget.* Cornut. de Nat. De. pag. 197. cujus verba jam recitavi pag. 73. in fine. Et ipſa Venus apud Apulej. Metam. lib. VI. pag. 175. refert quam conjuncta ſit Mercurio. *Tunc ovans dico, comitante etiam Mercurio, Venus cælo demeat, eique ſollicite ſerit verba: Frater Arcadi, ſcis nempe ſororem tuam Venerem ſine Mercurii præſentia nil uſquam feciſſe.* Illam conjunctionem innuit Horat. Ode 30. lib. I. Venerem alloquitur:

Et parum comis ſine te Juventas,
Mercuriuſque.

Bacchi & Nympharum aras juxta ſe invicem locatas invenies apud Athen. lib. II pag 38. C. Καὶ διὰ τοῦτο ἱδρύσασθαι βωμὸν ὀρθῦ Διονύσου ἐν τῷ Ὡρῶν ἱερῷ· αὗται γὰρ κ̀ τ̃ τ̃ ἀμπέλυ καρπὸν ἐκτρέφυσι. Πλήσιον δ᾽ αὐτῦ κ̀ ταῖς Νύμφαις βωμὸν ἔδειμεν, ὑπόμνημα τοῖς χρωμένοις τ̃ κράσεως ποιύμενος. *Et ideo aram ædificaſſe recto Baccho Horarum in templo: illæ enim etiam vitis fructum educant. Prope hanc vero aliam Nymphis aram ſtatuit, monumentum illis qui vino utuntur ne mixtioni obliviſcantur.* Huc refero ſolennem Siculorum ritum, qui vino largiter invitati ſacra faciebant Nymphis, & temulenti circa illarum ſtatuas pervigilium inſtituebant. Athen. lib. VI. pag. 250. A.

Junguntur frequenter Liber pater & magna Deorum mater. Propert. lib. III. eleg. 16. verſ. 35. Bacchum alloquitur:

Mollia Dircææ pulſabunt tympana Thebæ
Capripedes calamo Panes biante canent:
Vertice turrigero juxta Dea magna Cybele
Tundet ad Idæos cymbala rauca ſonos.

Felix eſt ſecundum Euripid. in Bacchis verſ. 78.

Τά τε ματρὸς μεγάλας
Ὄργια Κυβέλας θεμιστεύων,
Ἀνὰ θύρσον τε τινάσσων,
Κισσῷ τε στεφανωθεὶς,
Διόνυσον θεραπεύει.

Qui matris magnæ
Cybeles orgia celebrat,
Et thyrſum quatiens
Atque hedera coronatus,
Bacchum colit.

Sæpius eodem in Dramate confunduntur ea quæ ad Cybelem & Bacchum pertinent. Utrumque numen æquali præditum erat virtute, & homines in furorem agendi, quod notum eſt, & eos a furore denuo liberandi. Schol. Pind. ad Pythion. Oden. III. verſ. 139. Οἱ δὲ ὅτι καθαρτριά ἐστι τ̃ μανίας ἡ θεὸς, καὶ τ̃ Διόνυσον δὲ καθαρτικὸν μανίας φασι. *Alii autem, quod furoris purgatrix ſit Dea, Bacchum quoque eadem virtute pollere dicunt.* Quin Bacchum ipſum, inſaniis a Junone immiſſis agitatum, Dea ſanitati reſtituit. Apollod. lib. III. cap. 5. §. I. Διόνυσος εὑρέτης ἀμπέλυ γενόμενος, Ἥρας μανίαν αὐτῷ ἐμβαλύσης, περιπλανᾶται Αἴγυπτόν τε ϗ Συρίαν. —— Αὖθις δὲ εἰς Κύβελα τ̃ Φρυγίας ἀφικνεῖται, Καθαρθεὶς ὑπὸ Ῥέας, κ̀ τὰς τελέτας ἐκμαθὼν κ̀ λαβὼν παρ᾽ ἐκείνης τὴν στολὴν (forte rectius fuerit τ̃ στόλον) ἐπὶ Ἰνδοὺς διὰ τ̃ Θρᾴκης ἠπείγετο. *Cum Bacchus vitem inveniſſet, a Junone furore percitus vagabatur per Ægyptum & Syriam. — Tandem vero ad Phrygiæ oppidum Cybela pervenit. Purgatus a Rhea, & initia edoctus, & ſtola ab ea ſumta, contra Indos per Thraciam properabat.* Eandem Hiſtoriam ob oculos habuit Athen. lib. V. pag. 201. C. Ἑξῆς ἐπὶ τετρακύκλυ Διόνυσος περὶ τ̃ τ̃ Ῥέας βωμὸν καταπεφευγὼς, ὅτε ὑπὸ Ἥρας ἐδιώκετο, στέφανον ἔχων χρυσῦν. *Deinceps ſuper curru quatuor rotarum Bacchus erat, ad aram Rheæ confugiens, quando a Junone inſequebatur, corona inſignis aurea.* In gravioris etiam momenti re Baccho opem tulit Deum mater, cum a Titanibus μελισὶ, in fruſta laniatum, toſtum & elixum, membris collectis & rite compactis, priſtinæ formæ reddidit. Cornut. pag. 220. Μυθολογεῖται δ᾽ ὅτι διασπασθεὶς ὑπὸ τ̃ Τιτάνων, συνετέθη πάλιν ὑπὸ τ̃ Ῥέας. *Fabulantur a Titanibus diſcerptum, a Rhea iterum compactum eſſe.* Magna erat convenientia inter ſacram utriuſque Dei pompam. Deum mater duobus vecta leonibus incedebat: totidem Tigres, Pantheras, Lynces ſimilesve feras curru ſuo ſubjungebat Bacchus. Hujus comites erant furibundæ mulieres per omne genus laſciviarum euntes. Illius ſemiviri, & illi mentis impotes, ignavum pecus, mollitia & infanda ſpurcitie infames. Inſtrumenta quibus utrinque utebantur erant eadem, cymbala & tympana, quæ mollibus optime conveniunt. Demetr. Phaler. aut quiſque tandem libelli auctor eſt, de elocut. pag. 46. Τὰ τύμπανα κ̀ τὰ ἄλλα τ̃ μαλθακῶν ὄργανα. *Tympana & reliqua mollium inſtrumenta.* Hinc quoque mollia vocantur ab Achille apud Stat. Achill. lib. I. verſ. 663.

—— —— —— *Ceſſi*
Te propter: tibi penſa manu, tibi mollia geſto
Tympana. —— —— ——

Propert. lib. III. eleg. 15. verſ. 35.

Mollia Dircææ pulſabant tympana Thebæ.

Addi poteſt Senec. Herc. verſ. 470.

—— Laude qui notas manus
Ad non virilem tympani movit ſonum.

Utriuſque autem numinis inventum erant tympana, ut ipſe nos docet Bacchus in Bacchis Euripid. verſ. 59.

Τύμπανα, Ῥέας τε μητρὸς, ἐμά θ᾽ εὑρήματα.

Tympana, mea & Rheæ matris inventa.

Tibiæ in amborum ſacris memorantur, quæ, cum e buxo eſſent, paſſim quoque *buxi* nomine veniunt, ut *Bacchica buxus*, *Cybeleia buxus* &c. Thyrſis etiam Cybelæ comites Galli, non ſecus ac Bacchæ, utebantur, unde φιλόθυρσοι *thyrſos amantes* compellantur ab incerto, ſed antiquo, apud Hephæſt. Poeta pag. 40. Utraque ſacra confudit Pindarus teſte Strab. lib. X. pag. 719. Τὴν κοινωνίαν τῶν περὶ τ̃ Διόνυσον ἀποδεχθέντων νομίμων παρὰ τοῖς Ἕλλησι, κ̀ τ̃ παρὰ τοῖς Φρυξὶ περὶ τὴν μητέρα τ̃ θεῶν συνοικειῶν ἀλλήλοις. *Communionem rituum Bacchicorum, qui apud Græcos, & matris Deorum, qui apud Phrygas obtinent, inter ſe invicem conjungens.*

Venus eodem in templo culta eſt cum Baccho: Pauſan. lib. VII. pag. 500. Ναὸς δὲ ἐνταῦθα Δήμητρος, ὁ δὲ Ἀφροδίτης Διονύσυ τέ ἐστι. *Templum ibi eſt Cereris, Veneris vero fanum Baccho etiam pertinet.* Adi a nobis notata ſuperius pag. 126.

Bacchum Cereris πάρεδρον vocat Pind. Iſthmion. Ode VII. verſ. 3.

—— Ηρα χαλκοκρότȣ πάρεδρον
Δαμάτερος ανίκ' ἀρυχαίταν
Αντειλας Διόνυσον. ——

—— *An æristrepæ consortem*
Cereris intonsum cum
Edidisti Bacchum. ——

Romæ in Cereris templo elegantissima fuit Bacchi imago docente Strabone lib. VIII. pag. 584. C. Τȣ̃τον μὲν ȣ̃ν ȣ̉κ ἑωράκαμεν ἡμεῖς, τὸν δὲ Διόνυσον ἀνακείμενον ἐν τῷ Δημητρείῳ τῷ ἐν Ρώμῃ κάλλισον ἔργον ἑωρῶμεν. Εμπρηϑέντος δὲ τȣ̃ νεὼ, συνηφανίσϑη ϰ̀ ἡ γραφὴ νεωςὶ. *Hunc quidem nos non vidimus; sed Bacchum dedicatum in Cereris templo quod est Romæ. Cum vero conflagrasset nuper templum simul etiam flammis absumta est pictura.* De Aristide Thebano Plin. Hist. Nat. lib. XXXV. cap. 10. *Item Liberum patrem* (pinxit) *& Ariadnen spectatos Romæ in æde Cereris.*

Proserpinam & Bacchum aliquando conjunxerunt veteres, hinc apud Onuf. Panvinum in descriptione urbis Romæ, regione XI. mentionem fieri videbis ædis Liberi Liberæque. Communia utrique erant cornua, ea Baccho frequenter attribui qui ignoret nemo est, de Proserpina id liquet ex Euseb. Præpar. Evang. lib. III. cap. II. pag. 109. Σύμβολα γὰρ ἡ Κόρη φέρει τῆς προβολῆς τῶν κατὰ τȣ̀ς καρπȣ̀ς, ὑπὲρ τὴν γῆν ἐκφυσέων· ὁ δὲ Διόνυσος, κοινὰ μὲν πρὸς τὴν Κόρην ἔχει τὰ κέρατα, ἔςι δὲ ϑηλύμορφος. *Libera signa fert e frugibus extantium super terram germinum: at Bacchus communia quidem habet cum Proserpina cornua; sed forma præditus est muliebri.* Sæpe cum his duobus unum in contubernium compingebatur Ceres. Romæ profecto tribus hisce Diis ædes dicata erat: Cicero de Nat. De. lib. II. p. 308. E. *Hunc dico Liberum Semele natum, non eum, quem nostri majores auguste, sancteque Liberum cum Cerere & Libera consecravere, quod quale sit ex mysteriis intelligi potest.* Mentio quoque fit hujus delubri apud Liv. lib. III. cap. 55. *Ut qui Tribunis plebis, Ædilibus, Judicibus, Decemviris nocuisset, ejus caput Jovi sacrum esset, familia ad ædem Cereris Liberi Liberæque venum iret.* Imagines juxta se invicem positæ erant in Nympharum templo: Pausan. lib. II. p. 136. Καὶ ἀγάλματα Διονύσȣ ϰ̀ Δήμητρος ϰ̀ Κόρης, τὰ πρόσωπα φαίνοντα ἐν τῷ νυμφῶνι ἐςίν. *Et signa Liberi Cereris & Liberæ facie retecta sunt in Nymphone.* In Eleusiniis sacris utraque cum Dea colebatur Bacchus, quod colligo ex Sophocl. Antig. vers. 1235. alloquitur Bacchum.

—— —— Μέδεις δὲ παγ-
κοίνȣ Ελευσινίας
Δηȣ̃ς ἐν κόλποις.

—— —— *Imperas vero com-*
muni Eleusini
Cereris in sinu.

Scholiastes, inter alias verbi παγκοίνȣ expositiones, illam quoque exhibet, ὅτι κοινὰ μυςήρια Δήμητρος ϰ̀ Διονύσȣ, *quod communia sunt mysteria Cereris & Bacchi.*

CAP. XXIV.

Non tantum bini aut terni conjungebantur Dii, verum etiam plures: ita Consentes sociabantur, nec illi soli; sed aliquando omnes Dii. De Pantheis quædam notantur.

HActenus exempla proposuimus duorum aut ad summum trium Deorum consociatorum: hoc capite observo antiquos intra hunc numerum non constitisse, & frequenter plura junxisse numina; ita Consentibus Diis, duodecim numero, communis ara dedicata est Athenis in foro a Pisistrato, Tyranni istius Pisistrati nepote. Thucyd. lib. VI. pag. 447. Πεισίςρατος ὁ Ιππίȣ τȣ̃ τυραννεύσαντος υἱὸς, τȣ̃ πάππȣ ἔχων τȣ̉νομα, ὃς τῶν δώδεκα ϑεῶν βωμὸν τὸν ἐν τῇ ἀγορᾷ ἄρχων ἀνέϑηκε. *Pisistratus Hippiæ, qui tyrannidem exercuit, filius, avi nomen habens, duodecim Diis aram in foro, cum Archon esset, statuit.* Ab Argonautis iisdem quoque altare exstructum est, ut refert Apoll. Rhod. lib. II. vers. 533.

Ενϑεν δὲ τόϑεν μακάρεσσι δυώδεκα δωμήσαντες
Βωμὸν ἁλὸς ῥηγμῖνι πέρην, ϰ̀ ἐφ' ἱερὰ ϑέντες
Νῆα ϑοὴν εἴσβαινον ἐρεσσέμεν. ——

Exinde duodecim Diis ædificata
Ara in opposito maris litore, & sacris super ea peractis
Ingressi sunt navem velocem ad remis incumbendum.

Meminit similis aræ Strabo lib. XIII. pag 902. B. Επὶ δὲ τῷ Λέκτῳ βωμὸς τοῖς δώδεκα ϑεοῖς. *Ad Lectum ara est duodecim Deorum.* Culti quoque sunt super aris sex, quarum singulæ binis sacræ erant Diis. Pind. Olympion. Ode V. vers. 10.

Βωμȣ̀ς ἓξ διδύ-
μȣς ἐγέραρεν ἑορ-
ταῖς Θεῶν μεγίςαις
Υπὸ βȣϑυσίαις.

Aras sex geminas festis Deorum honoravit, maximis sacrificiis boum. Scholiastes. Ηρόδωρός φησι τὸν Ηρακλέα ἐν Ολυμπίᾳ ἱδρύσασϑαι δώδεκα ϑεῶν ἀγάλματα· συμβώμȣς δὲ αὐτȣ̀ς ποιῆσαι ἓξ βωμȣ̀ς κατασκευάσας. *Herodorus ait Herculem Olympiæ collocasse duodecim Deorum imagines: eos autem* συμβώμȣς *fecisse sex aris ædificatis.* Idem firmat Apollod. lib. II. cap. 7. §. 2. De Hercule loquitur: Πέλοπός τε βωμὸν ἱδρύσατο, ϰ̀ ϑεῶν δώδεκα βωμὸς ἑξῆς ἐδείματο. *Pelopis aram statuit, & duodecim Deorum aras ordine ædificavit.* Si quis pro ἑξῆς scriptum mavult ἓξ, me ipsi adversantem non offendet. Communi in templo majorum gentium numina culta esse liquet ex Onufr. Panvinio, qui in descript. Urbis Romæ pag. 105. *ædis Deum Consentum* meminit. Idem quoque evinco ex Inscr. apud Gruterum pag. 11. num. 12.

PRO. SALVTE. ITVS. AC
REDITVS. D. N. SANCTIS
SIMI —— —— —— ——
TI. AVG. AEDICVLAM
CONCILII. DEORVM
DEARVMQVE
AVRELIVS. FAVSTVS
PROT. DIVINI. LATERIS
AVG. N. EX VISV. DEAI
VALENTIAE
S. P. F. C

Nec contenti, duodecim Deos uno in templo concludere, & ſocia ſuper ara colere, templa araſque omnibus Diis communes exſtruxerunt. Hujuſmodi delubra memorat Pauſan. lib. II. cap. 2. pag. 116. Ἐςὶ δὲ καὶ Τύχης ναὸς, ἄγαλμα ὀρθὸν Παρίου λίθου. Παρὰ δὲ αὐτὸ θεοῖς πᾶσιν ἐςὶν ἱερόν. *Eſt etiam ædes Fortunæ, ſignum erectum Pario ex marmore: juxta illud autem templum omnium Deorum.* lib. III. cap. 22. p. 167. Ἱερόν ἐςιν αὐτόθι ἀρχαῖον κοινὸν θεῶν ἁπάντων, καὶ περὶ αὐτὸ ἄλσος παρεχόμενον πηγάς. *Ibidem eſt antiquum templum omnibus Diis commune, & circum illud lucus e quo fontes promanant.* Aliiſque pluribus in locis. Exemplum quoque ſuppeditat lapis litteratus in Gruteri Theſ. pag. XXIV. num. 6.

IVNONI. REGINAE
MINERVAE
NEPTVNO
LIBERO. PATRI
DIANAE
CETERISQVE. DIBVS
L. ANTON. SABINIANVS
CORNEL. LEG. LEG. I. AD
P. S. TEMPLVM. VETVS
CONLAPSVM &c.

Celeberimum fuit Romæ ab Agrippa ædificatum Pantheum, ſive omnium Deorum delubrum: ejus meminit Ammian. Marcell. lib. XVI. cap. 10. p. 244. Decoratum eſt a Diogene Athenienſe teſte Plinio Hiſt. Nat. lib. XXXV. cap. 5. pag. 709. Inſtauratum ab Hadriano Imperatore, ut docet in ejus vita Ælius Spartian. cap. XIX. Aliud quoque Pantheum Romæ fuit a Domitiano conſtructum, quod Trajano imperante fulmine ictum conflagravit: Paulus Diacon. Hiſt. Miſcellæ lib. X. cap. 5. Huc etiam refero loca in quibus omnium Deorum ſigna conſpiciebantur. Ut Romæ Capitolium, de quo Victor regione VIII. *Capitolium ubi omnium Deorum ſimulacra celebrantur.* Inde Silio Ital. lib. I. verſ. 541. audit, *ſuperis habitabile ſaxum.* Similis fere erat ſacer quidam apud Meſſenios locus, ab ipſis ἱεροθύσιον dictus: Pauſan. lib. IV. cap. 32. Τὸ δὲ ὀνομαζόμενον παρὰ Μεσσηνίων Ἱεροθύσιον, ἔχει μὲν θεῶν ἀγάλματα ὁπόσους νομίζουσιν Ἕλληνες, ἔχει δὲ χαλκῆν εἰκόνα Ἐπαμεινώνδου. *Ædificium cui ἱεροθυσίῳ nomen fecere Meſſenii, præter imagines omnium Deorum quotquot recipiunt Græci, ſignum æneum habet Epaminondæ.* Et in Concordiæ templo, quod erat Romæ, forte omnium Deorum fuerint ſtatuæ, multas ſaltim in eo recenſet Plin. Hiſt. Nat. lib. XXXIV. cap. 8. Qualia templa ab iſtis quæ Panthea vocantur haud diverſa fuiſſe exiſtimem. Nam & Panthea alicui Deo præcipue dedicabantur: Ita Sextus Rufus in regione Exquilina mentionem facit Minervæ Medicæ Panthei: Minervæ igitur, opinor, dedicatum fuit hoc delubrum, & reliquorum omnium Deorum ſigna habuit. Quin ipſum Agrippæ Pantheon Jovi Ultori conſecratum erat ut docet Plin. Hiſt. Nat. lib. XXXVI. cap. 15. Ararum ſuper quibus omnibus ſacrificatum eſt Diis exempla inveniuntur apud Pauſaniam lib. V. c. 15. Ἐςιν οὖν βωμὸς ἐν τῷ οἰκήματι θεοῖς πᾶσιν ἐν κοινῷ. *Eſt in hoc ædificio ara omnibus Diis communis.* Et lib. VIII. pag. 677. Καὶ θεῶν ἄλλων εἰσὶ βωμοί. τῷ τελευταίῳ δὲ ἐπίγραμμά ἐςι θεοῖς αὐτὸν τοῖς πᾶσιν εἶναι κοινόν. *Inter varia Deorum altaria quæ ibi ſunt ultimo inſcriptum eſt id omnibus Diis commune eſſe.*

CAP. XXV.

Græci & Romani ſuos Deos aliquando cum peregrinis ſociabant. Deæ conjungebantur cum Heroibus quos vivos dilexerant. Cum Diana Hippolytus ſeu Virbius; cum Deorum matre Attis, cum Venere Adonis, & Anchiſes, cum Cerere Jaſion & Triptolemus. Diis aliquando etiam addebantur mulieres ex quibus liberos ſuſtulerant. Ita Marti Tritæa, Neptuno Clito. Amoris σύνναος erat Phryne.

Licet multo adhuc plura adferri poſſent exempla Deorum a Græcis Romaniſque conjunctorum; illa tamen, quæ propoſuimus ſatis ſuperque ſufficient. Addendum vero eſt non tantum ſuos Deos inter ſe copulaſſe; ſed aliquando etiam, quamvis raro, propriis peregrinos addidiſſe. Ita apud Gruterum pag. XXXI. num. 9. arulæ inſcriptio extat talis:

SOL. SERAPI. IOVI
LIBERO. PATRI
ET. MERCVRIO
ET. SYLVA. SACR.

Cererem comitari dicitur Oſiris ab Apollinari Sid. Carm. XI. verſ. 115.

Hic Cererem Siculam Pharius comitatur Oſiris.

Cum Matre Deum eodem in fano culta eſt Iſis, ut liquet ex marmore antiquo apud Gruterum pag. XXVII. num. 2.

MATRI. DEVM. ET. ISIDI
C. MENATIVS. C. FIL. FAB.
SEVERVS. FANVM. REFECIT
ET. PRONAVM. DE. SVO. FECIT
EX. VOTO

Et in antiquo Hermionenſium oppido in Iſidis & Sarapidis templo ſacra peragebantur Cereris teſte Pauſan. lib. II. pag. 193. Ὁ δὲ Σεράπιδι ᾠκοδόμηται καὶ Ἴσιδι, καὶ περίβολοι μεγάλων λίθων λογάδων εἰσίν. ἐντὸς δὲ αὐτῶν, ἱερὰ δρῶσιν ἀπόρρητα Δήμητρι. *Aliud vero templum Serapi atque Iſidi ædificatum eſt, & ſepta adſunt exſtructa e calculis majoribus: in illis autem ſacra infanda fiunt Cereri.*

Cum Deabus aliquando ſociabant homines defunctos, ſive Heroas, quos illæ vivos dilexerant. Eleganter Servius ad Æn. lib. VII. verſ. 76. *Revera autem, ut ſupra diximus, Virbius eſt numen conjunctum Dianæ, ut Matri Deum Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.* Vivo Hippolyto, qui poſt mortem Virbius indigitatus eſt, ſumma familiaritas interceſſit cum Diana: Xenoph. Cyneg. cap. I. §. II. Ἱππόλυτος δὲ ὑπὸ μὲν τῆς Ἀρτέμιδος ἐτιμᾶτο, καὶ ἐν λόγοις ἦν, σωφροσύνῃ δὲ καὶ ὁσιότητι μακαρισθεὶς ἐτελεύτησεν. *Hippolytus a Diana magni fiebat, & cum ea familiariter colloquebatur, temperantiæ autem & caſtitatis laude beatus vitam cum morte commutavit.* Deæ *comitem* ſe dicit Hippolytus apud Senecam in cognomine Tragœdia verſ. 54.

Ades en comiti diva virago
Cujus regno pars terrarum
Secreta vacat.

Et σύνθακον ſuam illam indigitat apud Eurip. in Hipp. verſ. 1093.

Ω φιλτάτη μοι Δαιμόνων Λητῦς κόρα
Σύνθακε, συγκύναγε, φδξόμεθα δή.

O amiciſſimum mihi numen Latonæ filia
Vitæ & venationis ſocia, fugiamus quæſo.

Hinc in Dianæ Aricinæ nemore colebatur Virbius. Schol. Perſii ad Sat. VI. verſ. 56. *Quatuor millibus ab urbe eſt Virbii clivus, qua iter eſt ad Ariciam, & ad nemus Dianæ, ubi Virbius colitur, id eſt Hippolytus, quod bis in vitam prolatus ſit*. Junguntur in inſcriptione apud Gudium pag. XXX. n. I.

DIANAE. ARECINIAE
ET. VIRBIO. SACR

Attis cum Matre Deum paſſim copulatur, quantum ſatis, iſtius rei exempla exhibet Jo. Gerh. Voſſius de Idololatr. gent. lib. II. cap. 52. pag. 320. De Minerva & Erichthonio mihi adhuc non conſtat. At Venerem cum Adonide Amathunte communi in templo cultam fuiſſe docet Pauſan. lib. IX. cap. 41. Εςι ᾗ Αμαθῦς ἐν Κύπρῳ πόλις, Αδώνιδος ἐν αὐτῇ ϗ Αφροδίτης ἱερόν ἐςιν ἀρχαῖον. *Eſt Amathus Cypri urbs, in ea eſt delubrum antiquum Veneris & Adonidis*. Orgia Adonidis in Veneris Bybliæ fano celebrabantur, ut auctor eſt Lucianus de Dea Syra p. 750. Εἶδον ᾗ ϗ ἐν Βυβλῳ μέγα ἱερὸν Αφροδίτης Βυβλίης ἐν τῷ ϗ τὰ ὄργια ἐς Αδωνιν ἐπιτελέυσι. *Ubi etiam Bybli magnum Veneris templum, in quo arcana Adonidi faciebant ſacra*. Et apud Apulejum Met. lib. VIII. pag. 213. lurco quidam *cum ſuo Adone Venerem dominam* invocat. Illis, quos Servius recenſuit, plures addi poſſunt: ita verbi gratia cum Cerere conjunctus erat Jaſon, de quo Theocr. Idyll. III. verſ. 50.

—— Ζαλῶ ᾗ φίλα γύναι Ιασίωνα,
Ος τόσσων ἐκύρησεν ὅσ' ὐ πδσεῖθε βέβαλοι.

—— *Beatum, mi fœmina, prædico Jaſionem,*
Qui talium compos factus eſt, qualia non ſcietis
profani.

Scholiaſtes: Παρεμφαίνει, ᾗ μυςικὸν ͳ ἔρωτα Ιασίωνος ϗ Δημήτερος. *Innuit myſticum Cereris & Jaſionis amorem*. Inter horrenda enim Eleuſiniorum myſteriorum erant illi Jaſionis & Cereris amores. Triptolemus quoque Cereris erat ſocius. Inde ejus ſtatua ante Cereris templum prope Deæ ſimulacrum conſpiciebatur Ennæ. Cicero in Verrem lib. IV. pag. 249. *Ante ædem Cereris in aperto, ac propatulo loco ſigna duo ſunt, Cereris unum, alterum Triptolemi, & pulcerrima & perampla*. Anchiſes junctim cum Venere colebatur: templum enim utrique commune memorat R. Feſtus in regione, quæ dicitur Forum Romanum. Alios ſciens prætereo. Simili fere ratione Diis jungebantur mulieres. Ita Tritæa in cognomine urbe colebatur cum Marte ex quo filium conceperat Melanippum. Pauſan. lib. VII. pag. 580. Θύειν δὲ οἱ ἐνταῦθα ϗ Αρει ϗ τῇ Τριταίᾳ νομίζυσιν. *Et illius loci incolis receptum eſt Marti & Tritææ ſacra*. Hæc eſt ratio cur Plato in Atlantico p. 505. fingat templum exſtructum eſſe Clitoni & Neptuno, qui ex ea, licet mortali, liberos ſuſceperat, ut in anterioribus fabulatur. Τὰ δὲ ͳ ἀκροπόλεως βασίλεια κατεσκδασμένα ὧδ' ἦν· ἐν μέσῳ ἱερὸν ἄγιον αὐτόθι ͳ τε Κλειτῦς ϗ Ποσειδῶνος. *Cum palatiis, quæ in arce, hac fere ratione comparatum erat: in medio autem ibidem erat templum Clitus & Neptuni*. Quemadmodum Hipolytus cum Diana conſociabatur, quia iiſdem artibus quibus Dea ſtudebat, ita cum Amore culta eſt Phryne, docente id Plutarcho in Amatorio pag. 753. Η δὲ σύνναος μὲν ἐνταῦθοι ϗ συνίερος ͳ Ερωτος ἐν Δέλφοις, κατάχρυσος δ' ἑςῶσα μͳ ͳ βασιλέων ϗ βασιλειῶν. *Templi & ſacrorum Amoris Delphis ſocia, aurata ſtans inter reges & reginas*. Plutarchum Phrynem indicare liquet e Pauſania, qui auratæ ejus imaginis Delphis collocatæ meminit lib. X. pag. 833.

CAP. XXVI.

Roma ut Dea culta. Aliis Diis adjuncta eſt, & imprimis Jovi. Imperatoribus cum Diis quibuſdam communes nonunquam honores exhibiti. Cum Roma frequenter ſociantur, & aliquando etiam inter ſe.

POſtquam res Romana civium virtute & bellorum fortuna in immenſum adaucta eſt,

Et tetigit ſummos vertice Roma Deos.

Ipſa Roma eſt Dea habita, eique templa conſtituta ſunt. Imo undecim Aſiæ civitates, Tiberio imperante, pari ambitione certabant, ut ſibi liceret Romæ templum habere, ex quo certamine victores evaſerunt Smyrnenſes, quibus ſolis ille honos obtigit teſte Tacito Annali IV. cap. 56. Nec ſola tantum Roma habuit ſua ſacra; verum etiam cum aliis Diis mixta. Sacerdos Romæ & Salutis nominatur in inſcriptione apud Gruterum pag. CCCXIX. num. II.

TVLLIA. M. F. VIVA. FECIT.
SIBI. ET. SVIS
M. TVLLIO. M. F.
COR. CRATIPPO. FRATRI. SVO
SACERDOTI. ROMAE. ET
SALVTIS.

Cum Venere ſimul cultam eſſe colligo e Prudent. contra Symmach. lib. I. verſ. 220.

At ſacram reſonare viam mugitibus ante
Delubrum Romæ; colitur nam ſanguine & ipſa
More Deæ, nomenque loci ceu numen habetur,
Atque Urbis, Venerisque pari ſe culmine tollunt
Templa, ſimul geminis adolentur thura Deabus.

Sed non ſemper cum de plebe Diis Romam ſociabant, quin potius Jovi eam frequenter πάρεδρον & σύνθρονον faciebant. Claudianus certe in Conſ. Olybr. & Probi verſ. 128. *tonantis conſortem* vocat:

—— —— *O numen amicum,*
Dux ait, & legum genitrix longeque regendo
Circumfuſa polo conſors adjuncta Tonanti.

Hominum Deorumque genitrix non ſecus ac Jupiter indigitatur; ita a Rutil. Num. Itin. verſ. 49.

Exaudi regina tui pulcherrima mundi,
Inter ſidereos Roma recepta polos
Exaudi genitrix hominum, genitrixque Deorum,
Non procul a cœlo per tua templa ſumus.

Et denique ut alia veterum loca mittam, teſte Plutarcho in Flaminio pag. 378. Inter ſacra, quæ Flaminio fiebant Pæan canebatur, in quo hæc erant verba: Μέλπετε κῦραι Ζῆνα μέγαν, Ρώμαν τε, Τίτον τε. *Puellæ celebrate magnum Jovem, & Romam, & Titum.*

Notum Imperatoribus Romanis tamquam Diis

præſentibus paſſim templa poſita eſſe; ſed id jam non ago, meum eſt obſervare non ſemper ſolis ea dicata fuiſſe; ſed aliquando Imperatori & Deo alicui communia. Adrianus Athenis ſibi & Jovi ſimul Olympio templum ædificavit; Vide quæ ea de re notavit Illuſtr. Ez. Spanhemius de præſt. & uſu n. Diſſert. XII. pag. 497. Auguſtum Αἱ πόλεις σφετέροις θεοῖς συνέδρειον, *urbes in templis Deorum ſuorum colebant*: teſte Appiano Al. Bell. Civ. lib. V. p. 746. Eundem vivum, ut videtur, cum Hercule & Polluce conjungit Horat. lib. III. Ode 3. verſ. 11.

Hac arte Pollux & vagus Hercules
Innixus, arces attigit igneas:
Quos inter Auguſtus recumbens
Purpureo bibit ore nectar.

Cum Apolline Domitianum Papin. Stat. Sylv. lib. I. carm. I. verſ. 14.

——— *Modo dexter Apollo,*
Quique venit juncto mihi ſemper Apolline Cæſar,
Annuat. ——— ———

Cum Urbe Roma ſæpe copulabantur Imperatores. Urbis & Auguſti communis Flamen nominatur in inſcriptione apud Gruterum pag. CCCCLXXIX. n. 6.

C. VALERIO. C. FIL. PAP
MARIANO
HONORES. OMNES
ADEPTO. TRIDENT
FLAMINI. ROM. ET. AVG

Et pag. CCCXX. num. 3.

C. DONNIVS. C. F. FLAVOS
FLAMEN. ROMAE. ET. AVGVST

Quin flaminis Romæ, Divorum & Auguſtorum, mentio fit ibidem num. 4. 5. & 7. Sacerdotis Romæ & Auguſti pag. LXXX. num. 6.

MINERVAE
CVR. LADAE
T. PVNICIVS. CE
NIALIS. II. VIR. CO
LON. MORINO
RVM. SACERDOS
ROMAE. ET. AVG.

Templa quoque ſæpe habebant communia: de Auguſto in ejus vita cap. LII. ait Suetonius: *Templa quamvis ſciret etiam proconſulibus decerni ſolere: in nulla tamen provincia, niſi communi ſuo Romæque nomine recepit: nam in urbe quidem pertinaciſſime abſtinuit hoc honore.* Urbis & Auguſti templum recenſet S. Rufus in regione Iſis & Moneta. Et Polæ in Iſtria tale templum oculis ſuis uſurpavit Sponius, ut refert in itiner. part. I. pag. 63. Adde Gruterum pag. CCCXX. num. 8.

SERVILIO
MARCIANO
ARVERNO
C. SERVILII
DOMITI. FILIO
SACERDOTI. AD
TEMPLVM. ROMAE
ET. AVGVSTORVM

Et pag. CV. num. 7. 8. & 9. Ipſi etiam inter ſe jungebantur Imperatores, ut clariſſimum in modum liquet ex fine ſtatutorum collegii Æſculapii & Hygiæ apud Sponium Miſcell. pag. 53.

HOC DECRETVM ORDINI N̄ PLACVIT
IN CONVENTV PLENO QVOD GESTVM
EST IN TEMPLO DIVORVM IN AEDE
DIVI TITI.

Vides ibi templum Divorum in quo ædes eſt Titi, quemadmodum in Capitolio ſingulis Diis Jovi, Junoni, & Minervæ ſua ædes propria erat apud Spanhemium de præſt. & uſu num. diſſert. XIII. pag. 648. conſpicitur in numo delubrum Concordiæ cui utrinque adeſt ædicula, quarum in altera Tiberii, in altera Druſi collocata eſt ſtatua. Breviter hæc tantum de Roma & Auguſtis perſtrinxi: ſi enim aliquis omnia vellet colligere eo pertinentia, juſtæ molis inde exſurgeret liber.

CAP. XXVII.

Πάρεδρος *dicitur ille qui alteri* adeſt ad opem ferendam. Adſidere *apud Latinos aliquando eadem poteſtate occurrit. Hinc* θεοὶ πάρεδροι *ratione habita ad homines ſunt* Dii auxiliares. *Lucianus explicatur. Diodorus Siculus & Themiſtius emendantur. Deos* Comites *aut* Socios *Romani vocant.* Παραστάται *quoque* & συνοπαδοὶ *dicuntur Græcis. Patribus* πάρεδροι *ſunt Genii quidam, quorum ope homines res ſupra naturæ vires poſitas faciebant.*

DUo nobis adhuc ſuperſunt obſervanda; nempe de Diis hominum, & contra de hominibus Deorum παρέδροις, quæ cum dependeant a prægnante, ut loquuntur Grammaticorum filii, vocis ſignificatione pauca de illa mihi erunt præmonenda. Diximus in principio hujus libri πάρεδρον eſſe illum *qui alteri homini* vel etiam *rei inanimatæ adſidet*, inde poteſtate prægnante ſignificat, *laboranti adſidere ſive adeſſe ad ei opem ferendam*. Ita verbum uſurpavit Euripid. in Oreſt. verſ. 84.

Ἐγὼ μὲν ἄϋπνος, πάρεδρος ἀθλίῳ νεκρῷ,
Νεκρὸς γὰρ οὗτος ἕνεκα σμικρᾶς πνοῆς,
Θάσσω. ——— ——— ———

Ego quidem inſomnis, opem ferens miſero mortuo,
Hinc enim mortuus eſt præ ſpiritus penuria,
Sedeo. ——— ——— ———

Et in Hippolyto verſ. 676.

Τίς αὖ θεῶν ἀρωγὸς, ἢ τις αὖ βροτῶν
Πάρεδρος, ἢ ξυνεργος ἀδίκων ἔργων
Φανείη; ——— ——— ———

Quiſnam Deorum ſuccurret, aut quiſnam mortalium,
Opem ferens aderit, aut impia facinora mecum patrabit.

Latini ferme ſimili ratione utuntur verbo *adſidere*: Cicero pro Cn. Planco pag. 626. A. *Primum Macedonia ſic eum diligit, ut indicant hi principes civitatum ſuarum: qui cum miſſi ſunt ob aliam cauſam, tamen hujus repentino periculo commoti, huic aſſident, pro hoc laborant.* Ovid. Epiſt. XX. v. 137.

Ille manus iſtas effingit, & adſidet ægræ,
Inviſus Superis, cum Superiſque mihi.

Et Horat. Sermon. lib. I. Sat. I. verſ. 82.

At ſi condoluit tentatum frigore corpus,
Aut alius caſus lecto te adfixit, habes qui
Adſideat, fomenta paret, medicum roget, ut te
Suſcitet, ac reddat natis cariſque propinquis.

Acron explicat: *Qui prope te ſedeat, præſtans tibi curam.* Inde Dii, qui opem ferunt mortalibus laborantibus, iiſque ſemper ad auxilium dandum præſto ſunt, πάρεδροι appellari meruerunt. Ita πάρεδρος & ἀλεξίκακος θεὸς indigitatur Hephæſtio a Luciano de Calumn. non credenda pag. 853. Ὑπολαμβάνοντες δ' οἱ κόλακες τὴν μειρακιώδη ταύτην Ἀλεξάνδρου ἐπιθυμίαν, προσεξέκαιον δ' εὐθὺς, καὶ ἀνεζωπύρουν, ὀνείρατα διηγούμενοι τοῦ Ἡφαιστίωνος, ἐπιφανείας τινὰς, καὶ ἰάματα προσάπτοντες αὐτῷ, καὶ μαντείας ἐπιφημίζοντες· καὶ τέλος, ἔθυον παρέδρῳ καὶ ἀλεξικάκῳ θεῷ. *Cum vero adulatores animadvertiſſent Alexandri erga puerum affectum, ſtatim illum magis accendebant & irritabant, ſomnia ab Hephæſtione immiſſa narrantes, viſiones quaſdam, & ſanationes ei affingentes, & vaticinia prædicantes, & tandem ſacrificarunt Deo auxiliari & averrunco.* Jam olim hunc locum adduxit ad Æl. Spartiani Adrianum Cl. Salmaſius; ſed Luciani mentem, ignoſcant ſummi viri manes, eum aſſecutum eſſe adduci non poſſum ut credam: vult enim Hephæſtionem πάρεδρον ibi dici, quod ab Alexandro majorum gentium Diis additus fuerit, hoc vero ipſi non concedet Arrianus, qui lib. VII. Exped. Alex. Magni cap. 23. ſcribit: Ἧκον δὲ καὶ παρὰ Ἄμμωνος οἱ θεωροὶ, οὕς τινας ἐστάλκει ἐρησομένους, ὅπως θέμις αὐτῷ τιμᾶν Ἡφαιστίωνα; οἱ δὲ ὡς ἥρωϊ ἔφησαν ὅτι θύειν θέμις ὁ Ἄμμων λέγει. —— Ἔλεγε γὰρ ἡ ἐπιστολὴ κατασκευασθῆναι Ἡφαιστίωνι ἡρῷον ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τῇ Αἰγυπτίᾳ. *Venerunt autem ab Ammone legati, quos miſerat ſciſcitaturos, qua ratione conveniens eſſet ut Hephæſtionem honoraret? hi vero tamquam Heroi ſacra ipſi facienda eſſe retulerunt. —— Dicebat enim epiſtola Hephæſtioni Heroum ædificatum eſſe Alexandriæ in Ægypto.* Vides non ut e Conſentibus Deum, quod Salmaſius volebat; ſed ut Heroa tantum cultum eſſe Hephæſtionem. Arriano adſentitur Plutarch. in Alexandro pag. 704. E. Ἐξ Ἄμμωνος ἦλθε μαντεία τιμᾶν Ἡφαιστίωνα, καὶ θύειν ὡς ἥρωϊ παρακελεύουσα. *Ab Ammone profectum eſt oraculum Hephæſtionem eſſe colendum, & tanquam Heroi ſacra ei eſſe facienda admonens.* Minus tamen cum utroque hoc ſcriptore concordat Diod. Sicul. lib. XVII. pag. 624. verſ. 19. Τὸ τελευταῖον προσέταξεν ἅπασι θύειν Ἡφαιστίωνι θεῷ προέδρῳ· καὶ γὰρ κατὰ τύχην ἧκεν εἷς τῶν φίλων Φίλιππος, χρησμὸν φέρων παρ' Ἄμμωνος, θύειν Ἡφαιστίωνι θεῷ. *Tandem juſſit omnibus ut ſacrificarent Hephæſtioni Deo* προέδρῳ· *etenim forte fortuna advenerat amicus quidam Philippus, reſponſum Ammonis ferens, ſacra eſſe peragenda Deo Hephæſtioni.* Neſcio profecto quid faciendum ſit illo θεῷ προέδρῳ, quod ſanum ſi fuerit *Deum præſidem* ſignificat: an reliquorum Deorum præſidem? adverſatur Arriani & Plutarchi auctoritas: An illorum quæ apud homines aguntur præſidi? hoc ſi voluiſſet Diodorus procul omni dubio addidiſſet. Ne igitur fruſtra verba profundat, legendum hariolor, quemadmodum in Luciano eſt, θεῷ παρέδρῳ: facili lapſu indocta librariorum manus pro πάρεδρος ſcribere potuit πρόεδρος. Imo idem peccatum videtur invaſiſſe Themiſt. Orat. XV. pag. 187. A. Ὁ γάρ τοι πρόεδρος καὶ σύνθακος τῆς βασιλείας ὁ νόμος, συγκατελθὼν αὐτῇ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πρὸς σωτηρίαν ἀνθρώπων. Locum ibi, ſi quid video, non habet πρόεδρος, & adjunctum σύνθακος ſatis indicat legendum eſſe πάρεδρος, hæc loci eſt ſententia: *Conſors enim & ſocia imperii lex, cum eo de cœlo deſcendit ad hominum ſaluti inſerviendum* &c. Sed ad loca Luciani & Diodori revertamur, objiciet aliquis Hephæſtionem ab utroque Deum eſſe dictum, minime vero Heroa. Sed nihili eſt hæc difficultas: Græcis enim θεοὶ ſæpius dicuntur illi qui ſupra humanum faſtigium elati ſunt, & ſacris culti, licet non Dii ſint. Præterea θεοὺς παρέδρους qui hominum res curant ſæpe infimi ordinis Deos fuiſſe exiſtimem: a Platonicis ea provincia demandata eſt Geniis, ſive etiam Heroibus, qui ideo a Jamblicho myſt. Sect. I. cap. 10. §.20. dicuntur ἀΐδιοί τε εἶναι καὶ συνοπαδοὶ, *immortales eſſe & comites.* Dicuntur enim θεοὶ συνοπαδοὶ illi qui homines comitantur eorumque facta inſpiciunt, ita apud ipſum Platonem in Sophiſtæ principio. Ὥς φησιν ἄλλους τε θεοὺς τοῖς ἀνθρώποις, ὁπόσοι μετέχουσιν αἰδοῦς δικαίας, καὶ δὴ καὶ τὸν ξένιον οὐχ ἥκιστα θεὸν συνοπαδὸν γιγνόμενον, ὕβρεις τε καὶ εὐνομίας ἀνθρώπων καθορᾶν. *Quemadmodum dicit Homerus, & reliquos etiam Deos hominibus, quotquot participes ſunt juſti pudoris, & maxime hoſpitalem Deum comitem ſe adjungere, atque hominum male & bene facta obſervare.* Latini tales Deos, παρέδρους & συνοπαδοὺς, *Comites* appellant. Ita Sol, qui viatores in itineribus potiſſimum juvat, eiſque ſemper de die adeſt, *Comes* dicitur crebro in lapidum antiquorum inſcriptionibus: vid. Cl. Everh. Ottonem de tutela viarum part. I. cap. 3. pag. 48. Apollo quoque, cui cum Hercule ἀλεξικάκου *averrunci* nomen proprium erat: teſte Schol. Ariſtoph. ad Pac. verſ. 421. *Comes* indigitatur in marmore apud Gudium pag. XXV. num. 3.

APOLLINI. PACIFERO
COMITI. COLONIAE
AVG. TOLENT. SAC

Mars a latronibus, quorum turmam ſæpe Martiam nominaverat, *Comes* vocatur apud Apulej. Met. lib. VII. pag. 192. *Sed ille juvenis ſermone repetito, Quin igitur, inquit, ſupplicatum Marti comiti pergimus.* Et Hercules, qui maxime e Diis hominibus favet, frequenter *Comes & conſervator* dicitur: ita apud Gruterum in theſauro pag. XLV. num. 7.

DEO. HERCVLI
COMITI. ET
CONSERVATORI
DOMINORVM
NOSTRORVM

Et apud Gudium pag. XXXI. XXXII. & XXXIII. *Comes & cuſtos* apud Gruterum pag. XLV. num. 8. Similiter a Græcis παραστάτης nominatur: Vide Pauſaniam lib. V. cap. 8. cap. 14. & lib. VI. cap. 23. Convenit plane cum Græco vocabulo παραστάτης *adſtator*, quod epitheton Libero patri tribuitur in lapidis antiqui epigraphe apud Sponium Miſcellan. pag. 27.

DEO SANCTO NVMINI
DEO MAGNO LIBERO
PATRI ET ADSTATORI
ET CONSERVATORI H. I. COLL.
VELABRENSIVM
DOMITIVS SECVNDVS CVRAT.
ET RESTAVRATOR FRATRIB. SVIS

Qui *Comites*, iidem etiam Dii *ſocii* vocari poſſunt exemplo Val. Flacc. lib. IV. verſ. 554.

Quem ſociis ducibuſque Deis, atque arte benigna

Pallados, ipse ultro Pelias ad sidera tollit.

Et Penates, hominibus juvandis nata numina, *socii Dii* vocantur apud Ovid. Epist. v. vers. 126.

Sit facie quamvis insignis, adultera certe est,
Deseruit socios hospite capta Deos.

Videsis ibi ab Heinsio adnotata. Σύνθρονος eadem, quam hic in πάρεδρος observavimus, virtute usurpatur in epigrammate Anthol. lib. I. pag. 43. Julianus Titianum quendam, forte Præfectum, alloquitur:

—— —— Αρχομένων γὰρ
Πλοῦτον ὅτι συγέεις, σύνθρονος οἶδε Δίκη.

—— —— *Illorum enim quibus imperas*
Divitias te aversari novit comes tua Justitia.

Multi ex gentilibus, Platonem secuti existimarunt unicuique homini suum adesse genium auxiliarem juxta illud Tragici,

Απαντι δαίμων ἀνδρὶ γὰρ παραστατεῖ.

Unicuique enim suus adstat genius.

Et Antonini Imperat. de rebus suis lib. v. §. 27. Ο δαίμων ὃ ἑκάστῳ προστάτην καὶ ἡγεμόνα ὁ Ζεὺς ἔδωκεν. *Genius quem unicuique præfecit Jupiter*. Inde in eam venerunt opinionem, omnia quæ ab hominibus fiebant humano captu majora, auctorem habere illum genium. Elegans est ad hoc probandum locus Appiani Al. Libyc. p.48. vers. 15. Καὶ αὐτὸν ἡ στρατιὰ μακρόθεν ἰδοῦσα ἐξ ἀέλπτου περισεσωσμένον τε καὶ σώσαντα τοὺς ἑτέρους, μέγα ἤλλαξαν (lego ἠλάλαξαν) ἡδόμενοι, καὶ δαιμόνιον αὐτῷ συλλαμβάνειν ἐδόξαζον. *Et illum* (Scipionem) *cum e longinquo exercitus præter spem salvum & reliquos servantem vidisset, magnum præ gaudio clamorem ediderunt, & existimarunt genium ipsi opem tulisse*. Patres vero qui in multis Platonis adhærebant placitis, credebant, miracula, quæ ab hæreticis & gentilibus edebantur a geniis proficisci ipsos comitantibus, quos ab animabus defunctorum non diversos esse censebant. Illos autem genios παρέδρους & δυνάμεις παρέδρους vocarunt. Ita Irenæus lib. I. cap. 9. de Marco hæretico ait: Εἰκὸς δὲ αὐτὸν καὶ δαίμονά τινα πάρεδρον ἔχειν, δι' οὗ αὐτός τε προφητεύειν δοκεῖ, καὶ ὅσους ἀξίους ἡγεῖται μετόχους τῆς χάριτος αὐτοῦ, προφητεύειν ποιεῖ. *Vero autem simile est illum genium aliquem habere comitem, cujus ope ipse futura prædicere videtur, & quotquot dignos autumat ut beneficii sui participes sint futura prædicere facit*. Et Nonnus Hist. Synagoge lib. I. num. 45. Καὶ οὗτος δὲ τῶν μεταμορφουμένων ἦν, ὡς καὶ αὐτὸς ὢν μαντομάγος· οἱ γὰρ τοιοῦτοι ἄνθρωποι εἶχον φύσει τοιαύτην δύναμιν πάρεδρον, ὥστε μεταμορφοῦσθαι εἰς ὃ ἂν θέλωσιν, ὥστε μὴ γιγνώσκεσθαι παρὰ τῶν πρὸς αὐτοὺς διαλεγομένων. *Erat autem hic Melampus ex illis qui figuram mutant, quippe qui esset* mantomagus: *qui homines a natura habent virtutem* πάρεδρον *talem, ut possint formam cujuslibet rei adsumere, ne cognoscantur ab illis qui cum ipsis colloquuntur*. Dicuntur inde παρεδρίαι operationes illorum spirituum homines comitantium: sic in Clementina II. § 30. Nicetas Simonem alloquitur, Οὐκ ἐξεταθεὶς δὲ καὶ οὐχ' ἡμῶν ποτὲ διά τι ἐνίοτε καὶ παύονται παρεδρίαι, ἔφης, ὅτε ψυχὴ πληρώσασα τὸν ὑπὲρ γῆς χρόνον ὃν ἤμελλεν ἐν σώματι διατελεῖν, εἰς ᾅδην πορεύεται; *Nonne interrogatus etiam a nobis aliquando, quamobrem nonnunquam cessent* παρεδρίαι, *dixisti, ideo id fieri quia anima elapso tempore per quod corpori debebat inhabitare, ad orcum tendit?* Et παρεδρεύειν dicuntur dæmones illo in loco in quo virtutem suam exserunt: de Apolline Nonnus Hist. Synag. lib. II. num. 14. Πηγὴ ἦν ἐν Δάφνῃ τῇ κατὰ Αντιόχειαν, ἐν ᾗ λέγεται τὸν Απόλλωνα παρεδρεύειν, καὶ μαντείας καὶ χρησμοὺς τοῖς ἐρχομένοις περὶ τὸ ὕδωρ λέγειν. *Fons erat Daphnæ prope Antiochiam, in quo dicitur Apollo virtutem suam exserere, & vaticinia & oracula profari ad aquam venientibus*. Imo dicitur ἱδρῦσθαι δαίμων in loco in quo oracula edit, & miracula patrat. Origen. contra Celsum lib. III. pag. 132. de Antinoopolitis: Ετεροι δὲ ὑπὸ τοῦ ἐκεῖ ἱδρυμένου δαίμονος ἀπατώμενοι. *Alii autem a dæmone eo loci collocato decepti*. Latinitas sequiorum temporum vocem Græcam *paredrus* servavit, vide Cangium in glossario med. & infimæ Lat. in voce. Citat ibi hæc verba Papiæ *Paredrum vocant virtutem Dominicam*. Aut omnia me fallunt, aut legendum est *Dæmoniacam*. Firmant conjecturam loca quæ ibidem a Cangio subjunguntur. Sed de spiritibus παρέδροις hæc dicta sufficiant.

CAP. XXVIII.

Qui Deorum jussa obibant Græcis πρόσπολοι *&* ὀπαδοὶ *Latinis* famuli *appellantur*. Κύνες *quoque dicti sunt, quia fidum domino animal canis. Et tandem, quod potissimum instituti nostri est observare,* πάρεδροι *compellati sunt, Latine* comites. *Ex adverso autem Dii qui* socii *&* πάρεδροι *erant dicti sunt* ὀπαδοί.

ILli qui Deorum mandata exsequebantur, sive ipsi Divinæ essent originis, sive homines, seu denique animalia, propriis huic rei vocabulis πρόσπολοι & ὀπαδοὶ dicti sunt. Latini *famulos* nuncuparunt. Cereris *famulos* vocat dracones Apulej. Metam. lib. v. pag. 174. Aquila Jovis *famula* est Val. Flacco lib. I. vers. 303. Et Juven. Sat. XIV. vers. 81. Cerva Dianæ apud Silium Ital. lib. XIII. vers. 123. Vide quæ ad eum locum observavit D. Heinsius. Dicti etiam sunt κύνες Deorum famuli. Ita Harpyiæ apud Apollon. Rhod. lib. II. vers. 288.

Οὐ θέμις, ὦ υἱεῖς Βορέω ξιφέεσσιν ἐλάσσαι
Αρπυίας, μεγάλοιο Διὸς κύνας.

Quæ verba sic vertit Val. Flacc. lib. IV. vers. 519.

Jam satis huc pepulisse Deas: cur tenditis ultra
In famulas sævire Jovis?

Confer ibi a P. Burmanno notata, quem non fugit locus Apollonii. Iris Junonis ministra cani assimilatur a Callim. Hymno in Del. vers. 228.

Η, ὑπὸ χρύσειον ἑδέθλιον ἷζε, κύων ὣς
Αρτέμιδος, ἥτις τε θοῆς ὅτε παύεται ἄγρης,
Ιζει θηρήτειρα παρ' ἴχνεσιν. ——

Aut infra solium aureum sedet, canis instar
Dianæ, quæ a venatione lassata
Sedet venatrix ad pedes. ——

Et Orestes Furias, quæ a matre in ipsum immittebantur, μητρὸς κύνος, *matris canes* compellat apud Æsch. Choeph. vers. 1056.

Οὐκ εἰσὶ δόξαι τῶνδε πημάτων ἐμοί.
Σαφῶς γὰρ αἵδε μητρὸς ἔγκοτοι κύνες.

Non mihi hæc mala fingo :
Clariſſime enim apparent hæ matris iratæ canes.

Homines Deorum miniſtri ipſorum *κύνες* quoque nuncupati ſunt. Ita vates Apollinis *κύνες* apud Lycophr. verſ. 440.

Δοιοὶ δὲ ῥείθρων Πυράμου πρὸς ἐκβολαῖς
Αὐτοκτόνοις σφαγαῖσι Δηραίνου κύνες
Δμηθέντες, αἰχμάσουσι λοισθίαν βοήν,

Scaliger in Latinum ſermonem hæc ita tranſtulit :

Duo at ſcatentis ad fluenta Pyrami
Deræni ovantes vertagi icti mutua
Deprælliabunt cæde barritum ultimum.

Tzetzes, Οἱ δὲ δύο μάντεις, Μόψος, ὁ υἱὸς Ἀπόλλωνος καὶ Μαντοῦς, τῆς Τειρεσίου, καὶ ὁ Ἀλκμαίωνος ἀδελφὸς, Ἀμφίλοχος, ὁ τῆς Ἐριφύλης, τῆς ἀδελφῆς Ἀδράστου τοῦ βασιλέως, καὶ Ἀμφιάρεω τοῦ μάντεως παῖς. *Duo autem vates, Mopſus, filius Apollinis & Mantus Tireſiæ, & Alcmæonis frater, Amphilochus, Eriphyles Adraſti regis ſororis, & Amphyarai vatis filius.* Bacchas in furorem actas, Lyſſes ſive Furoris *κύνας* nominat Euripides in Bacch. verſ. 975.

Ἴτε θοαὶ λύσσης κύνες· ἴτ' εἰς ὄρος,
Θίασον ἔνθ' ἔχουσι Κάδμου κόραι.

Ite celeres rabiei miniſtræ : ite in montem,
Ubi convenerunt Cadmi natæ.

Eaſdem Agave earum dux, & quaſi *χορηγὸς*, ſuas *κύνας* vocat in Bacch. verſ. 730.

Ἠδ' ἀνεκβόησεν, ὦ δρομάδες ἐμαὶ κύνες
Θηρώμεθ' ἀνδρῶν δ' ὑπό. ——

Illa vero exclamavit, o veloces meæ canes
Venantur nos hi viri. ——

Animalia Diis miniſtrantia etiam *κυνῶν* vocabulo apud Poetas veniunt. Grypes apud Æſch. Prom. v. verſ. 802.

Ὀξυστόμους γὰρ Ζηνὸς ἀκραγεῖς κύνας
Γρῦπας φυλάξαι. ——

Acutum enim os habentes ſævos Jovis canes
Grypas cuſtodire &c.

Aquila Jovis *κύων* apud eundem verſ. 1021.

—— —— Διὸς δέ τοι
Πτηνὸς κύων δαφοινὸς αἰετὸς λάβρως
Διαρταμήσει σώματος μέγα ῥάκος.

—— —— Jovis autem
Volucer canis, cruenta aquila, voraciter
Dilaniabit magnam corporis laciniam.

Et in Agamemn. v. 140. abſolute *πατρὸς κύνες*, *Patris*, id eſt Jovis, *canes* vocantur aquilæ. Sed hæc ab aliis jam ſunt notata. Addo inſignem Pauſaniæ locum lib. III. pag. 275. Ubi obſervat Homerum per Ἅδου κύνα, *Orci canem*, draconem recte intelligere potuiſſe : Hecatæus enim cerberi ab Hercule ad Euryſtheum deducti fabulam explicans dicebat draconem fuiſſe apud Tænarum terribilem, Orci canem dictum, quia illos quos dentibus impetiiſſet, ſubito veneni vis occidebat. Pauſaniæ verba ita ſonant : Οὐδὲν τι μᾶλλον Ὁμήρου κύνα τῷ ἀνθρώπῳ *σύντροφον εἰρηκότος, ἢ εἰ δράκοντα ὄντα, ἐκάλεσεν Ἅδου κύνα.* Vertit Kuhnius, *Quum Homerus per Orci canem non magis animal homini familiare, quam draconem intelligere potuerit.* Nunc pergo ad illud quod noſtri potiſſimum eſt inſtituti Deorum famulos Græcis *παρέδρους* & Latinis *comites* nominatos eſſe. Veneris *πάρεδροι* dicuntur Charites a Cornuto de nat. Deor. pag. 197. Eleganter in Luciano Podagra tormenta ſuorum furorum *παρέδρους miniſtros* vocat, Tragopodagræ verſ. 281.

Δεῦτ' ὦ σκυθρωπαὶ, πάντοθεν ποτώμεναι
Βάσανοι, πάρεδροι τῶν ἐμῶν βακχευμάτων.

Agite, o tetrici, unique volantes
Cruciatus, miniſtri mearum bacchationum.

Curetes Rheæ *πάρεδροι* apud Grotium in Eclog Stob. Tit. III. pag. 117.

Κουρήτων θ' οἳ μητρὶ Διὸς Ῥέᾳ εἰσὶ πάρεδροι,
Καὶ Χαρίτων μεμνῆσθαι ἐν ἔργῳ παντὶ μέγιστον.

Curetum qui matris Jovis Rheæ famuli ſunt,
Et Charitum maxime mentio eſt facienda in omni opere.

Terror & Metus Minervæ *comites* Apulejo Met. lib. x. pag. 254. *At illam quam cultus armorum Minervam fecerat, duo pueri muniebant, præliaris Deæ comites armigeri, Terror & Metus, nudis inſultantes gladiis.* Ita quoque Pavorem Marti *comitem* dat Stat. Theb. VII. verſ. 108.

Inde unum dira comitum de plebe Pavorem
Quadrupedes anteire jubet. ——

De hominibus, obſervo Gallos Deum matri dici *παρεδρεύειν* a Cornuto pag. 147. Διὰ τὸ θρησκεύεσθαι τοῖς Φρυξὶν ἐξόχως, παρ' οἷς καὶ ἡ τῶν Γάλλων ἐπεπόλασε παρεδρία. *Quoniam potiſſimum apud Phrygas colitur, apud quos etiam Gallarum famulitium increbuit.* Ejus *comites* nuncupantur ab Ovid. Faſt. lib. IV. verſ. 212.

Res latuit patrem priſcique imitamina facti
Æra Deæ comites raucaque terga movent.

Bacchæ Liberi patris *πάρεδροι*. Eurip. in Bacchis verſ. 57. Ipſe loquitur Deus :

Ἀλλ' ὦ λιποῦσαι Τμῶλον ἔρυμα Λυδίας
Θίασος ἐμὸς γυναῖκες, ἃς ἐκ βαρβάρων
Ἐκόμισα παρέδρους, καὶ ξυνεμπόρους ἐμοί.

Sed o vos quæ Tmolum Lydiæ propugnaculum reliquiſtis
Thiaſum meum conſtituentes mulieres, quas e Barbaris
Adduxi comites & viæ ſocias.

Eaſdem Bacchi *comites* appellat Ovid. Faſt. lib. III. verſ. 740.

Jamque erat ad Rhodopem, Pangæaque florida ventum
Æriferæ comitum concrepuere manus.

Delphorum incolas, quaſi omnes Apollinis famuli forent, ejus *παρέδρους* nominat Lucian. in Phalaride primo, prope initium Μάλιστα δὲ παρ' ὑμῖν ὅσῳ ἱεροί τε ἐστε, καὶ πάρεδροι τοῦ Πυθίου, καὶ μονονοὺ σύνοικοι, καὶ ὁμωρόφιοι τοῦ θεοῦ. *Eo magis apud vos, Delphi, quod reliquis ſanctiores, & Pythii antiſtites eſtis, & tantum*

non accolæ & contubernales Dei. Similia plane ſunt quæ de Ennenſibus leguntur apud M. Tullium in Verrem lib. IV. pag. 249. D. *Etenim urbs illa* (Enna) *non videtur, ſed fanum Cereris eſſe. Habitare apud ſeſe Cererem Ennenſes arbitrantur, ut mibi non cives illius civitatis; ſed omnes ſacerdotes, omnes accolæ, atque antiſtites Cereris eſſe videantur.* Animalia Diis quoque famulari paucis ſupra notavimus; ita corvus Apollini ſacra avis Dei ἀκόλουθος nuncupatur ab Æliano Hiſt. Anim. lib. I. cap. 48. Non autem erraturum aliquem exiſtimem, ſi illa animalia, quæ Diis ſingulis dicata ſunt, παρέδρων nomine inſigniat: præter miniſteria enim quæ Deorum juſſu ſubeunt, juxta ſedes ipſorum etiam frequenter collocata eſſe finguntur. De aquila id docet Anton. Lib. fab. VI. & picturæ veteres paſſim teſtantur: ſimiliter Ægyptii leonem, ſacrum ſoli animal, prope Dei ſolium conſtituebant: Orus Apollo cap. XVII. Cygnos vero Apollini conſecratos, antequam in aves mutati eſſent, Apollinis παρέδρους fuiſſe narrat Lucian. de electro pag. 818. Φασὶ γοῦν Απόλλωνος παρέδρους, αὐτοὺς ὄντας ᾠδικοὺς ἀνθρώπους, ἐνταῦθά που εἰς τὰ ὄρνεα μεταπεσεῖν, καὶ διὰ τοῦτο ᾄδειν ἔτι οὐκ ἐκλαθομένους τῆς μουσικῆς. *Perbibent autem cygnos, cum olim homines fuiſſent Apollinis famuli & cantandi periti, in aves mutatos eſſe, & propterea adhucdum canere, quod muſicæ obliti non ſint.* Sed quod omnino rem conficit, Gallus, Mercurio dicata avis, πάρεδρος ipſius dicitur Luciano in Somnio pag. 594. Loquitur Gallus: Ἐγὼ δὲ, Ἑρμοῦ πάρεδρος ὢν, λαλιστάτου καὶ λογιωτάτου θεῶν ἁπάντων. *At ego qui comes ſum Mercurii loquaciſſimi & eloquentiſſimi Deorum quotquot ſunt.* Hæc jam citavit Ampliſſ. Cuperus Obſerv. lib. IV. pag. 51. Quemadmodum vero Deorum πρόσπολοι & ὀπαδοὶ, ſive *famuli*, παρέδρων nomine mactati ſunt, ita ex diverſo Dii æquales & ſocii ὀπαδοὶ indigitati ſunt. Proprie enim Deorum ὀπαδοὶ, cujus rei in principio hujus capitis exempla dare prætermiſi, dicuntur illi qui Deorum juſſis obtemperant, eaque ut exſequantur curant. Sapiens ideo a Philone, de nominum mutat. in fine, Dei ὀπαδὸς nominatur. Et Veritas cum Benevolentia Virtutis ὀπαδοὶ a Themiſt. Orat. XXII. pag. 281. B. Elegantiſſimus vero eſt locus, & rei noſtræ apprime conveniens, Samoſatenſis illius, ſæpe ad partes vocati, in noviſſima parte Encomii Demoſthenis. Ἀλλ᾽ ὁ μὲν οἴχεται, βιοτεύσων τὸν ἐν μακάρων νήσοις, ἡρώων λεγόμενον, ἢ τὰς εἰς οὐρανὸν ψυχῶν νομιζομένας ὁδοὺς, ὀπαδός τις δαίμων ἐσόμενος ἐλευθερίου Διός. *Verum enimvero diem ſuum obiit, ut in beatorum inſulis vitam degat ab Heroibus denominatam: aut ut in cœlum tendat via animabus trita, famulus Jovis Eleutherii genius futurus.* Sed ut ad illud de quo dicere inſtitueram redeam: Ὀπαδὸν Rheæ Panem vocavit, Pindarus, cum ejus πάρεδρος ſit, teſte Scholiaſte Pindari Pythion. Ode III. verſ. 139. Πάρεδρος γὰρ ὁ Πὰν τῇ Ῥέᾳ, ὡς αὐτὸς ὁ Πίνδαρος ἐν τοῖς κεχωρισμένοις τῶν παρθενείων φησίν.

> Ὦ Πὰν Ἀρκαδίας μεδέων. ——

Ἕως τοῦ

> Ματρὸς μεγάλας ὀπαδὲ,
> Σεμνᾶν Χαρίτων μέλημα τερπνόν.

Pan enim Rheæ comes eſt ut ipſe Pindarus dicit in libro qui inſcribitur ſecreta virginum.

> *O Pan Arcadiæ rector.* ——

Uſque ad illa

> *Magnæ matris famule,*
> *Decentium Gratiarum delitiæ.*

Reponere tamen poſſet aliquis Panem revera Rheæ famulum eſſe, quod videtur evinci poſſe ex loco Valer. Flacci lib. III. verſ. 47.

> *Rupta quies: Deus ancipitem lymphaverat urbem,*
> *Mygdoniæ Pan juſſa ferens ſæviſſima Matris.*

Præterea etiam erat in comitatu Bacchi, teſte Philoſtr. Imag. lib. I. cap. 15. cujus etiam θιασώτης vocatur Anthol. lib. IV. cap. 10. epigr. 5. Jam vero ſupra oſtendimus ipſum Bacchum matris Deorum ſocium fuiſſe. Sed demus hoc licet, alia nobis ad manum ſunt loca. Baccharum, quarum profecto famulus non erat, verum comes, ὀπαδὸς nuncupatur idem Pan in Scholio apud Athen. lib. XV. p. 694. D.

> Ἰὼ Πὰν Ἀρκαδίας μεδέων κλεεννᾶς,
> Ὀρχηστὰ, Βρομίαις ὀπαδὲ Νύμφαις γελασίαις.

> *Io Pan Arcadiæ illuſtris moderator,*
> *Saltator, Bromiarum Nympharum hilarium famule.*

Amor pacti Veneris ἀκόλουθος καὶ θεράπων *famulus & pediſſequus* eſt Platoni in Sympoſio pag. 187. v. 39. Apollo Jovis θεράπων Ariſtoph. in Avibus verſ. 516. Nec mirum, Jovis enim προφήτης & ὑποφήτης frequenter dicitur: imo Ζηνὸς ὄρνιν, *Jovis alitem*, ipſum indigitavit Æſchyl. in Suppl. verſ. 220. Similiter plane Marc. Capella lib. I. pag. 14. Philologiam Palladis *pediſſequam*, & eandem paulo poſt ejus *conſociatam* nominat. Denique junxit, tamquam ſynonyma, duo verba σύνεδρος & ὀπαδὸς Herodianus lib. I. cap. 5. §. 17. Ὁ μὲν γὰρ πατὴρ εἰς οὐρανὸν ἀναπτὰς, ὀπαδός ἤδη καὶ σύνεδρός ἐστι θεῶν. Politianus vertit: *Nam pater quidem jam in cœlum evectus, conſors eſt conſeſſorque Deorum.* Tempus jam eſt ut vela contraham, & libelli hujus, ſi materiam ſpectes, moles forte nimia me monet ne diutius lectorum tempora morer, qui ſi nihil aliud, certe in eo laudabunt antiquam illam formulam

T A N T U M E S T.

TOBIÆ GUTBERLETHI,

W.F.T.N. JCti, & Bibliothecæ Academiæ Farnequeranæ Præfecti

D I S S E R T A T I O

P H I L O L O G I C A

D E

MYSTERIIS DEORUM

C A B I R O R U M.

PRÆFATIO

AUCTORIS.

ARrisit mihi semper & adhucdum arridet lepidus Menenii Agrippæ apud Florum lib. 1. cap. 23. apologus, quo *dissedisse inter se quondam humanos* dixit *artus*, *quod omnibus opere fungentibus*, *solus venter immunis ageret*: *deinde moribundos a sejunctione rediisse in gratiam*, *quando sensissent*, *quod ejus opera redactis in sanguinem cibis irrigarentur*. Hac fabula facundus ille & sapiens vir indicare volebat, urbem Romam constare nullo modo posse, nisi stabilis inter Patres & Plebem concordia intercederet; quemadmodum sine ventre cætera humani corporis membra officio fungi nequeunt. Easdem fovere debemus cogitationes de literarum Republica, quæ absque Philologia vacillabit, nec consistet: sive enim operam dare velimus τῶ λόγω τοῦ Θεοῦ, sive veneranda Jurisconsultorum fragmenta perscrutari, sive Coi & Pergameni senum adyta adire, necessaria præ omnibus literarum humaniorum cognitio est, sine qua nemo ad intimam eruditionem perveniet. Dantur vero homines, qui Vatinianum fere odium contra hoc studiorum genus imbiberunt; attamen illi stultiores se ostentant, quam fatuus Petronii Trimalchio, qui non contentus erat splendida cœna, nisi Philologia accederet; his enim verbis convivas & amicos suos compellat: *Putatis me illa cœna esse contentum*, *quam in theca repositorii videratis*? *sic notus Ulyxes*? *quid ergo est*? *oportet etiam inter cœnandum Philologiam nosse*. Et accusatores antiquitatis, vitia tantum docent & discunt, ut recte Eumolpus apud Petronium queritur. Et certe literæ humaniores temporibus antiquis tanto in honore fuerunt, ut publicis monumentis nomina illorum (qui, dum in vivis essent, literis his operam dederant) honoris causa exararent; en marmor apud Begerum in Spicilegio antiq. pag. 106.

Q. CAELIO
FEROCI
KALATORI SACERDOTI
TITIALIVM FLAVIALIVM
STVDIOSO
ELOQVENTIAE
VIXIT ANNIS XV
MENSE I D-EBVS XIV
FILIO OPTIMO AC
REVERENTISSIMO
M. GAVIVS CHARINVS

CÆCILIO pro CÆLIO legit Castalio de antiq. puerorum prænom. pag. 2065. tom. 2. T. A. R. sic & Gruterus. & Popma de operis servor. pag. 76. Fleetwood pag. 138. num. 1. Dausquius tom. 2. pag. 174. Boissard. part. 3. pag. 48. Addam alium lapidem, quem Patinus in commentario ad cenotaphium M. Artorii medici Cæs. Aug. pag. 460. exhibet.

Η ΒΟΥΛΗ ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ
ΠΟΠΛΙΟΝ ΑΙΛΙΟΝ
ΦΛΑΒΙΑΝΟΝ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΝ
ΑΣΠΕΝΔΙΟΝ ΦΙΛΟΛΟΓΟΝ.

Senatus honoravit
Publium Ælium
Flavianum Apollodorum
Aspendium Philologum.

Hanc inſcriptionem multo pleniorem nobis deſcribit Thomas Smith in Notitia ſeptem Aſiæ Eccleſiarum pag. 49. Sed ne in latiorem campum Philologiæ laudis exſpatiar, paucis cauſam hujus diſſertationis aperiam. Obſervaveram multa de *Cabiris*, *Telchinibus*, *Curetibus*, *Idæis Dactylis*, *Corybantibus*, *& Magnæ Deum Matris Sacerdotibus Gallis*, quorum hiſtoriam juxta temporum ſeriem una eademque diſſertatione pertractare animus erat; occurrebant igitur primum utpote antiquiſſimi Cabiri, quorum myſteria dum perſpicio, ſub manu crevit opus in has paginas nimis multas, ſi doctis non placent, indoctis enim hæc non ſcripſi, ſed illis,

> ------------ *quibus arte benigna*,
> *Et meliore luto finxit præcordia Titan*.

Scio etenim homines plane ἀμύσους dicturos eſſe, me de rebus nullius momenti & nugis diſſerere, dum in myſteriis hiſce eruendis operam meam pono; hi etſi multum ſcire ſe putant, tamen nihil ſcire in reconditæ antiquitatis deliciis certo certius eſt; inter hos ſciolos non infimum locum obtinet Tanaquillus Faber Tanaquilli Filius, qui edidit tractatum *de Futilitate poetices*, in quo cap. 4. de *ſtili poetici obſcuritate* agens inter alia ſcribit obſervationes de Coryciis nymphis & Eleuſiniis ſacris, *diſputationem de diis Cabiris*, & ſi quid eſt adhuc ineptius, dare materiam ſcriptori commentariorum in poetas, non ovandi, ſed ſerio triumphandi; exclamat denique: *at eo quid magis ridiculum*? at quiſnam magis ſe deridendum propinavit quam iſte Tanaquillus, qui in iſto tractatu vere oſtendit ſe eſſe docti patris indoctum filium, & eruditæ ſororis, proh pudor! ineruditum fratrem; quicunque enim diſſertationem legerit, hominis inſcitiam & ſiniſteriorem erga poetas & poeſin animum mirabitur & cachinnis excipiet. Immo doctiſſimus Joannes Clericus Profeſſor Amſtelodamenſis ſcholia græca Luciani vulgavit, ad quæ tom. 2. pag. 12. paucis Cabiros & Corybantes perſtringens non erubuit promittere *mythicorum temporum hiſtoriam*, in qua prolixe de illis ageret; ſi celeberrimus vir promiſſionem præſtitiſſet, omnino hæc mea diſſertatio ſpongiæ incumberet, cum forſan plura & limatiora de Cabirorum myſteriis tradidiſſet, quam ego feci, qui tanta doctrinæ copia non præditus ad hæc initia acceſſi.

DISSERTATIO PHILOLOGICA DE MYSTERIIS DEORUM CABIRORUM.

CAP. I.

Cabiri unde dicti: a Cabiris montibus: Scholiastes Apollonii notatur: ab Hebraica voce כביר: Θεοὶ Μεγάλοι: Χαβὰρ *Saracenorum quid: Cedrenus corrigitur.*

PRiusquam obscuram Cabirorum historiam aggredior, non ἀπροσδιόνυσον erit, si quædam de vocabuli origine & significatione præmittam. Recte etenim Plato in Gorgia dixit: ὃς ἂν τὰ ὀνόματα εἰδῇ, εἴσεται καὶ τὰ πράγματα. *qui rerum nomina norit, etiam ipsas res facile pernoscet:* & hinc Socrates, teste Epicteto Stoico, τὴν τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψιν, *nominum contemplationem* eruditionis principium appellat.

Caberi vel Cabiri (nam utroque modo scribitur, etsi ultimum Dausquius in Orthographia Sat. Serm. amplexus est.) ex quorumdam sententia nomen habent a Cabiris montibus. Inter hos Stesimbrotus Thasius apud Strabonem lib. 10. Geograph. pag. 537. quando dicit: Καλεῖσθαι αὐτοὺς (Καβείρους) ἀπὸ τοῦ ὄρους τοῦ ἐν τῇ Βερεκυντίᾳ Καβείρου, *nominari (Cabiros) illos a monte Berecyntiæ* (mallem vertere *in regione Berecyntia*) *Cabiro*. In eadem opinione versatur, & hoc etymon nobis obtrudere conatur Scholiastes Apollonii Rhodii ad lib. 1. Argonaut. vers. 917. Κάβειροι, inquit, δοκοῦσι προσαγορεύσθαι ἀπὸ Καβείρων τῶν κατὰ Φρυγίαν ὀρῶν· ἐπεὶ ἐντεῦθεν μετηνέχθησαν. Hæc quoque iisdem fere verbis tradunt Etymologicum Magnum & Phavorinus. Forsan aliquis putat, discrepantiam inter Stesimbrotum Thasium & Apollonii Scholiastem esse, cum unus dicat Cabiros denominatos ἀπὸ τοῦ ὄρους ἐν Βερεκυντίᾳ numero singulari, alter vero ἀπὸ τῶν κατὰ Φρυγίαν ὀρῶν numero plurali. Sed notandum, ὄρος apud priorem significare totum montanum tractum & non peculiarem montem; Sic Latini auctores frequenter scribunt, *mons Caucasus*, *mons Taurus*, *mons Apenninus*, pro toto tractu montium, qui isto nomine noti sunt. Si igitur per ὄρος intelligatur tractus montium, qui includit multitudinem, quam Scholiastes per ὄρη *montes* designat, nulla diversitas superest. Porro quod ad etymologiam attinet, eam esse falsam ex sequentibus clare patebit. Scholiastes Apollonii aliique auctores volunt, Cabiros nomen suum accepisse ἐπεὶ ἐντεῦθεν μετηνέχθησαν, *postquam eum in locum* (circa montes Cabiros in Phrygia) *translati sunt*. Sed antequam circa montes istos translati sunt, in Phœnicia & Samothracia isto nomine indigitabantur: Idcirco aliud quid potius statuendum est, nempe hos montes a Cabiris nomen accepisse eo tempore, quo eorum mysteria a Dardano e Samothracia in Phrygiam sunt translata, de qua transportatione cap. 6. ago.

Veram, uti puto, originem exhibuerunt Eruditissimi viri Vossius pater, Bochartus, & Marshamus, qui vocabulum hoc deducunt ab Hebraico כביר | *magnus*, *potens*, *fortis*, *validus*, ut in libro Jobi cap. 8. vers. 2. & cap. 31. vers. 25. occurrit; quam Fabrettus improbat ad col. Trajan. pag. 83. Cabiri igitur ex significatione vocis sunt Magni, Potentes & Validi Dii. Sic eos dictos esse docet nos Hieronymus Aleander in explicat. tabulæ Heliacæ tom. 5. T. Antiq. pag. 761. *Erant Cabiri Samothracii sive Dii Magni ex Varronis sententia Cælum & Terra; Pluto & Mercurius cælestem vim indicabant, Ceres & Proserpina terrestrem: Pluto nimirum hiberni Solis calor est, Mercurius aer, qui eundem calorem terræ videtur communicare: per Cererem significari terram sationibus aptam supra docuimus, per Proserpinam vim subterraneam.* Habemus igitur hic quatuor Cabiros a me cap. 7. descriptos sub nominibus terræ & cæli cultos, illorumque explicationem physicam. Varronis verba, quæ extant lib. 4. de L.L. hæc sunt: *Terra*, inquit, *& Cœlum, ut Samothracum initia docent, sunt* DEI MAGNI, *& hi, quos dixi, multeis nominibus*, & postea: *Hi quos Augurum libri scriptos habent sic*, DIVI POTES: *& sunt pro illeis, qui in Samothrace* ΘΕΟΙ ΔΥΝΑΤΟΙ. Quinam enim Dii majore jure appellari possunt ΘΕΟΙ ΔΥΝΑΤΟΙ quam Cabiri, qui nomen a δυνάμει *potentia*, *valore*, & *fortitudine* habebant. Hinc Orpheus in hymno Κουρήτων vers. 20. eos vocat ΕΝΔΥΝΑΤΟΥΣ, hoc est, tales, qui potentiam in summo gradu possident, &, quando ipsis lubet, exercent. Quamobrem Cassius Hemina apud Macrobium lib. 3. Saturnal. cap. 4 tradit: *hos Deos proprie dici* ΘΕΟΥΣ ΜΕΓΑΛΟΥΣ, ΘΕΟΥΣ ΧΡΗΣΤΟΥΣ, ΘΕΟΥΣ ΔΥΝΑΤΟΥΣ; quos Tertullianus de Spectacul. cap. 8. Magnos, Potentes, Valentes appellat; verba ipsius sunt: *Ante eas columnas tres aræ trinis Diis parent*, MAGNIS, POTENTIBUS, VALENTIBUS. Has tres aras sese invenisse putat Raphael Fabrettus in antiquo marmore ludorum Circensium, quod exhibet in commentario suo ad columnam Trajanam. Ab hac voce כביר | *magnus*, & Κάβειροι *Dii Magni* acceperunt forte Saraceni suum Χαβὰρ, quod pro magno usurpant in eadem significatione, nempe relatione habita ad Deos. Sic in principio Saracenicorum ex Euthymii Zygabeni πανοπλίᾳ occurrit: Οἱ Σαρακηνοὶ μέχρι τοῦ Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως χρόνων εἰδωλολάτρει, προσκυνοῦντες τῷ Ἑωσφόρῳ ἄστρῳ, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ, ἣν δὴ καὶ ΧΑΒΑΡ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομάζουσι γλώττῃ· δηλοῖ δὲ ἡ

λέξις αὐτὴ τὴν μεγάλην. id est, *Saraceni usque ad Imperatoris Heraclii tempora idola coluerunt, adorantes Luciferum & Venerem, quam sua lingua* CHABAR *vocant: vox autem ea* MAGNAM *significat*. Præterea in catechesi Saracenorum occurrit: Ἀναθεματίζω τοῦ πρωϊνοῦ προσκυνοῦντες ἄστρῳ ἤγουν τῷ Ἑωσφόρῳ καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ, ἣν κατὰ τὴν Ἀράβων γλῶσσαν ΧΑΒΑΡ ὀνομάζουσι, τοῦτ᾽ ἔστι ΜΕΓΑΛΗ: i. e. *Anathematizo eos, qui matutinum sidus, & Venerem adorant, quam Arabica lingua* CHABAR *appellant, id est*, MAGNAM. Recte igitur vocem Χαβὰρ Castellus in Lexico Heptaglotto pag. 1672. explicat per *fortem, potentem, validum, superbum, altum*. Restituendum forsan hoc vocabulum in Chronico Georgii Cedreni, cum in vita Muhammedis dicit: Τὸν Ἀφροδίτης ἀστέρα τὸν Ἑωσφόρον εἶναι μυθολογοῦσιν. ἣν δὴ καὶ Κυβὰρ τῇ ἑαυτῶν κακεμφάτῳ ἐπονομάσαντο γλώσσῃ, ὅπερ ἐστὶ ΜΕΓΑΛΗ. *Luciferum fabulantur esse stellam Veneris, quam & lingua sua absona appellant* Κυβὰρ, *id est*, MAGNAM. Hic pro Κυβὰρ legendum judico Χαβὰρ, nemo enim non videt quam facile Χ in Κ & α in υ mutari possunt.

CAP. II.

Cabiri Dii: Etymologicon magnum tentatur. Dii Penates: Macrobius notatur & explicatur: Servius correctus: Cabiri quinam: Etymologicon magnum suppletur: Cicero & Ampelius restituti.

VEra Καβείρων etymologia, rejectis falsis, statuminata, ordo postulat, ut demonstrem, quales Dii, & quinam Cabiri fuerint. Cabiri hi celebres apud varias gentes Dii erant, ut testatur Eustathius ad Dionysii περιήγησιν vers. 524. ὄνομα δαιμόνων οἱ Κάβειροι. Similiter Etymologicon magnum. Κάβειροι ὀνόματα Θεῶν; legendum forte ὄνομα τῶν Θεῶν. Præterea Suidas & Phavorinus scribunt Καβείρους δαίμονας σημαίνειν. Quidam, Cabiros eosdem fuisse cum Curetibus, Corybantibus, Idæis Dactylis, & Telchinibus, existimant. Alii vero (teste Strabone lib. 10. Geograph. p. 531.) illos συγγενεῖς ἀλλήλων, καὶ μικράς τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφοράς, *cognatos inter se & exilibus distinctos differentiis*, faciunt; quod mihi quoque verius videtur. Maxima discrepantia inter auctores est, an hi Cabiri sunt Dii Penates Romanorum, quos Æneas secum in Italiam vexit, ut Servius ad Æneid. lib. 2. vers. 325. scribit. Doctissimus Dacierius ad Horat. lib. 2. od. 4. Cabiros eosdem cum Penatibus ponit, & tales fuisse Deos putat, quos Rachel a patre Labano furtim rapuit, cujus rei historia exstat in lib. primo Mosis cap. 31. vers. 34. Clarius adhuc patebit Cabiros esse Penates, si sequentem Macrobii locum attente consideremus, qui est ex lib. 3. Saturnal. cap. 4. *Penates dicti quasi penes nos nati, aut quorum beneficio penitus vivamus & sapiamus*. Etymon hoc omnino falsum est, nam ut a magnus, magnas, unde magnates; a summus, summas, unde summates; sic a penus est penas, unde Penates. Penas in usu fuisse patet ex Dionysio Halicarnassæo, qui lib. 1. memoriæ prodit, se in vetusta æde sub Velia conspexisse Deorum Penatium signa cum inscriptione ΔΕΝΑΣ, quod idem esse ac PENAS fatetur. Ultima vero Macrobii verba, *quorum beneficio penitus vivamus & sapiamus*, optime ad potestatem, quæ Cabiris adscribitur, referri possunt. Qui hi Dii Penates sunt, inter auctores non convenit, cum alii putent esse Neptunum & Apollinem; alii Jovem, Junonem, & Minervam; alii *Astatas esse & in regia positas*, scribit Servius l. c. cujus verba medela indigere certo certius est; Quid enim illud vocabulum *Astatas* significat? pro quo non incommode legeretur *statuas* vel *Castoras*, id est, statuas Castoris & Pollucis in regia positas, nam hi fratres sæpe de nomine Castoris appellantur & *pro* Cabiris habentur. Potest quoque lectio vulgata retineri, ut sit *astatas pro hastatas*, quales Dii Penates fuerunt, ut Dionysius lib. 1. A. R. narrat: εἰσὶ νεανίαι δύο καθήμενοι δόρατα διειληφότες, τῆς παλαιᾶς ἔργα τέχνης. i. e. *sunt hastati duo juvenes habitu sedentium admodum antiqui operis*. Præterea lectionem hanc confirmat antiqua patera apud Angelum de la Chausse tom. 5. Thes. A. R. pag. 321. in qua hi Penates duo exstant hastati. Accedit, veteres aliquando literam H in hoc vocabulo omisisse, sic in marmore in Gruteri æterno opere pag. 347. num. 1. vocantur P. AELIVS. P. F. PAPIRIVS MARCELLVS centurio, & ADSTATVS pro HASTATVS: & in Flori lib. 1. cap. 18. ubi legitur *quartæ legionis hastatus* in edit. vulg. sed in membranaceo codice Bibliothecæ Farnequeranæ scribitur ASTATUS. & ASTIFER apud Fabrettum ad column. Trajan. p. 182. *Hastatos* illos quoque describit fragment. Æliani elegans pag. 793. edit. Argent. 1685. h. v. καὶ μέντοι καὶ Διοσκούρων ἦν ἀγάλματα δύο νεανίαι μεγάλοι, γυμνοὶ τὰς παρειὰς ἑκάτεροι ὅμοιοι τὸ εἶδος, καὶ χλαμύδας ἔχοντες ἐπὶ τῶν ὤμων ἐφυμμένην ἑκατέραν (leg. ἐφημμένας ἑκατέρων) καὶ ξίφη ἔφερον τῶν χλαμύδων ἠρτημένα, καὶ λόγχας εἶχον παρεστῶτας, ἐν αἷς ἐρείδοντο, ὁ μὲν κατὰ δεξιὰν, ὁ δὲ κατὰ λαιάν. h. e. *Stabant etiam Castoris & Pollucis gemina simulacra, juvenes scilicet ingentis staturæ, nec dum ambo genarum vestiti lanugine, similes faciem, chlamydasque gestantes fibulis super utriusque humeris revinctas; ex chlamydibus gladios suspenderant, hastisque dextra alter, alter sinistra innitebantur*. At, missis his omnibus, Cabiros esse Penates Romanorum mea opinio est; auctores hac in re habeo Nigidium Figulum apud Arnobium, Cassium Heminam apud Macrobium, Varronem apud Servium, quos Togatorum doctissimos in re tam obscura sequi malo, quam aliorum obscuram diligentiam æmulari.

Ad secundum hujus capitis membrum perveni, in quo superest, ut dicam, quinam Dii pro Cabiris habebantur. Scholiastes Apollonii ad lib. 1. Argonaut. vers. 917. quatuor recenset, nempe Cererem, Proserpinam, Plutonem, & Mercurium: verba ipsius sunt: Τέσσαρές εἰσι τὸν ἀριθμόν. Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ. Ἀξιόκερσα δὲ, ἡ Περσεφόνη. Ἀξιόκερσος δὲ, ὁ Ἅδης, ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος, ὁ Ἑρμῆς ἐστιν. Hæc κατὰ πόδα describit Etymologus magnus, cujus tamen locus in fine mutilus (quartus enim Cabirorum desideratur) ex Apollonii Scholiaste hoc modo supplendus est: ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος, ὁ Ἑρμῆς ἐστιν. Sunt, qui modo duos Cabiros numerant Jovem & Bacchum sive Dionysum, teste eodem Scholiaste l. c. Οἱ δὲ δύο εἶναι τοὺς Καβείρους φασὶ πρότερον. πρεσβύτερον μὲν Δία. νεώτερον δὲ Διόνυσον. Qui idcirco MAXIMUS in lapide apud Gruterum pag. 67. num. 8.

DIIS MAXIMIS
BACHO ET SOMNO
HVMANAE VITAE
SVAVISSIMIS
CONSERVATORIB.
SACRVM.

dicitur, quoniam ἐνδυνατὸς ſive כביר vel *maximus* erat. Particula illa πρότερον *prius*, *antiquitus*, indicat, Jovem & Dionyſum prius Cabiros fuiſſe, quam iſti quatuor a Scholiaſte ſupra producti. Porro hic Dionyſus inter Cabiros poſitus forſan ille eſt, qui in numero quinque Dionyſorum tertium locum occupat apud Ciceronem lib. 3. de Natur. Deor. cap. 23. & dicitur natus *Caprio patre*; Sine dubio legendum eſt cum Celeberrimo Jacobo Gronovio, *Cabiro patre*; Et reſtituendum idem vocabulum Lucio Ampelio, qui libro memoriali cap. 95. dicit: *Dionyſum tertium de Cabito natum in Aſia regnaſſe*: pro *Cabito* pone *Cabiro*.

CAP. III.

Dioſcuri Caſtor & Pollux Cabiri: Præſides navigantium: Petronius explicatur: Σωτῆρες: *Dii Pataici quinam: Dii Magni ſive Cabiri: Inſcriptio illuſtratur: Plutarchus explicatur: Dioſcuri & Cabiri Inventores* τῶν ἐπῳδῶν.

QUæſtio inter Eruditos ventilatur, quinam iſti Dioſcuri ſunt, qui inter Deos Cabiros ſtatuuntur a veteribus, & an Dioſcuri iſti proprie Cabiri fuerunt, quam litem hoc capite propoſui diſcutere. Vid. Fabrettum ad column. Trajan. pag. 73. 74. Primum veroſimile mihi videtur, Dioſcuros hos eſſe Caſtorem & Pollucem Jove genitos & Leda, quoniam hi Dioſcuri ab Euſebio lib. 1. Præparat. Evangel. cap. 10. dicuntur filii τοῦ Συδὺκ, quem Syduk Jovem eſſe cap. ſequent. Bochartus docebit. Adeo ut in primo principio conveniant, nempe quod eundem patrem habuerint. Præterea Cælius Baſſus in Aratea Cæſaris Germanici *Geminos in cœlo Deos Samothracum* ſive Cabiros facit, Orphea forſan ſequens, qui de Cabiris in hymno Κουρήτων verſ. 23. canit:

Οἵτε καὶ οὐράνιοι Δίδυμοι κλήζεσθ' ἐν Ὀλύμπῳ.

vertit Divinus Scaliger:

Quique etiam Gemini per cœli templa cluetis.

Hi enim Gemini inter ſidera quinam alii ſunt quam Caſtor & Pollux, uti Aſtrologorum maxima pars ſcribit, teſte Higyno in Poetic. Aſtronom. lib. 2. cap. 22. Hinc eleganter ſuo more Horatius Lib. 1. od. 3.

Sic fratres Helenæ, lucida ſidera.

Accedit inſuper, quod Dioſcuri poteſtatem habuerint ſervandi homines in navigatione, quamobrem ii, qui navigationi ſe commiſſuri erant, primum Dioſcuros hos adorabant, ut propoſitum iter feliciter procederet. Hunc ritum Encolpius mare ingreſſurus obſervavit, cum in Petronii fragmento Traguriano dicit: *Ego cum Gitone quicquid erat, in alutam* (vox hæc in fragmento Albæ Græcæ nuper reperto habetur, cum antea locus mutilus eſſet.) *compono, & adoratis Sideribus intro navigium.* Heic per Sidera Geminos intelligi nullus dubito. Quod Cabirorum poteſtatem hac in re attinet, eam cap. 9. deſcribam. Præterea nautæ, quando in periculo verſabantur, Caſtorem & Pollucem invocabant, quorum ſtella, ſimulac appareret, tempeſtatem ſedare credebatur. Fidicen Romanæ Lyræ lib. 1. od. 12. ſic canit:

—— quorum ſimul alba nautis
ſtella refulſit.
Defluit ſaxis agitatus humor:
Concidunt venti, fugiuntque nubes:
Et minax (ſic DII voluere) ponto
Unda recumbit.

Ad quæ vetus Scholiaſtes hæc habet: *Alba ſtella, candida, ſerena, benigna; nam, dum oritur, tempeſtates ſedat.* Eſt quoque apud Patinum pag. 4. Numiſma, in quo prora navis, ſuper quam duo pilei Caſtoris & Pollucis totidemque ſtellæ apparent. Quæ ideo additæ navi, quoniam navigantibus favere felixque iter dare credebantur. Porro dubitarem, numne idem eſſet Nummus, quem Rubæus laudat & exponit, cum ſit Græcus a Phocæenſibus cuſus, & iiſdem notis ſignatus, niſi quod pileorum Roſſi non meminerit, quos forſan Nummo attentius inſpecto vidiſſet, literaſque illas corroſas cum Patino ſic legiſſet ΕΠ. Ϲ. ΑΥΡ. ΕΥΤΥΚΟΥϹ. Τ. Β. ΦΩΚΑΙΕ. *ſub prætore Aurelio Eutyche Phocæenſium.* Et huc referri debet Nummus Græcus, in quo puppis navis, & duo lumina cum diverſis literis corroſis, quem Nummum Octavius Rubeus in memoria Brixiana pag. 105. nuper Italice edita his verbis exponit: Credevano gli antichi, che foſſero quelle due luci, che appariſcono dopo le tempeſte in ſegno di ſalute ſopra i vaſcelli travagliati, id eſt, *Credebant antiqui, quod fuerint illa duo lumina, quæ apparebant tempeſtatis tempore in ſignum ſalutis ſupra navigia huc & illuc jactata.* Hinc Horatius lib. 4. od. 8.

Clarum Tyndaridæ ſidus ab infimis
Quaſſas eripiunt æquoribus rates.

ubi ſcholia conſule. Et ob hanc cauſam dicti ſunt Σωτῆρες navigantium in lapidibus antiquis (Strabo lib. 17. teſtatur, fuiſſe Inſcriptionem prope Alexandriam poſitam a Soſtrato Cnidio his verbis: ΘΕΟΙΣ ΣΩΤΗΡΣΙΝ ΥΠΟ ΤΩΝ ΠΛΟΙΖΟΜΕΝΩΝ *Diis Servatoribus pro navigantibus*: quem lapidem optime & recte ad Dioſcuros refert eruditiſſimus Spanhemius ad Callimach. hym. in Delum verſ. 166. pag. 432.) & veteribus Scholiis Luciani nuper ab Eruditiſſimo Clerico editis tom. 2. pag. 44. Verba Scholiaſtis ad hiſtoriam de fœmina Dioſcuros invocante hæc ſunt: ὡς ναύτης τοὺς Διοσκούρους καλεῖ. οὗτοι γὰρ Σωτῆρες ἐλέγοντο τοῖς πλέουσι.

Idcirco nautæ ſæpiſſime naves ornabant parvis icunculis horum fratrum. Ut videre licet apud Fabrett. ad colum. Trajan. pag. 112. 113. Sic habemus in Actis Apoſtolor. cap. 28. verſ. 11. Ἀνήχθημεν ἐν πλοίῳ παρασήμῳ Διοσκούροις. vertit Vulgat. *Navigavimus in navi, cui erat inſigne Caſtorum.* Eodem modo Phœnices triremium puppe proriſque circumferebant Deos Pataicos, id eſt, Cabiros teſte Herodot. lib. 3. cap. 37. Optime ad rem occurrit Heſychius: Πάταικοι Θεοὶ Φοίνικες, οὓς ἱστᾶσι κατὰ τὰς πρύμνας τῶν νεῶν. Accedunt gloſſæ MSS. quas citat Bourdelotius ad Heliodor.

pag. 88. Πάταικοι Θεοὶ Φοινίκικοι ἐν ταῖς πρύμναις ἱδρυμένοι. Iter quoque facturi vota his Dioſcuris vovebant, quæ poſt reditum ſolvebantur. Teſtatur id Inſcriptio vetus apud Tomaſinum de Donariis cap. 25.

CASTORI. ET. POLLUCI.
SACRUM.
OB. FELICEM. IN. PATRIAM.
REDITUM. TOT. SUPERATIS.
NAUFRAGII. PERICULIS.
EX. VOTO. CUM. SOCIIS.
L. M. P.
C. VALERIUS. C. P. AGELLUS.

Adducam inſuper elegantem Servii locum, nobis hunc ritum ob oculos ponentem, qui exſtat ad Virg. Æneid. 3. verſ. 12. *Varro & alii complures* MAGNOS DEOS *affirmant ſimulacra duo virilia,* CASTORIS & POLLUCIS, *in Samothracia ante portum ſita, quibus naufragio liberati vota ſolvebant*. Vota Cabiris quoque propter fauſtum reditum ſoluta eſſe cap. 9. dicam. In præcedenti Servii loco hi Dioſcuri a Varrone vocantur DII MAGNI, quo nomine apud Pauſaniam in Atticis pag. 30. inſigniuntur: Κεφαλῆσιν οἱ Διόσκυροι νομίζονται μάλιστα. ΜΕΓΑΛΟΥΣ γὰρ σφᾶς οἱ ταύτῃ ΘΕΟΥΣ ὀνομάζουσιν, id eſt, *Apud Cephalenſes* CASTOREM & POLLUCEM *præcipua quadam coluntur religione*. MAGNI *enim* DII *ab iis appellantur*. Præterea in Inſcript. apud Fleetvvood in Sylloge Inſcript. pag. 42. CASTORI ET POLLUCI DIIS MAGNIS SULPITIA Q. SULPITII F. VOTUM OB FILIUM SALUTI RESTITUTUM. Quod proprium Cabirorum epitheton eſt, ut cap. 1. oſtendi, & confirmat Inſcriptio elegans in palatio Epiſcopi Turricellani, quam Gruterus in Inſcriptionum mole pag. 319. num. 2. exhibet.

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ
ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕ
ΡΕΥΣ ΓΕΝΟΜΕ
ΝΟΣ ΘΕΩΝ ΜΕ
ΓΑΛΩΝ ΔΙΟΣ
ΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΩΝ
ΕΝ ΤΩΙ ΕΠΙ ΔΙΟ
ΝΥΣΙΟΥ ΤΟΥ ΜΕ
ΤΑ ΛΥΣΙΣΚΟΝ ΑΡ
ΧΟΝΤΟΣ ΕΝΙΑΥ
ΤΩΙ ΙΔΡΥΣΑΤΟ.

Gajus Gaii (filius)
Acharnenſis ſa
cerdos fa
ctus Deorum Ma
gnorum Dioſ
curorum Cabirorum
eo qui fuit ſub Dio
nyſio poſt
Lyciſcum Ar
chonte an-
no erexit.

Hic Gajus Gaii filius ſub alio Archonte ſacerdos Iſidis factus eſt, ut ex hoc marmore apud Reineſium claſſ. 1. Inſcr. 135. patet.

ΓΑΙΟΣ ΓΑΙΟΥ ΑΧΑΡΝΕΥΣ ΙΕ
ΡΕΥΣ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ
ΕΝ ΤΩ ΕΠΙ ΝΑΥΣΙΟΥ ΑΡΧΟΝ-
ΤΟΣ ΕΝΙΑΥΤΩ
ΚΑΙ ΟΙ ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙ ΚΑΙ ΟΙ
ΘΕΡΑΠΕΥΤΑΙ ΥΠΕΡ
ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ ΤΩΝ ΑΘΗΝΑΙ-
ΩΝ ΚΑΙ ΤΟΥ ΔΗΜΟΥ
ΤΩΝ ΡΩΜΑΙΩΝ ΙΣΙΔΙ ΔΙΚΑΙ-
ΟΣ.... ΥΝΗ ΙΔΡΥΣΑΝΤΟ.

Gajus Gaii (filius) Acharnenſis
ſacerdos factus
In Nauſii Archontis anno
Et Melanophori & miniſtri pro
Populo Athenienſium & populo
Romanorum Iſidi juſtitiæ dedicarunt.

Hunc eundem eſſe Gajum cum eo, cujus mentio fit in priori Inſcriptione manifeſtum eſt. Sed hæc ὡς ἐν παρόδῳ. Ad Dioſcuros igitur me confero. Qui ab auctore lapidis Gruteriani inter Cabiros ponuntur, quod & Plutarchus facit in vita Pauli Æmilii, cum de Perſeo fugitivo Macedoniæ rege dicit: Διαφεύγων ἐπὶ τοὺς Διοσκούρους ἱκέτευεν. Hic ἐπὶ τοὺς Διοσκούρους eſt *ad Cabiros*, ſive eorum fanum in Samothracia religioſiſſimum, ut Livius lib. 45. de hoc facto ſcribit: *Rex extorris regno in parvam inſulam* (id eſt in Samothraciam) *compulſus, ſupplex fani religione non viribus ſuis tutus erat*. Quod vero Plutarchus Cabiros nominet ſimpliciter Dioſcuros, id non inſolitum eſt, ut fuſe demonſtrat Raphael Fabrettus in commentario ſuo ad columnam Trajanam. Præterea Dioſcuri & Cabiri in hac re conveniunt, nempe quod illis adſcribant inventionem τῶν ἐπωδῶν *incantationum*, Euſebius in Præp. Evang. Dioſcuris; alii vero auctores, Cabiris.

CAP. IV.

Berytus urbs ubi ſita: fuit ſacra Cabiris: illorum genealogia illuſtrata: Cabiri octo in Phœnicia: inter illos Æſculapius: Marshamus notatur: Æſculapius quare Εσμουνος *dictus.*

QUandoquidem jam demonſtravi, quales & quinam apud priſcos Dii Cabiri fuerunt, lubet mihi hoc capite de origine cultus illorum Cabirorum diſſerere. Teſtantur monumenta antiqua, hos Deos primum in Phœnicia eſſe cultos, & quidem in urbe Beryto, quæ urbs maritima inter Byblum ad ſeptentrionem & Sidonem ad meridiem ſita eſt, & hodie *Baruto* dicitur: Conditorem ſimulque nominis derivationem tradit Stephanus Byzantinus. Βηρυτός, inquit, πόλις Φοινίκης, ἐκ μικρᾶς μεγάλη, κτίσμα Κρόνου. ἐκλήθη δὲ διὰ τὸ ἔνυδρον. βὴρ γὰρ, τὸ φρέαρ παρ' αὐτοῖς. Ισιαῖος δ' ἐν πρώτῃ τὴν ἰσχὺν βηρυτὶ Φοίνικας ὀνομάζειν. ἀφ' οὗ καὶ τὴν πόλιν, ὡς Ἑλλάδιός φησιν. i. e. *Berytus, urbs Phœniciæ, quæ ex parva magna evaſit, & a Saturno condita eſt. Ita dicta, quod aquis abundet: Vox enim* βὴρ *apud ipſos puteum denotat. Verum Hiſtiæus libro primo refert, Phœnices fortitudinem ſua lingua* βηρυτὶ *nominare, unde & urbi nomen tributum, teſte Helladio*. Vocatur hæc urbs *Berytenſium* (vel ut Cl. L. Theod. Gronovius e Pandectis Florentinis legit *Berytieum*. In nummo apud Bergerum in theſ. Palat. pag. 281. ΒΗΡΙΤΙΩΝ. ubi duos pileos referrem ad Dioſcuros Cabiros & non ad libertatem urbis.) *pulcherrima civitas* in §. 7. epiſt. 2. Juſtiniani de concept. Dig. Et *Berytenſis colonia Auguſti bene-*

ficiis gratiosa in l.1. §.1. D.de censibus. Apud Vaillant de num. in colon. & municip.percuss. sæpe indigitatur in Augusti nummis: COLONIA JULIA BERYTUS. Et fuit urbs Juris Italici ut expresse habetur in l.7. §.3. D. de censib. Hanc urbem Saturnus Neptuno & Cabiris dono dederat, & idcirco ut Dii tutelares ab incolis colebantur. Sanchoniathon apud Eusebium lib. 1. Præp. Evangel. cap. 10. Ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον μὲν τὴν πόλιν θεᾷ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ, δίδωσι. Βηρυτὸν δὲ Ποσειδῶνι καὶ Καβήροις. i. e. *Interea Saturnus Byblum quidem urbem Deæ Baaltidi, quæ & Dione dono dedit; Berytum autem Neptuno & Caberis*. Porro ut evidenter pateat, Cabiros e Phœnicia originem habuisse, apponam hic Deorum Phœnicum genealogiam, quam Eusebius lib. 1. Præp. Evangel. c. 10. nobis suppeditat e commentariis Taauti de mundi ortu, & quæ talis est:

Primus Ventus Κολπία —— *Uxor ipsius* Βάαυτ.

- *a* Αἰών, *Ævum*. — Γένος, *Genus*.
- *b* Πρωτόγονος, *Primogenitus*. — Γενεά, *Progenies*.

Φῶς, *Lux*. Πῦρ, *Ignis*. Φλόξ, *Flamma*.

Horum filii

Κάσιος. Λίβανος. Αντιλίβανος. Βραθύ.

ex his orti

Μημρῦμος, *vel* Ὑψουράνιος. — Ουσῶος.

Αγρεύς, Αλιεύς.
Venator. *Piscator*,

Χρυσώρ, *Anonymus quidam*.

Τεχνίτης, Γήϊνος Αυτόχθων.
Artifex. *Terrestris Indigena*.

Αγρός, *Ager*. Αγρώηρος *vel* Αγρότης. *Agricola*.

Αμύνος. Μάγος.

Μισώρ. Συδύκ.

Καβειροι.

Hæc genealogia omnium Eruditorum animadversione mihi digna videtur, quoniam venerandum antiquitatis Phœniciæ monumentum est, & multa obscura, corrupta, & nusquam apud alios auctores obvia continet. Sudavit in hac parte Eruditissimus Bochartus lib. 2. de colon. Phœnic. cap. 2. ubi plurima felicissime restituit & explicavit, quæ heic loci proponere animus est, additis illis, quæ ipse ad hanc Deorum seriem notavi, ut major lux obscuræ Cabirorum genealogiæ accedat.

Κολπία.) E vento *Colpia* primi homines orti. *Colpia* idem est quod קול·פי־יה *Col-pijah* vox oris Dei, cujus inspiratione & verbo homo factus est. *Bochartus*. Etymologiam hanc probat Grotius de Ver. Rel. Christ. in notis ad lib. 1. §. 16.

Βάαυτ.) בוה Phœnicibus *Noctem* fuisse puto, quia בות *but* est pernoctare, & בותא *bauta* noctua. *Bochartus*. Recte Cl. Vir putat Βάαυτ Noctem fuisse, nam & Græci teste Eusebio illam Νύκτα *Noctem* interpretantur. Grotius vero l. c. dicit: *βάαυ* omnino est בהו *bohu* Mosis, quod scilicet occurrit Gen. 1. vers. 2. ubi septuaginta, illud ἀκατασκεύαστος vertunt, Symmachus per ἀδιάκριτον.

Κάσιος, λίβανος, Αντιλίβανος, Βραθύ. Horum nomina montibus iis attributa esse quos ipsi prius occuparunt, scribit Eusebius. Pro Κάσιος legendum Κάσιος; vid. Dionysium. vers. 115. 260. 880. 901. cujus nominis mons in Syria fuit, (qui exstat in rarissimo Trajani nummo in Sponii miscellaneis pag. 75. cui monti subest ἐπιγραφὴ ΖΕΥC. ΚΑCΙΟC. *Jupiter Casius*, qui ibi colebatur. Nihil mutandum, cum auctores scripserint Κάσιος & Κάσιος, vid. loc. apud Sponium l. c.) ubi & Libanus & Antilibanus, Βραθύ vero nusquam terrarum inveni, & proculdubio corruptum est.

Μημρῦμος.) Sine dubio legendum Ζαμημρούμενος voce composita ex שמים *Samaim* cœli & רום *rum*, id est, *altitudo*. Et sic convenit cum Ὑψουράνιος. *Bochartus*. Sanchoniathon narrat, hunc οἰκῆσαι Τύρρον, καλύβας τε ἐπινοῆσαι ἀπὸ καλάμων καὶ παπύρων, *habitasse Tyri & fabricasse casas ex calamis & juncis & papyris*.

Ουσῶος.) Eusebius ex Sanchoniathone refert, hunc primum ausum cymba e trunco arboris excavata ἐς θάλατταν ἐμβῆναι *mare ingredi*. Originem nominis vide apud *Bianchini* pag. 158.

a Vid. Bianchini Istoria univers. pag. 230. *b* Vid. eund. pag. 157.

Αγρεύ.) Quis hic Αγρεὺς fuerit, omnino incertum est, nisi velimus, illum Pana fuisse, quem Athenienses eo nomine appellabant. Hesychius Αγρεὺς, ὁ Πὰν παρὰ Αθηναίοις. Vid. illum in nummo apud Andream Marmora historia di Corfù pag. 47.

Χρυσώρ.) Vulcani nomen Χρυσὼρ, Phœnicibus erat חרש אור *chores ur*, id est, πυριτεχνίτης, qui ignis opera metalla fabricat in quasvis formas. *Bochartus*. Optime, nam Χρυσὼρ Eusebio Ηφαιςος, *Vulcanus* est.

Γηΐνος αὐτόχθων.) Id est אדם *Adam*, qui solus vere Γηΐνος & Αυτόχθων, id est, *ex ipsa terra natus*, quod & Hebræo nomine significatur. *Bochartus*.

Αγρύηρος vel Αγρότης.) Est Deus שרי *sadai*. Αγρότην reddidit Philo quasi fiat a שרה *sade* i. e. ab agro. Cum Hebr. שרי *saddai* omnipotentem sonet, ut Arabice שדיר *sadid* robustum. *Bochartus*. Verisimilius est hunc esse Cainum, vid. Stillingfleetii Orig. Sacr. p. 489.

Μισώρ.) Explicat (nempe Taautes apud Eusebium) per εὔλυτον *solubilem*. μισὼρ Syris est משרא *mesoro* solutus. *Bochartus*.

Συδύκ) Explicat (idem Taautes) per δίκαιον *justum*; συδὺκ Hebraice צריק *tsaddik* justus. Ergo Συδὺκ erat Jupiter, quem Hebræi צרק *tsedek* appellant. *Bochartus*. Hunc Συδὺκ esse Jovem præter Bochartum vult Celeberrimus Marshamus in Canone Chronico pag. 35.


Sufficiant hæc ad illustrationem hujus genealogiæ, quæ in tantis non cubaret tenebris, si deperdita Sanchoniathonis scripta haberemus.

Vero Cabirorum ortu demonstrato, de illorum numero quædam proferam, nempe quot Cabiri e patre Syduc orti in Phœnicia exstiterint; indicat hoc nobis Eusebius lib. I. Præp. Evang. cap. 10. cum dicit: Οἱ ἑπτὰ Συδὲκ παῖδες Κάβειροι, ὄγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς Ασκληπιός. i. e. *Septem Syduc liberi Cabiri, cum Æsculapio fratre octavo*. Ex his ambiguum est, an Æsculapius inter Cabiros numerari debet; sed scrupulum hunc tollit Damascius in vita Isidori apud Photium, p. 1074. quando Æsculapium his verbis describit: Ο ἐν Βηρυτῷ Ασκληπιὸς οὐκ ἔστιν Ελλην, οὐδὲ Αἰγύπτιος, ἀλλά τις ἐπιχώριος Φοίνιξ. Σαδύκῳ γὰρ ἐγένοντο παῖδες, οὓς Διοσκόρους ἑρμηνεύουσι καὶ Καβείρους. ὄγδοος δὲ ἐγένετο ἐπὶ τούτοις ὁ Εσμουνος, ὃν Ασκλήπιον ἑρμηνεύουσιν. id est, *Æsculapius, qui Beryti colitur, non est Græcus, neque Ægyptius, sed Phœnix aliquis indigena. Saduco enim filii fuere, quos Dioscuros & Cabiros interpretantur*. OCTAVUS *autem* ILLORUM fuit *Esmunus, quem* ÆSCULAPIUM *exponunt*. Si Æsculapius octavus illorum Cabirorum fuerit, proculdubio pro Cabiro haberi debet; falsus igitur Marshamus est, quando in canone suo pag. 40. scribit: *Æsculapius licet inter Cabiros non habeatur, Jovis tamen filius & Mercurii frater censendus est*. Præcedentia enim Damascii verba illum diserte inter Cabiros ponunt. Quam ob causam Æsculapius dicebatur *Esmunus*, non admodum clare patet; Photius scribit Εσμουνον ὄγδοον ἑρμηνεύειν *octavum significare*: quod si verum est, nominis causa forsan fuit, quia octavus in Cabirorum numero erat: hanc significationem videtur quoque admittere Marshamus, quando Εσμουνος ab Hebraico השמיני *haschmini* octavus deducit. Historiam hujus vid. apud Fabrett. ad col. Trajan. p. 79.

CAP. V.

Urbs Carrhæ ubi sita: colonia Aurelia dicta in antiquis nummis: Vaillant notatur: de nummo quodam Edessenorum contra Vaillantium & Tristanum: Cabiri Carrhis culti: Vaillantii error indicatur circa Cabiros.


NOn tantum in Phœnicia Cabiri divino honore excepti sunt, sed & in Mesopotamia, & quidem Carrhis, quæ fuit urbs celeberrima istius regionis a fluvio Carrha nomen habens. Stephanus Byzantinus. Κάῤῥαι, πόλις Μεσοποταμίας, ἀπὸ Καῤῥᾶ ποταμοῦ Συρίας. Τὸ ἐθνικὸν Καῤῥηνος, ἢ Καῤῥαῖος. *Carrhæ, urbs Mesopotamiæ, a Carrha Syriæ fluvio sic dicta: gentile Carrhenus, sive Carrhæus*. Hodie *Orfa* appellatur. Urbs hæc colonia constituta est, & nomine *Aureliæ* donata ab Imperatoribus M. Aurelio & L. Vero, postquam Parthos feliciter debellassent, hinc elegans nummus apud Vaillant tom. I de num. in col. & mun. percus. pag. 179.



ἐπιγραφὴν in aversa facie hoc modo supplet modo laudatus vir. ΑΥΡηλίων Καῤῥηνῶν Φιλωρωμαίων μητροπόλεως πρώτης. Prætere Carrhas coloniam fuisse & Aureliam dictam confirmat sequens nummus apud eundem tom. I. pag. 197.



Κολωνία Αυρήλια Καῤῥηνῶν. Addam alium, quem pag. 210. inter nummos Commodianos exhibet;



Κᾶῤῥα Κολωνία Μητρόπολις. Vaillant hoc numisma his verbis describit: *Astrum seu Sol in crescente Luna supra basim ad ornamentum*. Sed ubinam quæso apparet *Astrum seu Sol in crescente Luna*, ne γρῦ quidem hujus *Astri* seu *Solis* in Ectypo nummi exstat, reperiuntur sane permulta numismata in isto elegantissimo opere quæ miris modis a Vaillantii descriptione diversa sunt, quam plurima hujus rei exempla ostendit mihi nuper amicus meus singularis Joan. Sibranda L. G. Prælect. ἀλλὰ νῦν ἐν ἁγίοις. Quos tamen errores mallem adscribere sculptoribus quam lynceis Antiquariorum primipili oculis. Porro ut probem Cabiros a Carrhe-

nis cultos esse, modo opus est varios nummos exhibere, qui veritatem hujus cultus stabiliunt. Primus est Maximi Moduli apud Vaillant tom. 2. de num. in col. & mun. percus. pag. 142.



hic iterum Vaillantius cum nummi ectypo non convenit, cum hoc modo illum describat: ΜΗΤΡ. ΚΟΛ. ΚΑΡΡΗΝΩΝ. Μητροπόλεως Κολωνίας Καῤῥηνῶν. *caput muliebre turritum & velatum, supra quod crescens Luna ante illud figura seminuda & barbata columnæ imposita, dextra malleum gerens, in area nummi arula*. Primum nummus hanc inscriptionem expresse præ se fert. ΜΗΤΡ. ΚΟΛ. ΕΔΕCCΗΝΩΝ Μητρόπελεως Κολωνίας Εδεσσηνῶν. Quæ plane diversa est a Vaillantii ἐπιγραφῇ. Carrhæ enim & Edessa miris modis inter se discrepant. Secundo nulla *crescens Luna* supra caput muliebre exstat, sed supra caput figuræ columnæ impositæ. Tertio *in area nummi arula* dicit prædictus Antiquarius, quam frustra in ectypo nummi quæsivimus. Vaillant figuram columnæ impositam per Cabirum exponit, apud Carrhenos cultum, quoniam malleum dextra gerit, quo instructi Cabiri sæpe in hujusmodi æruginosis lamellis veniunt, ut e variis nummis e nummophylacio I. de Wilde cap. IV. hujus Dissertationis ostendi. Si tamen nummi inscriptio genuina est, & nullus a sculptore error sit admissus, probari posset ex hoc nummo Cabirorum cultus apud Edessenos; quoniam tunc Deus Cabirus malleo instructus in illorum nummo exstaret. Verum enim vero non possum Vaillantio hic assentire Cabirum nobis obtrudenti, nec Tristano figuram Gordiani in hoc nummo agnoscenti, quoniam figura hæc corniculantem Lunam in capite habet, & alte succincta est, spiculum non vero malleum dextra elevare videtur: hæ res clara indicia sunt, cui statua hæc debeat adscribi; Dianæ nempe Venatrici, quod & Vaillant pag. 145. ejusdem tomi facit, ubi eundem nummum exhibens sic eum describit. *Caput muliebre velatum & turritum, ante quod columna, in qua Diana ut videtur Venatricis habitu, dextra extensa telum, læva arcum*. Ut tamen ex indubitato nummo cultum Cabirorum apud Carrhenos ostendam, proferam unum a Vaillantio productum inter Fur. Sabin. Tranquillinæ nummos, tom. 2. pag. 154. de num. in col. & mun. qui talis est.



Vaillant his verbis nummum describit: Μητροπόλεως Κολωνίας Καῤῥηνῶν. *caput muliebre turritum & velatum, supra quod crescens Luna, & ante illud columna, cui impositus Cabirus*. Optime vidit figuram hanc esse Cabirum, adeoque sui cultum in urbe Carrhis indicare, malleus etenim eadem forma est, qua illi, quos manibus tenent Cabiri in numismatibus Jac. de Wilde, nec figura Cabiri in hoc nummo multum ab illis discrepat. Notanda porro sunt verba hæc Vaillantii in nummi explicatione. *Cabiri Vulcani ex Cabera Protei filia geniti dicuntur*. Quæ valde ambigua sunt, nam si generaliter de omnibus Cabiris hæc dicta intelligamus, aperte falsa sunt; cum Cabiri in Phœnicia e patre Syduc sive Jove ortum habeant, quemadmodum cap. 4. adstruxi. Et quatuor Cabiri in Samothracia Ceres nempe, Proserpina, Pluto, & Mercurius nequaquam e Vulcano prognati sunt. Si igitur specialiter verba laudata accipiamus de Cabiris in Lemno Insula cultis, vera sunt, hi etenim Vulcani filii existebant, ut varia variorum auctorum loca a me cap. XI. producta nos docent, adeoque doctissimus Antiquarius debuisset addere *in Lemno*, & sic stipulare locum, si ambiguitatem e verbis suis tollere vellet. Præterea Cabirum Lemnium in præcedenti nummo expresse vindicare posse mihi non verosimile videtur, quoniam urbs Carrhæ potius Cabiros e vicina Phœnicia arcesseret, inque nummis signaret, quam e longinquo illos petere, adeoque mallem Cabirum in nummo esse Phœnicium filium Syduc, quam Lemnium filium Vulcani, quod Vaillantius vult, dum de illis Cabiris Vulcani filiis mentionem faciat.

Cap. VI.

Cabiri in Ægypto; & quidem Memphi: illorum simulacra & templum a Cambyse deletum: סמדרקים *apud Hebræos quid: Augustinus emendatur: Herodoti interpretis lapsus:* πυγμαῖος *fortis: Bibliorum versio Vulgata & Hispanica notantur.*

Phœniciam deserens alias perlustrabo regiones, inter quas mihi primo, utpote vicinior aliis, Ægyptus occurrit, in qua terra cultus Cabirorum quoque viguit. In urbe Memphitica celeberrimum Cabirorum templum exstitit, quod nemini nisi sacerdoti introire fas erat, teste Herodoto lib. 3. cap. 37. Simulacra Cabirorum in hoc templo erant, ὅμοια τοῖσι τοῦ Ηφαίςου, *similia simulacris Vulcani*, ut Herodotus l. c. dicit. Jam Vulcani simulacra referebant πυγμαίου ἀνδρὸς μίμησιν, *imaginem pygmæi viri*, ut interpres vertit; quod si verum est, ridiculam formam habuerunt, & ob hanc causam rex Persarum Cambyses ille Deorum contemptor forsan illa simulacra cavillatus est, eaque combussit, ut his verbis docet Herodotus l. c. Εἰσῆλθε ἐς τῶν Καβείρων τὸ ἱρόν. Ταῦτα δὲ τ' ἀγάλματα καὶ ἐνέπρησε, πολλὰ κατασκώψας. id est, *Templum Cabirorum ingressus est, & quæ illic erant simulacra concremavit, multis in ea jocatus est verbis*. Rabies Cambysis in cremandis simulacris non substitit, sed templa horum Deorum, quæ Memphi erant, funditus delevit, ut auctor est Strabo lib. 10. Geograph. Ab his ridiculis Cabirorum statuis סמדרקים *samadracos* apud Hebræos pro *morione* sumitur testantibus Bocharto & Buxtorfio, quasi Samothraces Deos vel Cabiros (iidem enim fuerunt, ut in sequentibus demonstrabo) oris & corporis habitu imitetur. Huc referendum judico τὸ Κόβειρος, quod pro irrisore legitur apud Hesychium. Κόβειρος, γελοιαςής, σκώπτης, λοιδορηςής. & antea. Κόβειρα, γελοῖα. Quæ voces forsan ortum habent a Καβείρων statuis ridiculis. Et quid si huc refero Κόβαλος *vafer* in Aristoph. Pluto vers. 279. ubi Scholia vide. Sic Chrysostomus

hac voce utitur pro *morione* vel *scurra* Hom. 17. in Ep. ad Ephesios. Οὐχ' ὁρᾷς τὰς λεγομένας γελωτοποιὰς ΣΑΜΑΡΔΑΚΟΥΣ, ἤτοι εἰσὶ οἱ εὐτράπελοι. Hinc forsan corrigendus est Augustinus lib. 3 de Civit. Dei cap. 15. *Ille casu planus erat de iis, quos Sarmadacos jam vulgus appellat*. pro *Sarmadacos* lege *Samadracos*. Lectio tamen hæc stabilitur loco quodam veteris commentatoris ad Horatium lib. 1. satyr. sat. 6. vers. 13. ubi circus a poeta cognominatur fallax, & sic a Scholiaste exponitur, fallacem propter Sarmadacos & sortilegos Mathematicos, qui ad metas spectatores circumstabant, & imperitos sortibus aut nugis fallebant. vid. Martinium in *Samardacos*. Quod ad significationem hujus vocis pro *morione* attinet, puto illam esse ortam e male intellecto vocabulo πυγμαῖος apud Herodotum, cum de Cabiris scribit, illos habuisse πυγμαίε ἀνδρὸς μίμησιν, quæ, ut supra monui, interpres transtulit, *pygmæi viri imaginem*, quasi Cabiri eadem forma & statura fuissent, qua pygmæi illi homunciones, quod nequaquam verisimile mihi videtur, quoniam illorum simulacra erant *similia Vulcani simulacris*, qui validis membris ut robustus faber fingebatur, neque pygmæi imaginem referebat; quamobrem Cambyses ob ridiculam formam scommata in illos non jecit, sed quoniam, cum illos Vulcano traderet, se ipsos ab interitu servare non poterant, qui homines servare & custodire credebantur; quæ causa latronem quoque adigebat ad producenda illa in Jesum Christum dicteria ab Evangelistis memorata. Mallem igitur, verba Herodoti πυγμαίε ἀνδρὸς μίμησιν vertere *fortis* sive *robusti viri imaginem*; quæ imago optime nominis notionem exprimit, a fortitudine enim & potentia Cabiri dicti sunt, quemadmodum cap. 1. ostendi. Ne vero cuiquam insolens videatur hæc significatio τοῦ πυγμαῖος, & a me temere producta, exemplum addam, ex Ezechielis cap. 27. vers. 11. Ubi LXX. interpretes habent: Φύλακες ἐν τοῖς πύργοις σοῦ ἦσαν. In textu Hebræo pro φύλακες est גמדים *Gamadim*, quod Theodotion retinuit, Aquila vero vertit πυγμαῖοι, quod Hieronymus recte explicat per *bellatores* & *ad bella promptissimos* ἀπὸ τῆς πυγμῆς, fortes enim & robusti viri ad bellum habiles sunt & idonei; male igitur Versio Vulgata *pygmæi*, & Hispanica, *Los Pygmeos en tus torres*. Qui nihil ad turrium custodiam conferre poterant, nisi forte grues illas oppugnarent, cum quibus Pygmæi bellum gerunt, si credere fas sit; melius esset *fortes, validi*, qui re vera turres contra hostes defenderent.

CAP. VII.

Cabiri apud Pergamenos oppidatim culti: e Samothracia a Dardano translati: Fr. Junii de hac re sententia: Samothraces Dii unde dicti.

EX Ægypto ad Pergamenos in Asia Minori ad Hellespontum proficiscor, investigaturus & ibi Cabirorum sacra. Terram Pergamenorum antiquis temporibus his Diis sacram fuisse refert Pausanias in Atticis pag. 4. Ἣν (γῆν) νέμονται οἱ Περγαμηνοί, Καβείρων ἱερὰν φάσιν εἶναι τὸ ἀρχαῖον. In singulis hujus regionis urbibus Cabiri colebantur, κατὰ πόλεις dicit Strabo lib. 10. Primus fuit Dardanus, qui Cabirorum mysteria e Samothracia ad Pergamenos deduxit, eaque illos docuit. Rursus testimonium Strabonis hac in re adhibendum est, quod libr. 10. Geograph. exstat. Δάρδανος ἐκ Σαμοθρᾴκης ὁρμηθεὶς, [illegible] ἐν τῇ [illegible] τῆς Ἴδης τὴν πόλιν Δαρδανίαν κτίσειε, καὶ διδάξειε τοὺς Τρῶας τὰ ἐν Σαμοθρᾴκῃ μυστήρια. i. e. *Dardanus e Samothracia profectus in vicina Idæ Dardaniam urbem ædificavit, & Trojanos mysteria in Samothracia usitata docuit*. Idem tradunt excerpta lib. 7. Strabonis in fine verbis iisdem. Confirmat hoc quoque Servius ad Virgil. Æneid. lib. 2. vers. 325. *Dardanus*, inquit, *Jovis & Electræ filius ex Samothracia Trojam penates dicitur detulisse*. Quod vero Penates & Cabiri iidem sint Dii cap 2. demonstravi. Eadem de Dardano tradidit Varro lib. 2. Rer. Human. teste Macrobio lib. 3. Saturnal. cap. 4. Historiam hanc de translatione Cabirorum e Samothracia in Phrygiam quasi minime veram rejicit eruditissimus in linguis borealibus Franciscus Junius ad Tertullianum de Spectaculis cap. 8. & opinatur, similitudinem vocis *Samthraces*, & *Samothraces* errori præbuisse ansam, cum nempe auctores *Deos Samothraces* acciperent pro *Diis in Samothracia cultis*, qui tamen Dii juxta Junii sententiam *Samthraces* dicebantur pro *Samothraces* ab Hebræo סתר, id est, *occultare*, quoniam & illorum nomina & mysteria occulta atque ἄῤῥητα erant.

CAP. VIII.

Samothracia unde dicta: Cabiri quatuor in hac insula: Ἀξίερος: Ἀξιόκερσα: Ἀξιόκερσος: Κάσμιλος: *Nonnus tentatus: Camillus quis: Servius emendatur: Camilli ministri: Dionysius Halicar. tentatur: Camillus unde ortus: ipsius posteri: Meursius reprehenditur: genuinitas Inscriptionis contra Reinesium asserta.*

EX Asiæ Minoris continenti in vicinas maris Ægæi insulas vela do, & primum dirigo iter versus Samothraciam, quæ insula est juxta sinum Cardianum non procul a Lemno, Imbro, & Thracia. Stephanus. Σαμοθρᾴκη, νῆσος πρὸς τῇ Θρᾴκῃ. *Samothrace insula juxta Thraciam*. Deinde subjungit, insulam istam appellatam fuisse ἀπὸ τῶν Σαμίων καὶ Θρᾳκῶν, *a Samiis & Thracibus*. Originem nominis fusius tradit Scholiastes Apollonii ad Lib. 1. Argonaut. vers. 917. Ἡ Σαμοθρᾴκη, inquit, ἐκλεῖτο πρότερον Λευκοσία. ὕστερον δὲ ἀπὸ Σάου τοῦ Ἑρμοῦ καὶ Ῥήνης παιδός. Σάμος προσωνομάσθη κατὰ παρένθεσιν τοῦ μ. Θρᾳκῶν δὲ οἰκησάντων αὐτὸν ἐκλήθη Σαμοθρᾴκη. In (unde ortum Samothracum collegium in myster. Cabiror. de quo vide quæ notat Morhof in Polyhist. pag. 126.) hac insula Cabirorum mysteria fuisse usitata constans opinio est, sic Stesimbrotus Thasius apud Strabonem lib. 10. τὰ ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἱερὰ τοῖς Καβείροις ἐπιτελεῖσθαι. *Sacra* (male in versione vulg. *sacrificia*) *Samothracia Cabiris adscribit*. Et Apollonii scholia dicunt: Μυοῦνται ἐν τῇ Σαμοθρᾴκῃ τοῖς Καβείροις. *initiantur in Samothrace Cabiris*. Præterea Eustathius ad Dionysii περιήγησιν vers. 517. Σάμος Θρᾳκία, ἥτις Καβείρων εἶχεν ἱερά. Ob hunc Cabirorum cultum insula existimabatur esse sacra, quamobrem L. Attilius apud Livium lib. 45. Hist. in concione Samothracum ait: *Accepimus sacram hanc insulam & augusti totam atque inviolati soli esse*. Et hinc τὸ *Samothracia* pro mysteriis Deorum Samothracum, seu Cabirorum sumuntur, apud Tertull. apologet. cap. 8. ut not. Fab. ad Lucr. 449. Dii Cabiri quatuor (vid. Tollium de fistris pag. 34. add. loc. Porphyr. apud Euseb. Fabrett. ad col. Trajan. pag. 75.) in hac insula exstiterunt, ut Apollonii Scholiastes loc. cit. scribit, simul nomina eorum recitans: Τέσσαρές εἰσὶ τὸν ἀριθμόν. Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος,

κερσος, ὁ δὲ τέταρτος Κάσμιλος ἐςίν. *Sunt quatuor numero. Axieros, Axiocersa, Axiocersus, Casmillus vero quartus est.* Vide hos quatuor Cabiros in marmoreo fragmento apud Alexandrum in explicatione tabulæ Heliacæ in tom. 5. Th. Antiq. pag. 758. unum omisit Parrhasius, de quo vid. Thes. Crit. tom. 2. pag. 677. Mox indicat Deos, qui sub his nominibus mysticis latebant, & dicit: Αξίερος μὲν οὖν ἐςιν ἡ Δημήτηρ. Αξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη. Αξιόκερσος δὲ, ὁ Αδης. ὁ δὲ προςιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος ὁ Ερμῆς ἐςιν. *Axieros quidem est Ceres; Axiocersa Proserpina; Axiocersus autem Pluto; qui vero adjicitur quarto loco Casmilus, is Mercurius est.* Omnia hæc vera esse clarius patebit ex harum vocum originibus, quas Bochartus ὁ πάνυ lib. 1. de colon. Phœnic. cap. 12. monstrat. Primo loco occurrit Αξίερος CERES, quæ secundum viri celeberrimi mentem Phœnicibus erat אחזי-ארץ *Achazi-erets*, possessio mea terra, ut *Achazias* possessio mea Deus. *Achazi* per syncopen *axi*. ut apud Græcos *Oxyares* e Persico *Achasuerus*. Cererem sequuntur Αξιόκερσα & Αξιόκερσος PROSERPINA & PLUTO uxor & maritus. De quibus Bochartus dicit: „ Αξιόκερσος & Αξιόκερσα genere „ & terminatione differunt, nam utriusque vocis „ prima pars ἀξιο idem significat quod ἀξι vel *a-* „ *chazi* possessio mea, o in fine addito. Secunda „ pars κέρσος & κέρσα fit ex Hebræo קרץ *herets*, „ quod pro excidio & morte usurpatur. Jerem. „ 46. vers. 20. Igitur אחז-קרץ *achazi-kerets* vel „ Αξιόκερσος vocatur Pluto, quia imperium in mor- „ tem habet. Nec dissimili locutione Paulus Hebr. „ 2. vers. 14. diabolum dicit τὸ κράτος ἔχειν τοῦ θανάτου. *Imperium habere mortis*. Huc usque modo laudatus vir, qui nihil de Proserpina addidit, quæ tamen æque ac maritus imperium in mortuos habuit, unde JUNO STYGIA appellata est in hoc lapide apud Reinesium class. 1. n. 34.

IVNONI. STYGIÆ.
CRESCENTINA.
MATRILIA. CVM.
FIL. SV. V. S. L. M.

Vid. etiam Fabrett. ad tab. Iliad. pag. 371. & seq. Eodem modo ut maritus ipsius JUPITER STIGIUS in sequenti lapide Miscellaneorum Sponii pag. 81.

SIG. IOVI
ISTIGIO
C. ATINIVS C. F.
CLV. MARIVS
VOTO SVSCEPTO
PRO SAL. VX. SVAE
D. S. P. P.

Fabrett. ad tab. Il. pag. 372. & Meursii lect. Att. pag. 327. Et hinc ipsius domus infernalis Horatio est *regnum furvæ Proserpinæ*, quoniam in inferno ut regina regnabat, & imperiam in mortuos exercebat. Ultimus in Apollonii Scholiastis loco est Κάσμιλος, quem per Ερμῆν sive MERCURIUM explicat. Nomen hoc variis modis scribitur, ut Κάσμιλος, Κάδμιλος, Κάδμηλος, & Κάμιλλος. Primum exstat apud Apollonii Scholiasten & Etymologici magni auctorem; quod verbum Græcum in esse Varro lib.6. de L. L. arbitratur, qui id Callimachi poemateis invenerat. Bochartus vero lib. 2. Hierozoic. cap.36. originem hujus vocis Hebraicam asserit. *Vates*, inquit, *& Ministri Deorum* קסמים *hosemim vocantur. Ut Romanis Casmilli, id est,* קסמי-אל *hosme-el, ministri Dei.* Quod ad secundum attinet, Mercurius Bœotorum dialecto Κάδμιλος vocabatur; hinc Scholiastes Lycophronis ad Cassandr. vers. 162. Κάδμιλος ὁ Ερμῆς Βοιωτικῶς. Vocabulum hoc Phavorinus a Κάδμος deducit, quod Mercurii epitheton est: Κάδμος οὐ κύριον μόνον, ἀλλὰ καὶ Ερμοῦ ἐπίθετον, ὃ παράγωγον ὁ Κάδμιλος παρὰ Λυκόφρονι. Sed procul dubio etymologia ex oriente petenda est, quamobrem non male Bochartus lib. 1. de colon. Phœnic. cap. 12. dicit: Κάδμιλος a Phœnicum חדמאל *chadmel* oriri, quod significat *ministrum Dei, ministrum sacrum*. Porro *chadmel* mutatur in *Cadmilum*, quia Phœnicum אל *el* Græce scribebatur Ιλος. Sic apud Philonem Saturnus, qui Phœnicibus אל erat, vocatur Ιλος. Aliam præterea originem excogitavit celeberrimus vir Stephanus le Moyne in epist. ad Cuperum de Melanophoris pag. 206. quæ est ab Arabica voce *Cadmala servus Dei*. Sic habemus in glossario Syro-Arabico: *Servus Dei, Cadmala*, a *Cadam* servire. Heinsius in Aristarch. Sacro pag. 25. a *cadam* deducit Cadmus; unde Cadmilus juxta Phavorinum, & sic in prima origine sentit cum le Moyne. Porro ex his vocabulis, Αξίερος, Αξιόκερσα, Αξιόκερσος, & Κάδμιλος admodum clare patet, quamobrem de Samothracibus scribit Diodorus Siculus lib. 5. Εσχήκασι δὲ παλαιὰν ἰδίαν διάλεκτον οἱ αὐτόχθονες, ἧς πολλὰ ἐν ταῖς θυσίαις μέχρι τοῦ νῦν τηρεῖται. i. e. *Habuerunt autem indigenæ linguam veterem sibi propriam, cujus in sacrificiis hodie multa servantur*. Quæ Diodoro est παλαιὰ καὶ ἰδία διάλεκτος; ea Herodoto lib. 2. cap. 51. est ἱερὸς λόγος ἐν Σαμοθρηΐκῃ μυστηρίοισι. *sacer sermo in Samothracibus mysteriis*. Tertium Κάδμηλος modo reperitur, quod sciam, apud Nonnum lib. 4. Dionysiac.

Οὐδὲ μάτην Κάδμηλος ἀείδεται οὐρανίην γὰρ
Μορφὴν μοῦνος ἄμειψε, καὶ εἰσέτι Κάδμος ἀκούει.

Quamobrem valde dubito, numne locus sit corruptus, & legendus Κάδμιλος. Notandum præterea in his Nonni versibus Mercurium vocari Κάδμον, quod statim e Phavorino demonstravi. Ultimum est Κάμιλλος, *Camillus*, auctoribus Latinis frequens; Hunc Mercurium sive Camillum Scholiastes Apollonii & Etymologicon Magnum inter Cabiros ponunt; & ob hanc rationem in sequenti lapide corporis Gruteriani pag. 54. num. 13. MAGNUS appellatur:

D. M. S.
MERCVRIO MAGNO D. S.
FRATRI SVB CL. PRAESIDE
PROV. TRANSP. C. T. F. TRIB.
MIL. TRIVMVIRO. III. PR.
Q. C. ET. CN. POM. CONS.

Adde lapidem in memoria Brixiana pag. 144. in qua appellatur MERCVRIVS MAXIMVS. At Varro lib. 6. de L. L. ministrum Cabirorum esse refert: *Casmillus vocatur in Samothraces mysteriis Dius quidam administer Diis magnis*. Nonnus lib. 3. Dionys. generaliter Cabiros administros sive sacerdotes dixit:

Μυστιπόλων ἀλαλαγμὸν ἐμιμήσαντο Καβείρων.

Fuit igitur Casmillus & Dius & minister Deorum, & nomen a ministerio habuit, teste Plutarcho in Numa: Τὸν Ερμῆν ἔνιοι τῶν Ελλήνων Κάμιλλον ἀπὸ τῆς διακονίας προσηγόρευον. id est, *Mercurium Græcorum nonnulli Camillum a ministerio appellavere*. Hoc nomine Tusci quoque illum nominarunt, ut Statius Tullianus apud Macrobium lib. 3. Saturnal.

cap. 8. ait : *Dixiſſe Callimachum Tuſcos Camillum appellare Mercurium*. Hinc corrigendus inſignis Servii locus ad Virgil. Æneid. 11. verſ. 543. in quo hæc habentur : *Statius Tullianus de vocabulis rerum libro primo ait* : *Dixiſſe Callimachum apud Camillum appellari Mercurium*. Hic poſt τὸ *apud* inſerendum *Tuſcos*, vel legendum, *dixiſſe Callimachum Tuſcos Camillum appellare Mercurium*. Ratio, ob quam ſic vocabatur, hæc erat, quia Camillus lingua Hetruſca *miniſtrum Deorum* ſignificabat, ut Servius loc. cit. ſcribit. Illuſtrat hoc quoque lapis antiquus in FlettWoodtii Sylloge Inſcript. pag. 3.

COELO ÆTERNO. TERRÆ MATRI
MERCVRIO
MENESTRATORI
SACRVM POSVIT.
L. OCTAVIVS VERVS. ET OCTAVIA
EVHODIA
MATER

Carolus Cæſar Malvaſia in marmor. Felſineis pag. 490. hanc Inſcriptionem exhibens ante VERVS has literas inſerit L. F. vid. Spon. Miſcell. 91. Fabrett. ad column. Trajani pag. 236. Ab hoc Mercurio miniſtratore ſive Camillo denominati ſunt miniſtri & miniſtræ in ſacris Camilli & Camillæ, teſte alicubi Grammatico doctiſſimo, cui adſtipulatur Feſtus, cum dicit : *Flaminius Camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus & matrimus, qui flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat* : *antiqui enim* miniſtros Camillos *dic bant*. Sic occurrit hæc vox in gloſſario Cyrilli. *Camilla*, ἱέρεια ; & in gloſſis Piloxeni, ἱέρεια, *Camilla*, *ſacerdos*, genere nempe fæminino. Dionyſius vero Halicarnaſſæus lib. 2. aſſerit, Hetruſcos tales miniſtros appellaſſe Κάδωλυς ; niſi forſan legi debeat Κάδμιλυς vel Κάμιλλης. Sed ut ad rem redeam, hic Mercurius Camillus miniſter Cabirorum fuit filius Vulcani e Cabira Protei filia & Anchiones, ut Stephanus in Καβειρία, & Strab. lib. 10. Geogr. tradunt. Doctiſſimus Marshamus in Can. Chron. p. 35. vult, hunc Mercurium ultimum eſſe illorum quinque, quos Cicero lib. 3. de Nat. Deor. cap. 22 recenſet, qui Argum interemit & ab Ægyptiis Thoth appellatur. Porro Camillus genuit tres Cabiros ex Acuſilai Argivi ſententia, ſimulque Myrtilum, a quo Myrtoum mare nomen accepit, qui idcirco a Lycophrone in Caſſand. verſ. 162. appellatur Καδμίλυ γόνος. Scholiaſtes addit : Καδμίλυ καὶ Κλεοβύλης υἱὸς ὁ Μυρτίλος, ὁ Οἰνομάυ ἡνιόχος. Adde Scholiaſtem Sophoclis ad Electram p. 53. Ερμῆς πατὴρ Μυρτίλυ ἐμήνισε τοῖς Πελοπίδαις. Lectionem hanc fruſtra ſollicitat Meurſius & in Καμίλλυ mutat, cum utrumque bene ſcribitur, ut ſupra oſtendi. Hi quatuor Cabiri nempe Ceres, Proſerpina, Pluto & Mercurius κατ' ἐξοχὴν dicuntur Samothraces Cabiri in ſequenti lapide Reineſiani Syntagmatis claſſ. 1. num. 143.

PATRI AMMONI ET HERCVLI
FRATRI ET MINERVÆ PALLA
DIÆ ET JOVI OLYMPIO ET
SAMOTRACIB. CABIRIS
ET INDICO SOLI ATQ. APOL
LINI DELPHICO.

Nullam rationem video, ob quam Reineſius pro ſpuria hanc Inſcriptionem habet, nuſpiam enim extare nec extitiſſe putat, quoniam *adeo frigidum Deorum concilium eſt* καὶ συρφετώδης ὄχλος. Sed an non tale Deorum concilium ſive mixtura in formula juramenti fœderis inter Allariotas & Parios in corpore Gruteriano pag. 503. quam, eo quod nimis longa ſit, non exſcribam : Et in ſequenti inter Olontios & Latios? quam Reineſius ipſe claſſ. 7. num. 26. exhibet.

ΟΜΝΕΩ ΤΑΝ ΕΣΤΙΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ
ΖΗΝΑ ΤΟΝ ΚΡΗΤΟΓΕΝΙΑ ΚΑΙ ΤΑΝ
ΗΡΑΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΖΗΝΑ ΤΟΝ ΤΑΛ
ΛΑΙΟΝ ΚΑΙ ΤΟΝ ΠΟΣΕΙΔΑΝ ΚΑΙ
ΤΑΝ ΑΝΦΤΡΙΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΛΗ
ΤΩΝ Κ' ΑΡΤΕΜΙΝ ΚΑΙ ΑΡΕΑ ΚΑΙ
ΤΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ ΚΑΙ ΤΑΝ. ΕΛΕΥ
ΣΙΝΑΝ ΚΑΙ ΤΑΝ ΒΡΙΤΟΜΑΡΤΙΝ
ΚΑΙ ΕΡΜΑΝ ΚΑΙ ΚΩΡΗΤΑΣ ΚΑΙ
ΝΥΜΦΑΣ ΚΑΙ ΤΩΣ ΑΛΛΟΥΣ ΣΕΙΟΥΣ
ΠΑΝΤΑΣ ΚΑΙ ΠΑΣΑΣ.

Fatetur quidem Reineſius duodecim plures hic ſimul invocari, *id vero*, inquit, *evidentiſſima ratione nititur* ; ſine dubio Vir Eruditus rationem addidiſſet, ſi illa ſatis ſufficiens ad hoc evincendum fuiſſet, vel ſi illam in promptu habuiſſet. Aſt vero, ſi hæc poſterior Inſcriptio *evidentiſſima ratione nititur*, cur non de priori id etiam ſtatuitur? Par utrobique ratio, nam una rejecta vel approbata altera quoque rejici vel approbari poteſt. En inſuper alius Θεῶν ὄχλος in vetere marmore, quod extat Ultrajecti in horto eruditiſſimi Grævii, & exhibetur a Sponio in Miſcell. pag. 72.

IOVI. O. M. SVMMO.
EXSVPERANTISSIMO.
SOLI. INVICTO. APOLLINI.
LVNAE. DIANAE. FORTVNAE.
MARTI. VICTORIAE. PACI.
C. ANTISTIVS. ADVENTVS.
LEG. AVG. PR. PR.
DAT.

Iterumque alter in ſyllog. epiſtol. ab A. Matthæo edita pag. 182. & inſuper alius apud Malvaſiam in expoſit. Æl. Læl. Criſp. pag. 80. Hi Cabiri Samothraces a me hoc capite producti præſidebant vel favebant ſcientiæ conficiendi Taliſmannos, ſive annulos averruncos ex mente Baudelotii D'Ervallii, cujus verba in libro, qui inſcribitur *l'utilitè des voyages* tom. 2. pag. 390. hæc ſunt : *Cette religion, ce Culte, ces Dieux, qu' on appelloit de Samothrace, ne ſont rien autre choſe que ceux, qui etoient crus preſider ou favoriſer la pratique de cette ſcience, & les ceremonies qu' on y obſervoit, ou contribuer a la compoſition des Taliſmans*. Vid. Pinedo ad Stephan. in Σαμοθράκη. & Faber ad Lucretium pag. 449. Kirchman. de Annulis pag. 10. 11.

CAP. IX.

Samothraces Cabyrorum ſacra habuerunt a Pelaſgis : ab Eetione : Herodotus cum Clemente Alexandrino conciliatur : Jaſion : Cadmus : Philippus rex : Olympias, Tarquinius Priſcus : ut & pueri his ſacris initiati : Θρονισμὸς : ταινίαι : κρήδεμνον *quale veſtimentum : gloſſæ explicantur :* χλαῖνα : *Auguſtinus & Patinus notati*.

EX præcedenti capite admodum clare patet, Cabiros in Samothracia extitiſſe, quamobrem hic indicabo, unde Samothraces illorum myſteria habuerint, & ſimul quoſdam ritus adjungam, quos incolæ iſtius inſulæ in colendis hiſce Diis obſervarunt. Acceperunt myſteria hæc a Pelaſgis, ſi

fides habenda sit Herod. lib. 2. c. 51. scribenti: *Τὴν Σαμοθρηΐκην οἴκεον πρότερον Πέλασγοι, παρὰ τούτων Σαμοθρηΐκες τὰ (Καβείρων) ὄργια παραλαμβάνουσι.* i. e. *Samothraciam quondam incoluerunt Pelasgi, a quibus Cabirorum orgia Samothraces acceperunt.* Hoc testatur quoque præstantissimus Stillingfleetius in originibus sacris pag. 472. ubi contra Bochartum probat Samothraces orgia Cabirica a Pelasgis accepisse, non vero a Phœnicibus. Videntur Cabiri apud Pelasgos in multo honore fuisse, quoniam magna frugum penuria existente decimas his Diis obtulerunt, unde uberior proventus annonæ ipsis obvenit, teste Dionysio Halicarnassæo lib. 1. Sunt alii auctores, qui tradunt, Eetiona quendam Samothracibus hæc mystica sacra primum suggessisse, quamobrem Clemens Alexandrinus in admonit. ad Gentes pag. 8. exclamat; *Ὄλλοιτο Ηετίων, ὁ τὰ Σαμοθράκων ὄργια καὶ τελετὰς ὑποστησάμενος.* Herodotus & Clemens Alexandrinus prima pronte sibi invicem contrariari videntur, cum alter tradat Samothraces Cabirorum mysteria a Pelasgis accepisse, alter vero ab Eetione quodam; sed difficultas illa facile evanescit, si ponamus, Eetiona natione Pelasgum fuisse sive e Pelasgis ortum, Samothraces enim eo modo recte dicuntur accepisse orgia Cabirica a Pelasgis, ita ut Herodotus generaliter totam gentem designaverit, Clemens vero Alexandrinus specialiter unum ex ista gente. Hæc sacra Cabirorum in Samothracia fere obsoleta Jupiter renovavit, quando ea filium suum Jasiona docuit; hinc Diodorus Siculus lib 5. Bibliothec. cum de Dardano Jovis filio in Asia regnante verba fecisset, de Jasione ejus fratre addit: *Τὸν Δία βουληθέντα καὶ τὸν ἕτερον τῶν υἱῶν τιμῆς τυχεῖν, παραδεῖξαι αὐτῷ τὴν τῶν μυστηρίων τελετὴν, πάλαι μὲν οὖσαν ἐν τῇ νήσῳ, τότε δὲ πως παραδοθεῖσαν, ὧν οὐ θέμις ἀκοῦσαι πλὴν τῶν μεμυημένων.* i. e. *Jupiter cum alterum quoque filium ad honores evectum cuperet, mysteriorum ei ritus ostendit antea quidem in hac insula receptos, sed tunc traditione renovatos, quos nemini præter initiatos audire fas est.* Quod Diodorus dicit, *nemini præter initiatos fas esse ritus istos audire*, verum est, tanto enim silentio peragebantur, ut ne γρῦ quidem illorum mysteriorum initiati patefacerent; id confirmat Nigidius apud Calpurnium sive Cæsium Bassum commentar. in Aratea Cæsaris Germanici de Cabiris Dioscuris loquens: *Quorum*, inquit, *argumentum nefas sit ememorare, propter eos, qui mysteriis præsunt.* Ex hoc loco corrigendus Ampelius *lib. memor. cap.* 2. scribens: *Gemini, qui Samothraces nominantur esse, quorum argumentum nefas est pronunciare præter eos, qui in his præsto sunt.* Lege e Nigidio: *Propter eos, qui mysteriis præsunt.* Vel, quod propius ad vulgatam lectionem accedit; *Propter eos, qui his* (nempe Dioscuris Geminis) *præsto sunt.* Illi etenim, qui mysteriis Deorum præsunt, id est, sacerdotes, possunt dici *præsto esse illis Diis*. Quamobrem Apollonius Rhodius quoque cecinit lib. 1. vers. 920.

> *Νῆσος ὁμῶς κεχάροιτο, καὶ οἱ λάβον ὄργια κεῖνα*
> *Δαίμονες ἐνναέται, τὰ μὲν οὐ θέμις ἄμμιν ἀείδειν.*

> *Insula pariter valeat cum illis, qui has obtinent ceremonias,*
> *Loci geniis, quas carmine quidem prosequi nefas habemus.*

Hinc elegans Alexidis jocus apud Athenæum lib. 10. pag. 421. de Telepho ob voracitatem in convivio silente seu *ἀφώνῳ*, *adeo, ut qui eum vocaverat, Diis Samothracibus continuo preces conciperet*

> *—— —— ὥστε πολλάκις*
> *Αὐτὸν κεκληκὼς, τοῖς Σαμόθραξιν εὔχεται.*

In principio Samothraces tantum initiabantur, ut auctor est Herodotus lib. 2. cap. 51. Postea vero Jasion primus exteros initiavit, & sacra hæc multo celebriora fecit. Diodorus Siculus lib. 5. Bibliothec. *Δοκεῖ οὗτος πρῶτος ξένους μυῆσαι, καὶ τὴν τελετὴν διὰ τοῦτο ἔνδοξον ποιῆσαι.* i. e. *Videtur hic* (Jasion) *primus exteros initiasse, unde major ceremoniis his celebritas accessit.* Inter exteros his mysticis orgiis initiatos Cadmus fere primus fuit, cum sororem Europam in hac insula quæreret, testatur hoc Diodorus Siculus loc. cit. *Μετὰ ταῦτα Κάδμον τὸν Ἀγήνορος κατὰ ζήτησιν τῆς Εὐρώπης ἀφικέσθαι πρὸς αὐτοὺς, καὶ τῆς τελετῆς μετασχόντα γῆμαι τὴν ἀδελφὴν Ἰασίονος Ἁρμονίαν.* i. e. *Cadmus deinceps Agenoris filius, cum Europam quærens ad eos* (Samothracas) *pervenisset, perceptis mysteriis uxorem duxit Harmoniam Jasionis sororem.* Dixi *fere primus*, quoniam tempora Cadmi & Jasionis optime conveniunt, & Jasion primus exteros his orgiis admisit. Præter Cadmum rex Macedoniæ Philippus his sacris imbutus fuit, quemadmodum Plutarchus in vita Alexandri narrat: Et ipsius uxor Olympias, Alexandri Magni mater, initiata hæc mysteria celebravit in Samothracia, postquam a partu Alexandri feliciter convaluerat, & maritum tunc temporis Potidæam Atheniensium coloniam subigentem in his mysticis initiis vidit, Himerius in Eclog. Declam. *Λέγεταί ποτε καὶ Ὀλυμπιάδα, τὴν ἐπὶ τοῖς Ἀλεξάνδρου τόκοις εὐδαίμονα, ὀργιάζουσαν τὰ Καβείρων ἐν Σαμοθράκῃ μυστήρια, ἰδεῖν κατὰ τὴν τελετὴν τὸν Φίλιππον.* *ὀργιάζειν τὰ Καβείρων μυστήρια* in his verbis Himerii idem significare ac *Καβειριάζεσθαι* apud Stephanum in *Καβειρία* Doctissimus Berkelius putat, & fatetur, se in nullo alio auctore vocabulum illud repperisse. His quoque initiatus fuit Antalcidas teste Plutarcho in Apophtheg. Lacon. pag. 217. Tarquinius quoque Priscus rex Romanorum his sacris initiatus est. Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 4. *Tarquinius*, inquit, *Demarati Corinthii filius, Samothracicis religionibus mystice imbutus.* Præterea non mulieres tantum, sed & pueri his Cabirorum sacris certo ætatis tempore initiabantur, sic scribit Donatus ad Terentii Phormionem Act. 1. scen. 1. vers. 15. *Apud Apollodorum legitur, in insula Samothracum, a certo tempore pueros initiari.* Meminit quoque duorum initiatorum his sacris fragmentum Æliani, quod exstat post Var. Histor. pag. 783. edit. Argent. 1685. & a Suida in voce *Ἀκμὴ* citatur. Quos igitur his sacris admittebant, illos in solio collocabant, & mystæ alii circum choreas agitabant, qui ritus dicebatur *Θρονισμὸς* sive *Θρόνωσις*, de quo vide Meursium in *Καβείρια*. Porro initiati circa ventrem tænias purpureas habebant, quarum meminit Apollonii Scholiastes ad lib. 1. vers. 917. *Περὶ τὴν κοιλίαν οἱ μεμυημένοι ταινίας ἅπτουσι πορφυρᾶς.* Hæ tæniæ erant vincula sive fasciæ, quibus ventrem circumligabant, vel caput, quamobrem Hesychius dicit: *Ταινίαι, στέμματα τῶν ἱερέων, διαδήματα ἀρχιερατικὰ, ἢ ζῶναι, ἢ στέφανοι, κόσμοι, ἢ δεσμοὶ ἱεροί.* Quod ad *στέμματα διαδήματα* & *στέφανοι* attinet, illa in præcedenti Scholiastis loco non possunt intelligi, quoniam semper ad caput referuntur, non vero ad ventrem, de quo

Scholiastes loquitur. Sed recte Ταινίαι apud illum dici possunt ζῶναι, κόσμοι, ἢ δεσμοὶ ἱεροὶ, *zonæ, ornamenta, aut vincula sacra*. Quatenus ταινίαι ventrem cingunt, ornant & vinciunt. Talem tæniam purpuream Agamemnon habuit, quoniam inter initiatos numerabatur, & per quam in obsidione Trojæ seditionem magnam sedavit. Scholia. Apollonii l. c. Ἀγαμέμνονά φασι μεμυημένον, ἐν ταραχῇ ὄντα πολλῇ κατὰ Τροίαν, διὰ ἀκαταστασίαν τῶν Ἑλλήνων, παῦσαι τὴν στάσιν, πορφυρίδα ἔχοντα. Ulysses vero initiatus pro ταινίᾳ utebatur κρηδέμνῳ, ut Scholiastes l. c. dicit: Ὀδυσσέα φασὶ μεμυημένον ἐν Σαμοθράκῃ χρήσασθαι τῷ κρηδέμνῳ ἀντὶ ταινίας. Quale ornamentum κρήδεμνον fuerit paucis dicam: Pseudo-Didymus ad Homer. Iliad. ξ. vers. 184. κρήδεμνον explicat per κεφαλόδεσμον, & ad Iliad. π. vers. 100. per τὸ τῆς κεφαλῆς κάλυμμα, ad Odyss. A. vers. 334. per τῆς κεφαλῆς περιδέσμιον. Quæ explicationes si veræ sint, sequitur κρήδεμνον fuisse ornamentum sive velamentum, quod caput tegit, quamobrem in glossario Cyrilli exponitur per *mitram*, improprie tamen, nam κρήδεμνον & *mitra* fuerunt forma diversa, quatenus vero & κρήδεμνον & *mitra* tegumenta capitis sunt, alterum per alterum recte explicari potest. Velamentum hoc præter caput totum quoque pectus tegebat, & convenit fere cum Χλαίνα, nisi quod multo brevior sit, nam sub pectore constringebatur, ut passim Homerus illud describit, Χλαίνα vero usque ad genua vel ulterius propendebat, ut ex gemma 12. tom. 2. Leonardi Augustini & nummo thesauri Maurocenici pag. 69. liquet; in quibus monumentis Telesphorus Deus hac veste indutus prostat, quam tamen celeberrimi Antiquarii Augustinus & Patinus in notis suis ad illa monumenta, pro bardocucullo accipiunt, cujus vero forma alia erat, ut optime Illustrissimus Spanhemius observat in Epistola quarta Specimini Morelliano subjecta pag. 216. Initiati præterea caput oleæ germine coronabant, quod Celeberrimus Meursius quoque observavit ex Proclo in Platonem de Republica, cujus locus videri potest in Græcia feriata sub voce Καβείρια.

CAP. X.

Initiati a periculis & naufragio liberabantur: Argonautæ ob hanc causam initiati: Cabiris vota soluta: illorum Sacerdos Κοίης: κοιᾶσθαι: Κοιώλης: *Hesychius & Livius explicantur: Fortuna inter Cabiros: veteri epigrammati lux reddita: Servius emendatur.*

HIs Cabirorum sacris homines lubenter initiari volebant, eo quod justiores & sanctiores fierent, & in periculis existentes Deos propitios haberent, a quibus omnia, quicquid modo peterent, obtinebant: eleganter ad rem faciunt hæc Apollonii Scholiastis verba ad lib. 1. vers. 918. Λέγονται οἱ αὐτόθι μυηθέντες ἐπακούεσθαι εἰς ὃ ἂν εὔξωνται ὥς Ἀριστοφάνης φησίν. ἀλλ' εἴ τις ὑμῶν ἐν Σαμοθράκῃ τυγχάνει μεμυημένος, νῦν ἐστιν εὔξασθαι καλόν. δοκοῦσι γὰρ μᾶλλον σώζεσθαι, οἱ τὰ μυστήρια εἰδότες. Eadem fere Suidas tradit: Ἐν Σαμοθράκῃ ἦσαν τελεταί τινες, ἃς ἐδόκουν τελεῖσθαι πρὸς ἀλεξιφάρμακα κινδύνων. Mox subjungit: Ἐν κινδύνοις γινόμενοι, ἐπεκαλοῦντο τοὺς δαίμονας ἐπιφανῆναι καὶ ἀληξῆσαι. ἐδόκουν δὲ οἱ μεμυημένοι ταῦτα, ἐκ τῶν δεινῶν σώζεσθαι καὶ ἐκ χειμώνων. Præterea Aristophanis Scholiastes in Pace dicit: Οἱ ἐν κινδύνοις γινόμενοι ἐπεκαλοῦντο τούτους τοὺς δαίμονας, τοὺς ἐν Σαμοθράκῃ. Initiati igitur his mysteriis navigationi se committentes naufragio perire non poterant, licet tanta tempestas oriretur, ut fluctus sidera ferirent; quamobrem Orpheus in hymno Κουρήτων vers. 4. de Cabiris canit:

> Οἵτε Σαμοθράκην ἱερὴν χθόνα ναιετάοντες,
> Κινδύνοις θνητῶν ἀπερύκετε ποντοπλανήτων.
>
> *Quique Samothracem sacram terram habitantes,*
> *Periculis eximitis homines per mare oberrantes.*

Ob hanc causam Argonautæ, monente Orpheo, adierunt hæc mysteria, nempe ut tutiores a periculis in periculosa ista navigatione essent, & iter prosperius facerent; Apollonius Rhodius lib. 1. Argonaut. vers. 915. hujus facti meminit:

> Ἑσπέριοι δ' Ὀρφῆος ἐφημοσύνῃσιν ἔκελσαν
> Νῆσον ἐς Ἠλέκτρης Ἀτλαντίδος ὄφρα δαέντες
> Ἀρρήκτους ἀγανῇσι τελεσφορίῃσι θέμιστας,
> Σωότεροι κρυόεσσαν ὑπὲρ ἅλα ναυτίλλοιντο.
>
> *Cæterum serio Orphei monitu appulerunt vesperi*
> *In insulam Electræ Atlante gnatæ; ut imbuti*
> *Intemerandis legibus, & absolutis severisque initiati castibus,*
> *Certiori cum incolumitate formidolosum navigarent mare.*

Ad quæ veterum Scholia: Τὰς τελετὰς λέγει τὰς ἐν Σαμοθράκῃ ἀγομένας, ἃς εἴ τις μυηθείη ἐν τοῖς κατὰ θάλασσαν χειμῶσι διασώζεται. Sic quoque Orpheus in Argonaut. vers. 465. canit:

> Ἔνθα καὶ ὄργια φρικτὰ θεῶν, ἄρρηκτα βροτοῖσιν
> Ἄσμενοι εἰσεπέρησαν ἐμῆς ὑποθημοσύνῃσιν
> Ἥρωες, μετὰ γὰρ σφὶν ὀφέλσιμον ἀνθρώποισι
> Τῆς δὲ θυηπολίης ἄμοτον πλωτῆρσιν ἑκάστοις.
>
> *Ubi* (in Samothracia) *& sacra tremenda Deorum, intemeranda hominibus,*
> *Lubentes adierunt meis monitis*
> *Heroes: deinceps enim valde utilis est hominibus*
> *Hæc sacrorum sitis, navigantibus omnibus.*

Credebant veteres, ventorum flatus in Cabirorum potestate esse, & idcirco in tempestatibus illis vota faciebant & servati solvebant, quemadmodum vetus scriptor apud Suidam testatur, & Diodorus Siculus lib. 4. Biblioth. de Orpheo. Adde loc. Xenophont. apud Casaubon. ad Athenæum lib. 10. pag. 715. Res hæc non incognita procul dubio fuit Germanico Cæsari, qui quasdam Minoris Asiæ regiones lustrans, & jam Romam rediturus *sacra Samothracum* adiisset, nisi *obvii aquilones* illum depulissent, teste Tacito Annal. 2. cap. 54. Hanc forsan ob causam, ut mysteriis illis initiaretur, & sic prospera navigatione frueretur a Diis istis, quibus homines vota post felicem reditum solvenda vovebant, quæ e tabulis pictis & aliis donariis constabant; immo & ipsas naves, quibus felix iter perfecerant, Cabiris Samothraciis consecrabant, ut clare evincit elegans epigramma Callimachi tom. 1. pag. 225. edit. Græv.

> Τὴν ἀλίην Εὔδημος, ἐφ' ἧς ἅλα λιτὸς ἐπελθὼν
> Χειμῶνας μεγάλους ἐξέφυγεν πόνεων,
> Θῆκε θεοῖς Σαμόθραξι· λέγων ὅτι τήνδε κατ' εὐχὴν,
> Ὦ λαοί, σωθεὶς ἐξ ἁλὸς ὧδ' ἔθετο.
>
> *Naviculam Eudemus, qua per mare pauper invectus*

Procellas magnas effugit laborans,
Donavit Diis Samothracibus; dicens quod hanc ex voto
O populi! servatus e mari hic posuit.

Hoc admodum clare patet ex historia, quam Cicero lib. 3. de Nat. Deor. cap. 37. narrat: *Diagoras cum Samothraciam venisset, Atheos ille, qui dicitur. Atque ei quidam amicus, tu, qui Deos putas humana negligere, nonne animadvertis, ex tot tabulis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint? ita fit, inquit. Illi enim nusquam picti sunt, qui naufragia fecerunt, in marique perierunt.* Non mirum est, Diagoram Cabiros sannis excipere, cum & mysteria illorum patefecerit, teste Athenagora in legatione pag. 36. edit. ult. Διαγόρα μὲν γὰρ εἰκότως ἐνεκάλουν Ἀθηναῖοι, μὴ μόνον τὸν Ὀρφικὸν εἰς μέσον κατατιθέντι λόγον, καὶ τὰ ἐν Ἐλευσῖνι, καὶ τὰ τῶν Καβείρων δημεύοντι μυστήρια, i. e. *Diagoræ merito impietatem objecerant Athenienses, non solum, quod Orphicam orationem in medium protulerit, & Eleusinia, & Cabirorum sacra publicaverit.* Porro veteres naufragio liberati sese tondebant, & capillos dedicabant Diis marinis, Neptuno nempe & Cabiris Samothracum, præcipuis navigantium præsidibus; luculenter hunc ritum demonstrat elegans Luciani epigramma in naufragos compositum quod exstat tom. 2. pag. 841.

Γλαύκῳ, καὶ Νηρεῖ, καὶ Ἰνοῖ, καὶ Μελικέρτῃ,
Καὶ βυθίῳ Κρονίδῃ καὶ Σαμοθρηξὶ Θεοῖς,
Σωθεὶς ἐκ πελάγους Λουκίλλιος, ὧδε κέκαρμαι
Τὰς τρίχας ἐκ κεφαλῆς ἄλλο γὰρ οὐδὲν ἔχω.

Quod sic verto:

Glauco, & Nereo, & Ino, & Melicertæ,
Et Neptuno, & Samothracibus Diis,
Servatus e pelago Lucillius, bis nunc totondi
Capillos capitis. aliud enim nihil habeo.

A mysteriis ad Sacerdotem Deorum Cabirorum transeo, qui a veteribus appellabatur Κοίης vel Κόης; Hesychius in suo literaturæ Græcæ thesauro: Κοίης ἱερεὺς Καβείρων, ὁ καθαίρων φονέα, οἱ δὲ Κόης. Bochartus lib. 1. de colon. Phœnic. cap. 12. & vir πολυμαθέστατος Johannes Lomejerus in syntagmate *de lustrationibus veterum gentilium* cap. 13. pag. 122. hoc vocabulum deducunt ab Hebraico כוהן *cohen*, quod in variis S. Scripturæ locis occurrit. Recte, nam Græci plerumque ex Hebræis nominibus in N. desinentibus, accusativos suos fecerunt, ut ex כהן *cohen* Κόης Κοην. Sic ex כנען *Chanaan*, Χνὰ Χνάν, ex יונתן *Jonathan* Ἰωνάθης Ἰωνάθην. Hinc a Κοίης verbum κοιᾶσθαι pro ἱερᾶται *sacerdotio isto fungi*; Hesychius: κοιᾶται, ἱερᾶται. Et ad hunc sacerdotem referri debet vox Κοιόλης, quam Hesychius & Moschopulus per ἱερέα *sacerdotem* explicant. His sacerdotibus homines patefaciebant, si quando Cabirorum oraculum consulerent, scelera, & quidem maxima, quæ perpetraverant; elegans exemplum ad hanc veritatem stabiliendam occurrit in Plutarchi Apophth. Lacon. pag. 229. ubi de Lysandro dicit: Ἐν δὲ Σαμοθράκῃ χρηστηριαζομένῳ αὐτῷ ὁ ἱερεὺς ἐκέλευσεν εἰπεῖν, ὅτι ἀνομώτατον ἔργον αὐτῷ ἐν τῷ βίῳ πέπρακται. πότερον οὖν σοῦ τοῦτο κελεύσαντος ἢ τῶν Θεῶν, τοῦτο δεῖ ποιεῖν, ἐπηρώτησε. φαμένου δὲ, Τῶν Θεῶν, Σὺ τοίνυν (ἔφη) ἐκποδὼν μοὶ κατάστηθι, κἀκείνοις ἐρῶ, ἐὰν πυνθάνωνται. *In Samothrace oraculum consulentem sacerdos cum juberet dicere, quod in vita sua maximum perpetrasset scelus, Tuone, inquit, an Deorum jussu? respondenti, Deorum. Tu itaque, ait, apage hinc, & ego Diis, ubi interrogabant, dicam.* Simile exemplum de Antalcida habet in iisd. Apophth. pag. 217. quod hic adjunge. Porro Hesychii verba ὁ καθαίρων φονέα, *homicidam purgans* sive *lustrans* intelligenda sunt de tali homicida, qui casu homicidium perpetravit, non vero irato animo & malo proposito ad hunc vel illum occidendum; cujus rei exemplum reperitur apud Livium lib. 45. Histor. Ubi Evander Cretensis dux auxiliorum Persei Macedonum regis in Samothraciam fugit, & quidem in *templum sanctissimum*, ut a Livio vocatur; mox Attilius illustris adolescens populum Samothraciæ in concione alloquitur, & persuadere conatur, ut illum templo expellerent, his verbis: *Cum omnis præfatio sacrorum eos, quibus non sint puræ manus, sacris arceat, vos penetralia vestra contaminari cruento latronis corpore sinetis?* Samothraces, cum in potestate Romanorum sese insulamque totam & templum esse cernerent, Perseo ab Æmilio Paulo debellato & in eodem templo latenti nunciant, *argui cædis Evandrum Cretensem; esse autem judicia apud sese more majorum comparata, de iis, qui incestas manus intulisse intra terminos sacratos templi dicantur.* Hic enim Evander *insidiose* Eumenem obtruncarat referente Livio lib. 42. Hist. & idcirco a sacerdotibus non purgabatur, sed citatus ad causam dicendam, ut cædis convinceretur, occulte fugam parabat, interceptus vero a Perseo occisus est; Perseus deinde conscientiæ stimulis actus & metuens, ne Samothraces homicidium suum resciscerent, fugam capiebat; at postquam in portu navis non inventa est, rex aliquandiu in littore vagatus tandem *in latere templi prope angulum obscurum delituit*, & omnes amicos suos ad Romanos deficientes videns se filiumque Philippum Cn. Octavio tradidit; *Fortunam*, inquit Livius, *Deosque, quorum in templo erant, nulla ope supplicem juvantes, accusans.* Per *Fortunam Deosque* intelligo Cabiros, in quorum numero *Fortuna* fuit, si Servio ad lib. 2. Æneid. vers. 325. fides habenda, cum dicit: *Apud Tuscos* Cabiros *esse Deos penates, eosque Cererem Palem & Fortunam vocari ab illis.* Propterea in marmore apud Gruterum pag. 73. num. 8. FORTUNA. AUG. OMNIPOTENS indigitatur, quasi ἐνδυνατὸς sive כביר *Cabir*. Hinc lux accedit veteri epigrammati ad Fortunam Prænestinam in catalectis vet. Poet. in quo de mercatore sermo est, qui erat

——— ——— ——— ire per altos
Consuetus portus.

Et idcirco

Fortunæ simulacra colens, & Apollinis aras,
Arcanumque Vii.

Vius hoc in loco Mercurius est a viis, quibus præerat, Græcis Ἐνόδιος, in Gruteri Inscriptionibus VIACUS appellatur pag. 55. num. 5.

DEO MEP....
VIACO
M. ATILIVS
SILONIS F.
QVIR. SILO
EX VOTO.

Alphonsus de Castro male mutilum nomen supplet MENIANO; cum proculdubio fuerit exaratum MERCURIO. immo, postquam hæc scripseram, deprehendi Hieronymum Suritam hoc mar-

mor mutilum eodem modo supplere in commentar. suo ad Antonini Itinerarium pag. 164. & Fabrett. ad column. Trajan. p. 174. & quoniam Cabiri navigantium præsides erant, ut cap. præced. dixi, hinc mercator ille *Fortunam* & *Vium* colebat, quia ut cæteri Cabiri illum navigantem servare poterant. Et ob hanc causam Mercurius vocatur REDUX, quia homines peregrinantes ad Lares proprios reducebat salvos & incolumes; Inscriptio apud Gruterum pag. 55. num. 2.

C. BETVLIVS
ENCOLPVS
MERCVR. RED.

Et eadem pagina num. 3.

MERCVRIO. R. *
LOCREIVS SECVNDVS
EX VOTO
ANTONINO. III. COS.

* supple REDUCI, quemadmodum facit Gaulminus ad Prodromum. pag. 492.

Sic & FORTUNA REDUX in lapide apud Gruterum pag. 1072. num. 3. & eadem, pag. num. 4.

FORTVNAE
REDVCI
C. TATIVS
SIMNI. LIB.
MOSCHAS
EX. VOTO.

Et num. 5

DEAE FORTVNAE RED.
PRO SALVTE APPII SERGI
LATERANI VOT. SOL.
SERGIA EVTERPE.

Exstat aliud marmoreum monumentum hujus Deæ Fortunæ, in quo appellatur REDUX, apud Castalionem ad Rutilii Itiner. pag. 89.

FORTVNAE
REDVCILLARI
VIALI. ROMAE
AETERNAE.

Animadverte, quam male Castalio hunc lapidem nobis obtrudit, cum linea secunda duplex L ponit, quasi esset unum vocabulum REDUCILLARI, cum aperte unum L. debet tolli, & REDUCI. LARI legi, ut REDUCI ad Fortunam pertineat, LARI vero ad VIALI, qui Lares Viales satis noti sunt; hunc errorem Castalionis evincit hæc ipsa Inscriptio, qualem eam exhibet Gutherius de Jur. Pontific. pag. 155. Redeo ad sacerdotes Cabirorum, quos Servius l. c. eosdem cum Saliis Romanorum facit: *Samothraces, horum penatium antistites suos vocabant, qui postea a Romanis Salii appellati sunt.* Sed an Samothraces Cabirorum antistites *suos* vocabant? nequaquam. Non male igitur in his Servii verbis pro *suos* ex Hesychio legeretur *Coes*, quo nomine sacerdotes appellati sunt. Præterea præter sacerdotes habuerunt Cabiri suas sacerdotes fæminas sive sacerdotissas, ut ita loquar, hanc antiquitatem a nemine observatam primus ostendo e vetere epigrammate Callimachi, quod exstat tom. 1. pag. 212. edit. Grævianæ. Lubet hoc totum adscribere ex Bentlei emendatione.

Ιερέη Δήμητρος ἐγώ ποτε καὶ πάλιν Καβείρων
 Ὦνερ καὶ μετέπειτα Δινδυμενῆς.
Η γρῆυς γενόμην, ἡ νῦν κόνις ἤγο ***
 Πολλῶν προςασίη νεῶν γυναικῶν·
Καὶ μοὶ τέκν' ἐγένοντο, δύ' ἄρσενα κ' ἠπέμυσ' ἐκείνων
 Ευγήρως ἐνὶ χερσὶν, ἕρπε χαίρων.

Sacerdos Cereris eram olim, & postea Cabirorum,
O viator, & deinde Dindymenes.
Anus ego; quæ nunc sum pulvis; (quin etiam functa sum.)
Multarum præfectura juniorum mulierum:
Et mihi erant duo liberi sexus virilis: & oculos clausi
Felici senectute in eorum manibus: abi lætus.

CAP. XI.

Zerynthium antrum ubinam fuerit: in Samothracia: locus Suidæ emendatur: in Thracia juxta Stephanum & Lycophronis Scholiastem: Samothracia olim Thracia dicta: Heraclides Ponticus restituitur: Auctorum conciliatio de situ hujus antri: antrum hoc Cabiris sacrum & Hecatæ: Zerynthia Venus.

ANtrum fuit Zerynthium dictum Cabiris & Hecatæ sacrum, de cujus situ auctores non conveniunt, a quibusdam enim in Samothracia, ab aliis vero in Thracia collocatur. Primus occurrit Nicandri Scholiastes ad Theriaca, qui antrum hoc in Samothracia ponit: Τὸ Ζηρύνθιον ἄντρον ἐν Σομοθράκῃ φασὶν εἶναι. Λυκόφρων δὲ φησί. Ζήρυνθον ἄντρον τῆς κυνοσφαγῦς θεᾶς ὅ ἐςὶ σπήλαιον τῆς Εκάτης. Huic adstipulatur lexicographus Suidas in voce Σαμοθράκῃ. Ην, inquit, ἐκεῖσε καὶ τὰ τῶν Κορυβάντων μυςήρια, καὶ τὰ τῆς Εκάτης. καὶ τὸ Ζήρυνθον ἄντρον. ἡ κύνας ἔθυον. Ultima hæc verba transposita sunt, & hoc modo in ordinem redigenda, τῆς Εκάτης. ἧ κύνας ἔθυον, καὶ τὸ Ζήρυνθον ἄντρον. Si vero ordo vulgatus retineatur, pro ἡ legendum est ᾧ scilicet ἄντρῳ, in quo canes ipsi immolabantur. Præterea Nonnus l. 13. Dionysiac. & Scholiastes Aristophanis in Pace hoc antrum in Samothracia agnoscunt. His omnibus sese opponit Stephanus Byzantinus, cum scribit: Ζήρυνθος, πόλις καὶ ἄντρον Εκάτης, ἐν Θράκῃ. Λυκόφρων,

Ζήρυνθος ἄντρον τῆς κυνοσφαγῦς Θεᾶς
Λιπών.

i. e. *Zerynthus, urbs & antrum Hecatæ in Thracia, de quo Lycophron:*

Zerynthium antrum canivoræ Deæ
Linquens.

Scholiastes Lycophronis ad verba, quæ Stephanus allegat, hæc habet: Ζήρυνθον ἄντρον Θρακικὸν σπήλαιον. τὸ Θρακικὸν καταλιπὼν σπήλαιον τῆς Ρέας ἢ τῆς Εκάτης, ὁ Δάρδανος. Ex his clare patet, Scholiastem cum Stephano convenire de hujus antri situ; quo modo vero cum Suida aliisque supra allegatis conciliari possunt, jam videndum est. Insulam Samothraciam priscis temporibus simpliciter Thraciam dictam esse refert Heraclides Ponticus de politiis pag. 526. Η Σαμοθράκη τὸ μὲν ἐξ ἀρχῆς ἐκαλεῖτο Λευκανία, διὰ τὸ λευκὴν εἶναι. ὕςερον δὲ Θρακῶν κατασχόντων, Θραχία. h. e. *Samothracia initio dicta Leucania, eo quod alba sit.*

Postea cum Thraces eam occupassent, Thracia. Vid. Holsten. & nota illum ad Stephanum in Σαμοθράκη. Hic locus in insigni mendo cubat, quis enim fando audivit, Samothraciam primum Λευκανίαν fuisse appellatam? substituo igitur pro Λευκανία ex Apollonii Scholiaste ad lib. 1. vers. 917. Λευκοσία, quo nomine hæc insula ab Aristotele ἐν Σαμοθράκης πολιτεία indigitatur. Si ergo Stephani verba ἄνθρον ἐν Θράκῃ, & Lycophronis Scholiastis Θρακικὸν σπήλαιον intelligantur de prisco Samothraciæ nomine, quod Thracia fuit, ut demonstravi, optime cum Suida & Scholiis Nicandri & Aristophanis conveniunt; hi enim compositum & recentius nomen insulæ dederunt, illi vero simplex & priscum, quemadmodum Servius in schedis Fuldensibus facit, quando ad lib. 3. Æneid. vers. 15. τὸ *Thracia* simpliciter pro *Samothracia* ponit. Clarissimus Berkelius ad Stephanum putat, antrum hoc non fuisse in Samothracia, auctoritate Livii potissimum motus, ut ipsius verba sunt, qui templum Apollinis hoc nomine statuit in Æniorum finibus, Thraciam inter Hebrum & Melan amnem habitantium, ita enim ille lib. 38. *Eo die ad Hebrum flumen proventum est; inde Æniorum fines præter Apollinis (Zerynthium quem vocant incolæ) templum superant*. Sed loquitur Livius de templo Apollinis Zerynthii, non vero de antro Zerynthio, de quo nobis sermo est; eodem jure possem dicere cum Cl. Viro, Ovidium hoc antrum in Samothracia colloca re, cum lib. 1. Trist. Eleg. 9. vers. 17. canit:

> —— *ab Hectoris urbe*
> *Venimus ad portus Imbria terra tuos.*
> *Inde levi vento Zerynthia littora nactis*
> *Threiciam tetigit fessa carina Samum.*

In his verbis occurrunt quidem Zerynthia littora, sed hæc nihil ad antrum faciunt, & exinde non probari potest, antrum Zerynthium in Samothracia extitisse; ut hoc insuper addam, Nicandri Scholiastes alio loco scribit Zerynthium antrum in Thracia sub quercubus Orphei esse, & sic c. l. sibi contradicit. Hoc antrum Cabiris sacrum fuit, hinc Nonnus lib. 13. Dionys. vers. 400. id Corybantibus adscribit his verbis:

> Καὶ ζαθεὴν Σήρυνθον ἀκοιμήτων Κορυβάντων,
> Κτίσμα φατιζομένης Περσηΐδος ——

> *Et sacram Zerynthum vigilantium Corybantum,*
> *Opus celebris Perseidis* ——

Ratio est, quia Cabiri & Corybantes iidem sunt, inter illos enim differentia modo localis est, a Nonno vero Corybantes pro Cabiris usurpantur, quod sæpius quoque vice versa fit; sic habemus apud Clementem Alexandrinum in protrept. Καβείρους δὲ τοὺς Κορύβαντας καλοῦντες, καὶ τελετὴν καβειρικὴν καταγγέλλουσιν. In hoc antro præterea canes immolabantur Hecatæ testibus Lycophrone & Suida; immo & orgia istius Deæ celebrabantur, ut Scholiastes Aristophanis in Pace scribit: Ἐξ ἧς Ἑκάτης διαβόητον ἦν τὸ Ζήρυνθον (supple ἄντρον) ἔνθα ταύτῃ ὠργίαζον καὶ ἐλευθεροῦντο. Eodem loco Venus colebatur, quæ inde Zerynthia denominata est. Scholia Lycophronis. Ἐν Θράκῃ ἄντρον ἐστιν, ἐν ᾧ ἡ Ζηρυνθία Ἀφροδίτη τιμᾶται.

CAP. XII.

Lemnus ubi sita: unde nomen habuit: Cabiri in hac insula: Hesychius emendatur: Cabiri filii Vulcani: interpres Herodoti reprehensus: Nymphæ Καβειρίδες*: templa Cabirorum in lucis: Vulcanus inter Cabiros.*

Postquam Cabirorum mysteria apud Samothraces usitata descripsi, tempus erit, ut in vicinas insulas proficiscar, & primo cursum dirigam ad Lemnum; quæ insula in mari Ægeo a Septentrione Samothraciam finitimam habet, ab Occidente montem Atho in Macedonia, a Meridie partem maris Ægei, ab Oriente Imbrum & Chersonesum Thraciæ: Unde nomen sortita sit dicit Stephanus, ἐν Ἐθνικοῖς. Ἀπὸ τῆς μεγάλης λεγομένης Θεοῦ, ἣν Λῆμνον φασί, *a magna Dea, quam Lemnum appellabant*. Hodie a Turcis *Stalimene* vocatur. Conditores primi fuerunt Thraces, ut Stephanus l. c. tradit. In hac insula Cabiri sua sacra habebant, quæ magna cum ceremonia celebrabantur; testem adduco Hesychium, qui in glossario suo scribit: Κάβειροι, Καρκίνοι, πάνυ δὲ τιμῶνται οὗτοι ἐν Λήμνῳ ὡς Θεοί, λέγονται δὲ εἶναι Ἡφαίστου παῖδες. Quid in his verbis τὸ Καρκίνοι vult, fateor, me nescire & lectionem illam esse mendosam, facile crederem, medelam igitur veram ab eruditis adhibendam exspectans meam interea conjecturam de hoc vocabulo proponam; pro Καρκίνοι lego Χαρβῖνοι, quod corruptum forte ex Χερουβὶμ a coloniis Phœnicum in hanc insulam adductum: Postea Græci sua dialecto vocabula Phœnicia flectentes ex Χερουβὶμ, fecerunt Χαρκῖνοι & per syncopen Χαρβῖνοι, quæ forsan vera Hesychii lectio est; α enim in Χαρβῖνοι, (pro quo in Χερουβὶμ ε) e radice istius vocis (quæ est כרב *carab*) retinuerunt. Sed hæc fuit mea in Hesychii locum conjectura, quando prima vice hanc dissertationem Eruditorum orbi exponebam, postea vero edoctus sum vulgatam lectionem retineri posse, nam cum quodam tempore sermo incideret inter me & amicum meum singularem Lambertum Bos L. Gr. Prælectorem, de hoc Hesychii loco, rogavi illum, quid sibi de voce καρκῖνοι videretur, respondebat se putare Cabiros ab Hesychio dici καρκίνους quasi καρακίνους pro κάρα κινοῦντες *caput jactantes*, applaudebam ipsi, & statim in mentem veniebat, Cabiros ut in aliis sic in capitis jactatione convenire cum Corybantibus & Cybeles sacerdotibus semiviris, de quibus Varro apud Nonium in *Jactare*. *Tibi nunc semiviri teretem comam volantem jactant tibi Galli*. Similiter Ulpianus in l. 1. §. 9. D. *de ædilit. ed. Si servus inter fanaticos non semper caput jactaret*. Quid enim aliud in his locis *comam jactare* & *caput jactare* quam κάρα κινεῖν est, ideoque merito Cabiri, Corybantes & Galli possunt dici καρκῖνοι, *caput jactantes*, utpote numine afflati & μεμηνότες. Præterea notandum in Hesychii verbis, Cabiros *Vulcani filios* esse, id enim Herodotus quoque tradit lib. 3. cap. 37. Τούτου (Ἡφαίστου) σφέας παῖδας λέγουσιν εἶναι. Quæ interpres pessime vertit: *A quo (Vulcano) se hi homines ajunt esse oriundos*. Quasi Cabiri homines fuissent & non Dii, & ipsi dixissent, non vero alii homines, *se esse Vulcani filios*. Quod Strabo lib. 10. confirmat, eorum numerum definiens, & matrem indicans: Ἐκ Καβειροῦς τῆς Πρωτέως, καὶ Ἡφαίστου Καβείρους τρεῖς, *e Cabira Protei filia, & Vulcano Cabiri tres* prognati sunt; Hesychio & Straboni suffragatur Nonnus, quod ad patrem attinet, non vero quod ad numerum, nam duos modo nominat, qui Alcon nempe &

Eurymedon dicebantur, versus ipsius sunt lib. 14. Dionysiac. vers. 19.

Υἱέας Ἡφαίστοιο δύω θώρηξε Καβείρους,
Οὔνομα μητρὸς ἔχοντας ὁμώνυμον, οὓς πάρος ἄμφω
Οὐρανίῳ χαλκῆϊ τέκε Θρήϊσσα Καβειρὼ,
Ἄλκων, Εὐρυμέδοντε, δαήμονες ἐσχαρεῶνος.

Filios Vulcani duos armavit Cabiros;
Nomen matris habentes gentilitium, quos ante ambos
Cælesti fabro peperit Thracia Cabiro,
Alcon Eurymedonque periti foci.

& lib. 29. vers. 193. hos duos incolas Samothraciæ facit:

Θρηικίης δὲ Σάμοιο πυρισθενέες πολιῆται,
Λημνιάδος δύο παῖδες ἐβακχεύοντο Καβείροι

Thraciæ vero Sami igne validi incolæ
Lemniadis duo filii bacchabantur Cabiri.

Heinsius in exercitat. sacr. ad Nonni paraphr. pag. 25. carpit Nonnum, quia ut quidam alii, *Cabiros* Vulcani filios fecerat, *cum id*, inquit, *potius Camiris conveniret; qui ab igne aut colore ejus atro ita dicti sunt*. Ex iisdem parentibus Vulcano nempe & Cabira Protei filia præter hos Cabiros ortum duxerunt Nymphæ *Καβειρίδες* juxta Strabonem lib. 10. quæ denominatæ sunt *ἀπὸ Καβείρης τῆς Πρωτέως καὶ Ἀγχιόνης*, *a Cabira Protei & Anchiones filia*, quemadmodum Stephanus in *Καβειρία* testatur: Hæ quoque sacra sua habebant teste Strabone, qui l. c. dicit: *ἑκατέροις ἱερὰ γίνεσθαι*, *utrisque* (Cabiris & Nymphis Cabiridibus) *sua sacra esse*. Sed ad Cabirorum templa a Stephano & Pausania *Καβείρια* vocata me confero, quæ in hac insula Lemno extructa erant in lucis densis, ut eo melius mysteria illorum occultari possent, de qua re audiendus est Attius in Philocteta, cujus versus apud Varronem lib. 6. de L. L. ex emendatione Scaligeri hi sunt:

—— —— qui Lemni aspera
Tesca tuere, & celsa CABIRUM
Delubra tenes, mysteriaque
Pristina castis concepta sacris.

Testa hoc in loco dicuntur Straboni *ἀοίκητα χωρία τῆς τῶν δαιμόνων τούτων τιμῆς*. Quæ Festus exponit per *loca alicui Deo dicata difficilia aditu*. De his Cabirorum mysteriis in lucis loquitur Cicero lib. 1. de Nat. Deor. cap. 42. ubi hos versus profert:

—— —— quæ Lemni
Nocturno aditu occulta coluntur
Silvestribus sepibus densa.

Ex quibus manifesto liquet, Cabirorum sacra in lucis fuisse peracta & quidem nocte occulto modo, ut statim asserui. Non mirum, Cabiros in Lemno cultos fuisse, cum illorum Patri Vulcano hæc insula sacra fuerit, quamobrem a Dionysio in *περιηγήσει* vers. 522. *κραναὸν πέδον Ἡφαίστοιο asperum solum Vulcani* appellatur, & ab incolis divino honore colebatur, testante Episcopo Thessalonicensi ad citatum Dionysii locum, fortasse unus ex hujus insulæ Cabiris erat, & idcirco divinitus quoque cultus; illum etenim fuisse Cabirum scribit Nonnus l. c. ubi audit *οὐράνιος χαλκεὺς Κάβειρος*, *cælestis faber Cabirus*.

CAP. XIII.

Imbrus unde dicta: Cabiri in hac insula culti: Arcerius notatus: Jamblichus bis emendatur: Imbrus Cabiris sacra: Mercurius unde Imbramus dictus: Imbramus quis fuit: Huetius laudatur.

E Lemno in vicinam insulam Imbrum me confero, quæ nomen sortita est a leporum multitudine secundum Bochartum, vel ab Amramo Mosis patre, ut Huetius scribit: Hic quoque Cabirorum mysteria obtinebant, quamobrem Strabo lib. 10. dicit: *Μάλιστα ἐν Ἴμβρῳ τοὺς Καβείρους τιμᾶσθαι*, *maxime in Imbro Cabiros esse cultos*. Præterea Jamblichus in vita Pythagoræ lib. 1. cap. 28. Cabirorum sacra in hac insula agnoscit, cum enim tradidisset, Pythagoram his sacris fuisse initiatum, & conjunxisse divinam philosophiam cultumque, mox subjungit: *Ἃ μάθοντα παρὰ τῶν Ὀρφικῶν, ἃ δὲ παρὰ τῶν Αἰγυπτίων ἱερέων, ἃ δὲ περὶ Χαλκιδέων καὶ Μάγων, ἃ δὲ περὶ τῆς τελετῆς τῆς ἐν Ἐλευσῖνι γινομένης ἐν Ἴβρῳ τε καὶ Σαμοθράκῃ*. id est, *Quæ partim didicerit ab Orphicis, partim vero ab Ægyptiis sacerdotibus, partim etiam a Chalcidensibus & Magis, partim ab initiis, quæ in Eleusine contigere, itemque in Ibro & Samothrace*. Male Doctissimus Arcerius pro *ἐν Ἴβρῳ* substituit *ἐν Ἠπείρῳ*, quæ regio hic locum non habet; & idcirco Meursius hac emendatione non contentus multo felicius unica litera addita pro *Ἴβρῳ* legit *Ἴμβρῳ*, quam lectionem sine hæsitatione recipio, quoniam Jamblichus de initiis Cabirorum loqui videtur, quæ in Imbro & Samothracia peragebantur, ut satis fuse in prioribus ostendi. Simile mendum in hoc vocabulo observat Rutgersius in Var. Lect. pag. 465. Præterea in hoc Jamblichi loco mihi valde suspecta est vox *Χαλκιδέων*, quid enim *Chalcidenses* cum *Magis* Persarum? mallem igitur legere *Χαλδαίων*, & intelligere de *Chaldæis*, quos Pythagoras in peregrinatione sua versus plagam Orientalem visitavit ad illorum scientiam consequendam, ut & Magorum, qui vicini Chaldæis fuerunt. Sed a crisi ad Cabiros redeo; quos in Imbro fuisse cultos non mirum est, quoniam hæc insula illis & Mercurio (qui inter illos exstitit) sacra erat, ad partes voco Stephanum, cujus verba ex emendatione Berkelii sunt: *Ἴμβρος νῆσός ἐστι Θράκης, ἱερὰ Καβείρων, καὶ Ἑρμοῦ, ὃν Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ Κᾶρες*. *Imbrus Thraciæ insula est, Cabiris sacra & Mercurio, quem Cares Imbramum appellant*. Eadem fere habet Eustathius ad Dionysium vers. 524. *Ἴμβρος*, inquit, *Θρακικὴ μὲν ἐστὶ νῆσος, ἱερὰ Καβείρων καὶ αὕτη. ἐτιμᾶτο δὲ αὐτόθι καὶ Ἑρμῆς, ὃν Ἴμβραμον λέγουσιν οἱ Κᾶρες*. In his verbis observandum est, quam ob causam Mercurius *Imbramus* sit dictus, & quinam iste Mercurius fuerit; utrumque nobis indicabit doctissimus Episcopus Abrincensis Huetius in demonstrat. Evangel. proposit. 4. cap. 4. his verbis: *Imbramus* ille, qui Mercurius est, ipse est *Amram*, sive *Moses patris Amrami nomen gerens*. Vid. Sike ad evang. infant. Servat. pag. 49. ubi locum Arabis citat, in quo *Imramus* vocatur. Hoc autem nomen עמורם | si ad Græcanicum morem refingas, erit *Ἀμβρας* sive *Ἴμβρας*, inserto *β* propter euphoniam: atque inde transpositis literis fiet *Ἀρμας*, vel *Ἰρμας*, vel *Ἑρμας*, quod est *Ἑρμῆς*. Deinde eadem propositione cap. 7. hæc subjungit: Nos in *Imbrami* vocabulo, *Amrami*, qui fuit *Mosis pater*, nomen perspicue agnoscimus, cui euphoniæ gratia *β* insertum est. Sic in *γαμβρὸς* ex *γάμος*, in *μεσημβρία* ex *μεσημερία*. Itaque

que Septuaginta interpretes Ebraicum nomen עמרם reddiderunt Ἀμβρὰμ. Ex Ἀμβρὰμ vero manifesto Cares fecerunt Ἴμβραμον. Hæc Huetii conjectura mihi magnopere arridet; Moses enim & Mercurius eodem officio functi sunt, Moses minister veri Dei *omnipotentis* fuit, Mercurius ille Imbramus administer Deorum Cabirorum, qui ἐνδυνατοὶ *omnipotentes* ab antiquis appellantur; & quoniam Moses ab Ægyptiis patris Amrami nomine aliquando vocatus est, hinc Cares *ministrum Deorum Imbramum* denominarunt.

CAP. XIV.

Thebani unde Cabirorum sacra habent. Καβείρων πόλις: Homines Cabiri dicti: Violatores religionis Cabirorum pœnas luebant: Duo exempla de hac re adducta: urbs Anthedon ubi sita: Cabiri in hac urbe culti.

EX insulis maris Ægæi in adjacentem huic mari Græciam trajicio, ut Cabirorum sacra apud *Thebanos* frequentata in lucem proferam, qui hæc orgia habuerunt a Methapo quodam Atheniensi initiorum orgiorumque designatore, ut Pausanias in Messeniac. pag. 111. indicat: Ὁ Μέθαπος γένος μὲν ἦν Ἀθηναῖος, τελετῆς καὶ ὀργίων συνθέτης. οὗτος δὲ Θηβαίοις τῶν Καβείρων τὴν τελετὴν κατεστήσατο. Horum sacrorum initium, teste Pausania in Bœotic. pag. 300. juxta Thebanorum narrationem tale erat: Πόλιν ποτὲ ἐν τούτῳ εἶναι τῷ χωρίῳ, καὶ ἄνδρας ὀνομαζομένους Καβείρους. Προμηθεῖ δὲ ἑνὶ τῶν Καβειραίων καὶ Αἰτναίῳ τῷ Προμηθέως ἀφικομένην Δήμητραν ἐς γνῶσιν παρακαταθέσθαι σφίσιν. i. e. *Civitatem quondam in hoc loco & homines fuisse, qui Cabiri sint nominati: Eorum Cabiræorum uni Prometheo ejusque filio Ætneo, hospitibus suis Cererem depositi nescio quid commisisse.* Quicquid istud depositum fuerit, & quid in ea re factum sit, Pausanias non vult dicere, sed subjungit modo: Δήμητρος γοῦν Καβειραίοις δῶρόν ἐστιν ἡ τελετή, *Cereris donum fuere initia Cabiræis.* Huc respicit forsan Orpheus, dum in Argonaut. vers. 27. canit:

—— ἀγλαὰ δῶρα Καβείρων

—— *splendida dona Cabirum.*

Si divinatione agere licet, forsan Dionysi membrum virile fuit, quod duo Cabiri fratres ad Hetruscos detulerunt, de quo facto Cap. XVII. dicam. Animadversione quoque dignum est in allegato Pausaniæ loco, extitisse (vid. Fabrett. ad col. Trajan. pag. 318.) urbem, cujus incolæ Cabiri vocabantur, de quibus hominibus Cabiris eorumque urbe intelligendus Phavorinus in lexico, cum scribit: Καβείρων πόλις, καὶ Καβείρων ὄνομα ἔθνους. Et hinc Stephanus in Καβειρία; Εἰσὶ Καβείριοι ἔθνος Βοιωτίας i. e. *Sunt Cabiri gens Bœotiæ.* Hi homines sine dubio ministri Deorum Cabirorum exstiterunt, & inde nomen habuerunt; Strabo enim lib. 10. tradit, non solum *Deos Cabiros* dictos esse, sed & *eorum ministros*. Orgia hæc per aliquot tempus (cum Epigoni Thebas oppugnarent) intermissa, ejectis ab Argivis e sedibus suis Cabiræis, Pelarge Potnei filia cum Istmiade viro suo restituit extra fines in locum, qui Alexiares dictus est; cum Telondes & qui reliqui fuerant de Cabirorum gente, in terram Cabiræam rediissent, quemadmodum Pausanias in Bœotic. pag. 300. his verbis indicat: Ἐξελείφθη ἐπὶ χρόνον τινὰ καὶ ἡ τελετή. Πελαργὴν δὲ ὕστερον τὴν Ποτνέως καὶ Ἰσθμιάδην, Πελαργῇ συνοικοῦντα καταστήσασθαι μὲν τὰ ὄργια αὐτοῦ λέγουσιν ἐξ ἀρχῆς, μετενέγκειν δὲ αὐτὰ ἐπὶ τὸν Ἀλεξιάρην καλούμενον. ὅτι τῶν ὅρων ἐκτὸς ἐμύησεν ἡ Πελαργὴ τῶν ἀρχαίων. Τελώνδης δὲ καὶ ὅσοι γένους Καβειριτῶν ἐλίποντο, κατέλθουσιν αὖθις εἰς τὴν Καβειραίαν. Deinde Pausanias subjungit, huic Pelargæ honores decretos esse, & eos, qui Cabirorum religiones violassent, inexpiabilis sceleris pœnam effugere non posse; in exemplum adducit homines profanos, qui ausi erant Naupacti usurpare Cabirorum sacra, quæ Thebis fiebant, & non multo post ob fraudem pœnas luebant. Sic milites Xerxis, qui duce Mardonio in Bœotia stativa habebant, in Cabirorum fanum irrumpentes vel cupiditate prædæ vel ad numinum contemptum, subita insania correpti partim se in mare abjecere, partim de præruptis rupibus dedere; verba Pausaniæ l. c. hæc sunt: ὅσοι δὲ ὁμοῦ Μαρδονίῳ τῆς στρατείας τῆς Ξέρξου περὶ Βοιωτίαν ἐλήφθησαν, τοῖς παρελθοῦσιν αὐτῶν εἰς τὸ ἱερὸν τῶν Καβείρων τάχα μὲν πού καὶ χρημάτων μεγάλων ἐλπίδι, τὸ πλέον δὲ (ἐμοὶ δοκεῖ) τῇ ἐς τὸ Θεῖον ὀλιγωρίᾳ, τούτοις παραφρονῆσαί τε συνέπεσεν αὐτίκα, καὶ ἀπώλοντο ἐς θάλασσάν τε καὶ κρημνῶν ἑαυτοὺς ῥίπτοντες. Eodem modo Alexandri Magni milites hoc fanum hostiliter invadentes fulminibus & e cœlo ignibus exanimati sunt, teste Pausania l. c. Ἀλεξάνδρου, ὡς ἐνίκησε τῇ μάχῃ, Θήβας τε αὐτοὺς καὶ σύμπασαν τὴν Θηβαΐδα διδόντος πυρὶ, ἄνδρες τῶν ἐκ Μακεδονίας ἐλθόντες ἐς τῶν Καβείρων τὸ ἱερὸν, ἅτε ἐν τῇ γῇ πολεμίᾳ, κεραυνοῖς τε ἐξ οὐρανοῦ καὶ ἀστραπαῖς ἐφθάρησαν. Hoc Cabirorum fanum, de quo Pausanias in præcedentibus locis loquutus est, erat circa Thebas, in luco Cabiriæ Cereris & Proserpinæ, ad quem lucum solis initiatis aditus patebat, ut Pausanias in Bœotic. pag. 300. auctor est.


Thebanis hoc capite *Anthedonios* adjungo sive incolas urbis Anthedonis, quoniam in una eademque regione morabantur; *Anthedon* enim civitas Bœotiæ erat ad Euripum e regione Eubœæ sita, ut Ptolomæus lib. 3. cap. 15. tradit. Dicæarchus memoriæ prodidit, illam septuaginta stadia a Chalcide Euboica absuisse. In hujus urbis meditullio antiquitus templum Cabirorum exstabat; Pausanias in Bœotic. pag. 298. Ἀνθηδονίοις μάλιστα πού κατὰ μέσον τῆς πόλεως Καβείρων ἱερὸν, καὶ ἄλσος περὶ αὐτό ἐστι. Ex his verbis confirmatur id, quod cap. XII. dixi, Cabirorum templa in lucis exstitisse, nam fuit circa hoc Cabirorum apud Anthedonios templum ἄλσος *lucus*, ubi vero templa habuerunt, eodem in loco etiam culti sunt; sine dubio igitur Cabirorum mysteria ab Anthedoniis celebrata fuerunt. Vide Lud. Nonnium ad Goltzii numismata Græciæ pag. 100.

CAP. XV.

Cabiri Thessalonicæ culti: nummus Thessalonicensium explicatur: Meursius & Firmicus laudantur: Cabiri in Macedonia culti: ΠΥΘΙΑ *in honorem Cabirorum: de nummo quodam Hierapolitanorum: an Cabirus vel Amazon in illo exstat: Petitus laudatus.*

INter alias Græciæ urbes, quæ Cabiros coluere, nequaquam minima fuit *Thessalonica*, Macedoniæ celeberrima urbs, prius Ἁλία & *Therme*, nunc a Turcis *Salonichi* dicta. Maximum ibi Cabirorum cultum extitisse plurimi nummi testantur, inter quos unus oppido rarus exstat in Morellii Specimine Rei Nummariæ Antiquæ tab. 18. num. 7. qui ab una parte effigiem Gordiani

tertii, ab altera urnam cum impoſita palma exhibet; ἐπιγραφὴ eſt ΘΕΣΣΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΚΑΒΕΙΡΙΑ. qua urna & palmæ ramo ludorum ſeu agonum ſolemnia in honorem Cabirorum acta denotantur; frequenter enim in nummis talia vaſa cum palmis occurrunt, quæ conſueta in ſacris illis certaminibus & feſtis victorum præmia fuerunt. Hujus quoque feſti Καβείρια dicti mentio fit apud Heſychium in lexico: Καβείρια, ἑορτὴ ἀγομένη. Sic Meurſius hunc locum reſtituit, cum antea male legeretur Κάββηρα. Adde alium nummum apud Vaillant. tom. 2. de colon. pag. 232. cujus ἐπιγραφὴ eſt ab una parte ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. ΜΗΤ. ΚΟΛΩΝ. Figura muliebris turrita & ſtolata ſtans, dextra Cabirum ſuſtinet, læva cornucopiæ, pro pedibus ara. Cabiros Theſſalonicæ fuiſſe honore divino exceptos eleganter demonſtrat locus Julii Firmici in libello de errore prof. relig. pag. 23. *Hic eſt Cabirus, cui Theſſalonicenſes quondam cruento, cruentis manibus ſupplicabant.* Quomodo a fratribus occiſus ſit & quo in loco ſepultus docet idem Firmicus l. c. *In ſacris Corybantum parricidium colitur; nam unus frater a duobus interemptus eſt, & ne quod indicium necem fraternæ mortis aperiret, ſub radicibus Olympi montis a parricidis fratribus conſecratur.* Hunc eundem Macedonum colit ſtulta perſuaſio. Cum Jul. Firmico conſentit Lactantius, qui lib. 1. de falſ. relig. cap. 15. teſtatur: *Macedones ſumma veneratione coluiſſe Cabyrum.* Præterea in honorem Cabirorum celebrata quoque ſunt ΠΥΘΙΑ, ut teſtatur Gordiani nummus, in quo Cabiri ſtantis figura, cui adſcriptum ΚΑΒΕΙΡΟC; & ἐπιγραφὴ in averſa nummi parte ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΥΘΙΑ, inter ſelecta numiſmata Jacobi de Wilde pag. 123. Hinc notandum, ΠΥΘΙΑ alibi quoque, quam Delphis, nec in unius Apollinis Pythii (a quo originem habuerunt) honorem acta fuiſſe, quod multi nummi confirmant, qui ΤΡΑΛΛΙΑΝΩΝ vel ΜΑΓΝΗΤΩΝ vel ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΠΥΘΙΑ nobis præbent; eodem modo in veteri Inſcriptione apud Sponium in Miſcellan. Erudit. Antiquitat. pag. 364. ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΙΛΗΤΩ. ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΜΑΓΝΗΣΙΑ. ΠΥΘΙΑ ΕΝ ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ. occurrunt. Vide nummum apud Patinum pag. 232. num. 1. in quo Cabirus malleo inſtructus in templo ſtat, Inſcriptio eſt ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΕΩΝ; aliuſque in fine paginæ exhibetur in quo ab una parte genius urbis Theſſalonicæ cum literis ΘΕCCΑΛΟΝΕΙΚΗ, in altera Cabirus cum malleo & Inſcriptione ΚΑΒΕΙΡΟC. Qui nummi abunde cultum Cabirorum in hac urbe arguunt. Adde pag. 331. & Petrum Seguinum in ſelect. num. pag. 15. & Bianchini Iſtoria univerſale pag. 132. 133. Begeri Theſaur. Brandenburg. tom. 1. pag. 483 Eggelingius de num. abſtruſ. Neronis pag. 9. vult in uno Neronis nummo extare Herculem Idæum habitu Cabiri vel Corybantis vel Curetis vel Idæi Dactyli, quem Patinus pag. 16. refellit, qui Smyrnam urbem non Herculem Idæum agnoſcit, quia bipennem geſtat, qua urbs illa paſſim in num. inſignitur. Regerit Eggelingius pag. 24. ex bipenne non ſequi, quod ubicunque Cabirus vel Curetes vel Corybantes, vel Idæus Dactylus occurrit, ibi ſtatim Smyrna inſigniatur. Et pag. 38. pro Idæo Hercule iterum pugnat. Dantur quoque multi Theſſalonicenſium & inde nummi, in quibus Cabiri malleo inſtructi exſtant apud Jacobum de Wilde num. 69. 90. 92. 93. 94. 96. qui nummi optime confirmant, id, quod cap. VI. aſſerui, nempe Cabiros imaginem robuſti viri ſive Fabri Vulcani habuiſſe. Quoniam hic de quibuſdam Cabirorum nummis egi, non a re alienum erit, ſi iis adjungam



nummum ΙΕΡΑΠΟΛΕΙΤΩΝ *Hierapolitanorum* in ſpecimine Morelliano tab. 25. num. 4. in quo ab una parte *caput ſenile laureatum* cum ἐπιγραφῇ ΓΕΡΟΥCΙΑ *Senatus*, ab altera vir equo inſidens dextra bipennim tenens, quem Morellius pro *Cabiro* habet, alii vero illum nummum ad Amazonas referunt, quoniam bipennis eadem forma, qua Amazonum, eſt, & rectius meo judicio facit Petitus de Amazonibus pag. 286. ubi hunc nummum exhibens dicit, *poſteriore parte equitem cum bipenni in dextra* exſtare, non determinans, an Cabirus vel Amazon eſſet; ultimum hoc videtur Petitus ipſe explodere, quando argumentum illorum e bipenni ductum irridens in eadem Diſſertatione pag. 284. ſcribit: *Quocunque in numiſmate bipennim aut peltam vident, ibi latentem ſtatim Amazonem olfaciunt.* Similiter dicere licet de quibuſdam eruditis Antiquariis, *quocunque in numiſmate* malleum *vident, ibi latentem ſtatim* Cabirum *olfaciunt*: juvat exemplum proferre e Patini numiſmatis, qui inter Philippi ſenioris nummos pag. 305. nummum Theſſalonicenſium exhibet, in quo Apollo nudus lauream tenens, & urna e qua palma & ara ardens ante ipſius pedes, præterea alia figura ſiniſtro humero malleum gerens, cui Apollo vel orbem vel pomum porrigit. Clariſſimus Triſtanus figuram illam Philippum Imperatorem eſſe putat; quod Patino non probatur, qui neſcit, cur orbem ab Apolline acciperet, & id quod humeris geſtat; ſi ſtarem a Triſtani ſententia, ipſi reſponderem, Apollinem Philippo orbem tradere, id eſt, imperium per orbem Romanum, quo Theſſalonicenſes novo Imperatori adulabantur, quaſi imperium a Deo accepiſſet Sed pergo; Patinus mavult figuram illam *Cabirum eſſe vel Philippum ſub Cabiri ſpecie*. Non crederem Cabirum eſſe, cum habitus plane mulierem præferat. Porro, cur Triſtanum carpit, dum fatetur ipſe, intelligi poſſe *Philippum ſub Cabiri ſpecie*.

CAP. XVI.

Amphiſſa ubi ſita: Cabirorum myſteria in hac urbe: Cabiri Ανακτες *dicti: Pauſanias explicatur.*

A*Mphyſſa* primaria Locrorum Ozolorum urbs in confiniis Phocidis non procul a Delphis aberat, ut teſtantur Demoſthenes in oratione de Corona & Scylax Caryandenſis in Periplo; hujus urbis incolæ myſteria Cabirorum celebrabant, quod clare patere poteſt ex his Pauſaniæ verbis in Phocic. pag. 357. Αγουσι καὶ τελετὴν οἱ Αμφισσεῖς Ανακτων καλουμένων παίδων. οἵτινες δὲ θεῶν εἰσὶν οἱ Ανακτες παῖδες, οὐ κατὰ ταυτά ἐστιν εἰρημένον. ἀλλὰ οἱ μὲν εἶναι Διοσκούρους, οἱ δὲ Κούρητας, οἱ δὲ πλέονες τι ἐπιστάσθαι νομίζοντες, Καβείρους λέγουσι. hoc eſt, *Initia quoque celebrant Amphiſſenſes, quæ Anactum puerorum appellant, quinam Dii ſint*

Anactes pueri variat hominum opinio, alii Castoras, Curetes alii, qui plus intelligendo se assecutos putant, Cabiros esse censent. Antequam hanc sententiarum discrepantiam discutio, videndum erit, an Cabiri a veteribus Ἄνακτες appellati fuerunt. Vid. Menagii amænitat. cap. 39. ad voc. *Sanctum*. Fabrett. ad colum. Trajan. pag. 74. Id unus instar omnium Orpheus sive Onomacritus in hymno Κυρήτων vers. 20. his verbis ostendit:

—— Ἀνάκτορες ἐνδύνατοι τε
Ἐν Σαμοθράκῃ Ἄνακτες ——

—— Rectoresque potentes
In Samothracia Dii ——

Et hinc quoque Clemens in protrept. pag. 12. initiatos Cabirorum sacris vocat ἀνακτοτελεστάς, quasi ἀνάκτων τελεταῖς μεμυημένους. Jam ad opinionem primam quod attinet, nempe hos Anactes esse Dioscuros, (quod idem est, ac si diceres esse Cabiros, Dioscuri enim & Cabiri iidem fuerunt, ut ex Cap. III. hujus Dissertationis liquet) ea vera est, nam Dioscuri sæpe Ἄνακτες dicuntur, & hinc Ἀνακεῖον ab Harpocratione explicatur per ἱερὸν τῶν Διοσκούρων. Secunda opinio, nempe hos Ἄνακτες esse Curetes, eatenus vera esse potest, quatenus inter Cabiros & Curetes differentia localis tantum datur; Cabiri enim in Samothracia iidem sunt, qui Curetes in Creta, de quibus alio tempore plura.

CAP. XVII.

Cabiri ab Æneа in Italiam adducti: Virgilius explicatur: Cabiri in urbe Lavinio: Albæ: Romæ: Hetrusci unde mysteria eorum habent: veretrum in his sacris cultum: Cabiri in insula juxta Britanniam.

Expugnata Troja, cum Græci singulis civibus unius rei auferendæ potestatem fecissent, Æneas, cæteris neglectis, Deos penates sive πατρῴους Θεοὺς exportavit, teste Æliano lib. 3. Var. Hist. cap. 22. & eleganter ad rem faciunt Varronis verba ex lib. 2. rer. human. *Dardanus Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneas ex Troja in Italiam detulit.* Hinc Æneas de se ipso apud Virgilium lib. 3. Æneid. vers. 11.

—— feror exul in altum
Cum sociis natoque Penatibus & Magnis Dis.

In quo loco *Penates* & *Magnii Dii* non sunt diversi, sed idem est, ac si dixisset *cum Penatibus Diis Magnis* sive *Penatibus Cabiris*, id enim heic respondet *Dis Magnis*. Hos igitur Deos Æneas post multa rerum discrimina in Latium tandem perduxit, & Lavinii collocavit, ut Valerius Maximus lib. 1. cap. 8. auctor est, ubi hi Dii eadem severitate, qua apud Thebanos, puniebant eos, qui templa sua violabant, cujus rei exemplum præbet Servius ad Æneid. lib. 3. vers. 12. *Cum ambæ virgines in templo Deorum (Magnorum) Lavinii simul dormirent, ea, quæ minus casta erat, fulmine exanimata, alteram nihil sensisse.* Postea hi Dii ab Ascanio Albam, quam ipse condiderat, translati bis pristinum sacrarium repetierunt; & de Lavinio Romam deportati idem fecerunt, ut testatur Servius l. c. Adde Aurelium Victorem de orig. gent. Rom. cap. 17. Romæ enim hos *Magnos Deos* cultos esse scribit Tertullianus de Spectacul. cap. 8. *In Circo Romano tres aræ trinis Diis parent.* MAGNIS POTENTIBUS VALENTIBUS, *eosdem Samothracas existimant.* Hinc Romani Samothracum cognati dicuntur, quoniam illorum Deorum cultum receperant. Ad *Hetruscos* pergo, qui mysteria Cabirorum a duobus fratricidis Cabiris (id est, Cabirorum ministris: nam & hi Cabiri simpliciter dicebantur) acceperunt, quemadmodum Clemens Alexandrinus in admonit. ad Gent. nos docet: Αὐτὼ δὴ τούτω τὼ ἀδελφοκτόνω τὴν κίστην ἀνελομένω, ἐν ᾗ τὸ τοῦ Διονύσου αἰδοῖον ἀπέκειτο, εἰς Τυῤῥηνίαν κατήγαγον, εὐκλεοῦς ἔμποροι φορτίου. κἀνταῦθα διετριβέτην, φυγάδε ὄντε τὴν πολυτίμητον εὐσεβείας διδασκαλίαν, αἰδοῖα καὶ κίστην θρησκεύειν παραθεμένω Τυῤῥηνοῖς. i. e. *Duo fratricidæ, cum cistam sustulissent, in qua repositum erat pudendum Dionysi, eam vexerunt in Hetruriam, egregiarum mercium mercatores; & ibi habitarunt cum essent exules, venerabilem pietatis doctrinam, pudenda & cistam colendam commendantes Hetruscis.* Quod Clemens dicit, illos colendum commendasse *membrum pudendum Dionysi*, id videtur in mysteriis Cabirorum usitatum fuisse, ut Deorum pudenda colerent; sic Mercurius porrecto cum veretro in his sacris a Pelasgis introductus & cultus, testibus Herodoto lib. 2. cap. 51. & Eustathio ad Iliad. Φ pag. 1249. edit. Roman.

Priusquam huic Dissertationi finem impono, non possum præterire insulam juxta Britanniam sitam, in qua Cabiri sua sacra habuerunt, ut ex his Artemidori verbis apud Strabonem lib. 4. pag. 137. manifesto patet. Εἶναι νῆσον πρὸς τῇ Βρεττανικῇ, καθ' ἣν ὅμοια τοῖς ἐν Σαμοθράκῃ περὶ τὴν Δήμητραν καὶ τὴν Κόρην ἱεροποιεῖται. Cererem enim & Proserpinam inter Cabiros extitisse Cap. VIII. dixi, ab incolis hujus insulæ ritu in Samothracia usitato sacra illis facta sunt.

CAP. XVIII.

Scriptores de Cabiris: inter quos ipsi Cabiri: Mnaseas: Acusilaus Argivus: Demetrius Scepsius: Dionysiodorus Trœzenius.

Dissertatione hac de Cabiris illorumque sacris mysticis ad finem perducta, quædam de scriptoribus, qui olim de Diis Cabiris scripserunt, adjiciam; Inter hos primi fuerunt ipsi septem Cabiri & eorum frater Æsculapius, qui genealogiam sui generis jussu Dei Taauti in commentarios retulerunt, quod Eusebius lib. 1. Præp. Evang. cap. 10. indicat: Ταῦτα (nempe genealogiam Cabirorum & historias quasdam de Saturno) πρῶτοι πάντων ὑπεμνηματίσαντο οἱ ἑπτὰ Συδὲκ παῖδες Κάβειροι, καὶ ὄγδοος αὐτῶν ἀδελφὸς Ἀσκληπιὸς, ὡς αὐτοῖς ἐνετείλατο θεὸς Τάαυτος.

Secundus auctor est *Mnaseas*, sive Phœnicio sermone *Manasses*, genere Phœnix, qui gesta omnia Phœnicum in literas retulit, ut e Josepho notum est, & ea occasione proculdubio de Cabiris scripsit. Meminit hujus *Mnaseæ* Apollonii Scholiastes ad lib. 1. Argonaut. vers. 917.

Tertius est *Acusilaus Argivus* a Strabone lib. 10. laudatus, quo in loco fragmenta quædam hujus auctoris exstant, quæ in hac Dissertatione passim a me allata sunt. Præterea ejus mentio fit apud Harpocrationem in voce Ὁμήραδαι. Clemens Alexandrinus refert lib. 6. Stromat. hunc *Acusilaum* Hesiodi Θεογονίαν transtulisse in pedestrem sermonem, & ut suam edidisse.

Quartum locum obtinet *Demetrius Scepsius*, ὁ τὰς μύθους συναγαγὼν τούτους, *qui fabulas istas conscripsit*, ut Strabonis verba lib. 10. de Cabiris loquentis usurpem; ab Athenæo variis locis citatur, & ab Etymologico magno in Χεράδες, & Harpocratione in Ἀδράστειαν & Ἴων. Scripsit multa, inter quæ libri τοῦ Τρωϊκοῦ διακόσμου, *Trojanæ ordinationis*, quorum librorum decimus sextus a Stephano in voce Σιλίνδιον allegatur.

Ultimus est *Dionysiodorus Trœzenius*, cujus mentio apud Plutarchum & Apollonii Scholiastem ad lib. 1. Argonaut. vers. 917. ubi fragmenta habet, quæ locis suis produxi; hic *Dionysiodorus* ab eruditissimo Vossio inter poetas incerti temporis collocatur.

F I N I S.

JO. ANTONII ASTORII

VENETI

DISSERTATIO

DE DIIS CABIRIS.

ERUDITISSIMO ATQUE PRÆSTANTISSIMO

VIRO

JUSTO FONTANINO

CARDINALIS EMINENTISSIMI

JOSEPHI RENATI IMPERIALIS

BIBLIOTHECARIO

JO: ANTONIUS ASTORIUS

S. P.

DE Diis Cabiris, quorum Sacra apud primos Antiquitatum prophanarum Scriptores fuere silentio religioso præterita, Dissertationem arduam semper, sed dignam quæ aliquando institueretur, tibi, Eruditissime, atque Præstantissime Vir, inscriptam adfero. Ea quidem est, quoties ingenii mei exilitatem perpendo, quæ de Judicio docti Viri subeundo timorem ingerat cordi; quoties tamen Virtutem tuam ad multiplicem Eruditionem adjunctam contemplor, procul metu amandato, spem optimam excitet, me tibi displiciturum undecumque non esse. Utinam, tot licet litterariis

curis, postquam Cardinalis Amplissimi proximitatem a Studiis, & merito nactus es inter cœteros, undequaque districtus, brevem ejus temporis horam, quod Philologiæ studiis impendendum ad tui & majorem ornatum, & solatium nobile superest, quod etiam atque etiam rogo, meorum qualicumque lectioni non indignum dare arbitreris. Nil inde profecto in hoc rerum humanarum cursu, mihi contingere poterit optabilius, & quia hoc perexiguum meæ erga te observantiæ pignus, ac monumentum gratum esse tibi cognoscam, & quod maximi facio, tum demum persuasum habebo, modo non obstet Amor, mihi valde profuturum esse Judicium tuum. Hoc si pro tua, qua mecum olim, & supra quam de me unquam cogitare possem, in datis ad Clarissim. Virum Apostolum Zenum communem Amicum Epistolis humanitate præstitisti, feceris, præclare actum mecum existimabo. Vale.

Venetiis 4. Kal. Octobris 1703.

JO:

JO. ANTONII ASTORII VENETI


DISSERTATIO

DE DIIS CABIRIS.

§. I.

Ratio Dissertationis. Inscriptio Græca producitur. Ordo in dissertatione servandus.

Non pauci Antiquorum, quos inter Pausanias, & Dionysius, ea tantum, quæ illis perspecta, & cognita, nec ulla vetabat Religio scribere, ubi de *Cabiris* verba facere necesse fuit, scripto prodenda, quæ autem non fas omnibus videre, nec ab his audire, qui viderunt, ea prætereunda silentio censuere. Varias de illorum natura opiniones ex hoc mysterio quod sibi effinxerunt scriptores, non iisdem exortos ætatibus, nemo non novit effecisse, ne multi eorum, qui investigandæ antiquitati dant operam, vanum id conarentur excutere *Cabirorum* scilicet historiam, seque aliosque ignorantiæ finibus inclusos relinquerent. Quæ ego memoria repetens, illud mihi ipse temperare non possum, quin reprehensurus assurgam, quod quidam de eo, in quo falli facile cunctos judicatum est, inflati opinione suam sententiam irrogitanter producant, qui postea assentatoribus patefaciunt aures, ne eos errorum suorum non inutilis cognitio ad meliorem eruditionem quærendam compellat. Fateor quidem eorum, quæ hujusce generis Viri tenenda sibi suadent, rationem probabilem reddi posse, & in ipsis non exiguum elucescere ingenii lumen, sed non talem ordinem adhibent, ut in dissertationibus eorum sint omnia apta inter se, & cohærentia, vel ad aliorum approbationem, quibus ea prostant legenda, ubi dissona apud Antiquiores lecta sint. Gravius tamen & verius reprehendendus ego in publicum prodeo, qui hasce effusiones commentariorum admiratus, quæ fiunt ad exprobrationes tantum Eruditorum captandas, & ipse eadem damnata libidine scriptitandi, non considerate hujuscemodi arcana revelanda suscipio, & ea mandanda litteris, quæ non satis adhuc nota sunt. Verum re accuratius perpensa, aliquot saltem ex Amicis meis, si locuples argumentum non ea qua par est dicendi copia explicavero, veniam daturos confido, utpote qui probe norunt, quod cum aliquando me ad Philologiam retulissem inde ipsi non existimantes molestias meas deponi posse, ab ejusmodi studio me absterruerunt, quod illud non oblectatio sequatur Animi, neque requies curarum, nec valeat ad bene, beateque vivendum. Ut tandem ad rem veniam, rogatus occasione cujusdam Græci antiqui monumenti Aquileja Venetias advecti, quod in ædibus Grimanorum asservatur, & e Velseri Schedis a Grutero pag. 319. 2. relatum est, ut de *Cabiris* aliqua differerem, quum in Antiquitatum studio tunc temporis versarer, id me facturum facilis nimium promisi. Illud est



Id. Cajus Caii Filius Acharnensis Sacerdos factus Deorum magnorum Dioscororum Cabirorum, in Dionysii, qui fuit post Liciscum, Archontis anno, posuit. Nollem modo fidem meam spopondisse, & id arbitror sanioris fuisset consilii; sed quoniam promisi, facere aliter ullo modo non possum, & justitiam negligere. Hoc sane, cur de Diis hisce, eorumque apud Gentes cultu differere constanter instituam, declarare mihi opus erat, ne dum fidei totus inservire contenderem, laborare temeritatis vitio minutis Philologis viderer. Promissum igitur servandum est, quæ tamen dicenda mihi, e fontibus Antiquorum haurire me polliceor, illorumque sententiis explosis, qui erudite hoc alias tractarunt argumentum, ad novæ opinionis inventionem aditum mihi aperire. Non paucis posthabitis, quæ jam de hac re a Clarissimis Viris publici juris facta cuique Antiquitatis studioso non obvia esse non possunt, mihi tantum quod propositum est edisseram, eo, prout dabitur, moderamine, ut nec perspicuitas, sicuti nec brevitas desideretur. Id quoque placuit Nobilitate pariter ac Ingenio Excellentiss. D. D. Hieronymo Justiniano, & Petro Grimano Patritiis Venetis, nec non Ornatiss. atque Eruditiss. Co: Camillo Silvestrio, Antonio Magliabechio, Nicolao Bon, Laurentio Patarolo, pluribusque aliis mihi amicissimis, quibus cum hæc communicassem, pro immensa sua

in me humanitate meos qualescumque conatus probavere, ac ut eos orbi erudito publicarem, dum non pauca remorabantur, vel Epistolis, vel viva voce excitarunt. Sed ad instituta pergamus.

§. II.

Opiniones quædam Antiquorum de Cabirorum *Natura referuntur.*

AC primo, cujus naturæ ii qui eruditum pulverem attigerunt, *Cabiros* habuerint, nobis dicendum; magna namque inter Litteratos dissensio, eorumque opiniones aliæ diuturnitate extabuere, aliæ cum sæculis, hominumque ætatibus inveterare potuerunt. Ex iis igitur, quæ utilitatem generi afferebant humano, quæque nomine ipsius Dei superstitiosi Gentiles nuncupabant, *Cabiros* plerique arbitrati sunt; eos autem *Penates* fuisse sentiebant, quorum ut Julius Firm. de errore proph. Relig. cap. 15. ductum volunt nomen a penu, ab omni scilicet, quo utiliter homines vescuntur ad vitam. Quibusdam crediti sunt, quos assentatio, consuetudoque communis, quod beneficiis excellentes essent, consecrabat, & in cœlum tollebat; Verum Vulcano, & Cabera Protei filia mortales genitos, & ignis usum atque æris, ferrique fabricam docuisse dicebant. Multi eos extitisse spiritus voluere, quorum Potestas major, quam Heroum, & eorum qui ex hominibus Divi facti sunt, primos tamen ex tribus μαντικῶν spirituum, seu Dæmonum gradibus, quos Δυνάμεις appellant. Demum ex Physica cum tot aliis fluxisse ratione, fabulasque specie indutos humana Poetis suppeditasse non defuere qui dixerint, vel ideo cum Mystagogorum Principe Orpheo Curetes, vel Axiérum, Axiocersum, & Axiocersam vocantes cum Mnasea. Cæteris posthabitis, ne longior sim, vanique plenus negotii videar, quatuor hasce tantum sum refellendo sententias, non dicam ineptas, quasi aliquid allaturus ipse sim melius, sed qui dubitanti quænam illarum sit verior, sunt caussa desperandæ in hac re omnis veritatis

§. III

Opinio eorum refellitur, quibus Cabiri *iidem ac* Penates Dii. *Cassius Hemina apud Macrobium, & Dionysius Halic. notantur. Appellatio* Deorum magnorum *expenditur. Inscriptionis* DENAS *Idolis* Penatium Deorum *appositæ expositio tentatur.* Cur Cabiri Penates *quoque vocati sint?*

PRimum igitur num *Cabiri* iidem sint, ac *Penates Dii*, expendendum est. Si in Cassii Heminæ ac Dionysii Halic. verba jurandum sit, secus opinari piaculum ducimus; ut enim ille apud Macrob. 3. Saturn. hic in 1. histor. hanc docuere sententiam, ea ducti ratione, quod *Penates* quoque, ut & *Cabiri*, θεοὶ μεγάλοι, *Dei Magni* scilicet appellati sint. Sed ea, quæ tradunt, cuncta commentitia videntur. Nam, quod *Deos magnos* plerosque alios, aut priores Deos, aut inferiores nominatos legamus, & Deorum alios a *Cabiris* Diis, eosdem cum *Penatibus* esse concedamus necesse erit. Serapidem ergo, qui *Magnus Deus* apud Gruterum pag. 185. dictus est,

PRO. SALUTE. IMP. CÆS
M. AUR. ANTONINI. AUG
PII. FEL. P. P.
VOTO. SUSCEPTO
DEI. MAGNI. SERAPIDIS &c.

Attim qui *magnus Deus* dicitur Juliano Imp. Or. 5. in matrem Deorum: Οὗτος μέγας ἡμῖν θεὸς ἐστὶν Ἄττις, *Magnus Deus ille nobis est Attis*; Dianam Ephesiam, quam cognomento *Magnam* Lucas Act. Apost. cap. 19. fuisse refert; Uraniam, seu Venerem Saracenorum nomine *Cubàr*, seu *Cabàr*, quam Georgius Cedrenus in Chronicis, & Euthymius Zygabenus in Panoplia *Magnam* interpretantur; & Geminos *Castores*, qui Dei magni a Corcyrensibus appellati sunt, ut ait Pausanias, & in marmore apud Gruterum pag. 89. 9.

CASTORI. ET. POLLUCI. DIIS. MAGNIS.
SULPITIA. Q. SULPITII. F. VOTUM.
OB. FILIUM. SALUTI. RESTITUTUM

Hos omnes eosdem cum *Penatibus Diis* faciemus. Quod tamen cum falsum sit, ubi Romanorum pariter, & Græcorum Religio *Magni* appellationem cuicumque Deorum legatur passim tribuisse, honoris ergo in omnes, ut & in *Penates Deos*, id factum putandum est, sed per antonomasiam *Cabiros*, *Deos magnos* pronominatos. Legimus ideo alios Ethnicorum Deos donatos utique *Magnorum* epitheto, at sua nota quoque, & vocabulo designatos, ut *Magnus Deus Serapis*, *Magni Dei Castores &c.* eo quod exigat eorum multitudo discrimen, verum *Cabiros* non ita, quum iis loco sui, & certi nominis, quo appellari sine piaculo non poterant, *Deorum Magnorum* pronomen a superstitiosis datum fuerit. Hinc ut & in aliis, in Inscriptione græca, quam vidi, legique pluries in Statuario ad D. Marci Venetiis, & quam Cl. Montfauconius in Diarii sui Italici cap. 3. pag. 43. feliciter transcriptam, atque a mendis, quibus apud Gruterum, & Sponium scatet, quam purgatissimam refert, notatur quemdam Eubulum Demetrii filium Marathonium *Sacerdotem Deorum magnorum factum esse*: ΙΕΡΕΥΣ ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΤΩΝ ΜΕΓΑΛΩΝ ΘΕΩΝ. &c. quæ profecto nil aliud, quam sacris *Cabirorum* eundem fuisse initiatum innuere videntur. Cur tamen & *Cabiros* eosdem ac *Penates* esse concederem, & in hanc opinionem libens venirem, non adeo levis momenti esset causa; Horum namque geminis Idolis, quæ in antiquis templis Romæ fas erat cuivis inspicere, epigraphem DENAS appositam Dionys. lib. 1. histor. testatur. Hæc autem ubi sibi *Penates* videtur significasse, quod Priscos ante inventum P. D. litteram usurpasse dijudicet, ego non aliud indigetare conjectabam, quam Græcum Δυνατοί, quod *potentes* Latini dicunt, & *Cabirorum* epithetum fuisse constat. Sed in contrariam prius distrahor sententiam ex eo, quod similes quoque eorum imagines in nummis, epigraphe D. PENATES eminente videre contingit: inde quod apud Virgilium Æneid. 3. sic Æneam audiamus loquentem,

—— *feror exul in altum*
Cum sociis, natoque, Penatibus, & Magnis Djs.

Unde non idem patet fuisse *Penates*, ac *Magnos*

Deos, seu *Cabiros*, sed, ut melius reor, Deos familiæ fuisse *Penates*, & *Magnos Deos* fuisse qui publice colerentur in Urbe. Et quidem *Penatibus Diis* in interiore ædium recessu, seu penu erigebantur simulachra, & Aræ quoque apud quas sacra fierent; Quorum prius tangunt Menandri apud Harpocrationem versus in voce Κτησίε:

> Νυῦ δ' εἰς γυναικωνῖτιν εἰσιόνθ' ὕτων
> Ἴδω παράσιτον τὸν δ' Δια τὸν Κτήσιον
> Ἔχοντα τὸ ταμεῖον ἐ κεκλεισμένον;

Idest. *Nunc cum intrantem conclave Mulierum video Parasitum, Jovem vero Ctesium tenentem penum haud obseratam*. De Ara liquet ex Æschylo Agamemn. v. 1047. apud quem Clytemnestra reducem Argos Agamemonem una cum Cassandra interiora Regiæ jubet ingredi, eamque σαθεῖσαν Κτησίε βωμε πέλας, *collocatam juxta aram Jovis Ctesii &c.* At non duos Penates, ut Dionysius, quorum nomina tacuit, sed ut quidam alii apud Macrob. l. 3. Sat. si placet, uno nomine tres esse sentiamus Jovem, Junonem, & Minervam. Sint sane. Nullo modo tamen eosdem ac *Deos Magnos*, seu *Cabiros* efficiunt. Quod enim Tarquinius Demarathi Corinthii filius Samothraciis religionibus mystice imbutus (initiabantur autem Gentes *Cabirorum* sacris in Samothracia, ut infra videbimus) uno in templo, ac sub eodem tecto numina memorata coluerit, id sufficiens non firmandæ fidei argumentum. Num igitur & Isidem, ac Osiridem *Cabiros* esse dicemus, quod Cajum Caii Filium Acharnensem sacris Cabirorum initiatum, ut vidimus §. 1. in allata græca Inscriptione, numinibus hisce aram appareat ex hoc marmore dedicasse, quod olim in Cymelio Francisci Mauroceni Venetiis habebatur, & a Stephano la Moyne in Epistola ad Eruditissimum Virum Gisbertum Cuperum de Melanophoris emendatum vulgatur?

> ΓΑΙΟΣ. ΓΑΙΟΥ: ΑΧΑΡΝΕΥΣ. ΙΕΡΕΥΣ.
> ΓΕΝΟΜΕΝΟΣ ΕΝ. ΤΩΙ. ΕΠΙ. ΝΑΥΣΙΟΥ.
> ΑΡΧΟΝΤΟΣ. ΕΝΙΑΥΤΩΙ. ΚΑΙ. ΟΙ.
> ΜΕΛΑΝΗΦΟΡΟΙ. ΚΑΙ ΟΙ. ΘΕΡΑΠΕΥ-
> ΤΑΙ. ΥΠΕΡ ΤΟΥ. ΔΗΝΟΥ. ΤΩΝ. Α
> ΘΗΝΑΙΩΝ. ΚΑΙ ΤΟΥ. ΔΗΜΟΥ. ΤΩΝ.
> ΡΩΜΑΙΩΝ. ΙΣΙΔΙ ΚΑΙ. ΟΣ. ΣΥΝΙ
> ΔΡΥΣΑΝΤΟ

hoc est: *Cajus Caii Filius Acharnensis Sacerdos factus in Nausii Archontis anno, & Melanophori, & Ministri pro Populo Atheniensium, & Populo Romanorum Isidi, & Osiridi simul dedicarunt*. Profecto si Isidem & Osiridem *Cabiros* diceremus, ludicra nostra videretur exercitatio, totaque res nugatoria esset. Objicient fortasse, quod Apollonius, ubi de Diis *Cabiris* loquitur, Δαίμονας ἐναέτας eos vocet, quæ verba *Deos indigetes*, seu *indicetes* latine sonant. *Indigetes* namque non, ut Grammatici nugantur, ii sunt, qui ex hominibus divi facti sunt, & quasi in Diis agentes, vel nullius indigi, aut qui indigetari debeant, seu invocari, sed proprie ii, qui Græcis quoque ἐγχώειοι, quod *ibi agant*, & *incolant*, dicti fuere. Ita est; hacque appellatione ab Arnobio Deos hosce donatos videmus. Et quamquam Salmasius *Digidios*, seu *Igidios* pro *Indigetes* inibi legendum contendat, id nihil obstare putamus, quod nisi idem, aliud sed ejusdem significationis vocabulum tamen reponat. Quid igitur? An putant eos esse, quos πατρῴες θεὲς, καὶ κατοικιδίες Græci faciunt, & glossæ *Penates*? Hoc tantum evincent, ut & *Penates Deos Magnos*, ita & hos ad honorem *Penates* quoque dictos esse, vel quod inter *Penates* in Tutelares Familiæ solitum fuerit eos adoptari, vel quod alicubi, ut in Samothrace tanquam *Dii Patrii* haberentur, sub quorum tutela esset Insula. Ex his, quæ ex Colloquiis G. L. nondum editis refert in Solinum Salmasius p. 46. sic asserere non dubito: Κύρησι, καὶ Κορύμβασι τιμὴν ἔδοσεν ἵνα θεοὶ κατοικίδιοι λέγωνται; *Curetibus, & Corybantibus*, seu Cabiris, *honorem dedit, ut Dii Penates dicantur &c.* Ac de prima sententia, quod pro mea tenuitate expendi poterat, visum est.

CAP. IV.

Illorum sententia exponitur, & perstringitur, qui asserunt Vulcani *filios* Cabiros *extitisse. Cur* Vulcani *filii ab Antiquis nuncuparentur? Vaillantius notatur, & Seguinus arguitur.*

De tribus autem reliquis opinionibus, ut mihi videtur, latissime patent eæ rationes, quibus ad differendum secus ac alii fecere, in præsentiarum suademur. Si namque prius studiose inquiramus, unde plerisque constet *Vulcani* filios extitisse *Cabiros*, hoc dicent ex Poetarum, & Historicorum placitis probatu facillimum. Siquidem Pherecydes apud Strab. lib. 10. prodidit ex *Cabera Protei Filia, & Vulcano tres esse procreatos Cabiros &c.* & Nonnus lib. 14. v. 19. Dionys. cecinit de hisce Diis:

> Υἱέας Ἡφαίστοιο δύω θώρηξε Καβείρες
> Οὔνομα μητρὸς ἔχοντας ὁμώνυμον.

Idest:

> *Filios Vulcani duos armavit Cabiros*
> *Nomen Matris habentes gentilitium;*

Et infra lib. 29.

> Θρηΐκιης δ' Σάμοιο πυριθενέες ποιῆται
> Λημνιάδος δύο παῖδες ἐβακχεύοντο Καβεῖροι.

Idest:

> *Thraciæ vero Sami igne validi incolæ*
> *Lemniadis duo Filii bacchabantur Cabiri.*

Herodotus autem lib. 3. cap. 4. *Vulcani* Idolum, quod erat Memphi describens, illud simile fuisse tradit Idolis *Cabirorum*, quibus ædes inibi loci quoque sacra habebatur. Dicunt ergo *Cabiros Vulcani* filios, quod Pherecydes & Nonnus tales illos effinxerunt? Jovis quoque filii nuncupati fuere a Poetis Æacus, Minos, & Sarpedon. Num ergo filii Jovis erunt habendi, ubi secus edoceamur, & eos, ut ait Gellius lib. 15. cap. 21. quod præstantissimi essent virtute, ac prudentia Viri, tales appellati fuerint: uti Cyclopes, Cercyon, & Lestrigones, tanquam e mari geniti, Neptuni filii, quod ferocissimi essent, immanes, & alieni ab omni prorsus immanitate? Idem de *Cabiris* potius dicendum, quod ignis usum, atque æris, ferrique fabricam docuerint homines, cum ad Idæ montem in Creta habitarent, quod ait Diodorus lib. 5. ut excellentes in Arte, *Vulcani* filios denominatos, & occasionem inde varia de illis effutiendi desumptam esse a Poetis. Et quidem, ubi stemus a cordatorum virorum partibus, ac Poetarum quorumvis scripta va-

na esse commenta dignoscamus, quid est quod nos impediat ea, quæ certiora, & probabiliora videntur, prudenter sequi, quæve contra improbare? Hærebimus forte, ubi quoque Authores hos inter se non congruere notemus, eorumque unum tres *Cabiros*, duos alterum commemorare? Nonne inde potissimum apparet, utrumque mendacio veritatem infuscasse, ac Genus *Cabirorum*, prout libuit, more Poetarum excogitasse? Sed quid Herodotum indicasse velint, videamus. Sane Idola *Cabirorum Vulcani* Idolis similia fuisse tradit. Eorum ideo Parentem *Vulcanum* asseremus? Et Phœnicios Patæcos, quos ad navium tutelas in earum proris Phœnices circumferebant, fuisse imagini ejusdem *Vulcani* quam simillimos refert l. 5. idem Herodotus. Patæcos igitur Deos Phœnicios, eadem qua *Cabiros* ratione, *Vulcani* filios dicemus? Sed hoc quidem improbatur, quum hæc eorum esset similitudo, forma nimirum, & species utrisque ridicula. Oppositum confirmare dicunt Nummi a Seguino, & Vaillantio vulgati, qui in dextra malleum, unum ex *Cabiris* gerentem exhibent *Vulcani* instar. De hoc nisi testimonium plerique Eruditorum, ad quorum manus ejusmodi nummi venere, perhibuissent, vel imperitorum, vel oculis laborantium commentitiam crederem assertionem; Vaillantius namque in 2. parte Num. Col. latin. pagin. 154. ad Furiæ Tranquillinæ nummum a Carrhenis cusum, notat in postica ejus parte Idolum columnæ impositum, quod quia *Cabirum*, & cum Pherecyde *Vulcani* Filium credidit, in dextra malleum gestantem asseruit, ubi ejus dextra arcum, sinistra galeam, vel quodpiam aliud detineri, mihi per communem Amicum Eruditiss. atque Præstantissimus Vir Justus Fontaninus asseveravit, & cuique Ectypum Inspicienti quam clarissime apparet.



Præterquam quod Carrhenis Mesopotamiæ Lunum potius, quam *Cabirum* cultum fuisse refert inter alios *in Caracalla* Spartianus: *Atque inde Carrhas Luni Dei gratia venisset &c.* Sed malleum gerant, & *Vulcani* Idolis quam simillimi habeantur. Quid inde? Propterea faciendos *Vulcani* Filios? Certe Seguinus Select. Num. cap. 1. num. 7. ad nummum, in cujus altera parte est caput turritum Fœmineum cum epigraphe ΘΕCCΑΛΟΝΙΚΗ, in postica vero imago palliata stans, quæ malleum sinistra gerit cum Inscriptione ΚΑΒΙΡΟC,



hæc habet: *Cogit me malleus iste ab eorum stare partibus, qui Cabiros Vulcano, & Cabera Protei filia genitos nuncupant &c.* Quid si hastatos, & gladio præcinctos nummi exhiberent, nec Nonnus ipse dixisset l. 29.

> *Χειρὶ δὲ λημνιον ἔγχος ὅπερ κάμε πάτριος ἄκμων*
> *Δεξιτερῇ κούφιζεν. ἐπ' ἰσφυόεντι δὲ μηροῖς*
> *Φάσγανον ἠώρησε σελασφόρον.*

hoc est:

> *Manu vero lemniam hastam, quam fabricaverat Paterna Incus,*
> *Dextra elevavit, ingenioso vero femore*
> *Gladium elevavit splendorem ferentem.*

Profecto *Vulcano* posthabito, Alius Deorum, cui non dissimiles habitu viderentur, eos esse prolem autumarent. At Poetarum figmenta, & conjecturantium deliria locum habeant. Qui demum *Dioscoros*, & *Vulcani* filios una dici posse contendent? *Dioscori* sane in monumento supra relato nuncupantur, eamque vocem latine *filios Jovis* sonare Grammaticorum nullus ignorat. Missis iis, qui propter virtutem, & alia *Dioscori*, seu *filii Jovis* vocati sunt, uti Agamemnon, & Menelaus a Stesichoro, Zethus, & Amphion ab Hesychio, Aliique, de quibus jam dictum, ab Eusthatio ad Od. 11. relati, invenio Sponium (quicquid velit Gallandius in sua ad eundem Epistola τὸ Διοσκόρους pro Castoribus accipiens, uti & Amasæus in Pausaniæ versione a Fabretto V. C. notatus) appellationem hanc ad Anubim, & Harpocratem retulisse, licet Plutarchus narret Anubim, & Harpocratem Osiridis filios extitisse. Et Sponium ipse sequor; Osiris namque idem ac Jupiter habitus est. At *Vulcanum*, Gentilium sequuti Theologiam, nullo modo cum Jove ipso confundere possumus, & ex duobus unum affingere Numen, ni cum Phœnicibus *Vulcanum* Διὰ μίχιον, *Jovem* scilicet *Machinatorem*, ut vertit Bochartus Phœnic. lib. 2. cap. 1. πυρῖτεχνίτην vocemus. Effugia ne cessent quærere, & nos hucusque cum ipsis productam disputationem derelinquamus, pergentes ad cætera diluenda.

§. V.

Refertur opinio dicentium Dæmones Δυναμήρυς fuisse Cabiros. *Eadem rejicitur ex Eusebio.*

Rem modo cum illis habemus, qui *Cabiros* Dæmones faciunt, & primos ex tribus μαντικῶν spirituum gradibus, quos δυναμήρυς appellant, *magnos* scilicet, & *potentes*, eo quod magna sit eorum potestas ad efficiendum quod jubentur, ubi sint minis lacessiti excantationum. Huic eorum assertioni suffragari videntur Apollonii Scholiastes in *Pace*, Lycophron v. 77. in Cassandra, & Nonnus Dionys. l. 13. v. 400. qui Dæmonibus *Cabiris* antrum Zerynthum nomine, ubi quoque Canes Hecatæ immolabantur, sacrum fuisse dixerunt. Accedit quoque Porphyrius in libro responsorum, maximum Dæmonum Serapim ait nominari, qui est apud Ægyptius Osiris, & apud Græcos Pluto, Iidem vero esse Proserpinam, & Hecatem; Plutonem autem, & Proserpinam *Cabiros* esse tradit Mnaseas, nomine *Axiocersum*, & *Axiocersam*. Facile ipsis suam confirmare sententiam ex eo, quod non minus ac sacerdotes consueverint adversum Dæmones, ut ait Jamblicus in mysteriis, adversum *Cabiros* quoque eos invocando fecerint ii, qui in periculis versarentur. In Superos autem, ut idem notat contra Porphyrii opinionem, magicæ violentæque voces non dirigantur. Sed contra est quod Eusebius lib. 1.

de præp. Ev. cap. 10. narrat, *Cabiros* scilicet ἐπῳδὰς *incantationes* invenisse. Magos ego potius quam Dæmones dicerem, qui magica & excantationes exercerent, non in quos ea exercerentur, eorum vero mysteriis initiationem nonnisi detestabilem Thurgiæ Disciplinam. De hoc tamen infra.

§. VI.

Num Cabiri *fluxerint ex Physica ratione? Affirmantium sententia reprobatur, ejusque futilitas ostenditur. Varro perpensus.*

Illud expendendum restat, num *Cabiri* ex Physica fluxerint ratione, & sub eorumdem fabulis rerum caussæ involutæ sint ab Antiquis? Hoc utique ex Eusebio l. 3. de præp. Ev. colligitur, scriptum a Porphyrio librum περὶ τῆς ἀλληγορουμένης Ἑλλήνων, καὶ Αἰγυπτίων θεολογίας, *de allegoriis Græcæ, & Ægyptiacæ Theologiæ*, in quo multa ille testimonia producit, quibus Stoicorum more ea quæ de Diis fabulose prodita sunt, ad naturalia referre nitebatur. Julianum quoque in Orat. 5. *ad Deorum Matrem*, audimus dicentem, Antiquos, ubi rerum caussas per longam indagationem adepti fuerint, eas ideo occultasse fabulis, ut ex absurditate ipsa, & incredibilitate, cognita commenti falsitas ad investigationem veritatis acueret. Propterea ipse certe fateor in hanc sententiam Doctissimum Baconium de Verulamio propendisse l. 3. de augmentis scient. c. 13. mysterium scilicet infusum esse veterum fabulis, & Philosophiam secundum parabolas Antiquorum posse comparari. Idem igitur de *Cabiris* opinari incongruum non esset, eoque magis, quod, ut ait Cicero l. 1. de natura Deorum, *Samothraciis* (seu *Cabirorum mysteriis*) *explicatis, & ad rationem revocatis, rerum magis natura cognoscitur quam Deorum &c.* Eos ideo Natalis Comes in sua mythologia p. 982. ventos ex Orpheo interpretatus est, licet namque de Curetibus disserat, iidem tamen ac Dii *Cabiri* Curetes erant, idque ipse Orpheus videtur innuisse, cum cecinit:

> Οἵτε Σαμοθράκην ἱερὴν χθόνα ναιετάοντες
> Κινδύνων θνητῶν ἀπερύκετε ποντοπλανήτων.

hoc est:

> *Qui & Samothraciam sacram terram incolentes,*
> *A periculis mortales Pelago errantes liberatis, &c.*

Illud autem mirandum traditur, *Cabiros*, qui præcipue in Samothracia colebantur, in naufragiis præstantissimos habitos esse ab illis, qui eorum sacris initiati eos invocassent. *Cabiros* itidem cum Mnasea Plutonem, Cererem, & Proserpinam mysticis nominibus appellantes, quidam dixere non aliud quam Terrenam vim, terram ipsam, & frugum substantiam indicasse. Videatur Julius Firm. de errore proph. Relig. cap. 18. Natalis Comes in sua mythologia de Plutone, Cerere &c. Verum ego non a physicis rebus bene atque utiliter inventis tractam fuisse rationem puto ad commentitios, & fictos Deos, quorum omnia traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ & dicta, & credita sunt stultissime, & plena fuere futilitatis, summæque levitatis. Cum Eusebio potius loco citato dicam, quod Juniores Ethnicorum, naturalium rerum scientiam jactantes, violenta quadam interpretatione secreta Naturæ per Theologiam Priscorum significari voluerint, & sic illius monstris erubescentes, ac pauci Antiquitatem, atque consuetudinem facientes, quasi remedia turpitudinis Deorum excogitarint. Et quidem Macrobius cum non posset Christianorum argumentis contra fabulas respondere, eas omnes ad physicas nescio quas nugas torquere conatus est, Græcorum Philosophorum instar, qui cunctas Deorum fabulas in suam sententiam torquebant, credentes summi Numinis veritatem. Fuere Zeno, Cleanthes, & Chrysippus, qui hanc molestiam primi suscepere, & minime necessariam, ut ait Cicero de natura Deorum l. 3. commentitiarum scilicet fabularum reddere rationem, & vocabulorum, cur quidque ita potius, quam aliter appellaretur, caussas explicare. Hæc autem, & alia hujusce generis, licet ita defendere conati sint, ut ii, qui ista finxere, non modo non insani, sed etiam sapientes viderentur; eos tamen in multis hæsisse idem Cicero ibidem comperit, istosque sensus eorum non modo non comprehendere, sedne suspicione quidem attingere potuit. Varro ipse Samothracum seu *Cabirorum* mysteria apud Aug. de Civitate Dei lib. 7. cap. 28. interpretaturus, ea, quæ nec suis nota erant, se scribendo expositurum, eisque missurum quasi Religionem pollicitus est. Dixit autem, se *inibi multis indiciis collegisse in simulacbris aliud significare Cælum, aliud Terram, aliud Exemplar rerum, quas Plato ideas appellat; Cœlum Jovem, Terram Junonem, Ideasque Minervam esse voluit* (Jovem namque, Junonem, & Minervam Deos *Cabiros* extitisse credebat) *Cœlum a quo fiat aliquid, Terram de qua, Exemplar secundum quod idipsum fiat.* Quæ omnia corruunt; ut enim Augustinus ibidem, *Plato tantam vim ideas illas habere dicit, ut secundum eas non cœlum aliquid fecerit, sed etiam cœlum ipsum factum sit.* Jam vero quid laborare juvat in effingendis, enodandisque *Cabirorum* nominibus, & mysteriis, eaque ad Naturalia superstitiose referendo, quum longe aliter rem in fabulis se habere, ac Mythologorum opinio sit, præ nostris quoque & primi Ethnicorum confiteantur. Num censent subtiliore ratione ad vanas hujuscemodi interpretationes refellendas opus esse?

§. VII.

Quales fuerint Cabiri? *Eorum Numerus, & Nomina. Eusebius notatus. Quonam tempore floruerint?*

Itaque aliunde mihi quærendum est ut *Cabiri*, quales fuerint, discere possim, quam quales alii eos esse voluere. Videamus quæ l. 10. in *Phocicis* de celebratis per Amphissenses sacris initiis tradit Pausanias. Hæc ille: Ἄγουσι δὲ καὶ τελετὴν οἱ Ἀμφισσεῖς Ἀνάκτων καλουμένων παίδων· οἵτινες δὲ θεῶν εἰσιν οἱ Ἄνακτες παῖδες, οὐ κατὰ ταυτά ἐστιν εἰρημένον. Ἀλλὰ οἱ μὲν εἶναι Διοσκόρους, οἱ δὲ Κούρητας, οἱ δὲ πλέον τι ἐπίστασθαι νομίζοντες, Καβείρους λέγουσι &c. id. *Initia quoque celebrant Amphissenses, quæ Anactum puerorum appellant; Quinam Dii sint Anactes, variat hominum opinio. Alii Dioscoros, Curetes alii, qui plus intelligendo se assequutos putant, censent esse Cabiros, &c.* Quid modo l. 3. de natura Deorum dicat Cicero audiamus: Διόσκοροι *etiam apud Græcos multis modis nominantur: Primi tres qui appellantur Anactes, Athenis ex Jove Rege antiquissimo, & Proserpina nati, Tricopatreus, Eubuleus, & Dionysius &c.* His præhabitis ad rem nostram veniamus. Quod *Cabiri* Dioscororum Epi-

rheto donati fuerint nemo ibit inficias, ubi quæ supra diximus meminerit, & ea quæ Fabrettus ad Columnam Trajanam habet pererudita, potissimum vero ex Sanchon. qui ait apud Eusebium lib. 1. c. 7. præp. Ev. ἐκ τοῦ Συδὺκ Διόσκοροι ἢ Κάβειροι, ἢ Κορύβαντες, ἢ Σαμοθρᾶκες, &c. id. *Ex Sydic Dioscori, seu Cabiri, seu Corybantes, Samothraces orti sunt &c.* Plutarchus in *Theseo* ἄνακτας dictos ait Castorem, & Pollucem, quod Aphidnis captis Athenas cum pacato exercitu venerint, nihilque aliud quam Eleusiniis imbui desiderarint, sollicitudinem autem, & curam, ne quis tanto admisso in Urbem exercitu quicquam mali pateretur, habuerint. Qui namque curam, custodiamque habent, ἀνακῶς ἔχειν dicuntur. Quod *Cabiri* quoque *Anactes* essent, ex iis, quæ habet Clemens Alex. in Protreptico p. 12. quam latissime patet; sacerdotes namque Corybantum seu *Cabirorum* Ανακτοτελέστας, sive *Anactum Sacerdotes*, ab iis, quibus curæ vocare est, vocatos tradit. Hæc omnia tamen præ aliis solus poterat nos Orpheus edocere, cum cecinit:

> Κυρῆτες, κορύβαντες ἀνάκτορες, δυνατοί τε,
> Ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἄνακτες, ὁμοῦ Διόσκοροι αὐτοί.

hoc est:

> *Curetes, Corybantes, Regia proles, & valde potentes,*
> *Reges in Samothracia Anactes, simul & ipsi Dioscori, &c.*

Cabiros ergo tres asserere *Tricopatreum*, *Eubuleum*, & *Dionysium* nihil dubito, quod primo *Dioscori*, & *Anactes* ii vocarentur, præterea quod tres numero extitisse *Cabiros*, eorumque tertium nomine *Dionysium* idem Clemens Alex. ibidem commemoret. Conveniunt quæ scripsit Pausanias quoque in Laconicis prope finem libri, ubi de Brasiis Eleuthero-Laconum Oppido loquitur: Καὶ ἐπ' αὐτῇ χαλκοῖ ποδιαῖοι ἑστήκασιν οὐ μείζονες πίλους ἐπὶ ταῖς κεφαλαῖς ἔχοντες· οὐκ οἶδα ἢ Διοσκούρους σφᾶς, ἢ Κορύβαντας νομίζουσι. Τρεῖς δ' οὖν εἰσί. Id. *In eo sigilla pileata videntur nihilo pedalibus majora, an Dioscurum, an Corybantum ea nominibus sanxerint, non facile dixerim. Tria certe sunt &c.* Id Tertullianus c. 8. de spectaculis confirmare videtur, hæc tradens: *Tres autem aræ trinis Diis patent* (in circo scilicet Romano) *magnis, potentibus: eosdem Samothraces existimant.* Ipse Varro etsi lib. 4. de l.l. duos tantum illos agnoscat, cœlum, terramque interpretatus, attamen apud Aug. de Civit. Dei l. 7. cap. 28. tres fuisse consentit. Eusebius lib. 2. cap. 5. quinque videtur fecisse *Cabiros*, cum illis nomina fuisse dixerit Baubonem, Dysaulem, Triptolemum, Eumolpum, & Eubulum, sed ex Clementis Proptreptico rem ille transcribens, Orgia Corybantum, seu *Cabirorum* cum Cereris Orgiis confudit, ac Terrigenas, seu Terræ filios pro Dioscoris, & Jovis filiis accepit. Præterquam quod quinarius hic numerus cum iis, quæ dixerat, *tertium* nempe *ab his*, *Cabiris* scilicet, *fratrem interemptum asserunt &c.* pugnare aperte dignoscimus. Si quæratur de illorum temporibus, Isaaci tempore, proximis ante, vel post Ogygis diluvium sæculis floruisse, & orbem pervagatos esse, autumarem cum Doctiss. Kippingo Antiquit. Rom. l. 1. c. 3. n. 8. nec absque ratione, quum Argonautæ *Cabirorum* sacris multum temporis ante jam institutis, in Samothraces Insula initiati sint, ut infra videbimus, eorumque in Colchidem expeditio post Ogygium diluvium Ann. M. 2678. juxta Chronologiam Besoldianam, cui adstipulari non recuso, contigerit.

§. VIII.

Magica, & Incantationes Cabiros *exercuisse conjectatur. Iidem ac* Telchines. Tabes Telchinodica. *Qua de caussa* Corybantes *appellati sint?* Magni, *ac* Potentes *dicti, & cur?*

CAbiros magica, & Incantationes excoluisse elicimus ex Eusebio loco citato. Præterea si eosdem ac *Telchines* fuisse illos dicamus, uti & quidam apud Strab. l. 10. non alios quam maleficum genus hominum, præstigiis deditum, & solo adspectu omnia effascinantes fateamur quoque necesse est. Eos autem fascinatores fuisse ferunt, & maleficos, quod stygiam aquam animalibus, & stirpibus perniciei gratia inspergerent, unde calamitates, fames, & pestes consequerentur; cujus sententiæ fuisse legimus Tzetzem hist. 113. Innuit idem l. 6. de fabulosis antiquorum gestis Diodorus, cum ait: *Incantatores etiam volunt eos fuisse, & tanquam magos nubes, nimbos, grandinem, nivemque inducere, ac mutare proprias formas, quum vellent, solitos &c.* Ab his invidos, & fascinatores vulgo *Telchines* dictos ajunt Gregorius Nazianzenus, & Synesius; Gregorio autem Palamæ *Tabes Telchinodica* idem est, ac Tabes vultu fascinante, & insidiose blando illata. Id quoque probatur ut puto ex prænomine illis tributo *Corybantum* ἀπὸ τοῦ Κορυβαντιᾶν, quod est *insanire, furiis agitari, vel numine inspirari*; ii namque, ut ait Strabo l. 10. sacro correpti furore capita in saltando jactabant, aliosque in similem rabiem agebant. Magorum autem, & Hariolorum quis non novit hujus generis potissimas esse affectiones? Profecto eæ non sunt nisi quædam Dæmonum participatio, quidquid illas vocarint Gentiles; Honeste namque & speciose loquentes pro libitu suo vocabula in diversum finxere, & hoc quod est a Dæmonibus agitari, Enthusiasma appellavere, ut diserte innuit Greg. Nazianz. Orat. 3. advers. Jul. *Magnos* ideo crederem dictos esse, ac *potentes*, non ex eo quod Fratrem occiderint, uti videbimus, quomodo magnum, & potentem Cainum vocatum a Caineis apud Tertullianum cap. 47. adv. Hæret. refertur, quasi quadam virtute potenti conceptum, quæ in ipso operata sit super Abel; sed ex eo, quod terribilia, & miranda facientes simplicium animos ad magnam de se ipsis opinionem concipiendam captarint. Conveniunt quæ habet Diodorus l. 6. de fabulosis Antiq. gestis, ubi de Idæis Dactylis, seu *Cabiris* ita loquitur: *In Samothracia vero magnam sui admirationem Incolis præbuere.* Ita de Simone Mago in Act. Ap. cap. 8. nobis legendum se offert, qui se *magnum* prædicabat, & cui Samariæ Gens propterea quod eam multo tempore magiis suis dementasset, auscultabat dicens: *Hæc est Virtus Dei, quæ vocatur magna.* Admonet & Gamaliel Judaicæ legis Doctor ibidem cap. 5. extitisse *Thodam quemdam dicentem se esse aliquem*, addit Græcus *magnum*, cui & consensit virorum numerus circiter quadringentorum. Apud Scandianos quoque similiter Magis illis evenit, quos Snorro in Annalibus Norveg. pag. 238. illuc immigrasse narrat ex Asia, ac inter quos *Thor* nomine vocatum quendam recenset ab Assyrio *Thur* vel *Thurra*, quod *potentem* significat. Et quidem Gigantes qui a Mose *baghiborim* hoc est *potentes* dicti sunt Genes. 6. *hanephelim* quoque vocantur, eamque vocem *magos*, & *incantatores* designare Hornius histor. Philos. lib. 1. cap. 9. ut probabile docet. Balaam namque Numer. 24. 4. eadem prorsus appellatio tribuitur, quem Gigantem nemo dixit,

magum autem, & hariolum fuisse apertissime constat. Notandum hic censeo in apocrypho Enochi libro, cujus fragmenta Georgius Syncellus p. 12. servavit, inter Εγρηγόρυς, sive mulierosos Angelos, qui ante diluvium homines artibus instituisse dicuntur, Pharmacum quemdam recenseri, qui docuit veneficia, incantationes, & incantationum remedia. Si hæc essent fide digna, satis constaret de magia Antediluviana, indeque de caussa cur *baghiborim* seu *potentes* nuncuparentur Gigantes.

§. IX.

Primi edocuere Cabiri *in Græcia, & alibi Deorum Cultus, ac mysteria. Ubi prius ea docuerint?*

AC ne alienum quidem esset ad sententiam meam probandam commemorare, quod *Cabiri* Deorum, seu Dæmonum cultum docuerint homines, quibusve cogerentur, quibus gauderent, quibus illigarentur, & quæ illis offerenda essent, quales quoque simulachrorum figuræ esse deberent; Unde namque quam a Magicæ Artis inventore Dæmone, vel homine perito hæc alii discere potuissent? Ex primis igitur eos extitisse, qui in Græcia, & alibi Deorum cultum Gentes docuerint, apud Orpheum notatur, qui cecinit:

Υμεῖς ἤ: Τελετὼ πρῶτοι μερόπεσσιν ἔθεθε ἀθάνατοι Κυρῆτες &c.

hoc est:

Vos & primi mysteria Gentes edocuistis immortales Curetes, &c.

hæc vero eadem fuisse, ac Cereris mysteria, ritibus ex Ægypto translatis, non contemnendam nobis rationem Pausanias ministrat in Bœoticis, cum prodit quemdam Lucum *Cereris* cognomento *Cabiriæ*, a Dirce quinque ferme, & viginti stadiis distasse. Ab eo namque *Cabiriam* dictam Cererem apparet, quod Religionem ejus, *Cabiri* illuc loci transtulerint, vel quod Fanum illi suo nomine sacrarint, uti Venerem Καλλίπυγον Syracusis, quod ipsi Puellæ quædam, Καλλίπυγοι a *pulchris natibus* nuncupatæ ædem construxissent, referente Athenæo in fine lib. 12. & Jovem *Atabyrium, Laprium, Molionem* &c. ut ait Lactantius l. 1. cap. 22. de falsa Religione, ab Atabyro, Laprio, Molione &c. qui Jovi ædes dedicarunt, proprio nomine, ut se quoque perpetuos facerent, cum religione illud conjungentes. Cum tamen Cretenses Jovis incunabula jactent, & uti videre est apud Diodorum l. 5. divinos honores, & mysteriorum ritus ex Creta ad homines alios, Græcos nempe pervenisse, non absimile est, quod Cretenses Græcorum primi a *Cabiris* Deorum cultum, ac mysteriorum ritus didicerint. Et sane ut Marshamus ad sæculum x. arguit, mysteria Jovis in Creta edita fuere prius, quam Cereris in Eleusine. Sed quod antea Samothraciam appulsi fuerint, ibique docuerint initiationes, & mysteria, volunt quidam apud Diodorum de fabulosis Antiquor. gestis lib. 6. Hinc in Rhodum, ubi ex fabula de Neptuno a *Telchinibus* educato, sacra illos inibi Neptuno instituisse conjecto, forte ut in alia loca immigrarunt. Inde est, quod Orat. 3. contra Jul. Gregorius Nazianzenus existimat Religionem a Thracibus derivatam, & θρησκεύειν, hoc est *Deo servire*, παρὰ τῶν θρηκίων deduci. Ex iis, quæ de Curetibus ait Istrus in collectione Creticorum Sacrificiorum apud Porphyrium lib. 2. περὶ τῆς ἀποχῆς ἐμψύχων, *de abstinentia ab animatis*, patet illos quoque feralem sacrificandi ritum Παιδοθυσίαν in Græciam transtulisse, Deorum nempe altaria, quorum cultum instituebant, puerorum cruore polluentes.

§. X.

Cabiros *ut Deos habitos asseritur. Hujusce eorum venerationis ratio. Varia inde illos sortitos esse nomina ostenditur, ex varietate locorum, in quibus degebant, aut colebantur, ut* Dactylorum, Curetum, Anactum, &c.

QUod ut Dii & ipsi culti fuerint, ex eo arguere licet, quod alibi quoque locorum Magorum plurimos consecratos fuisse a Gentibus comperiamus; uti Zoroaster a Persis, de quo in hunc modum scribit Gregorius Turonensis l. 1. Histor. franc. c. 5. *Primogenitus* (Noachi) *Cham Chus; hic fuit totius Artis Magicæ innuente Diabolo, & primus Idololatriæ Inventor, hic primus statunculam adorandam Diaboli instigatione constituit, qui & stellas, & ignem de Cœlo cadere falsa virtute hominibus ostendebat. Hic ad Persas transiit; Hunc Persæ vocitavere Zoroastrem, idest viventem Stellam. Ab hoc enim ignem adorare consueti, ipsum divinitus igne consumptum ut Deum colunt*; Apud Locenium quoque Antiquit. Sveco-Goth. cap. 3. & apud Ericum Upsal. l. 1. Histor. Svec. legimus Odinum, & Frejam uxorem ejus a Populis Aquilonaribus magica ea stupentibus, quæ perpetrabant, fuisse superstitiose divino donatos cultu. Quid Olaus Vvormius in hanc rem dixerit, diligenter attendamus. Ille Mon. Dan. l. 1. cap. 4. hæc habet ex Saxone Gram. *Olim quidam Magicæ Artis imbuti Thor videlicet, & Othinus, Aliique complures miranda præstigiorum Machinatione callentes, obtentis simplicium animis divinitatis fastigium sibi arrogare cœperunt. Quippe Norvegiam, Sveciam, & Daniam vanissimæ credulitatis laqueis circumventas, ad cultum sibi pendendi studium concitantes, præcipuo suæ ludificationis contagio resperserunt. Adeo namque fallaciæ eorum effectus percrebuit, ut in ipsis cœteri quamdam Numinum potentiam venerantes, veneficiorum solemnia vota dependerent, & errori sacrilego respectum Sacris debitum exhiberent, &c.* Ex varietate tamen locorum in quibus illi degebant, vel colebantur, diversa eos nomina sortitos opinor. *Dactyli* namque, seu *Digiti Idæi* potius, ut apud Cic. de natura Deorum ex veteribus libris eruditissimi Viri scriptum esse observarunt, teste Salmasio Plinian. Exercit. p. 46. in Solinum, ex eo dicti, vel quod in Ida Phrygiæ monte habitarint, vel quod inibi ædem sibi sacram habuerint, & loci illius tanquam Dii colerentur indigetes; Aut melius quod primi fuerint Cretæ ad montem Idam Incolæ, ibique religionis initia statuentes mysteria Jovialia Cretenses docuerint, unde fabellæ origo de Jove ab *Idæis Dactylis*, seu *Cabiris* enutrito. *Curetes* unde dicti non constat, cujus caussa est, ut ait Strabo lib. 10. quod triplices essent *Curetes* Ætholici, Phrygii, & Cretici. Ego tamen ut Ætolicos, qui Chalcidem inhabitarunt, dictos esse ἀπὸ τῆς χυρᾶς, hoc est a *Tonsura* censerem, quod forte Chalcidem & ipsi aliquando incoluerint, Ætholicorum autem moribus se accommodarint, nomenque retinuerint inde deductum. *Anactum* denominationem ex *Inacho*, cujus nihil vetustius in Græcia sortitos esse opinatur Tanaquillus Faber Vir Doctissimus in

notis ad Bibliothecam Apollodori: *Originis externæ*, inquit, *fuisse Inachum vel ipsum per se nomen satis indicat; neque enim Inachus aliud fuit, quam Anach, seu Enach, unde* Ἄναξ, *&* Ἄνακτες *in veteri Græcia; quæ vox, ut e Poetarum scriptis certum est, Deum, & Deos significavit*. De nominis etymologia plura habet in suo Compendio Historiæ Universalis Epocha 3. Jo: Clericus a Bocharto Chan. l. 1. c. 1. ea mutuatus, quæ hic loci non referuntur, quod jam supradicta nobis magis arrideant, *Anactum* scilicet nomen ἀπὸ τῦ ἀναθῶς ἔχειν deductum esse, vanumque videatur negotium derivare illud aliunde, & ejus notitiam originis, quam Græca suppeditat, ab externa lingua emendicare. Ἄνακτες igitur quasi Præsides vocabantur ex eo quod immunitatem a terroribus, perpetuamque securitatem iis, qui eorum sacris initiabantur, præstitisse crederentur. Atque hoc est, quod Apollonius dicit, Argonautas Orphei præcepto ad Insulam Electræ (sic Samothraces Insula vocabatur) adnavigasse, ut discentes inviolabiles initiorum leges, tutiores, incolumioresque deinde mare pernavigarent. Quare *Corybantes* nuncupati fuerint, cum jam supra dictum sit, repetere vanum esse putamus.

§. XI.

Cabirorum *appellationis origo inquiritur. Hornii sententia refertur, non probatur.* Ἀπὸ τῦ Chaber *Hebræorum, quod Incantator interpretatur, ejus derivatio asseritur.*

De *Cabirorum* appellationis origine apta quædam, ut arbitror ad id quod requirimus, & quæ aliis dicta non sunt, mihi referenda videntur, missis tamen multis quæ plerique opinati sunt, ut Bochartus, Huetius &c. quæve si brevitati consulamus, enumerandi tempus non est. Hornium quondam sequutus ἀπὸ τῦ *Gbiborim* Hebræorum, quod *potentes* significat, *Cabirorum* appellationem deduxeram; quippe qui θεοὶ δυνατοὶ in Samothrace, εὐδυνατοὶ apud Orpheum, & *divipotes* in Augurum libris denominarentur, eos vero Genes. 6. v. 4. ita Moyses vocaverit, qui potentia, & honore ubique Terrarum celeberrimi essent: *Hagbiborim ascet mebolam ansce hascem &c.* quæ ita reddit Vulgata: *ii sunt Potentes a sæculo Viri famosi &c.* ut & Nemrod cap. 10. vers. 8. *Porro Chus genuit Nemrod; ipse cæpit esse Ghibor*, id est, *potens in Terra &c.* In hanc autem veneram opinionem, quod non insuetatum noverim *Gbimel* Hebræorum in *Kappa* Græcis mutari, uti a *Gamal* seu Syro *Gamala* suum ipsi Κάμηλον, Latini *Camellum* fecere. Modo tamen ubi eorumdem Hebræorum τὸ *Chabar* recordatus sum, licet hanc haud sciam an alii sint probaturi sententiam, dicere non dubito quod sentio, a *Chober* scilicet, quod *incantator* interpretatur, ortum habuisse *Cabirorum* nomen. Locus est Deuteronomii 18. 11. *Vechober*, *Chaber*, quod vertit vulgata *Incantator*, hancque versionem confirmant Septuaginta: Φαρμακὸς ἐπαόιδων ἐπαοιδὼ, *Veneficus incantans incantationes*. Et recte: Incantatores enim, ut notat Martinus Delrius D. M. lib. 4. cap. 2. q. 7. sect. 3. a *Chabar* quod significat *se sociare*, Genes. 14. 3. *Omnes ii Chaboru*, idest *convenerunt, sociaverunt se in valle sylvestri &c.* vocantur *Chabarim*, quasi *socii*, nempe Dæmonum, quibus se pacto, seu fœdere inito conjunguntur. Magos autem, & Incantatores extitisse *Cabiros* probatum est; ni potius dicamus ex eo sic dictos, quod se improbando fastu Diis suis, ut & Chami Posteritas, se sociarint, ac imperitioribus persuaderent nisi sint, se Deos extitisse, qui humana incederent in Terris forma. Et licet τὸ *Cheth* in C. nunquam a Latinis immutandum contendant, quod litteræ unius organi in alterius organi litteras mutari non soleant, & C. τῦ *Kaph* respondeat, quod alterius est organi ac τὸ *Cheth*; nihilominus quum mutatum legerim τὸ *Cheth* in G. ut quod *Chelbana* Hebræis *Galbanum* dictum Latinis, τὸ *Cheth* autem ejusdem organi non sit ac τὸ *Gbimel* G. Latinorum respondens, plane censeo, quod Latini minime valentes τὸ *Cheth* spiritum nimis densum exprimere, pro *Chabiros Gabiros* dixerint, indeque cum Antiquis C. & G. indifferenter usurparentur, ut notarunt Grammatici, *Cabiros*, leni non aspera pronunciatione vocarint, qui *Ghabiri*, seu *Chabiri* dicendi fuissent. Hujusmodi autem assertionem etiam apud Græcos nullus improbabit, ubi attenderit, quod Venus Saracenorum, quæ χαβὰρ Euthymio Zigabeno in Panoplia vocatur, a Georgio Cedreno in Chronicis, quo loco vitam Muhammedis describit Κυβὰρ, τῷ X. in K. immutato, appellata sit.

§. XII.

Mysterium Cabirorum *quale fuerit, ac eorum sacris Initiatio? Ea non aliud, quam Thurgiæ Disciplina. Probatio asserti varie tentatur.*

Videamus nunc quæ ad eorum mysteria, sacrisve initiationem attinere possint. Mysteria apud nos appellantur, quæ in maximis festis peraguntur, & eorum quantum licet cum metu, ac reverentia explicatio, quia hæc mystica sunt, nec apud Vulgus efferenda, & quia ab his quibus hæc traduntur, danda sit opera, ut sensus suos velut claudentes, ac supra omnes res corporeas rerum species attingentes, supernas illuminationes excipiant; sed apud Gentes ea mysteria videntur appellata, quæ in festis apud ipsas peragebantur, eorumque explicationes ob turpitudinem qua scatebant, & quia lege cautum erat, ne quis hæc nisi iis, qui horum fœditatis, & contumeliæ participes extitissent, patefaceret, ut ait Elias ad Orat. 3. Nazianzeni adversus Jul. Mysterium igitur *Cabiricum*, quod tantopere arcanum esse voluere, præter Clem. Alex. loco citato, & Eusebium l. 2. cap. 5. Arnobius parricidium esse prodit lib. 5. *Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur: Frater trucidatur a fratribus*; Ideoque eorum Sacerdotes apium cum totis radicibus prohibebant in mensis apponi, putantes ex *Corybantico*, qui fluxit sanguine ortum habuisse: cædis quoque rei ad hos confugiebant, ut lustrarentur, teste Hesychio: Ἱερεὺς Καβείρων ὁ καθαίρων φονέα, *Sacerdos Cabirorum homicidam lustrans*. Hæc quoad mysterium delibasse sit satis; quod enim de *Cabiris* loqueretur Arnobius, ea, quæ habet citatus Clem. Alex. evincunt: *Cabiros autem cum Corybantas appellant mortem quoque Cabiricam annunciant &c.* Quoad initiationem Robinsonus lib. 5. Annal Mundi §. 47. ex Plat. Eutyd. notavit mysteriis initiandos *Cabirorum*, collocatos in solio, aliis interea mystis agitantibus in circulo Choreas, ac ejusmodi ritum θρονισμὸν, & θρόνωσιν dictum fuisse. De hisce initiationibus intellexit Dion Chrysostomus cum dixit Orat. 12. καθάπερ εἰώθασιν ἐν τῷ καλυμένῳ θρονισμῷ καθίσαντες τὺς μυυμένυς οἱ τελοῦντες κύκλῳ περιχορεύειν. Hujusce autem collocationis in solio ritum ab Orpheo, seu Nicia Eleate, ut alii volunt, descriptum, & Poema θρονισμὸς inscriptum nomine, ait Suidas in Ὀρφεύς, ubi ejus opera recenset. Eosdem quoque fascia pur-

purpurea ventrem circumligasse prodit Scholiastes Apollonii l. 1. ubi de his mysteriis agit: *περὶ τὴν κοιλίαν οἱ μεμυημένοι ταινίας ἅπτωσι πορφύρας*. Additque Proclus in Plat. de Rep. caput oleæ germine coronasse. Quum tamen inter initiorum cæremonias, quam maxime necessariæ haberentur ex veterum consuetudine lustrationes, uti earum primam, cædis scilicet expiationem in usu habitam fuisse testatur Hesychius citatus, ita & alteram servatam conjecto, purificationem nempe, quæ cum incantationibus, salibus, hordeo, Lauro, mari & transitione per ignem fieri solebat, ut Procopius Gazæus ait in Deuteronom. De purificationibus Græcanicis; multa namque erat Religionum congruentia, & *Cabirorum* ut & aliorum Deorum mysteriis initiati justiores, & sanctiores fieri putabantur. Quo errore occæcatos Jasonem, Orpheum, Herculem, Castorem, & Pollucem, & Heroum plerosque tradit Diodorus l. 5. Imo & Alexandri parentem Philippum una cum Olympiade in Samothracia sacris *Cabirorum* initiatum legitur apud Plutarchum in Alex. quo nomine apud Q. Curtium lib. 8. ab ipso carpitur Alexandro, sive quod opportunum rei gerendæ tempus inanis Religio abstulisset, sive quod ea ætate hæc otiosus egisset, qua maximas ipse res in Asia gesserat, ut notavit in eumdem Q. Curtii locum Cl. Michael le Tellier. Pueros quoque more Atheniensium a certo tempore initiatos in Samothracia notavit ex Apollodoro Donatus in Terentii act. 1. sc. 1. Phormionis:

Ferietur alio munere, ubi Hera pepererit:
Porro autem alio, ubi erit Puero natalis dies:
Ubi initiabunt, &c.

Cæterum quoad ea, quæ dixi superius, initiationem hanc nihil aliud quam meram Thurgiæ disciplinam fuisse, vel ex eo constaret, quod initiandi forte in caliginosum illud Antrum *Zerinthum* nomine descenderent, sacrum *Cabiris*, uti & de Pythagora sacris Jovialibus in Creta initiato traditur in ejus vita a Porphyrio: eum nempe *in antrum Idæum descendisse Jovi sacrum*, *εἰς δέ τε Ιδαῖων καλὺμενον ἄντρον καταβὰς*, &c. vel ex eo quod Apulejus l. 2. Metam. prope finem de seipso initiato scribat: *Accessi Consilium mortis, & calcato Proserpinæ limine per omnia vectus elementa remeavi, Deos inferos, & superos accessi coram, & adoravi de proximo: Nocte media vidi solem, &c.* Accedit, quod sine incantationibus formarumque monstruosarum, atque terribilium, ut Clemens Alex. in Protreptico inquit, ea *Cabiri* operarentur. Item quod ab initiatis deinceps celebrarentur sacra quædam, quæ *ἀλεξιφάρμακα κινδυνίων τινῶν* dicebantur; periculis enim circumventi *Cabiros* ut sibi adparerent, & adessent adjutores, invocabant. Imo Plutarchus in libello de perfect. Virt. &c. prodit ad avverruncandos terrores *τῶν Ιδαίων δακτύλων*, *Idæorum Dactylorum*, seu *Cabirorum* sola nomina sigillatim recitasse nonnullos, de quo vid. Calcagninus Dialog. *Equitatio*. Ideo ab Orpheo, quem Samothraciis religionibus imbutum diximus, fingitur Euridicem ex inferis revocatam, quod de vita periclitantem incantationibus, quas noverat, hanc ille revocaverit ad vitam, ut probat Tzetzes Chil. 1. hist. 54. v. 852. Quæ omnia Thurgiam sapiunt, & *Δαιμονοθύταις* familiaria esse non ignoramus. Huc spectare videtur quoque illud Lucretii lib. 6. de natura Rerum,

— *Etiam Samothracia ferrea vidi &c.*

Quæ rejectis Grammaticorum sententiis non de ferreis Samothracum Idolis Turnebus Adversf. l. 20. cap. 2. interpretatur, sed de annulis aureis quibusdam, at ferreis dictis, quod iis ferrum esset loco gemmæ, ut ait Plinius l. 33. cap. 1. Et Isidorus l. 9. c. 13. Audiamus ea, quæ de quodam spiritu aquatico *Neccer* nomine refert Loccenius Antiq. Sveo-Goth. cap. 3. *Hunc*, ait ille, *ex prisca superstitione Vulgus rude*, Svecorum scilicet, *adhuc metuit, & natantes ab eo sibi cavere, atque frustulo Chalybis se contra eum præmunire monet &c.* Sed Samothracum sacris imbutos a naufragiis fuisse prorsus immunes tradunt Antiqui; eos itaque hujuscemodi annulis ad tempestatum evitanda pericula, uti & Svecos ex Magorum suorum disciplina, & veteri consuetudine, *frustulo Chalybis* contra *Neccer*, superstitiose usos esse probabile censeo. Vide quæ de hisce annulis habet Pinedus in Comment. ad Stephanum de Urbibus in verbo *Samothrace*. Dici posset ejus generis eos fuisse, cujus & illi fuere, quos Jarchas Brachmanus tradidit Apollonio Tyaneo, ut ait Philostratus lib. 3. cap. 13. magicos nempe, & certa cœli constitutione fabrefactos, rituque sacratos magico, ad mare aliquamdiu tranquillum efficiendum, ventosque sedandos, uti & Talismanicas imagines, quas sub signo Piscium confectas, & in Navium proris constitutas Gaffarellus Curiosit. inaud. cap. 6. num. 5. id potuisse præstare notavit, nodosque trinos Finonum, & Lapponum, de quibus Olaus Magnus lib. 3. cap. 6. miranda recenset. Hac occasione referre placet quæ Jonas Arngrimus Crymogeæ suæ lib. 1. cap. 7. apud Olaum Vvormium narrat, in arca scilicet Deorum septentrionalium annulum asservatum argenteum, vel ex orichalco unc. XX. quem forensi aliquo munere fungentes, jusjurandum jam præstituri, victimarum illinitum cruore religiose inter Jurandum contrectabant. Num ad hunc usum, vel similem potius *Annuli ferrei* Samothracum essent inventi, alii dispiciant; satis ea sunto, quæ mihi in re tam obscura divinare negotium fuit.

§. XIII.

Quo ritu Cabiris *sacra fierent, & quando? Eorum Sacerdos* Koes *appellatus.*

Quemadmodum, & quo ritu sacra ipsis *Cabiris* peragerentur difficile est in tanta temporum vetustate, & scriptorum religioso silentio aperire. Quare mihi a curiosis esto venia, si quæ nesciantur non exquirens, hoc tantum notaverim, digna certe fuisse tenebris, cum nocte fierent, ut ait Cicer. lib. 2. de Natura Deorum, ideoque non minus ac Eleusinia probri, ac dedecoris plena. Quod quidem ex iis, quæ duo *Cabiri* fratricidæ colenda *Τυῤῥηνοῖς Hetruscis* commendarunt, cista nempe, & Dionysii fratris interempti imposito in ea pudendo, ut ait Clem. Alex. in Protrept. quam bene probari posset, ut & ex iis, quæ de statuis erecta virilia habentibus in Samothraciæ mysteriis sacro sermone declarabantur, ut scribit Herodotus lib. 2. cap. 51. De eorum Sacerdote hoc habemus ex Hesychio *Koen* appellatum fuisse: *Κοίης Ιερεὺς Καβείρων*, *Koes Sacerdos Cabirorum*; Ad quæ Bochartus lib. 1. de Col. Phœn. *Koben* Ebraice *Sacerdos*, *κοίης* unde verbum *κοιᾶσθαι*, quod idem est ac *ἱερᾶσθαι*, idest *sacerdotio fungi*.

§. XIV.

Idola Cabirorum *cur* malleum *gestarent? In recentiorum sententiam non conceditur*. Malleus *loco sceptri* Thorri *Idolo Norvegico datus*. Mallei Joviales, *& eorum usus apud Septentrionales*. *Caussa insigniendi* mallei *gestatione* Cabiros *aperitur*. *Subinde nova tentatur, non probatur perquisitio*.

HActenus *de Cabiris*, de eorum numero, ætate, Religione, de appellationibus, consecratione, mysteriis, eorumque sacris Initiatione, de Idolis nunc, ac de locis, ubi eorum sacra celebrata fuere, quædam adjicere placet, antequam ad finem deveniam. Et primo cur *malleum* Idola *Cabirorum* gestarent, (quod difficile videtur ubi in recentiorum sententiam non concedamus) rationem, qualiscumque ea sit, non adeo improbandam produco. Notandum est igitur, *malleum* non fabris ferrariis, & Vulcano tantum, uti ex nummis apparet, sed aliis quoque præ Fabris & Vulcano gestatum esse; refert siquidem Olaus Vvormius Mon. Dan. lib. 1. cap. 4. ex Olai Crassi Historia, statuam *Thorri*, quam cum sociis venerabatur Dala Gultrandus, sceptri loco *malleum* manibus tenuisse. Huic autem Idolo *malleum* sceptri loco ideo forte datum fuisse dicerem, quod inusitati ponderis *malleos*, quos *Joviales* vocabant, ingenti ære complexos, magnaque cultos religione ad eum usum septentrionales habuerint, *ut per eos tanquam per Claudiana tonitrua, & per usitatam rerum similitudinem Cœli fragores, (quos malleis cieri credebant) exprimerent, tantique sonitus vim* (Olai Magni Hist. sept. l. 3 cap. 8. verba sunt) *fabrilium specie imitantes, Deorum suorum bellis sic adesse religiosum existimarent, ac ipsis opem ferre, quos concitato in nubibus fragore ab aliis oppugnari putabant, &c.* Ac is quidem *Jovialium Malleorum* usus usque ad An. a Christo nato 1030. docente Olao Magno perseverabat, cum Magnus Gothorum Rex Christianæ disciplinæ studio paganam superstitionem perosus, & Phanum cultu, & *Thorrum* insignibus spoliare sanctitatis loco habuit. Modo res nostra ab hoc *Jovialium malleorum* usu lumen suum mutuetur. Eamdem igitur afferam extitisse occasionem, & originem insigniendi *mallei* gestatione *Cabirorum* Idola. Quid enim ærea Curetum arma, quid sonitus, ac strepitus percussionum, quidve Jovem a Saturni insidiis servatum esse dicemus? Profecto tanta est rerum congruentia, ut nil aliud, quam *Cabiros* quoque, ubi Deorum, seu Dæmonum cultum in Græcia, & alibi docerent, eosdem prorsus ritus, & superstitiones easdem docuisse arguatur. Quæ vero ubi *Cabirorum* disciplina sati accepissent, puerilibus fabulis ad sua tempora, & coævos sibi homines accommodatis implicuerunt, novaque semper, uti & in aliis, figmentorum accessione veritatem Poetæ occultarunt, ut Gentibus sacrilegium tanquam sacrum aliquod venditarent. An collimaverim, videant alii. *Malleum* forte gestasse *Cabirorum* Idola, ut & Idolum Vulcani videbatur, quod ut huic ad æris, ferrique fabricam, ita illis ad simulachrorum efformationem, non minus ac scalprum, *malleus* quoque adhiberetur; statuarii namque, ut etiam notavit Bullengerus de Pictura, & Statuaria l. 2. c. 13. ubi de ferramentis sculptoriis agit, *in primis utuntur marculo, seu tudite, & Malleo ferreo, qui nunquam sex pondo excedit &c. Telchines* autem, quos eosdem cum *Cabiris* fuisse innuimus supra, sculptores, atque statuarios fuisse, primosque Rhodi simulachra Deorum confabricasse, & quædam antiqua signa eorum nomine fuisse appellata, ut apud Lydios Apollinem *Telchinium*, Junonem ac Nymphas *Telchinias* apud Alysios, Diodorus de fabulosis Antiq. gestis l. 6. commemorat; cum prius saxa Græci venerarentur, ut de Hercule in Hyetto Bœotiorum, & de Cupidine apud Thespienses refert Pausanias lib. 9. de Junone Argiva, & Apolline in Delphis, ac de Baccho Thebano ex veteribus Poetis habet Clemens Alex. Strom. l. 2. quæ simulachra more prisco ἀργοὶ λίθοι, *rudes lapides* extitere. Sed non etiam Olaum Vvormium de *Thorri* Idolo, nec Olaum Magnum de *malleorum Jovialium* usu apud Septentrionales inspexeram, quorum Scriptorum mihi Eruditiss. Vir Apostolus Zenus, qui in Historia rerum Septentrionalium apprime versatus est, copiam humaniter fecit.

§. XV.

Quibus in locis Cabiri *culti fuerint, ac Templa eorum nomini consecrata*. *Romulus Amasæus ex Fabretto notatus*.

QUoad loca, ubi *Dii Cabiri* cultum nacti fuerint, modo dicendum est. Et primo, in Samothraces Insula eorum sacra celebrata fuisse, ubi etiam Gentibus initiari mos erat, produnt Scholiastes Apollonii, ac Stesimbrotus Thasius apud Strab. l. 10. Et sane, ut Diodorus l. 5. mysteriorum ritus a Jove Jasioni filio olim fuisse traditos in ea Insula jactitarunt Samothraces, ante adventum Cadmi, qui ubi Samothraciam appulerit, perceptis mysteriis uxorem duxit Harmoniam Jasionis sororem. Abs re non erit inscriptionem Beneventanam, quæ pag. 172. refertur a Reinesio, hic transcribere, licet ex imperiti, & audacis litteraturæ prophanæ ostentatoris officina eam esse dijudicet. Ea est:

PATRI. AMMONI. ET. HERCVLI
FRATRI. ET. MINERVÆ. PALLA
DIÆ. ET. JOVI. OLYMPIO. ET
SAMOTHRACIBVS. CABIRIS
ET. INDICO. SOLI. ATQ. APOL
LINI. DELPHICO

Tanta erat templi in, quo inibi eadem hæc sacra celebrabantur, Religio, tantæque dignitatis, ut ex eo Cilices Piratæ decem aliquando talentorum millia abstulerint, si Eustathio credimus ad Dionys. Perieg. v. 874. Huc quoque spectet, quod Plutarchus in Marcello inquit, *ab ipso nempe complura præter ea, quæ Romæ extant, Diis dedicata, statuasque, ac Tabulas ex iis, quas Syracusis detraxerat, in Samothracia positas ad Deos, quos Cabiros appellant*. Quænam hæ fuerint positæ ad *Cabiros* Tabellæ, Cicero de natura Deorum lib. 3. apertissime indicasse videtur, ubi Diagoræ, cum in Samothraciam venisset, Amicum quemdam ea dixisse refert: *Nonne animadvertis ex tabellis pictis, quam multi votis vim tempestatis effugerint, in portumque salvi pervenerint?* Quo in loco, ut Critici notant, de exiguis votivis tabulis intellexit, in quibus periculum, a quo quisque liberatus fuisset, describere, vel depingere solebat, votumque jam emissum persolvens, aris Deorum servatorum suspendere. Id his versibus docet Horatius l. 1. Od. 5.

—— Me tabula sacer
Votiva paries indicat uvida
Suspendisse potenti
Vestimenta maris Deo.

Prope Samothracem in Lemno, in qua Vulcani erat officina, *Cabiri* culti fuere; Strab. l. 10. ex Pherecyde. Deinde in Imbro, ut Stephanus verbo Ιμβρ. habet: *Imbrus insula sacra Cabiris, &c.* sed & in Troadis Urbibus sacra hisce Diis instituta fuisse ibidem tradidit Strabo. Item Thessalonicenses in Macedonia ex nummis, quos post Seguinum vulgavit Vaillantius Imp. Num. Græc. pag. 91. 144. honorem peculiarem *Cabiris* præstitisse constat, immo & certamina de eorum nomine *Cabiria* dicta celebrasse, ex nummo Gordiani Pii, cujus in altera parte Urna, in qua palmæ ramus cum epigraphe ΘΕϹϹΑΛΟΝΙΚΕΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΚΑΒΕΙΡΙΑ, *Thessalonicensium Neocororum Cabiria*. Sed hic notare liceat, quod unum ex *Cabiris*, non *Cabiros* Thessalonicenses coluerint teste Lactantio l. 1. 15. de falsa Religione, hicque, ut Julius Firmicus de errore proph. Relig. cap. 12. ait, *fuit ille, qui a duobus alii interemptus, ne quod indicium necem fratris aperiret, sub radicibus Montis Olympi consecratus est &c.* ex quibus arguendum relinquo, an bene senserit Vaillantius, cum dixerit pag. 376. de Festis, & Certaminibus Urbium &c. *summus eorum nummus*, Thessalonicensium scilicet, *templum ex duabus columnis suffultum exhibet, in cujus aditu unus ex* Cabiris *stans, nam plures existimantur, nec de eorum numero apud Græcos Scriptores constat*. Placuit nummi Ectypon curiosorum in gratiam adjungere.



Athenis quoque in Attica *Cabirorum* Religionem excultam fuisse patet ex monumento Græco §. 1. jam producto, quod Dionysii Archontis anno positum fuit, qui licet inter Archontes incerti temporis a Meursio lib. 4. cap. 10. de Arch. Ath. memoretur, nihilominus, quidquid dicant Diodorus, & Anonymus, Lyciscum nempe a Pythodoto exceptum, μετὰ δὲ Λυκίσκον ἐςὶν Αρχων Πυθόδοτος, cum jam constet Archontem fuisse, & ab illo exceptum Lyciscum, vel inter Lyciscum & Pythodotum reponendus videtur, vel alium Lyciscum, cujus incertum sit tempus, ab eodem exceptum fuisse dicendum est. Sed revertamur ad nostra. Hanc quoque Religionem & Amphissenses in Locride habuisse deducitur, quod initia quædam illi celebrarent, quæ *Anactum puerorum*, ut vidimus, appellabantur; *Anactes pueros* autem non alios quam *Cabiros* fuisse probatum est. Fuit solemnitas quædam apud Thebanos in Bœotia, quam *Cabirorum* vocat Pausanias in Messenicis, & Lycaon Pandionis Filium eis tradidisse refert, contra quos si aliquid unquam commis[illegible]fuit, id ira semper inexorabili vindicatum est, [illegible] & templum quondam ingressi Macedones [illegible]quam in Terra hostili, fulmine fuere, fulguribusque percussi. Apud Clitorios itidem ut idem Pausanias lib. 8. erat Διοσκυρῶν καλυμενων μεγάλων Θεῶν ἱερὸν, *Dioscororum magnorum Deorum* templum. *Castorum* τὸ Διοσκυρῶν vertit Amasæus; sed, ut notavit Fabrettus V. Clariss. Clitorii Arcadicus Populus perpetua simultate Laconibus oppositus, quod cultum ac templum Heroibus Spartanis tribuerint, parum verisimile habetur; quare Deos hosce pro *Cabiris* accipere probabilius existimo ex iis, quæ supra: mecumque Vir doctus, atque in græca lingua peritus Antonius Caramaneus, cui jam id aperueram, ita facile sentit. Templum quondam *Cabirorum* Memphi in Ægypto vetustissimum fuisse narrat Herodotus l. 3. cap. 37. inacessum alteri, quam Sacerdoti, donec Cambyses ingressus simulachra concremavit Πολλὰ κατασκώψας, *in ea multa jocatus*. Præterea Beryti in Phœnicia cultos fuisse prodit Sanchoniaton apud Euseb. lib. 1. præp. Ev. βηρύτον δὲ Ποσειδῶνι, καὶ Καβείροις, *Berytum autem Neptuno, & Cabiris &c.* Num e Græcia Memphim, & Berytum *Cabirorum* cultus translatus fuerit, vel prius ipsi *Cabiri* templa in Ægypto sibi constituerint, ut & in Phœnicia, aliisque in locis, videant curiosi; satis sit adducere, quod in hujusmodi insolentiam venisse Jovem, cæterosque eorum, quos inter Deos reposuit Gentilium vana superstitio, Historia testetur, de quo Lactantius lib. 1. de falsa Religione. Præterea *Cabirorum* appellatio, vanitatum magicarum, & superstitiosarum religionum doctrina, ex Ægypto potius in Græciam, ac alia loca fuisse illum translatum, evincit. De illorum cultu in Italia narrat Æneas apud Virgilium Æneid. 3.

—— Feror exul in altum
Cum sociis, natoque, Penatibus, & Magnis Dis.

De quo videatur Dionysius Halic. Hist. l. 1. ubi ait, quod Æneas cum simulachris magnorum Deorum ex Patria perfugerit, eaque secum in Italiam deportarit. Adde quod de positis tribus Aris in Circo Romano trinis Diis magnis, potentibus, quos & Samothracas putabant, Tertullianus habet c. 8. de spect. Ab ipsis *Cabiris* hæc sacra fuisse quondam ad Tyrrhenos delata refert Clemens Alex. in Protrept. Indeque est, quod Myrtillus Lesbius apud Dionysium lib. 1. ait, *sterilitate laborantes Tyrrhenos proventuum omnium decimas Jovi, Apollini, & Cabiris vovisse*. Strabo l. 5. (quem etiam refert Illustrissimus ac Reverendiss. Philippus a Turre duobus ab hinc circiter annis Episcopalis Adriæ dignitatis, ac amplitudinis gradu, quo multo se ante dignissimum propria virtute præstiterat, condecoratus, Monum. Veteris Antii p. 1. c. 1. de inscriptione M. Aquilii) meminit delubri *Dioscorum* in Colonia Antiate collocati. Num *Cabirorum* delubrum id fuerit, alii viderint.

§. XVI.

Certamina de nomine Cabirorum Cabiria *dicta Ubi instituta, & qualia fuerint?*

Pauca quædam apponenda essent de Certaminibus, quæ de *Cabirorum* nomine *Cabiria* dicta, Thessalonicæ vero, ut ex nummis adparet, peculiariter celebrata fuere; Sed quum de his ne verbum quidem fecerit Meursius in sua Græcia feriata, non Hospinianus in libro de festis ac Templis Gentilium, nec Vaillantius citatus ubi de festis, ac certaminibus Urbium differit, quid certi dicam ego, non habeo. Conjecturas meas attamen, proferre liceat, ne jejunus sit omnino locus iste. Non aliud igitur extitisse conjecto *Cabiria*, quam Πυῤῥιχὼ, *saltationem* nem-

pe *armatam* (unde *Pyrrhicharii*, five *Purrhicharii* dicti funt faltatores armati ,' ut notat Bud. in l. Athletas, ff. de iis qui not. infam. & in l. aut. ff. de pœn.) & ἐνόπλιον, ideft *belligeros lufus* in honorem *Cabirorum* inftituta certamina ; ea namque Theffalonicenfes *Curetibus*, feu *Cabiris* grata credere poterant, quibus, ut ait Nonnus l. 13. Dionyfiac.

> Οἷς βίος ἀκελάδων ξιφέων κτύπος· οἷς τινι ῥυθμῷ,
> Κύκλα ποδῶν μεμέλητο, ϗ ἀσπιδόεσσα χορείη.

id.

> *Quibus vita erat benefonantium gladiorum ftrepitus, quibus quodam rythmo*
> *Circuli pedum curæ erant, & fcutata chorea &c.*

Et *qui faltationem armatam*, ut ait Dionyfius Antiquit. Rom. lib. 2. *primi inftituere*, χορείαν δὲ κίνησιν ἐνόπλιον οἱ πρῶτοι καταστησάμενοι; & ut cecinit Orpheus in hymnis,

> Σκορτηταὶ Κουρῆτες ἐνόπλια βήματα θέντες &c.

Id.

> *Saltatores Curetes Enoplios gradus ponentes &c.*

Talia quoque certamina recenfet Plato de leg. lib. 7. apud Lacedæmones in Minervæ honorem celebrata fuiffe, quod ipfa quoque ludis Choreæ delectata, non folis manibus ludendum cenfuerit, fed armis tota ornata faltandi officio perfuncta fit. Eorum qui *Cabiria* peragebant, geftamina eadem, ac illa Saliorum fuere, qui a Tullo Hoftilio poft Numam inftituti, Dionyfius l. 2. commemorat, lanceam nempe, aut virgam, aut tale quid aliud, & Peltam Thraciam, quæ fcuto virgato anguftiores habenti laterum cavitates, fimilis erat. Saltationis quofdam fuiffe Duces, qui & Choreas inciperent, & faltandi modulo præirent cæteris, innuit Homerus Iliad. Σ. Clypeum Achilli a Vulcano donatum defcribens, in quo Chorum Creticum ex Virginibus, & Juvenibus conftantem cælatum indicat, hifce verbis:

> Πολλὸς δ' ἱμερόεντα χορὸν περιίσταθ' ὅμιλος,
> Τερπόμενοι δοιὼ δὲ κυβιστῆρε κατ' αὐτοὺς,
> Μολπῆς ἐξάρχοντες ἐδίνευον κατὰ μέσσους, &c.

Id.

> *Multa autem gratum Chorum circumftabat Turba,*
> *Lætantes at duo faltatores, (ejufmodi fcilicet qui fe in caput dejiciunt), juxta ipfos*
> *Cantum incipientes circum agebant fe in medios &c.*

Fuerunt & hujufmodi faltationes inter prolufiones caftrenfis, feu militaris difciplinæ cum apud Græcos, ut ait Plato l. 7. de leg. tum apud Romanos, ut refert Spartianus cap. 9. in Hadriano, & Ammianus Marc. l. 16. de Juliano. Hifce confona, quæ de faltu inter militares Romanorum exercitationes refert haud uno loco Vegetius, & quidem l. 2. cap. 23. *faltus quoque, & ictus facere pariter adfuefcant, infurgere tripudiantes in clypeum, rurfumque fubfidere, nunc geftiendo provolare cum faltu, nunc cedentes in terga refilire &c.* Sed fatis hucufque de *Cabiris* exercitationem meam protraxi, quam utinam, ubi ea lecta fuerit, ab eruditis Viris intelligam approbari. Eos tamen res ipfa abftrufa, & propter filentium aut confufionem Scriptorum explicatu difficilis, fpem facit, æquiores mihi futuros, fi minus alicubi fcopum attigiffe videar.

FINIS.

MATTHÆI BROUERII DE NIEDEK JURISCONSULTI

DE

POPULORUM VETERUM AC RECENTIORUM ADORATIONIBUS

DISSERTATIO.

NOBILISSIMO ET AMPLISSIMO

REIPUBLICÆ LEYDENSIS

EXCONSULI ET SENATORI

ABRAHAMO

AB ALPHEN

Ad Conſeſſum Nobilium & Potentium D D. qui ſuper Res Maritimas Amſtelædami conveniunt,

DEPUTATO.

Favor tuus, Vir Ampliſſime,

Qui Proavos virtute, genus quì moribus æquas,
Et jamjam gemino cingis honore caput,
Et Decus & columen Patriæ es tutelaque noſtræ,
Et Vir, non ipſa, quam regis, urbe minor.

FAvor, inquam, quo mihi tam benigne digneris, & Muſei tui, antiquis non modo, ſed & modernis (uti ajunt) præſertim Reipublicæ Batavæ nummis referti, aditum largiris, non benevolentiæ tantum erga litteras, quarum ego delitias exoſculor, verum magni inſuper & generoſi animi indicium & fructus videtur: hoc tam eminenti benignitatis tuæ ſigno me jam dudum adeo tibi vindicaſti, ut nec affectum tuum oblivifci potis ſim, nec merita tua, quanquam nulla oratione adſequi liceat, ubivis lætiſſima ſemper prædicatione circumferre: nulla certe me res oblectat vehementius, cum in tanta dignitate conſtitutus, hominem nullis fortunis eximium, ignotum Litteratis, nec non niſi Belgis Poeſi ſua viſum, maxima & incredibili humanitate obruas, qua & adhuc fretus, Vir ampliſſime, non committendum eſſe duxi, ut Diſſertatio hæc mea de Veterum ac Recentiorum populorum Adorationibus, in privatum uſum comparata, poſtquam amicorum perſuaſionibus publicare decreveram, ſine tui erga me favoris grata mentione ederetur, quum nulla alia mihi ratio ſit, aut facultas, qua melius erga te gratum animum teſtari poſſum. Accipe ergo rudem hunc, & primum, aſt plenum amoris tui & obſervantiæ fœtum: ſuſcipe lucubratiunculas pro ſolita benignitate, & nomini tuo in-

ſcribi patiaris, ut iiſdem verbis tibi acclamare poſſim, quibus Plinius olim Trajano de pauperibus educandis: Super omnia eſt, quod talis es, Trajane, ut ſub te liberos tollere libeat, expediat.

Vale, Vir ampliſſime, Reipublicæ noſtræ non ultimum decus: diu te in publicum bonum privatumque noſtrum Deus Optimus Maximus incolumem ſervare velit ex animo precor

Amplitudini tuæ

Devotiſſimus

MATTHÆUS BROUERIUS
DE NIEDEK.

CANDIDIS
ET
BENIGNIS
LECTORIBUS
S. P. D.

MATTHÆUS BROUERIUS DE NIEDEK.

Cum omnes homines, qui ſeſe ſtudent præſtare cæteris animantibus, ſumma ope niti decet, ne vitam ſilentio tranſigant, veluti pecora, quæ natura prona, atque ventri obedientia, finxit, ut in Procemio belli Catilinarii inquit Salluſtius, & juxta Menandrum

> Μοχθεῖν ἀνάγκη τὰς θέλοντας εὐτυχεῖν,
> *Laborare debet, qui beatam vitam cupit:*

bonis literis ab ineunte ætate operam dare, & juri utrique Lugduni in Batavis devotus, dum Academicæ feriæ dabantur & otia, Philologiæ delicias ſapere omnibus viribus conatus ſum, maxime vero mihi ſaliva mota eſt, poſtquam Clariſſimorum heroum in literis, Sauberti, Merulæ & Outrami poſt Gyraldum, Stuckium ac Caſalium, ſyntagmata de ſacrificiis Veterum, tam Gentilium, quam Hebræorum accurate perlegiſſem, & ſimul comperiſſem omnes quidem de Precibus meminiſſe aliquid, ſed, neſcio quo immerito fato, nimis perfunctorie, ut aliud ſemper egiſſe videantur. diligentius igitur, quæ inter legendum occurrebant, ad preces pertinentia, obſervare, inque ſchedas conjicere cœpi, unde mea hæc de Veterum ac Recentiorum Adorationibus, prima & maxima religionis parte, nata eſt diſſertatio, cujus non alius mihi ſcopus fuit, quam partim Philologiæ, & ſacræ præſertim, majeſtatem oſtendere, & pro meis viribus in venerandam ſedem ſuam reducere, partim, &, ut vera dicam, maxime in augmentum Religionis Chriſtianæ, cum Gentilium vanas ſuperſtitiones & duras Hebræorum leges cæremoniales in adorandis Diis ex antiquis ſcriptoribus productas invenientes homines, ex earum vanitatum delectatione allicientur forſan facilius ad veræ religionis cultum: videbunt enim nihil eſſe in hac vita tam ſanctum, vel perfectum, quod ſucceſſu temporis non contaminatum eſt depravatis hominum ſenſibus, præſertim quicquid ad religionem & divinum cultum pertinet, in quo omnes fere homines, niſi peculiari beneficio cœlitus inſtituantur a Deo patre luminum, cæcutiunt, quia nullibi magis vigilat Satanas, quam circa res religioſas, ut a

propria ſignificatione verbum Dei detorqueat per tranſverſas interpretationes, & ab ipſo Deo abducat homines ridendis & nefariis adorandi ritibus, quibus univerſus terrarum orbis uſque ad inſaniam dementabatur antiquitus, decipiente ſtatim in principio Dæmone impuriſſimo primum hominem mendacio & a Numinis obedientia avertente. quam mihi propoſitam metam num in hoc meo opere tetigerim, veſtro judicio, benevoli Lectores, relinquam, dum, ſi ex parte aſſecutus fuerim, optime tempus mihi collocaſſe videbor. hanc ſolam mihi gloriam, ſi quid hinc gloriæ reportaturus ſim, hanc ſolam mihi lauream aut victoriam polliceor. id unum vero a vobis, tanquam ab æquis judicibus peto, ut conatus hos meos, & has Studiorum primitias, primitias eſſe putetis, eaſque benigne, atque clementer, pro ſolito veſtro erga ſtudia favore ac benevolentia judicetis. Calcar certe mihi addetis ac ſtimulum conſcripta Syntagmata de Hastis & Facibus veterum primo prælo committere, & inchoata de Diis alatis, & Adoptione veterum ad finem perducere, dum maturioribus annis relinquam Collectanea mea, ſane non pauca & contemnenda, a Ferretio in Muſis Lapidariis omiſſa, de Inscriptionibus ligato pede conceptis apud Romanos.

SUMMARIA CAPITUM.

CAPUT I.

VErbi adorare etymologia ex verbo orare & præpoſitione ad. multis verbis adorare exprimitur. orare, obſecrare, rogare, obteſtari, ſupplicare, vocare, precari, venerari, implorare. Verbi adorare variæ ſignificationes notantur. Hebraica & Græca vocabula notiſſima, eundem actum denotantia recenſentur. Adoratio antiquiſſima, & ab Adamo ipſo exercitata.

CAP. II.

Adoratoriæ Formulæ, a Briſſonio omiſſæ, illuſtrantur ex Romanis ſcriptoribus. Petitoriæ proponuntur & explicantur. Solenniores apud Græcos quæ? Χαῖρε in principio precum ac fine obſervata. Ζεῦ σῶσον, antiquiſſima formula, ſternutantibus acclamata probatur. Sigonii error notatus. Ελεήσον, miſerere, ex Græcorum conſuetudine fluxiſſe videtur, per Chriſtianam Eccleſiam recepta. Elegantiſſimæ Hebræorum formulæ recenſentur.

CAP. III.

Diis Varia Cognomina data. μάκαρες Beati omnes. ἁγναὶ & Ͽρέπτειραι Deæ vocatæ Græcis, ut Latinis Almæ. Dii ac Deæ Magni & Magnæ. ſolus Jupiter Optimus Maximus. alii & Dii Maximi. Dii Reges & Domini, Deæ Reginæ ac Dominæ. quo titulo & verum Deum Hebræi adorant. frequenter numina Patres Matreſque dicebantur. a Chriſtianis & Judæis Deus Pater vocitatus, ut & Conſervator ſive Salvator, æque ac Gentilibus. ab his Dii blandis verbis Boni, Amici, Propitii, Pulchri appellantur, ab Iſraelitis Deus Magnus, Bonus, Juſtus, Miſericors & Sanctus. quod nomen Gentilibus familiare.

CAP. IV.

Ad ipſam Adorationem proceditur. Adorationis varii ordines. antiquiſſima eſt, quæ ſub Jove fiebat a perſonis privatis, vel publicis apud Romanos & Græcos, quæ ab Hebræis defluxit. Cain & Abel primi adoratores. Montes & Sylvæ ad orandum ſæpius apud Gentiles quærebantur. locus mundus a Perſis electus, & templa rejecta, uti a veterrimis Romanis. Dii in via a viatoribus invocati, & in aliis multis locis. Per perſonas publicas fiebat interveniente populo. Deorum ex hoſtium urbibus Evocatio uſitatiſſima. ubi & urbium & exercitus, aliquando etiam hominum devotio fiebat, quæ non Græcis ignota fuit. adoratio Patris Patrati in fœdere feriendo obſervatiſſima ambabus Gentibus. ab Hebræis ſimili modo orationes factæ primis temporibus.

CAP. V.

Adoratio in templis recentior. publica & privata. publica Interveniente Sacerdote. privata abſque vel cum Pontifice fiebat apud omnes fere Gentes, & non raro voce clara ad oſtentationem. templa apud Ægyptios & Indos meretricum contubernia facta. apud hodiernas etiam Gentes templa Domus precationum habentur, non tamen ſuperſtitioſa obſervatione, cum Dei præſentiam ubique credunt. Sacerdotum officium primum preces concipere, quod & Hebræis veteribus in uſu, aſt maxime Ægyptiis. Magi eorum Philoſophi & Sacerdotes. eorum autoritas & munus.

CAP. VI.

Adorationis quinque ſpecies recitatæ. Salutatio matutinis horis proprie exercebatur. a Salutandi patronos conſuetudine Romana defluxit. Laudatio circa Deorum poteſtates & beneficia verſabatur. Scaligeri commentaria in Tibullum laudata. Petitoriæ preces ad præſtandum auxilium vel avertenda mala. honeſtæ Laconum & Platonis preces, ac turpiſſimæ plurium enumerantur. Vota, quæ, quanta, & qualia. ipſis Hæbreis nota. Gratiarum actio pro acceptis beneficiis reddita. ubique Gentium obſervata.

CAP. VII.

Variis Elogiis Dii invocati. Multiloquium Judæorum notatum, ad Turcas translatum, a Romanis Græciſque ad plurimum obſervabatur. Numerus Ternarius in ſacris ſæpiſſime uſurpatus. πολυωνομίη apud Gentiles in precibus ſolenniſſima. ex formidine, ne Deos parum grato nomine invocarent, ſis quocunque nomine, precabantur; numinum vero ſexum ignorantes, ſive Deus ſive Dea vel quiſquis es, dicebant. Jupiter mas & fœmina nominatus, & invocatus.

CAP. VIII.

Preces Publicæ, Privatæ, Clara voce aut Murmure, Ligatis vel Illigatis verbis factæ. publice Sacerdos præibat antiquitus. Idem mos a recentioribus ſervatur. Privatim omnes pro lubitu orarunt. ad oſtentationem ſæpe clara & alta vox adhibita, & adhibetur apud hodiernos populos. inhoneſtæ petitiones murmure & arcane prolatæ. in meliorem ſcopum Chriſtiani corde Deum alloquuntur. Carmina & hymni Diis cantabantur. eundem ritum ab Hebræis Chriſtiana eccleſia recepit.

CAP. IX.

Adoratio matutino tempore frequentiſſima pleriſque Gentibus. Sol exoriens apud Perſas ſalutabatur. templi foribus aſſidebant. plerumque per omnem diem adorabatur antiquitus. mane & veſperi ad minimum. multa ſacra nocte fiebant, a pleriſque tamen, ut turpia, rejecta. Chriſtiani ob nocturnas adorationes ab Ethnicis accuſati. idem mos a nonnullis hodie obſervatur. magna Turcarum ſuperſtitio propter precationum tempus.

S U M M A R I A

C A P. X.

Sacris diebus omne opus fieri prohibitum. *qua de re statuta apud Athenienses lex recensetur. item ritus apud Romanos observatus. Macrobio vera lectio restituta. opus item in festis fieri apud Judæos nefas creditum.* Profani a sacris abesse jussi, Silentiumque *astantibus impositum apud Græcos æque ac Romanos. formulæ* Favete Linguis *verus sensus expositus.* Janus *in publicis sacris* primus invocatus *apud Romanos. Scriverius laudatus. in* Vesta *solennis* precatio extrema *erat. Alexander ab Alexandro & Tiraquellus notati: Vestæ apud Græcos,* Igni *apud Persas primæ imprecationes fiebant.*

C A P. XI.

Impuritas *adoratoribus nocens, fiebat* concubitu *apud Romanos æque ac veteres Græcos, nec non Judæos. decem diebus a* Cibaria & Venerea voluptate & Vino *Ægyptii arcebantur.* Vini abstinentia *Sacerdotibus Judaicis a Deo mandata precaturis. Romanis mulieribus Vinum antiquitus interdictum. Brachmanni Indorum Vini & Veneris expertes, ut Sabbathis diebus Samaritani hodierni. Mahometani templa adituri,* a mulieribus *sese* abstinent. somnia *etiam polluere Gentiles credebant. impuri* vir seminifluus, mulier menstruosa *apud Judæos.*

C A P. XII.

Castitas *in adoratoribus necessaria.* lotione *totius corporis vel tantum partis cujusdam, vel* sparsione *constabat. aqua sacrata ad Christianos translata. lavatio* aquis marinis, *vel* fluvialibus *vel* fontanis. *purificatio marina aqua usitatissima & ipsis Judæis. fluvialis lavatio Gentilibus omnibus antiquitus hodieque nota.* Adspersio *introeuntium templa apud Græcos* per Sacerdotes *facta, apud Christianos Pontificios per se ipsos. ratio ejus ritus inquiritur.*

C A P. XIII.

Velatio capitum *usitatissima. multas ob causas peracta. Christianis ignota. Servii error notatur. omnia* sacra velato capite fiebant Diis, Saturno, Honore, Ope, & Hercule exceptis. Tutulum *& Tutulati Sacerdotes. Dea* Pietas velata *pingitur, quod sacrificiis præsidet. Privati etiam* velabant capita. *interdum* manus *in quibus* oleæ ramum *portabant. nummus Imp. Severi explicatus. mos hic Græcis proprius.* ramum *sæpe* lana involvebant. *a supplicando* ἱκετηρίαν *dicunt, ut Romani supplicem. ramos ad adoratos porrigebant supplices. velamentorum* color purpureus & albus. *hodierni Judæi* quadratum flammeum *usurpant. in nuptiis Rebecca sese velavit. Apost. Paulus. 1. Corinth. 11. vers. 10. explicatus. Mosche coram Deo faciem manibus abscondit, & velat, uti ipsi Angeli præ Majestate Dei.*

C A P. XIV.

Purpurea *sive* Lutea *equidem ac* Candida Vestis *Adorantibus usitatissima.* color albus *lætitiæ signum, &* Diis gratus *habebatur. Horatius illustratus.* Niger *vero* infaustus. *Inferos adorantes nigra veste induebantur.* Judæorum Summus Pontifex, *& omnes* Sacerdotes *ex Dei præcepto* albis vestibus *utebantur, quas baltheo revinciebant. Romanis in sacris* nil religatum *erat. Turci hodierni* nigrum colorem *infaustum,* album & viridem *Sacerrimos æstimant. squalida veste nonnullæ Gentes antiquitus procedebant ad misericordiam commovendam.* Alba Vestis Baptisatis *apud Christianos veteres usitatissima. significatus cujusque coloris ex Alciato. Pontificiorum Sacerdotibus alba vestimenta ad sacra in usu.*

C A P. XV.

Pythagoræ symbolum illustratur. nudis pedibus *ad adorationem* incedunt Hebræi. *Mosche & Josua a Deo calceos solvere jussi. Divus Leo & Juvenalis, Dempsterus ac Braanius notantur. illud Turci secuti. qua de causa institutum. Indi coram Fakirorum Summo* calceamenta *deponunt honoris ergo. a Romanis* nudipedalia *aliquando observata. Nefas apud Cretenses habetur Dianæ Britomartis templum calceatis pedibus adire. Juvenalis elegans locus explicatus.* merus pes *pro nudus pes dicitur. quid* vinum merum *sit inquiritur. Christiani nonnulli in processionibus, & crucis adoratione nudis pedibus incedunt. prohibitum Pontificum institutis sacram Eucharistiam nudis pedibus conficere.* Calceati pedes *instituti, ne serpens pedes posset mordere, at a nobis calcatus obteratur.*

C A P. XVI.

Superstitio veterum in adeundis templis pede dextro, *quod etiam ad honorandum Magnates factum, idque prospero, ut sinistro pede incedere, malo omine fiebat.* Demissio oculorum *erga Deos submissio est habita & verecundiæ signum, Christiani* erecto vultu *orant. demissis oculis apud Gentes novæ nuptæ incedunt. in sacris etiam adoratores Gentiles in cœlum oculos erigebant. sæpe adoratores* frontem tangebant manusque fronti imponebant, *uti hodie Indi nonnulli factitant.* frons pro pudore ipso, *vel pudoris templo ponitur. phrasiologiæ variæ de fronte expositæ.* frons dura, mollis, firma, & exanguis. *in angustiis adoraturæ* crines solvebant. *quod & ab Christianis sæpe mulieribus in Litaniis ac processionibus perpetratum.* crinibus templa verrebantur *in suppliciis;* raro *etiam* in re læta *ac solenni & accurata religione* Crines solvebantur.

C A P. XVII.

Ad adorationis locum progressi, flectunt corpus, stabant, *vel* sedebant. *hoc capite de corporis flexione agitur. conspectis diis* corpus projiciebant *Antiqui, ut hodie Benjani in India, & Christiani quidam. Dei nomine audito Turci* in faciem *procidunt. quod ipse Christus observavit. Alii* caput flectebant, *quod in Judæis arguit Deus, ortumque ab Ægyptiis videtur. flexio capitis ipsam adorationem denotat sæpius. ritus hic omnibus Asiæ, Africæ, & Americæ incolis notus.* Genuflexio *non minus observata.* Genu dextro *vel* sinistro, *aliquando ambobus Genubus fiebat. idem ritus a Christianis veteribus observatum, excepto Die dominico & tota Pentecoste. flectebant alii corpus paululum. exemplum dabit Martha, Christi manus deosculans eodem modo Mahomethani omnes obviatores salutant manibus ante pectus conjugatis.*

CAPITUM.

CAP. XVIII.

In communioribus sacris stabant *erecto corpore. fanum praetereuntes adorant jactando oscula. nummi impp. Hadriani & Trajani explicantur. Galli veteres ac Hebraei adorantes stetisse probantur. Locus Matthaei Evangelistae cap. 6. comm. 7. explicatus.* idem mos apud Indos *plerosque in hunc diem observatur, ut & Christianos, diebus quidem Dominicis semper priore ecclesiae saeculo, ast posteriore aevo absque discrimine geniculabant stabantque in orationibus. quod & hodie obtinet. publicis in sacris ecclesiae reformatae praecones & populus erecto corpore Deum invocant nudato capite. apud Pontificios plerique de Geniculis precantur.*

CAP. XIX.

Sedebant in orationibus *Veterum plurimi, praesertim hoc* in parentali solemnitate *observatum apud Romanos, Graecos & Judaeos*. Pythagorae *de hoc more* praeceptum *a Gyraldo optime explicatur. idem a Mahomethanis* ad sepulchra *observatur.* in jejuniis *Hebraeorum maxime. Tertulliani de hac re elegans locus, & Servii de Lectisterniis. Solemnis iste ritus incolarum insulae Hispaniolae. a Christianis observatur ad plurimum.*

CAP. XX.

Conversio ad orientem *ubique fere in usu. maxime* apud Gentiles *veteres*. Turcae ad Meridiem *sese vertunt*. Javani *hodierni Priscique* Orientales *idem observant*. Persae veteres Solis cultores. *illorum posteri se diebus* ad Solem, *noctibus* ad Lunam *vertunt*. templa ad orientem *posita*. Statua *aedis* ad occidentem *constituta*. Arae ad orientem *erectae*. Judaei ad Occidentem, *ubi Sanctuarium templi Hierosolymitani erat, sese convertebant*. Christiani veteres *Gentilium morem secuti sunt, recentiores negligunt*. Conversio ad Orientem Christianismo antiquior. *Mercerus notatus. quare Ecclesia vetus Orientem oratura aspexerit, inquiritur. idem mos per Helveticas Rheticasque foeminas hodie observatur.*

CAP. XXI.

Manus in adoratione *maxime requisitae. plerumque* in coelum tendebantur. *Inferos oraturi* manus demittebant *Gentiles*. in publica laetitia *manus attollebantur. idem mos ad Christianos hodiernos transiit*. Varii modi protendendi manus *recensentur. nonnulli* manum dextram, *alii* ambas manus tendebant. *manus pro ipsa adoratione*. Dextrae *religio*. *Dextra pars boni ominis. Dextra manus Fidei ac Concordiae signum.*

CAP. XXII.

Ara apprehensa *in publicis sacris*, mensa *in privatis*. pecudi *mactando manus imponebant offerentes apud Judaeos*. juramenta super altaria *praestabant Gentiles, praestant inter Christianos Pontificii*. Postem *in templi dedicatione ac suppliciis tenebant, alii* amplectebantur Aras, *nonnulli idolorum* Genua, *alii Idolorum* simulacra. *Graeci* palmites, *eosque* lana *circumdatos, manibus gestabant. iis Statuae Genua, ejusve dextram Manum, vel Mentum, vel Genas attingebant.*

CAP. XXIII.

Lacrymae *precibus plerisque* additae. *ipsis* Diis *lacrymae* attributae *per Gentiles*. arae, limina, postes, simulacra *lacrymis rigabantur. poenitentiae ergo coram Deo Judaei ac Christiani secuti sunt hunc morem.*

CAP. XXIV.

Circumactio corporis *apud Veteres Gentiles observata. Dempsterus laudatus*. Romani *se* ad dextram partem *vertebant. idem mos ad honorandos principes introductus. Galli veteres ad sinistram partem corpus circumagebant. idem ritus hodie ab Indis nonnullis tenetur. omnis circuitio apud Judaeos ad dextram fieri debuit. inter Christianos Pontificii idem in Mysticis sacris observant.*

CAP. XXV.

Oscula *in venerationibus Deorum solennissima, vel ad Os, vel ad Manus, vel ad Pedes dabantur.* statuarum dextrae *osculis appetitae a praetereuntibus urbiumque portas exeuntibus civibus. honor idem saepius Principibus datus*. Limina templorum *exosculati sunt Veteres Romani ac Graeci. quare* Limen Nova Nupta transilibat, & *nondum debebat tangere*. Postibus *interdum ac* Portis *& ipsae* Terrae oscula figebantur. *posterior mos apud nonnullos Indos adhuc observatur. similis ritus apud Mahomethanos viget, & Christianos Pontificios. modi varii osculandi recensentur. Salmasius laudatus. osculum labratum quid.*

CAP. XXVI.

Instrumenta musica *in hymnis & Deorum placationibus apud Paganos ex Latinis Graecisque auctoribus adhibita probantur.* in sacris & sacrificiis *Veterum ad plurimum audiebantur. a Tenediis Abidisque contemta*. Tibicines sacris publicis praesto *erant, & Sacerdotum Ministri*. Musica *maxime* in festis *canebatur antiquitus. instrumenta diversa erant*. Organa, Sambucae, Citharae, Calami, Tubae, Tympana, Tibiae, Cymbala. *illorum usus in veri Dei cultu apud Judaeos celebris*. Tubarum festum *quale*. Cantores *e Levitis electi. idem mos a Christianis medii aevi receptus, a nascenti Ecclesia spretus. Musica apud hodiernos Gentiles inter Diaboli invocationes observatur.*

CAP. XXVII.

Saltatio *in Gentilium festis* inter hymnos & Musica Instrumenta *celebrata* circa Aras *vel* Idolorum Statuas. *Farnabius laudatus.* modus Phrygius *ad religionem exercitatus.* in Orbem *pleraeque Saltationes decenti modo, ac* manuum, pedum, capitisque motione. Pueri, Viri, Senes *plerumque* in Deorum, Virgines *ac* Matronae in Dearum festis *chorum agebant. interdum Puellae Puerique simul saltabant in cujusvis Numinis honorem. Saltatio religiosa apud Indos ac Judaeos veteres observata ad Gentiles hodiernos transiit.*

SUMMARIA CAPITUM.

CAP. XXVIII.

Coronæ in Deorum honorem *inventæ. variis casibus Diis offerebantur. Laribus* donaticæ *coronæ imponebantur singularis magnitudinis. idem mos a Græcis uti Latinis observatus.* simulacra *Deorum* privata & publica privatus *quisque ac* publicus coronabat. *Coronæ Sacræ quæ? Res divina in solis coronis quandoque constabat, & illis peracta est. nullum fere Sacrum sine his peractum.* coronantes *numina & ipsi* coronati *erant privati homines & Sacerdotes. qui mos etiam in Syria obtinuit. asylum in coronis positum. earum forma circularis habebatur perfectissima ac perpetua.*

MATTHÆI BROUERII DE NIEDEK JURISCONSULTI

DE POPULORUM VETERUM AC RECENTIORUM ADORATIONIBUS

DISSERTATIO.

CAPUT I.

Verbi adorare etymologia ex verbo orare *& præpositione* ad. *multis verbis* adorare *exprimitur.* orare, obsecrare, rogare, obtestari, supplicare, vocare, precari, venerari, implorare. *Verbi* adorare *variæ significationes notantur. Hebraica & Græca vocabula notissima, eundem actum denotantia recensentur.* Adoratio *antiquissima, & ab Adamo ipso exercitata.*

VErbum *adorare*, (unde *adoratio*, *adorator*, *adorabilis*,) nondum ex ablativo *Ore* & præpositione *Ad*, juxta vulgarem Eruditorum sententiam; sed e verbo *orare* & dicta præpositione *ad* compositum statuo; *adorare* enim non aliud sonare, quam ad os referre manus, sive osculari, ut contendunt, eo quod orantes manus osculabantur sæpius, vel qua si *odorari*, & *adorationem* quasi *odorationem* esse dictam, quia *adorationis* maxima fere pars in *odorum* incensionibus posita fuisset, juxta Stuckii sententiam, nihilum probat; cum Osculatio, & Odoratio tantum ritus accidentes precationum sint, veluti Genuflexio, Prostratio corporis & Protensio manuum, licet sæpius ipsum actum denotent: ita ut adorare sit *orare ad.* Ovid. trist. lib. 1. eleg. 1.

Hac prece adoravi superos ego.

Id est, hac prece oravi ad superos ego: eodem modo, quo adprecari pro *precari ad* invenimus apud Veteres. Apulej. Milef. 6. *tunc genu nixa, sic adprecatur.* Et Horat. lib. 4. Carm. od. 15.

Rite deos prius adprecati.

Nec simpliciter *adorare* Prisci scripserunt. sæpius *adorare precibus, supplicationibus, manibus* dixere. Sic Arnob. lib. 1. pag. 20. *& deum fuisse contenditis, & superesse adhuc creditis, & quotidianis supplicationibus adoratis.* Ovid. loco citato, & Tertull. lib. 1. de Idololatr. cap. 7. *ad hanc partem zelus fidei perorabit, ingemens Christianum ab idolis in Ecclesiam venire, attollere ad Deum Patrem manus matres idolorum, his manibus adorare, quæ foris adversus Deum adorantur, eas manus admovere corpori Domini, quæ demoniis corpora conferunt.*

Multis aliis etiam verbis actionem hanc religiosam Latini exprimunt, ut sunt *orare, obsecrare, rogare, obtestari, supplicare.* De quibus eleganter Donatus scribit: *orare est placidos petere, obsecrare, iratos rogare, & obsecrans est plus quam orans plus quam rogans; obtestari est adjurare, quem rogamus: supplicamus adversis magis vel cum lachrymis.* ita Horat. lib. 3. satyr. 6. precatur:

—— Hac prece te oro
Pingue decus domino facias & cætera præter
Ingenium.

Et in extremo Panegyrici sui pro Trajano Plinius: *quo majore fiducia iisdem illis votis, quæ ipse pro se nuncupari jubet, oro & obtestor.* Hacque significatione Cicero, Verrina sexta, *orandi causa fanum adire* dixit. Salust. lib. 2. hist. *cæterum deos immortales obtestor.*

Verbo *Rogare* utuntur inter alios, Tibullus lib. 4. eleg. 10.

Et grata sis dea mente Rogat.

Et Ovid. lib. 1. de Pont. ep. x.

Suppliciter vestros quisque Rogate deos.

Verbo *vocare* Virgil.

Et votis jam assuesce Vocari.

Ac lib. 3. Æneid.

At pater Anchises, passis de littore palmis,
Numina magna Vocat.

Interdum *Invocare* scribebant. sic lib. 2. de nat. deor. cap. 27. Cicero: *Junonem Lucinam in pariundo Invocant.* neque non Plaut. in Amphitr. Act. 5. Scen. 1.

Invocat Deos immortales, ut sibi auxilium ferant.

Eodem sensu occurrit vocabulum *supplicare* apud Suetonium in Augusto cap. 93. *sed & Cajum nepotem, quod Judæam prætervehens, non supplicasset, collaudavit*. Et apud Plinium lib. 13. c. 1. *Italicis temporibus non supplicatur thure*.

Exprimunt & hanc religionis speciem verba *Precari*, apud Tacitum lib. 20. concludentem orationem suam hisce verbis: *te Jupiter Opt. Max. quem per octingentos viginti annos tot triumphis coluimus, te Quirine, Romanæ parens urbis, precor veneror que*. Plautum Rud. act. 1. scen. 4.

Nunc quisquis est Deus, Veneror.

Item voces *Implorare* apud Ciceronem, in peroratione actionis quintæ in Verrem. *ceteros item deos deasque omnes imploro atque obtestor*. *Quæri* apud Livium lib. 9. *Vos dii immortales precor quæsoque*. & Plautum, in Mercat. Act. 5. Scen. 2.

Date dii, quæso, conveniendi mihi ejus celerem copiam.

Ut & composita verbi precari, uti sunt vocabula *Deprecari*, *Imprecari*, *Comprecari*. Apud Apulejum, in Asin. aur. lib. 2. *& incrementa solis Augusti tacitus imprecatus*. & Terentium, in Adelph. act. 4. scen. 5. *ubi domum, ac deos comprecare*. & eod. loc. vers. 70. *tu potius deos comprecare*. neque solum precari, ast *bonas preces precari* habent Scriptores. Sic Cato lib. de re rustica cap. 34. *Jane Pater, uti te strue commovenda bonas preces precatus sum*. Scribunt & Livius, lib. 8. cap. 2. *precibus infimis petere, & fatigare precibus*, Horatius, lib. 1. Carm. od. 2. vers. 26.

—— Prece qua Fatigent
Virginis sanctæ minus audientem
Carmine Vestam.

Ac Arnobius, lib. 1. pag. 29. *cum Æsculapium ipsum datorem, ut prædicant, sanitatis, quoad illis superfuit vita, & precibus fatigarent, & invitarent miserrimis votis*. Notissima etiam verba sunt *Salutare*, *Alloqui & Affari deos*. Sic Martialis canit, lib. 2. epigr. 77.

Multis dum Precibus Jovem Salutat.

Et Cicero, pro Sexto Roscio cap. 20. *Cum deos salutatum alicubi venerint*. Sic Plautus, in Amphitr. act. 1. scen. 1.

Numero mihi in mentem fuit
Dis advenientem gratias pro meritis agere, & alloqui.

Atque ita Arnobius, lib. 6. pag. 192. *sed non attribuimus idcirco diis templa, tanquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus, aut soles: sed ut eos possimus coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere.* Hunc actum etiam designant apud Veteres verba *Contendere*. Cic. Epist. famil. 2. *verecundius a te, si qua magna res mihi petenda esset, contenderem*. *Flagitare*. Id. Epist. famil. 4. *Exigere*. Id. de Orat. *quo facilius id a te exigam, quod peto, nihil tibi postulanti negabo*.

Verbum *adorare* præter precandi actionem, quæ nobis tractanda est, varias alias significationes habet. Sic optime nos Pompejus Festus, lib. 1. de Verbor. significat. monet, adorare *agere* apud Antiquos denotasse, eodem modo, quo verbum *Orare*, unde Legati Oratores dicebantur, qui mandata populi agebant. Sic Apulejus lib. 10. Metam. scribit: *ad istum modum, Seniore adorante, placuit.* denotat aliquando *facere*. Vide Minuc. Fel. pag. 43. *at enim nos exequias adoramus eadem tranquillitate, qua vivimus*. & leg. 40. duodecim tabularum, ubi habetur: *si adorat furtum, quod nec manifestum, duplionem luito*. Eruditissimus Grævius eleganter quoque in indice ad Florum nos monuit ad verba illa, *Adorata urbs*, adorare non raro *accedere*, & quidem ita, ut *alloqui* possimus, indicare. doctissima verba sunt: *putem autem adorare urbem explicari posse non in conspectum ejus modo, sed ita prope accedere, ut & alloqui cum civibus possit.* atque eodem significatu locum hunc Statii, lib. 6. vers. 664. accipio.

Adorato redit ingloria disco.

Vulgatius *Salutare* significatur per *adorare*, & quidem civiliter in sequentibus locis puto. Ut apud Sueton. in Ner. cap. 12. *Citharam autem, a judicibus ad se delatam, adoravit*. Tacit. Hist. lib. 1. cap. 36. *nec deerat Otho, protendens manus, adorare vulgum, jacere oscula.* ac Stat Theb. lib. 8. vers. 283.

Illum ingens confundit honos, inopinaque turbat
Gloria, & oblatas frondes summissus adorat.

Habet & significationem verbi *Optare*. Testis est locus Propertii, lib. 1. eleg. 4.

—— Manent, sic semper adoro.
Nec quicquam ex illa, quod quærar, inveniam.

Sed quid Hebræi? quid Græci? Variis utique vocabulis, quibus adorationem designarunt, utebantur, quorum præcipua breviter recensebo. Apud Judæos Talmudici, in lib. Megil. fol. 22. quatuor usitatissima hisce distinctionibus describunt. quod scilicet השתחוה *Hischtachavæh*, quod cum affixo legitur. 2. Reg. 5. designat *totius corporis prostrationem*; ברך *Berach*, *genuum inflexionem*; ברע *Canach*, *demissionem capitis cum superiore corpore usque in genua*; & קדד *solius verticis inclinationem.* Minus vero usitatæ voces erant סגר *procubuit*, Dan. 3. comm. 7. & x. צלא *invocavit*, Dan. 6. comm. 11. קרא Jerem. 10. comm. 25. & עתר *suppliciter oravit*. Genes. 25. comm. 20. חלה *deprecatus est*, Psalm. 119. comm. 158. ac כפף *curvavit se*, Mich. 6. comm. 6. exprimitur & sæpius actio hæc verba שאל *schaal*, id est, *petere*, *postulare*, *quærere*. Verborum, quibus utuntur Græci, huic cultui exprimendo, notiora sunt Θεραπεύειν, προσειπεῖν, προσκυνεῖν, Εὔχεσθαι, αἰτεῖσθαι, δεῖσθαι λίσσειν, λιβανεύειν, & ἱκετεύειν. Lege Heliodorum, lib. 9. pag. 453. Βασιλέα ἕτερον τούτῳ τῷ τρόπῳ Θεραπεύειν, *regem alterum hoc modo adorare*. Ita Isocrat. in Busir. Τὴν περὶ τοὺς θεοὺς θεραπείαν. & apud Aristot. de mund. θεραπεία ἡρώων. *cultus seu adoratio heroum dicitur.* audi & Homerum Iliad. a.

Λισσομένη προσέειπε Δία Κρονίωνα ἄνακτα.

Supplicans allocuta est Jovem Saturnidem regem.

Ita etiam Euripides, in Herc. furent. habet.

οὐκ ατιμάσω
Θεοὺς προσειπεῖν πρῶτα οὐκ τὸ σέγας.

Thucy-

Thucydides εὔχεσθαι εὐχὰς τοῖς θεοῖς. *Vota facere, optare vel petere aliquid a diis* ſcribit. Xenophon autem, primo Pædiæ: αἰτεῖσθαι τ' ἀγαθὰ παρὰ τῶν θεῶν *petere a diis bona*, & Plutarchus, δεῖσθαι πᾶσαν δέησιν, *omnes preces adhibere* dixerunt. Sic verbum λίσσειν Homerus, Odiſſ. ο. profert canens: λίσσομ' ὑπὲρ θυέων, id eſt, *precor per ſacra*, & ἱκετεύειν Xenophon, ἱκετεύειν τοὺς θεοὺς δεσποτῶν ἀγαθῶν τυχεῖν, *deos orare, dominos nanciſci bonos*.

Uſitatiſſimum vero erat verbum προσκυνεῖν. Herodot. lib. 3. cap. 86. οἱ δὲ καταθορόντες ἀπὸ τῶν ἵππων, προσεκύνεον μὲν Δαρεῖον ὡς βασιλέα. *Ceteri, ex equis deſilientes, Darium adoraverunt quaſi regem*. Neque non Achil. Tat. lib. 3. pag. 85. τὸ δ' οὖν κοινότατον, προσπεσὼν κατεσπαζόμεν, καὶ προσεκύνουν ὡς θεόν. *Itaque quod vulgus fieri ſolet, ad illius pedes proſtratus, hominem amplectebar, & veluti numen quoddam adorabam*.

Adorationis ſive precum originem ſi quiſpiam quæſiverit, ejuſdem fere ætatis, quæ Mundi, deprehendet ex capite quarto Geneſeos. Ubi Sacrificium Caini, & Abelis & nativitas Sethi deſcribuntur, ac commate 26. legitur: *tunc cœptum eſt invocari nomen Jehovæ* אז הוחל לקרא בשם יהוה. Ad quæ verba Clariſſimorum Virorum Junii, & Tremellii commentariolum habet: ſenſus eſt, Adam & Seth, in cujus poſteris manſura erat eccleſia, ubi corruptos a Cainitis reliqui mundi mores ex converſatione imbibi a ſuis poſſe animadverterunt, & labefactari Dei cultum, cujus fuerunt adminiſtri, inde ab eo tempore ſuos in corpus eccleſiæ contraxerunt; eodem alios prædicatione verbi provocarunt, ſanctis precibus & exercitamentis pietatis ab impietate & injuſtitia, palam graſſante, eos vindicarunt, religioſaque hac obſervatione ſibi nomen comparaverunt, & appellationem filiorum dei. Eſt igitur hæc locutio, utrovis modo accipias, ſynecdochica, atque ea κατά τι dicta, quam interpretationem contra Judaicas fabulas tuetur Rabbi Abben Eſra.

CAP. II.

Adoratoriæ Formulæ, a Briſſonio omiſſæ, illuſtrantur ex Romanis ſcriptoribus. Petitoriæ proponuntur & explicantur. Solenniores apud Græcos quæ? Χαῖρε *in principio precum ac fine obſervata.* Ζεῦ σῶσον, *antiquiſſima formula, ſternutantibus acclamata probatur. Sigonii error notatus.* Ελέησον, *miſerere, ex Græcorum conſuetudine fluxiſſe videtur, per Chriſtianam Eccleſiam recepta. Elegantiſſimæ Hebræorum formulæ recenſentur.*

ADoratoriæ *Formulæ* apud Veteres cum innumeræ fere inveniantur, & notiſſimas recenſuerit magnum illud Galliæ lumen Barnabas Briſſonius ſingulari libro de formul. & ſolennib. Pop. Rom. verbis, quas vir illuſtris omiſit, hic vulgatiores apud Latinos, juxta & apud Græcos & Hebræos litteris mandare conabor.

Sunt vero hæcce *formulæ* vel *petitoriæ* vel *gratulatoriæ*. *Primæ* rurſus vel *ad obtinenda auxilia*, vel *ad avertenda pericula* & mala; *ſecundæ* vero *ad gratias* numinibus pro accepto beneficio vel depulſo malo *agendas*, deoſque laudandos.

Petitoriæ Formulæ ad obtinendum deorum auxilium ſunt: ACCEDE. Valer. Flacc. lib. 5. v. 200.

ANNUE, *diva maris, numeroque* ACCEDE *tuorum*.

ADDE. Martial. lib. X. epigr. 24.

His vos, ſi tamen expedit roganti,
Annos ADDITE *bis, precor, novenos*.

Senec. Med. verſ. 831.

ADDE *venenis ſtimulos, Hecate*.

Optime Plinius, in fine Paneg. pro Trajano: *Capitoline Jupiter precor, ut beneficiis tuis* FAVEAS, *tantiſque muneribus* ADDAS *perpetuitatem*.

ADVERTE. Flacc. Valer. lib. 5. verſ. 17.

Arcitenens ADVERTE, *precor, nunc denique Apollo*.

Senec. Oedip. verſ. 408.

Huc ADVERTE *favens virgineum caput*.

COMMITTE. Senec. Med. Act. 1. verſ. 33.

COMMITTE *habenas, genitor*.

Martial. lib. 8. epigr. 43.

Victores COMMITTE, *tenus, quos iſte manebit*
Exitus, una duos ut Libitina ferat.

CONCEDE. Virgil. Eccl. 7. verſ. 24. ad muſas.

Nymphæ, noſter amor, Libethrides, aut mihi carmen,
Quale meo Codro, CONCEDITE.

Pap. Stat. Sylv. 2. lib. 1. verſ. 67.

At quondam lacbrymis, & ſupplice dextra
Et votis, precibuſque virum CONCEDE *moveri,*
Genitrix.

CONVERTE. Valer. Flacc. lib. 4. verſ. 539.

Et ad noſtros animum CONVERTE *labores*.

Claudian. de Rapt. Proſerp. lib. 1. verſ. 64. Lacheſis precatur Plutonem:

—— *Neu fœdera fratrum*
Civili CONVERTE *tuba*.

Perpetua etiam apud Poetas formula erat, dicere:

DOCE. Valer. Flacc. lib. 5. verſ. 389. ad Junonem:

Ac tu prima DOCE *fandi tempuſque modumque*.

P. Stat. Sylv. lib. 1. ſylv. 2. verſ. 49.

Hic Erato jucunda DOCE.

Nec non Tibul. lib. 2. eleg. 5. verſ. 17.

Phœbe ſacras Meſſalinum SINE *tangere chartas*
Vatis, & ipſe precor, quod canat illa, DOCE.

DUC. Valer. Flacc. lib. 5. verſ. 388. ad Junonem.

DUC, *precor, ad veſtri, quicunque eſt, ora Tyranni*.

Ac Martian. Capell. ad Junonem: *ut earum & itinera protegas & in optatas domos* DUCAS.

EFFICE. Tibull. lib. 4. carm. 4. verf. 5. ad Phœbum.

EFFICE, *me macies tabentes occupet artus.*

Et Valer. Max. lib. 8. cap. 1. Tucciæ Veftalis inceftæ precationem ita factam refert: *Vefta, fi facris tuis caftas femper admovi manus*, EFFICE *ut hoc cribro hauriam e Tiberi aquam & in ædem tuam perferam.*

ERIPE. Valer. Flacc. lib. 4. verf. 538.

—— *Nunc me quoque curis*
ERIPE.

Senec. Hippol. verf. 953. ad Neptunum.

—— *Sidera & cœlum* ERIPE.

Et lib. 36. Livius teftatur, accepta clade, matronas Romanas oraffe deos, *ut urbem Romam e manibus hoftium* ERIPERENT.

FLECTE. Valer. Flacc. lib. 1. verf. 216.

Nunc patrui, nunc FLECTE *minas.*

Tibull. lib. 2. eleg. 5. verf. 4.

Nunc precor ad laudes FLECTERE *verba meas.*

Claudian. de bell. Gild. verf. 121.

Maternis precibus natum jam FLECTE, *Cybelle.*

IGNOSCE. Senec. Med. verf. 812.

Votis IGNOSCE, *precor.*

Tibul. lib. 1. eleg. 2.

Et mala fi qua tibi dixit dementia noftra,
IGNOSCAS: *capiti fint precor illa meo.*

INTENDE. Senec. Med. verf. 532. ad Jovem.

INTENDE *dextram:*

Et in Hippol. verf. 416.

—— *huc vires tuas*
INTENDE.

JUVA. Ovid. Metam. lib. 15.

Quifquis ades, dixit: fis o pulcherrime vifus
Utiliter, populofque JUVES *tua facra colentes.*

Virg. lib. 4. Æneid.

ADSIS, *placidufque* JUVES, *& fydera cælo*
Dextra feras.

Et apud Liv. lib. 29. Scipio precatur Deos deafque maris & terræ: *Divi Divæque, qui maria terrafque colitis, vos precor quæfoque uti, quæ in meo imperio gefta funt*, & paulo poft, *eaque vos omnia bene* JUVETIS.

LEVA. Tib. lib. 4. eleg. 5. verf. 13.

Nec tu fis injufta Venus, vel ferviat æque
Vinctus uterque tibi, vel mea vincla LEVA.

LIBERA. Apulej. lib. 6. Metam. *Sis meis extremis cafibus Juno Sofpita, meque in tantis exantlatis laboribus defeffam, imminentis periculi metu* LIBERA.

LINQUE. RELINQUE. Valer. Flacc. lib. 2. v. 273.

LINQUE *o mihi cæde madentem*
Bacche domum.

Tibull. lib. 4. carm. 5. verf. 12. *ad Genium.*

Tu, precor, infidos, fancte RELINQUE *focos.*

Ita apud Martianum Capellam Junonem deprecatur Philologia, interducam & domiducam nominans, quam in nuptiis invocant puellæ, *ut cingulum ponentes, in thalamis non* RELINQUAT. & in evocationis carmine habetur, apud Macrobium Saturn. lib. 3. cap. 9. *Si Deus, fi Dea eft, cui populus civitafque Karthaginienfis eft in tutela, teque maxime ille, qui urbis hujus populique tutelam recepifti, precor veneror que, veniamque vobis peto, ut vos populum civitatemque Karthaginienfem deferatis, loca, templa, facra, urbemque eorum* RELINQUATIS.

MERGE. Senec. Hippol. ad Solem. verf. 676.

Lucem MERGE, *& in tenebras Fuge.*

Tibull. lib. 2. eleg. 5. verf. 79.

—— *Apollo,*
Prodigia indomitis MERGE *fub æquoribus.*

MELIOR, MITIS PLACIDUSQUE ut Deus effet, precabantur fæpius. fic Tibullus canit. lib. 2. Eleg. 5. verf. 79.

—— *Sed tu jam* MITIS *Apollo,*
Prodigia indomitis MERGE *fub æquoribus.*

Virgil. Æneid. lib. 12.

Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Juno,
Jam MELIOR, *jam, Diva, precor.*

Horat. in Carm. Sæcul. verf. 33.

Condito MITIS, PLACIDUSQUE *telo.*
Supplices AUDI *pueros Apollo.*

MITTE. EMITTE. REMITTE. Senec. Med. v. 872.

Nunc, Phœbe, MITTE *currus*
Nullo morante lora.

Senec. in Hippol. verf. 1212.

—— *Alcide tuum*
Diti REMITTE *munus.*

Id. in Oedip. verf. 930.

—— *Ipfe tu fcelerum capax*
Sacer Cythæron, vel feras in me tuis
EMITTE *Sylvis*: MITTE *vel rabidos canes.*

NAMQUE POTES perpetua apud Poetas formula eft, teftibus Valerio Flacco. lib. 2.

ANNUE, *meque precor, defectaque Pergama monftris*
ERIPE, NAMQUE POTES.

Horatio epod. carm. 17.

Et tu, POTES NAM, *Solve me dementia*.

nec non Virgilio Æneid. lib. 6.

—— *Aut tu mihi terram*
Injice, NAMQUE POTES, *portusque require Velinos*.

PARA. Tibull. lib. 4. carm. 6. verf. 7.

At tu Sancta FAVE, *ne nox divellat amantes*,
Sed Juveni, quæso, mutua vincla PARA.

Senec. Med. verf. 532. ad Jovem:

—— *Vindices flammas* PARA.

Martial. lib. 9. epigr. 57.

Quæ puero dones, tela Cupido PARA.

RECIPE. Senec. Hippol. verf. 233.

—— RECIPE *me Chaos*,
RECIPE.

& verf. 1236.

—— RECIPE *me æterna domo*
Non exiturum.

REDDE. Valer. Flacc. lib. 8. verf. 246. ad Venerem:

REDDE *diem, noctemque mihi*.

Lucan. lib. 9. verf. 849.

REDDITE *Dii, clament, miseris quæ fugimus arma*.
REDDITE *Thessaliam*.

SINE. Valer. Flacc. lib. 2. verf. 274.

—— SINE *fœdatum te funere pontus*
Expiet, & referam lotos in templa dracones.

Tibull. lib. 2. eleg. 5. verf. 17.

Phœbe Sacras Messalinum SINE *tangere chartas*.

Ovid. fast. lib. 4. ad Rubiginem:

Tu nata syderibus cæli nutrita secundis,
Crescere, dum fiant falcibus apta, SINAS.

& Manlius apud Livium lib. 6. *Jupiter* (inquit) *Opt. Max. Junoque Regina, ac Minerva, cæterique Dii, Deæque, qui Capitolium arcemque incolitis, siccine vestrum militem ac præsidem* SINITIS *vexari ab inimicis?* sic Cato de Re Rust. in Solitaurilibus loquitur: *Mari Pater te precor quæsoque, uti sies* VOLENS PROPITIUS *mihi domo familiæque nostræ: quojus rei ergo agrum, fundumque meum Suovitaurilia circumagi jussi, uti tu morbos visos invisosque, viduertatem vastitudinemque, calamitates intemperiasque* PROHIBESSIS, DEFENDAS, AVERUNCESQUE; *utique tu fruges, frumenta, vineta, virgultaque, grandire, beneque evenire* SINAS.

SISTE. vide orationem Scipionis in Africam trajicientis apud Livium lib. 29. ubi post alia, etiam precatur, *ut Dii, socios ac milites suos salvos incolumesque victis perduellibus, victores spoliis decoratos, præda onustos triumphantesque secum* DOMOS REDUCES SISTATIS. ita apud eundem lib. 1. Romulus, suis fugientibus, fatur: *at tu Pater Deum hominumque, hinc saltem* ARCE *hostes*, DEME *terrorem Romanis, fugamque fœdam* SISTE.

SPERNE. Tibull. lib. 1. eleg. 1. verf. 30.

—— *Neu vos de paupere mensa*
Dona, nec e puris SPERNITE *fictilibus*.

& Sil. Ital. lib. 15. ubi Scipio stans puppe profatur:

Da Pater, & nostros ne SPERNE *juvare labores*.

SPIRATE. ASPIRATE. Virgil. lib. 3. Æneid.

Dii maris & terræ tempestatumque potentes
FERTE *viam vento facilem. &* SPIRATE *secundis*.

& lib. 9.

Vos, o Calliope, precor, ASPIRATE *canenti*.

TENE. Valer. Flacc. lib. 1. verf. 214.

—— —— *Sic pectora fratris*
Juno TENE.

Idem lib. 5. verf. 251.

Tu quoque sacrata rutilant cui vellera quercu,
Excubias, Gradive, TENE.

TONA. Senec. Med. verf. 531.

Nunc summe toto Jupiter cælo TONA.

& in Hippolito verf. 677.

Cur dextra, Divum Rector atque hominum, vacat
Tua, nec trisulca mundus ardescit face?
In me TONA, *me* FIGE.

TORQUE. Tibull. lib. 4. carm. 4. verf. 11. ad Phæbum:

Neu juvenem TORQUE, *metuit qui fata puellæ*.

Id. lib. 1. eleg. 5. verf. 5.

Ure ferum, & TORQUE.

TUERE. Horat. in Carm. Sæcul.

Lenis Ilithya TUERE *partus*.

Ovid. Fast. lib. 4. Venerem Verticordiam adprecatur:

Semper ad Æneadas Placido PULCERRIMA *vultu*
RESPICE: *totque tuas Diva* TUERE *nurus*.

Ad avertenda mala sequentes formulæ adhibebantur.

AUFER. Tibull. lib. 3. eleg. 6. v. 3. ad Bacchum:

AUFER & ipse meum pariter medicande dolorem.

Ovid. Fast. lib. ad Rubiginem:

PARCE, precor, scabrasque manus a messibus AUFER.

COMPESCE. Valer. Flacc. lib. 1. v. 605. ad Æolum:

—— Nil me mea pignora tangunt,
Tantum hominum COMPESCE minas.

Id. lib. 6. vers. 305.

Teque per hanc, inquit, Genitor, tibi si manet, oro
Canitiem, COMPESCE minas.

EXIME. Valer. Flacc. lib. 2. vers. 255.

—— Primoque manus a limine tendens
EXIME nos sceleri, Pater, & MISERERE piorum
Rursus, ait.

PELLE. DEPELLE. EXPELLE. lib. 2. eleg. 1. vers. 18.

Vos mala de nostris PELLITE liminibus.

Id. lib. 1. eleg. 11. vers. 25.

At vobis ærata, Lares, DEPELLITE tela.

& lib. 4. eleg. 4. vers. 1.

Huc ADES, & teneræ morbos EXPELLE puellæ.

Valer. Flacc. lib. 8. vers. 349.

Vos modo vel solum hoc fluctus EXPELLITE corpus.

Gratulatoriæ vero formulæ parcissime inveniuntur, & hæ sunt:

EST DIIS GRATIA; GRATIAS, vel GRATEIS DIIS AGO, vel HABEO, & GRATULOR. audite Terentium Adelph. act. 1. scen. 2.

Et EST DIIS GRATIA, unde hæc fiant.

Ovid. Fast. lib. 1.

GRATIA DIIS, Domuique tuæ.

Plaut. in Pers. act. 5. scen. 1. vers. 3.

Cum bene nos Jupiter juvisti Dique alii omnes Cælipotentes,
Ea vobis GRATEIS HABEO atque AGO.

neque non Ennium precantem: *Jupiter tibi, summa tandem male re gesta,* GRATULOR. sic & Nævius lib. 3. bell. Phœnic. *Isque sursum ad cælum suas res ammullus* GRATULABATUR *Diis.* & Livius scribit: *templa* GRATANTES *ovantesque adiere.* ita ut gratulantur adventum, est, Diis ob meum adventum gratulantur, vel gratantur, nam *Gratulari* & *Gratari* scripsere Veteres, ut præter Livium Poeta lib. 3. fast. canit:

Quisquis ades, castæque colis penetralia Vestæ,
GRATARE, Iliacis turaque pone focis.

Illæ Latinorum, hæcce vero Græcorum recensentur, Romanorum plane congruæ, uti sunt Χαῖρε, *Salve.* Callimach. in hymno ad Jovem, vers. 49.

Χαῖρε πάτερ, χαῖρ' αὖθι.

Salve Pater, salve iterum.

illaque nunc preces incipiebant, nunc finiebant Gentiles. sic in hymno Cereris v. 2. canit Callimachus:

Δάματερ μέγα χαῖρε

Magna Mater Salve.

& apud Euripidem in Hippol. fatur Hippolytus in fine:

Χαῖρέ μοι ὦ καλλίστα
Καλλίστα τῶν κατ' Ὄλυμπον
Παρθένων Ἄρτεμι.

Salve mihi o formosissima
Pulcherrima in cælo degentium
Virginum Diana.

Ἐλθὲ a verbo ἔρχομαι. Ἴκου a verbo ἵκω. Δεῦτε, adverbium hortantis simul & accersentis, a verbo ΔΕΥΡΩ. *Venite, Ades. Accelerate.* ita Sapphus in hymno ad Venerem vers. 5.

Ἀλλὰ τυῖδ' ἔλθ' αἴποτε κατ' ἔρωτα.

Huc veni tandem precibus vocata.

Orpheus in hymno ad Hercul. vers. 14.

Ἐλθὲ μάκαρ νούσων θελκτήρια πάντα κομίζων.

Veni morborum averrunca piamina portans.

sic Anacreon ad Dianam,

Δέσποιν' Ἄρτεμι θηρῶν
Ἴκου νῦν.

Domina Diana ferarum
Veni nunc.

& Sophocles in Oedip. Tyran. vers. 149.

Σωτὴρ δ' ἵκοιτο, καὶ νόσου παυστήριος.

Servator nobis veniat, morbumque depellat.

nec non Sapphus apud Hephæstionem,

Δεῦτε νῦν ἁβραὶ Χάριτες καλλίκομοί τε Μοῖσαι.
Venite nunc pulchræ Charites, pulchricomæque Musæ.

ac alibi:

Δεῦρο δεῦτε Μοῖσαι χρύσεον λιποῖσαι.
Huc venite Musæ aureum relinquentes.

dicebant enim indiſcriminatim Δεῦτε & Δεῦρο. Muſæus ita ſcribit: Δεῦρό μοι εἰς φιλότητα, *huc ades mihi*: abſolute vero nonnunquam ponebantur (omiſſo imperativo ἴθι, ἐλθὲ aut ſimili) pro adeſdum & adeſte. Ariſtoph. in Pace, δεῦρο σὺ, *huc adſis tu*.

Δίδε, δὸς, a verbo δίδωμι, *Da*. Homer. hymn. in Herc. verſ. ult.

Χαῖρε ἄναξ Διὸς υἱὲ, δίδε δ' ἀρετήν τε καὶ ὄλβον.

& Iliad. Γ. ubi Menelaus inquit:

Ζεῦ ἄνα, δὸς τίσασθαι ὅ με πρότερος κάκ' ἔοργε.

Juppiter Rex, Da ulciſci, qui prior me injuria affecit.

hinc apud Callimachum Diana adhuc infans a Jove petit, Δός μοι παρθενίαν αἰώνιον, *da mihi virginitatem perpetuam*.

Σάω, *Serva*: per apoc. pro σάωζε. Callim. hymn. in Cerer. verſ. 135.

Χαῖρε θέα, καὶ τάνδε σάω πόλιν.

Salve Dea, & hanc Serva civitatem.

Hom. Odyſſ. Δ. ubi Ulyſſes Minervam precatur:

—— καί μοι φίλον υἷα σάωσον;

—— & mihi charum filium Serva.

& Gregor. Nyſſen. in teſtimoniis de Trinitate Unius Dei ſcribit: ἀλλὰ σάω με, σάω με φίλη τριάς. hoc eſt. *At tu conſerva me, conſerva me o dilecta Trinitas*: quam etiam formulam in ſternutationibus adhibebant, exclamantes, Ζεῦ σῶσον, *Jupiter Serva*. de cujus origine & ætate verba faciens Clariſs. Sigonius lib. 1. Hiſt. de Regn. Ital. contendit hunc ritum a Gregoriani temporis peſtilentia deducendum, at multum errat Vir eruditiſſimus, cum L. Apulejus, qui trecentis annis ante Gregorium ſcripſit, illius meminit, & Petronius diſerte refert: *Giton collectione ſpiritus plenus, ter continuo ita Sternutavit, ut grabatum concuteret: ad quem motum Eumolpus converſus, Salvere Gitona jubet*. Plinius quoque lib. 28. cap. 2. de ipſo Tiberio narrat, quod primus inter Romanos voluit, ut ſibi ſternutanti ſalvere juberetur.

Δέξαι, *Accipe*, *ſuſcipe*. Homer. hymn. in Apoll.

Δέξαι ἱερὰ καλὰ περικτιόνων ἀνθρώπων.

Suſcipe Sacra pulchra vicinorum hominum.

Pind. in Pyth. Od. 12. ὦ ἄνασσ' ἵλαος, Ἀθανάτων, Ἀνδρῶν τε, σὺν εὐμενείᾳ δέξαι στεφάνωμα. id eſt, *o Regina propitia immortalium hominumque cum benevolentia Accipe Coronam*. & Clem. Alexandr. lib. 5. Strom. σὺ δέ μοι θυσίαν ἄπορον παγκαρπίας δέξαι, πλήρη, προχυτίαν. id eſt, *tu autem mihi, ſacrificium rarum, omnium fructuum oblationem, Accipe, plenum, profuſum*.

Ἵλαθι, *ſis Propitius*. Callimach. in hymn. ad Cerer. verſ. ult.

Ἵλαθί μοι τρίλλιστε μέγα κρείουσα θεάων.

Propitia ſis mihi, ter optata, magna Regina Dearum.

Theocrit. Idyll. 15. verſ. 143. circa finem: Ἀδωνιαζουσῶν; ἵλαθι νῦν φίλ' Ἄδωνι; ubi Grammatici, ἵλαθι, ἀντὶ τοῦ ἱλάθητι, κατὰ ἀποκοπὴν Δωρικῶς; veluti eandem formulam paſſim apud Romanos obſervatam docet Cato de Re Ruſt. Feſtus, & Clariſs. B. Briſſonius lib. 1. de Formul. & ſolennib. Pop. Rom. verbis. Immo apud priſcos Chriſtianos viguiſſe probat Evangeliſta Lucas cap. 28. comm. 13. ubi Publicani ad Chriſtum: ἱλάσθητί μοι, *ſis mihi propitius*.

Κλῦθι, *audi*, a κλῦμι, ſic Archilochus apud Plutarchum:

Κλῦθι ἄναξ Ἥφαιστε.

Audi regnator Vulcane.

Heſiod. ἐργ. verſ. 9.

Κλῦθι ἰδὼν ἀΐων τε.

Audi intuens & auſcultans.

& Theognid. in Gnom. ad Apollin.

—— σὺ δέ μευ κλῦθι, καὶ ἐσθλὰ δίδε.

—— tu vero me Audi, & bona Largire.

ita ut ſæpe cum genitivo, ut hic, ſæpe cum accuſativo uſurpetur uti Odyſſ. ξ. θεοῦ δέ τιν' ἔκλυον αὐδήν. ſæpius cum dativo Od. ζ. Κλῦτέ μοι ἀμφίπολοι λευκώλενοι.

Ἰδοὺ & ἴδε, *aſpice*, adverbia facta ex imperativo verbi εἴδω, video. Callim. in hymn. in Cer. verſ. 98.

Τοῖα τὸν οὐκ ἀΐοντα Ποσειδάωνα καλιστρέων,
Ψευδοπάτωρ; ἴδε τὸν δὲ τεοῦ τρίτον.

His verbis ſurdum Neptunum invocans,
Falſe Pater, aſpice hunc tuum tertium.

ſimili modo in ſacra Scriptura habetur Joh. 1. ἴδε ἀμνὸς τοῦ θεοῦ, ac alibi ſæpe in Novo Teſtamento, & Ariſtoph. in Neb. ἰδοὺ τί ἐστι.

Φυλάσσεο poetice, & φυλάσσε, *Cuſtodi*, *Tuere*, *Serva* a verbo φυλάσσω, & Attice φυλάττω: ita Heſiod. ἐργ. verſ. 491.

Ἐν θυμῷ δ' εὖ πάντα φυλάσσεο.
Animo autem omnia bene Serva.

locutio Phœnicia, de qua docta multa & erudita diſſeruit indefeſſus erudiendo Joh. Clericus ad Geneſ. cap. 27. comm. 2.

—— —— ἀλλὰ σὺ Φοῖβε,
Ἵλαος ἡμετέρην τήνδε φύλασσε πόλιν.

—— —— Verum tu Apollo
Propitius noſtram hanc Cuſtodi urbem.

unde & Dæmones hominum Cuſtodes vocat Heſiodus ἐργ. verſ. 123. φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Ὗσον, PLUE. hæc formula particularis Athenienſium erat, qui in feſtis, quæ προχαιριστήρια vocabantur, & Minervæ celebrabantur pro moderata pluvia & tempeſtate atque ventis, teſte Proclo in Platonis Timæum lib. 2. orantes locuti ſunt: ὗσον ὗσον ὦ φίλε Ζεῦ κατὰ τῆς ἀρούρας τῆς Ἀθηναίων, καὶ τῶν πεδίων. *Plue, Plue chare Jupiter ſuper Athenienſium arva & prata*: uti refert Imperator M. Antoninus lib. 5.

Ιη παιὰν, *Io Pæan.* acclamatio solennis, qua Apollo invocari solitus, quæque juxta Macrobium Saturn. lib. I. cap. 17. *obtinuit per η literam enuntiari, cum sanitatem sibi dari precabantur*, Ἰη παιὰν, id est, *medere Pæan*; cum Ιε παιὰν per ε pronuncietur, eodem Macrobio teste, cum aspiratione prioris literæ. & hujus Ephymnii Apollinis caussa erat, quod Delphi olim ei, in certamen cum Pythio angue descendenti & sagittis eum conficere paranti acclamarunt ἵει παιὼν, *dimitte seu immitte Pæan.* scilicet tela: ut diserte Callim. hymn. in Apoll. vers. 97. & seqq. in hisce canit:

> Ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἀκούομεν, ὅυνεκα τῦτο
> Δελφός τοι πρώτιςον ἐφύμνιον ὅυρετο λαὸς,
> Ημος ἑκηβολίην χρυσέων ἐπεδείκνυσο τόξων.
> Πυθώ τοι κατιοντι συνήντετο δαιμόνιος θὴρ,
> Αἰνὸς ὄφις, τὸν μεν σὺ κατήνάρες, ἄλλον ἐπ' ἄλ-
> λῳ
> Βάλλων ὠκὺν οἶςόν; ἐπηΰτησε δὲ λαὸς,
> Ἰὴ ἰὴ παιῆον, ἵει βέλος.

> *Io Io Pæan, audimus: quoniam istum*
> *Delphicus tibi primum hymnum invenit populus:*
> *Quo tempore jaculationem aurearum demonstrasti sagittarum.*
> *Nam Pythonem tibi descendenti occurrit sæva bestia,*
> *Horribilis serpens. eum tu quidem occidisti, aliam super aliam*
> *Mittens velocem sagittam, acclamavit autem populus,*
> *Io Io Pæan, mitte sagittam.*

Quam formulam invocandi, ut scribit Macrobius dicto loco, *confirmasse fertur Oraculum Delphicum Atheniensibus, petentibus opem Dei adversus Amazonas Theseo regnante: namque inituros bellum bis ipsis verbis semet ipsum auxiliatorem invocare hortarique*: ortographiam vero vocis *Io* in Græc. Tragœd. Scaliger invenit ita, ut sit quasi *Iao*, quæ, uti Io, vox diminutiva esset a voce *Jehova*, sicuti *Pæan* a פנה *Pana*, quod aspicere notat; ita ut *Io Pæan* proprie sit *Jehova Penoh*, *Domine aspice nos*: dum, (sit fides pene F. Drake in Itinerario suo) apud Symerones, populum Occidentalis Indiæ, vestigium ejusdem formulæ invenitur, canentes inter saltandum maxima exclamatione *Io Peho*. Latini certe hinc suum *Io Hymen Hymenææ* mutuarunt in Nuptiis, de quibus multa & docta B. Brissonius.

Ελέησον, *Miserere*, a verbo ἐλεέω, ex Græcorum consuetudine fluxisse videtur, dum Homerus Odyss. E. canit:

> Αλλ' ἐλέαιρε ἄναξ.
> *Sed Miserere Rex.*

a verbo Ελεαίρω pro Ελεέω: habet quoque Arrianus lib. 2. Epict. cap. 2. *νῦν δὲ τρέμοντες τὸ ὀρνιθάριον, κρατοῦμεν, καὶ τὸν θεὸν ἐπικαλούμενοι, δεόμεθα αὐτῦ*, ΚΥΡΙΕ ΕΛΕΗΣΟΝ; *ἐπίτρεψον μοι ἐξελθεῖν.* Id est, *nunc vero trementes seu timentes augurium, superamus, & Deum invocantes rogamus eum. Domine Miserere, concede mihi exire, seu evadere*: & diserte Achilles Tacitus scribit lib. 3. pag. 66. edit. Commel. *ἀνοιμώξας οὖν ἐλέησον ἔφην δέσποτα Ποσειδῶν καὶ σπεῖσαι πρὸς τὰ τῆς ναυαγίας σῦ λείψανα. Multis itaque cum Lacrymis ego, Here, inquam Neptune*, MISERERE, *ac naufragii reliquiis parce*: ipsis & Romanis in usu fuisse docent passim Poetarum loci: sic Valer. Flaccus lib. 2. vers. 255.

> —— *Primoque manus a limine tendens*
> *Exime nos sceleri, Pater, &* MISERERE *piorum*
> *Rursus ait.*

& Virgil. Æneid. lib. 9. vers. 495.

> *Aut tu Magne Pater Divum* MISERERE.

Neque non multæ Hebræis Formulæ in usu erant, plane Græcorum & Romanorum illis congruæ: ita Deum precabantur, ut sese servaret per verbum ישע *Servare*, הושיעני *Serva me*. Psalm. 3. comm. 8. Psalm. 6. comm. 5. Psalm. 7. comm. 2. 12. comm. 2. & 20. comm. 10. Atque Deuteron. 33. comm. 29. ac Jerem. 17. comm. 14. הושיעני ואבושעה. *Serva me & Servabor*: orabant sæpius, Deus ut *Audiret*, *Exaudiret*, *Videret*, *Eriperet se, suorumque Misereret*: legito Psalm. 4. comm. 2. בקראי עננו אלהי *cum invocavero, Exaudi me Deus*. Psal. 13. comm. 4. רנני יהוה *Exaudi me Jehova*. Psalm. 25. comm. 18. יראה עני *Vide afflictionem meam*: & comm. 19. ראה איב *inimicos meos Vide*. Sic Psalm. 6. comm. 5. חלצה נפשי *Eripe animam meam*; & rursus Psalm. 4. comm. 2. חנני ושמע תפלתי *Miserere mei & meam orationem Audi*: ac Psalm. 6. comm. 2. חנני יהוה. *Miserere mei*: usitatissima etiam formula erat, *Fac*. ita Psalmista Ps. 25. comm. 4. הודיעני *Fac me scire vias tuas Domine*: & comm. 5. *in veritate tua* הדריכני *Fac iter me facere*: adde orationem Nehemiæ Machab. lib. 2. cap. 1. comm. 24. inter sacrificandum adhibitam, in qua elegantes formulæ occurrunt. *Κύριε κύριε ὁ θεὸς ὁ πάντων κτίστης ὁ φοβερὸς, καὶ ἰσχυρὸς καὶ δίκαιος καὶ ἐλεήμων. ὁ μόνος βασιλεὺς καὶ Χρηστὸς. ὁ μόνος χορηγὸς, ὁ μόνος δίκαιος καὶ παντοκράτωρ καὶ αἰώνιος, ὁ διασώζων τὸν Ισραὴλ ἐκ παντὸς κακῦ, ὁ ποιήσας τὺς πατέρας ἐκλεκτὺς, καὶ ἁγιάσας αὐτὺς. πρόσδεξαι τὴν θυσίαν ὑπὲρ παντὸς τῦ λαῦ σῦ ἰσραὴλ, καὶ διαφύλαξον τὴν μερίδα σῦ καὶ καθαγίασον. Επισυνάγαγε τὴν διασπορὰν ἡμῶν. ἐλευθέρωσον τὺς δυλεύοντας ἐν τοῖς ἔθνεσι, τὺς ἐξυθενημένυς καὶ βδελυκτὺς ἔπιδε. καὶ γνώτωσαν τὰ ἔθνη ὅτι σὺ εἶ ὁ θεὸς ἡμῶν. βασάνισον, τὺς καταδυναστεύοντας, καὶ ἐνυβρίζοντας ἐν ὑπερηφανίᾳ. καταφύτευσον τὸν λαόν σῦ εἰς τὸν τόπον τὸν ἅγιόν σῦ, καθὼς εἶπε μωϋσῆς.* Id est, *Domine, Domine Deus, omnium Creator, Terribilis, & Fortis, & Justus, & Misericors, solus Rex, & Bonus solus præstans, solus Justus, & Omnipotens & Æternus, liberans Israel ab omni malo, qui fecisti Patres electos, & sanctificasti eos*, ACCIPE *sacrificium pro omni populo tuo Israel, &* CUSTODI *partem tuam &* SANCTIFICA, CONGREGA, *dispersionem nostram*; LIBERA *eos; qui serviunt in Gentibus contemptos, & abominatione habitos* RESPICE: *& sciant Gentes quod tu es Deus noster*. AFFLIGE *opprimentes, & contumeliis afficientes in superbia*. PLANTA *Populum tuum in loco sancto tuo, sicut dixit Moyses*.

Huc etiam refero duas illas supplicandi formulas juxta victimas mactandas edi solitas, quæ reperiuntur in Misna in Joma & Siphra in Acharemoth, & Maim in Jom. Hakippurim, cap 3. & 4. & sonat prima: אני וביתי אנה השם אנה השם להטאים ולפשעים שחטאתי חטאתי עויתי פשעתי לפניך ושעויתי ושפשעתי אני וביתי ככתוב בתירת כפר נא ה תתהרו משה עברך לאמור כי ביום הזה יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאתיכם לפני *Obsecro Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo ego & familia. Obsecro Domine*, REMITTE *nunc peccata, delicta & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus & rebellavimus ego & familia mea; sicut scriptum est in lege Mosis, servi*

tui, ubi dictum est, in hac die expiatio erit vestri, atque mundatio ab omnibus peccatis vestris, coram Domino mundabimini. Altera iisdem fere verbis constabat. השם חטאתי עויתי משעתי לפניך אני וביתי ובני אהרן עם קרשך אנה חשם כפר נא אנה ושפשעתי לחטאים ועונות ולפשעים שחטאתי ושעניתי חוה ושפשעתי לפניך אני וכיתי ובני אחרן עם קרשך יבם לפנו ככתוב בתורתמשה עברך לאמור כי בי ום ה חטחרו יכפר עליכם לטהר אתכם מכל חטאת. *Obsecro, Domine, peccavimus, deliquimus, rebellavimus in conspectu tuo ego & familia mea & filii Aaronis, populus Sanctus tuus. Obsecro Domine,* REMITTE *nunc peccata, delicta & rebelliones, quibus peccavimus, deliquimus & rebellavimus in conspectu tuo ego & familia mea & filii Aaronis populus Sanctus tuus.* Ceterum solemni Expiationis die odoramenta illa, quibus intimum Ædis Sacræ adytum semel quotannis suffiendum erat, Pontifex ipse adolens ita populum Deo commendabat: רצון מלפניך ה אלריכו שאם היתה שנה צריכין שחינה תהיה גשומה ולא יסור שכט מבית יהי תפלת עוברי דרכים יהורה ולא יחיה עמך בית ישראל לפרנסה ואל תכנם לפניך. *Placeat tibi Domine Deus, ut, si hic annus calidus fuerit, idem quoque sit pluviosus: ut ne discedat sceptrum a familia Judæ, nec victu careat populus tuus Israeliticus, irritæque ut sint impiorum preces:* & præcipitur Deuteron. 21. comm. 7. & 8. quando homicidii, in agro facti, auctor nesciebatur, ut precarentur: *Manus nostræ non effuderunt sanguinem hunc, nec oculi viderunt.* PROPITIUS *esto populo tuo Israel, quem redemisti, Domine, & ne* REPUTES *sanguinem innocentem in medio populi tui Israel.*

Neque vulgatius fere Judæis erat, quam Deum *Benedictum* invocare, & illum *Benedicere:* legite Psalm. 28. comm. 6. *Dominus* ברוך *Benedictus, quia audivit vocem deprecationum mearum:* item Psalm. 31. comm. 22. 41. comm. 14. 66. comm. 20. Genes. 15. comm. 19. & 20. imo Judic. 5. Debora præcipit populo: יהוה ברכו *Benedicite Domino:* ita prima Ecclesia Christiana Benedictum illum precabatur, veluti habetur in tract. de Offic. Divin. qui invenitur tomo 13. Bibliothecæ Patrum fol. Anni 1599. quando Catechumenis mel & lac porrigerentur: *Benedic Domine has creaturas lactis & mellis, & Pota famulos tuos fonte perenni, qui est spiritus veritatis & Enutri eos de hoc lacte & melle: tu enim Domine promisisti Patribus nostris Abrahæ, Isaac & Jacob dicens, introducam vos in terram promissionis, terram fluentem lacte & melle. Conjunge Domine famulos tuos spiritu caritatis & pacis, sicut conjunctum est hoc lac & mel in Christo Jesu Domino nostro.*

CAP. III.

Diis Varia Cognomina data. μάκαρες Beati *omnes.* ἁγναὶ & θρέπτειραι *Deæ vocatæ Græcis, ut Latinis* Almæ. *Dii ac Deæ* Magni & Magnæ. *solus Jupiter* Optimus Maximus. *alii & Dii* Maximi. *Dii* Reges & Domini, *Deæ* Reginæ *ac* Dominæ. *quo titulo & verum Deum Hebræi adorant. frequenter numina* Patres Matresque *dicebantur. a Christianis & Judæis Deus* Pater *vocitatus, ut &* Conservator *sive* Salvator, *æque ac Gentilibus. ab his Dii blandis verbis* Boni, Amici, Propitii, Pulchri *appellantur, ab Israelitis Deus* Magnus, Bonus, Justus, Misericors *&* Sanctus. *quod nomen Gentilibus familiare.*

§. I. NUnc de Cognominibus, quæ Veteres in precibus suis tribuebant Diis. Græci Deos Deasque μάκαρες, id est, *Beatos* vocarunt, quod omnium beatissimam vitam agebant. Orpheus in hymno ad Noct. vers. 3. canit.

> Κλῦθι μάκαιρα θεά.
>
> *Audi Dea Beata.*

& Hesiod. in Ἔργ. καὶ Ἡμέρ. vers. 138.

> —— χολώμενος οὕνεκα τιμὰς
> Οὐκ ἐδίδουν μακάρεσσι θεοῖς, οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν.
>
> —— *Quia honores*
> *Non dabant Beatis Diis, qui Olympum habitant.*

Non minus frequentes erant voces Ἁγνή, κλυτή, ὡραία, θρέπτειρα. Homero ζείδωρος ἄρουρα, *alma terra:* quod homines nutriat: inde Gloss. *Almus* ζείδωρος: sic apud Orph. in hymno Cer. vers. 7. lego,

> —— θνητ θρέπτειρα προπάντων,
>
> —— *Hominum Alma Nutrix.*

Alcman vero apud Hephæstionem canit:

> Κόλπω σ' ἐδέξανθ' ἁγναὶ χάριτες κρονω.
>
> *Sinu te exceperunt Almæ Gratiæ.*

& Orpheus in hymno Cereris vers. 11.

> Λαμπαδόεσσ', ἁγνή.
>
> *Tædigerens, Alma.*

atque vers. 18.

> Ελθὲ μάκαιρ' ἁγνή.
>
> *Adesdum Beata, Alma.*

neque solennior vox in Romanorum precibus audiebatur, teste dicto libro Clariss. Brissonio: adde Ovidii locum lib. 15. Metam. qui sonat:

> *Constitit* ALMA *Venus nulli cernenda.*

nec non Tibull. lib. 1. eleg. 10. vers. ult.

> *At nobis Pax* ALMA veni.

& Virgil. lib. 1. Georg. vers. 5.

> —— *Vos o clarissima mundi*
> *Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,*
> *Liber & Alma Ceres.*

qua de voce Pompejus. Festus habet: *Alma, Sancta, sive Pulchra; vel alens, ab alendo scilicet.*

Commune etiam Græcis ac Romanis erat Numina *Magna* vocare. Catullus in carm. 35. ad Dianam:

> *O Latonia Maximi*
> MAGNA *Progenies Jovis.*

Tibull. lib. 1. eleg. 5.

> *Num Veneris* MAGNÆ *violavi Numina verbo.*

testantur & de Diis Magnis Inscriptiones: sic apud

Gruterum pag. 54. habetur D. M. S. MERCURIO. MAGNO. D. S. FRATRI SUB. CL. PR. & rursus apud J. Jacob. Boissard. Antiq. Rom. part. 6. tom. 2. pag. 68.

DIS. MAGNIS. SACRUM
COR. LAMIA.
EX. VOTO.

inter Græcos canit Orpheus in hymno Jovis vers. 1.

Κικλήσκω μέγαν ἁγνὸν ἐρισμάραγον.

Obtestor Magnum perterricrepum.

nec non Bachylides apud Stobæum in tract. de Pace:

—— Τίκτει δέ θνατοῖσιν εἰρήνα μεγάλα.
Πλοῦτον.

—— *Parit autem mortalibus Pax (dea) Magna*
Divitias.

Jupiter ceterum in solenni precatione semper OPTIMUS MAXIMUS vocabatur, ita tamen, ut Optimi nomen Maximo semper præponeretur, quia, teste Cicerone, majus gratiusque est prodesse omnibus, quam opes magnas habere: eodemque auctore lib. 2. de Nat. Deor. *Jovem Capitolinum P. R. propter beneficia* OPTIMUM, *propter vim* MAXIMUM *nominavit:* quo ulteriore nomine etiam alia numina decorarunt Gentiles: sic Mercurium, sive Camillum inter Cabiros Maximum ponunt Scholiastes Apollonii & Etymologicum magnum, & Inscriptio Vetus apud Boxhornium Quæst. Rom. 12. legitur.

DIIS. MAXIMIS.
BACHO. ET SOMNO.
HUMANÆ. VITÆ.
SUAVISSIMIS.
CONSERVATORIBUS. SACRUM.

Sæpius Dii REGES & DOMINI, Deæ vero REGINÆ ac DOMINÆ appellatæ sunt, licet solo illo Ἄνακτος nomine apud Poetas Apollo designetur, sicut id ad Callimachi hymn. ad Apoll. vers. 79. & 90. & ad Juliani Cæsares pag. 356. nos monuit magnus eruditorum ocellus E. Spanhemius: sic Hesychius de Apolline:

Ὦναξ παιὰν ὦ βασιλεῦ, ὁ κακάπαύων ἄπολλον.

O Rex Apollo, qui mala quiescere facis.

Orpheus in hymno ad Apollinem & Somnum vers. 1.

ΥΠΝΕ, ἄναξ μακάρων πάντων θνητῶν τ' ἀνθρώπων.

Somne, Divum omnigenum unicus atque hominum Rex.

& alio loco ad Nemesin.

Ὦ νέμεσι, κλήζω σεθεὰ βασίλεια μεγίστη.

O Nemesis voco te Dea Regina Maxima.

sic θεοὶ βασίλειοι, *Dii Regii*, ab Aristide monodi in Smyrna pag. 471. ac a Juliano in genere sunt vocati.

Inter Latinos Propertius lib. 4. eleg. 5.

Sed CAPE *torquatæ, Venus o* REGINA, *columbæ*
Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

& Martialis lib. 12. epigr. 63. ad Saturnum canit:

Antiqui REX *Magne poli, mundique prioris.*

uti Virgilius de Plutone lib. 4. Georg. vers. 4691.

—— *Maneisque adiit,* REGEMQUE *tremendum.*

ac Æneid. lib. 10. vers. 541.

—— —— —— *Arma Serestus*
Lecta refert humeris, tibi REX *Gradive, tropæum.*

de appellatione *Dominorum Deorum* Seneca in Med. act. 1. scen. 1. vers. 12.

DOMINUMQUE *regni tristis, &* DOMINAM *fide*
Meliore raptam, voce non fausta precor.

Martialis lib. 12. epigr. 3. de Musis, vers. 14.

Fons ibi Castalius vitreo torrente superbit,
Unde novem DOMINAS *sæpe bibisse ferunt.*

Anacreon etiam ad Dianam,

—— —— ἀγρίων
Δέσποιν' ἄρτεμι θηρῶν
Ἴκευ νῦν ἐπὶ Λυθαίου
Δίνησι.

—— —— *agrestium*
Domina Diana ferarum
Veni nunc ad lethæi
Gurgites.

Sufficiat testimonium Heliodori Æthiop. lib. 10. pag. penult. ὦ δέσποτα, εἶπεν, Ἥλιε, καὶ Σελήνη δέσποινα. *o Domine Sol, dicebat, & Luna Domina:* iisdem sæpe titulis Deum Hebræos honorasse testes sunt 2. Paralip. cap. 6. comm. 14. Psalm. 87. comm. 15. & alia Sac. Script. loca, quodque etiam in Christiana Ecclesia obtinet.

Quamquam *Patris* nomen proprium Jovi apud antiquos Theologos adtributum sit, quod Dio Chrysostomus Orat. 1. pag. 8. innuit, & post eum Baccho etiam seu *Libero Patri* daretur, unde Servius ad Virgil. Georg. lib. 2. vers. 4. scribit: *Pater licet generale sit omnium Deorum, tamen proprium Libero semper cohæret:* quinimo Hierophanta in Sacris Mithriacis quoque, ut ex Eunapio liquet, *Pater* appellaretur, unde eadem Sacra *Patrica* dicta sunt juxta Lampridium in Commodo: sæpissime quoque Deos singulos PATRES, MATRESQUE Deas invocarunt. Martialis ad Janum. lib. 10. epigr. 28. vers. 7.

At tu sancte PATER, *tanto pro munere gratus,*
Ferrea perpetua claustra tuere sera.

Nec non apud Livium Horatius Cocles lib. 2. fatur: *Tiberine* PATER, *te Sancte precor, hæc arma, & hunc militem propitio flumine accipias.* Ma-

Matres Deæ frequenter in Marmoribus celebrantur: sic apud Gruterum lib. 5.

TEMPLUM. DIANÆ.
MATRI. D. D. APU.
LEJUS. ARCHITEC.
TUS. SUBSTRUXIT.

Inveniuntur & plurima Marmora apud erudit. Cuperum lib. de Inscript. & Marmor. Antiq. pag 260. & seqq. inscripta Deabus Matribus. Callimachus in hymno in Jovem. vers. 94.

Χαῖρε πάτερ, χαίρ᾽ αὖθι.

Salve, Pater, salve iterum.

iterum in hymno in Cererem vers. 2. eam alloquitur, *Δαματερ μέγα χαῖρε. Magna Mater Salve.* adde, quod Hebræorum exemplo, qui verum Numen Patrem dixerunt frequentius: uti Deuteron. cap. 32. comm. 6. *numquid Domino retribuetis istud popule ingrate & insipide? nonne ipse est* אביך, *Pater tuus?* & comm. 7. *interroga Patrem tuum*. Nos Christiani, ut & ex præcepto ipsius Salvatoris Matth. 6. comm. 9. *ὅπως οὖν προσεύχεσθε ὑμεῖς. πάτερ ἡμῶν ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς: sic ergo orabitis vos: Pater noster, qui es in cælis.* Deum Patrem invocamus: adite Prudentium Hamart. vers. 931.

O Dee CUNCTIPARENS, *animæ dator, o Dee Christe,*
Cujus ab ore Deus subsistit spiritus unus.

& Cathemer. hymn. 4. vers. 3.

Laudem lingua Deo PATRI *rependat.*

ac rursus vers. 35.

Artus atque animas utroque pastu
Confirmas, PATER, *ac vigore comples.*

simili modo *Regem* appellant. Prudent. eod. hymnorum lib. hymn. 2. vers. 67.

Tu REX *Eoi sideris*
Vultu sereno inlumina.

Judæi quoque in precibus matutinis quotidie precabantur; *Benedictus sit Dominus Deus noster,* REX *bujus mundi.* רשכוי בינת אשר נתן *qui dedit gallo gallinaceo intelligentiam:* & Paulus in Epistola ad Timotheum cap. 1. comm. 17. *τῷ δὲ βασιλεῖ τῶν αἰώνων ἀφθάρτῳ, ἀοράτῳ, μόνῳ σοφῷ θεῷ τιμὴ, δόξα εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων, ipsi autem* REGI *sæculorum immortali, invisibili, soli sapienti Deo, honor & gloria in sæcula sæculorum.*

Erat & moris solennissimi CONSERVATORES Deos, Deasque CONSERVATRICES appellare. Orpheus in hymno Carniæ Limentinæ Forculæ:

Καὶ σῶζ᾽ ὥσπερ ἔφυς ἀεὶ σώτειρα προπάντων.

Et Serva, omnium uti cluis semper Sospita Juno.

Pindar. Olymp. od. 5. *σωτὴρ ὑψινεφὲς Ζεῦ. Servator, qui es in altis nubibus Jupiter:* his adde illam apud J. Jacob. Boissardum part. 6. tom. 2. pag. 73. Inscriptionem;

HORTORUM. CUSTODI. VIGILI.
CONSERVATORI. PROPAGINIS
VILLICORUM.

& part. 4. tom. 2. pag. 128.

JUNONI. PLACIDÆ.
CONSERVATRICI. AUGUSTÆ.

verum quod Salvatorem Christiani nuncuparunt Christum, verum Deum, fiebat, *ὅτι ἦλθεν εἰς τὸν κόσμον ἁμαρτωλοὺς σῶσαι: quia venit in hunc mundum peccatores servare:* (ita enim verbum *σῶσαι* proprie denotat) 1. Timoth. 1. comm. 15. ratio altera hujus nominis: *ὅτι ἠλπίκαμεν ἐπὶ θεῷ ζῶντι, ὅς ἐστι σωτὴρ πάντων ἀνθρώπων, μάλιστα πιστῶν: quia speravimus in Deum viventem, qui est Salvator* (sive servator, conservator) *omnium hominum, maxime fidelium* 1. Timoth. 4. comm. 10. de Judæis Vetus Testamentum multis locis idem confirmat: ex omnibus audias 2. Sam. 22. comm. 3. Davidem cantantem: משעי אלהי צורי מחמם תשעני אחסה בו מגני וקרן ישעי משגבי ומניסי *Deus mea Petra, sperabo in eo: scutum meum & cornu salutis meæ; Elevator meus & refugium meum. Salvator meus, a rapina salvum fecisti me.*

Quo vero magis voti compotes fierent Gentiles, blanda verba illa: *Boni, Amici, Propitii, Pulchri:* quibus Deos demulceant, addidisse Numinum nominibus docent Ovidius fast. lib. 4.

Parva BONÆ *Cereri, sint modo casta, placent.*

Catullum epithal. Jul. & Manl.

Jam venis. BONA *te Venus*
Juverit.

& Virgilius Æneid. lib. 10.

Adsit lætitiæ Bachus dator, & BONA *Juno.*

Amicum numen exprimunt Græci per vocem, *φίλος*: sic Maneth. lib. 6. vers. 1.

Ἐλθέ μοι ὡς προτέρην λιγείως ἥρμοσας ἀοιδὴν
Μοῦσα φίλη.
Ades mihi, sicut priorem argute aptavisti cantum
Musa Amica.

Menand. ap. Suidam in *ἀνέσπακε*.

Πέπονθε γὰρ ὦ φίλοι θεοί,
Pertulit enim, o Dii Amici.

nec non Philemon apud Stob. lib. 14. pag. 645.

Ἄρτεμι φίλη δέσποινα.
O Diana Amica Domina.

eodem modo Romani *Propitia Numina* adorabant ac *Facilia*, quas formulas Clariss. Brissonius sæpius laudato libro recenset.

Quanta tamen observatione haud raro tam Græci, quam Latini, Deos *Pulchros* dixere, testes sunt Horat. lib. 4. carm. od. 2.

——— ——— *O Sol*
PULCER, *o laudande canam.*

Ovid. lib. 15. Metam.

Quisquis adeſt dixit, ſis o PULCHERRIME *viſus*
Utiliter.

quam vocem per καλὸν notant Græci: vide Maneth, lib. 1. verſ. 17. & 45. καλὴ λέγε Καλλιόπεια. *Pulchra dic Calliope*: & Euripides in Hippol. Dramat. verſ. 71.

Κάλλιστα πολὺ κατ' ὄλυμπον
Παρθένων Ἄρτεμι.

Pulcherrima in Cælo degentium
Virginum Diana.

Majori jure & reverentia Populus Iſraeliticus Deum vocavit *Magnum*. Pſalm. 145. comm. 3. & 135. comm. 5. *Bonum univerſis*. Pſal. 145. comm. 9. & 135. comm. 3. & 136. comm. 1. *Juſtum in omnibus viis ſuis*. Pſalm. 145. comm. 17. & 129. comm. 4. & 119. comm. 137. & *Miſericordem in omnibus operibus ſuis*. Pſalm. 145. comm. 17. quæ voces hebraice ſonant: גדול, טוב, צריק, חסר.

Solenne etiam epithethon in precibus Deorum erat, illos *Sanctos* invocare: idque non eo, quod ſe Dii ſanxiſſent, aſt quod Sancti, Inviolabiles & Venerabiles eſſent. Propertius ita lib. 4. eleg. 10. ad Herculem:

SANCTE *Pater Salve, cui jam favet aſpera Juno.*
SANCTE *velis libro Dexter ineſſe meo.*

Tibull. lib. 4. eleg. 6. ad Junonem:

At tu, SANCTA, *fave, ne quis divellat amantes.*

& ita paſſim Marmora antiqua ſonant, uti illud in hortis Carpenſibus inſcribitur:

SYLVANO. SANCTO.

atque in Ædibus Delfinor.

HERCULI SANCTISS.

&

SANCTISSIMO. HERCULI. INVICTO.

quod apud Græcos exprimunt voces Αἰδοῖος a themate αἰδὼς, pudor: & πότνιος: ſic Heſiodus ΘΕΟΓ. verſ. 11. ſcribit: πότνιαν Ἥρην, *Venerandam Junonem* & ΕΡΓ. verſ. 73. habetur πότνια Πειθὼ *Veneranda Suada*: uti Pallas apud Homerum Iliad. Β. παρθένος αἰδοίη vocatur: adde hiſce ejuſdem Heſiodi verſum 256. ΕΡΓ. de Juſtitia, ſonantem:

Ἡ δέ τε παρθένος ἐστὶ Δίκη, Διὸς ἐκγεγαυῖα,
Κυδρή τ' αἰδοίη τε θεοῖς οἳ ὄλυμπον ἔχουσιν.

Virgo autem eſt Juſtitia, Jove prognata,
Auguſta & Veneranda Diis, qui cœlum habent.

Euripid. in Hippolyt. verſ. 66. ad Dianam:

Πότνια, πότνια, σεμνοτάτα,
Ζηνὸς γένεθλον.

Veneranda, Veneranda, Auguſtiſſima
Jovis ſoboles.

Callimach. hymn. in Delum, verſ. 312.

Πότνιασὸν περὶ βωμὸν ἐγειρομένου κιθαρισμοῦ.

Ad citharæ pulſum tua circum altaria Veneranda.

ſic apud Homerum od. ο. πότνια μήτηρ: & od. Ε. Πότνια θεά, μή μοι τόδε χώεο legitur.

Idem mos in Judæorum ac Veterum Chriſtianorum invocationibus obtinuit: teſte Jeſaia capite 6. comm. 3. de Serafinis clamantibus: קרוש קרוש קרוש יהוה צבאות *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus exercituum*; a verbo קרש *Sacrari, Sacrum eſſe*: & Jeſaias cap. 1. comm. 4. de populo Iſraelitico exclamat: באצו את קרוש ישראל *Iraſci fecerunt Sanctum Iſrael*: audiemus & Prudentium Cathem. hymn. 2. verſ. 67.

Tu REX *Eoi ſideris,*
Vultu ſereno inlumina.
Tu, SANCTE, *qui tetram picem*
Candore tinguis lacteo,
Ebenoque cryſtallum facis,
Delicta terge Livida.

& hymn. 3. verſ. 96.

Nos igitur tua, SANCTE, *manus*
Ceſpite compoſuit madido.

ſic Chriſtiana Eccleſia in feria quarta ad nocturnum matutinum canit hoc tempore:

Te, SANCTE *Chriſte, poſcimus,*
Ignoſce tu criminibus.

& in eadem feria ad Veſperas,

Cœli Deus SANCTISSIME.

atque rurſus Sabbato ad Veſperas,

O PATER SANCTE, *mitis atque pie.*

per illam tamen vocem non idem ſemper intelligitur, nam ſæpius Dei, ſive illorum, quæ recta ſunt, puritatem vel conſtantem immutabilemque voluntatem illa vox denotat; quo reſpiciunt illa apud Apoſtol. Petrum epiſt. 1. c. 1. comm. 15. verba: *Secundum eum, qui vocavit vos,* SANCTUM, *& ipſi in converſatione* SANCTI *ſitis*: ſæpius Majeſtatem illam, quæ ſumma in ſapientia ac potentia, ſummoque in omnia Dominio cernitur, quo fit, ut Deus omni laude cultuque ſit dignus: ſæpius etiam *Sanctus* idem valet, quod *Magnus, Verendus, Venerandus*: ita David Pſ. 99. comm. 3. *confiteantur nomini tuo* MAGNO, *quoniam* TERRIBILE *&* SANCTUM *eſt*.

CAP. IV.

Ad ipſam Adorationem proceditur. Adorationis varii ordines. antiquiſſima eſt, quæ ſub Jove fiebat *a perſonis* privatis, *vel* publicis *apud Romanos & Græcos, quæ ab Hebræis defluxit. Cain & Abel primi adoratores.* Montes *&* Sylvæ *ad orandum ſæpius apud Gentiles quærebantur.* locus mundus *a Perſis electus, &* templa rejecta, *uti a veterrimis Romanis.* Dii in via *a viatoribus invocati, & in aliis multis locis. Per* perſonas publicas *fiebat* interveniente populo. *Deorum ex hoſtium urbibus* Evocatio *uſitatiſſima. ubi*

& urbium & exercitus, aliquando etiam hominum devotio *fiebat, quæ non Græcis ignota fuit. adoratio Patris Patrati* in fœdere feriendo *observatissima ambabus Gentibus. ab Hebræis simili modo orationes factæ primis temporibus.*

PRogredior ad ipsam adorationem, id est, preces & vota, quæ nunc sacrificiis præmittebantur, nunc intercedebant, jam finem explebant; nunc sine sacrificiorum oblatione fundebantur, uti Jamblichus lib. 5. scribit, & Plato in Euthyphrone distinguit: hujus varii ordines occurrunt; antiquissimus vero est, qui *sub Jove celebrabatur* vel *ab hominibus privatis, vel publicis* tam apud Romanos, quam Gentes alias: hæc religiosa observatio ab mortalium Parente Adamo ad posteros defluxit, & Cainus ac Abelus primi ordinis privati adoratores fuerunt, cum Adamus publicum Prophetiæ ac Sacerdotii officium teneret: legas Genes. cap. 4. comm. 3. & 4. ubi habetur: *fuit autem post dies multos, quum obtulit Cain de fructu terræ munus Jehovæ, & ipse quoque Habel obtulit de primogenitis gregis sui & de adipe eorum.* Lucos pleræque Gentes eligebant: Lucan. lib. 3. Pharsal. de Celtis.

Lucus erat longo nunquam violatus ab ævo,
Obscurum cingens connexis aera ramis,
Et gelidas alte submotis solibus umbras.
Hunc non ruricolæ Panes nemorumque potentes
Sylvani Nymphæque tenent, sed barbara ritu
Sacra Deum, structæ Sacris feralibus aræ.

Plin. lib. 12. cap. 1. de arboribus inquit: *hæc fuere Numinum Templa, priscoque ritu simplicia rura, etiam nunc Deo præcellentem Arborem dicant; nec magis auro fulgentia atque ebore simulacra, quam lucos, & in iis silentia ipsa adoramus*: quod apud antiquos etiam Germanos & Frisiæ Drentiæque incolas viguisse testantur Tacitus lib. de Germ. Pikart. cap. 17. de absconditis Frisiæ Antiquitatibus, & omnium Eruditorum encomiis dignus Ludolfus Smids in libro suo aureo, Schatkamer der Nederlandsche Oudheden dicto, pag. 36. 37. 38. simile quid refert de Cananitis illorumque accolis S. Scriptura Deuteron. cap. 12. comm. 2. ubi Deus inquit: *subvertite omnia loca, in quibus coluerunt Gentes, quas possessuri estis, Deos suos super Montes excelsos & Colles & subter omne lignum frondosum*: quam tamen superstitionem, licet Deus hic prohibeat, Reges postea nonnulli Judæ & Israel perpetrarunt, ut videre potes 2. Reg. cap. 17. & 1. Reg. cap. 12. ac ipse Jehova in excelsis sacrificari aliquando permisit; uti Gideonem sub quercu fecisse legimus cap. 6. Judic. ad quod institutum ita S. Augustin. in lib. Judic. commentatur: *Deus consuetudine populi sui, qua præter ejus tabernaculum, tamen non Diis alienis offerebant, sed Domino Deo suo, sustinebat potius, quam vetabat, etiam sic exaudiens offerentes*: ipse Abraham in monte Moriæ, Dei præcepto instigatus, sacrificavit, ut habetur Genes. 22. comm. 5. quod & aliæ Gentes secutæ sunt, montium cacumina ascendentes: testis de Dacis est Pap. Statius lib. 3. sylv. 3. vers. 169.

Hæc est, quæ victis parcentia fœdera Cattis,
Quæque suum Dacis donat Clementia Montem.

& lib. 2. sylv. 2. vers. 82.

—— *Tu tardum in fœdera Montem*
Longo Marte domas.

scribit in Bithyniacis Arrianus, adoratores in montibus absque templis Jovem Pappam salutare, & Pausania autore in Corinthiacis, nec Sicyonii ullum fanum Coronidi Deæ suæ erigebant: tradit & Strabo Geogr. lib. 7. ac 15. veteribus Getis atque Indis eandem consuetudinem fuisse; ita ut merito Arnobius adv. gent. lib. 5. exclamet: *non omnibus Diis templa devota.* Persæ imprimis, cum Diis omnia patere,

—— *Atque ire per omnes*
Terrasque tractusque Maris Cælumque profundum

crederent, Græcos maxime criminabantur, quod parietibus includerent. Herodot. lib. 1. *Persæ Sacrificaturi nec aras erigunt, ut quisque Divis Sacras facere statuit, in locum mundum victimam sistens, Deum illum implorat*: nec non Strabo lib. 15. Πέρσαι τοίνυν ἀγάλματα καὶ βωμοὺς οὐχ ἱδρύονται, θύουσι δὲ ἐν ὑψηλῷ τόπῳ. *Persæ nec aras nec statuas erigunt, in loco tamen excelso sacrificant*: unde in Græciam cum ingenti & numeroso exercitu irrumpentes, omnia Deorum templa



vastarunt: qua de re illos Diis hominibusque invisos vocat in 3. Verrin. Asconius; & ipsi Romani, uti M. Varro apud D. Augustinum lib. 4. de Civit. Dei cap. 36. testatur: *annis plus quam centum & Septuaginta Deos sine simulacris coluerunt, idque ex instituto Numæ, qui, licet templa Diis erexerit, nullum tamen unquam simulacrum vel fictum vel pictum admisit, nefas esse judicans deterioribus meliora assimilare.* Et si posterioribus ævis Templum erectum sit, plerumque in Montibus ac Sylvis videmus ædificatum: sic Apollonius Rh. lib. 4. vers. 1714. de una e Sporadibus Insula.

—— τοὶ δ' ἀγλαὸν Ἀπόλλωνι
ΑΛΣΕΙ ἐνὶ σκιερῷ τέμενος σκιόεντά τε ΒΩΜΟΝ.

—— *Illi igitur Pulchrum Apollini*
Umbroso in luco sacellum, umbrosamque faciebant aram.

&, ut de templo Dianæ Aricinæ Nemorensis apud Ovidium & Strabonem, & Laciniæ Junonis, quod sex millia Crotone aberat, apud Livium lib. 24. c. 3. sileam, nummi veteres hoc probant, ac eleganter sane tabella ex Chartario desumpta, ubi deæ Pomonæ Templum, arboribus consitum, inque ejus limine geniculatum supplicem videmus. Usitatissimum quoque Veteribus fuit in viis adorare. Orph. Argon. vers. 449.

Ἀκρης ἐκ σκοπιῆς, ὁ γέρων ἀνὰ χεῖρας ἀείρον
Φιλλυρίδης ἠρᾶτο, θεὺς δ' ἐπεκέκλετο πάντας.

Alta ex specula senex in altum manum elevans, Philirides precatus est, Deosque invocavit omnes.

apud Livium 3. decad. lib. 9. Scipio classes navalesque copias lustrans, inquit e prætoria nave, silentio per Præconem facto: *Dii Deæque, qui maria terrasque colitis, vos precor, quæsoque, quæ in meo imperio gesta sunt, geruntur, postque gerentur, ea mihi Populo Plebique Romanæ, Sociis, nominique Latino, qui Populi Romani, quique meam sectam, imperium, auspiciumque, terra, mari, amnibusque sequuntur, bene vertant.* Virgil. lib. 3. Æneid. vers. 79.

Egressi veneramur Apollinis urbem.

& vers. 84.

Templa Dei, Saxo venerabar structa vetusto.

nec non Ovid. lib. 3. metam.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ Figit, & Ignotos Montes, Agrosque salutat.

idque ipsis quoque Hebræis observatum fuisse, notatur Deuteron. 4. comm. 19. his verbis: *ne forte eleves oculos tuos in cælos & videas solem ac lunam ac stellas cum universo exercitu Cælorum, & impulsus adores atque colas ea:* atque Job. 31. comm. 26. 27. & 28. *si aspiciendo lucem, quum splenderet, aut lunam, pretiosum ambiens pellectus est in occulto animus meus, & osculatum est os meum, & manus mea: etiam hoc fuisset iniquitas a judicibus animadvertenda: nam abnegassem Deum fortem superne.*

Per publicas vero personas adorabatur interventu populi, quemadmodum fiebat in Evocatione Deorum tutelarium ex hostium urbibus, ubi intervenientibus militibus coram obsessa urbe Imperatoris jussu Sacerdotes Deos evocabant, cum absque hac evocatione urbem capi non posse crederent Romani, vel, si posset capi, nefas haberent Deos captivos tenere, uti optime refert Macrob. Satur. lib. 3. cap. 9. quo sensu etiam Arnob. scribit: *ista non prima & maxima contumelia est habitationibus Deos habere districtos.* Comitabatur interdum Evocatio a Devotione Urbium, Exercitusve, quæ ad plurimum ab Imperatore vel dictatore, interdum a Prætore vel Consule peragebatur: quo casu ille, qui devovebat, manibus terram tangebat, inquiens: *Tellus Mater*, & manus ad cælum tollebat, exclamans: *Teque Jupiter Obtestor*, ac manibus pectus tenebat, vociferans: *Votum Recipere.*

Privati homines aliquando sese in castris devovebant: exemplum sunt duo Decii pater ac filius, in quorum devotione Sacerdos vel Pontifex præibat verba, quibus se pro Legionibus voverent, jubebatque togas prætextas sumere ac velato capite, manu subter togam ad mentum exerta, super pedibus subjectum telum stare: uti videre possis apud Livium lib. 8. neque hoc Romani solum, sed & Græci observarunt. Codrum enim pro Atheniensibus, Menæceum pro Thebis, & Anchurum pro Celænæis sese devovisse cuivis notum est.

Apud Romanos ceterum ac Græcos, sed diversis verbis, in fœdere feriendo Dii invocabantur, testibus Homer. Iliad. Γ. & Liv. 1. decad. l. 1. atque apud hos, ad fines hostium cum venisset Pater Patratus, qui exigebatur ad sanciendum Juramentum, ubi Fæciales de fœdere convenerant, capite velato filo, *audi*, dicebat, *Jupiter, audite fines, cujuscunque sint, numina audiant fas, ego sum publicus nuntius P. R. pie justeque legatus venio, verbis meis fides sit.*

Publico etiam modo Adamus, (nusquam enim ante erectionem Tabernaculi in Deserto constitutus erat adorandi locus.) Deum invocavit ut Propheta ac Sacerdos, ac sæpius uxori increpationem & promissionem sibi factam iteravit & exposuit, ut & liberis suis, eosque genuinum Dei cultum docuit Genes. 2. comm. 23. 1. Corint. 8. comm. 8. & Ephes. 5. comm. 31. nec inepte Hebraici Interpretes Adami Sacerdotium ex eo conficiunt, quod Genes. 4. comm. 3. & 4. dicuntur Cain atque Abel adduxisse (ita enim proprie sonat verbum Hebraicum) sua Sacrificia, Sacrificia ea ad Patrem Adamum adducta, ut ille ea Domino offerret, ad eum scilicet locum, quem ei rei destinaverat ex Dei Præscripto Adamus: eodem prorsus modo Noachus Genes. 8. comm. 20. Abrahamus Genes. 22. comm. 5. 7. 9. & 13. Isaacus Genes. 26. comm. 24. & 25. Jacobus Genes. 35. comm. 1. 2. & 3. ac ipse Moses, (antequam consecratus erat Aharon, apud populum sacerdotio functus est, uti colligere possis ex cap. 19. comm. 22. & 24. Exod.) Sacra Deo Altaria erexerunt, ad quæ Dei nomen invocarunt, atque universum Dei cultum celebrarunt, qui sub nomine orationis & invocationis nominis Dei occurrit, ut & adorationis. Posteriori tempore David per Prophetam Gadem, qui secum coram Saulo fugerat, Deum consuluit an contra Pelischthæos iret, uti habetur, 1. Sam. 23. comm. 2. & 4. *Consuluit David Jehovam, dicendo, an iturus sum & percussurus Pelischthæos illos: cumque iterum consuluit David Jehovam, respondit Jehova ei, dicens, surge, descende Kehilam, quia ego illico traditurus sum Pelischthæos in manum tuam.*

Uti vero apud Veteres Gentes variæ templa spreverunt, sic in hunc diem Incolæ Guineæ, quæ Nigritarum regio est, Insulæque Sokotoræ in Africa, templa abnegantes, lucos ad sacrificandum, orandum seligunt. V. le Blanc. lib. 2. cap. 20. de Guineæ populis: *sacrificant*, (scribit) *in lucis, ubi permagnas & concavas arbores pro templis, in quibus plures Deos concludunt, eligunt:* & O Dapper in Africæ descriptione pag. 355. de Nigritis ait: *salutant ortum novilunii maximo clamore, salutant vario adorationum genere: Sacrificia in Sylvis peragunt, ubi magnæ ac concavæ arbores reperiuntur, quas loco templorum adeunt:* idem fere de quibusdam Finnis, subjectis partim Regi Sueciæ, partim Moscoviæ Imperatori, annotat Carolinus in libro de hodiern. Gentil. part. 3. cap. 1. multis verbis & Hospinianus lib. 1. de Origin. templor. perversam Anabaptistarum sententiam de non struendis templis, structisque destruendis illudit & enervat.

CAP. V.

Adoratio in templis *recentior*. publica & privata. *publica* Interveniente Sacerdote. *privata* absque vel cum Pontifice *fiebat apud omnes fere Gentes, & non raro* voce clara *ad ostentationem. templa apud Ægyptios & Indos meretricum contubernia facta. apud hodiernas etiam Gentes* templa *Domus precationum habentur, non tamen superstitiosa observatione, cum Dei præsentiam ubique credunt*. Sacerdotum officium *primum* preces concipere, *quod & Hebræis veteribus in usu, ast maxime Ægyptiis. Magi eorum Philosophi & Sacerdotes. eorum autoritas & munus.*

ANtiquissimo ergo tempore Adoratio sub dio facta est; posterioribus vero diebus *in Templis celebrata*, utpote quæ Deorum diversoria haberentur, ad quæ Dei ipsi, precibus ac hominum votis exorati, divertere quodammodo soliti putantur, de quorum origine luculenter Hospinianus singulari libro tractavit, & fuit hoc loco religio *publica* ac *privata*. Illa quidem interveniente populo fiebat certis & constitutis diebus præeunte Pontifice. Cicero in Catilin. 3. *quamobrem Quirites quoniam ad omnia pulvinaria supplicatio decreta est, celebratote Dies cum conjugibus & liberis vestris*. nec non Athenæus lib. 4. Dipnosoph. cap. 13. de Naucraticis memorans, moris apud ipsos fuisse, quoties convenirent ad festi cujusdam epulas solennes, scribit: *ἐπανίςαθαι εἰς γόνατα τȣ̃ ἱεροκήρυκος τὰς πατρίας δ'χὰς καταλέγοντος. assurgere in genua & una cum Sacro Præcone libantes patriis consuetisque precibus Diis supplicare*. Hæc autem cunctis diebus & dierum horis pro cujusque lubitu absque Sacerdotis auxilio per quemcunque peragebatur, aut cum Sacerdote, verba & preces adorantium concipiente. ad primum modum spectat oratio Polyæni apud Petronium edit. Gallic. Nodotianæ tom. 2. p. 178. *Priapum igitur exoraturus egredior, &, utut res sese haberet, spem vultu simulavi, positoque in limine genu, sic deprecatus sum versu numina.* optime & locus est Plautinianus in Rudent. act. 3. scen. 3. ubi duæ mulieres in Veneris fano aram amplexantes precantur:

—— Et Venus Alma, ambæ te obsecramus,
Aram amplexantes hanc tuam lacrymantes, genibus nixæ,
Nos in custodiam tuam ut recipias, & tutere.

sic Senec. Herc. fur. act. 5. vers. 927.

—— ipse concipiam preces
Jove meque dignas.

idem Græcis usitatum probant nuncii verba apud Senecam in Thyest. act. 4. vers. 690.

Ipse est Sacerdos. ipse funesta prece
Lethale carmen ore violento canit.

& Ægyptiis Herodoti illa lib. 1. morem Babyloniarum mulierum, quæ semel in vita in Veneris templo desidebant, ut cum viris externis consuetudinem haberent, declarantia verba sunt: *hospitem autem, qui pecuniam obtulit, dicere oportet, ego tibi Deam Mylittam imploro.* simile de priscis Indis etstatur Philostratus, in vita Apollonii, inquiens: *post hæc in aquam sese projicientes lavere, lotique ad templum accesserunt coronati.* de Judæis habetur Judic. 20. *omnes filii Israel venerunt in domum Dei, & sedentes flebant coram Domino.* idem Indi in hunc diem, ast non Hebræi observant, qui cum Christianis, quorum Patres sine alicujus præmissis verbis de pectore orabant, teste Tertulliano in Apolog. nunquam sine Monitore publice precantur. Imo Turcæ, Arabes, Persæ, Japones, omnesque fere hujus ævi homines templa adeunt, licet non gratiores esse Numini preces credant, quæ in templa funduntur. nam, ut Menander apud Justinum de Monarchia Dei p. 109. inquit,

—— Παύτ' ἐςὶ τῶ καλῶ λόγω
Ιερὸν ὁ τȣ̃ς γάρ ἐςιν ὁ λαλήσων Θεῶ.

—— Omnia sunt rectæ Rationi
Templum, mens enim est, quæ Deum alloquitur.

Sed redeamus ad alterum *adorationis privatæ in templis* modum, cum hoc loco Sacerdos verba conciperet, quod præcipuum Sacerdotum officium fuisse videtur. ita apud Hebræos veteres legimus, Reges, antequam bellum vel aliam quampiam rem magni momenti aggrediebantur, cum Pontifice maximo Sanctum Sanctorum introiisse, perque eum consuluisse Deum de eventu futurorum. vide 2. Sam. 5. comm. 19. *consuluerat David Jehovah, dicendo: an ascensurus contra Philischtæos? an traditurus es eos in manum meam?* inter Græcos Simonides apud Athenæum Dipnosoph. lib. 13. canit:

Αἵδ' ὑπερ ἑλλαίων κ) δ'θυμάχων πολιητᾶν
Εςάθεν δ'χεθαι Κύπριδι δαιμονία.

His data cura fuit fundendi vota precesque
Cypridi pro Graiis civibus & validis.

scribit Dionysius lib. 2. *Pontifices de omnibus causis, ad sacra pertinentibus, indicant, tam inter Magistratus sacrificos, quam inter homines privatos.* ac rursus cap. 75. *a profano etiam & imperito vulgo consuluntur de cultu Deorum atque Geniorum, aliisque religionibus; quod si quem animadvertant præscripta sua contemnere, eum mulctant pro delicti magnitudine.* eumque morem apud Romanos viguisse omnes vetusti Scriptores testantur. Juvenalis Satyr. 6. vers. 390. de quadam nobili muliere scribit, quod

—— Stet ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput, dictataque verba
Pertulit, ut mos est.

sic & apud Ovidium legimus lib. 7. metam.

Admoti quoties templis, dum vota Sacerdos
Concipit.

nec non apud Statium Theb. lib. 7. vers. 100. ad Martem,

—— At si Bœotia ferro
Vertere tecta dabis, magnis tunc dignior aris
Tunc Deus. Inachias nec tantum culta per urbes
Numina, captivis etiam jurabere Thebis.
Dux ea pro cunctis, eadem sibi quisque vovebat.

fatur eloquentissimus Cicero lib. 2. de L. L. *quoque hæc privatim & publice modo rituque fiant; discunto Ignari a publicis Sacerdotibus.* ubi Adr. Turnebus commentatur: *ne quis sine sarcedotibus reli-*

gioni publicæ privatæque fatisfacere se posse putet: itaque sacrificandi ritum Ignarus discat: similem ritum pleræque Gentes hodiernæ observant: scribit autem E. Melton in itinerario suo per Indiam Occidentalem tom. 2. cap. 1. de Caribanis: *Deorum invocatio nunquam, nisi interveniente Sacerdote, rite fiebat*. Nec minor autoritas Druidarum apud Germanos & veteres Gallos erat; de quibus Flacius: *Druidæ rebus divinis intersunt, sacrificia publica & privata procurant, religiones interpretantur*. & lib. 6. B. Gall. *administris ad sacrificia Druidibus utuntur*. & ibid. Diodorus: *mos illis est sacra nulla sine philosopho peragere*: sacrificales illorum ritus nobis ita suggerit Plinius inquiens: *tum demum victimas immolant; precantes, ut suum donum Deus prosperum faciat iis, quibus dederit*. testantur & Acosta, Cieza & Gomara in Historiis & itinerariis suis per Americam Peruanos Sacerdotes suos tanti facere, ut nihil sine illorum consilio agitur rebus Divinis vel humanis, nullumque præter Sacerdotes, & quidem alba veste recinctos, ad Deos adire precarique. Neque in Orientali India Mahomethani publicam religionem exercent, neque preces fundunt, nisi sacerdotes, quos Mollas vocitant, preces inchoaverint, quas verbotenus repetere debent, quod & apud Christianos in usu est: nullibi magis proprium munus Sacerdotum fuit, apud Deos præire populo, quam apud Persas; ubi piaculum erat aras adire, vel hostiam contrectare, antequam Magus conceptis precationibus libamenta diffunderet, quæ sacrificio viam præirent. Laert. initio lib. 1. Τοὺς μάγους περὶ θεραπείας Θεῶν διατρίβειν, καὶ θυσίας καὶ εὐχὰς ὡς αὐτοὺς μόνους ἀκουομένους. Ἀσκεῖν δὲ καὶ μαντικήν. id est, *Magi operam ponebant in cultu Deorum, & sacrificiis, & precibus ac votis, quasi soli ex omnibus a Diis exaudirentur*: meminit & cujusdam sacrificii Pausanias in Eliacis, in quo Magus ligna sicca in aram ingerens primum quidem tiaram capiti imponit, Deumque aliquem barbara voce vocat, ex libro preces recitans: verba sunt: Ἀνὴρ μάγος ἐπᾴδει ἐπιλεγέμενος ἐκ βιβλίου. Strabo etiam lib. 15. Indorum ait Philosophos ὑφηγεῖσθαι βασιλεῦσι τὰ περὶ τοὺς Θεοὺς, ὡς τοὺς μάγους τοῖς πέρσαις, *Regibus præscribere cultum Deorum, ut Magos Persis*: quod officium Sacerdotis optime ex incisis & infra ostensis marmoribus ac nummis probatur.

CAP. VI.

Adorationis quinque (a) species recitatæ. Salutatio *matutinis horis proprie exercebatur. a Salutandi patronos consuetudine Romana defluxit.* Laudatio *circa Deorum potestates & beneficia versabatur. Scaligeri commentaria in Tibullum laudata.* Petitoriæ preces *ad præstandum auxilium vel avertenda mala. honestæ Laconum & Platonis preces, ac turpissimæ plurium enumerantur.* Vota, *quæ, quanta, & qualia. ipsis Hebræis nota.* Gratiarum actio *pro acceptis beneficiis reddita. ubique Gentium observata.*

ADoratio autem quinque species habere mihi videtur, *Salutationes*, scilicet, *Laudationes*, *Preces Petitorias ac Votivas*, seu Vota, & *Gratiarum Actiones*. *Salutatio*, quam Etymographi a verbo *Saluto*, idque a voce *Salus* derivant, præter alias significationes Adorationem notat & quidem matutinam, ex salutandi Patronos consuetudine ortam apud Romanos, summo enim mane Salutatores ad templi fores sedebant stabantque, donec intromitterentur. Apulejo Miles. 11. p. 259. *matutinæ Salutationes dicuntur*. *Et illico*, scribit, *Deæ matutinis perfectis Salutationibus*: egregie Seneca Epist. 95. inquit: *Vetemus Salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum, humana ambitio istis officiis capitur*. canit Prudentius Perist. Hymn. 4. vers. 189.

> —— *Mane Salutatum concurritur*.

adde verba Arnobii lib. 7. *quid sibi*, scribit, *volunt excitationes illæ, quas canitis matutini collatis ad tibiam vocibus? obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant, quibus dormitiones illæ, quibus bene ut valeant auspicabili Salutatione mandatis?*

Laudationes sunt preces illæ, quibus Deorum potestates, & munera celebrabant Veteres. Horatius in Carmine Sæculari.

> *Doctus & Phœbi chorus & Dianæ*
> *Dicere laudes*.

Ovid. lib. 2. fast.

> *Et cantant laudes, Termine* SANCTE, *tuas*.

nec non Tibullus lib. 1. eleg. 3. vers. 30.

> *Et mea votivas persolvens Delia noctes,*
> *Ante sacras lino tecta fores sedeat,*
> *Bisque die resoluta comas tibi* DICERE LAUDES
> *Insignis turba debeat in Pharia*.

quo loco eleganter Litteratorum princeps Scaliger refert, *bis die dicere laudes Isidi consuevisse veteres, sciendum scilicet prima hora Sacerdotes ejus templum aperire solebant, idque apertio vocabatur, deinde salutabant Deam, quod Salutatio, excitatio, post totum diem stipem mendicabant, inde ad octavam redibant, Deam componebant, templum claudebant: hoc igitur* (inquit) *est bis die Deæ laudes canere, & mane cum Salutatur Dea, & hora octava, cum templum claudebatur*: insuper & lex 12. tabb. laudes Diis agendas præcipit: *Divos, & eos qui Cœlestes semper habiti, colunto: illos, quos in cœlum merita vocaverunt, Herculem, Liberum, Æsculapium, Castorem, Pollucem, Quirinum, & Illa, propter quæ datur hujusmodi ascensus in cœlum: Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem; earum laudum delubra sunto*: & simili modo apud Hebræos Sacra Eucharistica erant, עירות dicta: ita tamen, ut & ad Dei Gratiam impetrandam sæpe fiebant: hæque laudes his fere verbis constabant, juxta Sigonium de Rep. Hebræor. lib. 4. cap. 9. *confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in sæculum misericors*.

Petitoriæ preces Deorum favorem implorabant, vel ad præstandum auxilium vel ad avertenda incommoda. Cic. in Catilin. *Deos*, (scribit) *immortales Precari, Venerari atque implorare debetis, ut urbem defendant*: & Horat. lib. 1. carm. od. 31.

> —— *At precor integra*
> *Cum mente, nec turpem senectam*
> *Degere, nec cithara carentem*.

& hæ verissimæ illæ bonæ preces veterum mihi videntur, de quibus Cato cap. 134. de Re Rust. & Ovidius lib. 3. eleg. 13. loquuntur: parum enim credebant valere, si mens ægrotet, ast orandum esse, ut mens sana sit in corpore sano: unde Seneca epist. 41. scribit: *facis rem optimam & tibi salutarem, si, ut scribis, perseveras ire ad bonam men-*

a Non omnes veras, ac præcipuas christianas adorationis species numerat Auctor Heterodoxus.

tem, *quam ſtultum eſt optare, cum poſſis a te impetrare;* hinc Propertius lib. 3. eleg. 23. canit:

Mens bona, ſi qua Dea es, tua me in ſacraria condo.

eleganter ſane Plato:

Ζεῦ βασιλεῦ τὰ μὲν ἐσθλὰ ϗ εὐχομένοις ϗ ἀνεύκτοις,
Ἄμμι δίδου τὰ γ᾽ δεινὰ ϗ εὐχομένοις ἀπαλέξοις.

Jupiter o nobis, taceamus ſive precemur,
Da bona: quæ mala ſunt errore petentibus arce.

& teſte Ubb. Emmio in deſcriptione Reipublicæ Laconum, ſolenne Spartanis erat, cum illorum fortuna adhuc ſtaret, precari Deos, ut bene honeſteque agentibus bona, & honeſtis actionibus digna ſibi contingerent; quare Auſonius in Parecb. canit:

Pia verba, vota innoxia
Rei Divinæ copia eſt.

quæ *aperta* Perſius vocat, de quibus infra agendi erit locus: ſæpius enim res impias petebant: qua de re Satyr. 2. verſ. 9. idem canit:

Illa ſibi introrſum, & ſub lingua immurmurat; o ſi
Ebullit patrui præclarum funus! & o ſi
Sub raſtro crepet argenti mihi ſeria dextro
Hercule! pupillumve utinam, quem proximus hæres
Impello, expungam! namque eſt ſcabioſus & acri
Bile tumet.

vel, ſi non impias, certe frivolas, ac ipſis poſcentibus ſæpe nocituras: uti eadem Satyra verſ. 21. eleganter Idem in hiſce canit:

Hoc igitur, quo tu Jovis aurem impellere tentas,
Dic, agedum Staio: pro Juppiter o bone! clamet
Juppiter! at ſeſe non clamet Juppiter ipſe?

audi & Senecam epiſt. 10. *nunc* (ſcribit) *quanta eſt dementia hominum? turpiſſima vota Diis inſuſurrant: ſi quis admoverit aurem conticeſcent, & quod ſcire hominem nolunt, Deo narrant.* & rurſus Epiſt. 60. *etiamnum optas, quod tibi optavit nutrix tua, aut pædagogus, aut mater, nonne intelligis, quantum mali optaverunt? o quam inimica ſunt nobis vota noſtrorum, equidem inimiciora, quo ceſſere felicius! jam non admiror, ſi omnia nos a prima pueritia mala ſequuntur, inter execrationes parentum crevimus*: quam in rem elegans emblema Hadr. Junii exſtat, inſcriptum, *Improbe Deum fatigamus, votis ut noſtris ſerviat*: & ſub effigie trium templorum ac incluſarum ſtatuarum Victoriæ, Martis & Apollinis legimus:

Latoiden Cadmæa Tyros devinxerat auro:
Gradivum tenuit compede Sparta gravem.
Præpete privarunt penna Victoriam Athenæ.
Quiſque ſuis votis cogit adeſſe Deum.

Maxime vero *εὐκταίοις* Veteres bona adprecabantur; veluti Parentes in filiarum nuptiis, Sponſi in ſuis ipſis, uti & Deorum favorem in puerperio, Adoptione, Militia, Peregrinatione, Mercatura, Agricultura, multiſque aliis rebus expetebant Antiqui, de quibus poſt tractamus. *Aſt & εὐκταίοις mala deprecabantur*, ſic Silius Italicus. lib. 9. canit;

—— Sed dira avertite Divi.

& lib. 10. Livius ſcribit: *averruncandorum prodigiorum cauſa ſupplicationes in biduum Senatus decrevit*: uti pro ſiccitate avertenda Judæi aquam libabant. R. Levi Ben Gerſom 2. Sam. 23. comm. 16. & Germani Deo Thor ſinguli hebdomadis quinta feria, ut tonitru, fulmen ac grandinem averteret, ſacrificabant, referente Erico Olao hiſt. Suec. 1. Sed jam ad *Vota*, quæ in eo tantum a petitoriis precibus differunt, quod Deos auxiliatores vel depulſores mali pollicitis donis quibuſdam obligare haberentur ad exaudiendum petita; Votum enim eſt promiſſio, facta Diis pro obtinendo quopiam beneficio cum firmitate aliqua & obligatione ad illud, quod prius erat liberum agere; ita apud Herodotum lib. 2. Ladice Amaſis uxor vovit Veneri, ſi ea nocte ſecum coiret Amaſis, ſtatuam Cyrenas ſe illi miſſuram; atque apud Virgilium Æneas Veneri votum facit his verbis. lib. 1. Æneid.

Multa tibi ante aras noſtra cadet hoſtia dextra.

hinc Inſcriptiones antiquæ de factis votis, & apud Reineſium legitur Inſcript. 88.

D. M.
MARTINI.
SILVINI.
F.
CRISPINI.
AVITI. LIB.
M. V. F.

Ubi vero VOTA *concepiſſent* Veteres, CONCEPTA TABELIS INSCRIBEBANT. Feſtus. *Vota Nuncupata dicuntur, quæ Coss. Prætores, cum in Provinciam proficiſcuntur, faciunt; ea in Tabulas præſentibus multis referuntur*: ita conſcripta SIGNABANT. Plin. lib. 10. ad Trajanum, epiſt. 44. *ſolennia vota pro incolumitate tua, qua publica ſalus continetur, & ſuſcepimus, Domine, pariter, & ſolvimus, precati Deos, ut velint ea ſemper* SOLVI, *ſemperque* SIGNARI. Obſignata AFFIGEBANT Deorum Statuis. Apulejus in Apologia, *Votum in alicujus ſtatuæ femore* ASSIGNASTI. *igitur magus es, aut cur* ASSIGNASTI? Deorum vero GENIBUS plerumque TABELLA AFFIGEBATUR CERA, uti eleganter vetus Interpres Juvenalis ad illud Satyræ nonæ, *quando ego figam aliquid*, obſervavit, inquiens: *In* CERIS *Vota figuntur apud templa*: & ipſe Juvenalis Sat. 10. dictitavit:

Propter quæ fas eſt GENUA *Incerare Deorum.*

& continebantur hiſce tabellis non ſolum Vota ſed etiam Mercedes, quas Diis ſoluturos ſe vovebant, ſi voti compotes fierent: ſic Appius in medio pugnæ diſcrimine precatur apud Livium lib. 10. *Bellona,* SI *hodie nobis* VICTORIAM DUIS, *aſt ego* TEMPLUM TIBI VOVEO. Quando autem votorum compotes facti eſſent, TABELLAS SOLVEBANT, id eſt, lacerabant, ac Diis ea, quæ promiſerant, reddebant. Manilius lib. 5.

Araque Cœleſtum, cui VOTA RESOLVIT *Olympus.*

atque ita *Votum Solvere* dicebantur: sic Inscriptio vetus apud Reinesium Class. Prim. pag. 23.

JOVI. O. M.
TETTIUS. BIVVO.
PRO. SALUTE.
PETRONII. MERULÆ
P. PETRONII. F.
V. S.

plerumque tamen LUBENS MERITO addebatur, uti ibid. pag. 111. Inscriptio 70. habet.

HERCULI. LARTIUS.
QUINTULUS. EX. VOTO.
V. S. L. M.

atque huc etiam pertinent apud Judæos Davidis Psalm. 56. comm. 12. 13. & Absolomi vota 2. Sam. 15. comm. 7. 8. hæc enim apud Judæos viguisse præter allata loca nos docent Levit. 7. *Si voto vel sponte quis obtulerit hostiam*. Cap. 22. *qui obtulerit oblationem suam, vel vota solvens, vel sponte offerens* & 2. Reg. cap. 8. *Vadam & reddam vota mea, quæ vovi Domino in Hebron*. Restant *Gratiarum Actiones* pro acceptis beneficiis, depulsisque ominibus vel periculis, quæ Græcis Χαριστήρια dicebantur, quibus animum pium & gratum ostendere studebant, qua de re exempla apud veteres scriptores plurima, & Propert. lib. 2. eleg. 9.

Has pono ante tuam tibi, Diva, Propertius ædem
Exuvias, tota nocte receptus amans.

ita Triumphator apud Romanos, cum in Capitolium venisset, precabatur: GRATIAS TIBI JUPITER OPTIME MAXIME TIBIQUE JUNONI REGINÆ ET CETERIS HUJUS CUSTODIBUS HABITATIONIBUSQUE ARCIS DIIS, LUBENS LÆTUSQUE AGO, RE ROMANA IN HANC DIEM ET HORAM PER MANUS QUOD VOLUISTI MEAS SERVATA, BENE GESTAQUE EANDEM ET SERVATE UT FACITIS, FOVETE, PROTEGITE, PROPITIATE, SUPPLEX ORO.

Ovid. lib. 3. Metam.

Cadmus agit grates, peregrinaque oscula terræ
Figit, & ignotos montes, agrosque salutat.

& in Inscriptione quadam Romana legimus: JOVI. SOLI. INVICTO. SERAPIDI. T. AELIUS. ANTIPATER. PROC. AUGG. CUM. UMBRICIA. BASSA. CONJUGE. GRATIAS. AGENTES. POSUERUNT. atque alibi. MINERVAE. MEMORI. COELIA. JULIANA. INDULGENTIA. MEDICINARUM. EJUS. INFIRMITATE. GRAVI. LIBERATA. D. P. atque ita, ubi imbres quievissent, diluviumque Deus terris arcuisset, Noah pro sui & suorum conservatione suaveolenti Sacrificio Grates Deo refert Genes. cap. 8. comm. 20. & Christiani, ut pro aliis beneficiis, etiam cum Prudentio Cathemer. lib. hymn. 4. ajunt:

Pastis visceribus, ciboque sumto,
Quem lex Corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo Patri rependat.

CAP. VII.

Variis Elogiis *Dii invocati*. Multiloquium *Judæorum notatum, ad Turcas translatum, a Romanis Græcisque ad plurimum observabatur*. Numerus Ternarius *in sacris sæpissime usurpatus*. πολυωνυμία *apud Gentiles in precibus solennissima. ex formidine, ne Deos parum grato nomine invocarent*, sis quocunque nomine, *precabantur; numinum vero sexum ignorantes*, sive Deus sive Dea *vel* quisquis es, *dicebant*. *Jupiter mas & fœmina nominatus, & invocatus*.

Plurimis autem congestis verbis precabantur teste fidissimo Christo Matth. 6. comm. 7. & *quum oratis, ne sitis* MULTILOQUI, *sicut profani: putant enim quod* IN LOQUACITATE MULTA *exaudiuntur*: cujus exemplum 1. Reg. 18. comm. 26. apparet in continua Sacerdotum Bahalis invocatione: verba sunt: *quumque invocassent nomen Bahalis a mane usque ad meridiem, dicendo, o Bahal, exaudi nos*: de Turcarum more precandi ita in Itinerar. Hierosolym. Johan. Cotovicus cap. 5. *est autem orationis, quam sæpissime iterant, hæc communis forma: In nomine Misericordis Dei: sit laus Deo in æternum, Regi sæculorum supremo, propitiatori, & pio Regi Judicii: serviamus igitur illi, quia adjuvabimur: dirige nos in viam o Deus, & in semitam eorum, in quibus tibi complacuisti, & quibus non irasceris; & nequaquam errabimus*. & inferius: *nonnulli tanta festinatione*, (quia inter se certant) *& clamore La illah, Illa allah, repetunt, ut verba illa proferre amplius nequeuntes, vociferationem verbo Hou, nomen Dei denotante, terminent*. ac paulo post: *atque hunc clamorem in tantum protrahunt, ut nimio quandoque clamore consternati ac fessi, spumam alii ex ore emittant, alii ob vim sibi clamoribus illatam facie nigrescant, & velut semimortui in terram labantur, id sibi persuasum scilicet habentes negligenter orantium defectus, & errores repetitione hac plurima corrigi, & suppleri*: de repetitione precis apud Antiquos Horatius canit:

Quæ laborantes utero puellas
TER VOCATA *audis*.

audiamus Arnobium lib. 1. pag. 29. *cum Æsculapium ipsum*, scribit, *datorem, ut prædicant, sanitatis, quoad illis superfuit vita, & precibus Fatigarent & invitarent miserrimis votis*: quod Fatigandi verbum optime magnam illam pompam verborum, in precibus usitatam exprimit: sic Horat. Carm. lib. 1. od. 2. vers. 26.

—— *Prece qua Fatigent*
Virgines Sanctæ minus audientem
Carmina Vestam.

ita ut Deam, quamlibet offensam, assiduitate flectant: quale quidpiam velle videtur, de Vesta loquens apud Ciceronem, Ennius:

Quamquam multa manus ad cæli cærula templa
Tendebam lachrymans.

scribit & Tacitus histor. lib. 1. cap. 29. in princ. *Ignarus interim Galba, & Sacris intentus, Fatigabat alieni jam imperii Deos*: & Persius Satyr. 2. vers. 3.

—— *Non tu prece poscis emaci*.

hoc

hoc est, tali oratione, quæ toties repetenda fuit, & tam assidue ac λιπαρῶς ϰ̀ ἐκτενῶς facienda, ut hoc ipsum pretii loco censeri possit: apud Lucianum in Saturnal. Sacerdos inquit: ἀλλ' οὐδ' ἐκεῖνος ὦ Κρόνε ῥᾳδίως, ϰ̀ προχείρως. ἔγωγ' ἂν ἤδη ἀπηγόρευκα αὐτῶν μεγάλῃ τῇ φωνῇ. *At non facile, Saturne, & expedite id facit; adeo ut me jam vox defecerit, magno clamore hæc ab illo flagitantem*: nil usitatius, quam geminatio, in precationibus erat: ita Juvenal. Satyr. 10. vers. 188.

> DA *spatium vitæ, multos* DA *Jupiter annos*.

Perf. Satyr. 2.

> —— DA *fortunare Penates*,
> DA *pecus & gregibus fœtum*.

ac Virgil. Æneid. lib. 3.

> DA *propriam, Thymbræe, domum*, DA *mœnia fessis*.

imo juxta Pythagoricorum sententiam Aristoteles tradit omnia definiri tribus, & inde in celebrandis Deorum sacrificiis hunc a natura sumptum numerum observatum esse, uti Horatii supra citatus locus indicat, comprobante idem Tibullo in hisce:

> TER *cane*, TER *dictis despue carminibus*.

& Ovidio fast. lib. 4. vers. 778.

> *His Dea placanda est; hæc tu conversus ad ortus,*
> *Dic* TER, *& in vivo prolue rore manus*.

ut & Gratio in Cyneget.

> —— TER *quisque vocantes pinguia libant*
> *Thura foco*.

quod etiam in lustratione observatum docent Gratius eod. loco.

> *Emicat ipse, manu ramum pallente, Sacerdos*
> TER *miteum quatiens*.

Ovidius fast. lib. 4. vers. 316.

> TER *caput irrorat*, TER *tollit in æthera palmas*.

ac in sacrificiis Virgilius Georg. lib. 1.

> TER*que novas circum felix eat hostia fruges*.

Cum vero titulorum varietate capi Deos crederent Gentiles, quin imo placari, ad Vota suscitari, & maximo inde honore affici, quod multiplex potestas & inprimis imperium ita cognoscebatur, quam pluribus congestis, quæ elogia complectebantur, nominibus Numen invocarunt; legas fragmentum illud A. Septimii Sereni Falisci, quod inter Catalecta veterum Poetarum J. Scaliger evulgavit.

> *Jane pater, Jane tuens, Dive biceps, biformis,*
> *O cate rerum Sator! o principium Deorum?*
> *Stridula cui limina, cui cardinei tumultus,*
> *Cui reserata mugiunt aurea claustra mundi.*
> *Tibi vetus ara caluit ab origineo sacello.*

A & hanc superstitionem Callimachus hymn. in Apollin. vers. 69. observat inquiens:

> Ὦ πολλοὶ, πολλοί σε Βοηδρόμιον καλέουσι,
> Πολλοὶ δὲ Κλάριον. (πάντη δέ τοι οὔνομα πουλύ)
> Αὐτὰρ ἐγὼ Κάρνειον.

> *O Apollo, multi te Boedromium appellitant,*
> *Multi etiam Clarium (undique enim nomen tibi multiplex)*
> *Sed ego Carneum*.

B & illa non solum Apollinis, sed reliquorum etiam Numinum πολυωνυμίη cum in antiquis Nummorum Lapidumque monumentis, tum apud Scriptores obvia sese prodit, quod Aristophanes in Pluto pag. 111. docet, ubi de Mercurio ait:

> Ὡς ἀγαθὸν ἐς ἐπωνυμίας πολλὰς ἔχειν.
> *Quam bonum est multa habere cognomina*.

quæ & illis dabantur, tam ob diversa, quibus præerant munia, quam collata beneficia: ita ut de Themide dixit Æschylus Prom. 5. vers. 210.

C

> Πολλῶν ὀνομάτων μορφὴ μία.
> *Multorum nominum una forma*.

quod lib. 11. Metam. eleganter ostendit Apulejus inquiens: *Lætus & alacer Deam præpotentem lacrymoso vultu sic apprecabar: Regina cæli, sive tu Ceres Alma frugum Parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetustæ glandis ferino remotæ pabulo miti commonstrato cibo, nunc Eleusinam glebam percolis: seu tu cælestis Venus, quæ primis rerum exordiis sexuum diversitatem generant, amore sociasti, & æterna sobole humano genere propagato, nunc circumfluo Paphi Sacrario coleris: seu* D *Phœbi soror, quæ partu ferarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educasti, præclarisque nunc veneratis delubris Ephesi: seu nocturnis ululatibus horrenda Proserpina, triformi facie Larvales impetus comprimens, terræque claustra cohibens, lucos diversos inerrans, vario cultu propitiaris, ista luce fœminea conlustrans cuncta mœnia, & nudis ignibus nutriens læta semina, & solis ambagibus dispensas incerta lumina*: QUOQUO NOMINE, QUOQUO RITU, QUAQUA FACIE *te fas est invocare, tu meis jam nunc extremis ærumnis subsiste*: ex quibus ulterioribus verbis formido illa E notissima apparet, scilicet ne Deos parum grato nomine appellarent; quare, uti Servius ad lib. 4. Æneid. tradit, Pontifices precari consueverant in hæc verba: JUPITER OMNIPOTENS, SEU QUO ALIO NOMINE APPELLARI VOLUERIS: quæ formula & in Devotionibus obtinuit locum, ubi habetur: DISPATER, VEJOVIS, MANES, SIVE VOS, QUO ALIO NOMINE FAS EST APPELLARE: & Catullus post varia edita Dianæ nomina subjungit:

> —— SIS QUOCUNQUE TIBI PLACET
> SANCTA NOMINE.

F unde pariter de Jove Æschylus cecinit Agam. vers. 168.

> Ζεὺς, ὅστις ποτ' ἐστὶν, εἰ τῷ δ' αὐτῷ φίλον κεκλημένῳ,
> Τοῦτό νιν προσεννέπω.

id est,

> *Jupiter*, QUISQUIS EST, SI HOC NOMINE APPELLARI GAUDEAT,

> *Hoc cum ipsum appello*.

& Ovid. Metam. lib. 4.

> *Et* QUÆ *præterea per Grajas plurima gentes*
> NOMINA, *Liber*, HABES.

ast illa formido etiam eousque progrediebatur, ut sæpius Numinum sexum dubitarent adscribere, inque precibus loquerentur, QUISQUIS ES, *vel* SIVE DEUS SIVE DEA ES: audite Plautum Rud. act. 1. scen. 4. vers. 38.

> *Nunc* QUISQUE EST DEUS *Veneror*.

Virgilium Æneid. lib. 4. vers. 577.

> —— *Sequimur te Sancte Deorum*.
> QUISQUIS ES.

quemadmodum & Inscriptiones apud Gruterum ac Remesium habent:

SIVE. DEO. SIVE. DEÆ.
C. TER. DEXTER.
EX. VOTO. POSUIT.

& rursus:

SI. DEUS. SI. DEA. EST.
CUI. POPOLUS. CIVITASQUE.
KARTHAGINIENSIS. EST. IN.
TUTELA.

de ulteriore formula Arnobius libr. 3. p. mihi 104. *nam consuestis in precibus* SIVE TU DEUS ES, SIVE DEA *dicere*: utriusque enim naturæ, masculinæ ac fœmininæ, vim ineffabilem, quam Sapientiores Veteres in Deo unico Opt. Max. agnoscebant, mystice innuebant, teste hoc Orphei versu:

> Ζεὺς ἄρσην γένετο, Ζεὺς ἄμβροτος ἔπλετο νύμφη.

> *Jupiter & mas est & fœmina nescia mori.*

CAP. VIII.

Preces Publicæ, Privatæ, Clara voce *aut* Murmure, Ligatis *vel* Illigatis verbis *factæ. publice Sacerdos præibat antiquitus. Idem mos a recentioribus servatur. Privatim omnes pro lubitu orarunt. ad ostentationem sæpe* clara & alta vox *adhibita, & adhibetur apud hodiernos populos. inhonestæ petitiones murmure & arcane prolatæ. in meliorem scopum Christiani* corde *Deum alloquuntur.* Carmina & hymni *Diis cantabantur. eundem ritum ab Hebræis Christiana Ecclesia recepit.*

PReces vero vel *Publicæ*, vel *Privatæ*, ac *clara voce* aut tantum *murmure* celebrabantur, & *ligatis* vel *illigatis verbis* constabant. Publicæ preces Sacerdotis, vel Præconis, hoc est, κήρυκος *vel* ἱεροκήρυκος ore fiebant: sic inventor Amoris Ovidius lib. 6. Metam. canit:

> *Ipse ducem dederat, cum quo dum pascua lustro,*
> *Ecce lacu medio Sacrarum nigra favillis*
> *Ara vetus stabat, tremulis circumdata cannis.*
> *Restitit, & parvo, faveas mihi,* MURMURE *dixit*
> DUX *meus, & simili, faveas mihi* MURMURE *dixi.*

quod Christiani sequuntur, quod Turci: audite Busbequium Legat. Turcic. epist. 3. de Turcorum paschate loquentem: *video*, inquit, *in ea planitie magnam conglobatam turbinatorum capitum multitudinem summo silentio verba præeuntis Sacerdotis excipientium*: quod apud Græcos etiam moris fuisse Curtius asserit lib. 4. *illa in candida veste verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces Regis*: quas populus, qui intererat, nominatim repetebat: sic Juvenalis Satyr. 6. vers. 391. canit:

> —— —— *Dictataque verba*
> *Prætulit, ut mos est, & aperta palluit agna.*

ubi recte Ludovic. d' Orleans reponit *protulit*, cum Juvenalis agat de proferendis voti verbis solennibus: quo de ritu optime Cicero lib. 1. de divinat. & Plinius, rem totam paucis comprehendens lib. 28. cap. 2. *vidimus*, inquit, *certis precationibus obsecrasse summos magistratus, &, ne quid verborum prætereatur, aut præpostere dicatur, de scripto præire aliquem: rursusque alium custodem dari, qui attendat*: quam ad rem multa recensuimus capite quarto & quinto hujus syntagmatis.

Privatos etiam pro animi desiderio orasse, e citatis scriptoribus apparet; Persius vero ad ostentationem hoc fieri solitum a nonnullis ostendit, quando ait Satyr. 2. vers. 8.

> *Mens bona, fama, fides, hæc* CLARE *& ut audiat hospes.*

clara voce indicat factum, uti Martialis quoque notat lib. 12. epigr. 90.

> *Pro sene, sed* CLARE, *votum Maro fecit amico.*

præceptum enim Philosophiæ est, sic loquendum esse cum hominibus, tanquam Deus audiat: sic loquendum cum Deo, tanquam homines audiant: cujus secunda pars sancit, ne quid a Deo petamus, quod velle nos, indecorum sit hominibus confiteri: præcipit & Naso lib. 2. art. amand.

> *Multa vove, sed cuncta* PALAM.

Martialis lib. 1. epigr. 39. de laudibus Deciani.

> *Et nihil* ARCANO *qui roget ore Deos.*

nam honestum votum clare, inhonestum arcane proferri solet. Horat. lib. 1. epist. 16. vers. 59.

> *Jane Pater* CLARE, CLARE *cum dixit Apollo,*
> *Labra movet metuens audiri.*

clara voce hodie Javani in India & Bandæ incolæ, clara voce Christiani adorant, atqui Veteres adorarunt: scribit Hilarius ad Ps. 65. *possumus ibi vocem precantis populi audire*: & canit Prudentius Cathemerin. Hymn. Matutin.

> *Te Christe, solum novimus,*
> *Te mente pura, & simplici*
> *Te voce, te cantu pio,*
> *Rogare curvato genu*
> *Flendo, & canendo discimus.*

nec aliam ob rem aperta, & clara voce vota fieri Philosophi præcipiebant, licet Dii tacita etiam vota norint, quam ut occasio supprimeretur impietati voventium: quo alludere videtur tersissimus Poeta

Tibullus lib. 4. verbis Sulpiciæ, Cerinthum amantis, ad Natalem five Senium:

Optat idem Juvenis quod nos, sed CAUTIUS OPTAT;
Nam pudet hæc illum dicere verba PALAM.
At tu Natalis quoniam Deus omnia sentis,
Annue, quid refert CLAMNE, PALAMNE *roget.*

& huc, ut supra diximus, spectabat illud veterum Pythagoreorum symbolum μετ' φωνῆς δ' εὔχεσθαι. quod lib. 3. de offic. explicat Cicero his verbis: *ea deliberanda omnino non sunt, in quibus est turpis ipsa deliberatio: atque etiam in omni deliberatione celandi atque occultandi spes opinioque removenda est:* eodem modo in Sacris literis promiscue Judæi, Gentiles, ac Christiani adorant. Exod. 32. comm. 11. habetur: *quamobrem deprecatus est Mosche Jehovæ Dei sui faciem iratam, & dixit, quare Jehova accenderetur ira tua in populum tuum, quem eduxisti e terra Ægypti, virtute tua magna, & manu forti?* I. Reg. 16. comm. 26. *quumque invocassent nomen Bahalis, a mane usque ad meridiem, dicendo, o Bahal, exaudi nos:* & Act. Apostol. cap. 1. comm. 24. *& quum orarent,* (Apostoli) *dixerunt, tu Domine nosti quod est in cordibus omnium, ostende unum, quem eligis ex his duobus.*

Multi igitur Antiquorum tacita voce & murmure quodam precati sunt: pulcherrime Persius Satyr. 2.

At bona pars hominum TACITA *libavit acerra.*

& superius citato loco lib. 6. Metam. Ovid.

—— *Et parvo faveas mihi* MURMURE *dixit*
Dux meus, & simili, faveas mihi, MURMURE *dixi.*

ut Julianus in Misopogone hoc quoque nomine Antiochenses Christianos reprehendit, quod non orarent silentio, sed magno sono loca Sacra replerent: quare etiam Tertullianus in Dei oratione docet, sonos vocis subjectos esse debere, hoc est, submissos, & murmur potius, quam vocem: sed & corde suo sæpe Deum allocutos Christianos Augustinus hisce docet. *Ideo non necesse ducebant* CLARA VOCE *precari, nisi cum alii audire preces deberent, ut assentirent:* verba habentur lib. de Magistro: quod idem prosequitur ad Psalm. 34. Ambrosius l. c. & Cassianus collat. 9. cap. 25. de Judæis idem notatur 1. Sam. cap. 1. comm. 12. & 13. de Channa his verbis: *erat autem, cum illa multis supplicaret coram Jehova, ut Heli observaret os ejus; nam Channa loquebatur* CUM ANIMO SUO, *tantum labia ejus movebantur, vox autem ejus* NON AUDIEBATUR, *quapropter reputabat eam Heli ebriam.*

Preces ligatis, vel illigatis, de quibus omnes loci citati loquuntur, verbis constabant: sic in hymnis favorem numinis sibi conciliare proponebant, ut diserte Homerus testatur Iliad. A. v. 472.

Οἱ δὲ πανημέριοι μολπῇ θεὸν ἱλάσκοντο,
Καλὸν ἀείδοντες παιήονα κοῦροι ἀχαιῶν.
Μέλποντες ἑκάεργον.

id est:

Hi autem totam Diem cantu Deum precabantur,
Istum canentes Pæana pueri Achivorum,
Canentes longe operantem.

exempla etiam sunt Davidis, Mosis, Judithæ, & aliorum inter Judæos, Prudentii, & Sidonii Apollinaris inter Christianos hymni: scribit Macrobius in somn. Scipion. lib. 2. cap. 3. *in ipsis quoque hymnis Deorum per stropham, & antistropham metra canoris versibus adhibebantur:* sic cantat apud Euripidem in Hippolyto versus Dianam ipse Hippolytus.

Χαῖρέ μοι ὦ καλλίστα
Καλλίστα των κατ' ὄλυμπον
Παρθένων Αρτεμι.

Salve mihi, o formosissima,
Pulcherrima, in cælo degentium
Virginum, Diana.

In carmine Sæculari Flaccus vers. 1.

Phœbe, silvarumque potens Diana,
Lucidum cæli decus, o colendi
Semper, & culti, date quæ precamur
Tempore Sacro.

Ὕμνοι δὲ καὶ ἀθανάτων γέρας αὐτῶν. id est, *hymni enim immortalium etiam sunt præmium:* ut Theocritus Idyl. 18. 8. canit, neque Cœlestibus solum, sed Infernis etiam Diis dicati erant: unde Θεῶν κατὰ γᾶς Ὕμνος, *Deorum sub terra hymnus* apud Æschyl. sept. theb. vers. 874. hinc Ὑμνῳδοὶ & Συνῳδοὶ dicti, qui hymnos cantabant, uti ex veteri inscriptione apud Spon. Misc. pag. 354. docemur: imo Exod. 15. comm. 1. habetur: *tunc canens Mosche & Filii Israelis canticum istud Jehovæ, locuti sunt, dicendo: cantabo Jehovæ eo, quod admodum excelluit, equum, & sessorem ejus dejecit in mare:* atque in Peristeph. Hymn. 14. Prudentius canit:

Ibat triumphans virgo Deum Patrem,
Christumque Sacro carmine concinens.

& ibid. hymn. 5. Vincentii Martyris,

Psallentis audit insuper
Prædulce carmen martyris.

quod veteres Christianos observasse docet ejusdem Præfatio in Cathemer.

Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit.
Hymnis continuet Dies.
Nec Nox ulla vacet, quin Dominum canat.

quod Recentiores observare testantur Psalmi, & Cantica Mariæ, Simeonis, Zachariæ, quæ ante, & post Divini verbi prædicationes, atque conciones cani solent in Ecclesia Dei. Hymnis Mahometani Profetam celebrant, & cantico *La illah Illa allah* elata voce quotquot concionibus intersunt respondent teste Christoph. Richerio in Arab. Republ.

CAP. IX.

Adoratio matutino tempore *frequentissima plerisque Gentibus.* Sol exoriens *apud Persas salutabatur. templi foribus assidebant. plerumque* per omnem diem *adorabatur antiquitus.* mane & vesperi *ad minimum. multa sacra* nocte *fiebant, a plerisque tamen, ut turpia, rejecta. Christiani ob nocturnas adorationes ab Ethnicis accusati. idem mos a nonnullis hodie observatur.*

magna Turcarum superstitio propter precationum tempus.

TEmpus adorationis si inquisiveris, cum matutinis temporibus Deos assidere templis crederent, surgente die quamplurimi Numina invocarunt. Prudentius hymn. 11.

> *Mane salutatum concurritur: omnis adorat*
> *Pubes, eunt, redeunt Solis ad usque obitum.*

& egregie Comicus in Pænul. act. 1. scen. 2. in his:

> *Quia non jam dudum ante lucem ad ædem Veneris venimus.*
> *Prima cum ut inseremus ignem in aram.*

canit Sulmonensis Poeta lib. 4. de Pont.

> *His ego do toties cum thure precantia verba,*
> *Eoo quoties surgit ab orbe dies.*

Magorum ac Persarum exemplo, quibus, Herodiano teste lib. 1. in more fuit, primo semper diluculo canere Diis, hymnosque & laudes dare, Orientemque Solem venerari: scribit Philostratus lib. 1. cap. 12. in vita Apollonii Tyanæi, illum sensisse, summo diluculo cum Diis versari, procedente mox die, de Diis loqui oportere: en ipsa Philostrati verba: *cum Sacerdotibus habitabat, & Oriente Sole sacra quædam in occulto faciebat, quæ solum illis quatuor communicabat, qui secum in silentio se exercuerant*: atque illorum plurimi, quo majorem erga numina reverentiam suam testarentur, summo mane templi foribus assidebant, donec intromitterentur. Seneca epist. 59. scribit: *vetemus Salutationibus matutinis fungi, & foribus assidere templorum, humana ambitio istis officiis capitur*. Tibullus lib. 1. eleg. 3.

> *Et mea votivas persolvens Delia noctes,*
> *Ante Sacras, lino tecta, Fores sedeat.*

neque mane tantum, sed singulis etiam horis adorantes

> —— *Eunt, redeunt Solis ad usque obitum.*

Ovidius canit lib. 4. fast.

> *Vesper ubi est, tectum supra nova vellera corpus*
> *Ponit, adorato per sua verba Deo.*

ita ut moris fuisse videtur, ut bis in Die ad minimum, mane nempe & vesperi, Deorum curæ sese commendarent: quod eleganter Plato lib. 10. de legibus innuere videtur his verbis. Ἀνατέλλοντς τε ἡλιυ καὶ σελήνης, καὶ πρὸς δυσμὰς ἰόντων, προσκυλισεις ἅμα καὶ προσσκυνήσεις ἀκούοντές τε καὶ ὁρῶντες ἑλλήνων, τε καὶ Βαρβάρων πάντων ἐν συμφοραῖς παντοίαις ἐχομένων καὶ εὐπραγίαις. id est, *sole lunaque orientibus ac occidentibus, advolutiones adorationes spectare & audire licet omnium tam Græcorum quam Barbarorum, tam eorum, qui felicem vitam agunt, quam qui miseriis urgentur*: quo etiam pertinent illa Horatii carm. lib. 4. od. 5. vers. 37.

> *Longas o utinam, dux bone, ferias*
> *Præstes Hesperiæ, dicimus integro*
> *Sicci mane die: dicimus uvidi,*
> *Cum sol Oceano subest.*

utque die, ita multi etiam nocte preces fudisse lego apud Scriptores antiquos. Papinius Statius lib. 5. sylv. 1.

> *Sed meliore via, dextros tua vota marito*
> *Promeruere Deos, dum nocte, dieque fatigas,*

at multi nocturnas adorationes suspicabantur, atque noctem fraudi accommodatam rebusque turpibus rejiciebant. Minucius in Octavio pag. 9. scribit: *nescio an falsa, certe occultis, ac nocturnis sacris apposita suspicio*: favere enim sceleri tenebræ videntur: hinc illa apud Horatium nostrum improba vota:

> *Noctem peccatis & fraudibus objice nubem.*

& hac ratione Poetæ fingunt noctem generasse dolores, fraudem, mendacium, ut videre est apud Hesiodum, & Apollodorum lib. 1. biblioth. & licet, veluti Seneca docet in Hercul. furent. act. 3. scen. vers. 846.

> *Citi tectis properent relictis*
> *Attici noctem celebrare Mystæ.*

nocturnas Christianorum sacras criminabantur, ut impias: quæ tamen certis e sacra Scriptura quæsitis fundamentis observabantur: rationem egregie reddit Hieronymus in Matth. 25. lib. 4. fol. 55. *traditio*, scribit, *Judæorum est, Christum media nocte venturum in similitudinem Ægyptii temporis, quando Pascha celebratum est, & exterminator venit, & Dominus super tabernacula transiit, & postes sanguine agni nostrarum frontium consecrati sunt*. unde Psalmista: *Media nocte surgebam tibi semper Judicia significationis tuæ.*

canit Prudentius Cathemer. hymn. post Jejun.

> *Teque contemptis epulis rogemus*
> *Nocte, Dieque.*

die ergo etiam invocabant: sic Idem in hymno ante Cibum:

> *Te Pater optime mane novo,*
> *Solis & orbita cum media est,*
> *Te quoque luce sub occidua,*
> *Sumere cum monet hora cibum,*
> *Nostra Deus canit harmonia.*

Turci quinquies intra spatium viginti quatuor horarum adorare lege sua tenentur, tempore nempe matutino, meridiano, postmeridiano, vespertino & nocturno: ut prolixe hoc testantur Alcoranus Mahomethi & Itinerum in Asiam scriptores Tavernier, Della Valle & De La Croix: & hasce quinque horas orando stricte observant, si fideles Mahomethani haberi velint, attamen non tenentur templa, nisi die Veneris, illis sacro, adire: huc transcribere lubet carmen morale ex Christophor. Weigelii Ethica Naturali ad symbolicam imaginem Lunæ:

> *Altera fax cæli sol est, fax altera Luna:*
> *Ista regit noctes, ut regit ille dies.*
> *Hæc dico, qui nobis famulari sidera jussit,*
> *Nonne colli debet nocte, dieque Deus?*

CAP. X.

Sacris diebus omne opus fieri prohibitum. *qua de re ſtatuta apud Athenienſes lex recenſetur. item ritus apud Romanos obſervatus. Macrobio vera lectio reſtituta. opus item in feſtis fieri apud Judæos nefas creditum.* Profani a ſacris abeſſe juſſi, Silentiumque *aſtantibus impoſitum apud Græcos æque ac Romanos. formulæ* Favete Linguis *verus ſenſus expoſitus.* Janus *in publicis ſacris* primus invocatus *apud Romanos. Scriverius laudatus. in* Veſta *ſolennis* precatio extrema *erat. Alexander ab Alexandro & Tiraquellus notati: Veſtæ apud Græcos,* Igni *apud Perſas primæ imprecationes fiebant.*

SAcris ac indictis diebus opus fieri prohibebatur in feſtis publicis: inde ſtatuta Lex apud Athenienſes jubebat, ut ſacra Diis rite fierent, non avocato ad alias curas animo: quam legem ita nobis dedit Clariſſ. Petitus: Ἀπάντων τῶν Ἀθηναίων ἀγόντων ἱερομηνίαν μήτ᾽ ἰδίᾳ, μήτε κοινῇ μηδὲν ἀλλήλους ἀδικεῖν ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ, μηδὲ χρηματίζειν, ὅ, τι ἂν μὴ περὶ τῆς ἑορτῆς ᾖ. id eſt, *die, populo Athenienſium feſto, ne cuiquam, ſive privatim, ſive publice injuria fiat, neve habetur concio de aliis rebus, quam iis, quæ ad feſtorum religionem pertinent*: ac Strabo lib. 10. pag. 467. inquit: *commune hoc eſt & Græcis & Barbaris ſacra celebrare feſta cum laborum intermiſſione*: nam pollui ferias affirmabant Sacerdotes, ſi indictis conceptiſque opus aliquod fieret; ideo per præconem denuntiabatur, ne quid tale ageretur: ut optime refert Macrobius Saturn. lib. 1. cap. 16. quo loco cum Clariſſ. Meurſio *per Præciam* lego pro *per Præconem*, cum, quibus id muneris dabantur, Præciæ vocarentur: ſic Feſtus: *Præcias dicebant, qui a Flaminibus præmittebantur, ut denuntiarent opificibus, manus abſtinerent ab opere, ne ſi vidiſſet ſacerdos facientem opus, ſacra pollueretur*; quocirca eloquentiſſimus Cicero lib. 2. de legib ſcribit: FERIIS JURGIA AMOVENTO: & paulo poſt, *Feriarum Feſtorumque dierum ratio in Liberis requiem habet Litium & Jurgiorum.*

Neceſſitatis cauſa tamen aliquando permittebatur juxta Macrobium, atque hunc morem a Judæis recepiſſe Gentiles videntur, quibus Deus ipſe Levitic. 23. præcipit: *a veſpera ad veſperam celebrabitis Sabbatha Veſtra.* item: *die primo a die octavo erit Sabbathum, id eſt, requies*: & Feſtorum potiſſimum duæ cauſæ erant, Dei ſcil. honor & laborum intermiſſio, uti Exod. 20. eleganter habetur: *Memento ut diem Sabbati ſanctifices; ſex diebus operaberis, & facies omnia opera tua, ſeptimo autem die Sabbatum Domini Dei tui eſt: nullum facies opus in eo*: atque rurſus Levit. 23. *Sex diebus facietis opus; dies ſeptimus, quia Sabbati requies eſt, vocabitur ſanctus: nullum opus facietis*: neque hæc requies ab operibus tantum die Sabbati, ſed omnibus etiam feſtis obſervabatur, ſicut videre poſſumus Levit. 23. in feſto Tubarum & Expiationum. Exod. 12. Paſchæ & Azymorum, denique Levitic. 23. in feſtis Collectarum & Tabernaculorum.

Neque opus ſolum fieri prohibebatur, aſt & Profani a ſacris abeſſe jubebantur, ſilentiumque omnibus, qui ſacris intererant, injungebatur æque apud Græcos quam Romanos, idque apud primos juxta formulam, quæ apud Comicum Θεσμοφ. pag. 767 legitur, Εὐφημὸς πᾶς ἔσω λεὼς Στόμα συγκλείσας, *Favens eſto omnis populus, Os claudens*, & apud eundem in Equit. pag. 361. Εὐφημεῖν χρὴ καὶ στόμα κλείειν. *Favere oportet & os claudere*: eodem ſenſu εὐφημεῖν a Callimacho ſumitur verſ. 17. Hymni in Apollinem ut ſcilicet cantantibus ad Lyram in Apollinis honorem pueris, omnes ore faverent: ſic apud Romanos Paulus ex Feſto Pompejo tradit in ſacrificiis dictum antiquitus PASCITO LINGUAM: quod ille exponit, *linguam coerceto, contineto, taceto*: atque poſteriori tempore imperabatur, ut FAVERENT LINGUIS: de quo verbo Seneca in lib. de Vit. Beat. ad Gallionem ſcribit, quod illud *non, ut plerique exiſtimant, a favore trahitur, ſed imperatur ſilentium, ut rite peragi poſſit ſacrum, nulla mala voce obſtrepente*: atque ejuſdem ſententiæ Servius & Donatus conſentiunt ad lib. v. Æneid. ad verba illa, ORE FAVETE: & Proleg. Terent. Andriæ. Quintilianus vero Declam. 365. de ſilentio hoc commendato in ſacris ſcribit: *in templo, in quo verbis parcimus, in quo animos componimus, in quo etiam tacitam mentem noſtram cuſtodimus, pulſare, velut in ſolitudine, velut in ſecreto quodam, non eſt ferendum*: eodem modo apud Turcas Sacerdos, quem Iman vocant, populum monet, ut attentus interſit precationibus & quam minimo murmure preces Deo offerat.

Voce autem, PROCUL ESTE PROFANI, Impuri Pollutique homines, de quibus cap. ſeq. dicemus, a ſacris arcebantur per ſacrorum miniſtrum: ſic T. Calpurnius Ecl. 11. canit:

> *Ite procul, ſacer eſt locus*, ITE PROFANI.

& Juvenal. Sat. 11.

> *Solis ara Deæ maribus patet.* ITE PROFANÆ,
> *Clamatur.*

Livius lib. 41. ſcribit: *quum omnis præfatio Sacrorum eos, quibus non ſunt puræ manus, ſacris arceat*: nec minus eleganter Papin. Statius lib. 3. ſylv. 3. verſ. 12. impietatis impuritatiſque ſpecies varias referens canit:

> —— —— —— —— —— *Adeſte*
> *Diique hominesſque ſacris*, PROCUL HINC, PROCUL ITE NOCENTES,
> *Si cui corde nefas tacitum, feſſique ſenectus,*
> *Longa patris, ſi quis pulſatæ conſcius unquam*
> *Matris, & inferna rigidum tenet Æacon urna;*
> *Inſontes caſtoſque voco.*

quem morem merito e Græco fonte manaſſe contendit Servius ad lib. 6. Æneid. verſ 258. & Callimachi citat verſum 2. hymni in Apolline, ubi ἑκὰς, ἑκὰς, ὅστις ἀλιτρός, *Procul hinc, Procul eſte Profani.*

In iiſdem quoque ſacris publicis diligenter obſervabatur, ut Janus primus invocaretur apud Romanos, atque adeo ipſi Jovi præponeretur, teſte Martiali lib. 8. Epigr. 8.

> *Principium des, Jane, licet velocibus annis,*
> *Et revoces vultu ſecula longa tibi,*
> TE PRIMUM *pia thura rogent, te vota ſalutant.*

ita enim cum Clariſſ. Scriverio lego & antiquis editionibus pro vulgata iſta lectione:

> TE PRIMUM *pia turba roget, te vota ſalutent.*

quam lectionem Scriverianam & ſolennem ritum optime probat lib. 1. faſt. Ovidius inquiens:

Jane, tibi PRIMUM *thura, merumque fero.*

ipsam observationem in precibus legito apud Livium lib. 8. verba facientem de Deciorum patris ac filii devotione, & scribentem Pontificem præivisse hæc verba: JANE, *Jupiter, Mars, Pater, Quirine, Bellona, Lares, Divi Novensiles, Dei indigetes, Divi, quorum est potestas nostrorum hostiumque, Deique Manes, vos precor, veneror, veniam peto feroque, uti Pop. Rom. Quiritium vim victoriamque prosperetis:* legito Catonis locum, qui est de Re Rust. cap. 141. de lustratione agri: JANUM *Jovemque vino* PRÆFAMINO, *sic dicito: Mars pater, te precor quæsoque:* adde ejusdem caput 134. de porca præcidanea, quæ, antequam novam frugem præciderent Rustici, immolabatur, referens: *priusquam messim facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri oportet: Cereri porca præcidanea, porco fæmina, priusquam hasce fruges condantur, far triticum, hordeum, fabam, semen rapicium, thure, vino,* JANO *Jovi Junoni præfato: priusquam porcum fæminam immolabis* JANO *struem commoveto sic.* JANE PATER, *te hac strue commovendo bonas preces precor, uti* SIES VOLENS PROPITIUS *mihi, liberisque meis, domo familiæque meæ:* neque solum, cum Jano sacrificium fiebat, sed & cum aliis Diis sacrificabatur, dato thure in altaria, Janus prior nominatus est teste Aurel. Vict. in breviario Histor. Rom. hancque præfationem meruisse Janum eo, quod primus Diis templa & sacrorum ritus instituit, Fabius Pictor lib. 1. de aur. secul. testatur, ut per eum ad Deos, quibus immolatur, pateat accessus: cujus ritus Macrobius Saturn. lib. 1. capite 9. rationem hisce verbis reddit: *Janum quidem solem demonstrari volunt potentem, qui exoriens operiat diem, occidens claudat: invocarique primum, cum alicui deo res divina celebratur; ut per eum pateat ad illum deum, cui immolatur, accessus: quasi preces supplicum per portas suas ad deos ipse transmittat:* atque ita illum ipsum, interrogatum quare nomen ejus præfaretur in sacris, Ovidius fast. lib. 1. introducit respondentem:

Ut possis aditum per me, qui limina servo,
Ad quoscunque voles, inquit, habere Deos.

In Vesta ceterum solennis precatio extrema erat, utpote quæ juxta Ciceronem lib. 1. de nat. Deor. *est rerum custos intimarum*, & secundum Servium in lib. 1. Æneid. ad versum illum, *Cana Fides & Vesta: significat Religionem, quia nullum sacrificium sine igne est, unde, & ipsa,* inquit, *& Janus in omnibus sacrificiis invocantur:* quem ritum exacte Virgilius Georg. lib. 1. observat:

Dii patrii indigetes, & Romule, VESTAQUE MATER.

& Vellejus Paterculus in voto illo, quo volumen suum finiit, inquiens: JUPITER CAPITOLINE, ET AUCTOR ET STATOR ROMANI NOMINIS, GRADIVE MARS, PERPETUORUMQUE CUSTOS VESTA IGNIUM, VOS PUBLICA VOCE OBTESTOR ATQUE PRECOR.

Janum vero in fine precationis etiam invocatum fuisse nullibi apud Scriptores veteres vestigium apparet, nec rationem ullam, nec Scriptorem profert Alexander ab Alexandro lib. 4. cap. 17. ad sustinendam illam opinionem suam; magis tamen miror Tiraquelli commentarium in Alexandrum, Macrobium lib. 1. Saturn. cap. 9. testem hujus solennitatis advocantem, cum iste nihil omnino stius rei meminerit, & Cicero loco citato diserte scripserit, *cum in omnibus rebus vim haberent maximam prima & extrema, principem in sacrificando Janum esse voluerunt, quod ab eundo nomen est deductum, ex quo transitiones perviæ Jani, foresque in liminibus profanarum Ædium Januæ nominantur:* & mox de Vesta: *itaque in ea Dea, quæ est rerum custos intimarum, omnis precatio & sacrificatio extrema est.*

Apud Græcos secus observatum comperio, & directe scribit Pausanias de sacrificiis, quæ solenniter in Olympo fiebant, lib. 5. *Θύεσι δὲ Ἑςίᾳ μὲν πρώτῃ, δευτέρῳ δὲ τῷ Ὀλυμπίῳ Διί: sacrificant Vestæ primum, tum secundo loco Jovi Olympio:* ubi Phurnutus notat: *Vesta prima & postrema nata perhibetur, quod in hanc resolvantur, quæ ab ea producuntur, & ab eadem constituuntur: quare & Græci ab illa sacrificiorum principium sumpserunt, & in illam postremo desinebant:* quod Porphyrius περ. Αποχ. l. 11. p. 125. affirmat: *ἄρξαντα πρῶτον* ΑΡΕΣΤΙΑΣ *τοῖς ἐρανίοις Θεοῖς θύειν: a* VESTA *cælestium deorum sacra primum auspicati:* ejusdem autem Vestæ, quam Pindarus Nem. Od. 11. *primam Deorum* vocat, primus in urbibus Græcis ac Asiaticis cultus, ut Magnus Ezech. Spanhemius in eruditiss. sua Differt. in Callimachi hymn. in Cerer. nos docuit: unde vulgatum illud Græcorum proverbium fluxit, *ἀφ᾽ Ἑςίας ἀρχόμενος, a Vesta incipiens.*

Eundem honorem Persæ, ignem colentes, igni tribuerunt, teste Strabone lib. 15. scribente: *Ὅτῳ δ᾽ ἂν θύσωσι Θεῷ, πρῶτω τῷ πυρὶ εὔχωνται: cuicunque Deo sacrificent, primum Igni imprecationes faciunt:* atque in his, Maximo Tyrio auctore, precabantur, prebito alimento: *Ede Domine Ignis:* qua de re & observatione superstitiosa multa differit Magnus iste B. Brissonius de Reg. Persar. Principat. lib. 2. pag. 164. edit. Commel. *Persæ enim,* uti scribit Jul. Firmicus lib. 1. cap. 5. de errore prof. Religion. *& Magi omnes, qui Persicæ regionis incolunt fines, ignem præferunt omnibus elementis, & putant debere proponi.*

CAP. XI.

Impuritas *adoratoribus nocens, fiebat* concubitu *apud Romanos æque ac veteres Græcos, nec non Judæos. decem diebus a* Cibaria *&* Venerea voluptate & Vino *Ægyptii arcebantur.* Vini abstinentia *Sacerdotibus Judaicis a Deo mandata precaturis. Romanis mulieribus Vinum antiquitus interdictum. Brachmanni Indorum Vini & Veneris expertes, ut Sabbathis diebus Samaritani hodierni. Mahometani templa adituri,* a mulieribus *sese* abstinent. somnia *etiam polluere Gentiles credebant. impuri* vir feminifluus, mulier menstruosa *apud Judæos.*

NON omnibus promiscue publice deos adire licebat, ast impuri a sacris arcebantur. Tibul. lib. 2. eleg. 1. vers. 11.

Vos quoque abesse procul jubeo, discedite ab aris,
Queis tulit hesterna gaudia nocte Venus.

Impuritatis autem, juxta Maimonidem præfat. ad Mikvaoth in Misna, undecim fontes erant apud Hebræos: *Immunditia reptilium, morticini, cadaveris humani, ex semine ejecto orta, aquæ piacularis, victimarum piacularium, viri fluctione affecti, fæminæ fluxione laborantis, fæminæ menstruatæ, puerperæ, ac lepræ:* quarum ta-

men maxima immunditia erat corporis humani, ut videre est Numer. 19. comm. 12. 14.

Optime Joseph. Scaliger ad carmen illud inter Catalecta Veter. Poetar. pag. 65.

Huc, huc, quisquis es, in Dei Salacis
Diverti grave ne puta sacellum:
Et si nocte fuit puella tecum,
Hac re, quod metuas adire, non est,
Istuc Cœlitibus datur severis.

nos monet, Veteres concubitu abstinuisse rem divinam facturos: quod Latini pure habere dicebant, ut Græci ἁγνεύειν, ἁγνῶς ἔχειν. Plaut. Asinar.

Si forte pure velle habere dixerit,
Tot reddat spurcas, quot puras habuerit.

ita *Solum purum* dicebatur illud, quo nulla erant sepulchra posita, vel cui non erant conjuncta, uti in Tabula marmorea Neapoli legitur: IN HIS ÆDIFICIS ET LOCIS PURIS ADJACENTIBUS ÆDIFICIS SIVE IS LOCUS AGER EST ÆLI RUFINI MILITIS, CUJUS SE POSSESSOREM ESSE EX CAUSA EMPTIONIS. P. ÆLI ABASCANTI PATRIS SUI ALFENIO SENECIONI SUB PRÆF. CLASS. PR. MIS. PROBAVIT ET MERUIT SENTENTIAM. QUAM JUSSU EJUSDEM SENECIONIS SUB PRÆF. HUIC TITULO PROSCRIPSIT. SENECIO. C. C. C DIXIT. NECESSARIAM FUISSE INSPECTIONEM ÆDIFICIORUM ET LOCI DE QUIBUS APUD ME ACTUM EST. RE IPSA MANIFESTATUR. CUM IGITUR ÆDIFICIA SOLO PURO POSITA DEPREHENDERIM NEQUE ULLO SEPULCHRO SUPERPOSITA VEL CONJUNCTA APPARET, VENDITIONEM EORUM JURE FACTAM IDEOQUE AD ÆLIUM RUFINUM MILITEM EX CAUSA EMPTIONIS PERTINERE VIDENTUR.

Abstinentia ergo a Venere opus erat, ut cum antiquis loquar, pro naturali conjunctione: ita Senecæ locus in Hippol. act. 3. scen. 3. vers. 901. intelligendus:

Feræ quoque ipsæ Veneris evitant nefas,
Generisque leges inscius servat pudor.

ob castitatem apud Ovidium Hercules & Omphale secubuerunt lib. 2. Fast.

Sic epulis functi, sic dant sua corpora somno,
Et positis juxta secubuere toris.

& Lampridius in Alexandro scribit: *Primum usus vivendi eidem hic fuit: primum, si facultas esset: id est, si non cum uxore procubuisset, matutinis horis in Larario suo rem Divinam faciebat.*

Idem mos a Judæis observandus erat juxta legem divinam Exod. 19. com. 15. ubi Moses edicit populo: *Estote parati in diem ipsum tertium, ne accedite ullus ad uxorem:* de Ægyptiis narrat Apulejus lib. 11. metam. quod Sacerdos præcepit, decem continuis illis diebus cibariam voluptatem coerceret; neque ullum animal esset, & invinius esset, Vini enim abstinentia ut & quorundam ciborum apud varias olim Gentes observata: de Hebræis Levit. 10. comm. 9. habetur: *dixit Dominus ad Aaron: vinum, & omne, quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini:* hinc Josephus lib. 6. belli Judaici scribit: *ad altare templumque accedebant, carentes omni vitio, Sacerdotes veste amicti byssina, maxime vero mero abstinentes, ac sobrii religionis metu, ne quid rem Divinam faciendo peccarent:* in hunc sensum accipi debent illa Hieronymi verba: *quomodo autem,* (inquit) *virginitati veræ non præjudicat imitatio virginum diaboli, ita nec veris jejuniis castorum Isidis & Cybeles, & quorundam ciborum abstinentia in æternum: maxime, cum apud illos jejunium panis sagina carnium compensetur:* optime Arnobius lib. 5. ait: *quid temperatus ab alimonis panis, cui rei nomen dedistis castus?* Valer. Max. libro primo cap. 1. refert, quod Vini usus olim Romanis fœminis interdictus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur, quia proximus a Libero Patre intemperantiæ gradus ad inconcessam Venerem esse consuevit, & doctissime Servius ad illa Virgiliana lib. 1. Æneidos: *Summo tenus attigit ore,* commentatur: *& verecundiam Reginæ ostendit & morem Romanum, nam apud Majores nostros fœminæ non utebantur vino, nisi sacrorum causa, certis diebus; denique fœmina, quæ sub Romulo vinum bibit, occisa esto marito. Mecennius autem maritus absolutus est homicidio: sic Granius Lucinianus cœnæ suæ; unde in historiis lectum est Romanorum, vini usus Romanis fœminis ignotus fuit, ne scilicet in aliquod dedecus prolaberentur:* de Brachmannis apud Indos simile quid refert Strabo Geogr. lib. 15. scilicet quod ex frondibus & sylvestribus fructibus viventes, Vini & Veneris expertes sunt: uti vero de hodiernis Samaritanis testatur ipsorum Epistola prima ad Joseph. Scaligerum apud Joh. Morinum pag. 120. die Sabbathi nullos opus facere nec cum mulieribus concumbere, sic de priscis Christianis Gregor. Magnus resp. ad quæst. 10. August. Angl. Episc. scribit: *vir cum propria uxore dormiens, intrare Ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet:* & paulo post: *& quamvis de hac re diversæ hominum nationes diversa sentiant, atque custodire videantur, Romanorum tamen semper, atque ab antiquioribus, usus fuit, post admixtionem propriæ conjugis & lavacri purificationem, ab ingressu ecclesiæ paulatim reverenter abstinere.* Mahumethani etiam a mulieribus, teste Alex. Ros, de Gentium religionibus scribente, abstinere solent, & ad Lavacra festinare, quam cito Custodes ex templorum turribus ad religionem exercendam convocent populum.

Neque Veneris Ciborumque & Vini usus solus polluere credebatur, ast & Somnium, ut Aristophanes indicat in Ranis fol. 180.

Ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε,
Κάλπισι τ' ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε,
Θέρμετε τ' ὕδωρ
Ὡς ἂν Θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.

Ferte facem celeres famulæ mihi,
Situla aquam e liquido date flumine,
Calfacite undas,
Hæc ut somnia fontibus abluam.

nec non Persius Sat. 2. vers. 10.

—— Et noctem flumine purgas.

aqua enim tolli culpas sequenti capite probabitur; quod aliquando certo dierum numero fiebat, teste Cic. de legib. & Propertio lib. 2. eleg. 33. vers. 2.

Cynthia jam noctes est operata decem.

Livius lib. 39. cap. 9. decem dierum caſtimonia opus eſſe ſcribit, decimo die cœnatum, deinde pure lautum in ſacra ritum deducturum ſeſe: atque Feſtus, *denariæ*, inquit, *vel tricenariæ cerimoniæ, quibus ſacra adituris decem continuis diebus, vel triginta, certis quibuſdam rebus carendum erat*: ipſos apud Judæos Vir feminifluus ſeptem diebus, ſicuti menſtruoſa mulier, impurus erat juxta Levit. 13. ut & puerpera, licet pepererit maſculum, 33. diebus in ſanguine purificationis manebat, & ſi pepererit fæminam 66. diebus: nec immerito homicidium, utpote maxime inhumanum & abominandum, polluere credebant Veteres. Tertull. de Baptiſ. cap. 5. ſcribit: *Penes Veteres quiſquis ſe homicidio infecerat, purgatrice aqua ſe expiabat*: apud Apollonium lib. 4. Argon. dicitur Hercules Νιψόμενος παίδων ὀλοὸν φόνον, *Luſtraturus liberorum miſerabilem cædem*: ſic Æneas a cæde hoſtium rediens Deos Penates Anchiſæ patri commendat his verbis:

> *Tu genitor cape ſacra manu, patrioſque Penates,*
> *Me bello e tanto digreſſum, & cæde recenti*
> *Attrectare nefas.*

Quin immo & ipſa Funera polluebant, ut Lucianus de Dea Syria refert: ἢν μὲν τὶς αὐτέων νέκυν ἴδηται, ἐκείνην τὴν ἡμέρην, ἐς τὸ ἱρὸν ἐκ ἀπικνέεται. id eſt, *ſi quis ipſorum cadaver aliquod adſpexerit, illo die ad templum non accedit*: conſuetudo Romana etiam a Servio ad Æneid. 11. verſ. 12. dicitur, ut polluti funere minime ſacrificarent: quare, nequis in cadaver aliquod incideret, Græci ipſius mortui capillos foribus appendebant teſte Euripid. in Alceſt. Romani vero Cypreſſum, quæ ſemel cæſa renaſci neſcit, ut Servius ad 3. Æneid. verſ. 630. refert.

CAP. XII.

Caſtitas *in adoratoribus neceſſaria.* lotione *totius corporis vel tantum partis cujuſdam, vel* ſparſione *conſtabat. aqua ſacrata ad Chriſtianos translata. lavatio* aquis marinis, *vel* fluvialibus *vel* fontanis. *purificatio marina aqua uſitatiſſima & ipſis Judæis. fluvialis lavatio Gentilibus omnibus antiquitus hodieque nota.* Adſperſio *introeuntium templa apud Græcos* per Sacerdotes *facta, apud Chriſtianos Pontificios per ſe ipſos. ratio ejus ritus inquiritur.*

AD publicam ergo adorationem maxime requirebatur caſtitas, quæ in lotione vel ſparſione Corporis totius vel alicujus partis tantum conſtabat. Arnob. lib. 7. pag. 222. *quorum templa cum adire diſponitis, ab omni vos labe puros, lautos, caſtiſſimoſque præſtatis*: quem ritum lib. 5. cap. 20. eleganter Lactantius mordet & ridet inquiens: *at illi infelices nec ex ſceleribus ſuis intelligunt quam malum ſit, quod colunt: quando quidem flagitiis omnibus inquinati veniunt ad precandum, & ſe pie ſacrificaſſe opinantur, ſi cutem laverint, tanquam libidines intra pectus incluſas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent*: quam opinionem Hoſpinianus lib. 2. de orig. ſacrific. e Funccio Comment. in Chron. lib. 5. Anthon. tit. 7. c. 5. Sabellico Ennead. 7. lib. 4. & Panth. in Chronic. ac Johan. Sleydano comment. lib. 2. probat Papam Romanum (*a*) Alexandrum primum orthodoxam & obſervandam tradidiſſe primumque aquam ſacratam inter Chriſtianos introduxiſſe, utpote quæ aſpergens populum, finita publica religione, illum ſacraret & ſanctificaret: eam in rem ſtatus ac ſolemnis deſtinatæ aquæ, ſeu marinæ, ſeu fluviatilis, ſeu fontium uſus adhiberi ſolitus erat: ita Ariſtides ſerm. ſacr. 11. pag. 545. de crebris lotionibus, ſibi ab Æſculapio præſcriptis: καὶ μὲν ὅσα ἀν ποταμοῖς, πηγαῖς, ἢ καὶ θαλάττῃ προσέταξε χρήσασθαι, *nam quoties fluviis, fontibus, aut etiam mari uti juſſerit*: uti etiam obſervat Philo, περὶ Θυόντων pag. 848. οἱ μὲν ἄλλοι σχεδὸν ἅπαντες ἀμιγεῖ ὕδατι περιρραίνονται, θαλάττῃ μὲν οἱ πολλοί. Τινὲς δὲ ποταμοῖς, οἱ δὲ καλπεσιν ἐκ πηγῶν ἀρυόμενοι; *ceteri fere omnes aqua pura luſtrantur, marina plerique, nonnulli autem fluviatili, aliique etiam urnis eam e fontibus haurientes.*

Ad plurimum tamen aqua marina utebantur, cum juxta Euripidem:

> Θάλασσα κλύζει πάντα τ' ἀνθρώπων κακά.

> MARE *omnia hominum mala abluit.*

Apulejus item lib. 11. de aſino aureo ſcribit: *meque protinus, purificandi ſtudio,* MARINO *lavacro trado*: nihil enim marinis aquis efficacius ad purganda quælibet mala credebant Gentiles: quare non tantum androgyni & monſtroſi partus, ſed & parricidæ, & ſimilibus obnoxii criminibus mari ſubmergebantur, atque quælibet λύματα ſive καθάρματα ad mare deportabantur: hinc Catullus in Gellium:

> *Ecquid ſcis quantum ſuſcipiat ſceleris?*
> *Suſcipit o Gelli, quantum non ultima Tethys,*
> *Non genitor nympharum abluit Oceanus.*

nec non Claudianus lib. 2. in Eutrop. verſ. 22.

> —— *Quis vos luſtrare valebit*
> *Oceanus?*

idem ritus Judæis uſitatus inde liquet, quod Hemerobaptiſtarum ſecta ſingulis diebus mari aut fluminibus abluendorum criminum gratia mergi aut lavari ſolebat: cum vero crederent Antiqui, Deos non adeundos eſſe, niſi ab luſtratis, nec ullæ aquæ majorem purgandi vim crederentur habere, quam marinæ, utpote quæ ſolæ ab omnibus ſæculis perſtent incorruptæ, mirum videri nequit, ſi convenientiſſima precibus habita ſint littora, ubi precaturis præſto erant purgatrices aquæ: teſtatur Ariſtæus 70. Interpretes ſingulis diebus mane in maris littore lavaſſe manus, & tum demum, adorato Deo, operi ſe accinxiſſe, unde Tertullianus lib. 1. c. 13. ad Nation. vocat *Orationes litorales*: optimus ſane locus invenitur apud Plautum in rudente act. 3. ſcen. 3. verſ. 36. ubi Mulieres petunt, ut ſibi pace Veneris in templo ejus eſſe liceat, quia Neptuni opera elautæ ſunt: hæc illarum verba:

> —— *Noſque, ut hanc tua pace aram obſidere*
> *Patiare, quæ elautæ ambæ ſumus opera Neptuni noctu,*
> *Ne inviſas habeas: neve idcirco nobis vitio vortas,*
> *Si quippiam eſt, minus quod bene eſſe lautum tu arbitrare.*

Neptunus autem hic mare eſt, qui ita dictus eſt juxta Varronem, quod mare terras obnubit, ut nubes cœlum, a nuptu, id eſt, operatione; Græcis Ποσειδῶν dicitur, quod nonnulli deducunt παρὰ τὸ πόσιν διδόναι, quia potum dat: etſi enim ſalſas maris (hoc autem proprie Neptunus eſt) aquas non

a Certa non eſt hæc origo. Aquæ benedictæ uſum vetuſtiorem probant Bellarminus, aliique.


non bibimus, fontanas quidem, fluviales & puteanas, quas potu haurimus, Neptuno sive mari originem debere in confesso est, & Ecclesiast. 1. comm. 7. habetur: *omnia flumina intrant in Mare, & Mare non redundat, ad locum unde exeunt, flumina revertuntur, ut iterum fluant:* sic uterque ille Neptunus apud Catullum in epigrammate illo ad Sirmion Peninsulam:


Peninsularum Sirmio, insularumque
Ocelle, quascunque in liquentibus stagnis
Marique vasto fert UTERQUE NEPTUNUS.

hic per utrumque Neptunum intelligi puto Neptunum, quatenus etiam Lacubus præest: uti enim Nymphæ aliæ Limniades, aliæ Marinæ, ita & alter Neptunus, qui in stagnis, ab eo, qui in Mari regnat: unde Hezych. Ἐπιλίμνιος Ποσειδῶν: optime hunc ritum probabit appictus ex F. de Camps lib. num. sub lit. A. Nummus elegans, in quo Lucilla ramos Lauri avellit ad spargendum pueros, dum sacerdos e mari aquam haurire tentat.









Altera lavatio fluviali aqua fiebat, uti Virgilius docet, Æneam pontificem introducens patrem hisce verbis alloquentem lib. 2. Æneid.

Tu Genitor cape sacra manu, patriosque Penates.
Me bello e tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas; donec me FLUMINE VIVO
Abluero.

confirmat Ovidius, lib. 4. Fast. canens:

Hæc ubi castarum processit ab agmine matrum,
Et manibus puram FLUMINIS *hausit* AQUAM.

& præter alios optime etiam Silius Italicus Punicor. lib. 8.

Oro cælicolas, ac VIVO PURGOR IN AMNE.

ita enim lego pro *antro*, quod perperam in vulgatis codicibus legitur: nam quis iste purgandi ritus in antro? nulla certe apud scriptores mentio expiationis in antro fit; ast vivam aquam Lustrationibus ac purificationibus adhibitam satis constat, unde Ægyptiorum Sacræ ædes vicinæ fluminibus ponebantur, & in hunc diem apud Indos in imperio Mogogolis, Golkondæ regis & aliorum observatur, ut templa fluminis ripas spectent: preces tamen Litorales seu ripenses sub dio antiquitus iste populus fundebat teste Tertull. lib. de pudicit. cap. 16. simile quid de Amochis & Chiavis in India tom. 1. cap. 5. Carolinus scribit, locutus de fluvio Gange in libello suo de reserata Gentil. *attamen, cum hoc flumen non ubique fluat, atque ideo non per omnes adiri possit, neque in eo, ad sublationem malorum, se abluere queant Gentiles, peregrini a Brachmannis, illorum Sacerdotibus, docentur, quaqua aqua sese lavant, ejusdem vigoris esse, si modo inter lavandum Gangis sint memores, dicentes, & exclamantes, Ganga Sjanam, hoc est, Ganges Lavet me.*

Lavabant se denique Veteres aqua fontana. Tibullus lib. 2. eleg. 1. vers. 13.

Casta placent superis; pura cum veste venite,
Et manibus puris sumite fontis aquam.

præcipue enim perennes fluvios putabant Divinos, quia indeficientem æternamque Deorum substantiam imitantur, quod optime veteres Nummi lapidesque probare possunt, cujusmodi Icon elegans visitur Romæ ad aquæductum fontis Virginis, & inscribitur:

Hujus Nympha loci Sacri Custodia fontis
Dormio, dum blandæ sentio murmur aquæ.
Parce meum, quisquis tangis cava marmora, somnum
Rumpere; sive bibas, sive Lavere, tace.

exstat apud J. Jacob. Boissardum in parte 6. Antiquit. Rom. pag 25. apud quem part. 5. marmor etiam visitur, inscriptum:

NYMPHIS. LOCI.
BIBE. LAVA.
TACE.

Huc etiam referri potest alterius marmoris, quod in domo Card. Cælii in Burgo servatur, inscriptio apud eundem part. 3. pag. 52.

TI. JULIUS FEROX CURATOR
ALVEI ET RIPARUM TIBERIS
ET CLOACARUM URBIS TER
MINAVIT RIPAM RR. PROXIMO
CIPPO P. CCCLXXXVI.

Deferebatur & aqua ad sacrificium nuptiale: sic Val. Flaccus in Nupt. Jason. & Med. lib. 8. Argonaut. canit:

Inde ubi sacrificas cum conjuge venit ad aras,
—— Ignem Pollux, undamque Jugalem
Prætulit. —— —— ——

Immo, antequam Nova nupta egrederetur domo paterna, aqua spargebatur, & cum ad virum pervenisset, ejus pedes lavabant pronubæ, teste M. Varrone in hisce, quibus fontana aqua hoc etiam factum esse docetur: *Mariti*, inquit, *uxores accipiebant igni, & aqua de puro fonte, per puerum*

felicissimum, & *puellam*, *quæ interest nuptiis*, *de qua solebant novæ nuptæ pedes lavari*. Festi Pompeii verba confirmant lib. 2. post principium: *aqua dicatur, a qua Juvamur. Aqua & igni interdici solet damnatis, contra accipiunt nuptæ: videlicet, quia hæ duæ res humanam vitam maxime continent*: & lib. 6. *facem*, inquit, *in nuptiis in honorem Cereris præferebant, aquaque spargebatur nova nupta, sive ut casta, puraque ad virum veniret, sive ut ignem, atque aquam cum viro communicet*: sed quid quove ritu lavabant? Nonnulli totum corpus abluebant: sic Macrobius lib. 3. Saturnal. cap. 1. ait: *Constat dis superis sacra facturum corporis ablutione purgari*: & Virgil. lib. 2. Æneid. *donec me flumine vivo abluero*, sicut observat Servius.

Alii tantum caput lavabant, uti Persius docet Satyr. 2. vers. 15.

> —— *Tiberino in gurgite mergis*
> *Mane caput*.

mane, & quidem bis terque juxta eundem Poetam, jungentem superioribus:

> —— *Bis terque, & noctem flumine purgas*.

& Satyricorum principem Satyr. 6. ubi de muliere, sacris operatura:

> *Hibernum fracta glacie descendet in amnem,*
> *Ter matutino Tiberi mergetur, & ipsis*
> *Verticibus timidum Caput abluet*.

Manus lavabant Gentiles æque ac Judæi, ut innocentiam suam testarentur, unde Astrampsychus in Oneirocritico: χεῖρας καθαίρειν, φροντίδων δηλοῖ λύσιν. *Manus lavare, curarum solutionem denotat*: de Judæis habetur Deutern. 21. comm. 6. & 7. & Psalm. 73 comm. 13. idque quidem ante sacrificium, uti Psalmus 26. comm. 6. docet: inter Gentiles hoc testantur Ovidius fast. lib. 5.

> *Quumque manus puras fontana perluit unda*.

Horatius lib. 2. Satyr. 3. vers. 281.

> *Libertinus erat, qui circum compita siccus*
> *Lautis mane senex manibus currebat*.

quod idem Lyricus affirmat lib. 3. od. 23. vers. 17.

> *Immunis aram si tetigit manus*.

immunem enim manum dixit Horatius pro immuni a culpa sive scelere, ac plane pura: uti lib. 2. serm. 3.

> —— —— *At bene si quis,*
> *Aut vixit* PURIS MANIBUS.

licet proprie immunis vocatur sine munere, otiosus, vacans: idem Poeta lib. 4. od. 12.

> —— —— *Non ego te meis*
> *Immunem meditor tingere poculis*

sicuti vero Latini castos purosque copulant, sic Græci ἁγνὸς, καθαρὸς, hique iidem sunt loti λελυμένοι. Ovid. fast. lib. 3.

> *Inde datæ leges, ne fortior omnia posset,*
> *Cœptaque sunt pure tradita sacra coli*.

pure scilicet καθαρῶς ἁγνῶς: & scribit Ὕδωρ ἁγνὸν Dionys. Halicarn. lib. 1. antiq. Rom. monstratque ex Hesiodi ἔργ. κ. ἡμέρ. Erasmus in Chiliadibus; quod illotis pedibus manibusve rem aliquam aggredi dicuntur, quicunque rudes & imparati accedunt: imitati Gentilium superstitiosam lotionem Christiani veteres accusantur a Chrysostomo Homil. 6. in 2. Epist. ad Timoth. *Assuefecimus*, scribit, *nos lavare & orare, & quasi id non liceat illotis manibus facere, non libenter oramus, nisi ante lavavimus: proinde ac Deum offensuri, nisi ita faciamus*: quæ & alia ejusmodi cap. 12. Tertullianus lib. de Oration. *vel eo coercendo* ait, *quod Gentibus æquent*. Duplex ceterum purificatio erat: Dis enim superis sacrificaturi sese lavabant, cum inferis rem sacram facturi tantum aspergebantur. Ovid. Metam. lib. 5.

> SPARGIT *& ipse suos* LAURO *rorante capillos,*
> *Incipit & solita fundere voce preces*.

Virg. Æneid. lib. 4. ubi Dido sibi mortem parans Nutrici præcipit:

> *Annam cara mihi nutrix huc siste sororem:*
> *Dic corpus properet* FLUVIALI SPARGERE LYMPHA
> *Et pecudes secum, & monstrata piacula ducat.*
> *Sic veniat; tuque ipsa pia tege tempora vitta.*
> *Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,*
> *Perficere est animus*.

& Virgil. Æneid. lib. 6. de Ænea, Misenum sepulturæ mandaturo, tanquam Sacerdote refert:

> *Idem ter socios pura circumtulit unda*
> SPARGENS *rore levi &* RAMO *felicis* OLIVÆ.

aspersio ergo Olivæ vel Lauri ramo peragebatur, uti in nummis Augusti litt. A. B. vel aspergillo, cujus quatuor figuras ex nummis totidem Impp. J. Cæsaris, Tiberii, Nervæ & M. Aurel. Antonini sub litt. D. collectas exhibemus: cum vero templum adibant intrabantque Græci, a sacerdote adspergebantur, teste Theodorito lib. 3. cap. 16. describente causam, cur Valentiniano Julianus infensus erat, his verbis: ἔπαισε τὸν νεωκόρον, μεμολύνθαι φήσας, οὐ κεκαθάρθαι: id est, *æditum percussit, pollutum se inquiens, non expiatum*: nempe cum Principe templum Fortunæ ingressurus, aqua lustrali pro more conspersus erat: & Sozomeno, locuto: ἐπὶ δὲ ἔμελλεν ὑπεραμείβειν τῷ ναῷ τὸν οὐδὸν, θάλλους τινὰς διαβρόχους κατέχων ὁ ἱερεὺς, νόμῳ ἑλληνικῷ περιῤῥαίνει τοὺς εἰσιόντας: *cum autem limen templi transiturus esset, virentes quosdam ramos madidos tenens Sacerdos, more Græcorum, intrantes aspersit*: in cujus lustrationis usum vasa, aquam continentia, quæ sub litt. C. & alia in templis collocata docet Scipio Africanus apud Livium lib. 37. cap. 3. ante fornicem, quam in Capitolio dedicavit, duo labra marmorea ponens: quale Athenis in Eleusinio fuisse Meursius ceram. gem. cap. 15. probat: εἰσῆλθεν εἰς τὸ ἐλευσίνιον, ἐχέρνιψατο ἐξ ἱερᾶς χέρνιβος. *Ingressus est Eleusinium, lavit e sacro malluvio*: quo de ritu & personis, qui lustratoriis adhibebantur plura videte apud sagaciss. Lomejer. in libro aureo de Lustrationibus Veter. Gentil. cap. 13. & seqq. Refert item Leo de Modene cap. 7. & 11. de hodiernis Judæis, quod omnes, priusquam Synagogas intrant, cum mane e Lecto sur-

gunt, manus atque ora sua Lavant, & idem observare, antequam ad mensas, librum aliquem, vel rem sacram accedunt: antiquis vero Hebræis oraturis necesse erat Sacerdotibus, manus atque pedes Lavare, neque sacris rite operari potuit, cui illæ corporis partes illotæ erant. Secus facientibus mors denunciabatur Exod. 30. comm. 20. & 21. atque in templo Hierosolymitano æneum mare lavandis intrantibus inserviit, & quocunque festo Judæi aqua abluebantur: vide Buxtorf. Synagog. Judaic. cap. 4. comm. 10. 18. 20. ac Pocok & Sheringham a Geiero citatos de superstit. cap. 3. §. 33. Ægyptiorum Sacerdotes tertio quoque die corpus aqua frigida abluebant, ter die, nocte bis. Alex. ab Alex. lib. 6. cap. 12. quem Lavandi ritum Gentiles, sacra peracturi, imitati sunt ab Hebræis: observabant diligenter etiam Lavantes, ut orientem spectarent veluti orantes. Virgil. Æneid. lib. 8. vers. 68.

> *Surgit & ætherei* SPECTANS ORIENTIA SOLIS
> LUMINA, *rite cavis undam de flumine palmis*
> *Sustulit*.

vide Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. & Selden. lib. 3. de Syn. cap. 16. ratio Lavandi apud Judæos erat, quod Spiritus Dei omnem cursum vitæ humanæ per pedes manusque indicare solet: ita David Psalm. 24. comm. 4. canit: *qui innocentes habet manus, in monte Domini* (Jehovah) *habitabit*: & Psalm. 73. vers. 2. & 119. vers. 59. *vias meas excogitavi, & pedes meos ad tuas testificationes verti*: ipse Salvator noster Jesus Christus, ut Apostolis suis ideam puritatis daret, quam suo sanguine pararent, hoc innuisse videtur, quando illorum pedes volebat lavare; cum enim Petrus Apostolus caput simul & manus lavatas petebat; Christus omnem rem hisce verbis aperte declaravit: *qui lavatus est, nil præter pedum lavationem opus habet*.

Neque Sacerdotibus, sed cuilibet, sacrificia offerenti, & oranti Lavatio manuum opus erat, quod hisce explicuit Philo: *ante omnia seligatur mascula victima ex animalibus puris, ad Sacrificium, Juvencus, & agnus, aut hœdus, hanc qui offert, ablutas manus imponat ejus capiti: tum aliquis Sacerdos accipiet eam*: quod e Levit. cap. 22. comm. 5. & 6. sumpsit. ubi habetur: *aut quicunque tetigerit ullum reptile, quo quis impuratur, aut hominem, quo quis impuratur, secundum omnem immunditiam ejus: anima quæ tetigerit illud, immunda quoque erit ad vesperam, ne itaque comedito de illis rebus sacris, nisi laverit carnem suam aqua*. Idem illud Jehova Moschi observandum populo præcepit: verba sunt Exod. 19. comm. 10. *& mandavit Jehova Moschi, ito ad ipsum populum, ut sanctifices eos hodie & cras, & lavaret vestimenta sua*: quod comma 14. fecisse populum testatur. Nunquam & Javani, Mahometanas leges secuti, templa, quæ Mesquitas vocant, priusquam loti sint, adeunt: Bandæ vero, & Insulæ Ternates Incolæ Gentiles ante ædes suas sacras ex ollis magnis, aqua plenis, manus suas, ac pedes abluunt. Ita in urbe Araborum Mecha ex puteo quodam, *Zamzam* dicto, incolæ nonnulli aquam haurientes peregrinis tradunt, quibus præceptum est corpus, & caput eadem ter lavare, eandemque bibere, secumque, si possint, auferre, Deumque orare, ut sibi sanitatem concedat, veniamque peccatorum tribuat: vide Arabiam Gabr. Sionitæ, ac Joan. Hesronitæ cap. 7. quod juxta eosdem Scriptores Viatores, statim atque orationis tempus instare advertunt, perpetrant, simulantes se, si aqua desit, terra leviter effossa, lavare: refert & Joan. Cottovicus in Itinerar. Hierosolym. cap. 4. nihil Mahometanæ legis cultoribus magis curæ esse, quam lustrali aqua bis terve in die sese abluere. *Idcirco* (scribit idem) *Messitis suis pulcherrimos adjungi fontes curant, quo commodius quotidianæ lustrationes, sive ablutiones ab omnibus templum ingressuris peragi queant: neque sine hac lotione precari numen audent*: quam ita describit: *Brachiis ad cubitum usque denudatis, manus inprimis lavant: dein dextrum erectum Brachium, a manus summitate inchoantes, palma sinistræ manus abluunt, aqua per extremum cubitum in terram delabente: idem in sinistri Brachii ablutione observant: utroque abluto brachio, os, nasum, oculos, aures, faciem denique totam, collum item, verticemque capitis, mox & pudenda, postremo pedes, si nudi fuerint, si vero calceati, extremitatem tantum, superficiemque calcei aqua madefaciunt: hæc ad leviora vitia emendanda: ad graviora vero totius corporis lotione opus esse stolide arbitrabantur: sæpius inter lavandum submissa voce preces obmurmurantes atque inter alia Elhemdu lillahi*, id est, *gloria, vel laus deo*: alii *istag furlak*, hoc est, *peto veniam* vel *miserere mei*, subjungentes.

Inter Christianos hodiernos pontificii (*a*) aquam lustralem ad purificationem carnis, ac delictorum maxime tribuere sibi imaginantur, aliasque res produci, ac promoveri: quas singulas Thomas Neogeorgus lib. 3. de Papist. Regno his versibus comprehendit:

> *Quin delicta etiam sacratæ aspergine lymphæ*
> *Deleri credunt, procul cacodæmonas atros,*
> *Pelli: nempe quibus tormentum pergrave gutta est.*
> *Sæpius aspergunt igitur sese populorumque:*
> *Dextris excipiunt tensis, & vertice aperto*
> *Ejus aquæ guttas summi, doctique Papistæ.*
> *Semper & in templis mediis, atque ostia propter*
> *Æmula cum aspergillo astat, ne copia desit*
> *Dæmonis arcendi, delendique omnia vitæ*
> *Crimina*.

& solenne inter illos carmen auditur:

> *Aqua benedicta*
> *Deleantur tua delicta*,
> *Sit tibi laus & vita*.

quo de ritu tamen scriptores ante Gregorium Magnum Episcopum Romanum, nullam mentionem faciunt, utpore sibi ignoto, quod Theodoretus lib. 3. cap. 16. probat.

a Aquæ, aliarumque rerum benedictiones, quæ in usu sunt apud Pontificios, hoc est, orthodoxos christianæ Ecclesiæ filios, irrident heterodoxi homines, ipsi irridendi. Aquæ lustralis restitutionem, Scripturarum exemplis, munitam, ac Veterum Patrum, qui Gregorium Romanum Pontificem longe præcesserunt, traditione roboratam Bellarminus Lib. III. de Ecclesia Triumphante cap. VII. aliique Catholici Scriptores exhibent. Agunt etiam de utilitate ipsius ad effectus supernaturales significandos & efficiendos, quæ tota pendet ex precibus Ecclesiæ, & devotione utentium. Apage vero Neogeorgi nugas, & commenta.

CAP. XIII.

Velatio capitum *usitatissima. multas ob causas peracta. Christianis ignota. Servii error notatur. omnia* sacra velato capite fiebant Diis, Saturno, Honore, Ope, & Hercule exceptis. Tutulum *& Tutulati Sacerdotes. Dea* Pietas velata *pingitur, quod sacrificiis præsidet. Privati etiam* velabant capita. *interdum* manus, *in quibus* oleæ ramum *portabant. nummus Imp. Severi explicatus. mos hic Græcis proprius.* ramum *sæpe* lana involvebant. *a supplicando* ἱκετηρίαν *dicunt, ut Romani supplicem. ramos ad adoratos porrigebant supplices. velamentorum* color purpureus & albus. *hodierni Judæi* quadratum flammeum *usurpant. in nuptiis Rebecca sese velavit. Apost. Paulus* 1. *Corinth.* 11. *vers.* 10. *explicatus. Mosche coram Deo faciem manibus abscondit, & velat, uti ipsi Angeli præ Majestate Dei.*

Post Lavationem publice Deos adituri sese velabant Romani, humiles se, & indignos confessi, aut veriti, ne quid mali ominis sacra inturbaret: unde Virgilius lib. 4. Æneid.

— *Tuque ipsa pie tege tempora* VITTA.

rursus lib. 3. Æneid.

PURPUREO *velare caput adopertus* AMICTU.

ac Plautus in Curcul. act. 3. scen. 1. vers. 19.

Quis hic est, qui operto capite Æsculapium
Salutat?

nam Itali auctore Ænea operiebant capita in sacris, uti Aurel. Victor refert in breviar. Histor. Rom. cum antea more Græcorum aperto capite sacrificarent. Velabant se multis de causis; ob Luctum in Funere; ob Pudorem in Nuptiis; ob Religionem in Re Divina facienda, Sacrisque Precationibus, & in Devotione sui ipsius Diis manibus, uti olim Decii, de quibus supra verba fecimus, sed & in Suppliciis publicis Plectendi obnubebantur, vel honestatis causa, vel commiserationis, ne interfectores suos aspicere cogerentur: hinc Cæsar & Pompejus inter occisorum manus, obducto capite, mori voluere: sic capitis damnatis reis in foro Romano mox caput velabatur prævia solemni formula: *I lictor, colligato manus, verberato, caput obnubito, arbori infelici suspendito:* videte Festum lib. 15. in voce obvolvere, Dempster. ad Rosin. lib. 8. & Quintilian. declam. 298. uti etiam apud Græcos damnatus impietatis Anaxagoras, & apud Horatium Satyr. 3. vers. 35. Damasippus non temere caput operuere: verba poetæ sunt:

Nam male re gesta cum vellem mittere operto
Me capite in flumen.

cum e contrario Sinæ ex antiquo apud illos recepto more, nefastum putantes operire caput illis, qui ad supplicium deducuntur, aperiunt capita: in Jejunio & mærore item Judæos ac Ægyptios operuisse capita docent sacra Scriptura 2. reg. 5. & Jerem. 14. ac Herodotus lib. 3. sub init. Victimas præterea, hostiasque vittis ornare, ac cornua earum inaurare solebant: sed cum hæc nobis aliena, ad Adorantium velationem redeo: optime Plinius lib. 16. cap. 4. *ferunt*, inquit *primum omnium Liberum Patrem imposuisse capiti suo* (coronam) *ex hedera: postea deorum honori sacrificantes sumpsere, victimis simul coronatis*. Tertullianus idem affirmat lib. de Idololat. inquiens: *ipsæ denique fores, & ipsæ hostiæ, & aræ, ipsi Ministri, & Sacerdotes eorum Coronantur:* quæ Coronatio, veluti velatio erat: de illa Servius ad Virgil. lib. 3. Æneid. scribit: *sacrificantes omnibus Diis soliti sunt caput velare, ne se inter religionem vagis aliquid offerret obtutibus, excepto solum Saturno, ne numinis imitatio esse videretur:* at non ita visum est Tertulliano, qui Apologetico insinuat capita Romanos velasse, pudoris celandi causa; nam ubi comparat modum orandi Christianorum cum modo Gentilium: *Christiani*, inquit, *oramus capite nudo, quia non erubescimus:* quod etiam in quotidiana precatione in publico Ecclesiæ cætu, ubi viri & mulieres promiscue conveniunt, hodierni Christiani sequuntur, cum lex nova sit lex perfectæ libertatis, ut Apostolus Jacobus cap. 2. vocat. Servius multum fallit, quod, solum Saturno excepto, sacra velato capite fieri dicit; Honori enim & Opi idem obtinuisse tradit Plutarchus problematum cap. 12. & Herculi apud aram maximam, dum sacra fiebant, dumque litabatur, omnes capite aperto, & invelato esse debebant testibus Macrobio lib. 3. Saturnal. cap. 12. Plutarcho problemat. cap. 10. & nummo hoc eleganti maximi moduli apud F. de Camps pag. 22. notato lit. E. Pallium vero, quo Sacerdotes caput tutabantur sacrificaturi, Tutulum fuisse dictum notat ad Chalcidium Fulgentius: unde Tutulati dicti sunt teste Varrone lib. 6. de ling. lat. sicut stola matronale operimentum, quod cooperto capite & Scapula a dextro latere in lævum humerum mittitur, vocatur ab Isidoro lib. 19. cap. 25. sic apud Romanos Varro lib. 4. de ling. lat. Ricam a ritu dictam ait, quod ea fœminæ, sacra facien-



tes, capita velent. Ita Diva Pietas velata ut in nostro hic appicto sub littera F. ubique in nummis apparet, quod sacrificiis præest, quique ritus etiam observatur in altero nummo, littera G. notato, qui invenitur inter numismata aurea Ducis Croyi, & est Severi imperatoris, ut sacris operaturi, & tanquam pacatoris orbis, olivæ ramum gestantis, sive lauri, pace toto imperii limite post devictos adversarios stabilita, cum inscriptione FUNDATOR PACIS.

Legimus etiam de Mosche Exod. 3. comm. 6. quod faciem manibus operuit: idque præ duplici causa factum puto, conscientia nempe mali nostri, exemplo Adami Genes. 3. comm. 10. ac Petri Luc. 5. comm. 8. atque præ majestatis divinæ sublimitate, cum ob Dei præsentiam ipsi Angeli faciem obvelare dicuntur Jes. 6. comm. 2. hinc Judæi orando aperire capita turpe putabant antiqui nec non hodierni qui juxta Buxtorfium in Synag. Jud. cap. 8. quotidie ad vesperam in synagoga oratum venientes, velant faciem capita in sinistrum latus propendentes, idque ab Hebræis haustum in usu esse apud Turcas videmus apud Giorgiovitz. lib. 1. de Ceremon. Turcar. cap. 1.

Ad colorem quod attinet velamentorum, prætextura sive toga Sacerdotum, cujus pars superior ad cervicem, quæ scilicet sinistro humero insidebat, rejici solebat & dextro dejiciebatur, atque in caput attrahebatur, cum sacra fierent, ut docet Octav. Ferrarius de re Vestiar. lib. 1 cap. 10. interdum purpurea erat, & quidem plebeja ac vilis: ita Cicero, ut Augur, pro Sextio de Pisone ait: *vestitus aspere nostra hac purpura plebeja ac pæne fusca:* & D. Gregorius Nyssenus orat. de S. Theodoro: *me etiam imperatorum horum miseret, quod cum per se satis magna inter homines dignitate ob regium imperium præditi sint, Pontificis appellationem sibi sumpserunt, & lugubri obscuraque purpura hujus dignitatis nomine induuntur ad imitationem infelicium Pontificum.*

Velamentum autem, quo caput operiebatur in sacrificiis Fidei, ex albo panno fuisse, scribit Acron. ad od. 35. lib. 1. Horatii, factum id insinuando albori & puritati; quo pertinere potest illud Symmachi lib. 4. ep. 42. *Alba velamina, non fegmentati amictus, fidem vestiant.* Vestales quoque aliique Sacerdotes ac populus albo suffibulo capita velabant testibus Tertulliano in libro de pallio; Plutarcho in Quæstion. Roman. & præter multos alios Ovid. fast. lib. 1.

Vestibus intactis Tarpejas itur in arces,
Et populus festo concolor ipse suo est.

interdum Phrygio amictu utebantur, cujus ectipum hic in nummo exhibemus sub litt. H. ex L. Pignorii lib. de magn. matr. idææ initiis: sic Virgil. Æneid. lib. 3.

Et capita ante aras Phrygio velamur amictu.

Interdum & velatis manibus incessisse Plaut. in Amphytr. act. 1. Scen. 1. Virgil. lib. 2. Æneid. & lib. 7. probant, nec non nummus Imp. Severi, in quo oratores duo ramis velati pacem exposcunt, apud J. Oudaan in libro suo de Potentia Romanorum, qui rami nonnunquam lana involuti erant teste Plutarcho in Thes. & Liv. lib. 9. de legatis Locrensium, Græcis ἱκετηρίαι vocabantur.

CAP. XIV.

Purpurea *sive* Lutea *equidem ac* Candida Vestis *Adorantibus usitatissima:* color albus *lætitiæ signum, &* Diis gratus *habebatur. Horatius illustratus.* Niger *vero* infaustus. *Inferos adorantes nigra veste induebantur.* Judæorum Summus Pontifex, *& omnes* Sacerdotes *ex Dei præcepto* albis vestibus *utebantur, quas baltheo revinciebant. Romanis in sacris* nil religatum *erat. Turci hodierni* nigrum colorem *infaustum,* album *&* viridem *Sacerrimos æstimant: squalida veste nonnullæ Gentes antiquitus procedebant ad misericordiam commovendum.* Alba Vestis Baptisatis *apud Christianos veteres usitatissima. significatus cujusque coloris ex Alciato. Pontificiorum Sacerdotibus alba Vestimenta ad sacra in usu.*

UT albis purpureisque velamentis, ita etiam purpurea atque in candida veste deos solebant adire. Plautus in rudente act. 1. scen. 5. vers. 11.

—— —— *Æquius vos erat*
Candidatas venire, hostiatasque ad hoc
Fanum: ad istunc modum non veniri solet.

hinc Philo Judæus inquit, albis indutos vestibus, & quæ sint ab omnibus maculis puræ, ut templa adirent, studiose observare: *Color enim albus,* inquit Cicero lib. 2. de legib. *præcipue decorus Deo st, tum in ceteris, tum maxime in textili:* ita intelligenda etiam sunt Nasonis verba lib. 1. vers. 79. fast.

VESTIBUS INTACTIS *Tarpejas itur ad arces,*
Et populus festo concolor ipse suo est.

& Tibulli lib. 2. eleg. 1. vers. 13.

CASTA *placent Superis.* PURA *cum veste venite.*

optime Servius explicat ad lib. 2. Æneid. vers. 169. quomodo pura vestis intelligi debet: *impolluta,* scribit, *& pura dicitur vestis, qua festis diebus uti consueverant sacra celebraturi: ut neque funesta sit, neque fulgerata, neque maculam habeat Θ. K. homine mortuo. Est autem Linea & purpurea:* ergo & lutea vestis in adorationibus: vide Tibul. lib. 1. eleg. 8. vers. 45. & hoc etiam Græcis usitatum Curtius docet lib. 4. cap. 13. inquiens: *Alexander non alias magis territus, ad vota, & preces Aristandrum vocari jubet: ille in candida veste, verbenas manu præferens, capite velato, præibat preces regis, Minervam, Jovem, Victoriamque propitianti:* color enim albus lætitiæ maxime convenire credebatur, faustus quippe, ac felix, & Diis immortalibus gratus, ut præter Ciceronem Plato inquit lib. 12. de republ. verba sunt: *Diis immortalibus albus color convenit, & lætitiæ signum præfert:* unde factum, ut in sacrificiis conviviis, ac spectaculis albis vestibus uterentur: elegans ad hanc rem Vopisci locus est in vita Taciti imperatoris. *Quo in principem,* scribit, *loco, senatores elati: lætitia albati sederunt, atque albas hostias immolarunt:* nec ineleganter Prudentius contra Symmachum canit:

Candidiore toga niveum pietatis amictum
Sumere.

loquitur autem de lætitia publica, qua Diis gratias albati agebant, atque ita Persius Satyr. 2.

> ——— ——— ——— ——— *Negato*
> *Juppiter hoc illi, quamvis te albata rogarit.*

hinc Lyricus *candidos* vocat Favonios, ut læta & fausta omnia candida dicimus, atra vero infausta, tristia: locus Horatii est od. 7. libro 3. carmin. vers. 1.

> *Quid fles Asterie, quem tibi candidi*
> *Primo restituent Vere Favonii.*

album viventis symbolum vocat Hieronymus in Esa. 66. huc spectat illud Virgil. Eclog. 5.

> *Candidus insuetum miratur limen Olympi.*

Inferis sacrificantes & orantes nigra veste induebantur. Orpheus Argonaut. vers. 963.

> Ὀρφνινὰ δ' ἑσσάμενος φάρη, καὶ ἀπεχθέα χαλκὸν
> Κρούων ἐλλισάμην·

> *Nigraque indutus palla, & inimicum æs*
> *Pulsans, preces fudi.*

nam *Diis lævis*, ut refert Arnobius libr. 7. *sedes habitantibus inferas color furvus est gratior*: qui mos Judæis antiquitus notus fuit: illorum enim Summus Pontifex, ac minores Sacerdotes *alba vestimenta*, בגדי לבן, *bigde Laban*, gestabant, juxta Dei preceptum Levit. 16. vers. 4. & 23. & Exod. 28. ipse Christus Dan. 7. vers. 9. in throno apparuit alba veste, quæ indicium puritatis, & justitiæ erat, quod ille justissimus pro injustis mortuus est, quamobrem jam veritatis amici vestes suas in ejus sanguine albas fecerunt, & justos sese præstiterunt. Apoc. 7. vers. 11.

Judæi cæterum, facientes sacra, balteis corpus revinciebant juxta Dei præceptum Exod. 29. vers. 9. *filios quoque Aaronis applicabis, & indues tunicis lineis, cingesque baltheo*: quod factum narratur Levit. capit. 8. *filios Aaronis oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit baltheis, imposuitque mitras, ut jusserat Deus*: de cujus Coloribus Textura, & Forma legito Sigonium, Cunæum, & Wilhelm. Goerec de republ. Hebræorum, cum Romanis in sacris resolutoriis nihil religatum esset, sicuti Servius notat ad illud Virgilii lib. 4. Æneid.

> *Unum exuta pedem vinclis in veste recincta.*

inquit & Alex. ab Alex. lib. 4. cap. 17. tom. 1. *pura, & religiosa dicebatur vestis, qua rem divinam facturi, festo utuntur die: ea quidem erat soluta omni vinculo.*: huc facit Maronis locus lib. 2. Æneid.

> *Eripui, fateor, letho me, & vincula rupi.*

quod clarius Tibullus docet lib. 1. eleg. 5. vers. 15. in hunc:

> *Ipse ego velatus filo, tunicisque solutis,*
> *Vota novem Triviæ nocte silente dedi.*

Interdum squalida veste procedebant: de Siculis scribit Justinus lib. 4. *denuo legatos Athenas mittunt, qui sordida veste, capillo, barbaque prolixis, & omnis squaloris habitu ad Misericordiam commovendam acquisito, concionem deformes adeunt*: de Græcis intelligenda sunt Senecæ verba in Thyeste act. 3. scen. 2. vers. 524.

> *Vos quoque senum præsidia, vos Juvenes, meo*
> *Pendete collo, squalidam vestem exue.*

ita Gibionitæ Jos. 9. comm. 3. Hebræos fallebant in pangendo fœdere. *Habitatores autem Gibbonis*, habetur in textu, *quum audivissent, quæ fecerat Josua Jerichunti, & Hajo: ipsi quoque fieri curaverunt astu, ut sui abeuntes fingerent, se legatos venisse e longinquo: sumentes novos saccos tritos imposuerunt asinis suis, & utres vini tritos, ruptosque, & colligatos; & calceamenta trita, & resarta pedibus suis, ac vestimenta trita sibi induta*: atque Ninivitas, ut pœnitentiam suam de peccatis Deo testificarent, videmus Jon. 3. comm. 8. & 9. se coram Deo ciliciis operuisse. *Et postquam convocasset populum, edixit Nineves ex sententia regis & procerum ejus; dicendo, homines, jumenta, & armenta, & greges ne gustanto quidquam, ne pascuntor, & aquas ne bibunto, sed operiunto se ciliciis, homines cum jumentis, & inclamanto Deum fortiter*: quem morem maxime apud Judæos obtinuisse docet Josephus in angustiis, lib. 19. cap. 7. ad finem, ubi de populi luctu super Agrippæ regis mortem ista refert: *quam ob rem totus illico populus, una cum fæminis, ac pueris, more patrio & antiquo, ciliciis se operuit, Deum pro salute regis oravit, & omnia ubique fletibus suis, ac ululatibus complevit*: quali vestitu & Regem Davidem Dei misericordiam implorasse idem lib. 7. cap. 19. Judaic. Histor. scribit. Nec Ægyptii album colorem in vestitu spreverunt, ut Suetonius in Augusto cap. 99. refert: *forte Puteolanum sinum prætervehenti vectores, nautæque de navi Alexandrina, quæ quidem tunc appulerat, candidati, coronatique & thura libantes, fausta omnia & eximias laudes congesserant*: nec prætereundus Christianæ ecclesiæ ritus circa albam vestem de recenter baptizatis; de qua ita Pontius Paulinus:

> *Inde Parens sacro ducit de fonte Sacerdos,*
> *Infantes niveos corpore, corde, habitu.*

ipsa in America apud Peruanos olim Sacerdotes fuisse scribunt Itinerarii, & ex his Lipsius in Monit. & Exempl. Politic lib. 1. c. 3. qui veste candida Deos suos adibant, salutabant & sermocinabantur, oculis in terram dimissis. Optime Colorum varietates & illorum significationes describit emblemate 56. lib. 2. Clarissimus Andreas Alciatus.

> *Index mæstitiæ est pullus color; utimur omnes*
> *Hoc habitu, tumulis quum damus inferias:*
> *At synceri animi, & mentis stola candida puræ,*
> *Hinc sindon sacris linea sacra viris.*
> *Nos sperare docet viridis, spes dicitur esse*
> *In candidi, quoties irrita retro cadit.*

inter Christianos Sacerdotes Pontificii in adorando albis vestimentis incedunt, quæ sacrata dicuntur, quibus in usu quotidiano non uti, nisi in ecclesia tantum, constituit Stephanus, & statutum est Concilio Bracarensi, ne Sacerdos sine Oratorio celebret Missam, cum primis temporibus communi vestimento induti Missas ministrarent; uti hactenus nonnulli Orientales observant: reformatæ vero ecclesiæ ministri sacra veste non utuntur, nisi nigra & quotidiana: quem colorem Turci infaustum æstimant. Busbequius epist. 1. legationis Turcicæ inquit: *niger apud eos color vilis, infaustus-*

que habetur: itaque apparere ibi aliquem in veste nigra, fœdi scævique ominis est, adeo, ut aliquando Bassæ nos cum veste nigra ad se accedere & mirarentur, & serio conquererentur: nec quisquam ibi cum nigro vestitu in publicum, nisi ærumnosus, prodit, quem vel insignis paupertas, vel gravis aliqua calamitas premat. Viridis color, atque Albus sacerrimi habentur, ut idem Busbequius inferius tradit.

CAP. XV.

Pythagoræ symbolum illustratur: nudis pedibus *ad adorationem* incedunt Hebræi. *Mosche & Josua a Deo calceos solvere jussi. Divus Leo & Juvenalis Dempsterus ac Braunius notantur: illud Turci secuti: qua de causa institutum. Indi coram Fakirorum Summo* calceamenta *deponunt honoris ergo. Romanis* nudipedalia *aliquando observata. Nefas apud Cretenses habetur Dianæ Britomartis templum calceatis pedibus adire. Juvenalis elegans locus explicatus:* merus pes *pro* nudus pes *dicitur: quid* vinum merum *sit inquiritur. Christiani nonnulli in processionibus, & crucis adoratione nudis pedibus incedunt: prohibitum Pontificum institutis sacram Eucharistiam nudis pedibus conficere.* Calceati pedes *instituti, ne serpens pedes posset mordere, at a nobis calcatus obteratur.*

PRæcepti Pythagoræ (Nudis pedibus rem divinam facito, & adorato) quod Jamblichus in ejus vita cap. 23. refert, in solemnibus sacrorum pompis a mulieribus observati, pauca vestigia reperiuntur, idque tamen in solutione votorum factum apud Judæos lib. 2. cap. 15. de bello Judaico Josephus refert: *cum Berenice, soror Agrippæ regis, Hierosolymam venisset, ut vota Deo solveret, is enim mos est, qui morbo, vel aliis necessitatibus implicantur, orare per aliquot dies, antequam immolent hostias, abstinere quoque vino, & capillos radere, quem morem Berenice regina nudipes illis exercuit diebus.* Mosi certe, & Josuæ, Naves filio, Deus præcepit, ut calceamenta solverent, quod, in quibus starent locis, terra sancta erat. Exod. c. 3. comm. 5. & Jos. c. 5. comm. 15. hinc illa Divi Leonis in quodam de Jejuniis sermone exclamatio de Hebræis: *habeant*, inquit, *illi nudipedalia sua, & in tristitia vultum ostendant ociosa jejunia*: sed æque erronea illius opinio de nudipedalibus Judæorum est, quam Juvenalis iste versus de ritu sabbathi, mero pede observati; fallit, qui invenitur Satyr. 6.

Observant ubi festa mero pede Sabbatha reges.

ubi eleganter sane *mero* pro *nudo pede* scribit, quia veluti vinum, in quo nihil aliud, quam *vinum*, *merum* vocatur, sic *merus pes*, ubi nihil aliud, quam pes, nec calceus, nec tibialia, sed nugas prodit de Judæis, qui potius, quam ut nudipedes incederent, omnibus vestibus sabbathinis sese induebant, ut sabbathum vestium luxu honorarent, uti Magnus Buxtorfius in Synag. Jud. cap. 15. & 16. eleganter observat: verissimum est apud illos Sacerdotes totumque populum discalceatos incessisse in magno expiationis die testibus Massecheth Joma cap. 8. §. 1. & Jonath. ac Drusio ad Levitic. 16. 29. & Buxtorf. in Synag. Jud. cap. 26. idque ipsum factum in jejuniis, pro necessitate temporis sæpe institutis, ex Zachariæ vaticiniis c. 8. comm. 19. colligi potest, ut prolixe de illis Buxtorfius lib. cit. cap. 30. agit; verum inde non probatur, ut Dempsterus ad Rosinum pag. 439. tentat, Nudipedalia proprium festum Judæorum fuisse, vel per Sabbatha Juvenalem intellexisse jejunia, sicuti doctiss. J. Braunius probare voluerit lib. 1. cap. 13. de Vestib. Sacr. Hebræor. & ante nos Clariss. A. Byneus in lib. 2. de Calc. Hebr. cap. 4. monuit, multisque argumentis conatus est probare.

Hodie quoque Mauri, Sarraceni, Indique gentiles templa, in quibus sacra facturi sunt, non ingrediuntur, nisi calceos deposuerint: quod, ex Hebræorum legibus mutatum aliquantisper, exscripsit in Alcorano suo Machometus Turcarum legislator & propheta: & hujus cerimoniæ ratio videtur, ut pedum nuditas religiosum timorem animo incuteret, & foris eum testatum faceret: vel potius, ut sic puritas & simplicitas animi, terrenis affectibus exuti demonstretur: unde Lyranus in comm. 5. c. 3. Exodi inquit: *ideo jubetur Moses solvere calceamentum, quia nullus digne coram Deo consistere, vel Deum videre potest, nisi mortalia vitia deponat:* mystice enim calceamenta opera mortua significare possunt.

Apud Indos Fakirorum Machometi superstitionem confitentium Principem populus, cum sanctum, ac bene divinum credat, non accedit, nisi calceamenta sua deposuerit, uti præter alios refert Tavernier tom. 2. pag. 305. Itiner. indic.

Sed quid Romani? Nudipedalia certe nonnullis in casibus observarunt: audite Tertullianum in Apologetico: *ex eo enim*, scribit, *& innocentia sæculi iniquitates temperavit, & deprecatores Dei esse cæperunt: denique cum ab imbribus æstiva hyberna suspendunt, & annus in cura est, quotidie vos quidem pasti, statimque pransuri balneis, & cauponis, & lupanaribus operati, Aquilitia Jovi immolatis, Nudipedalia populo denuntiatis, cælum apud Capitolium quæritis, nubila de laquearibus exspectatis, aversi ab ipso, & Deo, & cælo:* ita *mulieres stolatæ*, inquit Petronius, *ibant nudis pedibus in clivum passis capillis, mentibus puris, & Jovem aquam exorabant:* nec intrare ulli licuit apud Cretenses Dianæ templum, nisi nudis pedibus teste Solino cap. 11. *Ædem numinis, præterquam nudus vestigia, nullus licito ingreditur.*

In processionibus, & adoratione crucis nudis quoque pedibus Christiani nonnulli incedunt, licet ex ceremoniarum ritu, & Pontificum institutis prohibitum sit sacram Eucharistiam nudis pedibus conficere, & D. Cyprianus calceatos nos pedes habere debere in Præparat. Evangel. moneat: *ut serpens a nobis calcatus obteratur, neve armatos pedes possit mordere.*

In Lemuriis festis is, qui Manes placaturus erat, intempesta nocte surgebat, nudis pedibus, aqua fontana se abluebat, & junctis digitis cum medio pollice nigras fabas a tergo jaciebat, & pulsato ære rogabat, ut ex ædibus umbræ exirent: ita Ovid. fast. lib. 5. vers. 429.

Nox ubi jam media est somnoque silentia præbet,
Et canis & variæ conticuistis aves;
Ille, memor veteris ritus timidusque deorum,
Surgit: habent gemini vincula nulla pedes.

in Magicis vero sacris unum tantum pedem exuebant Magæ: uti describit Virgilius Æneid. lib. 4. vers. 518.

Unum exuta pedem vinclis in veste recincta.

Ovid. lib. 7. metam.

Tectis egreditur vestes induta recinctas,
Nuda pedem, nudos humeris infusa capillos.

& Senec. in Med. act. 4. fcen. 2.

Tibi more gentis vinculo folvens comam,
Secreta nudo nemora luftravi pede.


quod autem Ovidius faft. lib. 4. verf. 395. canit,

Forte revertebar feftis Veftalibus illac,
Qua via Romana nunc nova juncta foro eft.
Huc pede matronam nudo defcendere vidi.

non obfervatum ritum fuiffe docet fequenti verfu, utpote rei novitate ac fpectaculo attonitus:

Obftupui tacitus, fuftinuique gradum.

fic Florus lib. 1. cap. 13. refert, quod Virgines ex facra Veftæ domo nudo pede fugientia facra comitabantur, non quod alias nudipedes effe folebant, fed ob luctum & fummum periculum, quod a Gallis urbi imminebat; aft, ut Plato refert, triumphales viri, & qui ampliffimos honores adepti fuiffent, in triumphi ornatu aut in prætexta lotis manibus, & fronde coronati, fancti & venerabiles, nudis pedibus & tonfa coma ad rem divinam accedebant, idque jam a Pythagora traditum Lacedæmonii obfervarunt, qui nudis pedibus adorandum facrificandumque cenfuerunt.



De tempore vero, quo nudipedalia apud hos primum celebrata funt, audite Cæl. Rhodiginum Antiq. Lection. lib. 15. cap. 6. *in libro*, inquit, *temporum ab Eufebio mandatum memoriæ eft, apud Lacedæmonios facra nudipedalia primum acta, cum regnaret Romæ Tullius Hoftilius*. Prudentius quoque de nudipedalibus in Sacris Ifidis, quæ aliis Cybele, canit libr. Periftepb. hymn. 14. verf. 145.

Nudare plantas ante carpentum fcio
Proceres togatos matris Idææ Sacris.

Carpento enim vectum fimulacrum illud Cybeles, tanquam lugentis ob Attidis ἐκτομὴν & ἀφανισμοῦς facrum nudis pedibus præcedebant Senatores cum planctu & lamentis: quam in rem facit elegans marmor apud Petr. Sanct. Bartolum in Admirand. Roman. referens facrificium Magnæ Matris, quare hic adponendum duximus. Tertull. in carm. ad Senator. cap. 2.

—— —— *Caligaque remota*
Gallica, fit pedibus mollis redimita papyrus.

uti optime Balduinus legit, cum vulgata lectio perperam erat, *fit pedibus molli redimita papyro*: ita ut fenfus fit, fint pedes molli tantum papyro redimiti, poftquam caligæ, quæ craffiora funt pedum integumenta, remotæ fuerint; & ejufmodi papyri membranulis cum pedes indutos illi facerdotes haberent, ἀνυπόδητοι dici poterant feu difcalceati, nudifque pedibus incedere, cum proprie nec calceorum nec folearum ufum membranulæ illæ præftarent. Calceos exuiffe Varias Gentes tradit Juftinus Martyr. apolog. 2. Callimachus vero in hymn. in Cerer. verf. 125. & Valer. Flaccus lib. 2. idem a Græcis non raro factum probant, & notabilis Callimachi locus eft de fæminis facris Cereris operantibus, aut pompæ Cerealis comitibus, quod difcalceatæ effent, quare huc transferre lubet:

Ὡς δ' ἀπεδίλωτοι καὶ ἀνάμπυκες ἄστυ πατεῦμες.
Ὡς πόδας ὡς κεφαλὰς παναπηρέας ἕξομες αἰεί.

Et quemadmodum difcalceatæ & vittis exutæ urbem perambulamus,
Sic pedes, fic capita omnis prorfus damni experta femper habeamus.

Strabo Germanorum Sacerdotes γυμνοπόδας defcribit lib. 7. atque Silius Ital. lib. 3. Herculis Sacerdotes nudipedes tradit, quomodo Druidas ex vetuftiffimo templi cujufdam faxo fiftit Cunradus Celtes in Norimb. cap. 3. Refert quoque Legatus Æthiopum Chriftianorum apud Damianum Goenfem: *nobis non datur poteftas templum adeundi nifi nudis pedibus*: & Paulus Diaconus part. 4. auctor eft, Juftiniano imperante, terræ motu Antiochia concuffa cives fuperftites difcalceatos Litanias ceciniffe, clamantes, Χύριε ἐλέησον, & Concilium Maguntiacum canon. 33. Chriftianis ita difcalceatis procedendum præfcripfit.

CAP. XVI.

Superftitio veterum in adeundis templis pede dextro, *quod etiam ad honorandum Magnates factum, idque profpero, ut finiftro pede incedere, malo omine fiebat.* Demiffio oculorum *erga Deos fubmiffio eft habita & verecundiæ fignum, Chriftiani* erecto vultu *orant: demiffis oculis apud Gentes novæ nuptæ incedunt: in facris etiam adoratores Gentiles in cœlum oculos erigebant: fæpe adoratores* frontem tangebant manufque fronti imponebant, *uti hodie Indi nonnulli factitant*: frons pro pudore ipfo, *vel pudoris templo ponitur: phrafiologiæ variæ de fronte expofitæ*: frons dura, mollis, firma, & exanguis: *in anguftiis adoraturæ* crines folvebant; *quod & ab Chriftianis fæpe mulieribus in Litaniis ac proceffionibus perpetratum*: crinibus templa verrebantur *in fuppliciis*; raro *etiam* in re læta *ac folenni & accurata religione* Crines folvebantur.

QUoniam vero antiqui credebant partem dextram bonam ac propitiam, pede dextro incedebant deorumque templa ingrediebantur: fic Virgilius lib. 8. Æneid.

Et nos, & tua dexter adi pede facra fecundo.

hoc

hoc est; uti Servius interpretatur, propitius & prospero omine: inde D. Augustinus inquit: *sic solemus dicere secundo pede introiisse, cujus introitum prosperitas aliqua consecuta sit*: prodit etiam Jamblichus præcepisse Pythagoram: *in templa per dextram ingreditor: per sinistram exito*: hinc, ne supplices laberentur officio suo, scribebatur: Dextro Pede: quod ad honorandum Magnates quoque factum docet Petronius cap. 30. inquiens: *bis repleti voluptatibus, cum conaremur in triclinium intrare, exclamavit unus ex pueris, qui super hoc officium erat positus*: Dextro Pede: sinistro enim pede incedere, improspero omine & inauspicato fieri credebatur: ita Apulejus lib. 1. de Asino Aureo ait: *sed, ut fieri assolet, sinistro pede profectum me spes compendii frustrata est*: & teste Suetonio in Augusto cap. 92. ipse auspicia & omina quædam pro certissimis observabat, ita, ut si mane sibi calceus perperam, ac sinister pro dextro induceretur, id ut dirum omen abhorreret: atque Vitruvius lib. 3. cap. 3. ait. *Gradus in fronte constituendi sunt, ut semper sint impares; namque cum dextro pede primus gradus ascenditur, idem in summo templo primus erit ponendus*: ad superstitionem nempe referendum hoc, quod veteres mali ominis tenebant, si quis pedem sinistrum ultra limen proferret, aut intra aut etiam pede offenderet in ipsum limen, cum dextrum sinistro opponitur ut faustum atque felix Apulej. lib. 2. Miles. *sisque felix, & iter dexterum pergas*: sic *Dexter Apollo* apud Stat. 5. Sylv. 1. v 13. & *Dextri Dei* ibid. vers. 71. & Barthius ad lib. 3. Thebaid. scribit: *Numina dextra, quæ favere credebantur; læva, quæ placanda, ne nocerent*: ita dextera progressio, dexter pes læti ominis, lævus gradus malum portendit.

Demittebant oculos nonnulli, quo majorem erga deos submissionem indicarent, adeuntes templa atque deos adorantes, uti ad hunc ritum, non ad pavorem Turni respexit Poeta lib. 12. Æn. canens:

> —— *Incessu tacito progressus, & aram*
> *Suppliciter venerans demisso lumine Turnus.*

unde Lactantius scribit: *aut in cœlis sunt vestri Dii, aut non: si non essent in cœlis, eos non coleretis: quod si sunt in cœlis, cur non in cœlos oculos tollitis, & advocatis eorum nominibus, in aperto sacrificium celebre is?* & Baruch sive Jeremias de Babyloniorum Sacerdotibus refert, *sedent Babyloniorum Sacerdotes in Idolorum ædibus habentes tunicas scissas, & capita & barbam rasam, quorum capit α ἀκαλυπτα sunt nuda.*

Eodem sensu accipio verba Claudiani lib. 1. de Raptu Proserpinæ:

> —— *Genibusque suas cum supplice vultu*
> *Admovere manus, quarum sub jure tenentur*
> *Omnia.*

& hunc ritum, ut Senecæ Philosophi verbis utar lib. 7. c. 30. natural. qu. *Aristoteles probat*, quando egregie ait: *nunquam nos verecundiores esse debere, quam cum de Diis agitur: si intramus templa, compositi; si ad sacrificium accessuri vultum submittimus, togam adducimus, si in omne argumentum modestiæ fingimur*: unde ad hominum venerationes translatus est: sic Petronius, *hæc dum refert*, loquitur, *Puer calicem projecit; ad quem respiciens Trimalchio: cito, inquit, te ipsum cæde, quia nugax es. Statim puer demisso labro, orare*: scilicet cœpit. Nos vero Christiani, Salvatoris promissionibus nixi, sine ullo metu oculos in cælum orantes erigimus. Prudentius in Apotheosi adv. Judæos canit:

> *Dum tremefacta cohors, Dominique oblita, supinas*
> *Erigit ad cœlum facies, atque invocat Iesum.*

atque hoc eleganter numisma maximum Imperatoris Heraclii confirmat, cujus una facies hic exhibetur, referens Imperatorem coronatum, manibus barbam tenentem atque erecto Deum vultu adorantem sub littera I.







Certissimum Gentiles verecundiæ signum putabant hanc oculorum demissionem, uti Polynicen propter parricidium, & matris incestum Statius lib. 1. Thebaid. vers. 673. factitasse canit.

> *Dejecit mæstos extemplo Ismenius heros*
> *In terram vultus, taciteque ad Tydea læsum,*
> *Obliquare oculos.*

ideo & Novæ Nuptæ vultus demittere solebant; uti idem lib. 2. Theb. vers. 230. testatur:

> *Ibant insignes vultuque, habituque verendo,*
> *Candida purpureum fusæ super ora pudorem,*
> *Dejectæque genas: tacitæ subit ille supremus*
> *Virginitatis amor, primæque modestia culpæ*
> *Confundit vultus.*

nonnulli tamen considerantes, quod numen juxta illud carmen Ovidii,

> *Os homini sublime dedit, cœlumque videre*
> *Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

erecto in cœlum vultu orabant. Homer. Iliad. T.

> Αρξάμενος δ' ἄρα εἶπεν, ἰδὼν ἐς ὠρανὸν εὐρύν.
> *Supplicans autem dixit suspiciens in cœlum latum.*

& Virgil. lib. 2. Æneid.

> *At pater Anchises oculos ad sidera lætus*
> *Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit.*

Alter incedentium mos erat frontem tangere, manusque fronti imponere; frontem enim sacram Genio dicit Alex ab Alex. lib. 2. Genial. dier. c. 19. quod optime ad illa Eclogæ 6. Virg. in principio:

——*Cynthius aurem*
Vellit, & admonuit.

& lib. 3. Æneid.

Dixerat, & genua amplexus, genibusque volutans
Hærebat.

observat Servius, inquiens: *frontem Genio consecratam Physici dicunt: unde Deum venerantes, tangimus frontem:* & ad ejus Eclog. 6. notat Aurem memoriæ, Frontem Genio, Digitos Minervæ, Genua Misericordiæ consecrata fuisse: simile quid hodie apud Gentiles nonnullos Indos observatur, quorum qui religionis ergo ad templum Bezovarticum in regno Golconda proficiscuntur, manus, simulac introeunt, complicant, & fronti imponunt, teste Tavernier, tom. 2. pag. 139. sed quid Bandæ, & circumjacentium Insularum Incolæ? tradunt scriptores in libro de Ortu & Progressu Societatis Belgicæ ad res Indiæ Orientalis, hos in precis fine bis terve manus super faciem movere, & urbis Vintanæ incolas in regno Candy corpus in terram projicere primo, tunc surgentes manus supra caput complicare, & precari: quod etiam memoratus Tavernier de Benjanis citato tomo 2. pag. 334. testatur.

Fronti etiam manus antiquitus imponebant adoratores, quia frontem pudoris templum credebant, uti vetus Scholiastes ad Persii Satyram 5. notat: ubi ipse Persius *frontem pro ipso pudore* ponit: vers. 102.

Navem si poscat sibi personatus arator
Luciferi rudis, exclamet Melicerta perisse.

& Terentius, *qua fronte*, id est, pudore, loquitur; pudentes enim rubescimus, quod a sanguine est. *Frons* ἡ αἰδὼς. Theognis:

Αἰδὼς μὲν γὰρ ὄλωλεν, ἀναιδείη δὲ καὶ ὕβρις
Νικήσασα δίκην γῆν κατὰ πᾶσαν ἔχει.

periit quidem pudor: impudentia autem, & contumelia prævalescentes totam terram occupant: hinc illæ phrasiologiæ, *frons dura*, extremæ impudentiæ: *Mollis*, nimii pudoris: quas inter media *firma* est: uti illam vocat Seneca de tranquil. anim. cap. 4. *quorundam parum idonea est verecundia rebus civilibus: quæ firmam frontem desiderant:* dixit & Plinius in Panegyr. Trajani cap. 35. *frontem exanguem*, id est, impudentem, duram ac ferream.

Quartus modus consistebat in solutione crinium in angustiis, licet hoc nimium vile & generosum crederetur, neque nisi in magnis rerum difficultatibus fieret teste Polybio lib. 3. at Tibullo lib. 1. eleg. 3. vers. 30. auctore, raro in re læta,

Et mea votivas persolvens Delia noctes,
Ante sacras lino tecta fores sedeat.
Bisque die resoluta comas tibi dicere laudes
Insignis turba debeat in Pharia.

de primo casu Ovidius canit lib. 3. fast.

Si qua tamen gravida est, resoluto crine precetur,
Ut solvat partus molliter ipsa suos.

quod egregie probat achates ex Gorlæi tom. 2. sub litt. L. quod etiam a Christianis mulieribus in litaniis, & processionibus factum Gregorius Turonensis lib. 3. cap. 29. scribit: *at illi in tanta humilitate ad Deum conversi sunt, ut induti Ciliciis, abstinentes a cibis, & poculis, cum tunica B. Vincentii Martyris, muros civitatis psallendo circuirent: mulieres quoque amictæ nigris palliis, dissoluta cæsarie, superposito cinere, ut eas putares virorum funeribus deservire, plangendo sequebantur:* ita solutis crinibus incedere luctus signum habebatur, teste Fortunata apud Petronium, qui ita: *concurrere medici, & inter primos Fortunata crinibus passis, cum scypho, miseramque se, & infelicem proclamavit:* quod factitabat, quia Trimalchio collo laborabat: probante & illud nummo isto littera K. notato, ubi Ceres, vel ejus Sacerdos sparsis capillis cernitur.

Fiebat præterea crinium Solutio, ut templa in suppliciis verrerent. Liv. 1. decad. lib. 3. *stratæ passim matres* CRINIBUS TEMPLA VERRENTES, *veniam irarum cœlestium, finemque pestis exposcunt.* Sil. Ital.

——*Nunc perplexis pectora* BARBIS
VERRERE HUMUM.

ac Claudianus in laud. Seren.

Numinibus votisque vacas, & supplice CRINE
VERRIS HUMUM.

adde elegantissimum Poetam Sulmonensem lib. 1. Trist. eleg. 3.

Illa etiam ante Lares sparsis prostrata capillis,
Contigit exstructos ore tremente focos.

CAP. XVII.

Ad adorationis locum progressi, flectunt corpus, stabant, *vel* sedebant: *hoc capite de corporis flexione agitur: conspectis diis* corpus projiciebant *Antiqui, ut hodie Benjani in India, & Christiani quidam: dei nomine audito Turci* in faciem *procidunt: quod ipse Christus observavit. Alii* caput flectebant, *quod in Judæis arguit Deus, ortumque ab Ægyptiis videtur: flexio capitis ipsam adorationem denotat sæpius: ritus hic omnibus Asiæ, Africæ, & Americæ incolis notus.* Genuflexio *non minus observata.* Genu dextro *vel* sinistro, *aliquando ambobus Genubus fiebat: idem Christianis veteribus observatum, excepto Die dominico & tota Pentecoste: flectebant alii corpus paululum: exemplum dabit Martha, Christi manus deosculans: eodem modo Mahomethani omnes obviatores salutant manibus ante pectus conjugatis.*

Erat triplex forma flectendi corpus: procumbebant enim, stabant, vel sedebant. Statim cum templa ingrediebantur, conspectis Deorum simulacris, in ipso limine in terram sese projiciebant Romani: sic Tibullus lib. 1. eleg. 5. vers. 44. canit:

Non ego, si merui, dubitem procumbere templis.

& Sulmonensis olor lib. 1. metam.

Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi.

neque non Juvenalis Satyr. vers. 47.

— *Tarpejum limen adora*
Pronus. — —

Melthon in Itinerario pag.98. de Monasterio S. Antonii prope Kairo locutus, hæc de Monachis Græcis refert: *obligant sese etiam, quibusvis vespertinis temporibus, antequam cubitum eunt, centum & quinquagies ore, atque ventre ad terram projicere corpus*: ab ipsis Turcis observatur, ut omnes, cum nomen Dei pronunciatur a sacerdote, in faciem [illegible]nerabundi procidant, & terram deosculentur illo ipso modo, quo in ectypo, quod hic apposuimus, ex Gorlæi Gemmis, sub litt. I. nudus homo in faciem prostratus Anubin adorat.



Salvator ipse Christus hunc ritum secutus est in horto Gethsemanes teste Evangelista Mattheo cap. 26. comm. 39. *& paululum progressus, in terram facie sua procumbebat, orans, atque dicens*: & Spiritus Sanctus in Apocalypsi Johannis cap. 4. comm. 9. dictat: *& quum tribuebant illa animalia gloriam, & honorem, & gratiarum actionem ei, qui throno insidebat, illi, inquam, viventi in sæcula sæculorum, procidebant vigintiquatuor illi seniores in conspectu illius insidentis throno, & adorabant illum viventem in sæcula sæculorum*: quod veteres Christianos imitasse afferit Chrysostomus Hom. 68. Tom. 6. Opp. *multi ita orant, quod se in terram totos projiciunt, caput deponunt, multas lacrymas effundunt*: & Augustin. de Cura pro Morte cap. 5. *orantes corpus ita movent, veluti supplicanti & genuflectenti decet, ita ut genua flectant, manus protendant, in terram sese projiciant, & omnia externa peragant, licet interna illorum voluntas, atque mens Deo notæ sint, & illi non opus sit signum, quo mortalium cogitatio sibi aperiatur*: nec non in India in hunc diem Javani, & Ceylonnenses, ita corpus in terram projiciunt, more antiquo, ut os terram contingat, & quasi oscula porrigat.

Idem fere de Benjanis, Indiæ orientalis populo, testantur Itinerarii: scribit inter hos Tavernier tom. 2. pag. 334. his verbis de templo Buonarotico in regno Mogolis: *quam cito templi Janua aperiebatur, intrabat populus, qui, cum suspensum velum removeretur, Imagines Deorum videntes, sese totum projecerunt in terram, manibus super caput complicatis.*

Idem de Græcis Lucianus testatur in navigio: atque hoc modo crinibus passis templa verrebant mulieres in suppliciis, de quo superius locuti sumus: ipse Abrahamus, in terra Cananæa degens, more incolarum, & Orientalium gentium videtur procidisse coram Deo facie sua, ut videre est Genes. 17. comm. 3.

Capita tantum nonnulli flectebant: sic D. Hieronymus contra Ruffinum scribit: *solent, qui adorant, deosculari manum & capita submittere*: atque ita locus Deuteron. 4. comm. 19. intelligendus, ubi Deus, de Judæorum superstitione erga Solem atque Lunam locutus, demandat ne impulsi adorarent, sive incurvarent sese, atque illa colerent: quod Ægyptiorum exemplo factitasse Judæos puto, cum in Ægypto degebant, nam Exod. 4. comm. 31. habetur: *credidit populus, & postquam audiverunt Jobovah visitasse filios Israelis, & vidisse afflictionem ipsorum, vertice inclinato incurvaverunt se, adorantes eum*: diciturque Moses ipse Exod. 34. comm. 8. inclinato vertice in terram, honorem habiturus, se incurvasse. Prudentius in hymno contra Judæos canit: vers. 454.

Augustum caput ante pedes curvare Minervæ,
Fictilis & soleas Junonis lambere.

Neque absque capitis flexione Deorum imagines deosculari poterant, atque capitis ista flexio adeo vulgaris erat, ut non raro ipsam adorationem denotarit: ita Lampridius in Alexandro scribit, quod salutabatur nomine Ave Alexander, & si quis caput flexisset, aut blandius aliquid dixisset, vel abjiciebatur vel ridebatur: eandem Cerimoniam Busbequius epist. 3. Legation. Turcic. apud Sarracenos vigere testatur: *Sacerdote*, scribit, *Mahumethis nomen pronuntiante, pariter una omnes capita ad genua usque submittebant*: hodierni vero Judæi, auctore Alexandro Ross. Numinis pacem deprecantes, jam dextrorsum, atque rursus sinistrorsum capita flectunt: de Japoniæ incolis simile quid A. Montanus in libro de legatione Belgico Japonica pag. 248. narrat, verba habens de templo idoli cujusdam Dayboth: *hoc incolæ quotidie religiose visitant: nonnulli ad terram corpus projiciunt, alii tantum capita submittunt*: quorsum referre possumus Ecclesiarum Christianarum consuetudinem, qua fæminæ, in templis assidentes, faciem precaturæ ad genua declinant, cum ista ratione gestus, inter orandum in vultu suborti minus videri ac rideri queant, & devotio per occurrentia sensibus objecta externa turbari nequit.

Verum usitatissima tamen Genuflexio apud Gentes omnes videtur: de Ægyptiis optimus locus exstat Genes. cap. 41. comm. 43. *& jussit* (Pharao) *eum insidere currui secundano, qui secundus a se futurus esset, ut proclamarent præcones ante eum flectenda esse genua, constituisse enim eum super universam terram Ægypti*. Idem ritus apud Græcos teste nummo Atheniensium apud Goltzium tomo 3. qui hic repræsentatur sub littera K. Idem apud Romanos probante hoc elegante numismate littera L signato, quod ingeniosissimus Sambucus post libellum suum Emblematum evulgavit primus: idem apud Indos viguit: audite Ovidium Fast. lib. 4.

Summissoque genu, vultus in imagine divæ
Figit.

Tibull. 1. eleg. 5. verf. 42.

Non ego tellurem genibus perrepere fupplex.

fcil. *dubitem*, ut in antecedenti verfu dixerat. Theophraftus cap. 17. Caract. Ethic. de fuperftitiofo: κὶ ἐπὶ γόνατα πεσὼν ἢ προσκυνήσας. *Nixis genibus adorans*, & Scolium Hybriæ Cretenfis apud Athenæum fonat:

Πάντες γονὺ πεπτηῶτες ἐμοὶ κυνέοντι
Δεσπόταν, καὶ βασιλέα μέγαν φωνέοντι.

Omnes in genua procumbentes coram me adorant
Ceu dominum, & regem magnum appellant.

& in Itinerario fecundo Chriftoph. Columbi verfus Indiam Occidentalem narratur pag. 65. de incolis Hifpaniolæ, quod *geniculantur catervatim, & magno murmure, triftique vultu hymnos nonnullos in honorem Idoli fui decantare folent.*

Tribus certe modis Genuflexio ex veterum fcriptis & allatis nummis probari poteft: alii enim ambobus Genubus, Plaut. Rud. act. 3. fcen. 3.

—— —— Ambæ te Obfecramus
Aram amplexantes hanc tuam, lacrymantes, genibus nixæ.

alii dextro tantum Genu, alii rurfus finiftro nitebantur adoraturi: quod clariffime appicta numifmata fub litt. N. & O. quæ in CIMELIO NOSTRO fervamus, oftendunt. *Geniculari in adorando*, B. Rhenanus inquit, *velut pœnitentis eft: qui ftans adorat, tamquam jam veniam confecutus, gratias agit.* Chriftianos antiquitus aliquando genuflexos precatos fuiffe, exempla habentur Matth 17. comm. 14. Marc. cap. 1. comm. 7. Luc. cap. 22. comm. 41. & 45. Act. Apoft. cap. 7. comm. 59. & 60. & Epift. Paul. ad Ephef cap. 3. comm. 14. inquit & Eufebius lib. 5. Hift. Ecclef. cap. 5. de Martyribus, quod vitæ periclitantes genu in terram flectebant more proprio Chriftianorum: digna funt Bafilii Magni verba, ut adfcribam: cap. 27. de Spir. Sanct. *cum genua flectimus, & rurfus corpora erigimus, ipfa re monftramus, nos peccatis lapfos effe, & Creatoris Mifericordia rurfus in cœlum evocari:* genuflexio enim tantam humilitatis fpeciem præ fe ferebat, ut verba γονάζεσθαι, γονυπετεῖν ac fimilia, orare vel fupplicare fignificent: & de hoc ritu elegans legitur apud Reinefium pag. 953. infcriptio de quodam Martyre Alexandro, quæ in bufto Callifti expreffa, Romæ exftat.

GENUA FLECTENS VERO DEO
SACRIFICATURUS AD SUPPLICIA
DUCITUR.
O TEMPORA INFAUSTA!
QUIBUS INTER SACRA ET VOTA,
NE IN CAVERNIS QUIDEM
SALVARI POSSIMUS.

Dominico die & tota Pentecofte genua in orationibus minime flectebant Chriftiani veteres: teftibus Tertull. lib. de coron. militis, Juftin. Martyr. in lib. refponf. ad orthodoxos cap. 115. B. Hieronym. adverf. Luciferianos, & B. Auguftin. Epift. 110. ad Januar. nec non Epiphanio lib. 3. contra hæref. & Ifidoro lib. 1. de Ecclefiaft. Offic. cap. 33. in fidem & indicium refurrectionis Dominicæ ftantes, erecto ad cælum corpore atque vultu.

Hodierni vero Chriftiani aliquando in genua vel genu procumbunt: quod in appicto æreo calculo Reipublicæ Batavicæ, littera M. fignato, qui non minus, quam antiqua numifmata MUSEUM NOSTRUM, illuftrat, oftenditur: aliquando vel erecto corpore, vel fedentes precantur, qua de re infra, cum Deus folus hominum mentem infpiciat.

CAP. XVIII.

In communioribus facris ftabant *erecto corpore: fanum prætereuntes adorant jactando ofcula: nummi impp. Hadriani & Trajani explicantur. Galli veteres ac Hebræi adorantes ftetiffe probantur. Locus Matthæi Evangeliftæ cap. 6. comm. 7. explicatus:* idem mos apud Indos *plerofque in hunc diem obfervatur, ut & Chriftianos, diebus quidem Dominicis femper priore Ecclefiæ fæculo, aft pofteriore ævo abfque difcrimine geniculabant ftabantque in orationibus: quod & hodie obtinet: publicis Ecclefiæ reformatæ præcones & populus erecto corpore Deum invocant nudato capite: apud Pontificios plerique de Geniculis precantur.*

IN communioribus facris ftabant adorantes erecto corpore in fortis atque erecti animi indicium ampliorem auguftioremque cultum exhibituri: fic Martialis lib. 12. epigr. 78. canit:

Multis dum precibus Jovem Salutat,
Stans fummos refupinus ufque in ungues,
Æthon in Capitolio.

uti de Græcis Seneca in Hercul. furent. act. 2. fcen. 3. verf. 3 5. canit:

Namque ipfa trifti veftis obtentu caput
Velata, juxta præfides aftat deos,
Laterique adhæret verus Alcidæ Sator.

Homerus quoque Iliad. 10. verf. 306.

Εὔχετ' ἔπειτα ςὰς μέσω ἕρκει ——

Precatus eft poftea ftans in medio atrio.

& legimus in veteri infcriptione: ARA. POSITA. ASTANTE. SACERDOTE. SEX. CREUSINA. SECUNDO. UT. VOVERANT. MAXIMUS. ET. MAXIMINUS. FILI.

Huc faciunt verba Apuleii apolog. 1. *nulli deo ad hoc ævi fupplicavit, nullum templum frequentavit; fi fanum aliquod prætereat, nefas habet, adorandi gratia, manum labris admovere:* ita ut privati eodem modo, quam facrificantes, adorarunt, probante id nummo fub Litt. S. effcto ex J. Oudaan. adfcribimus Juvenalis verba, quæ inveniuntur Satyr. 6. verf. 390. de matrona quadam facrificante, ut Citharœdus Pollio ejus amatus in agone Capitolino coronam accipere poffet; fonant:

—— Stetit ante aram, nec turpe putavit
Pro cithara velare caput.

ubi Grangæus commentatur: *Salutabant enim Deos, non de geniculis, fed ftantes*: quod quidem certo refpectu verum, at non omni, uti doctus vir dictitat: vidimus etenim mulierem genubus flexis ad aram Deos invocantem in Nummo Hadriani, fuperiori capite effcto.

Judæos inter nullus, nifi ftaret, adorare poterat, tefte Rabbi Maimonide: imo facra temerare cenfebatur, qui eis fedens operam dabat juxta illud Mofis Ægyptii in Biath Hamikdafch cap. 5.

interprete G. Outramo: *nullum est nisi stantis ministerium propterea quod dictum est, ut stent ad ministrandum: quisquis itaque sedens ministrat, profanus est, irritumque est ministerium ejus:* neque tantum hoc Sacerdotes, sed omnes alii in Sanctuario stantes peragebant, unde Maimonides in Tephilla Ubirchat Cohanim cap. 5. ait: *Nemo, nisi stans, rite orat:* & ipse Christus Matth. 6. comm. 5. illos accusat, *quod sicut Hypocritæ, stabant in conciliis, & in angulis platearum ad orandum, ut conspicui fierent filiis hominum:* quod ad omnes gentes migrasse ex Scriptoribus constat. Incolæ enim Bandæ, & circumjacentium Insularum, ac nonnulli alii Indorum stantes adorant, ut Itinerarii omnes referunt.



Docet & appicta ex Aringhii Roma subterranea mulier Christiana, Littera T. notata, eundem ritum apud priscos Christianos viguisse, affirmantibus Chrysostomo Homil. Diversf. Hom. 12 & Augustino 11. ad Simplic. Qu.4 & quidem priore Ecclesiæ ævo Diebus dominicis semper, cum hebdomade de geniculis adorabant, ut supra dixi; verum posteriore sæculo & geniculabant & erecto corpore stabant in precibus, licet genu flexo precari Christianarum precationum proprius mos fuerit; ita etiam recentiores Christiani stantes non raro adorant: uti in elegantissimo Numismate Regis Galliæ littera V. notato, quod nobis ex instructissimo Cimelio suo suppeditavit Eruditiss. L. Smids.

CAP. XIX.

Sedebant in orationibus Veterum plurimi, præsertim hoc in parentali solemnitate observatum apud Romanos, Græcos & Judæos. Pythagoræ de hoc more præceptum a Gyraldo optime explicatur: idem a Mahomethanis ad sepulchra observatur: in jejuniis Hebræorum maxime. Tertulliani de hac re elegans locus, & Servii de Lectisterniis. Solennis iste ritus incolarum insulæ Hispaniolæ: ab Christianis observatur ad plurimum.

Alter sequitur Corporis ordo, in venerationibus aliquando observatus, quo scil. sedebant, præsertim quicunque in parentali, seu funebri solemnitate sacris operabant, teste Tibullo, lib. 2. eleg. 7.

> *Illius ad tumulum fugiam, supplexque sedebo,*
> *Et mea cum multo fata querar cinere.*

scribit Curtius lib. 8. *assidebat ei una ex neptibus, nuper amissum Hephestionem, cui nupserat, lugens:* atque ita intelligo Martialem lib.2. epigr. 41.

> *Te mæsta decet assidere matri,*
> *Lugentique virum, piumque fratrem.*

idque apud Hebræos viguisse ex sacris literis manifestum. Matth. cap. 27. comm. 61. *erat autem illic Maria Magdalene, & altera illa Maria, sedentes contra sepulcrum.*

Apud Gentiles certe varios observabatur præceptum Pythagoræ *Adoraturi sedento:* quod optime præter alios ita exponit Gyraldus in sua interpretatione Pythag. Symbol. *ego, inquit, ab eo deductum puto, quod sedentes meliorem, pacatioremque animum assequi existimantur; (nam sedendo, & quiescendo animus teste Philosopho, melior fit) atque ea causa quoque rectius de quaqua re censere:* sic Plautus in Rudent. act. 2. scen. 3.

> —— *I sane in Veneris fanum, huc intro*
> *Sedentem, flentemque opprimes.*

quam ad rem maxime faciunt translatæ ex Gorlæo Annulariæ Gemmæ, litteris W. & X. notatæ: sic Parthenius in Eroticis cap. 18. *καὶ ἐπειδὴ αὐτὴν ἐξήτει ὁ Ὑψικρέων, ἱκέτης προσεκαθίζετο ἐπὶ τῆς ἑστίας τῆς ἐν τῷ πρυτανείῳ:* id est, *quam quum istbic quæsivisset Hypsicreon, supplicem invenit sedentem in templo Vestæ in Prytaneo:* recte igitur Seneca in Moralibus libris inquit: *simulacra deorum venerantur, genu posito illa adorant, illis per totum assident diem.* Opi certe, quæ eadem terra credebatur, sedentes vota concepisse, terramque de industria tetigisse Macrobius lib. 1. Saturn. cap. 10. & ex Varrone D. Augustinus lib. 7. de Civit. Dei tradunt. & canit Homerus Iliad. A.

> *Καὶ ῥα πάροιθ' αὐτοῖο καθέζετο, καὶ λάβε γούνων*
> *Σκαιῇ, δεξιτερῇ δ' ἄρ ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλοῦσα.*

> *Et ante ipsum sedit, & apprehendit genibus*
> *Sinistra, dextra autem mento apprehendens.*

ita Cotovicus Itinerar. Hierosolym. cap. 8. narrat de Talismannis, sive Turcarum Sacerdotibus: *in Meschitis ditiores Talismannos suis sumptibus alunt, qui sacra inibi, in demortuorum memoriam peragunt, precesque, ac psalmos, humi divaricatis* SEDENTES *cruribus, quotidie ad certum numerum pro anima fundatoris juxta ejus sepulchrum obmurmurant.*

Quem morem Hebræos in Jejuniis observasse cap. 20. Judic. testatur, *omnes filii Israel venerunt in domum Dei, &* SEDENTES *flebant coram Domino, & jejunaverunt die illo usque ad vesperam, & obtulerunt ei holocausta, & pacificas victimas:* & primo capite lib. 2. Esdræ habetur: *cumque hæc audissem sedi, & flevi & luxi diebus multis, & jejunabam, & orabam ante faciem Dei cœli.*

Interdum vero Gentiles, precibus peractis, sedebant, auctore Plinio lib. 28. cap. 2. & adsignata oratione, quam in tabulis descripram annulo suo signabant, & affigebant genubus deorum. Tibullus lib. 4. eleg. 12. ad amicam vers. penult.

Sed Veneris Sanctæ CONSIDAM *vinctus ad aram,*
Hæc notat injustos, supplicibusque favet.

Tertullianus de Orat. *item quod assignata oratione assidendi mos est quibusdam :* & paulo post : *porro cum perinde faciant nationes, adoratis sigillaribus suis residendo, vel propterea in nobis reprehendi meretur, quod apud idola celebratur.* Servius in locum illum Virgilii lib. 12. Æneid.

——*Et divi sacraria ditis.*

refert, quod Lectisternia dicuntur, ubi in templo homines sedere consueverant : de vetustis insulæ Hispaniolæ in America Incolis Alex. Ross. in lib. suo de singulis mundi religionibus scribit pag. 162. *tunc circumsedent pedibus in crucis figuram collectis, & capita versus idolum vertentes precantur, ut sacrificia propitium dextrumque accipiat :* qui ritus etiamnum inter Christianos nonnullos observatur, cum publicis concionibus orationibusque intersunt sedendo, qua de re omnem reformatam Ecclesiam Christi oculatam testem advocamus, & adducimus ex *cimelio nostro* Calculum littera Y signatum.

CAP. XX.

Conversio ad orientem *ubique fere in usu : maxime* apud Gentiles *veteres.* Turcæ ad Meridiem *sese vertunt.* Javani *hodierni Priscique* Orientales *idem observant.* Persæ veteres Solis cultores : *illorum posteri se diebus* ad Solem, *noctibus* ad Lunam *vertunt :* templa ad orientem *posita.* Statua *ædis* ad occidentem *constituta.* Aræ ad orientem *erectæ.* Judæi ad Occidentem, *ubi Sanctuarium templi Hierosolymitani erat, sese convertebant.* Christiani veteres *Gentilium morem secuti sunt, recentiores negligunt.* Conversio ad Orientem Christianismo antiquior. *Mercerus notatus. quare Ecclesia vetus Orientem precatura aspexerit, inquiritur : idem mos per Helveticas Rheticasque fœminas hodie observatur.*

INter omnes vero Adorationis ritus iste maxime obtinebat, ut ad orientem Solem se converterent. Apulejus Metam. lib. 2. *tunc orientem obversus,* scribit, *& incrementa solis augusti tacitus imprecatus, venerabili scena, facies, & studia præsentium ad miraculum tantum certatim adrexit :* quod scil. ex mystica religione fiebat. Apuleii verba hæc Ovidiana excipiunt lib. 4. Fast.

His dea placanda est, hæc tu, conversus ad ortus,
Dic quater : & vivo perlue rore manus.

adde elegans carmen, quod apud Valerium Flaccum lib. 3. Argon. in quo plures adorandi ritus comprehenduntur :

Delius hic longe candenti veste Sacerdos
Occurrit, ramoque vocat : jamque ipse recenti
Stat tumulo, placida transmittens agmina lauro
Ducit & ad fluvios, ac vincula solvere monstrat
Prima pedum ; glaucasque comis prætexere frondes
Imperat, hinc alte Phœbi surgentis ad orbem
Ferre manus.

Turcæ autem, omnesque Mahometanorum instituta secuti Populi precantes ad Meridiem se convertunt : scribit Johan. Cotovicus cap. 5. Itinerar. Hierosolym. *tum singuli in Seriphum, vel Hoggium oculos figunt, ejusque motus, & corporis gestu diligenter observant, & imitantur, in terram procumbunt, & versus Meridiem se statuentes precibus incumbunt.* Javani vero, magno silentio religionem exercentes, supplices ad orientem sese convertunt, ut in libro Itinerario Indiæ Orientalis videre licet, & refert Lucianus in Navigio omnem Indorum Gentem Solem adorare, cum mane surgens sese ad orientem solem convertat, & saltatione quadam Deum salutat, Solis cursum & Choream sequens, idemque faciat vesperi, quando cubitum eat : testatur Tacitus Hist. lib. 3. cap. 24. *Syros religiose salutare solitos orientem :* ubi magnus Lipsius notat, non Syris & Orientalibus tantum, sed plerisque Gentium in more fuisse positum : legite Apulejum Met. lib. 2. *tunc Orientem,* scribit, *obversus, & incrementa Solis augusti tacitus imprecatus, venerabili scena facies & studia præsentium ad miraculum certatim tantum adrexit :* verosimile est, ab antiquis Solis cultoribus morem hunc profluxisse, quorum posteri adhuc in Persia vigent, Persæque vocantur, quibus a Sacerdotibus mandatum est sese diebus ad Solem, noctibus ad Lunam vertere : qua de re se oculatum testem Boulaye Le Gouz. in lib. itinerar. tom. 2. pag. 108. sistit.

Ad Solem respiciebant Veteres, cum mundi ortus a Læva sit, unde sinistrum ac lævum fulmen inter prospera habetur, & in cælo templum locus auspicii est, cujus partes sunt quatuor; Sinistra ab oriente, Dextra ab occasu, Antica ad Meridiem, Postica ad Septentrionem : & præcipit Hermes Tresmegistus, cum quis deum adorare voluerit, respiciendum esse in Austrum, Sole occidente, Sole vero oriente, in eum, qui Subsolanus vocatur ; asserit Rhodiginus quoque, quosdam ex Græcis prodere, si Heroibus rem divinam obibant, occasum solitos spectare, si Diis, exortivas partes : locus est antiq. lection. lib. 12. cap. 2. hanc ob causam templa ad Orientem ponenda credebant antiqui, ut aperte Vitruvius lib. 4. cap. 5. docet : *ædes autem,* scribit, *sacræ deorum immortalium ad regiones, quas spectare debent, sic erunt constituendæ, ut, si nulla ratio impedierit, liberaque fuerit potestas, ædis signum, quod erit in cella collocatum, spectet ad vespertinam cæli regionem, ut, qui adierint ad aram immolantes, aut sacrificia facientes, spectent ad partem cæli orientis, & simulacrum, quod erit in æde, & ita vota suscipientes contueantur ædem & orientem cæli :* atque Frontinus, improbans illorum opinionem, qui secus ac in orientem templa struenda putabant, in lib. de Limitib. in principio habet : *Et, sicut quidam garriunt architecti, delubra in Occidentem recte spectare scripserunt :* ad hanc & partem cæli Aras erectas fuisse comperio : hinc Æneid. lib. 12. Virgil.

Illi, ad surgentis conversi limina Solis,
Dant fruges manibus salsas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.

Vitruvius lib. 4. cap. ult. *Aræ,* scribit, *spectent orientem,* vide plura apud Clem. Alexandr. libr. stromat. 7. Hospinian. in histor. sacram. lib. 3. Polydor. Virgil. lib. 5. cap. 9. & J. Lipsium in notis ad Tacit. lib. 3. histor. num. 33.

Judæi ad Occidentem conversi precabantur Deum, ubi sanctuarium erat, cum vellent osten-

dere *sese non Solem, sed Solis dominum adorare*, ut Anastasius Nicænus Quæst. 18. ait: & Exod. 26. ac Ezech. 8. comm. 16. accusantur Israelitæ, quod precaturi ad Orientem sese converterunt: de Judæis etiam extra terram Judaicam degentibus Maimonides in Tephilla Ubircath Cohanim cap. 5. tradit, quod preces suas edebant facie ad terram Israelis versa, & stantes intra terram Israeliticam facie versus Hierosolymam directa, atque stantes in Sanctuario ad adytum intimum facie versa.

Atque in hoc ritu Christiani veteres maluerunt Gentilium morem sequi, Ecclesiæ non scripta, sed ab Apostolis profecta traditione, ut Auctor libri Responsionum ad Orthodoxos Quæst. 118. & Basilius Magnus cap. 27. de Spir. Sanct. ad Amphilochum memorant, Dionysius item in libro de Ecclesiast. hierarch. cap. 1. scribit: *Et cum post trinam abrenuntiationis contestationem, tertio se illa abrenuntiare professus fuerit, ad Orientem illum traducit* (Sacerdos scilicet) *aspicientemque in cœlum atque intendentem manus, Christo sacrisque omnibus divinitus traditis consentire jubet*: confirmat hoc Leo Papa serm. 7. de Nativ. inquiens: *de talibus institutis etiam illa generatur impietas, ut sol, inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibusdam insipientioribus adoretur: quod nonnulli etiam Christiani adeo se religiose facere putant, ut, priusquam ab beati Petri Apostoli Basilicam, quæ uni Deo vivo & vero est dedicata, perveniant, superatis gradibus, quibus ad suggestum aræ superioris adscenditur, converso corpore, ad orientem se solem reflectant, & curvatis cervicibus in honorem se splendidi orbis inclinent*: & propterea orantes orientem Solem respexisse tradit Augustinus lib. 2. de Orat. Domin. in monte tom. 4. ut elevent mente ad Creatorem lucis: verba sunt: *Cum ad orationem stamus, convertimus ad Orientem, ut admoneatur animus ad naturam excelsiorem se convertere, id est, ad Dominum, cum ipsum corpus ejus, quod est terrenum, ad corpus excelsius, id est, ad corpus cæleste convertatur; quoniam necesse est, ut cælum præferant terræ: & cum aliquando cognoverint dignitatem animæ cæleste etiam corpus excedere; magis eum quærant in anima, quam in corpore etiam cælesti; & cum cognoverint quantum distat inter peccatorum animas & justorum; sicut non audebant, cum adhuc carnaliter saperent eum in terra collocare, sed in cælo, sic postea meliori intelligentia magis eum in animis justorum, quam in peccatorum requirant*: scribit vero J. Pineda Hispalensis in Jobi cap. 39. comm. 26. jam Leonis tempore illam primæ Ecclesiæ consuetudinem adorandi & templa erigendi versus Orientem obsolevisse, quam servandam curarant & præceperant primi Ecclesiæ Patres: quod optime Latinus Pacatus Drepanius cap. 3. Panegyrici ad Theodosium asserit his verbis: *nam ut divinis rebus operantem in eam cæli plagam ora convertimus, a qua lucis exordium est*.

Hunc ritum tamen non omnes Gentiles observasse docet Tertullianus in Apolog. *sed & plerisque*, ait, *vestrum affectatione aliquando & cælestia adorandi ad solis ortum labia vibratis*: at antiquiorem Christianismo esse, præter supra citata loca Job. 31. comm. 26. 27. & 28. docet, quare non mirari satis possum, qua de causa Clariss. Mercerus ad cap. 17. lib. Alexandri ab Alexandro commentatus sit, Gentes sese ad orientem orantes vertisse imitatione Christianorum, & prioribus seculis nondum receptum fuisse; cum contrarium cunctis, qui Minervæ operam dant, quam clarissime innotescat: adscribo, quod Christiani primæ Ecclesiæ ad orientem precaturi se convertebant, ut quædam Sacræ Scripturæ loca, de Messia prolata, exprimerent observatione ista, quale est illud Malach. 4. comm. 2. *Vobis vero, qui timetis nomen meum, orietur Sol Justitiæ*: ad quem locum & ritum allusit Zacharias pater Joannis Baptistæ Luc. 1. comm. 78. *Invisit nos Oriens ex alto*: vide Heins. Exerc. lib. 3. cap. 1. eundem ritum itinerario suo per Helvetiam & Italiam Rever. & Eruditiss. Gilbertus Burnet, Salisburiensis hodie in Anglia Episcopus fidelissimus, observari in nonnullis Helvetiæ ac Rhetiæ urbibus per fæminas refert hisce verbis: *convertunt sese hoc loco, sicuti Bernæ, ad orientem inter orandum* (publice scil.) *veluti etiam observant in privata sua religione ante inceptas postque initas preces publicas*: & Vine Le Blanc in itinerario suo de Bengalæ incolis narrat, quod in templis eorum altaria duo inveniuntur, orienti atque occidenti Soli consecrata, ad quæ, versa ad Solem facie, orant & sacrificant: sicuti Hugo Linschoten cap. 33. itinerarii sui de Subditis Magni Mogolis in regnis Guzuratte, & Decan testatur, quod Solem Lunamque adorantes, atque se lavantes, semper vultus suos ad Orientem Solem convertunt: & non dissimile est, quod citatus Le Blanc de Mahomethanis Gentilibusque Subditis Magni Negi, seu Æthiopiæ Imperatoris, refert lib. 2. cap. 1. hi enim, ut ipsius urbis utar, *Solem venerantur, & oriente die excelsum locum ascendentes, nascentem Solem precantur, sæpius procumbentes ac terram exosculati*.

CAP. XXI.

Manus in adoratione *maxime requisitæ: plerumque* in cœlum tendebantur. *Inferos oraturi* manus demittebant *Gentiles*: in publica lætitia *manus attollebantur*: *idem mos ad Christianos hodiernos transiit*. Varii modi protendendi manus *recensentur*: *nonnulli* manum dextram, *alii* ambas manus tendebant: *manus pro ipsa adoratione*. Dextræ *religio*. *Dextra pars boni ominis*. *Dextra manus Fidei ac Concordiæ signum*.

MAnus in adoratione non minimam partem tenebant, cum, docente Quintiliano, sine manibus trunca sit oratio ac debilis, & ceteræ partes eloquentem adjuvent: hæc prope est, ut ita dicam, ipsa actio: manibus enim loquimur, manibus poscimus, minamur, supplicamus, atque tanti apud Veteres Philosophos habebantur, ut rationis ac sapientiæ ministras esse manus pronuntiarunt, imo Anaxagoras, uti Aristoteles & Plutarchus tradunt, ideo sapientissimum videri hominem dixit, quia manibus erat instructus, quippe *inter agendum non ut ceteræ partes loquentem tantum adjuvant, sed ipsæ quodammodo loqui videntur* inquit Rhodiginus Lection. Antiq. lib. 4. cap. 3. & tradit idem lib. 29. cap. 11. quod *Philon medicus* (*ut videtur*) *nobilis, quum medicamenta quædam ad medendi visum exquisitissima concinnaret, & regias quasdam* (*ut Plutarchus inquit*) *& alexipharmacas potestates conficeret, eas quod salutares & divinas quodammodo sciret*, θεῶν χεῖρας, *veluti adagio quodam appellare consueverat, hoc est*, DEORUM MANUS.

Erat autem voventium manus leviter pandata. Virgil. lib. 3. Æneid.

——— Tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus.

hoc viri, hoc mulieres: sic Cæsar lib. 2. de bell.

civil. ſcribit: *facile erat e caſtris C. Trebonii, atque ex omnibus locis ſuperioribus proſpicere in urbem, ut omnis Juventus, quæ in oppido remanſerat omneſque ſuperioris ætatis cum liberis atque uxoribus, publiciſque cuſtodiis, aut ex muro ad cœlum manus tenderent, aut templa deorum immortalium adirent, & ante ſimulacra projecti, victoriam ab Diis expoſcerent*: hoc & Græci aliique Gentiles. Homer. odyſſ. 1.

> Εὔχετο χεῖρ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα.
>
> *Precabatur manus porrigens ad cœlum ſtellatum.*

Simplicius ad Ariſtotelem de cælo l. 1. p. 31. καὶ γὰρ ἐν τοῖς ἱεροῖς, καὶ ἐν τοῖς ναοῖς νομίζοντες μεστὰς θεῶν εἶναι, ἐκτείνουσιν εἰς αὐτοὺς τὰς χεῖρας, *in ſacris enim & templis exiſtimantes, ea Diis eſſe plena, ad eos manus extendunt*: quod etiam Moſes Exod. 17. comm. 10. & 11. & Salomon 1. reg. 8. comm. 45. fecerunt.

In ſacrificiis Judæos ambas manus inter bina victimæ cornua poſuiſſe, confitentes peccatum, ſcribit Maimonides in Maaſe korban cap. 3. Inferos autem deos oraturi Gentiles Manus demittebant pronas, ut Euſtathius ad lib. 6. Iliad. notat, & ita aras ſubterraneas illis ponebant; qui vero Deos Marinos precabantur, verſus mare Manus expandebant, uti de Celantho Maro Æneid. lib. 5. verſ. 233. canit: uti in publica quoque lætitia congratulantium mos erat manus in cœlum attollere, ut Suetonius in Vitell. cap. 7. annotavit: verba Virgilii ſunt:

> *Ni palmas ponto tendens utraſque Cloanthus,*
> *Fudiſſetque preces, Divoſque in vota vocaſſet:*
> *Dii, quibus imperium.*

& de Achille a Thetide opem rogante teſtatur divinus Homerus Iliad. A. verſ. 350.

> Θῖν' ἔφ' ἁλὸς πολιῆς, ὁρόων ἐπὶ οἴνοπα πόντον.
> Πολλὰ δὲ μητρὶ φίλῃ ἠρήσατο χεῖρας ὀρεγνύς.
>
> *In littore cani maris, nigrum in pontum oculos figens:*
> *Matri autem multas preces fudit, manibus extenſis.*

ac Horatius lib. 2. ſerm. 5. canit:

> *Importunus amat laudari: donec ohe jam,*
> *Ad cœlum manibus ſublatis, dixerit, urge.*

manum ergo expanſam habere adorationis ſignum erat, uti dictum, & Anchiſes apud Maronem lib. 3. Æneid. teſtatur hiſce:

> *Et pater Anchiſes, paſſis de littore palmis,*
> *Numina magna vocat, & meritos indicit honores.*

quod Chriſtiani Veteres, quod aliquando recentiores, & quidem in morem crucis. Ambroſius de Cruce Serm. 56. *homo cum manus levaverit, Crucem pingit; atque ideo elevatis manibus orare præcipimur, ut ipſo membrorum geſtu Paſſionem Domini fateamur*: & Tertullianus in lib. de Orat Num. 13. *atqui cum modeſtia & humilitate adorantes magis commendabimus Deo preces noſtras: ne ipſis quidem manibus ſublimius elatis*: audite Prudentium Periſteph. Hymn. 6.

> *Non auſa eſt cohibere pœna palmas,*
> *In morem crucis ad patrem levandas,*
> *Solvit brachia, quæ Deum precentur.*

Talis adorantis figuram apponimus ex P. Aringhii, & Boſii Roma Subterranea præ ſe ferentem virum expanſis, conſueto orantium more, brachiis precationi inſiſtentem, notatam Litt. Cc. lege & Matiſconenſis Synodi decretum cap. 1.

Sæpius ad Genua ſupplices manus tendebant. Seneca in Hercul. furent. act. 4. ſcen. 1. verſ. 102.

> ——— *En blandas manus*
> *Ad Genua tendens, voce miſeranda rogat.*

& Valer. Maximus lib. 6. cap. 4. *ſupplices ad Genua judicum manus tetendit*: ut videre poſſis in appicto Numiſmate ſub Litt. Aa. quia ſcilicet, ut Plinii verbis lib. 2. cap. 45. utar, *hominis Genubus quædam religio ineſt obſervatione Gentium*: imo poteſtas juxta Homerum Odyſſ. A. Ἀλλ' ἤτοι μὲν ταῦτα θεῶν ἐν γούνασι κεῖται. *Verum enimvero hæc deorum in genibus poſita ſunt*: Neque diſpar apud hodiernos Gentiles cerimonia in adorando circa motum manuum tenetur: ita de Japonenſibus refert Jeſuita Froes, quod ſonante tintinnabulo ad templa convocati, maxima attentione genuflexi precantur, tollentes manus ſuas ac Roſaria in Cœlum; & de Chinenſibus ſcribit in Itinerar. Zegerus a Rechteren: *orant complicatis manibus, eaſque in pedes collocant*: teſtatur ſimile quid de Indiæ orientalis Brachmannis Abrahamus Rogerius, inquiens: *Verum quoties Idoli ſtatuam circumierunt, toties expanſis complicatiſque manibus projicere ſeſe in terram debent.* Tribus autem potiſſimum modis manus protendebantur: in crucis figuram ſcilicet, uti ſuperius dictum, ac oſtenſum; pluries ita complicantur, ut digiti manus dextræ inter digitos ſiniſtræ, & hi rurſus inter illos reſideant, & ſiniſter pollex in dextro quieſcat: non raro manus manui opponitur, & ante faciem pectuſve tenetur: qui ritus manuum conſpicitur



in qua-

in quatuor appictis nummis, annulis, & marmore sepulchrali apud Aringhium, signatis Litt. Aa. Bb. Cc. & Dd. in quibusdam tamen Regionibus Asiæ & præsertim Ægypti antiquitus, & in hunc diem apud Turcas manibus in peccatore decussatim positis peragitur Adoratio, teste Le Croix in Epistola 6. Annalium, & Du Mont in Itinerar. per Asiam pag. 468. probante hoc eleganter Gemma ex Gorlæo effict. sub Litt. Ee. ubi Pater omnium Termini imagine ab Simone mago & Basilide commendatus repræsentatur.

Nonnulli tantum unam manum ad Deos tendebant, alii duplices manus, & hoc frequentius: adi Virgilium lib. 10. Æneid.

Et duplices cum voce manus ad sidera tendit.

rursus lib. 1.

Ingemit & duplices tendens ad sidera palmas
Talia voce refert.

ac Curtius de Dario scribit lib. 4. cap. 10. *tandem ut fides facta est, vera esse, quæ adfirmaret spado, capite velato diu flevit, manantibusque adhuc lacrymis, veste ab ore rejecta ad cælum manus tendens, dii patrii, inquit, primum mihi stabilite regnum:* puras nempe dextras simul ac sinistras: quod Athenienses teste Demosthene in Midiana pag. 392. Diis utriusque sexus cœlestibus præstare jussi Dodoneo Oraculo, Θεοῖς Ὀλυμπίοις πάντεσι καὶ πάσαις ὁσίας δεξιὰς καὶ ἀριστερὰς ἀνίσχοντες, *Diis ac Deabus omnibus cælestibus puras dextras ac sinistras manus attollentes:* de protensione unius manus Virgil. Æneid. lib. 12.

—— —— Sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram.

Tantam autem vim in adoratione apud Gentiles Manus habuerunt, ut per illas adorationem ipsam significarunt. Seneca in Hercul. furent. act. 4. scen. 1. vers. 914. canit:

Tonantem nostra adorabit manus.

& Horat. lib. 3. od. 23.

Cælo supinas si tuleris manus.

quin imo Plinius lib. 11. cap. 45. scribit: *inest & aliis partibus quædam religio, sicut dextra (scil. manus) osculis aversa appetitur, in fidem porrigitur:* in omnibus enim cautio erat, ut quidquid dabatur, de manu dextra daretur. Servius ad illa verba Virgilii Æneid. lib. 8.

Una omnes juvenum primi pauperque senatus
Tura dabant.

optime commentatur: *Verbosorum usus est: nam dici solebat in sacris: da quod debes de manu dextra aris:* ita & de Didone canit Poeta lib. 4. Æneid.

Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Dextrum autem dicebatur, uti capite 15. diximus, quicquid prosperum propitiumque erat. Ovid. Fast. lib. 1. vers. 6.

Huic tibi devoto numine dexter ades.

Supplem. Tom. II.

& inferius:

Dexter ades ducibus: quorum secura labore
Otia terra ferax, otia pontus habet.
Dexter ades patribusque tuis populoque Quirini.

Stat. sylv. lib. 5. sylv. 1. vers. 13. ita Dexter Apollo & ibid. vers. 71.

Dextros tua vota marito
Promeruere deos.

ita & boni ominis ergo inaugurandis Regibus Dextram imponi ab Auguribus Livius arguit lib. 1. cap. 18. atque Rhodiginus Lect. Antiq. lib. 29. cap. 26. de Ægyptiorum litteris hieroglyphicis locutus ait: *ex reliquis corporis partibus dextera manus digitis passis libertatem designat; sinistra vero compressis, tenacitatem atque avaritiam.*

Dextra ergo manus, ut supra docuit Plinii locus, fidei signum erat, & a Persis quidem sanctissimum pignus fidei censeri Diodorus auctor est: ita & in Med. vers. 248. Seneca:

Fidemque supplex præsidis dextræ peti.

Virgilius 1. Æneid. vers. 408. *Jungere dextram*, & inter Pythagoræ symbola refertur, *Dextram ne cuivis porrigas:* imo & signum fœderum ac Concordiæ habebatur, ut Virgil. Æneid. 7. vers. 26.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

& putabatur fides in dextris sacrata esse: de quo Livius lib. 1. cap. 21. testes sunt hujus consuetudinis nummi, quorum unus hic, qui inter numismata aurea Ducis Croyi reperitur tab. 28. apponitur sub litt. F f, referens typum Concordiæ Augustorum cum epigraphe Concordiæ Augustorum TR. P. XV. COS. III.

CAP. XXII.

Ara apprehensa *in publicis sacris*, mensa *in privatis:* pecudi *mactando manus imponebant offerentes apud Judæos:* juramenta super altaria *præstabant Gentiles, præstant inter Christianos Pontificii.* Postem *in templi dedicatione ac suppliciis tenebant, alii* amplectebantur Aras, *nonnulli idolorum* Genua, *alii Idolorum* simulacra. *Græci* palmites, *eosque* lana *circumdatos, manibus gestabant: iis Statuæ Genua, ejusve dextram Manum, vel Mentum, vel Genas attingebant.*

Cum vero preces publicæ, vota ac juramenta ad altaria rite fiebant, ac orationem litare non posse putabant veteres, nisi, qui deos precabatur, aram manibus apprehenderet, uti optime refert Macrobius Saturn. lib. 3. cap. 2. in principio, & hanc antiquitus Ansam fuisse dictam refert Varro apud eundem: canit de ipso ritu Maro lib. 4. Æneid.

Talibus orantem dictis, arasque tenentem
Audiit omnipotens.

& lib. 6. Æneid.

Talibus orabat dictis, arasque tenebat.

at pellex lege Numæ vetabatur aram tangere, & si tetigisset, solutis crinibus agnum cædere jubebatur. Similiter in mensa, in qua bene precari moris

S f f

fuisse docet Livius, precantes mensam tangebant. Ovid. lib. 1. Amor. eleg. 4.

Tange precor mensam, tangunt quo more precantes.

& huc eleganter facit appicta Gemma apud Gorlæum sub Litt. Gg. referens sacrificium Isidis: ita apud Judæos morem receptum fuisse videmus, ut



pecudis ad ostium tentorii sacri stati capiti offerentis manus imponeretur: vide Lev. 1. comm. 4. 3 comm. 2. 8. 13. & 4. comm. 4. 24. 29. & diserte Maimonides scribit in Maase Korban. cap. 3. quod *quisque manus suas inter bina victimæ cornua ponens confitebatur peccatum juxta victimam pro peccato, noxamque juxta victimam pro noxa cæsam*: illamque confessionem hujusce formulæ fuisse idem eodem loco tradit: *Obsecro Domine, peccavi, deliqui, rebellavi, hoc & illud feci, nunc autem pœnitentiam ago, sitque hostia hæc expiatio mea.*

Cumque in jurejurando Deos testes invocarent altaria tangebant, sic Juvenalis satyr. 14. vers. 218. canit:

Falsus erit testis, vendet perjuria summa
Exigua, Cereris tangens aramque, pedemque.

optimus sane locus est apud Justinum lib. 24. cap. 2. ubi scribit: *quo perducto in sanctissimum Jovis templum, veterrimæ Macedonum religionis; Ptolemæus, sumptis in manus altaribus, contingens ipsa simulacra, & pulvinaria deorum, inauditis, ultimisque execrationibus adjurat.*

Sic Virgilius lib. 12. Æneid. Latinum Regem introducit loquentem:

Tango aram, mediosque ignes, ac numina testor.

unde Propertius aram pro sacramento ponit:

Ergo qui pactas in fœdere ruperit aras.

in cujus rei fidem videte translatam huc ex Gorlæo Gemmam sub litt. Ii. in qua Imperator armatus ac paludatus victoriæ aræ manum imponens, tacto ejus simulacro, adjurat: & inter Christianos semper in Ecclesia Romana super altare Jusjurandum præstitum satis Canones probant: vide C. habemus 22. Quæst. Jurament. sup. altar. & Calculum æreum sub Litt. Kk. *ex Cimelio nostro*, referentem fœdus inter Gallos & Helvetios impositione manuum super altare & juramento sancitum.

Neque hic mos antiquis Græcorum latuit, scribente M. Tullio pro L. Cornelio Balbo: *ut mos Græcorum est, Jurandi causa ad aras accedebant*: habet & Æmilius Probus in Hannib. *ad aram adduxit, apud quam sacrificare instituerat, eamque, cæteris remotis, tenentem jurare jussit*: sic Seneca in Hercul. furent. act. 3. scen. 3. vers. 875.

Thebis læta dies adest:
Aras tangite supplices.

quod Livius 3. decad. lib. 1. post. princ. & Valerius Maximus lib. 9. cap. 3. affirmant.

In templi vero, ædisque consecratione postem tenens, accenso foculo, & consecrationis verbis rite conceptis, ne syllaba, vel verbo cadant, numen implorabat, qui templum, ædemve dedicaturus erat. Livius 1. decad. lib. 2. *postem*, scribit, *jam tenenti consuli, fœdum inter precationem Deum nuncium incutiunt: mortuum ejus filium esse, funestaque familia dedicare eum templum non posse: non crediderit factum, aut tantum animo roboris fuerit, nec traditur certum, nec interpretatio est facilis. Nihil aliud ad eum nuncium a proposito aversus, quam ut cadaver efferri juberet, tenens postem, precationem peragit, & dedicat templum.* Cicero in Orat. pro domo sua ad pontif *Postem teneri*, inquit, *in dedicatione oportere videor audisse templi*: & paulo post: *verbone Pontifices putatis, si is postem tenuerit, & aliquid dixerit, domum unius cujusque consecrare posset?* Postem vero templorum absque dedicatione illa templorum, ædiumve sacrarum, adorantes numina, amplexos esse nonnullos optime Poetarum Latinorum princeps probat lib. 2. Æneid.

Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent postes, atque oscula figunt.

Nonnulli passim aris cum advolverint, teste Papinio Statio lib. 5. Sylv. 1.

—— Dum cunctis supplex advolveris aris,
Et mitem genium Domini præsentis adoras.

aras amplectebantur, Apulej lib. 6. metam. *tunc genu nixa, & manibus aram repente amplexa, detersis ante lacrymis, sic deprecatur*: & Senec. Herc. fur. Act. 2. vers. 503.

Complectere aras, nullus eripiet Deus
Te mihi.

alii Genua complectebantur. Claudianus de Rapt. Proserp. lib. 1.

Sed Parcæ vetuere minas, orbique timentes
Ante pedes, soliumque ducis fudere severam
Caniciem, Genibusque suas cum supplice vultu
Admovere Manus.

& Anacreon ad Cupidinem:

Επιςρέφεται, δὲ ὑψηλῶν ὀρέων κορμφὰς γουνοῦμαί σε
Συδ' ὁὐμενὴς ἔλθι ἡμῖν κἐχαρισμένης, δ' ὁὐχωλῆς ἐπακούειν.

En Genua supplex amplector tua,
Tu propitius teneras exaudi preces.

quare Thyestes inquit apud Senecam in Thyeste act. 3. scen. 2. vers. 522.

—— Frater, a genubus manus
Aufer, meosque potius amplexus pete.

Græci & genua, & mentum in supplicando tangebant, ut Plinius docet lib. 2. cap. 45. *Antiquis Græciæ*, inquit, *in supplicando mentum attingere mos erat*: & quidem dextra manu, cum sinistra genua attingebant: sic Homerus lib. 1. Iliad.

Καὶ ῥαπαροῖθ' αὐτοῖο κατίζετο, καὶ λάβε γούνων
Σκαιῆ, δεξιτέρη δ' ἄρ' ὑπ' ἀνθερεῶνος ἑλῦσα.

Et ante ipsum sedit, & apprehendit genibus
Sinistra, dextra autem mento apprehendens.

Alii totum simulacrum ipsius Dei tenebant; sicut de mulierculis in Plauti Rudente act. 3. scen. 2. dicitur:

Veneris signum sunt amplexæ, nunc homo audacissimus
Eas deripere vult.

quod L. Syllam Valer. Maximus lib. 1. cap. 2. scribit fecisse, quoties prælium committeret: verba ejus sunt: *L. Sulla, quoties prælium committere destinabat, parvum Apollinis Signum, Delphis sublatum, in conspectu militum complexus, orabat uti promissa maturaret*: cujus rei exempla



præbent appicta ex Gorlæo Gemma sub Litt. Hh. & Marmor antiquissimum ex J. J. Boissardi Antiquitat. Roman. part. 1. desumptum, at diminutum, ubi sacrificium solenne Priapi coronati & oleo delibuti conspicitur, & ad sinistrum ejus latus Ithyphallus Sacerdos illius statuam manibus comprehendit, & osculari videtur.

Supplices autem apud Græcos palmites manibus plerique gestabant, ut benevolentiam numinis, cui supplicabant, sibi conciliarent, prout Triclinius Comment. in Soph. Oedip. Tyr. vers. 3. tradit; atque illos lana circumdare solebant, & hujusmodi lana, quod circumvolvi solebat, a Latinis Vitta dicebatur vel Infula. Virgil. Æneid. lib. 7. vers. 236.

—— Ne temne, quod ultro
Præferimus manibus vittas ac verba precantum.

a Græcis autem *ςέμμα* dicebatur, uti expresse vetus Sophoclis Scholiastes affirmat in vers. 3. Oedip. Tyr. *ςέμμα δέ ἐςι τὶ προσειλημένον ἔελον τῶ θαλλῶ*: & Homer. Iliad. A. vers. 14.

Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἐκηβόλυ Ἀπόλλωνος.

atque his ramis Statuæ genua, cui vota faciebant, attingere solebant, &, si spes de felici exitu affulgeret, ad manum dextram, vel ad mentum vel genas usque admovebant palmites, quorum exempla passim apud Homerum & veteres Scriptores alios adeo obvia sunt, ut supervacuum duco illa afferre: verum observatione dignum est, quod olim in more positum erat, ut iidem supplices sinistra manu ramos istos *ἱκετηρίυς* gestarent, dum manu dextra Deorum signa apprehenderent, uti ex Æschyl. Suppl. vers. 199. liquet: ubi Danaides ad Jovis aram accedentes cum *ἱκετηρίαις* jubentur a Patre,

Σεμνῶς ἔχυσαι διὰ χερῶν εὐωνύμων.

Cum reverentia easdem gestare manibus sinistris.

quo loco vetus Enarrator, *ὅτ' ἐςιν, ἀντέχεσθε τῆ θεξιᾶ τῶν ἀγαλμάτων. τῆ ἀριςερᾶ τὺς κλάδυς κατέχυσαι*, quod est, *adprehendite dextra statuas, sinistra ramos supplicum tenentes.*

CAP. XXIII.

Lacrymæ *precibus plerisque* additæ: *ipsis* Diis *lacrymæ* attributæ *per Gentiles*: aræ, limina, postes, simulacra *lacrymis rigabantur*: *pœnitentiæ ergo coram Deo Judæi ac Christiani secuti sunt hunc morem.*

DEsperantes solis precibus Deos posse flecti, ad plurimum lacrymis moveri credebant Veteres. Ovid. eleganter lib. 3. de Pont.

Gratia si nulla est, lacrymæ tibi gratia fiant:
Hac potes, aut nulla parte movere deos.

& de Venere testatur Tibullus lib. 1. eleg. 4.

Blanditiis vult esse locum Venus ipsa querelis.
Supplicibus miseris flentibus illa favet.

hinc ad aram Misericordiæ, ubi nullum dei simulacrum erat, nec thure adolebant, nec victimam afferebant, solis lacrymis litantes, docente id præter alios Statio Theb. lib. 12.

—— —— Noctesque diesque
Ire datum, & solis numen placare querelis.
Parca superstitio: non thurea flamma nec altus
Accipitur sanguis, lacrymis altaria sudant.

ita & Curtius de Dario scribit: *Darius capite velato diu flevit.*

Ipsisque diis suis Gentiles lacrymas sæpiuscule adscripserunt: uti has Veneri tribuit Statius Theb. lib. 3. vers. 271.

> —— *Nec genus Harmonies, nec te connubia cælo*
> *Festa, nec hæ quicquam lacrymæ, furibunde, morantur?*

Aras vero, limina, postes, simulacra, illorumque genua, pedes, vestigia manusque lacrymis rigare solebant: sic dictus Stat. Silvar. lib. 5.

> —— *Nunc anxius omnibus aris*
> *Illacrymat, signatque fores, & pectore terget*
> *Limina.*

rursus Lucanus lib. 3. vers. 30.

> *Hæ lacrymis sparsere deos, hæ pectora duro*
> *Affixere solo, lacerasque in limine sacro*
> *Attonitæ fudere comas, votisque vocari*
> *Assuetis crebris feriunt ululatibus aures.*

scribit Apulejus lib. 6. Mil. *Tunc Psyche uberi fletu rigans deæ vestigia.* Prudentius Peristeph. hymn. 10.

> *Jam si sub aris ad sigillorum pedes*
> *Jaceatis.*

& paulo post:

> *Sed credo magni limen amplectar Jovis.*

annuis etiam festis quorundam deorum fata illacrymabantur. Jul. Firmicus de error. profan. religion. pag. 14. scribit: *si dii sunt, quos colitis, cur eos lugetis? cur eos annuis luctibus plangitis? si lachrymis, & luctu digni eos dignos putatis, Deos appellare nolite, ne luctibus, ac lachrymis vestris, majestas divini nominis polluatur:* & post: *in plurimis orientis civitatibus, licet hoc malum etiam ad nos transitum fecerit, Adonis quasi maritus plangitur Veneris, & percussor ejus circumstantibus, vulnusque monstratur:* quod Ovidiana verba lib. 10. Metam. affirmant, ubi Venus inquit:

> ———— *Luctus monumenta manebunt*
> *Semper, Adoni, mei, repetitaque mortis imago*
> *Annua plangoris peraget simulamina nostri.*

Ita coram vero Deo Hebræi factitarunt; & Samuel lib. 1. cap. 1. comm. 10. de Matre sua Hanna scribit: *quumque esset amaro animo, supplicavit Jehovam, & vehementer flevit:* & lib. 2. Machab. cap. 13. comm. 12. *quum itaque omnes simul idem facerent, & orarent Misericordem Dominum cum fletu, ac jejuniis dies tres indesinenter prostrati, hortatus eos Jehuda jussit venire ad se:* ita Veteres, ita hodierni Christiani sæpius inter preces lacrymant ob peccata sua. Hieronym. Vida in hymno ad Jesum Christum:

> *Tunc etiam, sed jam erumpit mihi pectore fletus,*
> *Et lacrymas oculi fluminis instar agunt.*
> *Flere juvet saltem, lacrymisque explere dolorem.*
> *Quando aliud nil est, quod tibi persoluam.*

& Prudentius Cathemer. Hymn. Matutin. ad Christum:

> —— *Te cantu pio,*
> *Rogare curvato genu*
> *Flendo, & canendo discimus.*

& ibid. in hymn. ad Galli cantum:

> *Jesum ciamus vocibus*
> *Flentes, precantes, sobrii.*

atque lacrymæ copiosius profluentes non raro Fontibus & Rivis, Fluminibus ac Imbribus & Nivibus, Solis tepore solutis, comparantur, cujus comparationis paucissima exempla depromam. FONTI quidem lacrymas comparat Naso in Epist. Hermiones vers. 64.

> *Has solas habeo semper, semperque profundo,*
> *Hument incultæ fonte perenne genæ.*

ac afflatu divino impulsus Jeremias cap 9. comm. 1. *quis dabit capiti meo aquam, & oculis meis fontem lacrymarum? & plorabo die ac nocte interfectos filiæ populi mei:* adde Homeri Iliad. I. vers. 13.

> —— ἂν δ' Ἀγαμέμνων
> Ἵστατο δάκρυ χέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος,
> Ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

> —— *Agamemnon autem*
> *Surrexit lacrymas fundens, ceu fons aquæ nigræ,*
> *Qui ab excelsa petra obscuram fundit aquam.*

RIVO; Psalmista psalm. 119. comm. 136. Eobano Helio interprete.

> *Sicut aquæ largos fundunt mea lumina rivos*
> *Dum video legis culta perire tua.*

nec non Ovidius Met. lib. 9. vers. 654.

> *Muta jacet, viridesque suis terit unguibus herbas*
> *Byblis; & humectat lacrymarum gramina rivo.*

FLUMINI; idem Poeta in Epistola Hermiones vers. 62.

> *Flere licet certe: flendo diffundimus iram:*
> *Perque sinum lacrymæ fluminis instar eunt.*

atque Claudianus libr. 3. de rapt. Proserp. vers. 128.

> *Larga vel invito prorumpunt flumina vultu.*

Multi cum IMBRE contulere. Seneca canit in Thyeste vers. 950.

> *Imber vultu nolente cadit:*
> *Venit in medias voces gemitus:*
> *Mœror lacrymas amat assuetas.*
> *Flendi miseris dira cupido est.*

refert & Petronius: *intravit ipsa, una comitata virgine, sedensque super torum meum diu flevit: ac ne tunc quidem nos ullum adjecimus verbum, sed attoniti exspectavimus lacrymas ad ostentationem doloris paratas. Ut ergo tam ambitiosus deto-*

nuit Imber, retexit superbum pallio caput: non Pauciores cum Nivibus Solutis. Albinovanus Consol. ad Liviam Aug. vers. 102.

Liquitur: ut quondam Zephyris & Solibus ictæ
Solvuntur teneræ, vere tepente, nives.

Seneca Hippol. vers. 381.

Lacrymæ cadunt per ora, & assiduo genæ
Rore irrigantur: qualiter Tauri jugis
Tepido madescunt imbre percussæ nives.

& Petronius:

Hæc ait, & tremulo deduxit vertice canos,
Consecuitque genas, oculis nec defuit imber.
Sed qualis rapitur per valles improbus amnis,
Quum gelidæ periere nives, & languidus Auster
Non patitur glaciem resoluta vivere terra;
Gurg'te sic pleno facies manavit, & alto
Insonuit gemitu turbatum murmure pectus.

Obiter monendum puto, quod idolorum statuis lacrymas adscripserint Gentiles: testis est Tibullus lib. 2. eleg. 5. vers. 75.

Ipsum etiam Solem defectum lumine vidit
Jungere pallentes nubilus annus equos;
Et simulacra Deum lacrymas fudisse tepentes.

memoria digna sunt Livii verba lib. 43. cap. 13. *Minturnis quoque per eos dies cœli ardentis species affulserat. Reate imbri lapidavit. Cumis in arce Apollo triduum ac tres noct s lacrymavit:* sic & Virgilius Georg. lib. 1. vers. 479.

Et mæstum inlacrimat templis Ebur, æraque sudant.

nec non Silius Italicus lib. 8. vers. 646.

—— —— atro sanguine flumen
Manavit Jovis in templis, lacrymæque vetusta
Effigie patris large fluxere Quirini.

Cap. XXIV.

Circumactio corporis *apud Veteres Gentiles observata. Dempsterus laudatus.* Romani *se ad dextram partem vertebant: idem mos ad honorandos principes introductus. Galli veteres ad sinistram partem corpus circumagebant: idem ritus hodie ab Indis nonnullis tenetur: omnis circuitio apud Judæos ad dextram fieri debuit: inter Christianos Pontificii idem in Mysticis sacris observant.*

Inter preces publicas corpus circumagebant adeo, ut ritum antiquissimum sacrificantium fuisse ex eo conjicere queat, quod piacularis, & expiatorii sacrificii genus a circumlatione dictum contendat Servius ad lib. 6. Æneid. vers. 229. Titus Livius 1. Decad. lib. 5. scribit: *convertentem se inter hanc venerationem traditur memoriæ prolapsum cecidisse:* de convertendi in adoratione modo ita Propertius lib. 3. eleg. 7.

Quæ mulier gravida est, jactat convitia linguæ,
Et Veneris Magnæ vortitur ante pedes.

ita enim lego, *pro volvitur*, cum Clariss. Dempstero ex MS. Codice: canit & lib. 5. fast. lib. 5. Ovidius:

Cumque manus pure fontana perluit unda,
Vertitur, & nigras accipit ore fabas.

nam & inter symbola Pythagorica illud erat προσκυνεῖν περιφερόμενος, id est, *adorandum circumactu corporis:* nimirum ad imitationem cœli, perpetua vertigine, circumacti. Erasmus Chil. 1. cent. 1. in proverbio: *Adorato circumactus.*

Hoc autem Romani in dextram partem fecerunt. Plutarchus in Camillo non longe a principio, *cum hæc,* inquit, *dixisset, ut mos est Romanis, preces agentibus, se ad dextram volvere, circumnectens cecidit:* & festive ad admodum Plautus in Curcul. act. 1. scen. 1. cum Palinuro servo diceret, *quo me vortam, nescio,* Phædromus respondet, *si Deos salutas, dextroversum censeo:* hoc idem planius, & uberius Plutarchus narrat his verbis: *manus in cœlum ad deos superos sustulit Camillus, & precans, Jupiter magne, inquit, & vos dii bonorum, & malorum facinorum inspectores, vos ipsi scilicet juxta atque Romani scitis, nos non contra jus, sed necessitate coactos, & injuriam acceptam referentes, hominum malevolorum & jura, legesque negligentium urbem ulcisci, quod si qua etiam nobis reciproca, & vicissim rediens præsentis felicitatis ultrix justitia debetur, precor, & pro civitate, & pro exercitu Romanorum, ut hæc in caput meum cum minimo incommodo recidat: hæc locutus, quemadmodum mos est Romanorum, posteaquam precati, & venerati sunt, se dextram partem versus vertere, interea dum se circumagit, prolapsus est,* quam ad rem facit ut plurimum appicta ex Gorlæo Gemma sub Littera Ll, & hanc superstitionem postea, ad Principes honorandos, transmigrasse ex Suetonii Vitellio videre possumus.

Sed quid Galli antiquitus? hi diverso modo corpus circumegerunt, scilicet ad sinistram partem, uti clarissimis verbis narrat Plinius lib. 28. cap. 2. *in adorando dextram ad osculum referimus, totumque corpus circumagimus, quod in lævum fecisse, Galli religiosius credunt.*

Simile quid inter Orientales Indos Bramines observare solent: audite Carolinum, & Abrah Rogerium in aperta Janua operti Gentilismi cap. 17. *postea simulacrum ter circumeunt a manu dextra, nonnulli pluries; at quoties simulacrum circumierunt, toties expansis, sed complicatis manibus coram simulacro corpora sua prosternere legibus tenentur.*

De Judæis testatur R. Mosche Fil. Maimon. hypothesin illis esse omnem circuitionem ad dextram fieri debere in sacris: scribit & R. Ob. de Bartenora illi præceptum esse: *quocumque te verteris, semper ad dextram te vertas:* huc respicitur §. 3. cap. 5. de sacrificiis in Misna Judæorum: *ascendit* (Sacerdos) *super clivum, & respicit ad circumeundum, & venit ad cornu meridionale orientale, ad occidentale meridionale:* & Misnæ §. 3. cap. 6. de sacrif. qui sonat: *quicunque accedunt ad altare ascendant versus dextram, & circumeant, descendantque a sinistra:* ritus vero vertendi inde ortus videtur, quod Persæ juxta Plutarchum crederent Cœli circulum deum, quia in se omnia complectitur, & Hermes Deum dixit circulum, cujus punctum ubique, circumferentia nusquam. Clivus enim erat ad miridiem, & quando per illum ascendebat Sacerdos, atque ad altare se vertebat, dextra illius ad orientem, atque circumeundo, cum rediisset prius per dextram ad orientem, per ambitum ad cornu istud pertingebat versus dextram, & facie ipsius ad altare a meridie ad orientem conver-

ſa, & ab oriente ad ſeptentrionem, a ſeptentrione ad occidentem: qua de re amplius & doctiſſime commentantur ſupracitati Rabbini ad dictum locum Miſnæ edit. Surenhuſianæ.

Idem inter hodiernos Chriſtianos Pontificii in ſacris myſticis facere conſueti ſunt, ſed aliam (*a*) ob cauſam; nam & in dextram, & in ſiniſtram diverſa ratione, dum rem ſacram miſſam faciunt, circumaguntur, uti ritualibus illorum libris continetur.

CAP. XXV.

Oſcula *in venerationibus Deorum ſolenniſſima: vel ad Os, vel ad Manus, vel ad Pedes dabantur:* ſtatuarum dextræ *oſculis appetitæ a prætereuntibus urbiumque portas exeuntibus civibus: honor idem ſæpius Principibus datus*. Limina templorum *exoſculati ſunt Veteres Romani ac Græci: quare* Limen Nova Nupta tranſilibat, *& nondum debebat tangere*. Poſtibus *interdum ac* Portis *& ipſæ* Terræ oſcula figebantur: *poſterior mos apud nonnullos Indos adhuc obſervatur: ſimilis ritus apud Mahomethanos viget, & Chriſtianos: modi varii oſculandi recenſentur. Salmaſius laudatus: oſculum labratum quid.*

NEque minimum venerationis genus exiſtimabant Gentiles oſculum, quod ore dabatur vel ad os, vel ad manus, vel ad pedes Idolorum, quinimo vel ad Limina, Poſteſque Templorum vel ad Terram.

De *Ore* refert Cicero lib. 5. in Verrem: *ibi eſt ex ære ſimulacrum ipſius Herculis, quo non facile dixerim me quidquam pulchrius vidiſſe, uſque eo, Judices, ut rictum ejus ac mentum paulo ſit attritius, quod in precibus ac gratulationibus non ſolum id venerari, ſed etiam oſculari ſolent:* hoc tamen raro fiebat, cum Idolorum ſanctitatem prophanari eo credebant, quare potius illorum *manibus* oſcula figebant: ſic Lucretius lib. 1. verſ. 317.

—— tum portas propter ahena
Signa, manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.
Hæc igitur minui, cum ſint detrita, videmus.

Verum hæc religioſa obſervatione dabantur *Dextris* tantum. Tacitus Annal. 15. cap. 71. *ſed compleri interim urbs funeribus, Capitolium victimis: alius filio, fratre alius aut propinquo, aut amico, interfectis, agere grates Diis, ornare lauru domum, genua ipſius advolvi, & dextram oſculis fatigare*. Ænea enim ſigna ac ſtatuæ ad portas collocatæ videntur juxta illud Varronis lib. 4. de L. L. *nam neque quas Ambracia ante portas ſtatuit, duas viriles ſpecies æneas Dii magni:* atque horum manus dextras oſculatos eſſe exeuntes Cives boni ominis ac eventus cauſa docet citatus locus Lucretii, & adhuc Divonæ Cadurcorum antiquiſſimum monumentum exſtat, exhibens mulierem coram Idolo dextram deoſculantem.

Nonnullos vero *pedes* oſculis honoraſſe teſtantur Apulejus Mileſ. 11. *exoſculatis veſtigiis Deæ, quæ gradibus hærebat argento formata, ad ſuos diſcedunt Lares*. Arnobius lib. 6. adv. Gent. pag. 202. *ita enim non videtis ſpirantia hæc ſigna, quorum plantas, & genua contingitis, & contrectatis orantes:* & egregie Prudentius contra Judæos,

Auguſtum caput ante pedes curvare Minervæ
Fictilis, & ſoleas Junonis lambere.

(a) ... veræ Eccleſiæ filii.

Quod nonnunquam Tyranni patiebantur ſibi hominibus fieri, quemadmodum de Maximino Juniore Julius Capitolinus refert, licet Maximinus Senior, ejus pater, ſolitus eſſet dicere; *Dii prohibeant, ut quiſquam ingenuorum pedibus meis oſculum figat:* & de C. Cæſare teſtatur Seneca lib. 2. de Benef. cap. 12. quod Pompejo abſoluto & gratias agenti oſculandum ſiniſtrum pedem porrexit: adde locum elegantem Appendicis libri Eſtheræ, qui eſt cap. 13. comm. 12. & Mardochæum inducit orantem: *tu omnia noſti, tu ſcis, Domine, quod non per contumeliam, neque per ſuperbiam, neque per gloriæ cupiditatem hoc fecerim, non adorando ſuperbum Amanum: nam lubenti animo ſoleas pedum ejus oſculari vellem ad ſalutem Iſraelis: ſed feci hoc, ne gloriam hominis collocarem ſupra gloriam Dei:* neque pedibus tantum ſed & *genubus* ac *manibus* oſcula data probat Sueton. in Tiberio cap. 72. *Chariclem Medicum, quod manum ſibi oſculandi cauſa apprehendiſſet:* & Claudianus canit lib. 2. in Rufinum:

Illa manus, quæ ſceptra ſibi geſtanda parabat,
Cujus ſe toties ſubmiſit ad oſcula ſupplex
Nobilitas.

de Genuum oſculis Ammianus Marcellinus lib. 28. *ex his quidem cum ſalutari plectoribus oppoſitis cæperunt, oſculanda capita, in modum taurorum minacium, obliquantes, adulatoribus offerunt genua ſuavianda & manus.*

Quin etiam religionis eſſe credebant Veteres *Limina* ipſa Templorum ſacrarumque ædium oſculari. Tibullus lib. 1. eleg. 5. verſ. 41.

Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis,
Et dare ſacratis oſcula liminibus.

Arnobius lib. 1. adv. Gent. *cum per omnia ſupplices irent templa, cum Deorum ante ora proſtrati, limina ipſa converrerent oſculis:* hinc Medea apud Apollonium lib. 4. *κὰδ δ᾽ ἔοντε λέχος, κὰδ δικλίδας ἀμφοτέρωθεν σταθμοὺς*: & Theocritus in Eraſte: *Κύσσε τὼ φλοιὼ: oſculatus eſt limen:* unde *Religioſa Deorum Limina* ſcripſit lib. 2. Æneid. Maro: & Servius ad Eclog. 8. Virgilii refert Varronem ſcripſiſſe, *ideo limen non tangere novas nuptas debere, ne a ſacrilegio inchoarent, ſi depoſituræ virginitatem, calcent rem Veſtæ, id eſt, numini caſtiſſimo conſecratam:* nullam certe dubitationem hujuſce ritus adorativi relinquit Juvenalis ſatyr. 6. verſ. 47.

—— Tarpejum limen adora
Pronus. —— ——

dum egregie Ovidius lib. 1. Metam. canit,

Ut templi tetigere gradus, procumbit uterque
Pronus humi, gelidoque parens dedit oſcula Saxo.

Figebantur interdum quoque oſcula *Poſtibus*. Virgilius Æneid. lib. 2.

Amplexæque tenent poſtes atque oſcula figunt

rurſus Æneid. lib. 3.

—— Scæaque amplector limina portæ.

& apud Valer. Maximum lib. 2. cap. 10. exempl. 2. Roman. Prædonum duces Scipionem Africanum, in Linternina villa ſe tenentem, ſpectaturi, po-

stes januæ tanquam aliquam religiosissimam aram sanctumque templum venerabantur. Urbis quoque *portas* quandoque discedentes honoris gratia osculatos, præter allatum Virgilii locum, testatur Rutilius lib. 1. Itinerarii.

Crebra relinquendis infigimus oscula portis.

Ingressi vero aliquam regionem, vel in Patriam reversi, Genios loci invocabant, adorabant, ac *terræ*, veluti carissimæ matri, oscula figebant religiosa. Ovidius Metam. lib. 3. vers. 24. & 25.

Cadmus agit grates, peregrinæque oscula terræ
Figit, & ignotos montesque agrosque salutat.

Homerus quoque Odyss. N. vers. 354. de Ulysse canit, quod

Χαίρων ᾗ γαίῃ, κύσε δὲ ζείδωρον ἄρουραν.

Gaudens sua terra: osculatus autem est almam tellurem.

& rursus Odyss. D. vers. 522.

—— χαίρων ἐπεβήσατο πατρίδος αἴης,
Καὶ κύνει ἁπτόμενος ἣν πατρίδα.

id est, *gaudens conscendit in patriam terram, & osculabatur attingens patriam suam*: testatur & Vinc. Le Blanc cap. 12. Itiner. in Regno Damute ad flumen Zaire incolas gentiles in Solis cultu terram osculo Devotionis honorare: de Muhamethanis vero narrant Reipublicæ Arabiæ Auctores cap. 7. pag. 33. quod *perveniunt ad sacellum, quod summa reverentia suo modo, atque cultu preces suas obmurmurantes septies circumeunt, angulos deosculantur*: rursus pag. 34. *videres hic*, scribunt, *nisi rideres potius, hominum turbam deosculantem atque amplectentem maximo cum ardore & affectu lapidem quendam, quem ipsi Hagiar Alasuad, scilicet, Lapidem nigrum vocitant.*

Apud Christianos autem veteres cum Martyrum etiam vivorum vulnera exosculati sint, testibus Hymno 5. Peristeph. Prudentii in laudem Vincentii.

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis:
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

ac Tertulliano lib. 2. ad Uxorem scribente: *quis in carcerem ad osculanda vincula martyris reptare patietur?* posteriori sæculo in superstitionem (*a*) hæc res abiit, atque res externas homines osculari cæperunt. Joan. Sap. in epigrammate quodam de Capillis Divæ Catharinæ canit:

Credulus hic toto circumfert orbe capillos,
Allicitur plebes in nova vota levis.
Conveniunt, orant, & crinibus oscula figunt.

Si vero ore deos, vel tangere non potuissent, vel illo, tanquam parte corporis pudenda, illos contingere vererentur, eminus stantes, manus prius osculari solebant, ac postea eam versus illos, quos adorare cupiebant, porrigebant, uti recte contra Lipsium observat Salmasius in notis ad Flavii Vopisci Probum: cujus ritus ita meminit Lucianus περὶ θυς. tom. 3. edition. basil. pag. 92. ὁ δὲ πένης ἱλάσατο τὸν θεὸν φιλήσας μόνον τὴν αὐτοῦ δεξιάν. *at si*

[a] Hanc sibi fingit superstitionem morosus & hæreticus Auctor.

quis pauper sit, is ita Deo litat, ut dextram duntaxat suam ipsius exosculetur: egregie Plinius lib. 28. cap. 2. *in adorando dextram ad osculum referimus*: sic Apulejus in Apolog. scribit: *si fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratia manum labris admovere.*

Vocabatur hoc *osculum labratum*, & fiebat priore digito in erectum pollicem residente: veluti testatur Apulejus Mil. lib. 4. inquiens: *& admoventes oribus suis dextras, priore digito in erectum pollicem residente: ut ipsam prorsus deam Venerem religiosis adorationibus venerabantur*: quem gestum nihil ab Hesperiorum ritu hodie abire scribit Lipsius, illosque ex pollice, & indice quasi crucem formantes, eam in adoratione, & templis deosculari, nisi quod isti pollicem Indici imponunt, Romani contra. Prudentius contra Symmachum lib. 1.

Mox humeris positus nutricis, trivit & ipse.
Impressis silicem labris puerilia vota
Fudit, opesque sibi cæca de rupe poposcit.

Uti vero, Plinio teste lib. 2. *religio quædam in dextra ponebatur*, hanc oribus admoverunt, sicut aperte dicto loco Apulejus scribit: per excellentiam tantum Manum dixerunt scriptores. Minucius Felix in Octavio pag. 2. *Cæcilius, simulacro Serapidis denotato, ut vulgus superstitiosus solet, manum admovens ori, osculum labiis impressit*: hic ritus ceterum etiam Populo Orientali in usu fuit juxta illud Jobi cap. 31. comm. 26. 27. 28. *si vidi Solem, cum splendesceret, aut Lunam, nobiliter incedentem, & seductum est in abscondito cor meum & admota est manus mea ori meo, etiam hæc est iniquitas a judice vindicanda, quia sic negassem Deum supremum*: sæpius enim in Hebræorum phrasi Deosculatio est adoratio. Hieronymus lib. 1. contra Ruffinum: *qui adorant*, inquit, *solent deosculari manum, & capita submittere*: & paulo post: *Hebræi juxta linguæ suæ proprietatem deosculationem pro veneratione ponunt*: hinc & Psalm. 2. *Adorate*, vel *Osculamini filium*: quibus adde verba Reg. 1. cap. 19. comm. 18. *Genua, quæ non sunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum.* Verum subsisto, cum jam pridem doctissimos Viros in hoc ritu ceremoniisque magno lucro laborasse comperio, quorum diligentiæ, ac famæ nihil detractum volo.

CAP. XXVI.

Instrumenta musica *in hymnis & Deorum placationibus apud Paganos ex Latinis Græcisque auctoribus adhibita probantur*: in sacris & sacrificiis *Veterum ad plurimum audiebantur*: *a Tenediis Abidisque contemta.* Tibicines sacris publicis præsto *erant, & Sacerdotum Ministri.* Musica *maxime* in festis *canebatur antiquitus*: *instrumenta hæc diversa erant.* Organa, Sambucæ, Citharæ, Calami, Tubæ, Tympana, Tibiæ, Cymbala: *illorum usus in veri Dei cultu apud Judæos celebris.* Tubarum festum *celebre.* Cantores *e Levitis electi*: *idem mos a Christianis medii ævi receptus, a nascenti Ecclesia spretus.* *Musica apud hodiernos Gentiles inter Diaboli invocationes observatur.*

NOn omittendum est, cum de hymnis quædam prælibaverim, nonnulla etiam addere de Instrumentis musicis, quæ ad sacrificia adhibebantur, teste Isidoro lib. 2. cap. 15. *ut enim*, inquit, *in veneratione Divina Hymni, ita in Nuptiis Hymenæi, in Funeribus Threni, & Lamen-*

ta ad Tibias canebantur: & Apulej. de Deo Socrat. *Religionum diversis observationibus & sacrorum variis suppliciis fides impertienda est. Etsi nonnulli sunt ex hoc Divorum numero, qui nocturnis vel diurnis, promtis vel occultis, lætioribus vel tristioribus hostiis vel ceremoniis vel ritibus gaudeant: uti Ægyptia numina ferme plangoribus, Græca plerumque choreis, Barbara autem strepitu Cymbalistarum & Tympanistarum & Choraularum*: & sunt introducta in Sacris Musica Instrumenta propter Gentilium falsam opinionem, quod hisce iratos Deos suos possent mitescere. Horatius Carmin. lib. 1. Od. 36. vers. 1.

Et thure & Fidibus juvat
Placare & vituli sanguine debito
Custodes Numidæ Deos.

rursus lib. 4. Carm. od. 1. vers. 21. ad Venerem:

Illic plurima naribus
Duces thura, Lyræque & Berecynthiæ
Delectabere Tibiæ
Mistis carminibus non sine Fistula.

& Arnobius lib. 7. Adv. Gent. *Vos æris tinnitibus & Tibiarum sonis, vos equorum curriculis & theatralibus ludis persuasum habetis Deos & delectari & affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione molliri*: quem locum optime Censorinus c. 12. de Die Natali illustrat. *Nam* (inquit) *nisi grata esset* (Musica scil.) *immortalibus Diis, qui constant ex anima divina, profecto Ludi Scenici placandorum Deorum causa instituti non essent: nec Tibicen omnibus supplicationibus in sacris ædibus adhiberetur: nec cum Tibicine triumphus ageretur, non Apollini Cithara, non Musis Tibiæ, ceteraque id genus essent attributa: non Tibicinibus, per quos numina placantur, esset permissum aut ludos publice facere, aut vesci in Capitolio*: nulla ferme olim apud Græcos juxta & Barbaros Deorum sacra sine organica haud minus ac vocali Musica celebrata fuisse præclare Strabo lib. 10. pag. 467. probat, & observat Platonem & Pythagoreos priores omne, quod Musicum, Dei opus censuisse, & legimus in libro de anima e Timæo apud Plutarchum, antiquos Theologos sive vetustissimos Philosophos Instrumenta Musica in Deorum manibus reposuisse, *non utique*, inquit idem, *quod eosdem Lyra vel Tybia ludere putarent; sed quod nullum Deo opus convenientius judicarent quam Harmoniam ac Symphoniam*, οὐχ ὡς λύραν ποῦ καὶ αὐλὸν, ἀλλ᾽ οὐδὲν ἔργον οἰόμενοι θεῶν, οἷα ἁρμονίαν εἶναι καὶ συμφωνίαν.

In sacris ergo Gentilium Instrumentorum Musicorum usus introductus est, unde *Sacrifica Tibia* apud Senecam in Agamemn. ac Ovidius Fast. lib. 6. canit.

Cantabat fanis, cantabat Tibia ludis.

adde quod idem ritus apud Ægyptios, idem apud Græcos, idemque apud Romanos observabatur, & locum habuisse Isidis in cultu Tibullus lib. 1. eleg. 3. docet:

Quid tua nunc, Isis, tibi Delia? quid mihi prosunt
Illa tua toties Æra repulsa manu?

deque Deæ Syriæ sacris Apulejus Milef. 8. testatur, *Inibi*, scribens, *vir principalis & alias religiosus, & eximie Deum reverens, tinnitu cymbalorum & sonitu tympanorum, cantusque Phrygii mulcentibus modulis excitus procurrit obviam: Deamque votivo suscipiens hospitio nos omnes intra conseptum domus amplissimæ constituit.* Junoni ipsi pulsata cymbala Lucianus in Dea Syria refert: Διὶ μὲν ὦν κατ᾽ ἀτυχίην θυουσι ἔτε ἀείδοντες, ἔτε αὐλέοντες· ὅτ᾽ αὖ δὲ τῇ Ἥρῃ κατάρχωνται, ἀείδουσί τε, καὶ κρόταλα ἐπικροτέουσι: id est, *sed quando Junoni primitias offerunt, voce tibiaque canunt, & crotala pulsant*: ita etiam in Minervæ hymnis Tibias adhibitas probat Cæl. Rhodiginus Lect. antiq. lib. 9. cap. 7. & licet apud Gentes nonnullas sine Musica sacra fierent, quemadmodum Diod. Siculus lib. 5. de Tenediis, & Strabo lib. 17. de Abidis referunt, frequentior tamen mos viguit non sine Tibicinibus sacrificare: hinc illi in inscriptionibus sacris Publicis Præsto esse dicuntur, uti apud Gruterum p. 269. habetur:

IMP. CÆS. IMP. CÆS.
L. SEPTIM. SEVERI.
PII. PERTINACIS.
AUG. ARAB. ADIABEN.
PARTHIC MAXIMI. FORTISSIMI.
FELICISS. P. P. FILIO.
M. AURELIO. ANTONINO PIO
FELICI. AUG.
TRIB. POT. III. PROCOS.
TIBICINES. ROMANI. QUI. SACRIS.
PUBLIC. PRÆST. SUNT.

hinc templorum Tibicines vocantur apud Jul. Firmicum lib. 4. cap. 7. & sacrorum Tibicines apud Gellium lib. 1. cap. 12. & Reinesium pag. 363. in Inscriptione 16. Class. 5.

C. OSCIO. C. F. VOL. SECUNDIO.
TIBICIN. SACRORUM.
PRAEF. MERK.
HON. USUS.

a Rosino Antiq. Rom. lib. 3. cap. 31. inter Sacerdotum Ministros recte numerantur, quorum collegium apud eundem Reinesium memoratur p. 184. inscript. 167.

NUMINI. DOMUS. AUGUSTORUM.
VICTORIÆ. SACRUM.
GENIO. COLLEGI. TIBICINUM.
ROMANORUM. Q. S. P. P. S.
A. TUCCIUS. Q. Q. II.
S. P. D. D.

Neque in Hymnis, Sacris, Sacrificiisque Deorum Musica Instrumenta tantum locum habebant, ast maxime in festis quoque publicis adhibita docemur ex genuinis Latinis atque Græcis Scriptoribus; sic elegantissimus Poeta Amor. lib. 3. eleg. 10.

Festa dies, Veneremque vocat, CANTUSQUE *merumque.*

Juvenalis Satyr. 6. vers. 313.

Nota Bonæ secreta Deæ cum TIBIA *lumbos*
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitæ, crinemque rotant ululantque Priapi
Mænades.

& rursus Ovidius Amor. lib. 3. eleg. 13.

Casta Sacerdotes Junoni festa parabant.
Per celebres ludos, indigenamque bovem.

& mox:

Accipit

Accipit ara preces, votivaque thura piorum,
Ara per antiquas facta sine arte manus.
Hic ubi personuit solemni TIBIA *cantu,*
It per velatas annua Pompa vias.

inter Græcos autores Strabo lib. 10. ex Pindari Dithyrambis probat Matrem Deum cymbalis cultam esse. verba sonant:

Σοὶ μὲν κατάρχει μᾶτερ πάρα
Μεγάλοι ῥόμβοι κυμβάλων ἐνδεκ᾽ αἰγλάδων
Κρόταλ᾽ αἰθομένα τε δαῒς ὑπὸ ξανθῆσι πεύκαις.

id est, vertente Guarino Veronensi,

Tibi sane mater inchoat
Adrasti magni Cymbalorum Strepitus
Et fax ardens flavas sub pinos.

nec non Clem. Alexandr. ad Gent. *Πολλὰ κἀγαθὰ γένοιτο τῷ τῶν Σκυθῶν βασιλεῖ, ὅστις ποτὲ ἦν Ἀνάχαρσις οὗτος τὸν πολίτην τὸν ἑαυτοῦ τὴν παρὰ Κυζικηνοῖς μητρὸς τῶν θεῶν τελετὴν ἀπομιμούμενον παρὰ Σκύθαις, τύμπανόν τε ἐπικτυποῦντα, καὶ κύμβαλον ἐπηχοῦντα οἷα τοῦ τραχήλου τινὰ μητραγύρτην ἐξηρτημένον, κατετόξευσεν*: id est, *Multa bona* REGI *Scytharum eveniant, quicunque fuerit Anarchasis: is civem suum, qui Matris Deorum Sacra, quæ fiunt apud Cyzicenos, in Scythia imitabatur, & tympanum perstrepens, & cymbalum resonans, ut Metragyrtes aliquis, collo appensum habebat, sagittis confodit.*

Varia autem *Instrumenta Musica* cantum Sacrificiorum & Festorum composuisse ex scriptoribus antiquis colligo. Prudentius Apotheos. Hymn. 2. canit,

Hæc ait & varios jubet obmutescere cantus
ORGANA, SAMBUCAS, CITHARAS, CALAMOSQUE, TUBASQUE.
Stulta superstitio tacuit, vox festa quievit,
Quæ male conspicuæ celebrabat imaginis aurum.

Ovidius Metam. lib.4. Bacchi festa describens,

—— Et adhuc Minyeia proles
Urget opus, spernitque Deum, festumque profanat:
TYMPANA *cum subito non apparentia raucis*
Obstrepuere sonis, & adunco TIBIA *cornu,*
TINNULAQUE ÆRA *sonant.*

& Diodorus Siculus lib. 5. in nuptiis Cadmi & Harmoniæ, *Electra*, ait, *Magnæ Deum matris sacra una cum* CYMBALIS & TYMPANIS & ORGIA *ducentium Choris donavit.*

Subsequitur Musicam Gentilium ejusdem usus in vero Dei cultu apud Judæos & Christianos veteres, ad inflammandos scilicet pietate atque devotione animos. Ita Paralip. 1. cap. 13. comm. 8. habetur: *David autem & omnes Israelitæ præ lætitia gestiebant coram Deo totis viribus, tam Canticis, quam* CITHARIS *&* NABLIIS, *&* TYMPANIS *&* CYMBALIS *atque* TUBIS. & 2. Paralipom. cap. 5. *Levitæ Cantores* CYMBALIS *&* PSALTERIIS *&* CITHARIS *concrepabant, & cum eis Sacerdotes centum viginti canentes* TUBIS, *igitur cunctis pariter &* TUBIS, *& voce &* CYMBALIS, *&* ORGANIS, *& diversi generis Musicorum concinentibus, & voce in sublime tollentibus, longe sonitus audiebatur, cum Dominum laudare cœpissent, & dicere: Confitemini Domino, quoniam Bonus, quia in sæcu-*

lum Misericordia ejus: atque rursus cap. 29. *Cumque offerrentur holocausta, cœperunt laudes canere Domino, ac clangere* TUBIS *atque in diversis* ORGANIS, *quæ David rex Israel præparaverat, concrepare.* Quinimo *Tubarum festum* apud illos observatum videmus Die Prima mensis septimi, quem Judæi Tisri, nos Septembrem nominamus secundum ipsius Dei præceptum Levit. 23. *mense septimo prima Die mensis erit vobis Sabbathum memoriale clangentibus* TUBIS, *& vocabitur Sanctum: nullum opus Servile facietis in eo, & offeretis holocaustum Domino:* & hujus diei mentio facta est Psal. 80. *Buccinate in Neomenia* TUBA *in insigni die solemnitatis vestræ, quia præceptum est in Israel.*

Musica ergo Instrumenta erant Tubæ, Cymbala, Psalteria, Citharæ, & quæ præcipue Organa dicebantur, uti ex citatis locis colligo; neque quisquis pro lubitu illa tractabat, sed certi constituti Levitæ, qui CANTORES vocabantur, uti habetur 1. Paralip. 23. & 24. *igitur David & præfectus exercitus segregaverunt in ministerium filios Asaph & Heman & Idithun, qui prophetarent in* CITHARIS *&* PSALTERIIS *&* CYMBALIS *secundum Numerum suo sibi dedicato officio servientes.* Sacerdotes vero ipsi tubis ante eos canebant, uti 2. Paralip. cap. 7. dicitur, SACERDOTES *stabant in officiis suis, &* LEVITÆ *organis carminum Domini, quæ fecit David rex, hymnos canentes per manus suas, porro* SACERDOTES *canebant* TUBIS *ante eos.* & Esdræ c. 3. *fundato a cæmentariis templo Domini, steterunt* SACERDOTES *in ornatu suo cum* TUBIS, *&* LEVITÆ *filii Asaph in* CYMBALIS, *ut laudarent Deum per manus David regis Israel.*

Huncce ritum sequebatur medii ævii Ecclesia Christiana, & hodierna tenet, atque Augustinus, si recte pieque, ut modestiam Christianam decet, exerceatur Musica, hisce verbis Psalm. 31. Concord. 1. indulget: *Et si ad Lyram, vel Citharam canere, & psallere noveris, nulla in te cadet reprehensio; Hebræorum justum Regem imitaberis, qui Deo est gratus & acceptus: Exultate justi in Domino; rectos decet collaudatio: Confitemini Domino in Cithara, & Psalterio decachordo ei Psallite:* nascens tamen Ecclesia, dum in Christianorum pectoribus adhuc vivebat accensus iste pietatis ardor, omnia luxuriæ & voluptatum instrumenta aspernavit, præsertim si ullam Idololatriæ speciem immistam putaret, quo etiam nomine tibiarum usus damnatus est, quod Gentilium in sacris tibiæ canebantur. Clem. Alexandr. libr. 11. Pædag. cap. 4. *σύριγξ μὲν οὖν ποιμέσιν ἀπονενεμήσθω· αὐλὸς δὲ ἀνθρώποις δεισιδαίμοσιν εἰς εἰδωλολατρείας σπεύδουσιν*: & ibid. *Ἑνὶ δὲ ἄρα ὀργάνῳ τῷ λόγῳ μόνῳ τῷ εἰρηνικῷ ἡμεῖς κεχρήμεθα, ᾧ γεραίρομεν τὸν Θεόν, οὐκ ἔτι τῷ ψαλτηρίῳ τῷ παλαιῷ καὶ τῇ σάλπιγγι καὶ τυμπάνῳ καὶ αὐλῷ*: quod est, *uno ergo Instrumento verbo solo pacifico nos utimur, quo Deum honoramus, non amplius veteri Psalterio, &* TUBA, *&* TYMPANO, *&* TIBIA.

Secuti hodierni Gentiles Patres suos plerumque Numina sua Musicis Instrumentis coluntːita Casp. Balby in Itiner. suo cap. 39. scribit de Peguanis: *quando quispiam ægrotat, Diabolo votum facit, ne plus mali sibi impungat, cum Deus omnis boni, Diabolum vero omnis mali fontem credunt: quando igitur tale votum Peguani fecerunt, sublime theatrum erigunt, albisque vestibus ornant & floribus, quibus varios cibos propter Diabolum imponunt ne in posterum sibi plus infortunii attribuat; utque ejus favorem magis concilient, varii generis Instrumentis Musicis canunt:* quod Vinc. Le Blanc. & Fernand. Pinto in Itinerariis suis affirmant, simile quid referente O. Dapper p.45. Legationis secundæ Batavicæ Societatis Indiæ ad Imperatorem Sinarum, de

Deo Sikjaa: *semper & Sacerdotes duo die nocteque ante altare prostrati precantur, seque continuo erigunt ac prosternunt iterum, dum alii Cymbalis, Tympanis, atque æreo tintinnabulorum genere quodam ludunt*: & post de Deo Angjaa: *Sacerdotes Domum accedentes, deponunt* (statuam) *& canentes ac orantes Cymbalum pulsant.*

CAP. XXVII.

Saltatio *in Gentilium festis* inter hymnos & Musica Instrumenta *celebrata* circa Aras *vel* Idolorum Statuas. *Farnabius laudatus*: modus Phrygius *ad religionem exercitatus*: in Orbem *pleræque Saltationes decenti modo, ac* manuum, pedum, capitisque motione. Pueri, Viri, Senes *plerumque* in Deorum, Virgines *ac* Matronæ in Dearum festis *chorum agebant: interdum Puellæ Puerique simul Saltabant in cujusvis Numinis honorem. Saltatio religiosa apud Indos ac Judæos veteres observata ad Gentiles hodiernos transiit.*

DEinde *Saltatio* honori divino edebatur apud nonnullos. Arrianus lib. 4. de Expedit. Alexand. ϗ χοροὶ τοῖς θεοῖς ἵςανται, ϗ π αιᾶνες ἐπὶ τοῖς θεοῖς ᾄδονται: id est, *Tripudia etiam Saltationesque Diis fiunt, & Pæanes cantantur*: & Seneca in Hercule furente act. 3. scen. 3. vers. 877.

> *Pingues cædite victimas:*
> *Permistæ maribus nurus*
> *Solemnes agitent choros.*

hinc, quia plerisque sacris Saltatio, Hymni ac Tibiæ aderant, χορικὴ ἀοιδὴ, hymnus in Apollinem dictus apud Apollon. Rhod. lib. 11. vers. 716. & Plutarchus de Aud. Poetis notat, θυσίας μὲν γὰρ ἀχόρυς καὶ ἀναύλυς ἴσμεν, ὐκ ἴσμεν δὲ ἄμυθον ποίησιν: quibus vult dicere (uti lucidum Eruditorum Decus ingensque honos, Magnus Jacobus Perizonius in notis ad caput 3. libri 3. Æliani Variarum Historiarum nos docuit) Choros ac Tibias usitatissimas in Sacrificiis quidem, at non perpetuas, uti Fabulæ sunt in Poesi: quinimo tam impense Dianam Choreis delectari credebant, ut ipsa Dea Delphis χορῦς ἐξάρχυσα, *choreis præcinere*, dicatur ab Homero, vel alio potius auctore ignoto Hymni in eandem, & in Euripidis Troadibus vers. 553. mulieres loquantur: Διὸς κόραν Ἀρτεμιν, Ἐυελπτεμαν χοροῖσι; *Jovis filiam Dianam celebrabam choreis.*

Chorræ vero illæ vel circa Aras Dei Deævæ, vel Simulacra ipsa Numinis, cujus erant solemnia, agi solebant. Seneca in Troad. act. 3. scen. 2. vers. 780.

> *Non inter aras mobili velox pede,*
> *Revocante flexo concitos cornu modos*
> *Barbarica prisco templa saltatu coles.*

ad quem locum erudite Clariss. Farnabius habet: *Choreæ in Dindymenes sacris, saltando ad Phrygium modum, qui cæteris quatuor concitatior. Æolius enim simplex & animi tempestates tranquillat; Doricus honestus & gravis pudicitiæ largitor; Jonius seu Jasius varius, intellectum obtusis acuit; Lydius querulus mentem curis defatigatam reparat & oblectat; Phrygius vero religiosus & ἔνθεος pugnas excitat, & vatum furores inflammat*: præcipue igitur ad Phrygium modum saltabant in festis & sacris publicis circa aram Numinumve Statuas, teste lib. 6. pag. 250. Athenæo, ubi privata memoravit, quibus Nymphæ colebantur apud Siculos, sacra; scribente: ὀρχεῖσθαί τε περὶ τὰς θεὰς, *& saltare circa illas Deas*: sive earum, de quibus ille agit, simulacra: quod Callimachus vers. 170. Hymni in Dianam affirmat cantans, Νύμφαι σε χορῷ ἔνι κυκλώσονται, *Nymphæ te in Choro circumdabunt*: quare Iphigenia a Patre jussa prope lavacrum adstare, uti destinata victima pro universæ Græciæ salute, licet adhuc fati sui ignara, fatur apud Euripidem in Iphig. in Aul.

> Στήσομεν ἀφ' ἀμφὶ ΒΩΜΟΝ, ὦ πάτερ, ΧΟΡΟΥΣ,
>
> *Faciemus circa Aram Choream, o Pater.*

Maxime in Orbem saltabatur. Dionys. Alex. v. 841. de Festis Bacchi:

> Ορχεῦνται θηητὸν ἑλισσόμεναι περὶ κύκλον,
>
> *Saltabant mirificum se flectentes in Orbem.*

neque κύκλῳ sive in orbem chori fiebant, nisi solito ac decenti modo ad rhytmum corporis totius, manuum scilicet pedumque, lumborum ac capitis motione: cujus ritus elegans testimonium apud Aristophanem in Ranis pag. 233. exstat, de Choro in Cereris Eleusiniis referens:

> Χωρεῖτε νῦν ΙΕΡΟΝ ἀνὰ ΚΥΚΛΟΝ θεᾶς,
> Ἀνθοφόρον ἀν' ἄλσος,
> Παίζοντες, οἷς μετυσία
> Θεοφιλῦς ἑορτῆς,
>
> *Nunc ite in Orbem seu Chorum Sacrum Deæ,*
> *In florido luco*
> *Ludentes seu Saltantes, qui participes sunt*
> *Dilecti Deæ Festi.*

Adde Comici locum in Nub.

> Κύρα ποσὶν ἄγ' ἐς κύκλον,
> Χειρὶ σύναπτε χεῖρα, ῥυθμὸν χορείας
> Ὕπαγε πᾶσα,
> *Leviter pedibus move te in Orbem,*
> *Manui conjunge manum, rhytmum choreæ*
> *Observa unaquæque.*

Sed videamus quorum auctoritate saltationes hæ peragebantur. In Apollinis honorem Chori in Delum insulam mittebantur non a vicinis solum Cycladibus, ast e tribus mundi plagis, auctore Callimacho vers. 278. Hymn. in Delum,

> Ἀλλά τοι ἀμφιετεῖς δεκατηφόροι αἰὲν ΑΠΑΡΧΑΙ
> Πέμπονται; ΠΑΣΑΙ δὲ ΧΟΡΟΥΣ ἀνάγουσι ΠΟΛΗΕΣ
> Αἵ τε πρὸς ΗΟΙΗΝ, αἵ θ' ΕΣΠΕΡΟΝ, αἵ τ' ἀνὰ ΜΕΣΣΗΝ
> Κλήρυς ἐςήσαντο, ϗ οἳ ΚΑΘΥΠΕΡΘΕ ΒΟΡΕΙΗΣ
> Οἰκία θινὸς ἔχυσι.
> *Verum tibi quotannis decimiferæ semper Primitiæ*
> *Mittuntur solenniter, omnesque Choros agunt Civitates;*
> *Quæque ad Orientem, quæque ad Hesperum, quæque ad Meridiem*
> *Sedes posuerunt; & quæ supra Boreale*
> *Littus habent Domicilia.*

Chori vero simul & Chorei, χοροὶ ϗ χορεῖαι, a pueris, viris, senibus in deorum, imo a Virginibus ac Matronis sæpe agebantur in Dearum Festis. Horatius noster Carm. lib. 1. od. 21. vers. 1.

Dianam teneræ dicite Virgines:
Intonsum pueri dicite Cynthium,
Latonamque supremo
Dilectam penitus Jovi.

Hoomerus quoque in prisco in Apollinem hymno vers. 146. canit:

Ἀλλὰ σὺ ΔΗΛΩ, φοῖβε, μάλιστ' ἐπιτέρπεαι ἦτορ,
Ἔνθά τοι ἑλκεχίτωνες Ἰάονες ἠγερέθονται,
Αὐτοῖς σὺν παίδεσσι, καὶ αἰδοίης ἀλόχοισιν
Οἱ δέ σε πυγμαχίῃ, τε καὶ ὀρχηθμῷ, καὶ ἀοιδῇ
Μνησάμενοι τέρπουσιν, ὅταν στήσονται ΑΓΩΝΑ.

Sed tu Delo, Phœbe, maxime oblectas animum.
Ubi tibi cum longis tunicis Iones congregantur
Suis cum liberis & verecundis Uxoribus.
Hi autem te Pugilum certamine & TRIPUDIO & CANTU
Memores exhilarant, cum dixerint CERTAMEN.

atque Δόλων erat dictus mulierum iste cœtus seu chorus Dianam colens apud Cyzicenos, uti ex Æliano Suidas in voce Δόλων tradit: quinimo ab Callimacho versu 242. Dianæ Nymphæ comites in Hymn. in Dian. dicuntur in deæ honorem κύκλω στησάμεναι χορὸν, *in Orbem choream agentes*, quibus addi potest Apollonius lib. 1. v. 1223. cantans:

ΝΥΜΦΑΩΝ ἵσταντο ΧΟΡΟΙ. μέλε γὰρ σφίσι πάσαις,
Ὅσσαι κεῖσ' ἐρατὸν Νύμφαι ῥόον ἀμφενέμοντο,
ΑΡΤΕΜΙΝ ἐννυχίῃσιν ἀεὶ μέλπεσθαι ἀοιδαῖς.

Instaurabantur NYMPMARUM CHORI. *nam omnibus ipsis curæ erat*
Nymphis, quæcunque amœnum accolebant fluentum,
DIANAM, *ut nocturnis cantibus assiduo celebrarent.*

Ita Salii Martis Sacerdotes in ejus numinis honorem Choreas ducebant Saltabantque, unde eos Virgilius *Exsultantes* vocat, & Lucianus de Saltat. tom. 1. pag. mihi 793. refert: ἐπὶ τούτοις δίκαιον μὴ δὲ τῆς Ῥωμαίων ὀρχήσεως ἀμνημονεῖν, ἣν οἱ εὐγενέστατοι αὐτῶν, τῷ πολεμικωτάτῳ τῶν Θεῶν Ἄρει, οἱ Σάλιοι καλούμενοι, ἱερωσύνης δὲ τοῦτο ὄνομα, ὀρχοῦνται σεμνοτάτην τε ἅμα καὶ ἱερωτάτην, id est. *Præter hæc æquum est, ut neque Romanæ Saltationis obliviscamur, quam Romanorum nobilissimi quique, Marti Deorum bellicosissimo, qui Salii vocantur, quod est Sacerdotii nomen, gravissimam & religiosissimam exercent:* imo illos *a Saltando* dictos scribit Varro lib. 4. de L. L. *quod facere in Comitio in sacreis quotanneis & solent & debent*: vel, quod parum differt, *a Saltu* juxta Ovidium lib. 3. Fast. vers. 387.

Jam dederat Saliis (a Saltu nomina ducunt)
Arma.

quem vocabuli frontem ne ad minimum vocat in dubium Servius, cum ad Virgilij Æneid. lib.8.ver. 663. *hic exsultantes Salios*, scribit: *Dicti Salii ideo, quod circa aras saliunt & tripudiant*: nam Dionys. Halicarn. lib. 11. teste Πάντες οἱ Σάλιοι χορευταί τινές εἰσι καὶ ὑμνηταὶ τῶν ἐνοπλίων θεῶν, *Omnes Salii sunt Saltatores & Laudatores Deorum, qui armorum præsides existunt*: atque juxta Veterem Commentatorem Horatii ad lib. 11. Epist. 1. vers. 85. *Salii dicebantur, quia circa aras canendo saliebant*: quod Olor Mantuanus lib. 8. Æneid. vers. 285. confirmat, inquiens,

Tum Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis.

Ita apud Lacedæmonios Pueri tripudiantes Deorum laudes canebant juxta Max. Tyrium Serm. 36. & Plutarchum in Agesilao, qui etiam in libro de Musica inquit: *Gymnopodia Chori erant Spartæ Puerorum, qui nudis pedibus cum tripudio laudes Deorum canebant in honorem Spartanorum, qui pro patria in Theræeis occubuerant*: de Saliis eorumque Mansionibus multa referunt inscriptiones veteres: apud Gruterum pag. 318. num. 1. edit. Commel.

L. ANTESTIUS. CN. F. HOR.
SARCULO. SALIUS. ALBANUS.
ANTESTIA. L. L. PLUTIA.
RUFIA. P. F. TERTIA. SOROR.
L. ANTESTIUS. L. L. QUINCTIO.
L. ANTESTIUS. L. L. RUFUS. L.
ANTISTIUS.
L. Ͻ. L. THAMYRUS
L. ANTISTIUS L. Ͻ. L. ANTHUS. L.
ANTISTIUS.
L. L. EROS. CAPPADOXS.

atque pag. 173. num. 5.

MANSIONES. SALIORUM.
PALATINORUM. A. VETERIBVS.
OB. ARMORUM. ANNALIUM.
CUSTODIAM. CONSTITUTAS.
LONGA. ÆTATE. NEGLECTAS.
PECUN. SUA. REPARAVERUNT.
PONTIFICES. VESTÆ. V. V. C. C.
PRO. MAGISTERIO.
PORTII. ACILII. LUCILLI. VITRASI.
PRÆTESTATI.
V. V. C. C.

Non raro tamen Pueri ac Puellæ simul Deum Deamve cantabant, chorumque celebrabant. Horat. in Carmine Sæculari vers. 31.

VIRGINUM PRIMÆ PUERISQUE *Claris*
Patribus orti,
Deliæ tutela Deæ, fugaces
Lyncas & cervos cohibentis arcu
Lesbium servate pedem, meique
Pollicis ictum,
Rite Latonæ puerum canentes,
Rite crescentem face noctilucam,
Prosperam frugum, celeremque pronos
Volvere menseis.

atque iterum lib. 4. Carm. od. 1. vers. 25. ad Venerem:

Illic bis PUERI *die*
Numen cum teneris VIRGINIBUS *tuum*
Laudantes, pede candido
In morem Salium, ter quatient humum.

quod confirmat lepidissimus Catullus in Carmine sæculari:

Dianæ sumus in fide
Puellæ & Pueri integri.
Dianam Pueri integri,
Puellæque canamus.

Atque ita Cererem ipsa a cuncta Pube, ineunte Vere, adorandam saltationibus & Choreis mandat Virgilius Georg. lib. 1. vers. 339.

Sacra refer Cereri, lætis operatus in herbis

Extremæ sub casum hyemis, tam vere sereno.
Tunc agni pingues, & tunc mollissima vina:
Tunc somni dulces, densæque in montibus umbræ.
CUNCTA *tibi* CEREREM PUBES *agrestis* ADORET:
Cui tu lacte favos, & miti dilue Bacho.
Terque novas CIRCUM *felix* EAT HOSTIA *fruges:*
Omnis quam CHORUS & SOCII COMITENTUR OVANTES:
Et Cererem Clamore vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri torta redimitus tempora quercu
DET MOTUS INCOMPOSITOS, & *Carmina dicat.*

Tanti momenti & Saltatio hæc habita est, ut sapientiores ipsi Gentiles non veriti sint Deos ipsos saltatores facere. Hesiodus Θεογ. vers. 3. de Musis,

Καί τε περὶ κρήνην ἰοειδέα πόσσ' ἁπαλοῖσιν
Ὀρχεῦνται, καὶ βωμὸν ἐρισθενέος Κρονίωνος.

Et circa fontem cæruleum pedibus teneris
Saltant, aramque præpotentis Saturnii.

Anacreon od. 5. de Rosa vers. 9.

Ῥόδα, παῖς ὁ τῆς Κυθήρης
Στέφεται καλοῖς ἰούλοις,
Χαρίτεσσι συγχορεύων,
Roseis puer Cytheres
Caput implicat corollis,
Charitum choros frequentans.

ita & Carm. lib. 1. od. 4. vers. 5. Horatius,

Jam Cytherea choros ducit Venus imminente Luna:
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graveis Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

& ejusmodi motus incompositos salse perstringens Arnobius lib. 7. inquit p. 239. *Jam vero si viderint in fœmineas mollitudines, enervantes se viros, vociferari hos frustra, sine causa alios cursitare, amicitiarum fide salva contundere se alios, & crudis mutilare se cæstibus, certare hos spiritu, buccas vento distendere, votisque inanibus concrepare, manus ad cœlum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant, in gratiam cum hominibus redeunt: hæc si Diis immortalibus oblivionem afferunt simultatum, si ex comœdiis, attellanis, mimis ducunt lætissimas voluptates, quid moramini, quin & ipsos dicatis Deos ludere, lascivire, saltare, obscœnas compingere cantiones, & clunibus fluctuare crispatis?*

Hinc piorum statum apud Inferos in campis Elysiis describens Tibullus lib. 1. Eleg. 3. vers. 57. canit,

Sed me, quod facilis tenero sum semper amori,
Ipsa Venus campos ducet in Elysios.
Hic choreæ, cantusque vigent, passimque vagantes
Dulce sonant tenui gutture carmen aves.

Confer hæc cum fortunatis nemoribus sedium beatarum apud Virgilium lib. 5. Æneid. vers. 638.

Devenere locos lætos & amæna vireta
Fortunatorum nemorum sedesque beatas.
Largior heic campos æther, & lumine vestit
Purpureo, Solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris:
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.

Neque Saltationes religiosæ inter Græcos Romanosve latuerunt, sed ipsos ad Indos peragrarunt, uti aperte Lucianus Tom. 1. de Saltatione p. 792. testatur: καὶ τί σοι τοὺς Ἕλληνας λέγω, ὅπου καὶ Ἰνδοί, ἐπειδὰν ἕωθεν ἀναστάντες, προσεύχωνται τὸν ἥλιον, οὐχ ὥσπερ ἡμεῖς τὴν χεῖρα κύσαντες, ἡγούμεθα ἐντελῆ ἡμῶν εἶναι τὴν εὐχήν, ἀλλ' ἐκεῖνοι πρὸς τὴν ἀνατολὴν στάντες, ὀρχήσει τὸν ἥλιον ἀσπάζονται, σχηματίζοντες ἑαυτοὺς σιωπῇ, καὶ μιμούμενοι τὴν χορείαν τοῦ Θεοῦ: hoc est, *quid vero Græcos tibi commemorem, cum Indi quoque posteaquam mane surrexerunt, Solem precentur, non quemadmodum nos manum deosculati, perfectam precationem esse putamus, sed illi ad ortum excitati, Saltatione Solem salutant, silentio semetipsos componentes, Deique Choream imitantes*: quam ad rem facere puto verba Arriani lib. 6. de Expedit. Alexandri, φιλῳδοὶ γὰρ εἴπερ τινες ἄλλοι, Ἰνδοί, καὶ φιλορχήμονες ἀπὸ Διονύσου ἔτι, καὶ τῶν ἅμα Διονύσῳ βακχευσάντων κατὰ τὴν Ἰνδῶν γῆν. *Studiosi enim musices, si qui alii, sunt Indi, Saltationibus quoque addicti: jam inde a Dionyso, eorumque qui in India bacchati sunt, tempore.* Ipsos etiam Hebræos in Deserto, revertentes ad Idololatriam Ægyptiorum, & desperantes de reditu Mosches, divinam Legem ab ipso Legislatore Deo accepturi in Monte Sinai, circa erectum Vituli simulachrum choros agitasse honoris ergo, atque saltasse videmus Exod. 32. comm. 1. 2. 3. 4. 5. 6. *quum autem videret Populus admodum Moschen descendere ex ipso monte, congregatus populus ad Abaronem, dixerunt ei, surge, fac nobis Deos, qui anteeant nobis, jam enim Moschi viro illo, qui eduxit nos e terra Ægypti, quid factum sit ignoramus: Et dixit eis Abaron, rumpentes detrahite inaureis aureas, quæ sunt in auribus uxorum vestrarum, filiorum vestrorum, filiarumque vestrarum, & afferte ad me. Rumpentes ergo detraxerunt sibi totus ille populus inaureis aureas, quæ erant in auribus suis, & attulerunt ad Abaronem, qui acceptum e manu eorum formavit illud cælo, quum fecisset ex eo vitulum fusilem: tum dixerunt, hi sunt Dii tui Israel, qui eduxerunt te e terra Ægypti: quod videns Abaron, exstruxit altare coram eo, proclamavitque Abaron, dicendo, festum Jebovæ cras esto. Surgentes itaque postridie mane, obtulerunt holocausta, & applicarunt eucharisteria: seditque populus ad edendum & bibendum, deinde surrexerunt ad ludendum*: hoc est, saltationes & choros agitando coram vitulo cum cantu, uti comm. 18. & 19. habetur: *qui dixit, non est sonus, quo strenui clamant, neque est sonus, quo debiles clamant: sonum cantantium ego audio* (post crapulam scilicet coram vitulo ludentium, uti supra comm. 6. habetur) *fuitque quum appropinquans ad castra videret vitulum illum & Choros, ut accenderetur ira Moschis, & abjiciens e manibus suis tabulas,* (zelo sanctissimo, & duce Dei Spiritu, ipso Mosche teste Deuteron. 9. comm. 17.) *frangeret eas sub ipso monte*: nullum vero vestigium apud Judæos reperio in sacris Litteris Saltationis religiosæ in veri Dei honorem, ast quidem in signum maximæ lætitiæ; cujus exemplum exstat c. 21. Judicum comm. 19. de puellis a Benjaminitis raptis; *tandem dixerunt*, ibi habetur, *ecce festum Jebovæ Schilunte, de anno in annum; quod celebratur ab Aquilone domus Dei fortis, versus ortum Solis, ad tritam viam, quæ ascendit a domo Dei fortis Schecemum; & a meridie Lebonæ*:

& præceperunt Benjaminitis, dicendo, ite, ut insidiamini in vineis : & animadvertetis, ut ecce, quum exibunt puellæ Schiluntinæ ad saltandum Choreis; prodeuntes e vineis illis rapiatis statim vobis quisque uxorem suam e puellis Schiluntinis: quod Jephtæ filia probat c.11. meliori jure, præ sacra scilicet lætitia, qua Spiritus Sanctus animam ejus accendebat propter constitutionem purissimæ religionis & typos ac signa salutiferæ gratiæ Domini nostri Jesu Christi, qui ex semine ejus oriundus erat, David Rex, adducens arcam e domo Hobed Edomi Gitthæi in civitatem, saltavit omnibus viribus coram Jehovah cum clangore & sono tubæ, quemadmodum legere possumus 2. Sam. cap. 6. comm. 14. & 15. de Ægyptiis idem testatur Apulejus Met. lib. 4. *jamque per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis & solutis adprecantur*: & rursus lib. 10. *hinc gratiæ gratissimæ, inde horæ pulcherrimæ, quæ jaculis floris serti & soluti, deam suam propitiantes scite scitissimum construxerunt chorum*: quam in rem Philostratus in vita Apollonii: *Post hæc in aquam sese projicientes lavere, lotique ad templum accesserunt coronati, & hymnum cantantes instar choreæ in Gyrum compositi* : atque *ideo in religionibus* inquit Servius in Eclog. 5. Virgilii, quæ Daphnis dicitur, *saltabant majores : quia nullam corporis partem esse voluerunt, quæ non sentiret religionem : nam cantus ad animum, saltus ad nobilitatem pertinet corporis*.

Vestigia hujus ritus in hunc diem reperiri apud Indos tam Orientales, quam Occidentales sive Americanos V. Le Blanc cap.7. Itinerarii sui Peguani & Martabani de annuis illorum festis agens scribit, *ita illi* (Sacerdotes nempe) *theatra conscendunt atque sonantibus instrumentis musicis saltant, parvo sonitu incipiunt, moxque pergunt canere, precari, seseque execrari, usque eo quidem, ut perpetua saltatione furentur, unde nonnulli procidunt in terram, quo tempore alii mutant sonum, & majori furore saltationibus insistunt* : quod F. Mendez Pinto affirmat in itinerario suo; & de incolis regni Mongibur in Æthiopia dictus V. Le Blanc refert: *nulla simulacra in templis inveniuntur, verum in festis suis ibi congregantur, & in orbem choros agitant, hymnosque canunt in Solis honorem* : simile quid de Mexicanis in America Joseph de Acosta Histor. Natural. & Moral. Americæ lib. 5. cap. 9. & 25. refert: *sacrificiis peractis, Juvenes Puellæque ordine e templo procedunt, cantantes & tripudiantes ad clangorem Tympani, quibus Viri principes, Parentesque respondent circumsaltantes prædictum Chorum, qui semper medium obtinet*.

CAP. XXVIII.

Coronæ in Deorum honorem *inventæ* : *variis casibus Diis offerebantur*. *Laribus* donaticæ *coronæ imponebantur singularis magnitudinis : idem mos a Græcis uti Latinis observatus* : simulacra *Deorum* privata & publica privatus *quisque ac* publicus coronabat. *Coronæ Sacræ quæ? Res divina in solis coronis quandoque constabat, & illis peracta est : nullum fere Sacrum sine his peractum* : coronantes *numina & ipsi* coronati *erant privati homines & Sacerdotes : qui mos etiam in Syria obtinuit : asylum in coronis positum : earum forma circularis habebatur perfectissima ac perpetua*.

ET hisce ritibus præmissis, ad Coronarum usum in cultu divino transgredimur, cum passiva observatio sit, Deos coronis, sertis, & floribus ornatos fuisse : sic Arnobius scribit lib. 7. pag. 237. *etiam Dii sertis, coronis afficiuntur; & floribus* : & Minucius Felix in Octav. pag. 2. *ut tam luculento die in lapides eum patiaris impingere, effigiatos sane, & unctos, & coronatos* : hæc Christiani Scriptores : inter Gentiles scribit lib.21. cap. 3. Plinius : *Coronæ Deorum honos erant, & Larium publicorum, privatorumque, ac sepulchrorum & manium*. Apulejus lib. 4. Milesf. de Psyche divino honore culta : *Jamque per plateas commeantem populi frequenter floribus sertis, & solutis adprecantur* : canit Juvenalis Satyr. 9. vers. 137.

O parvi, nostrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui soleo exorare corona.

Fiebat id multis occasionibus : cum prospere aliquid acciderat, aut malum aliquod depulsum fuerat, aut in magnis, ac festivis solemnitatibus. Tertullianus de coron. milit. cap. 7. *Saturnum*, scribit, *Pherecydem ante omnes refert coronatum, Jovem Diodorus post devictos Titanas, dat & Priapo tænias idem, & Ariadnæ sertum* : ac paulo post : *plura quærentibus, omnia exhibebit præstantissimus in hac quoque materia commentator Claudius Saturnius : nam est illius de Coronis liber, & origines, & causas, & species, & solennitates earum ita edisserens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum cespitem, aut palmitem, non alicujus capiti invenias consecratum*. sic puellæ, Veneri militantes, languidas Corollas, capiti suo demtas, Deo cuipiam in munus dabant. Plautus in Asinar. act. 4. scen. 1.

Tum si coronas, serta, unguenta jusserit
Ancillam ferre suam Veneri, aut Cupidini,
Tuus servus servet, Venerine eas det, an Viro.

& meretrices observasse docet Propertius, ut quot Itinera nocte una confecissent, tot corollas ludicro cuinam, & Minorum gentium Deo donarent, puta Trephallo, Marsyæ, Hermæ, & talibus: ita votum est in carmine Libero.

Quæ si contigerit fruenda nobis,
Totam comparibus Priape nostris,
Cingemus tibi mentulam coronis.

& infra :

Quæ quot nocte viros peregit una,
Tot verpas tibi dedicat salignas.


hoc, quando quid prospere succederat, hoc fiebat, cum malum abiisset : sic Lactantius divinar. Instit. lib. 2. cap. 1. *postquam metus deseruit, & pericula recesserunt : tum vero alacres ad Deorum templa concurrunt : his libant, his sacrificant, hos coronant* : idem etiam diebus festis observabatur. Cato de Re Rustica cap. 143. *kalendis*, inquit, *Idibus, Nonis festus dies cum erit, Coronam in focum indat* : in honorem scilicet Laris familiaris; quæ coronæ inusitatæ magnitudinis erant, ut Meursius optime ad hunc Catonis locum observat, quales etiam postea *Donaticæ* fieri ceperunt. Festus habet: *donaticæ coronæ dictæ, quod his victores in ludis donabantur, quæ postea magnificentiæ causa institutæ sunt, super morem aptarum capitibus, quali amplitudine fiunt, cum Lares coronantur* : quem morem jam obsoletum, restaurasse Augustum, in ejus vita his notat Suetonius : *Compitalitiis Lares ornari bis in anno instituit, vernis floribus, & æstivis*. Plautus in Trinum. act. 1. scen. 2.

Larem corona nostrum decorari volo
Uxor venerare.

& natalitio die mares Genio, feminæ Junoni corollas dedicabant, & dei collo imponebant: ut Tibullus indicat lib. 1. eleg. 7.

Illius e nitido stillent unguenta capillo,
Et capite, & collo mollia serta gerat.

usitatius tamen capiti: cujus fidissimum testem dabit exhibitum marmor e S. Petr. Bartoli lib. de Admirandis Romanis,



HERCVLI SACRVM.

referens sacrificium & coronationem Herculis: & idem lib. 2. eleg. 2. canit:

Ipse suos Genius adsit visurus honores,
Cui decorent sanctas florea serta comas.

quandoque ante templi fores, eodem teste lib. 1. eleg. 1.

Flava Ceres, tibi sit nostro de rure corona
Spicea, quæ templi pendeat ante fores.

Uti hoc Latinis, ita & Græcis aliisque Gentilibus olim in usu fuisse probabo. Plato Πολιτ. pag. 360. ὥσπερ [illegible] (ἀγάλματα) στέφειν ἦν ἴσως, *sicut etiam & simulacra coronare mos erat*: privata equidem ac publica: ita anxia de Oedipi perturbatione ob Laii cædem Jocasta decretum sibi ait apud Sophoclem Oed. Tyr. vers. 932.

Ναοὺς ἱκέσθαι δαιμόνων, τὰ δ' ἐν χεροῖν
ΣΤΕΦΗ λαβούσῃ κἀπιθυμιάματα,
Templa adire Deorum, his manibus
Coronas accipiens & suffitus.

& in edito per illustrissimum Ezech. Spanhemium Stratonis Epigrammate,

κ' οἴκαδ' ἀπελθών,
Ἐστεφάνωσα Θεοὺς, κεῖνον ἐπευξάμενος.
& domum abiens,
Coronavi deos, illum invocans.

A Hasce proinde coronas vel quisque privatim adhibebat, vel in publicis ritibus sacrorumque solenniis gestatas probare conabor: de primo casu præter allata loca testis erit Euclio apud Plautum in Aulul. inquiens act. 2. scen. 8.

Nunc tusculum emi, & hasce coronas floreas.
Hæc imponentur in foco nostro Lari,
Ut fortunatas faciat natæ nuptias.

nec vulgatius fere quicquam invenitur, quam ut quisque, cui se numini commendaret, ejus statuas, qua fronde floribusve poterat, coronaret B impetrandæ illius opis: de publica coronatione optimus locus exstat apud Augustinum de Civit. Dei lib. 7. cap. 21. *in oppido Lavinio unus Libero totus mensis tribuebatur, cujus diebus omnes verbis flagitiosissimis utebantur, donec unum illud membrum per forum transvectum esset; atque in loco suo quiesceret: cui membro inhonesto matrem-familias honestissimam palam coronam necesse erat imponere*: & paulo post, *jam quod in Liberi sacris honesta matrona pudenda virilia coronabat spectante multitudine*: adde Plinium lib. 12. cap. 19. *coronas ex Cinnamo, interrasili auro inclusas primus omnium* C *in templis Capitolii atque Pacis dicavit Imperator Vespasianus Augustus.*

Cum vero inter preces plerasque, quæ Diis offerebantur inter victimarum oblationes, inter incensa & suffitiones, decimas, taliaque numerantur στεφανῶν, sacras coronas vocitarunt. Suetonius in Nerone c. 25. *sacras coronas in cubiculis circum lectos posuit*: & Plautus Menæch. act. 5. scen. 5.

At ego te sacram coronam surripuisse Jovi scio;
Et ob eam rem te in carcerem esse compactum scio.

D vix ac ne vix enim ullum numinis simulacrum incoronatum, neque ullum divinum cultum, sive is publicus, sive privatus fuit, invenies absque coronæ mentione: *antiquitus quidem*, inquit Plinius lib. 15. *nulla corona nisi Deo dabatur: ob id Homerus cælo tantum eas & prælio universo tribuit: viritim vero ne certamini quidem ulli*: quod vituperandum Marcelli factum apud Valer. Max. lib. 9. cap. 8. & Macrobium Saturn. lib. 3. cap. 13. contestatur, ille enim *se in Hispania Deum faciebat, cum patiebatur sibi in transitum sedenti a demisso victoriæ simulacro cum tonitruum machinato strepitu, sicuti capiti cælesti coronas imponi;* E *sibique adeo supplicari*: proinde Euripides Herac. act. 1. rogat, ποῖ τρεψόμεθα; τίς γὰρ ἄστεπτος θεῶν, *quo vertamur? quis enim incoronatus Deus?* hoc est, eccui Deo nondum supplicavimus? quippe Ephesi στεφάνοις διὰ θαλλῶν τὰς ἱκεσίας ποιοῦσιν, *coronis per oleæ ramos supplicationes faciunt*, Dianæ scilicet, & multa ait Lucianus de sacrific. ab Diis redimi vel gallo, vel corona, vel solo thure.

Coronantes autem Numina & ipsi coronati sæpius fuisse videntur, id est quasi velati. Liv. lib. 30. de Romanis suis; *Majores*, ait, *duodecim annis omnes coronati, & lauream in manu tenentes supplicaverunt*: & lib. 33. F *Cunctique Magistratus circa omnia pulvinaria victimis majoribus sacrificarent, populusque coronatus esset*: hoc exemplo Æneas apud Virgilium lib. 7. Æneid. coronatus Italiæ numina adoravit:

Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumque loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Numina.

qui mos in Græcia quoque viguit, ut præter Sophoclem in Oedip. Tyr. variis locis, & Euripidem in Jov. act. 1. Æſchylus *ἱκέτ.* teſtatur:

ἀλλ' ὡς τάχιςα βᾶτε, καὶ λδυκοςεφεῖς
ἱκτηρίας ἀγάλματ' αἰδοίου Διὸς
σεμνῶς ἔχουσαι διὰ χερῶν συνωνύμων.

ſed quam citiſſime ite, & alba lana coronatos ramos ſupplices, ſtatuas venerandi Jovis reverenter in manibus conſentientibus habentes; adde Ariſtophanem *σφῆκ.*

Αλλ' ὡς τάχιςα πῦρ τις ἐξενεγκάτω,
Καὶ μυῤῥίνας, καὶ τὸν λιβανωτὸν ἔνδοθεν,
Οπως ἂν εὐξώμεθα πρῶτα τοῖς θεοῖς.

Sed quam celerrime ignem aliquis efferat, & myrtos, & thus intus, ut ſupplicemus primum diis.

Neque quoslibet tantum ſacrificantes, ſed Sacerdotes quoque conſtat fuiſſe coronatos e Statio lib. 3. Theb.

Huc gemini vates ſanctam canentis olivæ
Fronde comam, & niveis ornati tempora vittis
Evadunt pariter.

adde Tertullianum de Coron. Milit. cap. 10. *Ipſæ denique fores, ipſæ hoſtiæ, & aræ, & ipſi Miniſtri & Sacerdotes eorum coronantur: habes omnium collegiorum Sacerdotalium coronas apud Claudium*: ita apud Græcos *ςεφανηφόροι*, qui peculiari Sacerdotio fungebantur, ſeu Coronigeri Sacerdotes inveniuntur in veteri inſcriptione apud Reineſium Claſſ. 1. inſcript. 41.

ΕΚ ΔΕΚΑ ΠΕΝΤ' ΑΝΔΡΩΝ, ΦΟΙΒΟΥ
ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΣ ΙΡΕΥΣ
ΚΡΗΣΚΗΝΣ, ΗΓΑΘΕΟΣ ΤΕ ΛΕΟΝΤΙΟΣ,
ΕΝΣΟΦΟΙ ΑΝΔΡΕΣ
ΟΣ ΜΕΝ ΑΠ' ΑΝΤΟΛΙΗΣ, ΟΣΔ' ΑΡ' ΑΦ'
ΕΣΠΕΡΙΗΣ,
ΟΡΓΙΑ ΣΥΝΡΕΧΑΝΤΕ ΘΕΑΙ ΠΑΜΜΗΤΟΡΙ
ΡΕΙΗΙ
ΧΡΙΟΒΟΛΟΥ ΤΕΛΕΤΗΣ ΚΑΙ ΤΑΥΡΟΠΟΛΟΙΟ
ΦΕΡΙΣΤΥΣ
ΗΜΑΣΙ ΜΥΣΤΙΠΟΛΟΙΣ ΒΩΜΟΝ
ΥΠΕΡΤΙΘΕΣΑΝ.

& rurſus apud Sponium part. 1. pag. 416.

ΜΝΗΜΑ ΜΟΝΟΜΑΧΙΔΩΝ
ΔΟΘΕΝΤΩΝ ΥΠ. ΑΡΧΙΕΡΕΩΣ
ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ
ΤΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΤΟΥ
ΜΗΤΡΟΦΙΛΟΥ.

hinc ſacerdotalem vocat hanc coronam Ammianus Marcellinus lib. 29. *biduoque poſt Icoſium oppidum militaria ſigna & Coronam Sacerdotalem cum cæteris, quæ interceperat, nihil cunctatus reſtituit*; & Flamines Laurigeros Prudentius in Apoth.

Laurigeroſque Deum templis adſtare miniſtros.

& hunc coronandi Sacerdotes morem in Syria quoque viguiſſe Hieronymus in vita D. Hilarionis hiſce probat; *non prius abiri paſſi ſunt, quam futuræ Eccleſiæ lineam mitteret, & Sacerdos eorum, ut erat coronatus, Chriſti ſigno denotaretur*: quem ſalſe irridens Clemens Alexandrinus Exhort. ad Græc. 4. ſcribit: *Si Deum vere videre deſideras, participa piaculis non ramorum lauri, non quarundam tæniarum lana & purpura diſtinctarum. Juſtitia vero redimitus id age, ut ſis acceptus Chriſto*: neque Gentilibus tantum, ſed & Judaicis Sacerdotibus Inſigne proprium Corona erat juxta præceptum Dei Exod. 28. *facies & LAMINAM de auro puriſſimo, in qua ſculpes opere cælatoris Sanctum Domino, ligabiſque eam vitta hyacinthina, & erit ſuper tiaram imminens fronti Pontificis*: quod factum narratur Levitic. 8. *Moyſes veſtivit Abaron Subucula linea, accingens eum Baltheo, & induens Tunica hyacinthina, & deſuper humerale impoſuit, quod aſtringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas. Cidari quoque texit Caput, & ſuper eam contra frontem poſuit LAMINAM AUREAM conſecratam in ſanctificatione, ſicut præceperat ei Dominus*: quæ Lamina duos digitos lata, frontemque cingens uſque ad aures, Exod. 39. comm. 30. dicitur נזר הקדש, *corona ſancta*: qualis vero fuerit hæc Lamina clarius ex Joſepho nobis tradidit Hieronymus in Epiſt. 128. ſcribens: *Octava eſt Lamina aurea, in qua eſt ſcriptum nomen Dei hebraicis literis, quod apud illos ineffabile nuncupatur: hic ſuper pileolum lineum, & commune omnium Sacerdotum, in Pontifice* (maximo ſcil.) *plus additur, ut in fronte vitta hyacinthina conſtringatur, totamque Pontificis pulchritudinem Dei vocabulum coronet & protegat*: debebat & hanc Pontifex ſemper geſtare ſecundum Exod. 28. *erit autem*, ibi legimus, *Lamina ſemper in fronte ejus, ut placatus ſit ei dominus*; atque omnes apud Hebræos Corona ni aurea, tamen lanea coronabantur Sacerdotes, uti Exod. 29. comm. 26. comprobatur. *Filios quoque Abaronis applicabis, & indues tunicis lineis, cingeſque balteo, & impones eis Mitras*: & clarius Exod. 39. comm. 25. ubi, *facies & tunicas byſſinas opere textili filiis ejus, & mitras cum coronulis ſuis ex Byſſo.*

Atque ita adornatus Sacerdos ab injuria tutus habebatur, ſicuti miniſter dei, aſylum enim quoddam in coronis ponebatur. Euripides Heracl. act. 2.

οὐκ αἰσχυνοῦμαι δῆτ', ἐὰν δή τις λέγῃ,
τί δεῦρ' ἀφίκεσθ' ἱκεσίοισι σὺν κλάδοις.

non me pudebit, ſi quis dixerit, quid huc adveniſtis ramis cum ſupplicibus: atque uſque adeo quidem, ut quibus caput corona redimitum erat, inviolabiles crederent, teſte eodem Heracl. act. 1.

—— ἱκέται δ' ὄντες ἀγοραίου Διὸς
Βιαζόμεθα, καὶ ςέφη μιαίνεται.

Supplices enim forenſis Jovis vim patimur, ſertaque profanantur: quare Servus Cario apud Ariſtophanem in Pluto concomitans Dominum coronatus ad Oracula, ait, *οὐ γὰρ με τυπτήσεις, ςέφανον ἔχοντα γε. non enim verberabis me: quum coronam geram*: quando etiam rei divinæ intentus erat quiſpiam, judices capitalium cauſarum cognitione & judicio abſtinuiſſe Achilles Tatius lib. 7. teſtatur: quin imo coronarum forma omnium perfectiſſima credebatur, & capaciſſima, omni ex parte in ſeſe vergens, & nuſquam incipiens, nuſquam deſinens, cum referat motum circularem, qui ſolus eſt perpetuus: hinc Manilius lib. 1. cecinit:

Hæc æterna manet, diviſque ſimillima forma,
Cui neque principium eſt uſquam, nec finis in ipſa.

Quoniam vero aliæ arbores aliis Diis fuerunt conſecratæ, idcirco Dei publice adoraturi variis

coronis ornabantur, & numina ornabant: quam ad rem cecinit Phædrus lib. 3.

Olim quas vellent esse in tutela sua
Divi legerunt arbores: QUERCUS *Jovi*,
Et MYRTUS *Veneri placuit*, *Phœbo* LAUREA,
PINUS *Cybelæ*, POPULUS *celsa Herculi*.
Minerva admirans, quare steriles sumerent,
Interrogavit; causam dixit Juppiter:
Honore fructum ne videamur vendere.
At mehercule narrabit, quod quis voluerit
OLIVA *nobis propter fructus est gratior*.

ita de Cerealibus sacris lib. 1. Georg. Virgilius:

—— —— —— neque ante
Falcem maturis quisquam supponat aristis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora QUERCU,
Det motus incompositos.

& de Apollinis, ut de aliis taceam, quæ passim apud Poetas occurrunt, canit Apollonius Rhodius lib. 2. Argonaut. vers. 159.

Ξανθὰ δ᾽ ἐρεψάμενοι δάφνῃ καθύπερθε μέτωπα.

Flavaque sunt viridi redimiti tempora LAURO.

de ipsis Deorum coronis pauca accipite. Tibullus ita præter Nummos, qui apud F. Ursinum in familia Cassia reperiuntur & alibi, *Cereri spiceas coronas* tribuit.

Flava Ceres tibi sit nostro de rure Corona
SPICEA, *quæ templi pendeat ante fores*.

& Ovid. in libr. Amor.

Flava Ceres tenues SPICIS *redimita capillis*.

Fluminibus corona nectebatur *ex arundine*. Virgil. lib. 10. Æneid.

Quos patre Benaco velatus ARUNDINE *glauca*
Mincius infesta ducebat in æquora pinu.

Autumno ex pomis: Horat. Epod. od. 2.

Vel cum decorum mitibus POMIS *caput*
Autumnus arvis extulit.

Herculi ex Populo arbore; *nam & Salios*, scribit Macrobius, *Herculi dedit* (Virgilius) *quos tantum Marti dicavit antiquitas*; *& populeas coronas nominat*.: & Tertullianus de Coron. Milit. dicit: *Herculem capite præferre nunc Populum, nunc Oleastrum, nunc Apium*: ita & *Pan cum Ebulo*, *Satyri cum Scypho*, *Vertumnus cum fœno* coronati inveniuntur apud Virgilium Eclog. 10.

Pan deus Arcadiæ venit; quem vidimus ipsi
Sanguineis EBULI BACCIS, *minioque rubentem*.

apud Plinium lib. 35. cap. 10. *Aristippus, cujus est Satyrus cum* SCYPHO *coronatus*; nec non apud Ovidium lib. 14. Metam.

Tempora sæpe gerens FOENO *religata recenti*
Defectum poterant gramen versare videri.

postremo nullum numen, quin propriam suam coronam habebat, qua de re multa & erudita vulgarunt Carolus Paschalius in eleganti suo libro de Coronis, & Reverendus Philologus sacer ac Theologus Jacobus Lydius in auro præferendis Libellis de Agonistica Sacra & Florum Sparsione ad Passionem Jesu Christi.

Atque hisce coronidem huic syntagmati imponens, & corruptibiles hujus mundi coronas missas faciens, a Deo æternis floribus vividam coronam in cælo exspectabo, cujus gaudia animo præcipio, gratias Deo maximas agens, quod dilecti filii sui pretiosissimo sanguine nos redemit, dum tot tantisque Gentibus in hunc diem non exoritur sol Justitiæ; quare numen precari nostrum est, ut cæcos istos idololatras misericors ac benignus congregare velit ad Ecclesiam suam, ut simul cum dilectis suis per sæcula sæculorum ipsi tribuant honorem atque gloriam.

F I N I S.

COMMENTARIUS
CAROLI PATINI
IN TRES INSCRIPTIONES
GRÆCAS,
SMYRNA NUPER ALLATAS.

Miremur periisse homines? Monumenta fatiscunt,
Mors etiam saxis nominibusque venit.

Ausonius.

REVERENDISSIMO PATRI,

P. FRANCISCO
DE LA CHAIZE,
E SOCIETATE JESU,
REGI A CONFESSIONIBUS,
CAROLUS PATINUS.

INgenuos quosque dominii Veneti incolas ad metropolim interdum volentes duci, nolentes etiam occulta quadam genii vi trahi, omnibus compertum est: Sic ego Musis aliquando Patavinis ad aliquot dies valedicens, Venetias peto, tum stimulantibus negotiolis, tum amicis visitandis, necnon Serenissimæ Reipublicæ Proceribus, qui mihi favent & benefaciunt, excolendis atque honorandis.

Ea est civitatis consuetudo, ut cujuslibet sortis homines, toto ferme die, at horis potissimum matutinis ac vespertinis, alii confectis, alii conficiendis negotiis, confluant ad illam D. Marci plateam decantatissimam, terræ marisque aspectu amœnissimam, quæ ut amplissima, continuum videtur palatii atrium triplici distinctum templo: Nescias otiosorum magis an negotiosorum sit commune receptaculum. Huc plerumque concurrunt nobiles, plebeii, mercatores, tum præcipue exteri, qui vel una recreati oculorum voluptate, itineris suscepti molestiam blande repensant.


Inter hujus sortis homines sub vesperam prodeambulanti, occurrit mihi pridem notus Antiquarius proxeneta, qui auribus clanculum insusurrat meis, se duos vetustissimos lapides nactum venales, Smyrna recens advectos; quorum illico, si commodum foret, mihi copiam faceret. Monentem, salutatis prius amicis, extemplo sequor, & apud Græculum mercatorem lapides illos indagare liberum fuit, quorum elegantia atque integritas meam ipsam expectationem superavit. Similis uterque est magnitudinis, quatuor palmas in latitudine, tres in longitudine circiter continens. De typo atque inscriptione primum inter nos agitur; Illiterati porro negociatores oraculum in iis latere quo thesaurum eruerunt, cupiebant. Ego pro virili ἐπιγράμματα quatenus a me intelligebantur officiose aperio, adjiciens me majora investigaturum, si horum exemplar mihi suppeteret. Exorata transcribendi licentia, statim Turcico more, humi sedere non pudet, omnesque characteres & notulas quanta possum industria expiscor. Aliud poscere lapidum Domini; scilicet ut ipse Zechinos pro lapidibus reponerem: urgebant, eoque demum compellunt, ut profitear crumenæ meæ vires lapidum pretio pares non esse, me tamen pro illis decem quos gestabam Zechinos, lubenter repositurum. Æstimatione mea non satis arridente, impetravi ut eleganti manu artificiose delinearentur figuræ quas ruditer adumbraveram; ut saltem præclari monumenti inter sordidas manus periclitantis imago quædam in tuto collocaretur. Quod non ita multo post præstitit ingenuus pictor Gallus, Natalis Cucinus, eo tamen adactus, ut exemplar suo simile mercatori impertiretur. Eximia horumce lapidum graphide po-

titus, nolui in ſinu gaudere, ſed ut pretioſis gemmis frueretur Reſpublica litteraria, de adhibendis commentariis cogitavi.

Proſpere tunc evenit ut alter lapis non abſimilis argumenti ab eadem civitate advectus in manus meas inciderit, quod quidem ampliorem mihi campum aperuit, & currenti calcar addidit. Certus porro operis tractandi non diu hæſi ad quem illud dirigerem: Tu enim, Rev. Pater, illico occurriſti, quod & antiqua monumenta prout merentur, & me ſupra merita diligas. Adde quod jam dudum eſt quod nullum obſervantiæ erga Te meæ atque gratitudinis exſtare publicum teſtimonium ſuppudebat. Hæc ergo lucubratiuncula erit exiguum quidem at ſincerum animi mei monumentum.

Quod ſi illis horis, imo potius momentis ſubceſivis, quibus ab altiſſimis ſanctiſſimiſque ſtudiis ad eruditum otium delaberis, aliquid oblectamenti ex hac lectione hauſeris, tunc vero me amplum, ex meo labore dicam an luſu, collegiſſe fructum exiſtimavero.

E Muſeo noſtro Patavino, Kal. Jan. M.DC.LXXXV.



SMYRNÆVM TRYPHÆNÆ MONVMENTVM,

Inscriptum marmori albo purissimo, longum pedibus Venetis IV. altum prope III. Patauij, in Ædibus Patinianis,

M D C L XXXV.

COMMENTARIUS CAROLI PATINI IN TRES INSCRIPTIONES GRÆCAS, SMYRNA NUPER ALLATAS.

PRIMA INSCRIPTIO.

Aὐρηλία Τρύφαινα Ἀλεξάνδρου ἐπεσκεύασε τὸ προγονικὸν ἡρῷον αὐτῇ κ̀ κληρονόμοις αὐτῆς κ̀ ἀπελευθέροις κ̀ Ἀντωνίῳ Μελιτίνῳ μετὰ τῆς γυναικὸς ὁμοίας, κ̀ τέκνων αὐτῶν κ̀ Παμφίλῳ μόνῳ, ὠνησαμένη τὸ καινὸν ἀγγεῖον Προκοννήσιον τὸ κτ̄ τȣ̃ Σωλαρίȣ, μηδενὸς ἔχοντος ἐξȣσίαν ἑτέρου εἰς τὸ καινὸν ἀγγεῖον τεθῆναι, ἢ μόνης τῆς Τρυφαίνης· ὁμοίως μηδὲ εἰς τὸ ἕτερον ἀγγεῖον τὸ προγονικόν: μηδὲ ἀπαλλοτριῶσαι τὸ ἡρῷον: Ὡς ἐάν τις παρὰ ταῦτα τολμήρῃ ποιῆσαι ἀποτείσει Μητρὶ Θεῶν Σιπυλήνῃ δηνάρια δισχίλια πεντακόσια. Ταύτης τῆς ἐπιγραφῆς ἀπόκειται τὸ ἀντίγραφον εἰς τὸ ἀρχεῖον ἀποτεθὲν ἐπὶ Στεφανηφόρȣ Αἰλίȣ Βίωνος, μηνὸς τρίτȣ.

VERSIO.

Aurelia Triphæna Alexandri, inſtauravit hoc avitum monumentum, ſibi, & hæredibus ſuis, & libertis, & Antonio Melitino, cum ejus uxore ſimili, & filiis eorum, & Pamphilo ſolo, cum emiſſet novum vas Proconneſium, ſitum juxta Solarium, nullo alio habente facultatem, ut ponatur in novum vas, niſi ſola Tryphæna: Et pariter nec in aliud vas avitum, neque ut alienet monumentum: Ut ſi quis auſus fuerit præter hæc facere, pro mulcta pendat Matri Deorum Sipylenæ, denariorum duo millia & quingentos. Hujus inſcriptionis ſervatur exemplar in Archivis, repoſitum tempore Stephanephori Ælii Bionis, menſe tertio.

POſtquam e lapide characteres apprime delineati fuerunt, eo prorſus modo quo ſcripti erant, eoſdem æri diligentiſſime conſignari id primum mihi conſilium fuit: Atque ut legentium incommodo obviam iretur, eoſdem uſitatis characteribus noſtris, diſtinctis ut decet vocabulis, typis imprimendos curavi, cum notis aliquot quæ mihi ſcribenti occurrerunt.

A Monumentum hoc ſepulchrale fuiſſe neminem fugere poteſt; ad cujus interpretationem mire faciunt binæ leges Atticæ a Tullio *lib. 2. de legibus* relatæ: Prima erat, SUPER TERRÆ TUMULUM NE QUID STATUITO NISI COLUMELLAM TRIBUS CUBITIS NE ALTIOREM AUT MENSAM AUT LABELLUM. Altera vero, NE QUIS SEPULCRA DELEAT NEVE ALIENUM INFERAT: SI QUIS TYMBON hoc eſt buſtum, AUT MONUMENTUM, AUT COLUMNAM VIOLARIT, DEJECERIT, FREGERIT, POENA ESTO. Ad eas accedit Ulpiani Lex 11. *Digeſt. de Sepulcro violato*: ITA DE STATUA DE MONUMENTO EVULSA CELSUS SCRIBIT, *ſive affixa ſive ſit applumbata ſepulcro*, commentatur Fr. Accurſius. Pœnæ etiam obnoxium eſſe qui veſtes cum mortuo conditas furaretur, docet Syneſius epiſt. CXLII. *Ἡγȣ̃μαι δὲ ἀσεβέστερον ἀποθανόντων λόγȣς κλέπτειν, ἢ θοιμάτια ὃ καλεῖται τυμβωρυχεῖν.* Hoc eſt, *Cenſeo autem ſceleſtius eſſe defunctorum verba ſurripere quam veſtes*. Ex XII. tabularum lege, ſepulcrorum violatores graviſſime plectebantur: Hinc emanarunt leges Pandectarum & Codicis, *de ſepulcro violato*. Antiquorum morem vel ruditer callentibus notum eſt Athenienſes jam a Cecropis primi ipſorum Regis temporibus, mortuos ſuos terra condidiſſe; quod teſtatur Cicero, *l. 2. de leg. Antiquiſſimum ſepulturæ genus quo apud Xenophontem Cyrus utitur; Redditur enim terræ corpus, & ita locatum ac ſitum, quaſi operimento matris obducitur*. Arnobiuſque *lib. 6. adv. gent.* Cecrops autem regnavit æræ Argivæ an. CCLV. Poſt LX. annos cœperunt Græci igne ſuos mortuos comburere, ritus initium ad Herculem referentes, qui Argeum familiarem in bello

B cæſum combuſſit, ſcilicet ut fidem liberaret, quam de illo reducendo obligaverat. Vide Euſtathii narrationem ad Homericæ Iliad. α. Ideo ſcribit Lucianus, *ὁ μὲν Ἕλλην ἔκαυσεν, Nam Græcus exurit.* Non tamen exolevit prior ille mos humandi ſcilicet corpora, ſed uterque apud ipſos remanſit pro arbitrio. Illum imitati ſunt Romani, ut videre eſt apud Plinium, *l. 7. c. 54.* & Ciceronem, *l. 2. de legibus*. Platonis quidem inſtitutio fuit ut in agro infœcundo & ſterili ſepulcra conſtituerentur, ne viventibus officeretur. Tanti autem veteres ſepulturam exiſtimarunt, ut cum graviſſime imprecari vellent, imprecarentur *ἐκπίπτειν χθονὸς* ut

C legitur apud Sophoclem, *Κακὸς κακῶς ἄθαπτος ἐκπέσοι χθονὸς, ut inſepulti jacerent*. Quare Athenienſium lege ſanctum erat, ut ſi quis in inſepultum incidat cadaver, ſaltem terram ei injiciat: *Ὃς ἂν ἀτάφῳ περιτύχῃ σώματι ἀνθρώπου, πάντως ἐπιβάλλειν αὐτῷ γῆν, θάπτειν δὲ πρὸς δυσμὰς βλέποντας.* Hoc eſt, *Inſepulto hominis cadaveri terram injicito, & in ſepulcro occaſum verſus condito*. Multa ejuſmodi obſervabantur, quas *cerimonias ſepulcrorum* nuncupat Cicero, *in Tuſc.* brevitatis cauſa nunc omittenda. Unum in præſen-

tiarum non silebo, ab Alberto Magno l. 1. Eth. commemoratum, *Omnes antiquos de quacunque lege fuerint, sepulcra solemnia habere voluisse.* Pleraque porro cadavera Antoninorum temporibus cremari desiisse doctis viris persuasum est, donec mos sensim obsoleverit. Christiani quidem sua cadavera nunquam cremarunt, totamque hanc ustrinam sustulerunt, Judæorum exemplo qui integra sepeliebant, juxta Ægyptiorum morem, *suos mortuos condere non cremare* solitorum, ut docet Tacitus, *hist. lib. 5. cap. 5.* Et Christiani quidem fiducia resurrectionis quam non longe abesse ipsius Ecclesiæ primordio, sibi persuaserant. Ex quo tot lucernæ sepulcrales, Christi Salvatoris nomine abbreviato inscriptæ.

Ita omnia faciebant ut brevi excitandas mortales exuvias, a tabe præservarent immunes: *Et qui in totum unguenta abdicaverant, ea solis funeribus reservabant*, inquit Octavius, apud Min. Felicem. Audiamus D. Augustinum, *de Civitate Dei, l. 1. 13.* ubi de officio Christianorum circa suprema, præcipue de unctione cadaveris disputat: *Et laudabiliter commemorantur in Evangelio, qui corpus, cum de cruce acceptum, diligenter atque honorifice ungendum sepeliendumque curarunt: Verum istæ autoritates non hoc admonent, quod insit aliquis cadaveribus sensus, sed ad Dei providentiam, cui placent etiam talia pietatis officia, corpora quoque mortuorum pertinere significant, propter fidem resurrectionis adstruendam.* Ad quod maxime respexit primus Poeta Christianus Prudentius, in hymno S. Fructuosi & sociorum, qui ignis supplicio martyrium expleverant:

Tum de corporibus sacris favillæ
Et perfusa mero leguntur ossa, &c.

Apud Min. Felicem, *in Octavio*, Ethnicus contra Christianos declamitans & resurrectionem irridens, inter cœtera ait; *Inde videlicet & execrantur rogos, & damnant ignium sepulturas. Quasi non omne corpus etsi flammis subtrahatur, annis tamen & ætatibus, in terram resolvatur: Nec intersit utrum feræ diripiant, an maria consumant, an humus contegat, an flamma subducat: Cum cadaveribus omnis sepultura, si sentiunt, pœna sit; si non sentiunt, ipsa conficiendi celeritate medicina.* Sed ante Minutium, Tertullianus *de resurrectione*, carpens Ethnicorum superstitionem, qui mortuis cibos deferebant: *At ego*, inquit, *magis videbo vulgus, tunc quoque cum ipsos defunctos atrocissime exurit, quos postmodum gulosissime nutrit.*

Cippis saxeis στήλαις seu κύβεσι plurima posteris consulentes famæ cupidi consignabant: Hinc certiores temporum atque rerum gestarum rationes. Sic leges, decreta, fœdera, Deorum & mortuorum tituli, vota, ludi, certamina, aliaque solemnia incidi solemne erat. Sic Euhemerus Siculus, autore Lactantio, *de falsa relig. cap. 11.* res gestas Jovis & cœterorum qui Dii putabantur collegit, historiamque contexuit, ex Titulis & Inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur. In fano Jovis Triphylii, columnæ aureæ erant positæ, Numinis gesta continentes, In Sicyoneo ἀναγραφὴ erat seu descriptio ejusmodi sacrata, in qua Junonis Argivæ Antistitum, Poetarum etiam & Musicorum celebriorum nomina erant consignata. Columellæ quibus Cretenses sacra descripserant Corybantum a Porphyrio *l. 2.* περὶ ἀρχῆς ἐμψύχων memorantur. Quin obvium est quod de columnis illis Sesti nepotum, lateritia altera, altera saxea, quibus sideralis scientiæ inventa sua mandarunt, habet Fl. Josephus.

Erant præterea ἐπιγράμματα inscripta sepulcris, ideo ἐπιτάφια dicta ἐπὶ τὸν τάφον. Ita Antyllus scriptor, de Thucydidis monumento. Καὶ στήλη δὲ ἑστήκει ἐν τῇ Κοίλῃ Θουκυδίδης Ἀλιμούσιος ἔχουσα ἐπίγραμμα. Hoc est: *Et columna erat super arca Thucydidis, ex tribu Alimusia, habens inscriptionem.* Qualis solebat esse illa inscriptio, docet Theophrastus, περὶ περιεργίας. Καὶ γυναικὸς δὲ τελευτησάσης, ἐπιγράψαι ἐπὶ τὸ μνῆμα, τοῦ δὲ ἀνδρὸς αὐτῆς, καὶ τοῦ πατρὸς καὶ τῆς μητρὸς καὶ αὐτῆς τῆς γυναικὸς τὸ ὄνομα, καὶ ποδαπή ἐστι, καὶ προσεπιγράψαι ὅτι οὗτοι πάντες χρηστοὶ ἦσαν. Hoc est, *Et uxore defuncta, inscribere monumento, viri ejus, & patris & matris, & ipsius uxoris nomen, & qualis sit, & adscribere singulorum laudes.*

Omnes fere Græci Romanique extra muros singuli sua sepulcra in suis fundis habuere. Lex XII. tabularum, & postea Duillio Consule, Senatus decreto iterum sancita: HOMINEM IN URBE NE SEPELITO NEVE URITO. Hac autem Imperatores, Virgines Vestales, & viri clariores, qui ob ingentia merita privilegium sepulcra in urbe habendi consecuti fuerant, non tenebantur. Ii igitur soli intra muros, cœteri omnes extra in agris sepeliebantur, & plerumque juxta vias publicas, ut humanæ conditionis & fragilitatis viatores admonerentur: inde toties sepulcrorum titulis præmissum erat, ASPICE, SISTE, CAVE, VIATOR, &c.

Tam amplum nobis superesse monumentorum numerum miretur nemo, qui norit ipsa eorum loca religiosa & sancta habita fuisse: De quo audiamus Ciceronem, l. 2. de leg. *A Majoribus nostris statuæ multæ decretæ sunt, sepulcra autem paucis. Statuæ intereunt tempestate, vi, vetustate; sepulcrorum autem sanctitas in ipso solo est, quod nulla vi moveri neque deleri potest.* Et ibid. *Sepulcra fiunt sanctiora vetustate. Sepulcrorum tanta est religio ut extra sacra & gentem inferri fas negent esse &c.* Solonis lege, & pœna iis constituta est, qui sepulcra violassent; vide supra, NE QUIS SEPULCRA DELEAT &c.

Vir immortalitate dignus Thomas Hovvard Arundelliæ Comes, multa marmora ex Asiæ Græciæque ruinis conquisiverat elapso sæculo, quæ in Angliam deportari curavit. E Smyrna præsertim plura habuit, quod etiam a Gassendo, *in vita Peireskii* memoratur *l. 4. ad an.* 1629. Et quæ primum in hortis Arundellianis Londini reposita erant, tandem Oxoniensi Academiæ donata sunt, descripta olim a nob. Jo. Seldeno, nuper vero ab eruditissimo Humpfrido Prideaux. Inde certe nobilitantur monumenta hæc nostra de quorum vetustate nil ausim affirmare præter id quod primo intuitu persuadebat opinio, scilicet viginti sæculis esse vetustiora.

His in universum ita explanatis, facilior via sternitur ad enucleandas singulas præclari monumenti partes.

AYP. *Aurelia*. Quin hisce characteribus AYPHAIA significetur, non ambigo, cœteros characteres desiderari designante puncto. Non obstat nomen apud Romanos usitatum fuisse, siquidem & eodem sæpe Græci usi sunt: Crescente scilicet Imperio Romano, exteros Romana etiam nomina assumpsisse certissimum est. Evangelistam Marcum Græcum fuisse quis dubitaret? Romani porro Marci prænomine multo prius usi fuerant. AURELIAM gentem Romanam fuisse, eamque plebejam, multis numismatibus celebrem,

exponere nunc superfluum. Sic docet Festus, *quod iis locus publice datus sit, ubi Soli sacrificium facerent*.

ΤΡΥΦΑΙΝΑ *Tryphæna*. Elisos quamvis postremos characteres cernamus, procul dubio injuria temporis, ex reliquis apicibus eosdem supplere facile est; adde quod circa mediam inscriptionem, id nominis iteratum legitur; Cœtera inscriptio integerrima est, nec ullam vel minimam patitur exesionem. Tryphonis nomen non adeo rarum est: Tryphon Diodorus memoratur a Machabæis, l. 1. Diodoro Sic. T. Livio, *in epist. l. LV.* Strabone *l. XIV. & XVI.* Justino, *l. XXXVI. c. I.* Josepho, *l. XIII. c. XII.* & Athenæo, *l. VIII.* qui cæso pupillo Antiocho VI. vi & fraude regnum Syriæ occupavit. Alter Tryphon erat Origenis discipulus, Ecclesiæ nascentis anno CCL. Alterque ejusdem nominis, martyr insignis, qui sub Tr. Decio, Niceæ passus est, cujusque festum Kal. Feb. celebrat Ecclesia Romana. Tryphæna apud eumdem Augustinum legitur, *l. XXXIX. c. II.* commentante doctissimo Grævio, quam per e simplex scribi vult Schefferus Ptolomæi Physconis filia, Antiochi VIII. uxor, vulgo Epiphani & Grypi dicti, tandem ab Antiocho Philopatore seu Cyziceno interempta.

Inter Marmora Oxoniensia una TRYPHÆNA occurrit, *inscript. LXIV.* cujus sepulturæ hi erant inscripti characteres;

C. JULIUS JASON ET
COCCEIA TRYPHÆNA
FECERUNT SIBI ET
LIBERTIS LIBERTABUSQUE
SUORUM DUMTAXAT QUI
EX FAMILIA EORUM FUISSENT.
IN FR. P. VI. S. IN AGR. P. VIIII.

Idem celebrat nomen inscriptio CXV. class. XVII. apud Reinesium, quam a Cl. Bartholino acceperat, qui eam Patavii viderat in ara quadrata ex saxo.

SIIMPRONIANII
TRYPHIINAII.
D. M.

ubi notandum duplex II pro e sumptum esse, ut in pluribus aliis saxis. Legitur & apud Petr. Arbitrum *TRYPHÆNA* quæ *lacrymas effudit decepta supplicio*, &c. Hoc exstat monumentum Brixiæ, ut referunt Musæ Lapidariæ Jo. B. Ferretii.

MINICIA FORTUNATA SIBI ET MINI
CIÆ TRYFENÆ LIB.
QUÆRERE CESSAVI NUNQUAM NEC PERDERE DESI
MORS INTERVENIT, NUNC AB UTROQUE VACO.
VIVITE FELICES QUI LEGITIS.

Aliud ita inscriptum vulgavit Th. Reinesius, quod Romæ visitur in domo Angeli Rubæi.

D. M.
M. APRONIO MUSONIO
ANTONIA TRYPHÆNA
MONUMENTUM F.
CONJUGI B. M. CUM Q. V. AN. XXXX.
ET SIBI ET S. L. L. Q. E.

Ad ulteriorem hujus nominis seu cognominis indagationem, transcribenda hic venit inscriptio XXXII. Appendicis Marmorum Oxoniensium, quæ Londinum olim deportata, in popinæ vestibulo conspiciebatur. Hæc autem cum nostra tantam habet affinitatem, ut magna sit conjectura illam Smyrna in Angliam delatam, una cum aliis ibidem descriptis. Marmor in quo exarata erat, figuræ quadratæ & extensionis undique pedis sesqui alterius egregie cum nostra convenit, ejusdem plane magnitudinis. Sepulcralis est ut nostra, utraque emptionem ulteriorem designante, & *vas Proconnesium*, quamvis altera ΣΟΡΟΥ vocem admittat, altera ΑΝΓΕΙΟΥ. TRYPHONIS filii mentionem facit, qui TRYPHÆNÆ forte nostræ consanguineus fuit. ALEXANDRAM celebrat, ut nostra ALEXANDRUM, hæc patrem, illa filiam.

ΑΛΚΗ ΤΙΜΟΚΡΑΤΟΥΣ ΤΟΥ
ΑΠΕΛΛΟΥ ΤΟΝ ΤΟΠΟΝ ΚΑΙ ΤΗΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ ΚΑΙ ΤΗΝ ΚΑΤ᾽ ΑΥΤΗΣ
ΔΙΑΙΤΑΝ ΚΑΙ ΤΑ ΕΝΣΟΡΙΑ
ΗΓΟΡΑΣΕΝ ΜΕΤΑ ΚΑΙ ΔΟΚΙΜΟΥ
ΔΟΚΙΜΟΥ ΚΑΙ ΤΡΥΦΩΝΟΣ ΔΟΚΙ
ΜΟΥ ΤΩΝ ΣΥΝΤΡΟΦΩΝ ΚΑΙ ΕΘΗ
ΚΕΝ ΣΟΡΟΝ ΠΡΟΚΟΝΝΗΣΣΙΑΝ ΕΝ
Η ΚΕΚΗΔΕΥΚΕΝ ΤΟΥΣ ΣΥΝΤΡΟ-
ΦΟΥΣ ΖΩΣΑ ΕΑΥΤΗ ΤΕ ΚΑΙ ΤΗ ΘΥΓΑ
ΤΡΙ ΑΛΕΞΑΝΔΡΑ ΤΟΥ ΤΕΙΜΟ-
ΚΡΑΤΟΥΣ ΚΑΙ ΤΟΥΣ ΙΔΙΟΙΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕ
ΡΟΙΣ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΚΑΤΟΙΧΟΜΕΝΟΙΣ ΣΥΝ
ΤΡΟΦΟΙΣ ΤΟΙΣ ΚΑΙ ΑΥΤΟΙΣ ΔΕΣΠΟ-
ΤΑΙΣ ΑΥΤΩΝ ΚΑΙ ΤΩ ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΥ
ΑΥΤΩΝ ΚΟΥΔΙΩΝΙ.

Alca filia Timocratis, filii
Apellis, locum, &
Camaram, & cœnaculum,
quod supra eam est, & loculos
emit, cum Decimo filio
Docimi, & Tryphone filio
Docimi, qui cum ea simul enutriti erant &
posuit sepulchrum loricatum
in quo sepelivit cum ea simul enutritos,
dum vixit sibi, & filiæ
Alexandræ Timocratis fil.
& libertis suis, & cum ea
simul enutritis, qui defuncti
sunt, & ipsis dominis
eorum, & hæredi
eorum Cudioni.

Huc referenda est inscriptio Gruteriana quæ olim Nemausi legebatur.

D. M.
C. ALLII C. F. VOLT.
MACRINI
EUPORUS ET
TRYPHÆNA
LIB.

Cœterum, inscriptio Clarifs. Grævii opinionem firmat TRYPHÆNAM per diphtongum scribentis, doctissimo Scheffero volente e simplex. An a voce Τρυφᾷθαι derivatur, quæ luxus & deliciarum indulgentiam sonat, atque etiam nitere & splendere?

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ. *Alexandri* nomen frequen-

tissimum fuisse cum apud Græcos tum apud Latinos nemo dubitat: Hunc porro Tryphænæ patrem valde obscurum fuisse censebimus, donec ab alio monumento celebratus innotescat. Atheniensium lege sancitum erat, ne qua oriretur aut fraus aut controversia, ut in tabulis publicis privatisve, & in omni negotio *patris & paterni nomen populi adscriberetur:* Πρὸς παραγράφειν τȣ̃ πατρὸς ϗ τȣ̃ δήμȣ τ' ὄνομα; quam etiam laudat Demosthenes; ita exempli gratia scribebant ΜΑΝΤΙΘΕΟΣ ΜΑΝΤΙΟΥ ΘΕΡΙΚΟΣ. Nonne elegantiores essent cœteræ inscriptiones, si præter nomen paternum, adesset etiam patrium? Quod, ut e Varrone refert B. Augustinus, *l. XVIII. de Civit. Dei, cap. IX.* Cecropis temporibus institutum est ubi de contentione quæ inter Neptunum & Minervam fuit, ob imponendum Atheniensium urbi nomen, agit. *Cujus ut iracundia placaretur, triplici supplicio dicit idem Autor ab Atheniensibus affectas esse mulieres, ut nulla ulterius ferrent suffragia, ut nullus nascentium maternum nomen acciperet, & ne quis eas* Αθηναίας *vocaret.*

ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕ præt. ab ἐπισκευάσω *reconcinno, reparo, sarcio* quod fractum est: A quo non novum sepulchrum a Tryphæna factum esse declaratur, sed instauratum & ampliatum.

Frequenter occurrit in sepulcris ΠΡΟΓΟΝΙΚΟΝ *avitum*, scilicet ab avis, & progenitoribus, qui a Græcis πρόγονοι dicebantur. Γεννᾶν olim solorum virorum erat, ut τίκτειν mulierum. Tamen apud Marcum, Ελισαβὲτ γεννήσει υἱόν σοι: *Elisabeth pariet filium tibi.* Unde γεννάω *genero*, de utroque sexu dicitur, &, ideo προγονικὸν. Virgil. Æneidos l. 1. v. 621.

> *Tunc ille Æneas quem Dardanio Anchisæ*
> *Alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undam.*

Possessiones a majoribus acceptæ dicebantur προγονικὰ κτήματα; solebant enim Veteres *sibi familiæque sepulcra constituere*, ut ait Cajus, *D. de relig.*

ΗΡΩΟΝ, *Sepulcrum*. Hoc vocabulum eadem significatione cernitur in alio lapide Smyrnæ effosso, cujus ectypum vulgavit doctiss. Th. Reinesius *class. I. inscr. XLIII.* qui quoniam cum nostro maximam habet affinitatem, hic describendus venit.

Μ	ΟΥΛΠΕΙΑ ΑΓΡΙΠΠΕΙΝΑ Α	Σ
Η	ΓΟΡΑΣΑΤΟ ΗΡΩΟΝ Π	Ι
Τ	ΑΝ ΕΥΝ ΤΑΙΣ ΣΟΡΟΙΣ ΩΣ	Π
Ρ	ΚΑΙ ΗΩΝΗ ΠΕΡΙΕΧΕΙ ΕΑ	Υ
Ι	ΥΤΗ ΚΑΙ ΤΩ ΑΝΔΡΙ ΚΑΙ	Λ
Θ	ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ ΕΚΓΟΝΟΙΣ ΟΥ	Η
Ε	ΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ ΑΠΑΛΛΟ	Ν
Ω	ΤΡΙ	Η
Ν	ΩΣΑΙ ΑΥΤΟ ΕΙ ΔΕ ΜΗ ΔΩΣΕΙ	Φ

Ulpia Agrippina
comparavit sepulcrum
totum cum loculis
sicut scriptura continet,
sibi & Viro, &
liberis & posteris.
Nemine habente potestatem
illud alienandi.
Si vero quis

cœtera desiderantur, sed ex similibus inscriptionibus ita possunt suppleri, *contrafecerit solvet mulctam*...... MATRI DEUM SIPYLENÆ *Phrygiæ*. Legitur iterum, *class. VII. Inscr. XXIIX:* ΤΟΥΤΟΥ ΤΟΥ ΗΡΩΟΥ pro *monumento* seu *sepulcro*, quamvis ab antiqua Græcia minus usurpatum notet idem Reinesius μνημεῖον scribente, pro parte domus secretiore, & pro *sepulcro*. Lucianus, in *Charonte*, jungit Ηρία, τύμβȣς, τάφȣς. Dion Halicarnassæus *l. 1.* ἡρῷον usurpat pro sacello. Egregius est locus Jamblici, *1. Pythag. XXXI.* ubi de interfectis ab Eurymene decem Pythagoreis, quos ex insidiis capere vivos jussus fuerat a Dionysio: Γῆν δὲ ἐπαμήσαντες τοῖς πεσȣ̃σι, ϗ ΗΡΩΟΝ πολυάνδριον ἐπιχώσαντες αὐτόθι ὑπέστρεφον. Nimirum *postquam terram injecissent cæsis, HEROUM insuper iis adgerasse* scribit: ΗΡΩΟΝ itaque sive ἡρῷον sit monumentum insigni viro erigi solitum, quod Cicero, *de leg.* 182. pro *vestibulo sepulcri* usurpat. Ηρίον apud Homerum legitur: ἤρια apud Suidam, τὰ ἐν τῇ γῇ μνήματα *monumenta in terra*, ἤρια οἱ τάφοι. Φασὶ δέ τινες κοινότερον μὲν πάντας τȣ̀ς τάφȣς ȣ̃τως ὀνομάζεσθαι κατ' ἐξαίρετον δὲ τȣ̀ς μὴ ἐν ὕψει ᾠκοδομημένȣς. *Nonnulli autem censent omnia in genere sepulcra ita nominari, peculiariter vero ea quæ non sunt in altitudinem exstructa.* Sit itaque sepulcrum, subterraneum ædificium, arenato opere exstructum, pavimentis stratum, ac parietibus circumseptum, in quo tanquam in cellam quamdam per gradus aliquot descendebatur, foribus conditorii clausis vel apertis, prout usus requirebat. Potest ἡρῷον de privato sepulcro intelligi, ut Ceramicum de publico: Δύο ἦσαν Κεραμικοί· ὁ μὲν ἔνδον τῆς πόλεως, ὁ δὲ ἔξω. Ενθα ϗ τȣ̀ς ἐν πολέμῳ τελευτήσαντας ἔθαπτον δημοσίᾳ ϗ τȣ̀ς ἐπιταφίȣς ἔλεγον. *Duo erant sepulcra* dicta κεραμικοί: *alterum quidem intra urbem, & alterum extra, ubi & in bello defunctos publice sepeliebant, ac vocabant* ἐπιταφίȣς, quasi dicas, *sepulcratos*. Audiamus Thucydidem, l. 1. Τιθέασιν οὖν ἐς τὸ δημόσιον σῆμα, ὅ ἐστιν ἐπὶ τȣ̃ καλλίστȣ προαστείȣ τῆς πόλεως: Hoc est, *Reponuntur itaque in publicum sepulcrum, quod est in pulcherrimo urbis suburbio.* Quod Scholiastes explicat, εἰς τὸ δημόσιον σῆμα τὸ καλȣ́μενον Κεραμικὸν, *quod vocatur Ceramicum*. Plura sunt in Atticis Pausaniæ, Ηρίαι *portæ ab Atheniensibus appellantur, quod illinc ad sepulcra mortui efferebantur;* αἱ πύλαι Αθήνησι διὰ τὸ τȣ̀ς νεκρȣ̀ς ἐκφέρεσθαι ἐκεῖ ἐπὶ τὰ ἠρία, ὅ ἐστι τȣ̀ς τάφȣς. Ita autor Etymologici. Pulcherrimus est locus Plutarchi, *in Theseo:* Καὶ τάφȣς τῶν πεσόντων περὶ τὴν πλατεῖαν εἶναι τὴν φέρȣσαν ἐπὶ τὰς πύλας παρὰ τὸ Χαλκώδοντος Ηρῷον, ἃς νῦν Πειραϊκὰς ὀνομάζȣσι: Hoc est, *Et sepulcra desideratarum* Amazonum *in platea quæ fert ad portas secundum Chalcodontis monumentum, quas Peraicas nuncupant.* Egregie Herodotus, *lib. VI.* ἡρῴȣ mentionem facit; Καὶ τȣ̃το μὲν οἱ στέφανοι ἐφάνησαν ἐόντες ἐκ τȣ̃ ΗΡΩΟΥ τȣ̃ παρὰ τῇσι αὐλέῃσι ἱδρυμένȣ τὸ καλέȣσι Αστροβάκȣ· τȣ̃τον δὲ οἱ μάντιες τὸν αὐτὸν τȣ̃τον ΗΡΩΑ ἀναίρεον εἶναι. Hoc est, *Compertumque est illas coronas fuisse sumptas ex HEROICO CONDITORIO* (ex interpretatione Vallæ) *quod est juxta januam aulæ exstructum, quod vocant Astrobaci, & Vates esse hunc eumdem HEROEM responderunt.* Ad derivationem nominis, juvat Hesychii locus, in quo pro *mortuo* scriptus est, quasi νεκρὸς unde ἡρῷον & ἤριον. *Heroum* pro monumento debet intelligi in lapide Hierapolitano, qui ab erud. Sponio descriptus est, *Itin. t.3 p.* 150. ΤΟΥΤΟ ΤΟ ΗΡΩΟΝ ΣΤΕΦΑΝΟΙ Η ΕΡΓΑΣΙΑ ΤΩΝ ΒΑΦΕΩΝ: Hoc est, *Hoc sepulcrum coronat Communitas tinctorum.* Ut Heroum & Herium pro sepulcro; ita dictum est Cæsareum, in inscriptione Gruteriana, pag. CCXXVI.

P. VEIDIUS P. F. POLLIO
CÆSAREUM IMP. CÆSARI
AUGUSTO
ET COLONIAI BENEVENTANAI

ΚΛΗΡΟΝΟΜΟΙΣ. *Hæredibus*, fcilicet legitimis, quibus ab inteftato defertur hæreditas. Sunt qui volunt ut ab hærede differat *κληρονομήθεις*, *hæres infcriptus*, *ἀγχιστεὺς agnatus*, *σύγγενης ex eadem familia*, & *οἰκεῖος familiaris*. Κληρονόμος legitur apud Plutarchum *in Romulo*, Κληρονόμον ἀπέλιπεν ἐπὶ πολλοῖς κτήμασι. Hoc eft, *hæredem reliquit amplarum fortunarum*. Cœterum infcriptionibus fepulcralibus frequenter hi erant fculpti characteres, H. M. S. Hoc Monumentum Hæres fequatur, vel, H. M. H. N. S. Hoc Monumentum Hæres Non Sequatur. Noftra vero aperte declarat hæredibus idem monumentum deberi.

ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΙΣ, *Libertis*. Ὁ ἐκ δούλου ἠλευθερωμένος qui ex fervo liber factus erat, dicebatur libertus, *Novella* 98. Libertorum filii dicebantur ἀπελευθερικοὶ libertini. *Hotom. in Inftit. l. 1. ff. de excufat.* Frequens erat patronorum mos libertos libertafque fuas, atque illorum pofteros, fui fepulcri participes nuncupare, cujus cum multa fuppetant exempla, unum felegimus a Reinefio commemoratum, Jadæ exftans, *Infcript. LXXIX. Claff. XIV.*

HELVIA VENEREA V. F. SIBI Viva Fe-
ET Q. PETRONIO CAPITONI cit.
VIRO SUO ET PETRONIO APHRO-
DISIO ET SUIS LIBERTIS LIBER-
TABUSQUE POSTERISQUE EORUM.

Servis vero non competebat ifte honos, fed fepulcris carebant. Ἐπεὶ μὴ δοῦλοι μνημεῖα κτῶνται, ἀλλ' ἐλεύθεροι, ex Artemidoro; quod de privatis intelligendum eft: Nam ea mifericordia tenebantur Antiqui, ut etiam publica monumenta tenuibus hominibus & fervis ædificarent. Exftat tamen vetus epitaphium Græcum, quo Servus Domino fuo gratias agit ob conceffum fepulcri privilegium, quare ipfi ftudium, diligentiam & fidem mortuus pollicetur, quem ipfe vivum liberis fuis magiftrum & alumnum præfecerat. *Quod fi*, inquit, *præ fenectute ad me veneris, etiam in orco, me fervum habebis*. Lib. 3.

Δοῦλος ἐγὼ, ναὶ δοῦλος, ἐλεύθερίῳ δὲ με τύμβῳ
 Δέσποτα Τιμάνθη τὸν σὸν ἔθου τροφέα.
Εὐαίων, ἀσινῆ τείνοις βίον· ἢν δ' ὑπὸ γήρως
 Πρὸς με μόλῃς, σὸς, ἐγὼ, δέσποτα, κἦν ἀΐδῃ.

Servus eram, tu Timanthes, poft fata Sepulcro
 Ingenuo altorem das recubare tuum.
Sit felix longumque ævum tibi: Sin gravis annis
 Huc venias, tibi vel fub Styga fervus ero.

ΑΝΤΩΝΙΩ. *Antonio*. Nomen eft Græcum & Latinum. Gens Antonia apud Romanos celeberrima fuit. Antonius hic Melitini prænomen obtinet.

ΜΕΛΙΤΙΝΩ. Melitinus videtur diminutivum a Mellio, cujus aliquot exftant apud Gruterum infcriptiones: Hæc etiam Neapoli vifitur.

ΜΕΛΙΘΩΝΙ
ΠΑΙΔΙ ΑΓΑΘΩ
ΖΗΣΑΝΤΙ ΕΤΗ ΙΗ
Ο ΔΙΔΑΣΚΑΛΟΣ

Melitoni
Juveni ftrenuo,
Vixit annos XVIII.
Præceptor. Supple. *Pofuit.*

Solebant clientes & manumiffi patronorum nomina affumere: fic ab Ælio dicebantur Æliani; ab Æmilio, Æmiliani; ab Anicio, Aniciani; ab Apronio, Aproniani; a Cæcilio, Cæciliani; a Caffio, Caffiani; a Claudio, Claudiani; a Clodiano, Clodiani; a Cælio, Cæliani; a Julio, Juliani; a Licinio, Liciniani; a Lucilio, Luciliani; a Marcello, Marcelliani; a Proculejo, Proculejani; a Quinctio, Quinctiani; a Sentio, Sentiani; a Valerio, Valeriani. Egregium eft epigramma, *l.* 2. ἀνθολ. cujufdam Stephani qui e paupere dives factus, Philoftephanus appellari voluit.

Ἦν Στέφανος πτωχὸς, καὶ ταῖς ἅμα· νῦν δὲ προκόψας
 Πλουτεῖ, καὶ γεγένητ' εὐθὺ Φιλοστέφανος.

Inter Neptuni amafias numerat Hyginus, *fab. CVII.* Meliten Bufiridis filiam, ex qua filium habuit Metum, cujus diminutivus effe videtur Melitinus. Meleti unius ex accufatoribus Socratis, mentionem facit Laertius *in Plat.* poftmodum capite damnati. Illum commemorat Plutarchus, *de animi tranquillitate*, Socratem inducens ita loquentem, *Interficere me Anytus & Melitus poffunt, nocere mihi non poffunt*. Lapidis infcriptionem inter meas fchedas jacentem eo minus prætermittam, quo TRYPHÆNÆ nomen una cum MELITINA juncta eft: ΜΕΛΙΤΙΝΗ ΑΤΤΑΛΟΥ ΤΡΥΦΑΙΝΑ.

ΓΥΝΑΙΚΟΣ. Uxor dignitatis nomen eft, non voluptatis; quam ideo unam ducebant Athenienfer, juxta legem, Ἕνα ἄνδρα μιᾶς γυναικὸς τυχεῖν: *Unam tantum uxorem ducito*. Id Athenæus commemorat, *l. XIII.* Ἐν Ἀθήναις πρῶτος Κέκροψ μίαν ἑνὶ ἔζευξεν. *Athenis primus Cecrops unam uni junxit*. Cui poftea derogatum effe videtur ante Socratis tempora, qui duas dicitur habuiffe *uxores legitimas*, γαμετὰς γυναῖκας. Quamvis non defint qui alteram veram uxorem cenfeant, alteram pellicem, uxoris loco retentam, πρὸς τὸ παιδοποιεῖσθαι, ad fufcipiendos liberos. Quo etiam fenfu Nuptiæ definiuntur ab hac lege, ἐπ' ἀρότρῳ παίδων, *Liberorum quærendorum caufa*. Porro ex uxoris vocabulo intelligenda venit Antonii Melitini conditio, hominis fcilicet liberi; Servi enim nuptias non contrahebant, fed συνουσίας: Neque illæ quibufcum confueverunt, *Uxores*, fed potius *conjunctæ confervæ, e quibus habeant filios*, nuncupabantur: ut fcribit Varro, *de re ruft. l. I. c. XVII.* Idque juxta Solonis legem, *Servi fœminis utuntor*: χρῆσθαι δὲ δούλους συνουσίαις γυναικῶν.

ΟΜΟΙΑΣ. *Simili*. Quid fibi velit illa fimilitudo & paritas uxoris, ambiguum mihi prima fronte vifum eft. Æqualem porro fortem & conditionem interpretor, juxta id Thucydidis, ἐπὶ τοῖς ἴσοις καὶ ὁμοίοις. Quippe ὅμοιον & ἀνόμοιον funt qualitatis, ἴσον & ἄνισον, quantitatis: Uxorum differentiam perftrinximus fuperiori nota. Illa forte fimilitudo refertur ad leg. *Fœminæ* dig de fenat. & leg. *mulieres* dig. l. XII. *quia fplendent honore mariti uxores*: Et *cum duo fint in carne una, fociique divinæ & humanæ domus dicantur*, l. 1. dig. de ritu nupt. *l. adverfus* C. de crimi. expi. hæred. Indignum lex exiftimavit; *marito in altiffimo honoris gradu collocato, uxoris dignitatem pariter non concrefcere*. L. fi liberam. C. de nupt. *Quid enim tam humanum*

est, *quam ut fortuitis casibus, prosperis vel adversis, conjugis participem conjugem fieri?* L. *si cum dotem*. §. *Si maritus* dig. sol. matr. *Merito absurdum veteres putaverunt, aliquid esse quod non inter virum & uxorem commune sit*.

ΤΕΚΝΩΝ. *Filiorum*. Τίκτω *pario*, unde τὰ τικτόμενα *liberi*. Τέχω inusitatum est. Τέκνον pro *filio*, *sobole*, usitatissimum; ut de catulis canum & simiarum usurpetur, κυνῶν καὶ πιθήκων τέκνα. Filios autem tantum *legitimos* nominemus: Qui enim ex concubina nati, *naturales* duntaxat dicendi sunt, honorifico legitimorum titulo illos lege exornante, §. *Aliquando*, *de nupt. in Instit.*

ΠΑΜΦΙΛΟΥ. Pamphili cognomen frequentissime occurrit apud Veteres, quod omnia amantem denotat, & ab omnibus amatum. Pamphili alicujus epitaphium observaverat Amasiæ, in cœmiterio Armeniorum, Ill. legatus Busbequius.

ΦΟΙΒΗ
ΠΑΜΦΙΛΩ ΚΟΥΡΙΔΙΩ
ΑΝΔΡΙ
ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ

Phœbe
Pamphilo Juveni
marito suo
recordationis ergo.

ΩΝΗΣΑΜΕΝΗ. *Cum emisset*. Ὠνέομαι, ὠνοῦμαι verbum est ἀνώμαλον, cujus futurum ὠνήσομαι. Ampliatum hic cernimus sepulcri locum, empto vicino, quibus contractibus, nihil est apud Veteres frequentius. Ita interdum κατεσκεύασε *præparavit*; ἔθηκε *posuit*; ἐτείμησεν *honoravit*; συγκεχωρηκότος αὐτῷ *concedente ipsi*, ἐδώρησα *dedi*, ἀγοράσας τὸ θωράκειον καὶ τὰς ἐν αὐτῷ σορὰς τρεῖς *emens hoc thoraceum*, *& tria in eo sepulcra*. Inscriptum marmori hoc vocabulum eodem sensu vulgavit, *in antiq. Lugdun. p.* 183. clariss. Sponius.

D. M.
M. LICINIO FILONI
BENEMERENTI DE SE
LICINIA ARETHUSA
CONLIBERTO SUO FECIT
CUI LOCUS EMPTUS EST
LONGUM P. VI. LATUM P. IIII.

Addita interdum fuit emptionis summa, ut in hoc epitaphio.

D. M.
TEGEDIÆ FORUNATÆ ET L. CORNELI FIRMI
VIVI SIBI FECERUNT
QUEM EMERUNT HS CXX.

ΤΟ ΚΑΙΝΟΝ ΑΓΓΕΙΟΝ. *Novum vas*. Monumento avito & familiari NOVUM VAS adjecit Tryphæna, in quod sola inferri jubet. Denominationis simplicitatem miror, cum jam Μνημεῖον, Μνῆμα, Θωράκειον, Διαίτη, Καμάρα, Σοροὶ, Εὐσορία, voces fuerint receptæ, designandis pleræque locis ad peragendos sepulcrales ritus consecratis. Μνημεῖον primum quidem significabat partem ædium secretiorem, postea sepulcrum, utpote omnium secretissimam. Μνῆμα dictum est ἀπὸ τῆς μνήμης, *a memoria*, quod sepulcrum mortuorum, refricet recordationem viventium; & viatores mortalitatis admoneret: quare frequenter scriptum erat SISTE VIATOR. *Monumentum est*, inquit Festus, *quod mortui causa ædificatum est*, *& quidquid ob memoriam alicujus factum est*, *ut fana*, *porticus*, *scripta*, *& carmina*. Marmor Oxoniense, n. CXLVII. egregium præbet hujus MEMORIÆ exemplum, Legati Hadriani Aug. effigiem referens, cum hac inscriptione:

D. M.
VIVIO MARCI
ANO LEG. H.
AUG. JANUARIA
MARINA CONJUX
PIENTISSIMA POSUI
T ME MORIAM.

Sepulcrum Othonis ejusque tenuitatem ob inscriptum ἐπίγραμμα ΜΑΡΚΟΥ ΟΘΩΝΟΣ irridens Vitellius, seu, ut fert Suetonius, *c.* 10. *Lapidem memoriæ Othonis inscriptum intuens*, dignum eo mausoleo *ait*. Audiamus Servium: *Locus ustrina dici solet*; *operis constructio*, *sepulcrum*; *inscriptum nomen*, *memoria atque monumentum*. Eleganter & festive Cicero, lib. de Senect. *Nec sepulcra legens*, *vereor quod ajunt*, *ne memoriam perdam*, *his enim ipsis legendis redeo in memoriam mortuorum*. Adhuc Itali sibi memoriam erigere dicunt, pro monumento, *tale defunto ha la sua memoria in tale Chiesa*. Pulcher est locus Artemidori, *l.* 1. *Oneirocritic.* c. 64. ἐν μνήμασι δὲ καὶ τάφοις, καὶ ἐν ὁδῷ καθεύδειν, τοῖς μὲν νοσοῦσι, θάνατον προσαγορεύει. *In monumentis*, *sepulcris*, *& viis dormire*, *ægrotantibus mortem prænuntiat*. Convenit & memoriæ definitio a Cicerone tradita l. 2. de Invent. *Est*, inquit, *per quam repetit animus ea quæ fuerunt*. Quare in veteri inscriptione legitur:

SERVILIUS TROILUS
SE VIVO
COMPARAVIT MEMORIAM
SIBI ET SUIS.

Θωράκειον latinis *maceria* dicebatur, a θώραξ *pectus*, quia septum illud altitudinem pectoris humani æquabat; plerumque palis terræ infixis, a ditioribus marmore factum erat. Intus hoc septum erant Διαίτη, Καμάρα, Σοροὶ, Εὐσορία, cœnaculum erat, in quo epulum sepulcrale exhibebatur. Atque id videntur Græci ab Hebræis addidicisse. *Archelaum Herodis filium septem dies patris sui mortem Hierosolymis luxisse*, *& funebre epulum populo exhibuisse*, *juxta solitos Hebræorum mores*; autor est Joseph, l. 2. de bell. Judaic. Et apud Ezechielem, c. 24. v. 17. & 22. *Cibos lugentium non comedas*. Cecropem illud etiam instituisse autor est Cicero, l. 2. de leg. *Sequebantur epulæ quas inibant parentes coronati*. Funebres has epulas περίδειπνα appellabant, ut legitur apud Plutarchum, *in problem.* Ita autor Etymologici: Περίδειπνον ἡ ἐπὶ τοῖς ἀποθανοῦσι γενομένη ἑστίασις. In Hectoris quoque funere, epuli sepulcralis meminit Homerus, Iliad. ω.

Χεύαντες δὲ τὸ σῆμα πάλιν κίον, αὐτὰρ ἔπειτα
Εὖ συναγειράμενοι, δαίνυντ' ἐρικυδέα δαῖτα
Δώμασιν ἐν Πριάμοιο.

Hoc est,

Aggesto a tumulo redibant, atque deinde
Bene collecti convivabantur splendidum convivium
Ædibus in Priami.

De quo vide Artemidorum, *l.* 4. ὀνειροκρ. *c.* 83. Lucianum *de luctu*, Ciceronem, *l.* 2. *de legibus*, Athenæum, *l.* 7. Apollonium, *l.* 2. *Argonaut.* Ex quibus adagium est celebratum ab Erasmo, *Ne in funebri quidem cœna laudaveris.* Οὐκ ἐπαινεθείης οὐδ' ἐν περιδείπνῳ, de perdito homine, cui nulla prorsus laus conveniebat, *nam mentiri nefas habebatur*, inquit Cicero. In fine quippe convivii, laudes mortui celebrabantur. Audiamus D. Augustinum, de morib. Eccles. Cath. cap. 34. *Novi multos esse sepulcrorum & picturarum adoratores, novi multos qui cum luxuriosissime super mortuos bibunt, & epulas cadaveribus exhibentes, super sepultos, seipsos sepeliunt.* Animadvertenda porro venit lex a Solone lata, a Cicerone relata, *l.* 2. *de leg.* SERVILIS UNCTURA OMNISQUE CIRCUMPOTATIO TOLLITOR: Unde liberis concessas fuisse epulas istas patet, servis vero minime Καμάρα domus erat concamerata, sub terra condita, in qua erant Σόροι & Ενσόρια, in quibus ipsa cadavera vel cadaverum cineres recondebantur. Σοροὶ enim cavamina quadrata & oblonga erant in parietibus Cameræ circumcirca factæ, in quibus ponebantur arcæ lapideæ, recentioribus Latinis *Sarcophagi*, Græcis vero Ενσορία dictæ, quæ cadavera defunctorum, & urnæ quæ cineres eorum, si cremata essent, continebant. Adeo ut in singulis Καμάραις plures Σοροί: in singulis Σοροῖς plura Ενσορία erant. In vestibulo autem τῆς Καμάρας, titulus sepulcralis marmori inscriptus erat, quo indicabatur ad quos ille sepulturæ locus pertinebat, & qui in eo sepulti erant, qui ideo, ut apud A. Gellium legitur, l. 18. c. 7. *Glossarium mortuorum* vocabant. Horum omnium exempla passim conspiciuntur in P. Aringhi ROMA SUBTERRANEA. *Ossarium* legitur apud Ulpianum, *leg.* 2. *dig. de sepulcro viol.* & in Jure Canonico *de sepulturis*, scilicet ut Sarcophagi, & ἐνσορία, in quo ossa reconderentur, Græcis dicta ὀστοθῆκαι & ὀστοδοχεῖα. Etiam probatur ex veteri inscriptione.

JULIA FUSCINIA
OSSUARIUM
VIVA SIBI FECIT.

Conditivum & conditorium a classicis Autoribus usurpata sunt. Ita Seneca, epist. 60. *Qui vero latitant & torpent, sic in domo sunt quasi in CONDITIVO.* Plinius, *l.* 7. *c.* 16. de procerissimæ staturæ hominibus sub Augusto, *Quorum corpora ejus miraculi causa in CONDITORIO, Salustianorum asservabantur hortorum.* Petronius de Matrona Ephesina loquens, *In CONDITORIUM etiam prosequuta est defunctam:* Et mox, *Descendit igitur in CONDITORIUM.* Id etiam dictum est CINERARIUM, locus scilicet urnarum, ossium fragminibus & cineribus refertarum: Ita *Domus* & *Domus æterna* hoc sensu dictæ sunt Mausoleum quod primum a Cariæ Rege nomen habuit, pro sepulcro etiam a Romanis prolatum est: Ita Suetonius, in Augusto, c. 100. *Reliquias legerunt Primores equestris ordinis, tunicati & discincti, pedibusque nudis, ac in MAUSOLEO condiderunt.* Arbitror sæquioris ævi vocabulum esse REQUIETORIUM, quod tamen in bina Inscriptione veteri legitur: P. SCANTIUS PHILETUS FECIT SIBI ET SCANTIÆ NICE LIB. REQUIETORIUM. Et in alia REQUIETORIUM, AMICI, BENEFACERE SEMPER STUDIOSUS FUI. Hinc Cassiodorus l. 6. ep. 8. Defunctorum *Sacram quietem dicit.*

ΠΡΟΚΟΝΝΕΣΙΟΝ. *Proconnesium.* Turbavit me, fateor, hæc vox quam ad insulam unam e Sporadibus Προκόνησον revocare non sustinebam; de qua sic Stephanus, Προκόνησος μία τῶν Σποράδων ἐν τῇ Προποντίδι. Ο πολίτης, Προκονήσιος. Memoratur ipsa a Ptolomæo, *l.* 3. *c.* 11. apud quem perperam Προικόννησος scribitur, & Strabonem, *l.* 13. Προκόννησος, quam memorat *urbem habere & fodinam lapidis albi valde laudati, ex quo vicinarum urbium opera confecta erant.* Πόλις ἔχουσα καὶ μέταλλον μέγα λευκοῦ λίθου σφόδρα ἐπαινούμενον. τὰ γοῦν κάλλιστα τῶν ταύτῃ πόλεων ἔργα, ταύτης ἐστὶ τῆς λίθου. Equidem felicissime, classis VII. inscriptionem XXIIX. interpretatus est Th. Reinesius, Σορὸς Προκοννήσια *est loculus e marmore Proconnesio fabrefactus.* Similem prorsus locum nominat marmor Oxoniense XXXII. Appendicis, ΚΑΙ ΕΘΗΚΕΝ ΣΟΡΟΝ ΠΡΟΚΟΝΝΕΣΙΑΝ, ab interprete doctissimo ita latine redditum, *Et posuit sepulcrum loricatum.* Atque etiam aliud scilicet n. CXXXVIII. quod quamvis mutilum sit, nec explicatum, nostrum maxime illustrat, a quo vicissim illustratur:

ΤΟΥΤΟΥ ΤΟΥ ΗΡΩΥ ΚΑΙ ΤΗΣ ΕΝ ΑΥΤΩ
ΑΠΟΚΕΙΜΕΝΗΣ ΣΟΡΟΥ ΠΡΟΚΟΝΝΗΣ
ΣΙΑΣ ΚΑΙ ΤΩΝ ΛΟΙΠΩΝ ΠΑΝΤΩΝ
ΚΗΔΟΝΤΑΙ ΟΙΣ ΚΑΙ ΔΙΑΦΕΡΟΥΣΙΝ
ΚΑΤΑ ΓΕΝΟΣ ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΣ ΑΤΤΙΚΟΣ
ΚΑΙ ΚΑΣΤΡΙΚΙΟΣ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΣ Ο ΚΑΙ
.... ΜΙΑΝΟΣ Ο ΗΡΩΟΝ ΚΑΤΑΣΚΕΤΑ
.... ΟΙ ΠΡΟΠΑΠΠΙ ΑΥΤΩΝ ΚΑΣΤΡΙΚΙ
.... ΟΣ ΚΑΙ ΡΑΡΙΑΝ Ο ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙ
.... ΡΗΣ ΕΞΦΑΓΙΣΜΑ ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ ΕΙΣ
ΑΡΧΕΙΟΝ ΧΡΕΟΦΥΛΑΚΙΟΝ.

Quidni celebraretur marmor Proconnesium, ut Caricum, Thessalicum, Pindicum, Bithynum, Synnadæum, Numidicum, Thasium, Thænarum, Troadense, Carystium, Lunense, Parium, cum Proconnesus a marmore nomen habuisse videatur, παρὰ τὸ τὸν προῖκα τῶν μαρμάρων μεταδῦναι. Marmoreum itaque declaratur illud vas ab Aurelia Tryphæna coemptum, & quidem Proconnesium, cui multum favet locorum vicinia. Metalli Proconnensis meminit Vitruvius, *l.* X. *c.* VII.

Monumenta autem alia ex silice vel saxo, alia e marmore: Egregius est Suetonii locus, in Nerone, cap. 50. *In eo monumento solium Porphyretici marmoris superstanti Lunensi ara circumseptum est lapide Thasio.* Ditioribus & honoratioribus parabantur ex marmore, cujus exemplum memorat Cicero, in epist. fam. l. 4. *Posteaquam curavimus, ut iidem Athenienses in eodem loco monumentum ei marmoreum faciendum locarent;* & pro Archia; *Ennius in sepulcro Scipionum putatur esse constitutus e marmore.* Ita lusisse dicitur Martialis, in Licinium tonsorem Augusti;

Marmoreo tumulo Licinus jacet: at Cato parvo:
Pompejus nullo: Credimus esse Deos?

ΤΟ ΚΑΤΑ ΤΟΥ ΣΩΛΑΡΙΟΥ, *situm juxta solarium.* Solarium nomen esse hominis quidam opinati sunt, potius loci & situs. Ηλιοκάμινος legitur in marmore Arundelliano donaria ad gymnasii Smyrnensis ornatum recensente, pro loco: ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΘΗ ΔΕ ΚΑΙ Η ΗΛΙΟΚΑ-

ΜΕΙΝΟΣ ΕΝ ΤΩ ΓΥΜΝΑΣΙΩ καὶ τὰ λ. Quod ita interpretatur doctissimus Seldenus, *sed constructum est etiam* SOLARIUM *in gymnasio* &c. *Heliocaminus* seu solaris fornax legitur apud Plinium, *vaporarium* scilicet *solare in aprico loco situm ad Solis calorem excipiendum*. Ita Budæus, in Pandectis: *Locus est concameratus totus Soli expositus*, inquit Plinius junior, *in epist.* Nos juvat alia inscriptio marmoris Oxoniensis, num. XVI. Appendicis, quod prius Seldenianum fuerat, e Smyrna pariter allatum. *Concedente illi Artemidoro, in nomine suo & filiorum suorum & posterorum, usum concessi Thoracei quod sub* SOLARIO *est*, ὑποκάτω τοῦ ΣΟΛΑΡΙΟΥ. Deinde infra, *Nullo potestatem habente pretio alienare aliquid eorum quæ pertinent ad primum Thoraceum, aut ad* SOLARIUM *suprastructum*, &c. μήτε τὸ κατεπωκοδομημένου ΣΩΛΑΡΙΟΥ καὶ τὰ λ. Ad id puto referri legem ab Atheniensibus latam sepulcrorum magnificentiam minui jubentibus: *Ne quis sepulcrum faciat operosius quam quod decem homines effecerint triduo, neque id* OPERE TECTORIO *exornata, nec Hermas imposito*. Hanc legem laudat Marcus Tullius, *lib. 2. de legibus*.

ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ. *Nullo potestatem habente*. Videntur hæc verba non modo prohibere ne quivis alter in idem vas recondatur, sed etiam formulæ loco esse: Ea enim prorsus similis inter Arundellianas inscriptiones leguntur, n. LXXXI.

ΑΤΤΑΛΟΣ ΓΑΙΟΥ Ο ΚΑΛΟΥΜΕΝΟΣ
ΓΑΙΟΣ ΕΛΕΜΠΟΡΟΣ ΑΓΟΡΑΣΑΣ ΤΗΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ ΚΑΘΑΡΑΝ ΕΠΕΣΚΕΥΑΣΕΝ
ΕΑΥΤΩ ΚΑΙ ΤΟΙΣ ΙΔΙΟΙΣ ΜΗΔΕΝΟΣ Ε
ΧΟΝΤΟΣ ΕΞΥΣΙΑΝ ΚΛΗΡΟΝΟΜΩΝ
ΜΟΥ ΠΩΛΗΣΑΙ ΤΗΝ ΠΡΟΔΗΛΟΥΜΕΝΗΝ
ΚΑΜΑΡΑΝ
ΔΙΑ ΤΟ ΕΙΝ.Ι ΑΥΤΟ ΠΡΥΤΑΝΕΩΣ ΚΑΙ
ΒΟΥΛΕΥΤΟΥ.

Attalus Caii filius qui vocatur
Cajus Elemporus emens
hanc Camaram puram instauravit,
sibi & suis, nullo potestatem
habente ex hæredibus
meis vendere supradictam
Camaram
quia est Prytanis &
Senatoris.

Atque etiam eadem de causa in marmore Seldeniano, Appendicis XVI. *Nullo potestatem habente* &c. ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ ΕΞΟΥΣΙΑΝ. Amicus meus Jacob Sponius, de R. P. litteraria optime meritus, inscriptionem observavit Thyatiræ, similes voces continentem, ΜΗΔΕΝΟΣ ΕΧΟΝΤΟΣ ΕΤΕΡΟΥ ΕΞΟΥΣΙΑΝ. Id prorsus simile apud Romanos prohibebatur, *§. Si quis leg.* 111. *Dig. de sepulcro violato*, his verbis; *Licet enim cavere testatori, ne quis eo* in hæreditarium sepulchrum *inferatur, ut rescripto Imperatoris Antonini cavetur: Servari etenim voluntatem ejus oportere*. Ita in sententiis Pauli, quas ex vetustissimo libro Vesontione ad se perlato refert Cujacius, *l. 21. observat. c.* 13. Porro sciendum est unicuique genti aut familiæ, suum fuisse monumentum: unde Demosthenes ἐν τῷ πρὸς Μακάρτατον. ἐν τῷ μνήματι Βουσελιδῶν πάντες οἱ ἀπὸ τοῦ Βουσέλου γενόμενοι κεῖνται: Hoc est, *In sepulcro Buselidarum omnes a Buselo jacent*. Quare Marcellinus cognationem Thucydidis cum Cimone probat hoc argumento: Πρὸς γὰρ ταῖς Μελιτίσι πύλαις καλουμέναις ἐστὶν ἐν Κοίλῃ τὰ καλούμενα Κιμώνια μνήματα, ἔνθα δείκνυται Θουκυδίδου τάφος. Hoc est, *Juxta Melitenses portas sunt sepulcra dicta Cimonia*: Et probro vertebatur Majorum suorum sepulcro probari: Ἀπόταφος ἀντὶ τοῦ ἀπεστερημένος τῶν προγονικῶν τάφων. D. Epiphanius, in hist. Proph. *Natam vero extremo senio confectus vita decessit, & in Gabaoth proprio suo tumulatus est agro*.

ΜΗΔΕ ΑΠΑΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ. *Neque alienet*. Cave credas sepulcrorum alienationem intelligi debere de eorumdem in alium usum conversione; id enim læsæ religionis crimen fuisset, tum apud Græcos tum apud Romanos; contra quod severissimis legibus satis cautum erat. Vide leges Digestis *de sepulcro violato*, quarum prima sic se habet. *Sepulcri violati actio infamiam irrogat*. Alienatio in inscriptionibus prohibita spectat ad hæredes & familias quibus appropriata erant sepulcra, quæ nec venditione nec donatione nec alia alienationis specie aliis communicari poterant; ita ut alterius familiæ aut alterius hæredum deinde juris essent. Multæ sunt aliæ sepulcrales inscriptiones, nostræ similes, emptionem declarantes, prohibentesque alienationem; hoc est, ne jus in iis sepeliendi ad alios transferretur, præter illos a quibus monumenta condita erant: Quod observare est in variis epitaphiis, quale est hoc Ramnense.

D. M.
M. AVRELIUS ROMANUS
ET ANTISTIA CRISTINA UXOR EJUS
FECERUNT SIBI ET LIBERIS SUIS POSTERISQVE EORUM,
ITEM LIBERTIS LIBERTABUSQUE POSTERISQUE EORUM
MONUMENTUM CUM ÆDIFICIO
NON VENIET NEQUE DONABITUR
NEQUE PIGNORI OBLIGABITUR
SED NE ULLO MODO ALIENABITUR
NE DE NOMINE EXEAT FAMILIÆ SUÆ.

Item in alio,

HOS NEQUE DIVIDI NEQUE ABALIENARI VOLO.

ΑΠΟΤΕΙΣΕΙ, *Solvet*, seu *pro mulcta pendet*. Mulctabantur itaque qui sepulcrorum Domini contra conditoris voluntatem in ea alterius familiæ cadavera inferri patiebantur. Sed quis illam procurabat? Apud Romanos, curabant Pontifices: Hinc Arundellianum marmor CXIII. ARCÆ PONTIFICUM H-S XXX POENÆ NOMINE, Item & CXV. INFERET ARCE PONTIFICUM S-S CENTUM MILLIA NUMMUM. Apud Græcos, ut ærario publico debebatur, sic a fisci procuratoribus procurabatur. De hoc legatur inscr. Arundelliana CXXXVI. Ἐὰν ΔΕ ΤΙΣ ΒΑΛΗ ΔΩΤΩ ΤΗ ΣΜΥΡΝΕΩΝ ΓΕΡΟΥΣΙΑ. Hoc est, *Si vero quis injiciat, solvat Smyrnæorum Senatui mille denarios*. Et Appendicis XVI. ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ ΤΟΛΜΗΣΗ ΑΠΟΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ ΑΠΟΤΕΙΣΕΙ ΤΩ

ΣΕΜΝΟΤΑΤΩ ΣΥΝΕΔΡΙΩ ΤΩΝ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ ΓΕΡΟΝΤΩΝ ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΗΝΑΡΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ. Hoc est, *Si quis vero audeat alienare, solvet augustissimo consessui Senatorum in Smyrna, denariorum argenti duo millia & quingentos.* Et in inscr. a Clarissimo Sponio Thyatiræ observata, impressaque in ejus itinere, *t. 3. p.* 129. ΩΣ ΕΑΝ ΤΟΛΜΗΣΗ Η ΠΟΙΗΣΗ ΠΑΡΑ ΤΑΥΤΑ ΔΩΣΟΙ ΕΙΣ ΜΕΝ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ ΤΗΝ ΘΥΑΤΕΙΡΗΝΩΝ ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΗΝΑΡΙΑ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ: ΕΙΣ ΔΕ ΤΟ ΙΕΡΩΤΑΤΟΝ ΤΑΜΕΙΟΝ ΔΙΣ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ. Hoc est, *Ut si quis ausus fuerit & præstiterit contra hæc facere, solvat urbi Thyaterinorum, denariorum argentorum millia & quingentos, & sacratissimo ærario publico duo millia & quingentos.* Et in alia ab eodem etiam visa & relata, Itin. tom. 3. p. 163. Ο ΔΕ ΠΑΡΑ ΤΑΥΤΑ ΤΟΛΜΗΣΑΣ Η ΒΙΑΣΑΜΕΝΟΣ ΔΩΣΕΙ ΕΙΣ ΜΕΝ ΤΗΝ ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΦΙΣΚΟΝ, καὶ τὰ λ. Hoc est, *Et qui ausus fuerit contra hæc facere, cogatur solvere fisco Cæsaris* &c. In qua notanda venit vox illa Φίσκος idem significans ac ταμεῖον in superiori.

ΜΗΤΡΙ ΘΕΩΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗ. *Matri Deum Sipylenæ.* Quantæ venerationis fuerit hoc Numen, explicat marmor Arundellianum inter Oxoniensia descriptum, pag. XI. in quo se fœdus observaturos jurantes Smyrnæi & Magnesii, conceptis verbis hæc declarabant. Ὀμνύω Δία Γῆν, Ἥλιον, Ἄρη, Ἀθηνᾶν, Ἀρείαν, καὶ τὴν Ταυροπόλον καὶ τὴν ΜΗΤΕΡΑ ΤΗΝ ΣΙΠΥΛΗΝΗΝ, καὶ τὰ λ. Hoc est, *Juro per Terram, Solem, Martem, Minervam, Martiam, Dianam, & MATREM SIPYLENEM* &c. A monte Sipylo dicta est, ut Berecynthia, Idæa, Phrygia, a locis cognominibus. Sancto ejus ærario applicabatur alienationis sepulcralis mulcta, si quando facta fuisset. Egregiam hujus Deæ inscriptionem Smyrnæ effossam ex Th. Reinesii Syntagmate vulgavimus, supra pag. 213. Nec mirandum est Deam hanc Sipylenem suscipiendæ mulctæ capacem fuisse, quæ etiam ab Ulpiano inter Numina hæreditatis capacia numeratur. Is quippe illa nominat quibus Principum constitutionibus facta hæc fuit potestas, non secus ac nostris temporibus, *l' Arca di S. Antonio*, ut Patavii vulgo dicitur, & sancti xenodochiorum aut monasteriorum aut confraternitatum protectores, & mulctis, & testatorum voluntate, & Magistratuum edictis, non exiguam bonorum copiam sibi vindicant. Hanc Deam a Smyrnæis olim cultam fuisse probat æreus hic nummus, de quo alias.



ΔΗΝΑΡΙΑ ΔΙΣ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ. *Denariorum duo millia & quingentos.* In Oxoniensi marmore CXXXVI. Amilla Metrei filia prohibet ne quis in suum sepulcrum inferatur: *Si vero quis injiciat, solvat Smyrnæorum Senatui mille denarios:* ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ ΒΑΛΗ ΔΩΣΩ ΤΗ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΓΕΡΟΥΣΙΑ. Eadem porro denariorum summa in alio marmore pariter Oxoniensi describitur, eandem ob causam solvenda, *Denariorum argenti duo millia & quingenti;* ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΙΣ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ. Atque inscriptio alia producitur a Th. Reinesio, e marmore quod visitur apud Bilegh in agro Essekiano, referente Seldeno, *l. 1. de Synedr. Ebr. cap.* 14. *p.* 505. ΕΑΝ ΔΕ ΤΙΣ ΤΟΛΜΗΣΕΙ ΑΠΟΛΛΟΤΡΙΩΣΑΙ ΤΙ ΕΞ ΑΥΤΩΝ ΩΔΙΠΟΤΕ ΤΡΟΠΩ ΑΠΟΤΙΣΕΙ ΤΩ ΣΕΜΝΟΤΑΤΩ ΣΥΝΕΔΡΙΩ ΤΩΝ ΕΝ ΣΜΥΡΝΑ ΓΕΡΟΝΤΩΝ ΑΡΓΥΡΙΟΥ ΔΕΝΑΡΙΑ ΔΙΣ ΧΕΙΛΙΑ ΠΕΝΤΑΚΟΣΙΑ. Hoc est, *Si vero aliquis ausus fuerit alienare aliquid ex illis* (fundis scilicet sepulcralibus ab Apollodoro donatis) *ullo modo, solvat honoratissimo consessui Senatorum, sive seniorum, qui Smyrnæ sunt, argenti denarios bis mille quingentos.* Denarius Romanus moneta est duabus lineis decussatim positis notata, prorsus ut littera X, quibus decem æreos nummos se valere significaret. Καὶ τὸ δεκάχαλκον ἐκαλεῖτο δηνάριον, inquit Plutarchus. Notas suas arithmeticas ex litteris Græcis Græcos sumpsisse, ut ex Romanis Romanos notissimum est.

ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ. *Hujus inscriptionis.* Eamdem habemus formulam passim in antiquis lapidibus. Marmor Oxoniense, n. LXXIX. hic transcribendum curavimus, tum quod e Smyrna ad occidentales regiones delatum sit, tum quod Inscriptionem nostram simili emptione, similibusque formulis illustret.

ΑΓΟΡΑΣΑΣ ΤΟ ΘΩΡΑΚΕΙΟΝ ΚΑΙ
ΤΑΣ ΕΠΙ ΑΥΤΩ ΣΟΡΟΥΣ ΤΡΕΙΣ ΚΑΙ
ΠΡΟΣΚΑΤΑΣΚΕΥΑΣΑΣ ΤΗΝ ΚΑΤ' ΑΥ
ΤΟΥ ΚΑΜΑΡΑΝ ΝΕΙΛΩ ΟΙΚΟΝΟΜΩ
ΑΣΙΑΣ ΤΩ ΕΑΥΤΩ ΠΑΤΡΙ ΚΑΙ ΕΑΥ
ΤΩ ΚΑΙ ΓΥΝΑΙΚΙ ΚΑΙ ΤΕΚΝΟΙΣ ΚΑΙ
ΕΓΓΟΝΟΙΣ ΚΑΙ ΘΡΕΜΜΑΣΙΝ ΤΑΥ
ΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ
ΕΞΣΦΡΑΓΙΣΜΑ ΕΙΣ ΤΟ ΕΝ ΣΜΥΡΝΗ
ΑΡΧΕΙΟΝ.

Emens hoc Thoraceum &
tria in eo sepulcra, &
insuper exstruens in eo
Camaram Nilo, Oeconomo
Asiæ, patri suo, & sibi
& uxori, & filiis, &
nepotibus, & alumnis.
Hujus inscriptionis reponitur
tabula signata in Smyrnæ
Archivis.

Inscriptiones autem *sepulcrorum quas hodie passim ἐπιτάφια vocant* inquit Cicero, *l. de sen.* 81. Græce dicuntur ἐπιγραφαί.

ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ. *In Archivis.* Doctissimus marmorum Oxoniensium Interpres constanter *in Archivis* traduxit, omisso singulari, forte quod ab eloquentiæ Parente usurpatum non fuerit. Ita desinit Appendicis Inscriptio, num. XVI. nostræ fere similis, *Hujus scripti signata tabella reponitur in Archivis:* ΤΑΥΤΗΣ ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΕΚΣΦΑΓΙΣΜΑ ΑΠΟΚΕΙΤΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ. Et ejusdem Appendicis Inscriptio XXV. ita desinit, *Scripti exemplar reponatur in Archivis:* ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ. Sic desinit alia sepulcralis inscriptio Smyrnæ reperta, & ab erud. Th. Reinesio relata, *in Syntagmate, p.* 503. ΤΗΣ ΕΠΙΓΡΑΦΗΣ ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ ΑΠΟΤΕΘΗΣΕΤΑΙ ΕΙΣ ΤΟ ΑΡΧΕΙΟΝ: Antiquitus erat *curia Magistratuum, & locus collegii colligendi* ἀπὸ τῆς ἀρχῆς *a principatu.* Hesychio & Suidæ fuit χαρτοφυλάκιον, ἔνθα οἱ δημόσιοι χάρται κεῖνται, Servio *armarium & instrumentum publicum, in quo acta publica asservantur.* Erat idem τὸ ἀσεῖον & γραμματοφυλάκιον locus in quo debitorum civitatis Syngraphæ adservabantur. Item νομοφυλακεῖον &c. *Tabularium* passim a Cicerone nuncupatur, *Tabulæ publicæ Heracliensium, quas Italico bello,*

incenso tabulario interiisse scimus omnes, pro Archia. Cur illud non fuerit, ut Athenis, in fano Matris Deorum, cui etiam mulcta pendebatur, in quo quidem leges, decreta, juramenta chartasve publicas recondi & asservari docent veteres: Ἔστι δὲ Ἀθήνῃσι τῷ Μητρῴῳ ἀρχεῖον ἱερὸν φυλακίῳ.

ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ. *Stephanephori*. Coronam gestantem vocabulum ἐπωνύμως significat: Apud Græcos porro dignitatem indicabat. STEPHANEPHORORUM genus duplex erat: Alii tam Magistratuum censuræ quam Deorum sacris, annis suis electi præerant: Alii exuta post elapsum annum dignitate profana, seu administratione civili, perpetuo tamen manebant Sacerdotes honorarii. Utrique autem STEPHANOPHORI nuncupati, quod universis iisque solis coronam lauream gestare fas erat. In hanc dignitatem evectus fuit Themistocles, cum sedem haberet Magnesiæ, quam ut panem, sicut alias Orientis urbes, ut vinum, obsonia, vestes, & stragula ei subministrarent dono a Xerxe acceperat. Audiamus Athenæum, l. XII. cap. VIII. Πόσις δ' ἐν τρίτῳ Μαγνητικῶν, τὸν Θεμιστοκλέα φησὶν ἐν Μαγνησίᾳ τὴν ΣΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΝ ἀρχὴν [illegible] Ἀθηνᾷ καὶ τὴν ἑορτὴν Παναθήναια ὀνομάσαι. Hoc est, *Posis libro tertio Magnesiorum, ait Themistoclem in Magnesia cum STEPHANIPHORI dignitatem assumpsisset, Palladi sacrificasse, festumque illum [illegible] Panathenæa.* [illegible] ΣΤΕΦΑΝΙΦΟΡΟΥ vox Herculis Sacerdotem denotabat, ut legitur, apud Athæn. *l.* 5. *c.* 14. Καὶ Ταρσοῦ δὲ Ἐπικοῦ[illegible] φιλόσοφος [illegible] πατρίδος ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΣ αἱρεθεὶς, ϗ τὰ λ. [illegible] δάφνης χρυσῆς ἐστεμμένος. Hoc est, *Et Tarsi fuit tyrannus philosophus, qui a conterraneis civibus[illegible] creatus STEPHANEPHORUS* &c. *coronam lauream ex auro gestans*. Scribit Philostratus temporibus M. Aurelii, Heraclidem, Sophistam *coronatam dignitatem* seu eam quæ STEPHANIPHORI est, *apud eos obtinuisse, a qua annis suis Smyrnæi nom[illegible] impon[illegible]*: ΣΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΝ ἀρχὴν παρ' αὐτοῖς ἦρξεν, ἀφ' ἧς τοῖς τίθενται Σμυρναῖοι τὰ ὀνόματα. Ex quibus verbis illustrior evadit inscriptio, utpote in agro Smyrnæorum reperta, apud quos STEPHANIPHORI nomine annus signabatur. Insigne describitur marmor inter Oxoniensia, Smyrnæorum & Magnetum fœdus continens, cujus principium annum designat, his verbis: ΕΠΙ ΙΕΡΕΩΣ ΗΓΗΣΙΟΥ ΣΤΕΦΑΝΙΦΟΡΟΥ ΔΕ ΠΥΘΟΔΩΡΟΥ. Hoc est, *Pontifice Hegesia, STEPHANOPHORO autem Pythodoro* Legitur & ΘΕΥΔΙΑΝΟΣ ΣΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΣ *Theudianus STEPHANEPHORUS* in columna recensente donaria ad gymnasii, ut videtur, Smyrnensis ornatum, pariter inter Arundelliana. Decretum exposuit doctissimus Th. Reinesius, columnæ inscriptum, Sardibusque Lydiæ metropoli repertum, in honorem T. Claudii Quirina, Præfecti STEPHANEPHORI & Gymnasiarchæ [illegible] ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥ ΚΑΙ ΓΥΜΝΑΣΙΑΡΧΟΥ ϗ τὰ λ. Atque etiam ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΥΝΤΟΣ Γ. ΠΟΡΚΙΟΥ ΔΟΜΙΤΙΟΥ, *Magistratum gerenti*, in Inscriptione Oxoniensi CXXIX. Erant ergo illi ut supremi Harmostæ & Judices in diversis Asiæ urbibus, Magnesia, Smyrna, Sardibus, Tarso. Inscriptionem Laodiceæ a se visam ad hanc rem suppeditat doctissimus Sponius, *Itiner. tom.* 3. *p.* 144

ΜΝΗΜΑ ΜΟΝΟΜΑΧΙΑΣΩΝ ΔΟΘΕΝΤΩΝ
ΥΠΟ ΑΡ[illegible] ΚΑΙ ΣΤΕ[illegible]ΦΟΡΟΥ
[illegible]ΙΟΚΛΕΟΥΣ [illegible]ΟΥ ΔΙΟΚΛΕΟΥΣ ΜΗΤΡΟ[illegible]ΛΟΥ.

Hoc est, *Monumentum ob agones populo datos sub Diocle Pontifice maximo & STEPHANEPHORO, Dioclis filio, Metrophili nepote*. Apud Thebanos, Sacerdos annuus Apollinis Ismenii, puer natalibus forma & robore insignis, ὁ Δαφνηφόρος dictus est, ob lauream gestam, ex Pausania, *in Bœotic.* Sic apud Græcos, Flaminibus, ΣΤΕΦΑΝΗΦΡΟΙΣ nomen fuit, quibus ferre coronam & comam promissam proprium erat, qui etiam arma sumere, aut Phocensium agros invadere lege vetabantur. Ceterum passim in Inscriptionibus legitur ΣΤΕΦΑΝΗΦΟΡΟΣ & ΣΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΣ & apud Euripidem, *in Hyppolito*, apud Pollucem, *in comm. Aristoph.* & Athenæum, *lib. XII.* pro coronato seu coronam gestante, ut Στεφανηπλόκος apud Theophrastum *l.* 6. *hist. plant. cap.* 6. & Στεφανόπλοκος pro coronario seu nectente coronas, seu coronamentorum artifice. Qui differant [illegible] & στεφάνη, docet Casaubonus, *in comment. Athenæi, l. V. cap. VIII.* Explodatur tanta disquisitione viri cujusdam docti opinio ΣΤΕΦΑΝΟΦΟΡΟΝ nomen esse familiæ aut cognomen sibi persuadentis.

ΜΗΝΟΣ ΤΡΙΤΟΥ. *Mensis tertii*. Difficillimum est qualis fuerit ille mensis certo assignare; neque enim Romani Græcis exacte correspondent, qui, maxime Attici, a Solstitio æstivo annum inchoabant circa medium Junium: Sic itaque Augustus pro mense tertio intelligendus veniret. Alia deinde difficultas oritur, an Atheniensium mensis hic designetur: Horum enim menses plurimum differebant a cœterorum Græcorum & Macedonum & Bythiniensium & Cappadocum & Cypriorum & Ægyptiorum & Hebræorum computandi ratione, qui omnes suos singulos & peculiares menses habebant. Boedromionem pro tertio Atheniensium interpretari liceret; sed hæc flocci sunt. Omnium nomina a Grammaticis amplissime recensentur. Determinatum ullum mensem designari non autumo, ob appositum ΑΙΛΙΟΥ ΒΙΩΝΟΣ nomen: Quippe cum tertius esse videatur, a quo Ælius Bion creatus fuisset STEPHANEPHORUS. Ut enim Athenis solemni titulo, Archontum primi nomine, Fasti & acta publica signabantur, qui ob id ἐπώνυμος τοῦ ἐνιαυτοῦ dicebatur, & Romæ Consulum, sic talis erat Smyrnæ Stephanephori autoritas, ut dignitas vicem epochæ gereret, & inde periodus publica haberetur, qua Inscriptiones exararentur. Unde mensem illum tertium ab eo deducendum esse opinor, a quo Stephanephoream dignitatem suscepisset ille Ælius Bion.

Notas aliquot grammaticales mantissæ loco adjici non inutile arbitror, quippe quæ plus interdum tædii afferant, & laboris, quam mereantur; iis itaque paucis φαρμάκοις mederi conabor.

Quod unita modo vocabula, modo separata sint, in imperiti cœlatoris seu quadratarii arbitrium aut imperitiam, atque etiam linearum calculum & proportionem rejiciendum est. Egregium est ad hanc rem Clarissimi Sponii testimonium, in Miscell. p. 51. *Omnes fere Græcas Inscriptiones lapidibus insculptas sine ulla vocum distinctione in Autographis* se legisse profitentis, *e contra vero in Latinis*.

Maxima porro lapidicidæ nostri observanda est diligentia, qui præterquamquod nullum plane errorem commisit, duobus nominibus non terminatis punctum triangulum apposuit, in prima scilicet & ultima linea, quibus ΑΥΡ· ΑΙΛ. designari ΑΥΡΙΛΙΑΝ. & ΑΙΛΙΟΥ indicaret; quod & in aliis Inscriptionibus antiquis observavimus.

Littera Ξ in vocabulis ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ & ΕΞΟΥΣΙΑΝ paululum a consueto more deflectit, verum omnimode in utroque similis est, ut in ære scul-

pta. Cujus rationem reddit Stephanus, *de Urbibus* in voce BEBPYKΩN: ἔχει γὰρ οἰκειότητα τὸ σ πρὸς τὸ ξ. *Habet enim affinitatem ς pro ξ*, quod etiam de ζ poteſt affirmari. Animadvertit Gruterus, in notarum ac litterarum ſingularum abbreviatione ξ *hodiernum pro antiquo Ξ repoſitum fuiſſe* in Herculis Inſcriptione; vide ejus indicem. Ad quod ſpectat nummulorum noſtrorum ἐπιγραφὴ ſcilicet dum ALEXANDER per XS ſcriptus cernitur, & PAXS, quæ quidem binæ litteræ latinæ pro interpretanda Græcorum Ξ aut Z & æquivalenda repoſitæ ſunt: Sic etiam FELIXS antiquitus ſcribebatur in nummo & ſaxis: Atque etiam UXSOR in lapide veſtibulum decorante ædium Mantuanarum, Patavii.

Δ ſemper trajicitur, non ima latera conjungendo ad trianguli formam, ut moris eſt, ſed in media littera, quod certe maximam antiquitatem demonſtrat.

M etiam maximam ſapit antiquitatem, medio pede ad imam litteram protracto, quo æquales ſint extremi & medius.

Littera N pro Γ bis monumento noſtro inſcripta eſt, ſcilicet dum vox ANΓEION iterata eſt: Nullum enim dubium eſt duplicem ΓΓ requiri ſublata N.

Linea XII. inſolito modo ſcriptum eſt A, unde antiquitatis maxime argumentum deducitur.

Linea penultima P in Γ includitur, fortaſſis ne ob characterum in ea includendorum copiam, vitiaretur æqualitas, cœterarumque ſpatium & cancellos ſuperare videretur.

Littera Π in pleriſque antiquis Inſcriptionibus & præcipue Smyrnenſibus, non integra cernitur, crure ſiniſtro paululum imminuto; ex quo antiquiores æſtimandæ ſunt.

Littera Υ numquam pura legitur, ei conſtanter adjecta tranſverſali ſive ad latera adjunctis punctis. Υ.

Curioſa illa eſt ☧ Ω pictura, antiquiſſimum denotans ævum.

Quæ duæ poſtremæ notulæ in formam QQ viſuntur, ab Amico quodam meo exiſtimabantur compendia, celeritati & excerptioni reperta, a quibus σημείοις Notarii latine, græce Σημειογράφοι dicti ſunt, Plutarchus *in Catone*: Οὔπω γὰρ ἤσκουν οὐδ' ἐκέκτηντο οὓς καλοῦσι σημειογράφους. Porro finales ſunt termini a quadratariis ſuum opus exornantibus pro arbitrio effecti: Ita aliquando folia viſuntur inverſa vel recta & ſurgentia, & nonnulla ad cordis ſagitta transfixi figuram delineata ſunt, ut ſummi doloris hyeroglyphicum eſſe multi cenſuerint.

In voce XEIΛIA, EI ſcribitur pro I, ſic in AΠOTEIΣEI pro AΠOTIΣEI. Hæc ſcribendi ratio vulgo occurrit in antiquis monumentis, & nonnulla exempla licuit obſervare in inſcriptionibus, quas ad illuſtrandum hunc lapidem congeſſimus.

SECUNDA INSCRIPTIO.

ΛΟ ΜΟΥΡΔΙΟϹ
ΗΡΑΚΛΑϹ ΕΤΩΝ Κ
ΗΡΩϹ

L. MURDIUS
HERACLAS, ANNORUM XX.
HEROS.

PRæclarum lapidem insigni typo atque insolita inscriptione nobilem conspicientes, nos maxima hilaritate affecisse libenter fatemur, cujus ope ad aliquam antiquarum rerum reconditam eruditionem pervenire facile speramus. Primum itaque de titulo dicamus, dein ad cœtera lapidi insculpta, pergamus.

De more atque utilitate ἐπιγραμμάτων, ἐπιταφίων, & aliarum inscriptionum tumulis affixarum, dictum est supra, *pag.* 208. Qualis sit quam nunc intuemur perpendamus.

In ipso limine, hæret aqua: An ΛΟΜΟΥΡΔΙΟϹ LOMURDIUS, uno nomine legendum? si ita sit, plane a nobis qualis ille fuerit, ignorari fatemur. Si in medio illud secetur, ΛΟΜΟΥΡ quidem pariter obscurum erit; verum ΔΙΟϹ egregie sequenti vocabulo conjungeretur, scilicet voci ΗΡΑΚΛΑϹ quæ Doricæ pro ΗΡΑΚΛΗΣ *Herculem* significat, & *Jovis filium*, & *Heroem* ab antiquis habitum. Si vero Λο & ΜΟΥΡΔΙΟϹ disjungi patiantur, cur ΛΟ υκιος ΜΟΥΡΔΙΟϹ Lucius MURDIUS non declararentur? abbreviato ut sæpe fiebat prænomine. Lucius equidem frequentissime a Græcis Romanisque usurpabatur. MURDIUS nomen erat gentis variis nobilitatum cognominibus. Leguntur quippe apud Gruterum MURDII, *Demosthenes*, *Felix*, *Lalus*, *Maximus*, *Phœbus*, *Valens*, *Vitalis*: Et apud Reinesium, *Apollonius*, *Ampix*, *Diadumenus*, *Donatus*, *Eutyches*, *Justus*: Atque etiam MURDIÆ, scilicet *Clymena* & *Prisca*.

ΗΡΑΚΛΑϹ. Vulgaris Dorum idiomatis, quam dialectum vocant, η in α convertere proprietas est generalis. Hinc pro σελήνην dicunt σελάναν: pro ἥλιον, ἅλιον: pro πύλην, πύλαν. Sic etiam potuit ΗΡΑΚΛΑϹ scribi pro ΗΡΑΚΛΗϹ, dum Herculem significarent. Atque iterum prodiret Doricismus, ε interdum elevans, Ηρακλῆς pro Ηρακλέης, quemadmodum ει convertebat in η, scribens ἰδῆν pro ἰδεῖν. Hoc nominis sortitum esse Herculem asserit Fulgentius, *Mythol. l.* 2. *cap.* 5. quasi Ηρώων κλέος esset, *virorum fortium fama*. Ab ipso oraculo ipse nomen acceperat; ἥρα γὰρ ἀνθρώποισι φέρων κλέως ἄφθιτον ἕξεις. Ηράκλεις autem ut apud viros admirantis est & abominantis, quod Hercules soleat in malis opitulari, ita fœminæ amicam Venerem indicabant, ὦ φίλη Αφροδίτη. Conjectura est Lucium MURDIUM hunc nostrum ex Heraclidum genere ortum fuisse, quique Ηρακλεῖδαι apud Spartam regnaverant, teste Plutarcho, *in Licurgo*. Sic Hippocrates noster, Heraclidæ filius Ηρακλήδου υἱός, a Sorano dictus est, qui ab Hercule vigesimus numerabatur, ἀφ' οὗ μὲν εἰκοστός.

Quin ΕΤΩΝ Κ. ætatem ANNORUM XX. significet, nullum est dubium; & ipsam Equitis nostri effigiei convenientem, plane heroicam. Juvat Plutarchi locus, *de consolatione ad Apollonium*, HEROUM excellentissimos ad senectutem nunquam perventos, quod ab Homero desumptum videtur, *Odissea ω*; Nequeunt senii supremum diem adire. Passim HEROES Deorum filii nuncupati sunt, qui divinæ humanæque naturæ participes, ideo ἡμίθεοι ἄνδρες intelligebantur. Ita apud Hesiodum, Ανδρῶν Ηρώων θεῖον γένος οἱ καλέονται ἡμίθεοι: Et apud Lucianum, *in Menippo* ἐξ ἀνθρώπου τι & θεοῦ σύνθετον. Ut autem Dii censebantur φυσικοὶ καὶ ἀθανατοὶ, sic Heroes qui θνητοὶ θεοὶ habebantur; utpote qui egregiis facinoribus erecti, & supra hominum sortem positi, immortalitatem meruerant: ut Euripilus Herculis nepos, & Jul. Cæsar, in nummis; Hercules, Castor, Pollux, Cyzicus, Achilles, Hector, Ulysses, Memnon, Byzas, Tomus, Seleucus Nicator, Ptolemæus, cæterique urbium conditores, *qui hac de causa HEROES a posteris dicti sunt*, inquit Strabo. Ita Agamemnona suos hortari fingit Homerus,

> Ω φίλοι Ηρωες Δαναοὶ θεράποντες Αρηος.
> *O amici HEROES Græci, famuli Martis.*

Longe vetustior est Ηρωογονία ab Hesiodo descripta, seu HEROUM Natalia. Ejus argumentum tradit Maximus Tyrius, *Dissert. XVI.* Καθάπερ ὁ Ησίοδος χωρὶς μὲν τῶν Ηρώων, ἀπὸ γυναικῶν, ἀρχόμενος, καταλέγων τὰ γένη, ὅστις ἐξ ἧς ἔφυ. Illas scilicet recensere quæ HEROES peperissent.

Antiquissimo quidem ævo, HEROES tanquam σωτῆρες *Servatores*, & πατρῴους & ἐγχωρίους vocaverunt Græci, ad quorum cultum, lege Draconis perpetuo tenebantur, quemque *Sacrosanctum* memorat Philostratus. HEROUM etiam ut Deorum in homines iræ timebantur: Ita Pausanias, *l.* 3. εἴη δ' ἂν καὶ τὰ μνήματα ἔκ τε ΗΡΩΩΝ ὁμοῦ καὶ Θεῶν ἐς τὸ αὐτὸ, καὶ τὰ λ. Temporis tractu, longe lateque ampliatus est, ut pincernæ unius ex Penelopes amatoribus apud Homerum, *Odyss.* Σ. traditus sit: τοῖσιν δὲ κρητῆρα κεράσσατο Μούλιος ΗΡΩΣ ut catamitus Antinous, non in Ægypto solum, sed & apud Græcos, Hadriani jussu consecratus sit. ΑΝΤΙΝΟΟΣ ΘΕΟΣ, ΑΝΤΙΝΟΟΣ ΗΡΩΣ, in nummis. *Antinous Deus*, *Antinous HEROS*. Nonne Constantinum M. irridens Julianus ἀγαθὸν ΗΡΩΑ nuncupavit? ΗΡΩΕϹ προνωπίοι leguntur apud Dion. Halicarnasseum, Antiq. lib. IV. *Lares propitii* quibus in singulis Urbis compitis sacella exstrui jusserat Servius Tullius. Eos deinde in singulis ædibus coli Religio persuasit, quorum effictas imagines populus veneraretur. Eo more Imp. Alexander Severus *Lararium sibi exstruxit*, referente Lampridio, *in quo Christum*, *Abrahamum*, *Orpheum*, *Apollonium*, *Achillem*, *Alexandrum M. Ciceronem*, *Virgilium*, ut HEROES seu Semi-Deos colebat. Audiamus primum Poetam Christianum, *in Symm. l.* 1.

> *Et tot templa Deum Romæ quot in urbe sepulcra*
> *HEROUM numerare licet: quos fabula Manes*
> *Nobilitat, noster populus veneratus adorat.*

Ultimum porro commemorat Pausanias, *l. VI. Apollinis oraculo*.

> Υστατος ΗΡΩΩΝ Κλεομήδης Αστυπαλαιεὺς
> Ον θυσίαις τιμᾶθ' ὡς μηκέτι θνητὸν ἐόντα;

Hoc est,

Ulti-


ΛΟΜΟΥΡΔΙΟΣ
ΗΡΑΚΛΛΣ ΕΤΩΝ Κ̄
ΗΡΩϹ

Ultimus HEROUM Cleomedes Astypalensis,
Quem jam immortalem superum dignamini honore.

Præsertim vero ἀπὸ τῆς ἀρετῆς dicti sunt qui virtute præstantes, *supra cæterorum naturam & conditionem*, ut loquitur Aristoteles, l. 7. Ethic. *ad divinitatis excellentiam accedebant*, οἱ δ' ἀρετῆς ὑπερoχὴν θεῖοι. Quare eadem id seu dignitatis seu cultus nomen peperit: ΗΡΩΑ καὶ δαίμονα Homerum nuncupat Julianus, *Orat.* 3. talem a Pythio declaratum. Placet hic referre Arundellianum Marmor, in appendice vigesimum, ad Heroicæ dignitatis significationem multum faciens.

Η ΚΡΑΤΗΣΤΗ ΘΥΑΤΕΙ
ΡΗΝΩΝ ΒΟΥΛΗ ΚΛΩ
ΔΙΟΝ ΑΥΡ. ΠΡΟΚΛΟΝ
ΗΡΩΑ ΑΝΔΡΑ ΕΥΓΕΝΗ
ΕΠΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ
ΚΑΙ ΑΡΧΑΙΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡ
ΓΙΑΙΣ ΠΑΣΑΙΣ ΔΙΑ ΤΕ ΑΥ
ΤΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΓΕΝΟΥΣ.

Præstantissima Thyati
renorum Senatus, Clo
dio Aurelio Proclo,
HEROI, viro nobili,
ob sanctitatem vitæ,
& Magistratus & munera,
publica, omnia gesta, & ab
eo & a familia illius.

Elegans est Cl. Sponii interpretatio, qui hanc ipsam inscriptionem Thyatiræ observaverat: HEROIS enim vocem significare docet virum meritis clarum, factorumque laude illustrem, quem Galli dicunt, *une personne de grand merite*. Ita olim Pausanias, *l. X. Xantippum HEROEM, virum bello clarum* nuncupavit, τὸν δὲ ΗΡΩ τοῦτον Ξάνθιππον οὐκ ἀφανῆ τὰ ἐς πόλεμον. Eo sensu ad Augustum canit Horatius, *od. XII.*

Quem virum aut HEROA, lyræ vel acri
Tibia sumes celebrare, Clio?
Quem Deum?

Quæ quidem a Pindaro, adeo conveniunt, desumpta videntur, *ode 2. Olympion.*

Ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι
Τίνα Θεὸν τὶν ΗΡΩΑ
Τὶν δ' ἄνδρα κελαδήσομεν.

Sæpe etiam HEROS *defunctum* significat κατ' εὐφημισμὸν prorsus ut Græci dixerunt postea μακαρίτας *beatos*. Ita apud Phucyllidem.

Ἔσσεαι ἀθάνατος, Θεὸς ἄμβροτος, οὐκέτι θνητὸς.
Eris immortalis, Deus perennis, nec amplius mortalis.

Consentit Varro, mortuos omnes Deos, Manes existimatos fuisse, unde frequens inscriptio, D.M. Dis manibus. Hinc legem emanasse constat, *Letho datos, Divos habeto;* quam interpretatur Cicero, *l.2. de leg.* Ad eamdem refertur Plutarchi locus, in Solone, *Quoniam pium est defunctos existimari sacros sive sanctos*, ἱερὰς. Inde forte Quintilianus, *Declam. X.* ipsos sepulcri lapides *sacratos morte* appellat. Diligentissimus Pausanias, *l.* 1. docet *Marathonios honorem cunctis habere qui in pugna occubuissent, HEROASQUE illos appellatos:* Σέβονται δὲ οἱ Μαραθώνιοι, τούτους τε οἱ πα-

ρὰ τὴν μάχην ἀποθανόντας, ΗΡΩΑΣ ὀνομάζοντες.

HEROUM autem multitudinem innuere videtur civitas Ægyptia, ad Arabici sinus recessum, ΗΡΩΩΝ ΠΟΛΙΣ dicta a Ptolomæo, *l.* 4. *c.* 5. Strabone, *l.* 17. & Herodoto, *l.* 2. Ut taceam *insulas circa Britanniam desertas, quarum nonnullæ*, autore Plutarcho, *Geniorum & HEROUM insulæ dicuntur*. In Attica refert Pausanias, *l.* 1. esse *Aras Deorum qui ignoti vocantur* & HEROUM: Βωμοὶ δὲ Θεῶν τε ὀνομαζομένων ἀγνώστων καὶ ΗΡΩΩΝ. Egregie sane docet Joseph, *Ant. Jud. l. 2. cap. 12. Græcos suis HEROIBUS quos Semi-Deos nuncupant, insulas fortunatas quas habitent, assignasse: impiorum animis æternum apud Inferos vexatis, qualis censebantur Sisiphus, Tantalus, Ixion.*

Quin & *Heroicas ætates* nuncupat Cicero, *Ulyssis, Nestoris &c. quibus scilicet HEROES vixerant.* Ἡρωΐδας etiam fuisse quas Heroinas, Heroides, & Heroissas, græcisantes Latini dicunt, nummi antiqui testantur. *Juliam Proclam Heroissam*, ΙΟΥΛ.ΠΡΩΚΛΑΝ ΗΡΩΙΔΑ gemini celebrant nummi Mytilenses, ut & ΝΑΥΣΙΚΑΑΝ ΗΡΩΙΔΑΝ *Nausicaam Heroissam*, Alcinoi Phœacum in Corcyra Regis filiam, de qua Homerus, *Odyss.* θ. & post eum Athenæus, *l.* 1. δειπν. ταύτην δὲ μόνην τῶν Ἡρωΐδων Ὅμηρος παράγει σφαιρίζουσαν. Hoc est, *Solam autem ex Heroidibus*, Nausicaam *Homerus pila ludentem inducit*. Et apud Ovidium, *in Trist.*

Prima locum sanctas HEROIDAS inter habere.

Sed ad inscriptionem nostram revertamur, cui duas non multum dissimiles adjungam. Alteram inter Marmora Oxoniensia *Appendicis n. VI.* cujus typus nostro maxime convenit.

. . . ΟΥΜΟϹ ΗΡΑ
ΚΛΕΙΔΙΑΝΟϹ
ΕΤΩΝ ΙΗ ΗΡΩϹ
ΤΑΤΕ ΕΝΕΠΟΙΗΣΕ

. . . Umus Hera
clidianus
annorum XVIII. Heros
hæc fecit.

Typum his verbis demonstrat eruditissimus ejus interpres Humpfridus Prideaux: *Infra, Figura incisa virilis nuda; sive equum ducens, sive frœna tenens, & arbor e cujus ramis prodit anguis.* Eamdem etiam vulgavit Th. Reinesius, *in suo syntagmate, p.* 624. adjungendo primæ lineæ ΠΟΣΤ, ut exurgeret Postumus, & pro ΤΑΤΕ substituendo ΤΑΤΗΝ, *alumnum*. Sed cur non ΠΟΣΘ? Posthumus enim apud Latinos dicitur qui ex ea quam pater gravidam reliquerat, natus est, idest, *post humatum patrem.*

Alteram Delphis descripsit amicissimus Sponius, quam in Itinerario suo vulgavit, *tom.* 3.

ΧΡΗΣΤΟϹ ΠΡΟΤΟΥ
ΘΕΣΣΑΛΟϹ ΛΑΡΕΙΣΑΙΟϹ
ΠΕΛΑΣΓΙΩΤΗϹ ΕΤΩΝ ΙΗ
ΗΡΩϹ
ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.

Chrestus Primi filius
Thessalus, Larissæus,
Pelasgiotæ, annorum XVIII.
HEROS
Chreste, Vale.

Hactenus de inscriptis lapidi characteribus, & fortassis quam par erat diffusius; crescentibus sub manu istis cultiorum Musarum fructibus; Jam ad typi interpretationem accedamus.

Lapidis ſepulcralis mediam & nobiliorem partem occupat Eques tunicatus & chlamydatus, pateram dextra tenens, coram ara quadrata accenſa, ad cupreſſum, cui intortus anguis, capite prominente ſacrificantem benigne excipere videtur. Hunc ſequitur puer tunicatus pallium gerens. Inter equi pedes, canis herum ſequitur. Quæ ſingulatim perpendere animus eſt.

An eques ille ſit HEROS lapidi inſcriptus, an alter HEROIS honores exequens, cuilibet interpretari ſit licitum.

Volunt quidam hoc Equite denotari funebrem Decurſionem, quam περιδρομὴν vocabant Græci, in illuſtrium virorum ſeu HEROUM funeribus uſitatam. Ac forte certamina illa equeſtria ab Hercule inſtituta, de quibus ita Dion. Halicarnaſſeus, l. 4. *Certamina quidem funebria in honorem clarorum virorum, gymnica & equeſtria, a neceſſariis facta tradunt, ut ab Achille in Patrocli, & multo ante ab Hercule in Pelopis funere.* Illorum ampliſſimam mentionem facit Homerus. *Iliad.* Ψ.

> Οἱ δὲ τρὶς περὶ νεκρὸν ἐΰτριχας ἤλασαν ἵππους
> Μυρόμενοι, καὶ τὰ λ.

Hoc eſt,

Illi autem ter circa cadaver pulchre crinitos egerunt equos, lugentes &c. Unde ſcripſit Poetarum Princeps, *Æneid. l.* 11.

> *Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis*
> *Decurrere rogos, ter mæſtum funeris ignem*
> *Luſtravère in equis, ululatuſque ore dedere.*

Quid ſit decurrere, docet Livius, *l. X. de bello Macedonico*, his verbis: *Mos erat, luſtrationis ſacro peracto, decurrere exercitum, & diviſas bifariam acies concurrere ad ſimulacrum pugnæ.* Unde A. Gellius, *l. VIII. Ut in Decurſionibus ludicris aut ſimulacris præliorum voluptariis fieri videmus.* Funebres autem Decurſiones Imperatorum Romanorum plurimi autores commemorant, quas a Pœnis, Hiſpanis, Getiſque, in Principum & Illuſtrium ſuorum funeribus uſurpatas, non pauci tradunt. Eo refertur quod legimus in Fragmentis Cteſiæ medici, vetuſtiſſimi de rebus Perſicis autoris, *Zarinæ Sacarum in Perſia Reginæ colloſſeam effigiem ſuper buſtum erectam, & HEROICOS illi honores conſecratos*, τιμὰς ἡρωϊκὰς ἀπονεῖμαι.

Relicta cuilibet arbitrii libertate, mallem de funebri ſacrificio lapidem hunc interpretari: HEROIBUS quippe parentari conſtat ex Ariſtotele, *de mundo*, Θεῶν τε θυσίαι, καὶ ΗΡΩΩΝ θεραπεῖαι, καὶ χοαὶ κεκμηκότων. *Diis ſacrificatur; Geniis miniſtratur; obitis, libatione perfunditur.* Ad cujus interpretationem maxime convenit Apulii traductio *Genios* pro HEROIBUS interpretantis. Audiamus Herodotum, *l. 7. c.* 43. Ξέρξης ἐς τὸ Πριάμου Πέργαμον ἀνέβη, ἵμερον ἔχων θεήσασθαι· θεησάμενος δὲ καὶ πυθόμενος κείνων ἕκαστα, τῇ Ἀθηναίῃ τῇ Ἰλιάδι ἔθυσε βοῦς χιλίας· χοὰς δὲ οἱ Μάγοι τοῖσι ΗΡΩΣΙ ἐχέαντο. Hoc eſt, *Xerxes Priami Pergamum aſcendit, loci viſendi cupidus: Quod ubi contemplatus eſt, & ſingula quæque audivit, Minervæ Iliadi mille boves immolavit, quorum libamine Magi HEROIBUS parentaverunt.*

Huc referre confert priſcorum hominum morem triplici modo mortuis parentantium, Inferiis ſcilicet, epulis & ludis: *Inferiæ ſunt ſacra mortuorum ab inferis dictæ*, ut docet Servius, *ad l. X Æneid.* vel ab inferendo, *quod mortuorum umbris inferantur*, ut vult Turnebus *l. 4. Adverſ. c.* 22. Teſte Feſto, *Erant ſacrificia quæ Diis Manibus inferebant.* Ita Suetonius, *in Caligula, c.* 3. de Germanico: *Si clarorum virorum ſepulcra cognoſceret, inferias Manibus dabat.* Eaque vel liquoribus, vel victimis. Illi autem maxime erant aqua, vinum, lac, ſanguis, & unguentum, quorum omnium luculenta ſunt apud claſſicos Autores teſtimonia. Vinum autem in patera contentum eſſe conjectura eſt, ex Feſto; *Reſperſum vinum ſignificat apud antiquos, quia in ſacris Novemdialibus vino mortui ſepulcrum ſpargebatur.* Erat autem hoc vinum plerumque merum, quo utebantur in libationibus, ut legitur apud Euſtathium, & Virgilium, *l. V. Æneid.*

> *Hic duo rite mero libans carcheſia Baccho,*
> *Fundit humi.*

Ita etiam Apulejus, *l. 4. Mileſ. Poſt illum ſermonis terminum poculis aureis memoriæ defunctorum commilitonum vino mero libant.* Interdum lacte & ſanguine litabant, ut legitur apud Virg. *l. 3. Æneid.*

> *Inferimus tepido ſpumantia cymbia lacte*
> *Sanguinis & ſacri pateras,*

Commentatur Servius: *Ideo lactis & ſanguinis mentio facta eſt, quia affirmantur animæ lacte & ſanguine delectari:* Et paulo poſt: *Bene animam lacte & ſanguine dicit elicitam ad tumulum: Lacte namque nutritur corpus poſt animæ conjunctionem, & anima ſine ſanguine nuſquam eſt, quo effuſo recedit.*

Pateram quovis liquore plenam Eques dextra tenet, aræ effundere paratus. Erat illa *poculi genus latum ac patens quod ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebatur*, inquit Cicero, *de divin.* Et quod victimarum ſanguinem etiam excipiebat. Grate recordor talem mihi antiquam fuiſſe pateram integerrimam viridis coloris, ſeu Smaragdinæ æruginis, ab Italis nuncupatæ *di patina verde*, quam in Cæſareo Viennenſi cimeliarchio collocaſſe glorior.

Heroem noſtrum aperto capite lapis exhibet, ſed veſtitum. Tunica quidem inferior mihi eſſe videtur; ſuperior ad Chlamydem περιβόλαιον, Lænam, χλαῖναν, & Lacernam, & Sagum, & Paludamentum poteſt revocari, quæ etſi aliquam habeant diſſimilitudinem, in eo tamen conveniunt, ut cæteris ſuperinjecta veſtimentis, arcendo frigori, humeros tegant, & a ſummo pectore abduci queant. Chlamys de qua hic præcipue, *veſtis erat militaris & regia*, ait Cicero; *Veterum HEROUM geſtamen* inquit Ammonius; τετράγωνον ἱμάτιον, cui *formam terræ habitabilis* σχῆμα χλαμυδοειδὲς conſtituit Strabo, *l.* 1. Unde Macrobius: *Veteres omnem habitabilem terram extentæ chlamydi ſimilem eſſe dixerunt*: illam ita deſcribit Plinius. *Orbe gyrato, dextra lævaque, anguloſo procurſu;* Laxa erat, ut retro facile rejiceretur, & ideo fibula in ſumma ſui parte nectebatur, ne decideret, unde dicta etiam *fibulatoria*. A Rege Numa inventam ſcribit Suidas, diſſimilem a Temeni Arcadis chlamyde, quam primus *hoc modo circumjecit &c.* Τοῦτον περιεβάλετο τὸν τρόπον, inquit Ælianus *lib. 2. c.* 3. Hanc Tunicæ injici, clarum eſt ex Homero, apud quem *HEROES primo Clænas, mox & Tunicas exuunt.* De hac non minus acriter quam docte diſputaverunt Oct. Ferrarius, Italus, & Alb. Rubenius, Belga. Porro notatu dignum eſt, cum a Græcis tum a Romanis, Chlamydem primis temporibus nuncupatam fuiſſe Ἡρωϊκὸν φόρημα, *Heroicum geſtamen*, quæ tandem in frequens militum indumentum abiit, ut videre eſt in variis Columnæ Trajanæ & Antoninianæ tabellis, Germanorum etiam Chlamydem repræſentantibus.

Interior veſtis, *χιτωνίσκον*, *χιτων*, *χιτώνιον* & *κολόβιον* Græcis, Latinis *Tunica* dicebatur, interula, ſubucula, & induſium, nonnihil pro ratione temporum aut materiæ variantia; a quibus proculdubio amictus illi Galli derivantur, *chemiſette*, *bocqueton*. Veſtis erat brevis, ad poplites uſque protenſa, tunicis talaribus exceptis, & illa ſine manicis. Duplex hujus erant ſpecies; aliæ manicatæ, Græcis *χειριδωτοὶ* dictæ, quia *χειρίδας* ſive manicas haberent; tales erant muliebres, tales etiam apud viros barbaros, Medos, Perſas & Pœnos. Aliæ ſine manicis, quales virorum Græcorum & Romanorum; ita breves ut ad cubitum non deſcenderent, cum manuleatæ ad *καρπὸν* uſque devenirent, a quo *καρπωτοὶ* dictæ: At hæ apud Græcos Romanoſve non ſine probro geſtabantur. Tunica plerumque alba erat, interdum purpurea, qualis matronarum, nonnunquam melina, hoc eſt inter album & flavum, atque etiam rutila, qui color erat Boeticæ lanæ. Duplex erat, quarum inferior nunquam cingebatur, exterioris vero cinctus laxior (quo utebatur Cæſar) fecit ut audacior a Sylla judicaretur, de quo Plutarchus. Alia etiam erat tunica Senatoribus, alia Equitibus propria, ut non mirer ejus uſum omnibus tandem etiam plebeiis fuiſſe promiſcuum. Tunicam inter & Colubrium parva erat differentia quæ ad nos non ſpectat.

Serpentes a Veteribus multarum rerum ſymbola fuere, de quibus præcipue inter Triſtanum a S. Amante Gallum, & ampl. Guevartium Antuerpienſem, controverſum eſt. Ad propoſitum noſtrum facit illos HEROIBUS conſecratos, ut patet ex Plutarcho, *in Ag. & Cleom. Paucis poſt diebus, qui Cleomenis corpus cruci ſuffixum cuſtodiebant, DRACONEM ingentem conſpexerunt, qui caput illius circumplicabat, faciemque contegebat, ne avis carnivora eam ulla attingeret. Hinc ſuperſtitio inceſſit Regi trepidatioque aliarum expiationum mulieribus aditum præbens, quaſi virum interfeciſſent divinum & humana ſorte majorem. Alexandrini quoque excurrebant ad ipſum, ac HEROEM, Cleomenem, Deorumque filium appellabant.* ΗΡΩΑ Κλεομένην καὶ Θεῶν παῖδα. *Uſque dum reflexerunt eos doctiores, qui docuerunt apes ex bobus, ex equis veſpas putreſcentibus germinare, ſcarabeos ex aſinis, humana vero corpora tabe medullæ inter ſe compacta & concreta edere ANGUES. Qua re animadverſa Veteres HEROIBUS DRACONEM conſecrarunt.* Καὶ τοῦτο κατιδόντες οἱ παλαιοὶ μάλιστα τῶν ζώων τὸν ΔΡΑΚΟΝΤΑ τοῖς ΗΡΩΣΙ συνῳκείωσαν.

Virgilius ultro innuit ſerpentes eſſe loci Genios & HEROUM famulos: Hæc ſunt ejus carmina, *l. V. Æneid.*

Dixerat hæc; adytis cum lubricus anguis ab imo
Septem ingens gyros, ſeptena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapſuſque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculoſus & auro
Squamam incendebat fulgor, ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverſo Sole colores.
Obſtupuit viſu Æneas: Ille agmine longo
Tandem inter pateras & levia pocula ſerpens
Libavitque dapes: rurſuſque innoxius imo
Succeſſit tumulo, & depaſta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori inſtaurat honores,
Incertus Genium-ve loci, famulum-ne parentis
Eſſe putet.

Serpentum cultum Chriſtianis quibuſdam Ophitis a Serpente dictis, docet S. Epiphanius *l. 1. t. 3. c. 37. Abſurda hi eructant, & velut a novo Dæmone decepti, ſerpentem colunt.* Paulo poſt; *Serpentem autem divina Scriptura vocat Diabolum, non quod omnino talis ſit formæ* &c. Et iterum: *Ridiculum eſt hoc dogma, itemque qui ipſi addicti ſerpentem velut Deum colunt.* Deinde: *Nam ſerpens apud ipſos ſe-ipſum Chriſtum eſſe dixit.* Rurſus: *Attribuunt Ophitæ huic ſerpenti omnem cognitionem, fabuloſe introducentes ea quæ ab ipſi putantur myſteria.* Tandem: *Colunt igitur ipſum propter hanc cognitionem, & panem ipſi offerunt (habent enim naturalem ſerpentem quem in cyſta quadam alunt) unde non ſolum frangunt panes in quibus idem ſerpens obvolutus eſt, & accipientibus tradunt: Sed etiam unuſquiſque ſalutat ſerpentem, ac oſculatur ex ore: Adorant autem hunc, & myſteria ſua perficiunt.*

Idem fere docet D. Auguſtinus, *l. de hæreſibus, ad Quodvult Deum, hær. XVII. Ophitæ a colubro nominati ſunt, coluber enim Græce* ὄφις dicitur: *Hunc autem (colubrum qui decepit Adam & Evam) Chriſtum arbitrantur; Sed habent etiam verum colubrum, quem nutriunt & venerantur. Qui & incantante Sacerdote egreditur de ſpelunca, & aſcendit ſuper altare innixum ſpeluncæ, & oblationes eorum lambit, & involvens ſe circa eas, regreditur ad ſpeluncam: Et ita confringunt oblationes in Euchariſtiam, quaſi a Serpente Chriſto, ut illi putant, ſanctificatas.*

Hæc certe ab Ethnicis primum deſumpta, & ſanctiſſimæ noſtræ Religioni pro iſtorum hæreticorum mente accommodata videntur: A Serpentibus enim mira orta eſſe vulgo perſuaſum erat:

Magnus Alexander nec non Auguſtus habentur
Concepti Serpente Deo, Sidon. Apollinaris.

Sed de ſerpente finiamus, ad quem cypreſſo intortum pertinet illud Plinii, l. 24. c. 15. *Chamæcypariſſam ex vino potam contra ſerpentium omnium venena, ſcorpionumque ictus pollere.* Pertinet etiam Inſcriptio Gruteriana nona, paginæ DCLIX. in cujus ima parte inſculptus eſt equus, cui viator ſeu venator inſidet: Paulo inferius, aper eſt, & quercus. Typus noſtro non multum abſimilis eſt, minus tamen vere, ut opinor, deſcriptus; Inſcriptio autem talis eſt quæ Romæ viſitur.

D. M.
CHRYSANTUS
TRYPHOSÆ
ALUMNÆ
MEMORIÆ CAUSA

Herum ſequi videtur Juvenis, quidem ideo *ὑπάγον* lubenter dicerem, a quo Galli nobiles ſervos nuncupavere *Pages*, honorarios pueros. Interdum illi monumentis inſculpti, hydriam tenent, unde ita Grammatici: ἔθος δὲ ἦν καὶ τοῖς ἀγάμοις ἀποθανοῦσι λουτροφορεῖν, καὶ ἐπὶ τὸ μνῆμα ἐφίστασθαι· Τοῦτο δὲ ἦν παῖς ὑδρίαν ἔχων. Hoc eſt, *Mos autem erat cœlibibus defunctis hydriam geſtare, & monumento incidere; Hic erat puer hydriam tenens.* Sed multo ante Demoſthenes, ἐν τῷ πρὸς Λεωχάρην: Ηρρώστησεν ὁ Αρχιάδης, καὶ τελευτᾷ τὸν βίον ἀπόντος τοῦ Μειδυλίδου, ἄγαμος ὤν· Τί τούτου σημεῖον Λουτροφόρος ἐφέστηκεν ἐπὶ τῷ Αρχιάδου τάφῳ. Hoc eſt, *Ægrotavit Archiades, & obiit abſente Midulida, cœlebs. Quale hujuſce rei ſignum? Hydriam ferens ſtabat ſuper Archiadis ſepulcrum.* Cœterum Juvenis noſter tunicam etiam induit, veſtem liberis ac ſervis, excepto colore, communem: Hinc *tunicatus populus, tunicata plebs.* Erant præterea ſervi apud Romanos ſæpe lacernati, birroſque ac cucullos induti. Apud Græcos, præter tunicam, erant palliolati; ut enim Romanorum Toga, ſic Græcorum Pallium geſtamen fuit; unde apud

Plautum, cum se ad cursuram instituunt, *pallio-lum in collum jaciunt*: Et illud esse videtur quod Herois nostri Ephebus sinistra gestat; ut expeditior esset. Gerebant interdum illi & Chlamydem, ita apud Plutarchum *in Catone min.* Ephebi in Chlamydibus; *ἐνίοις ἐφῆκεν μὴ χωρὶς ἐν χλαμύσι λιτὰ λ.* Tunicam ambit & ligat semi-cinctium, pro more servorum mensæ aliisve in locis ministrantium: Ita apud Suetonium, *lintea præcinctos instar ministrorum*. Subligaculi pars inferior cernitur: Tegumentum erat ab umbilico tegens ad mediam tibiam, *velandis præcipue obscœnis*, inquit Cicero; *Scenicorum more tantam habuit a vetere disciplina verecundiam, ut in scena sine subligaculo prodeat nemo*. Servis apud Græcos comam nutrire nefas habebatur, hinc puero, pauci capilli.

De insculpta arbore dicamus, quam Cupressum esse nobis constat, metam in fastigium acuminatam ducentem, caudice glabro, coma semper virentem. Funesta censebatur illa domus in qua quis mortuus erat, quare illam ne quis imprudens introiret, indiciis monebatur, arboribus scilicet Picea aut Cupresso: Ita Plinius, *lib. XVI. cap. X. Picea montes amat atque frigora: Feralis arbor & funebri indicio ad fores posita, ac rogis virens*. Idem ib. *c. XXIII. Cupressus Diti sacra, & ideo funebri signo ad domos posita*. Optime Servius, ad l. IV. Æneid. *Romæ moris fuit propter cæremonias sacrorum quibus Populus Romanus obstrictus erat, ut potissimum Cupressus, quæ excisa renasci non solet, in vestibulo poneretur*. Rationem reddit Festus, *Quia hujus generis arbor excisa non renascitur: Sicut ex mortuo jam nihil sperandum est, quam ob causam in tutela Ditis patris esse putatur*. Audiendus iterum est eximius Virgilii interpres Servius, cujus hæc sunt verba: *Varro dicit pyras ideo Cupresso circundari solitas, propter gravem ustrinæ odorem, ne eo offendatur populi circumstantis corona, &c.* Hæc autem sunt Virgilii carmina:

Ingentem struxere pyram, cui frontibus atris
Intexunt latera, & ferales ante Cupressos
Constituunt.

Alibi etiam Cupressum hac de causa *atram* nuncupat, *Æneid.* 3. Idem fere canit Ovidius, *l. 3. Trist. Eleg.* 13.

Funeris ara mihi ferali cincta Cupresso
Convenit, & structis flamma parata rogis.

Atque Venusinus Poeta:

Linquenda tellus, & domus, & placens
Uxor, neque harum quas colis arborum
Te, præter invisam Cupressum,
Ulla brevem Dominum sequetur.

Cupressos etiam arbores adnotavit circum militares sepulturas emeritus Antiquitatis Mysta, P. Bellorius, in columna Trajana, *tabul. XLII.*

Hæc apud Romanos observabantur, proculdubio a Græcis accepta. Multa quippe hujus ritus Græca supersunt commenta, sive fabulæ sint, sive historiæ; Ut de Borea Celtarum Rege, quem primum commemorant in amissæ filiæ Cyparissæ tumulo consevisse novum genus hujus arboris: Tum etiam de lugubri Cyparissarum Eteoclis filiarum, in puteum prolapsu, quæ Telluris jussu in plantas proceritate sibi similes & cognomines conversæ sunt. Tum de Cyparisso ab Apolline in arborem comutato, audiamus Ovidium, *metam. l. X.*

Lugebere nobis,
Lugebisque alios, aderisque dolentibus, inquit.

Cupressus ideo mortuis consecratur, quod & *fructu caret & semel cæsa nescit renasci*. Unde ejus umbra *infausta* censebatur, *nec quidem gratiosa*. Memorat Thucydides *hist.* 2. arcas fuisse ex Cupresso, quibus mortuorum efferrentur ossa, qui in bello fuissent cæsi; Id solitum fieri *διὰ τὸ ἄσηπτον εἶναι, quod putredinem arbor nesciat*. Unde æternus est illis nitor: Ad duritiem etiam & siccitatem potest referri, quam Galenus commemorat, *l. 7. de simpl. medicam.* his verbis; *CUPRESSI folia, germina, pilulæ, recentes & molles, magno vulnera conglutinant in duris corporibus: Ex quo clarum est quod resiccandi vim habeat*. Notat Mathiolus ad Dioscoridem, *CUPRESSOS apud Italos in cœmiteriis coli, cum funebris arbor olim fuerit habita, plurimasque videri non longe Patavio in colle circa Eremitarum cœnobium*.

Observat vir summus Jos. Scaliger, non adeo vetustum, nec tam frequentem Cypressi usum in funeribus videri: *Non vetustum, quod peregrina arbor fuerit, & sero Romam advecta, non multo ante ætatem Catonis*, de quo Plinius, *l. 16. c. 33. Non frequentem, quod pauci initio in agris aut intra urbanas villas eam arborem instituerint. Atque ideo divitum tantum, non omnium, ædibus funestis illam propositam verisimile est*; teste Lucano,

Et non plebejos luctus testata Cupressus.

At ideo maxime HEROIBUS, viris hominum primariis, conveniebat.

Cupressi patria ac proprium natale solum, Creta insula est; nam inibi quocumque loco terra moveatur, subactaque sit, nisi serantur alia, hæc sua sponte gignitur: *In Idæis etiam montibus* qui ad Troadem spectant, *non appellato solo, Cupressus numerosa sponte prosilit*. Quod admiratione non vacat, alibi nonnisi tempore & perquam diligenti cultura proveniens, & cultorem maxime fastidiens. A re nostra minime alienum est Veteres non aliam ob causam ex cupressina materie simulacra sculpere, nisi quod ad æternam diuturnitatem permansura putarentur, veluti *Romæ illud Ve-Jovis in arce, quod ab anno V.C DLI. dicatum*, temporibus Plinii integrum erat: *Plin. l. 16. c.* 40.

Nulla phalerarum, habenarum atque frænorum vestigia supersunt, quæ temporis edacitate periisse verisimile est: Sua enim exstantia atque tenuitate, primum rumpi ac destrui conjicimus. Cujus exempla innumera præbent mirabiles illæ Romanæ columnæ, Trajana & Antoniniana. Certum est porro frænis lupatisque equos vetustissimis temporibus domitos & coercitos fuisse; quorum inventores perhibentur Pelethronii Thessaliæ populi. De quo ita Virgilius, *l. 3. Georg.*

Fræna Pelethronii Lapithæ gyrosque dedere,
Impositi dorso, atque equitem docuere sub armis,
Insultare solo & gressus glomerare superbos.

Ad rem faciunt hæc Plinii verba, *l. 7. c. 56. Quæ quis invenerit in vita. Equo vehi, Bellerophontem: Frænos & strata equorum, Pelethronium: Pugnare ex equo, Thessalos qui Centauri appellati sunt*. Et l 8. cap. 42. *Equum indignatione, accensum domitis frænis, ne regi posset, præcipitem in abrupta isse*, legimus apud Horatium, od. 8. *Lupata fræna* ita opinor dicta, quod luporum dentes illis apparerentur.

Aliud feratur judicium de stapedis, staffis, subicibus pedaneis seu equitantium adminiculis, quibus pedes inseruntur, iis quippe nec a Græcis nec a Romanis nomen inditum est, istius usus plane ignaris. Hujus lapidis elegantiam adauget Equitantis

noſtri integritas, cujus pedes ſtapedarum auxilio nullo modo ſublevatos fuiſſe manifeſto conſpicitur. Ad cujus rei illuſtrationem nonnulla hic exponere concedatur.

Suetonius de Germanico verba faciens, *in Calig. c. 3.* hæc ſcribit: *Formæ minus congruebat gracilitas crurum, ſed ea quoque paulatim repleta, aſſidua equi vectatione poſt cibum*. Hanc autem *crurum gracilitatem* docet *in ejus comm.* ὁ πανυ Cauſaubonus, quod ex Galeno noſtro didicerat, *l. 5. & 6.* ὑγιεινῶν, *duobus potiſſimum modis ſanari, dropace & convenientibus exercitationibus:* Atque hic fortaſſis ex Plinio ſcribente, *l. 27. c. 4. Equitatio ſtomacho & coxis utiliſſima;* Deinde *l. 28. c. 15. Fæmina atteri adurique equitatu notum eſt*. Audiamus iterum Pergamenum, *l. 2. c. 10.* ὑγιεινῶν. *Nonnulli tamen motus plane mihi ſunt, veluti equitatio: Non enim ut in vehiculis, præſertim in quibus ſtratus quieſcas, ita etiam cum equo inſideas, ut a geſtante tantum agiteris, ipſe nihil agas; quin ſpinam erectam ſuſtinere, tum utriſque feminibus, equi coſtis firmiter hærere, & crura extendere oportet, etiam ante proſpicere: In quo non modo viſus exercetur, ſed etiam collum laborare, præcipue tamen viſcera hoc genere agitantur:* ἔνιαι μὲν τοι κινήσεις εἰσι μικταί, καθάπερ καὶ ἱππασίαι, καὶ τὰ λ. Jam olim docuerat Hippocrates, *lib. de aere, loc. & aq. Scythas ad Venerem impotentiores, ex laſſitudine oborta ab equitatione continua.* Καὶ ἔτι ὑπὸ τῶν ἵππων ἀεὶ κοπτόμενοι, ἀσθενέες γίγνονται ἐς τὴν μίξιν. *Et cap. XI.* rem ulterius explicavit: *Ab equitatione ipſa diuturni eos corripiunt articulorum dolores, nimirum propendentibus ſemper ex equis earum cruribus; deinde claudi fiunt, contrahunturque coxendices, quum invaluerit morbus*, Ὑπὸ τῆς ἱππασίας, καὶ τὰ λ. Et paulo poſt, *Ubi enim maxime & frequentiſſime homines equitant, ibi plurimum a diuturnis doloribus, articulorum coxendicumque, & maxime pedum corripiuntur, &c.* Οκου γὰρ ἱππάζονται μάλιστα καὶ πυκνότατα, ἐκεῖ πλεῖστοι ὑπὸ κεδμάτων καὶ ἰσχιάδων καὶ ποδαγριῶν ἁλίσκονται, καὶ λαγνεύειν κάκιστοί εἰσι. Quæ omnia faciunt ut mirer ſtapedarum uſum nonniſi poſterioribus ſæculis inventum fuiſſe, cujus etiam origo nos latet: Certum eſt porro Staffas ſubſellares ab Avicenna nuncupari, e ſella pendentes, *Can. 1.* Florebat autem duodecimo a Reparata Salute ſæculo.

Canis in ima lapidis parte ultra equum ſculptus eſt, animal fidiſſimæ cuſtodiæ, cui amor in Dominos φιλανθρώπου & φιλοδεσπότου cognomen dedit. Odium ejus in externos, incredibilis ad veſtigandum ſagacitas narium, alacritaſque in venando, celeberrimum faciunt. Canem huic lapidi inſculptum explicare videntur tum Homerus tum vetuſtiſſimi alii Scriptores, qui paſſim HEROIBUS ſuis aſſeclas canes dederunt, ut in horum commendationem, Ulyſſem poſt XX. annos redeuntem, e ſuo cane primum agnotum fuiſſe retulerint,

Inter quadrupedes, canis fidelis:
Inter quadrupedes, canis, voluptas:
Inter quadrupedes, canis patronum
Cognoſcit, veneratur, & tuetur, &c.

Hunc autem ex gracili corpore, tibiis altis & oblongo capite, leporarium curſorem decumanum eſſe conjicimus, proculdubio ab hero in deliciis habitum.

Tria hæc animantia, homo, equus, & canis, mihi in mentem revocant quod docet Albertus Magnus, *de mort. & vita, trac. 2. Tres vitæ canis faciunt equi vitam, & tres vitæ equi faciunt vitam hominis.*

De Patera verbulum dicamus. Vas erat quod *ſimulacrorum porrectis manibus ſuſtinebatur*, inquit Cicero, l. de divin. *In ſacrificando Deis, Hoc poculo Magiſtratus dat Deo vinum:* Varro lib. 4. *Mercurius e patera ſanguinem viſus eſt effundere*. Etiam apud Ciceronem, *Excipere ſanguinem patera*. Et apud Horatium, *od. XIX.*

Bini cum patera meri,
Mactata veniet lenior hoſtia.

TERTIA INSCRIPTIO.

ΠΑΝΦΙΛΟϹ
Pamphilus

ΑΛΕϹΞΑΝΔΡΟϹ ΧΑΙΡΕΤΕ.
Alexander, Avete.

HUjus lapidis argumentum non plurimum abludit a primo, in quo Alexander & Pamphilus suas partes agunt: Hic sane eadem nomina denuo comparent, quasi non Tryphænæ facultatibus, sed sepulcrali honori hæreditatis jure succederent. Succedunt certe in ordine Operis nostri: Unde accidit de Pamphili Alexandrique nominibus jam nonnulla declarata esse: utrique tamen quidpiam adjiciendum est; ΠΑΜΦΙΛΟϹ quippe constanter apud Antiquos per M scribitur, quod hic per N. Quadratarius accusetur grammaticalis regulæ nescius, qua ante litteras B & P apud Latinos, atque æquivalentem Græcorum Φ nunquam signari debere N, sed M, quamvis utraque eodem fere modo pronuntietur. Curiosa est Alexandri nomenclatura addita littera C quasi ad majorem sonum sequenti Ξ cujus etiam exempla ex vett. Inscriptionibus & Nummis supra adduximus, *p.* 230.

Inter duo illa vocabula ΠΑΝΦΙΛΟϹ & ΑΛΕϹΞΑΝΔΡΟϹ spatium aliquod est, in quo temporis injuria erasi conspiciuntur aliquot characteres, fortassis utriusque Juvenis conjunctio, ΚΑΙ.

ΧΑΙΡΕΤΕ: *Salvete* seu *Valete*. Sic Antiqui tum Græci tum Latini suis mortuis valedicebant: Non quod eis salutem optarent, quibus nulla esse potest, sed ut ostenderent hac formula *se ab illis recedere amplius non videndis*: juxta Servium *ad l. V. Æneid.* Χαίρειν siquidem tria significat, gaudere, salvere, & valere: Primum, salutantis est; secundum, improbantis; tertium, valedicentis, ut hic & passim in Inscriptionibus sepulcralibus. Illico ac cadaver in monumentum collocatum erat, reliquiis conditis, & omnibus solemni more peractis, pronuntiabatur novissimum illud vocabulum ILICET, quod cuique suam domum ire licere significabat. Ita Servius ad l. VI. *Æneid.* Ter deinde clamitabant qui requiem defunctis deprecabantur, *Vale, Vale, Vale, Nos te ordine, quo Natura permiserit, sequemur*; ut videre est in antiqua Inscriptione.

VALE ET SALVE
OPPIA Ɔ OPPIÆ FELICIS. *Cajæ*
NOS TE ORDINE QUO NATURA PERMISERIT, SEQUEMUR.
VALE MATER DULCISSIMA.

Hinc in Pallantis funere Æneas, *l. X. Æneid.*

Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant. SALVE æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque VALE.

Hoc imitatus est Statius, *l. 3. Silv.*

Salve supremum, Genitor, mitissime Patrum,
Æternumque VALE.

Et Ausonius in amitæ suæ parentalibus, Epigram. 26.

Ergo commemorata AVE, mœstumque vocata
Progenitrice, VALE.

inscriptionem nullam suis sepulcris inscribere Sicyonios docet Pausanias, *l. 2.* sed defunctum suo tantum nomine, omissa patris mentione appellatum, valere jubent, ut in hac nostra conspicitur. *Ἐπίγραμμα δ' ἄλλο μὲν γράφουσιν οὐδὲν, τὸ δ' ὄνομα ἐφ' ἑαυτοῦ καὶ οὐ πατρόθεν ὑπειπόντες κελεύουσι τὸν νεκρὸν χαίρειν.* Cujus quidem formulæ non pauca supersunt inter schedas meas monumenta.

ΔΙΟΔΟΡΑ ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕ ΚΑΙ ΣΥΓΕ
ΜΗΝΟΔΟΤΗ ΧΡΗΣΤΗ ΚΑΙΡΕ.

Aliquando etiam adsunt Patrum nomina, quorum exempla aliquot hic transcripsimus.

ΔΗΜΗΤΡΙΕ ΔΙΟΓΕΝΟΥϹ ΑΘΗΝΑΙΕ ΧΑΙΡΕ.
ΙΚΟΝΙΟΝΑΝ ΑΡΙΣΤΩΝΙΚΕ ΔΡΟΜΑΧΟΥ ΑΡΙΣΤΑΡΧΟΥ
ΑΝΤΙΟΧΙΣΣΑ ΑΘΗΝΑΙΕ ΧΡΙΕ ΧΡΗΣΤΗ ΧΑΙΡΕΤΕ ΧΑΙΡΕ.

Hujus lapidis elementa quædam ita mutila sunt & corrupta, ut plura eruere non licuerit; ea porro suppleri posse spes non deest.

ΔΙΟΝΥΣΙΕ ΑΣΚΛΗΠΙΟΔΟΡΟΥ ΛΑΟΔΙΚΕΥ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.
ΣΑΡΑΠΙΩΝ ΞΕΟΥΡΟΥ ΝΟΥΜΗΝ | | ΕΛΕΑΤΑ ΧΡΗΣΤΕ ΣΑΡΑΠΙΩΝΟϹ
ΧΑΙΡΕ ΕΛΕΑΤΑ ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.
ΠΡΟΤΟΓΕΝΗ, ΔΙΟΝΥΣΙΟΥ ΥΙΕ, ΧΡΙΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.
ΠΡΟΕ ΡΑΕ | | | ΣΩΠΑΤΡ | | | ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.
ΑΝΤΙΟΧΕ ΜΑ. ΛΕΑΝΔΡΟΥ ΛΑΟΔΙΚΕΥ, ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ.

Præter inscriptam illam formulam, ipsa res seu cæremonia, Patavii superesse videtur in Professorum funeribus: Horum enim cadavera præeuntibus Præsbyteris, & sequentibus Studiosis, deferuntur ad fores Gymnasii, ibique tribus vicibus e feretro attolluntur, tanquam ultimum AVE Scholis diceretur, priusquam decenti sepulturæ mandentur. Quod frequenter a decennio conspeximus, ab Episcopo Tomasino, *de gymnas. Patavino* adnotatum est, *p.* 229.

In tanta hujus lapidis obscuritate, conjicere nobis liceat PAMPHILUM & ALEXANDRUM


ΠΑΝΦΙΛΟΣ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΣ ΧΑΙΡΕΤΕ

hic pro Numinum more ſcalptos eſſe, ſcilicet Caſtoris & Pollucis, fratrum ΔΙΟΣΚΥΡΩΝ, imberbium, & pilam ſeu haſtam puram tenentium.

Talis Amiclæi domitus Pollucis habenis,
Cyllarus; & quorum Graii meminere Poetæ.

Apud Virgilium, l. 3. *Georg.* Uterque equis gaudebat, quorum ſingulus ſingulum tenet, tametſi ut in aliis antiquis monumentis, frænorum habenarumque veſtigia plane conſumpta ſint. Pellibus pro ſtragulis, & ut loquitur Lipſius, *palliis*, equi ornati ſunt: Poſterioribus temporibus, a Romanis deducto ab hominibus vocabulo, *equorum paludamenta*, & *ſaga* dicta ſunt. Nonne quid ſimile a Plinio demonſtratur, de Bucæphalo verba faciente, l. 8. c. 42. *Neminem hic alium quam Alexandrum regio inſtructus ornatu recepit in ſedem.* Plura ejuſmodi exempla in utraque Romana Columna, integerrima viſuntur, ephippiorum origo: Germanis Daciſque plane carentibus.

De Tunica dictum eſt ſupra, ut & de Cupreſſo, & angue. Ex his autem ultimum hunc lapidem, una cum duobus prioribus, ſepulcralem fuiſſe nullum nobis ſupereſt dubium: Tres omnes extra urbem collocatos, juxta Græcorum morem nullam ſepulturam intra concedentium; Quod de Smyrnæis maxime Cicero commemorat, *pro Flacco*, his verbis; *Vellem tantum habere otii ut poſſim recitare*, ψηφίσματα plebiſcita *Smyrnæorum quæ fecerunt in Caſtritium mortuum, primum quod in oppidum interferretur, quod aliis non conceditur.*

Ne inutiliter laborare videar, & longiori commentario lapides ad mollitudinem decoquere, ut fert adagium λίθον ἕψειν, *Manum de tabula.*

POSTSCRIPTUM,

REVERENDISSIMO PATRI

DE LA CHAIZE, &c.

At nondum: Juvat enim adjungere Fortunam mihi toties inviſam, beneficum hic ſuum teſtatam eſſe genium: Cum enim extremo libelli folio typographi diligentiæ commiſſo iter Venetum ſuſcepiſſem, accidit ut in eadem D. Marci platea deambulanti mihi occurrerit Græcus ille mercator priorum lapidum patronus, qui renovato venditionis ſermone, tandem ita mecum pactus eſt, ut quadam conſtituta pecuniæ ſumma, primum illico traderet, Tryphænæ ſcilicet monumentum, alterumque nempe Herois ſacrificium quem vænalem in Dalmatiam deportaverat, poſt aliquot menſes ad me reportaret. Neque in eo Fortuna conquieſcere videtur, cum ſpes mihi facta ſit non exigua, tertium lapidem, Pamphili Alexandrique memoriam, cis paucos etiam menſes ædibus meis ornamento futurum.

FINIS.

COMMENTARIUS
CAROLI PATINI
IN
ANTIQUUM MONUMENTUM
MARCELLINÆ,
E GRÆCIA NUPER ALLATUM.

Quid ſepulcrorum monumenta, quid elogia, quid cerimoniæ ſignificant?

Cicero.

Non defunctorum cauſa, ſed vivorum, inventa eſt ſepultura.

Seneca.

ILLUSTRISS. ET EXCELLENTISS. D.

D. FRIDERICO MARCELLO,

SENATORI AMPLISSIMO,

CAROLUS PATINUS.

Ferente litteratorum consuetudine suas meditationes chartis consignatas alicui offerre, ei maxime attendunt prudentiores, ut certo quodam pacto congruerent, aut certe disconvenirent nullo. Modico farre & saliente mica, rebus quidem humano generi utilissimis, sed tenuissimo ac vulgari prorsus libamine, immortali Numini sacrificare licuit: Cœcum picturis, doctis lucubrationibus imperitum, togatum Senem armis donare nusquam licuit: Quævis profecto offerre, sed non quibus, semper fas fuit.

Quo minus vereor hunc qualemcunque Commentarium Tibi dicare, Illustrissime & Excellentissime D. antiquissima nominis tui gloria refertissimum. Recentiorem Majores tui, monetis, navibus, festis MARCELLINIS, fascibus, lituis, triumphalibus ornamentis, coronis, majestateque ita decoraverunt, ut MARE COELUM propriis nominibus illos decantare videantur. Et maxime Laurentius ille MARCELLUS, quem, ingens civium amor supra Pompejum extulit, extrema hostium ad Helespontum profligatio, Achillem Venetum cognominavit. Recentissimam ipse Tu præbes, ut quam prodigiorum mater Græcia in celebribus illis Septemviris sapientiam admirata est, cultiorem in Te suspiciat, necesse est, ejusdem Græciæ victor Venetus Genius. Inde est ut MARCELLINAM meam Tibi offerre constituerim, ad tantæ gentis decus suam conferentem symbolam.

Quo pacto elegans illud Monumentum ad meas manus pervenerit, jam enarrandum duco. Sublevandis sine crimine, vitæ miseriis, studiique medici asperitatibus, vetera antiqua quæ occurrerent omnis generis signa investiganda mihi proposui, quo præter summam animi recreationem, Reipublicæ litterariæ ac posteris quomodocunque indicarem, natum me, nec plane inutilem civem cosmopolitanum fuisse, sed quamvis ludentem & pro παρέργῳ, *quidpiam eruditæ eorum delectationi contulisse.*

Amicos aliquot eram adhortatus, dum quid ejusmodi compareret, me monere dignarentur: E quibus unus cujus ægritudinibus mederi soleo, & ille mei studiosissimus, litteris significavit marmorea quædam fragmenta, antiqui operis, tabellas præcipue duas seu cippos, caput unum, atque varia statuarum frusta, apud mercatores exteros e Peloponeso redeuntes, latere vænaliaque prostare: Confestim delineatoris operam curavi adhibendam, a quo post alterum diem excepi rudia pretiosissimorum signorum lineamenta. Iis perspectis, Amicum scripto rogavi, ne crumenæ parceret, hanc mihi emptionem ita cordi esse, ut ni moraretur publicum docendi munus, vix me contineri posse, quin Venetias advolarem. Spei successit eventus, & ardenti meo desiderio diligentissime & amplissime satisfactum est. Marmora illa tua sunt, rescripsit ille, æquo ut opinor pretio coempta, in ædes meas illico deportata, crasque occasione charissimi tui nepotis Ludovici Patavium redeuntis, ad Te mittenda. Salienti præ lætitia cordi nox, fatebor, paulo

longior fuit: Quæ jucunde nuntiata fuerant, majori me voluptate perculerunt, cum ad civitatis portum (portello *dicunt) appulso, ex humeris bajulantium nonnihil scalpturæ quasi furtim intueri licuit. Domum exportata, majori me gaudio affecerunt, ac præcipue mirabile illud MARCELLINÆ, ut de cæteris taceam, monumentum, adeo egregie scalptæ, ut immortali Praxitelis, Phidiæ, aut Lysippi fama non indignum opus esse videretur.*

Ultro me recreabant eruditi characteres rem sacram demonstrantes: Sacram dico, ad Festi mentem: Sacrum enim est, *inquit*, quodcunque modo & instituto civitatis consecratum sit, sive ædes, sive ara, sive signum, sive locus, sive pecunia, sive quid aliud quod Diis dedicatum & consecratum sit, *quibus certe nihil ad rem nostram convenientius. An præteribo l. 6. §. 2. ff. de divis. rer.* Sacræ res sunt quæ publice consecratæ sunt, non privatæ, *hoc quippe marmor a bino populo Æternitati consecratum est: Et l. 9.* Sacra loca ea sunt quæ publice sunt dedicata, sive in civitate sint sive in agro. *Talia cogitanti ac dicenti facete objecit, quem itineris comitem deduxeram, juris non ignarus,* res sacras in commercium duci non posse, nec ideo earum dominium acquiri, *l. 6. & 34. §. Omnium, ff. de contr. emp. & l. 2. §. 1. ff. quæ rei pign. Timidiorem terruisset hoc Sophisma,* Commercium, *inquiebam*, & emptio inter legitimos acquirendi modos numerantur, *ut constat ex l. 5. ff. de just. & jure: Ejusmodi deinde Paganorum sacra, a sacrosancta Religione Christiana esse abrogata nemo nescit, nunc ideo profana habentur, & acquiri legitime possunt: Utinam profecto plura! Risum est, nec ulterius altercatum.*

Sic mea esse marmorea fragmenta, tum fortuna tum legibus consentientibus vides, Illustrissime & Excellentissime Domine, potiori jure possidenda, si Tu ea asserueris, si Tu benigno oculo respexeris. Nobis vero litterarum & bonarum artium studio flagrantibus, sperandum est, ut quæ tribus annorum millibus sibi sacravit sagax Musarum patria, statuas, colossos, ædiculas, anaglypta opera, columnas, Numina, signaque innumera, eadem sibi vindicet Majestas Veneta, cujus incomparabili generositati ac herculeæ plane fortitudini, cedentes hinc illinc barbaros Turcas insolentis sui in litteras odii pœnam tandem luentes cernimus. Votum exaudiat D. O. M. ut dum Christianam fidem Venetumque dominium ampliat, familiæ MARCELLÆ gloriam tueatur.

Patavii, Kal. April. *VENERI sacr.* M.DC.LXXXVIII.



SMYRNÆVM MARCELLINÆ ANTISTITIS MONVMENTVM *ex marmore albo purissimo, longum pedibus Venetis* II½ *altum* VII. *Patauij, in Ædibus Patinarrie,* MDCLXXXVII

Inſcriptio Zophori.

Ο ΔΗΜΟΣ
ΣΜΥΡ. ΜΑΓΝ.

Populus
Smyrnenſium, Magnetum.

Inſcriptio Baſis.

ΟΥΛΠΙΑ ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑ ΟΥΛ. Θ.
ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ
ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΟΥΡΑΝΙΑΣ

Ulpia Marcellina Ulpiæ filia
Sacerdos maxima
Veneris Uraniæ.

Inſcriptio Aræ.

ΕΡΩΤΙ
ΟΥΡΑΝ*ίῳ*

Cupidini ſive *Amori*
Uranio *Cœleſti*

COMMENTARIUS
IN
ANTIQUUM MONUMENTUM
MARCELLINÆ.

Στήλαις ſeu cippos tum lapideos tum marmoreos ſepulcris Græcorum Romanorum-ve imponi ſolitos fuiſſe, demonſtravit abunde noſter in TRYPHÆNÆ monumentum Commentarius, ut hanc crambem recoquere non ſit opus. Sepulcris novis modum *finivit Demetrius*, inquit Cicero, de legibus, *nam ſuper terræ tumulum noluit quid ſtatui, niſi columellam tribus cubitis non altiorem, aut menſam, aut labellum: & huic procurationi certum magiſtratum præfecerat*. Vetaverat quidem Plato ad ſepulcri uſum, *ullam partem ſumi ex agro culto, eoque qui coli poſſet; ſed ut natura agri mortuorum corpora ſine vivorum detrimento acciperet, ea potiſſimum ut compleatur. Quæ autem terra fruges ferre, & ut mater cibos ſuppeditare poſſit, eam ne quis nobis minuat, neve mortuus*.

Cautiores illi profecto Achæis ædiculas ſtruentibus lapideſque immenſæ interdum magnitudinis ſuis cadaveribus imponentibus, ut nihil poſtmodum utilitatis Γῆ μήτηρ *Terra mater* producere poſſit. Simile quid videre eſt in publico Hebræorum Venetorum conditorio, ad maris littus, quod *lido* vocant. Atque etiam in interioris inclitæ Baſileæ mœniis, conſtructis ornatiſque maxime lapidibus ἐπιτάφια continentibus, poſtquam ante ducentos annos Judæi e civitate in exilium pulſi ſunt, disjectaque eorum ſepulcra.

Alienum a propoſito non erit referre Urbani VIII. P. M. bullam Chriſtianis prohibentem ulteriorem ſepulcrorum ſupra terram conſtructionem, qualia in totius fere Europæ templis ac cimetæriis proſpiciuntur, jubentemque cadavera in terra condi, ſeu eæ reddi e qua prodibant.

Marmorea hæc tabula more Græco in honorem ULPIÆ MARCELLINÆ, ULPIÆ Filiæ, SACERDOTIS MAXIMÆ, Deæ VENERIS URANIÆ a POPULO SMYRNENSI & MAGNETE poſita eſt. Binos hoſce populos conjunctim ad poſterorum memoriam lapides multos inſcriptionibus nobiles ſacraſſe infra declarabimus. At cur MARCELLINAM ampliſſimo hoc honore proſecuti fuerint, nondum aſſequor, quod tamen ex ignotis mihi libris, aut eruendis lapidibus demonſtrari tandem poterit.

In medio Marmore ſtat MARCELLINA, capite aperto, qualem Sacerdotem magnam decet; membris tam venuſte compoſitis, ac iis adaptatis veſtibus, ut pudicitia ſanctitaſque vix melius deſignari queat. Imitata videtur famoſum Numen cujus erat Sacerdos; Venerem enim perpulchris veſtibus ornatam in cœlum ab Horis ductam primum fuiſſe cantat Homerus, *in hymnis*, cujus dextram omnes Dii complexi ſunt, ſinguli ſibi in uxorem dari, ob formæ præſtantiam cupientibus.

Hæ autem veſtes quamvis mirum in modum adhærentes membris, nihil eximiæ eorum gratiæ detrahunt: Quod in mentem revocat Sculptorum priſci ævi morem, qui quo minus a venuſto partium lepore recederent, madidis tenuibus pannis carnes velabant, ut ipſæ nihil a ſuo ſtatu dehiſcerent.

Quam vero fluxam videmus tunicam, hanc ceſtum dixerunt veteres, non cingulum, ut aliqui opinantur, de quo Nic. Rigaltius, *ad Onoſandrum*. Adumbrandi quippe Amoris illecebras indumentum cenſebatur, VENERIS URANIÆ proprium: Hoc me docuit Lucianus, Κέϛον ἔχει τῷ μάνλῳ τὴν ΟΥΡΑΝΙΗΝ κοσμέουσι.

Hinc inde duæ adſtant egregiæ puellæ, calamiſtratæ & pulcre induſiatæ, quas ex concinno habitu, alumnas, miniſtras, & ad ſacerdotium Deæ deſtinatas conjicere eſt. Cingulo quæque revincta eſt, fluctuante inde ac largiore tunica. *Illud* au-

tem *proprie est indicium servitutis*, inquit Petrus Chrysologus, serm. 24. *quod & discursus expeditos facilitet, & faciat obsequentes*. Altera dextrum occupans latus, luget, ut opinor; aliquid folio aut hastæ largiori cuspidi simile tenens, quod fateor me nescire. Quæ vero a MARCELLINÆ sinistris est, ei videtur offerre aram seu basim inscriptam ΕΡΩΤΙ ΟΥΡΑΝΙΩ, hoc est AMORI URANIO seu COELESTI sacram.

Cupidinis simulacrum huic impositum est, nudi & alati. Puer fingebatur, & alatus, qua de re sic Servius: *Quia turpitudinis est stulta cupiditas, puer pingitur, tum quia imperfectus est in amantibus sermo ut in puero: Alatus vero, ideo quia nihil amantibus levius, nihil mutabilius est*. Nudum semper fecere Veteres, *Et nuda VENUS, & nudi pinguntur Amores*. Non prohibente nuditate, quin *Deorum sit fortissimus & omnium pugnatu difficillimus*, ut ait Euripides, *in Hyppol.* Πάντων [illegible]τος θεός. Alatum Athenis pinxerat Zeuxis, rosis coronatum; Rosa quippe VENERI sacra erat, de qua adi Athenæum, *l. 7. c. 19*. Præterea, quod nunquam alibi observare mihi contigit, tibicen inflare videtur. Equidem canticibus Amores delectari Græci passim docent, omnibus tripudia & gaudia conciliantibus. Plutarchus, *in Erot.* Bacchonis raptum nuptiasque describens, tubicinis meminit, his verbis: *Servi autem circum cursitantes, olea lauroque, fores non Ismenidæ modo sed Bacchonis etiam redimiverunt; Et Tibicina canens per viam transivit, &c.*

Musica utraque (vocalem atque instrumentalem intelligo) delectari Amantes, ad Cupidinem referendum est, summi concentus parentem; ut *Asinos* nuncupaverint tum ab Amore tum a Musica alienos. Ludos musicos in honorem CUPIDINIS factos commemorat Pausanias, *in Bœoticis*, his verbis: [illegible] ἐνταῦθα οἱ Θεσπιεῖς καὶ ἀγῶνα ἄγουσι Μουσεῖα. Ἄγουσι δὲ καὶ τῷ ΕΡΩΤΙ ἆθλα, οὐ μουσικῆς μόνον, ἀλλὰ καὶ ἀθληταῖς τιθέντες. Achatem vidimus, in qua Cupido lyram pulsat, videratque Pausanias *AMORIS lyram tenentis* monumentum, *Pausiæ opus*: ἐν δὲ αὐτῷ Παυσίας γράψας τὰ βέλη μὲν καὶ τόξον [illegible] ΕΡΩΣ, λύραν δὲ [illegible] αὐτῷ ἀράμενος φέρει. Equidem apud Euripidem, *Musicam docet AMOR quemlibet ejus rudem prius*, Μουσικὴν τ' ἄρα ΕΡΩΣ διδάσκει κἂν ἄμουσος ᾖ τὸ πρίν.

Lepidum Bionis somnium ex ejus Bucolicis hic transcribere liceat,

> Ἀ μεγάλα μοι ΚΥΠΡΙΣ ἔθ' ὑπνώοντι παρέστα
> [illegible] τὸν ΕΡΩΤΑ καλᾶς ἐκ χειρὸς ἄγοισα κ[illegible]
> τλ.

Hoc est,

> *Magna mihi VENUS adhuc dormienti astitit,*
> *Infantem Amorem pulchra manu ducens,*
> *In terram nutantem, ac his me verbis afflata est.*
> *En tibi, chare bubulce, Cupidinem, ut eum* [illegible],
> *Sic loquuta abiit: Ego autem mea pastoralia carmina*
> *Stultus, tanquam discere volentem Cupidinem docebam:*
> *Quomodo fistulam obliquam Pan invenerit, Minerva tibiam,*
> *Testudinem Mercurius, & citharam dulcis Apollo.*
> *Hæc ipsum edocebam nihil curantem mea carmina.*
> *At ipse mihi canebat amatoria, meque docebat*
> *Mortalium & Immortalium ignes, & Genitricis opera suæ.*
> *Tum ego oblitus illorum, quæ Cupidinem docueram,*
> *Quæcunque me docuit Cupido amatoria cuncta didici.*

Pone aram Cupressus est, e cujus ramis prodit serpens quasi MARCELLINÆ abblanditurus. De utroque satis diximus, in LU. MURDII HEROIS commentario. Myrtum aliquis diceret, hæc enim VENERI sacra, ut olea Minervæ, quercus Jovi, populus alba Herculi, hædera Baccho, & Phœbo laurus.

> *Populus Alcidæ gratissima, vitis Iaccho,*
> *Formosæ Myrtus VENERI, sua laurea Phœbo.*

Smaragdum incidi curavit doctissimus Laurentius Begerus e THESAURO PALATINO, in quo Amorem explicat Cœlestem, juxta arborem clypeo aræ imposito innixum, sinistro pede globum calcantem: Arborem sic exponit: Et ne sterilem arbitreris, vel effœta frutex revirescit, novaque fronde securam quietem inumbrat. En rationem, cur in VENERIS Cnidiæ luco, arbores fuerint, non varii tantum generis, sed & effœtæ jam ætatis præ vigore tamen quasi juvenescentes, & novis subinde ramis integræ & formosæ; attestante Luciano, *in Amoribus*.

In ulteriori parte, pariter & in aliis monumentis observavimus tabellam duabus arculis onustam. An acerræ sint, thuri reponendo dictæ, quod in honorem mortui incendebatur? In glossario veteri, *Acerra thuraria* λιβανωτρίς. Octava XII. tabularum lex Romanis prohibuit, *uti ne sumptuosi respersio fieret: neve murrhata potio mortuo inderetur; neve longæ coronæ: neve ACERRÆ adhiberentur*.

Memorat Plutarchus, in Catone, *exquisitos vapores*: & Tacitus l. 3. Ann. *Odores aliaque funerum solemnia cremari*; & Val. Max. *Caput Pompeii plurimis, & pretiosissimis odoribus cremandum curavit Cæsar*: Et passim. Quem quidem morem ab Hebræis fluxisse verisimile est. Ex l. 2. Paralip. cap. 16. *Et sepelierunt eum in sepulchro suo, posueruntque eum super lectum suum plenum aromatibus, & unguentis &c. & combusserunt super eum, ambitione nimia*. An pixides, an risci? Riscus quidem in mundo muliebri recensetur ab Ulpiano, in *l. 25. §. 4. D. de aur. arg.* Pollux ῥίσκον inter arculas reponit: Eam forte denotat capsulam, in qua linteola munda mulieres reponunt, quibus lotam corporis partem abstergunt: Riscus enim cum lavatione conjungitur. Quidni istæ arculæ, res ad Sacerdotium attinentes non continerent?

Cæterum in multis convenit monumentum hoc nostrum cum descripto inter Oxoniensia LXVIII. *pag.* 126. in quo Fœmina eodem fere situ & habitu, in pari ædicula peristilio ornata conspicitur. Conspicitur etiam ara, sed Numine vacua, forte ob edaces temporis injurias: Adstant & duæ puellæ ad ministerium paratæ: Abblandiente heræ suæ Melitensi catulo.

Convenit & cum alio pariter inter Oxoniensia relato X. *pag.* 82. in cujus medio zophoro, orbis est in quo laurea, & idem Ο ΔΗΜΟΣ, *Populus*. Ima zophori pars, exhibet ΑΠΠΟΛΛΩΝΙΑΝ ΚΗΦΙΣΟΦΩΝΤΟΣ, *Apolloniam Cephisophontis*, istam scilicet fœminam egregie vestitam, quæ in medio stat monumento: Nescio quid gerentibus duabus hinc inde ministrantibus puellis.

Ad Antoninorum tempora, *Sacerdotis maximæ* ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ Fauſtæ inſcriptionem refert ejus Interpres, quam ex marmoribus Oxonienſibus infra deſcribemus, ad vocabulum ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ. Nihil præſcriptum de ULPIÆ MARCELLÆ monumento, cujus filiam fuiſſe noſtram ULPIAM MARCELLINAM veriſimile eſt. Nil itaque vetat, ad ſecundum a Chriſto ſæculum, hanc noſtram inſcriptionem referre, ut infra amplius declarabitur.

Scriptis quæ ad inveſtigationem typi ſuppetebant, jam ad explicanda ſingula inſcriptionis vocabula procedamus.

Ο ΔΗΜΟΣ. *Populus*. Multa ſuperſunt unius aut plurium populorum monumenta, tum integra, tum mutila, homines aut facinora Æternitati conſecrantia, inter quæ ob egregium typum artificioſiſſime ſculptum, & eruditam inſcriptionem, noſtrum hoc MARCELLINÆ *ἄγαλμα* ſingularem meretur venerationem. Superbum eſt illud Smyrnæorum decretum fœderi prævium, quod inter MARMORA OXONIENSIA primum legitur: ΕΔΟΞΕΝ ΤΩ ΔΗΜΩ, ϗ τ. λ. *Placuit populo* &c. Sequens deinde quod Smyrnæorum Magnetumque fœdus explicat, & *amborum populorum amicitiam*, *belli ſocietatem*, *& benevolentiam erga Regis Seleuci majeſtatem* quibuſdam conditionibus aſſerit. Hic deſcribere variorum populorum fœdera, in nummis aut marmoribus ſignata, fere foret inutile, cum ab erud. Sponio, jam magnam partem præſtitum fuerit, *tom. 3. pag.* 175. Ad noſtram rem ſufficiet demonſtraſſe Smyrnæos, Magneteſque vicinos populos aliquando conveniſſe, & ſuam unanimitatem poſteris conſignaſſe, alicujus utilitatis aut affectus gratia.

ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ. *Smyrnæorum*. Smyrnam ulterius deſcribere operæ pretium non eſt, ex ſequentibus ἐπιθέτοις ſatis cognoſcetur: *Θέατρον Ἑλλάδος, Ἰωνίας ϛέφανος, γῆς ἄγαλμα, καλλιϛὴ τῶν Ἰωνικῶν πόλεων*; Hoc eſt, *Theatrum Græciæ, Aſiæ ornamentum decus & metropolis, terræ ſimulacrum, & pulcherrima Jonicarum urbium*.

ΜΑΓΝΗΤΩΝ. *Magnetum*. Magneſia urbs duplex fuit in Mœonia, ad Mæandrum ſita: Altera Æolidis in Caria, altera ad Sypilum montem. Illam, in panem Themiſtocli datam fuiſſe a Xerxe memorat Strabo, *l.* 10. *c.* 4. dum aliæ Orientis urbes, vinum, obſonia, veſtes & ſtragula eidem ſigillatim ſubminiſtrabant.

ΟΥΛΠΙΑ, *Ulpia*. Prænomen aliquando fuit, poſtea in nomen familiæ evaſiſſe opinor. Imperat. Trajanus e familia Ulpia ortus erat. Marcus Ulpius Damaſippus in proxima inſcriptione, prænomen, nomen, & cognomen dabit. ULPIA ſæpe legitur in lapidibus Græcis, Romaniſque, atque etiam numiſmatibus.

ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑ. *Marcellina*. Non tanta fuit apud Græcos quam apud Romanos appellationum diſtinctio, quin & apud hos nec eadem nec perpetua animadvertitur: Antiquioribus enim temporibus, hominem unum deſignabat vocabulum; ſic Romulus, ſic Remus dicebantur. Gentes deinde ſuum habuerunt nomen in *ius* terminatum, docente Sigonio: exempla ſunto Aburius, Cornelius, Julius, Manlius. Familiæ, ut rami e trunco orti, gentis ſuæ nomini cognomen addiderunt, quod tum prænomine tum agnomine, progreſſu temporis, nobilitatum eſt. Quid obſtat ULPIAM apud Græcos prænomen aliquando fuiſſe, quæ familiæ nomen ut apud Romanos extitit? Cur MARCELLINA apud Græcos non fuerit nomen familiæ, quamvis apud Romanos, e Claudia gente, cognomina Pulchrorum & Marcellorum fluxiſſe conveniamus? Quidquid ſit, tam late patuit MARCELLORUM atque MARCELLINORUM denominatio, ut nullam aliam crediderim tum in Græcia tum Romæ, quæ tot ac tantos homines ad noſtra uſque tempora tranſmiſerit: Nec malam me ſpero gratiam initurum a *φιλαρχαίοις*, ſi nonnulla antiqua MARCELLORUM & MARCELLINORUM monumenta in hunc locum congeſſero. Thyatiræ, ex Itiner. Sponii, *t. 3. p.* 108. & Wheleri *p.* 235.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΑΝ
ΟΥΛΠΙΑΝ ΜΑΡΚΕΛΛΑΝ
ΤΗΝ ΙΕΡΕΙΑΝ ΤΗΣ ΑΡΤΕ-
ΜΙΔΟΣ ΜΑΡΚΟΥ ΟΥΛΠΙΟΥ
ΔΑΜΑΠΑΡΑΔΟΞΟΥ
ΚΑΙ ΚΑΝΙΔΙΑΣ ΒΑΣΣΗΣ
ΘΥΓΑΤΕΡΑ ΕΠΙΤΕΛΕ-
ΣΑΣΑΝΤΑ ΤΗΣ ΘΕΟΥ
ΜΥΣΤΗΡΙΑ ΚΑΙ ΤΑΣ ΘΥ-
ΣΙΑΣ ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ
ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ ϗ τ λ.

Cum bona Fortuna,
Senatus & Populus
honoravit
ULPIAM MARCELLAM
Sacerdotem Dianæ,
Marci Ulpi
Damaparadoxi
& Canidiæ Baſſæ
filiam, poſtquam
peregiſſet Deæ
myſteria & ſacrificia
ſplendide &
ſumptuoſe, &c.

Quid obſtaret opinioni, MARCELLINAM, cujus monumentum colluſtramus, illius ULPIÆ MARCELLÆ filiam fuiſſe? Id ſuadet nominis fluxio; Ut a Marco Marcelli, ſic a Marcella Marcellinam dici certum eſt. Utriuſque dignitas ſacerdotalis conjecturam firmat. MARCELLINA porro ſummum Sacerdotii apicem conſequuta eſt, ut ex voce ſequenti ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ patet, qui MARCELLÆ, forte ob vitæ brevitatem, defuit. Tempora deinde conveniunt, cum utramque Antoninorum ſæculo vixiſſe conſtet ex ſequenti inſcriptione. Nec prohibet locorum diverſitas, ut pote cum vicini populi ſæpe eoſdem habuerint Pontifices. Utrumque manifeſte declarat hæc Thyatirenſis inſcriptio a doctiſs. Sponio viſa, vulgataque Itiner. tom. 3. pag. 114.

Η ΠΑΤΡΙΣ
Μ. ΑΥΡ. ΔΙΑΔΟΧΟΝ ΙΠΠΙΚΟΝ
ΤΟΝ ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ
ΝΑΩΝ ΤΩΝ ΕΝ ΠΕΡΓΑΜΩΙ ΚΑΙ
ΑΡΧΙΕΡΕΑ ΚΑΤΑ ΤΟΝ ΑΥΤΟΝ
ΚΑΙΡΟΝ ΤΗΣ ΠΑΤΡΙΔΟΣ
ΔΙΑ ΒΙΟΥ ΒΟΥΛΑΡΧΟΝ ΤΙΜΗ
ΘΕΝΤΑ ΥΠΟ ΤΟΥ ΘΕΙΟΤΑ
ΤΟΥ ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΟΣ Μ. ΑΥΡ.
ΣΕΟΥΗΡΟΥ ΑΝΤΩΝΕΙΝΟΥ

ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΥΣΑΨΑΙ ΤΑΣ
ΑΡΧΙΕΡΕΩΣΥΝΑΣ ΤΟΙΣ ΟΞΕ-
ΣΙΝ ΕΝ ΕΚΑΤΕΡΑΙΣ ΤΑΙΣ ΠΟ-
ΛΕΣΙΝ ΦΙΛΟΤΙΜΗΣΑΜΕΝΟΝ
ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΜΕΓΑΛΟΦΡΟ-
ΝΩΣ ΑΝΔΡΑ ΕΠΙ ΗΘΕΣΙ ΚΑΙ
ΕΠΙΕΙΚΕΙΑΙ ΚΑΙ ΤΗΙ ΠΡΟΣ ΤΗΝ
ΠΑΤΡΙΔΑ ΕΥΝΟΙΑΙ ΔΙΑΠΡΕ-
ΠΟΝΤΑ.

Patria
M. Aur. Diadochum Hippichum
Pontificem Asiæ minoris,
in templis, quæ sunt *Pergami*,
Pontificem eodem
tempore, patriæ Thyatiræ,
dum viveret, Consiliarium
decoratum a divino
Imperatore M. Aurelio
Severo Antonino Caracalla
Augusto, simul
collatis Pontificatibus
in utraque civitate,
viris se gerentibus
gloriose & magnifice
ob egregios mores,
suavitatem, & erga
patriam bonam mentem
& pietatem.

Facilius inde fuisse opinor ULPIAM MARCELLAM Dianæ, Sacerdotem fuisse Thyatiræ, & ULPIAM MARCELLINAM Sacerdotem *Veneris Uraniæ*, Smyrnæ, quam M. Aur. Diadochum Hippichum solum duabus in civitatibus duplici inseruisse Numini; Æsculapius enim Pergami, Diana Thyatiræ colebatur. Inscriptionum deinde uniformitas eadem tempora, eosdem fere mores indicare videtur.

Alterius MARCELLINÆ monumentum extat Romæ a Grutero descriptum, p. 948. 2.

ΝΕΙΚΗ Η ΚΑΙ
ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΝΑ
ΑΠΑΜΙΣΣΑ
ΕΥΓΕΝΗΣ
ΕΤΩΝ ΛΕ. ⁂. ⁊ λ.

Nice &
MARCELLINA
Apamensis
nobilis
annorum 35. *&c.*

Notandum subit nobilem hanc MARCELLINAM Apamensem, cæterarum forte fuisse consanguineam: Apamæa quippe Smyrnæ, Magnesiæ & Thyatiræ vicina, probabiliorem efficit conjecturam.

Egregium triclinium vulgavit Th.Reinesius, *p.* 668. *Inscr. ant.* quod olim Ateste in horto Georgii Contarini Senatoris Veneti servabatur; in eo duo accumbunt, quorum alter alteri corollam porrigit, cum hac ἐπιγραφῇ.

ΥΠΟΜΝΗΜΑ ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ
Ο ΚΑΤΕΣΚΕΥΑΣΕΝ ΑΥΤΩ
ΜΗΤΗΡ ΜΑΡΚΕΛΛΑ ΔΗΜΗΤΡΙΟΥ
ΖΗΣΑΝΤΙ ΕΤΗ ΚΘ. ΧΑΙΡΕ.

Monumentum Marcellæ,
quod ædificavit ipsi
mater Marcella Demetrii f.
*vixit an.*29. *Vale.*

Constantinopoli observavit doct. Sponius quæ *in Itinere* vulgavit fragmenta duo lapidis in Galliam postea delati.

a ΑΥΤΟΚΡΑΤΟΡΑ
ΤΡΑΙΑΝΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΟΛΥΜΠΙΟΝ
ΚΑΙΣΑΡΑ ΣΕΒΑΣΤΟΝ

Imperatorem
Trajanum Hadrianum
Olympium
Cæsarem Augustum.

Suppleamus hic ΕΤΙΜΗΣΑΝ, *honoraverunt*

ΑΒΥΔΙΝΟΙ
ΤΩΝ ΑΥΤΩΝ ΣΩΤΗΡΑ
ΚΑΙ ΚΤΙΣΤΗΝ
ΔΙΑ ΠΡΕΣΒΕΥΤΟΥ
ΜΑΡΚΕΛΛΟΥ ΜΑΙΟΡΟΣ

Abydeni
suum servatorem
& conditorem
sub Legato
Marcello Majore

Inter Schedas meas nondum vulgatas, egregia est inscriptio, quam olim excerpseram ex ædibus Grimanorum, NN. Venetorum ad S.Mariam Formosam, superiori sæculo eo translatam ab agro Aquiliensi: eo rariorem quo a diligentissimo Grutero incognitamque, quamvis apud ipsum multæ DEO BELENO sacratæ conspiciantur. Eam porro a celeber. Reinesio descriptam nuper animadvertimus, optime meo judicio, MARCELLINI in tertia linea substituente.

b BELEN. AUG.
IN MEMOR. JULIOR.
MARCEL. ET MARCELLÆ ET.
IN HONOREM JULIARUM
CHARITES ET MARCELLIÆ FILIAR
ET LICIN. MACRON JUNIOR. NEPOTIS
C. JUL. AGATHOPUS
IIIIII. VIR AQUIL.
L. P. D. D.

Inter MONUMENTA PATAVINA hanc inscriptionem refert Eques Ursatus, ex ædibus Bassanorum:

M. AURELIO MARCELLINO
CONJUGI DULCISSIMO
SAUFEIA CRISPINA CONJUX.

Tria alia MARCELLINARUM monumenta adjungam, primum ex MARMORIBUS OXONIENSIBUS.

c D. M.
P. OPSIO SEVERO
FECIT
ARRIA MARCELLINA
CONJUGI OPTIMO

a tom. 3. pag. 43. ad tom. 2. b Class. 1. Inscr. l. 11.
c pag. 105. xiv.

D. M. VI.

a

D. M. VI.
ATILI APRONI
MATUGENIÆ
MARCELLINÆ
SATILI PATERN.

Hoc ſuppeditat Gruterus, *pag.* 1143. 1. VETTIÆ MARCELLINÆ CONJUGI SANCTISSIMÆ.

Duas MARCELLINAS exhibet idem Gruterus, *in Tarraconenſibus monumentis*, Flaminica dignitate ornatas.

b

POSTUMIÆ NEPOCIANÆ
SIVE MARCELLINÆ
EX CÆS. AUG. KARENSI
FLAMINICÆ
UXORI T. PORCI VERRINI FLAM.
P. H. C.

AURELIÆ
MARCELLINÆ
EXCLUNIENS.
FLAMINICÆ
&c.

Flaminicam autem dignitatem alii opinantur fuiſſe Sacerdotalem, alii ex marito, qui Flamen fuerit deſumptam: *Flaminum enim uxores, Flaminicæ vocabantur*, ut tradit Feſtus, *quibus divortium facere non licebat*. Primam opinionem firmat vetus hoc Gruteri Epigramma.

c

VALERIÆ C. F. ATINÆ
TUCCITANÆ SACERDOTI
COLONIÆ PATRICIÆ CORDUBENSIS
FLAMINICÆ
COLONIÆ AUG. GEMELLÆ TUCCITANÆ
FLAMINICÆ SIVE SACERDOTI
MUNICIPI CASTULONENSIS.

Flaminem etiam MARCELLINUM commemorat vetus inſcriptio a doct. Sponio Athenis obſervata, ſuper porta arcis: *Tom. 3. pag.* 16.

ΦΛάϐιος ΣΕΠΤΙΜΙΟΣ ΜΑΡΚΕΛΛΙΝΟΣ
ΦΛΑΜΗΝ ΚΑΙ ΑΠΟ ΑΓΩΝΟΘΕΤΩΝ
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΤΟΥΣ ΠΥΛΩΝΑΣ ΤΙΠΟΛΕΙ.

Flavius Septimius Mart.
FLAMEN ludorum
Præſes propriis ſumptibus portas civitatis reſtituit.

Solis gentium Numinibus devotas præfectasque fuiſſe MARCELLAS, nullus credat. *Tanta fuit Marcella*, inquit S. Hieronymus ejus Præceptor, *ut ejus virtutem celebrare potis erant ejus diſcipulæ, Paula & Eutochium:* Vidua ipſa ſpretis ulterioribus cum Magnatibus nuptiis, cum electis virginibus, quibus omnia ſua bona contulit, vixit; Originiſtis hæreticis Romanis ita ſe oppoſuit, ut hæreſim damnari ſancte diligenterque curavit. Poſt Romam a Gothis captam, obiit A. C. CDIX. Marcellinæ Virgini, D. Ambroſii ſororis tandem velum impoſuit Papa Liberius, oratione egregia hoc de argumento habita, quam D. Ambroſius, *tertio de virginibus libro*, inſerere non eſt dedignatus.

Non præteribo quamdam fuiſſe MARCELLINAM, quæ referentibus SS. Irinæo & Auguſtino, *Pythagoræ ſapientiæ amore capta, ejus imaginem adorabat.*

a *Ex meis ſchedis*. b *p.* 324. 12. c *p.* 323. 12.

Ludos in honorem familiæ MARCELLORUM *antiquiſſimorum Siciliæ patronorum* Cicero commemorat *l.* 2. *in Verrem*, ΜΑΡΚΕΛΛΕΙΑ dictos, quos Syracuſani cum recentibus beneficiis M. Marcelli debitos reddebant tum generi, nomini, familiæ Marcellorum, maxima voluntate tribuebant. Suſtulit illos Verres & *Verreos* a ſe nominatos inſtituit, de quibus idem Cicero conſulatur.

Θυγατὴρ. *Filia*. Nil aliud hic indicat littera Θ præter proximam ſanguinis conjunctionem, ut ajunt Juriſconſulti. In antiquis epigrammatibus ſæpe leguntur, ΠΑΤΗΡ, ΜΗΤΗΡ, ΥΙΟΣ, ΘΥΓΑΤΗΡ, ΑΔΕΛΦΟΣ, ΑΔΕΛΦΗ, ΓΥΝΗ. &c. Aliquot exempla ex pluribus hic apponemus filiam commemorantia.

a ΑΥΡ, ΗΛΙΟΔΩΡΟΣ ΑΠΕΛΕΥΘΕΡΟΣ
ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΚΑΙ ΕΠΙΠΟΔΙΑ ΑΥΡΗΛΙΑ
ΘΕΟΔΟΡΗ ΘΥΓΑΤΡΙ ΓΛΥΚΥΤΑΤΗ
ΚΑΙ ΑΣΥΝΚΡΙΤΩ ΜΑΙ ΑΜΝΕΣΤΗ
ΕΠΟΙΗΣΑΟ: ΗΤΙΣ ΕΥΗΣΕΟ ΕΤΗ Δ.
ΜΗΝΕΣ Γ. ΗΜΕΡΑΣ Β. ΩΡΑΣ ΕΞ.

Aur. Heliodorus libertus
Auguſti & Epipodia Aurelia,
Theodoræ FILIÆ dulciſſimæ,
& incomparabili & innocentiſſimæ
fecerunt. Quæ vixit annos IV.
menſes III. *dies* II. *horas ſex.*

b

Θ. Κ.
ΛΟΥΠΟΥΛΗ ΘΥΓΑΤΡΙ
ΖΗΣΑΣΗ
ΕΤΗ Δ. ΜΗΝ. Ζ.
ΛΟΥΠΟΥΛΟΣ ΠΑΤΗΡ

Dis manibus
Lupulæ filiæ
Quæ vixit
Annos IV. *menſes* VII.
Lupulus pater
fecit.

c ΕΥΤΟΧΙΟΣ ΚΑΙ ΑΘΗΝΑΙΣ
ΤΗ ΘΥΓΑΤΡΙ
ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ

Eutochius & Athenais
FILIAE
Memoriæ gratia.

In zophoro cippi, cui inſculptæ ſunt duæ figuræ patris & filiæ; inter ſchedas meas.

ΕΠΙΚΤΗΣΙΣ ΟΝΑΣΙΟΥ ΚΥΘΗΡΙΟΥ
ΘΥΓΑΤΗΡ.

Reconditorium Onaſii Cytherii
FILIA.

ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ. *Summa Sacerdos* Sacerdotii a fæminis exerciti originem tradit Dionyſius Halic. *ant. Rom. lib.* 2. his verbis: *Quoniam autem nonnulla etiam ſacra per mulieres fieri oportebat, & alia per pueros patrimos matrimoſque, ut hæc quoque optime peragerentur, juſſit (Romulus) uxores ſacerdotum cum ſuis maritis ſacerdotio fungi, & ſi qua ſacra nefas eſſet patrio more a viris fieri, hæs ab illis peragi. Ita Virgines Veſtales Veſtæ mininiſtrabant, ſacrumque ignem cuſtodiebant.*

a *Ex Gruter. pag.* 608. 7 b *Romæ ex pag.* 694. 10. c *Amuſiæ, ex Grut. pag.* 1127. 7.

Fortunæ quoque muliebri, cujus templum Matronæ Romanæ, ob Marci Coriolani rabiem, a matre, mulierum suasu, emollitam, extrui a senatui petierant, sacræ Fœminæ administrabant: *Et quidem*, ut narrat idem Dion. *l*. 8. *Mulieres ex suæ Sacerdotis sententia morem constituerunt, ut neque coronæ huic simulacro imponerentur, neque manus ad id a mulieribus, quæ secundas nuptias expertæ fuissent, admoverentur: Sed recens nuptis honor iste deferretur, & hujus cultus cura omnis iis committeretur*. Hinc Sacerdotes Bonæ Deæ seu Faunæ, seu Fatuæ, ad quam non nisi mulieribus ingredi fas erat; de cujus sacrificiis Plutarchum consulere licet, *quæst. Rom.* 20. Hinc, Festo monente, *Flaminia dicebatur Sacerdotula, quæ Flaminiæ Diali præministrabat*. Est & apud Senecam de Sacerdote prostituta, controversia perelegans, *l*. 1. *controv*. 5. Ita Eques Sert. Orsatus, *in monum. Patavin*.

Solis tamen Deabus administrasse Sacerdotes fæminas ex antiquis monumentis constat, ut Pythiam Delphicam non Apollinis Sacerdotem, sed vatem fuisse nullum dubium sit, quæ sacra nullo modo perageret; id tantum, oracula ex tripode acciperet. Verum posterioribus temporibus, mos ille antiquatus est, & fœminas Numinibus, maribus, & Cæsaribus sacra patet fecisse nonnullas, ut ex infrascriptis epigrammatibus constabit.

Eodem modo quo tres Vestalium ordines Romæ, ita tres Smyrnæ, Ephesi, & alibi, Antistitum Fœminarum: Μελλιεραὶ Ἱεραὶ, & Παριερπί. Μελλιεραὶ erant candidatæ, quæ tantum ritus & mysteria, quibus Dea colebatur, discebant. In quibus perdiscendis dum definitum tempus peregissent, ad Sacerdotium admissæ, Ἱεραὶ factæ erant, omniaque ministeria templi per certum tempus peragebant: Eo autem peracto, utpote Sacerdotio defunctæ, ab omnibus illius ministeriis & officiis liberatæ, in Παριερῶν classem promovebantur, iisque deinde solum incumbebat prospicere, ut omnia Deæ sacra a Sacerdotibus rite peragerentur, eademque a Candidatis discerentur. Unde plures in eodem templo ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ fuisse nihil prohibet, cum vox ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ, non tantum Sacerdotem summam, & omnium primam, sed unam inter summas & primarias etiam significet; Eodem modo quo Ἀρχιερεὺς non unus erat, sed plures Ἀρχιερεῖς, ut videre est apud Matthæum, 2. *v*. 4. Ex illa secunda classe, hoc est Ἱερῶν fuisse constat ULPIAM MARCELLINAM in superiori monumento celebratam, p. 385.

Sacerdotes fæminas multas olim fuisse testantur inscriptiones frequentes, tum græcæ tum latinæ, quarum selectas aliquot oculis subjiciemus, ac primum Atheniensem illam celeberrimam.

a

Ο ΔΗΜΟΣ
ΘΕΑΙ ΡΩΜΗΙ ΚΑΙ
ΣΕΒΑΣΤΩ ΚΑΙΣΑΡΙ
ΣΤΡΑΤΗΓΟΥΝΤΟΣ
ΕΠΙ ΤΟΥΣ ΠΟΛΙΤΑΣ ΠΑΜΜΕΝΟΥΣ
ΤΟΥ ΞΗΝΩΝΟΣ ΜΑΡΑΘΩΝΙΟΥ
ΙΕΡΕΩΣ
ΘΕΑΣ ΡΩΜΗΣ ΚΑΙ ΣΕΒΑΣΤΟΥ ΣΩΤΗΡΟΣ
ΕΝ ΑΚΡΟΠΟΛΕΙ ΕΠΙ ΙΕΡΕΙΑΣ ΑΘΗΝΑΣ
ΠΟΛΙΑΔΟΣ ΜΕΓΙΣΤΗΣ ΑΣΚΕΙΠΙΑΔΟΥ
ΑΛΑΕΙΩΣ ΘΥΓΑΣΤΡΘΣ ΕΠΙ ΑΡΧΟΝΤΟΣ
ΑΡΗΟΥ ΤΟΥ ΜΩΡΙΩΝΟΣ ΠΑΙΑΝΙΕΩΣ

Populus,
Deæ Romæ &
Augusto Cæsari,
Præfecto
Super administratores . . ,
Zenone Marathonii filio
Sacerdote
Deæ Romæ & Aug. servatoris
in arce. Sub SAC. Minervæ
Poliadis magnæ Ascipiadi
Alaici filiæ sub Archonte.
Arejo Morione Pæaniense.

Eadem Minervæ Sacerdos ἡ τῆς Ἀθηνᾶς ἱέρεια legitur apud Pausaniam. Egregia est illa lex inter Atticas scripta, quæ SACERDOTI Minervæ Acropolitanæ, in arce cultæ, in singulos mortuos, duos hordei sextarios totidem frumenti, itemque obolum pendit: Τῇ τε ΙΕΡΕΙΑ τῇ τῆς Ἀθηνᾶς τῆς ἐν Ἀκροπόλει, ὑπὲρ τοῦ ἀποθανόντος φέρειν χοίνικα κριθῶν καὶ πυρῶν ἑτέραν καὶ ὀβολόν. Quod ipsum legitur apud Aristotelem, l. 2. οἰκονομικῶν. Eandem Minervæ Sacerdotem celebrat Lucanus. (*a*)

Vestalemque chorum ducit vittata SACERDOS,
Trojanam soli cui fas vidisse Minervam.

Et ipse antiquissimus historiarum parens Homerus: (*b*)

Eis fores aperuit Theano, pulchras genas habens,
Cissei filia, uxor Antenoris equorum domitoris;
Illam enim Trojani fecerant Minervæ SACERDOTEM.

Quo loci curiosa referri debet ill. ejus commentatoris Spondani animadversio: *Apud Homerum mulieres nuptas Sacerdotii officio fungi, qualis est hæc Theano Antenoris uxor: At postea hoc virgines tantum exercuerunt, quales fuerunt Vestæ, apud Romanos*.

Interdum etiam Sacerdotes illæ nuncupabantur ΙΕΡΗΤΕΥΟΥΣΑΙ, ut videre est in inscriptione Lebadiensi a Jac. Sponio relata.

c

ΗΡΑ ΒΑΣΙΛΙΔΙ
ΚΑΙ ΤΗ ΠΟΛΕΙ ΛΕΒΑΔΕΩΝ
ΜΕΝΑΝΔΡΟΣ ΧΡΗΣΙΜΟΥ
ΙΕΡΗΤΕΥΣΑΣ ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΔΑ
ΕΚ ΤΩΝ ΙΔΙΩΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ
ΙΕΡΗΤΕΥΟΥΣΗΣ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ ΑΥΤΟΥ
ΠΑΡΗΣΙΑΣ ΤΗΣ ΟΝΑΣΙΜΒΡΩΤΟΥ

Junoni Reginæ
Et Urbi Lebadiorum
Menander Chresimi filius
Sacerdos per quinque annos
ære proprio posuit.
Sacerdotio fungente uxore ejus
Paresia Onasimbroti filia.

Sacerdotes fœminæ plurimorum Numinum exstant in antiquis lapidibus, exstant etiam in nummis: Argentei Antoniæ Drusi uxoris nummi aversam partem ornat eadem, nonnunquam faces duæ, cum inscriptione SACERDOS DIVI AUGUSTI. Et quas Græci ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΣ vel ἱερητευούσας, Latini Sacerdotem, Antistitem & Flaminicam dixere, addito sæpe Numinis, cui inserviebant, nomine.

Exempla lapidum non desunt, quorum varietate & πολυμαθείᾳ transcriptionis veniam impetraturum me spero.

a Ex Gr. p. 195. 9.

a Lib. 1. Pharf. b Iliad, lib. 6. c Itiner. tom. 3. pag. 11.

a SALONIA CARPIMA
SALONIÆ EUTERPE
SACERDOTI M. D. &c.

b LABERIA FELICIA
SACERDOS MAXIMA
MATRIS DEUM M. I.

c CLAUDIA ACROPOLIS
AUGUSTI LIB.
SACERDOS MATRIS DEUM
FECIT SIBI ET PERENN.
CONJUGI SUO CLADIANO
LIBERTIS LIBERTABUS
POSTERISQUE EORUM
H. M. H. N. SEQ.

d COELIÆ CLAUDIANÆ
Virgini Veſtali MAXIMÆ
A DIIS ELECTA MERITO
SIBI TALEM ANTISTITEM
NUMEN VESTÆ RESERVARE
VOLUIT &c.

e D. M.
AELIA NICE
SACERDOS BONÆ DEÆ, &c.

f M. D S.
PETILIÆ Q. F. SECUNDINÆ
SACERDOS MINERVÆ, &c.
OB INFATIGABILEM
PIETATEM &c.

g JULIA ALPINULA HIC JACEO
INFELICIS PATRIS INFELIX PROLES
DEÆ AVENT. SACERDOS
EXORARE PATRIS NECEM NON POTUI
MALE MORI IN FATIS ILLI ERAT
VIXIT ANNOS XXIII.

h CURTILIÆ C.
F. PRISCILLÆ
SACERDOTI
DIVÆ
AUGUSTÆ
ORDO VIVIRAL.

i P. POSTUMIÆ P. F.
PAULLAE
AVIDIÆ PROCULÆ
RUTILIÆ PROBÆ
SACERD. D. JULI. AUGUST.
D. D.

k CORNELIA P. F.
ASPRILLIA
SAC. DIVÆ AUG.
ANN. XXXV. H. S. E.

l REAE FIRMIAE
SACERDOTI
CÆSARIS &c.

m DENTRIAE L. F. POLLAE
SACERDOTI
DIVAE AUGUSTAE
POST MORTEM
D. D.

a *Ex Gr. p.* 318. *Romæ*. b *Reineſ. p.* 390. c *Romæ Gruter. p.* 318. d *Ex Gr. p.* 310. e *Romæ Gruter. p.* 313. f *Juvenatii p.* 321. g *p.* 319. h *p.* 320. i *Grut.* 320. *Brix.* k *pag.* 321. l *Salodii Brixiano agro pag.* 321. m *pag.* 321 *Aquini*.

a AEMILIAE C. F. AEQUAE
SACERD.
DIVAE PLOTINÆ &c.

b PORCIÆ M. F. MATERNÆ
O. SACER. DESIG. &c.

c CANTIÆ L. F. SATURNINÆ
PATRON. COLON.
FLAMINICÆ
SACERD. DIV. PLOTINÆ, &c.

d D. M.
CETRANIÆ P. F. SEVERINAE
SACERDOTI
DIVÆ MARCIAN. &c.

e D. M.
IN MEMOR.
USIÆ L. FIL.
TERTULLIANAE
SACERD. DIVAR. &c.

f CORNELIAE CLEMENTIS F. TUSCAE
SACERDOTIS PERPETUAE
ORDO IPORCENSIUM OB MUNIFICENTIAM
STATUAM EI GENIIS PUBLICIS POSUIT
ITEM SEVIRIS CENAS REMISERUNT.

g BONO EVENTUI
APONIA C. F. MONTANA SACERDOS
DIVARUM AUGUSTARUM
COL. AUG. FIR.
EDITIS OB HONOREM SACERD.
CIRCENSIBUS
ET OB DEDICATIONEM ALIIS
EX ARG. LIBRIS C. L.
D. S. P. D. D.

Legitur etiam SACERDOS PERPETUA in inſcriptione a Grutero relata, *pag.* 174. Cartamæ in Hiſpania. Ejus prolixitas facit ut omittatur: In ea *Junia Ruſtica Sacerdos perpetua ſignum Cupidinis poſuiſſe* legitur *epulo dato* &c.

Quod propius eſt argumento noſtro, Veneris Sacerdotes fuiſſe fœminas in tota fere Græcia, ex hiſtoricis, poetiſque colligere eſt. Muſæus qui Leandri & Herus amores tam feſtive ſcripſit, hanc Deæ ſacra facientem commemorat.

Ηρώ μεν χαρίεσσα διοτρεφὲς αἷμα λαχοῦσα

ΚΥΠΡΙΔΟΣ ἦν ΙΕΡΕΙΑ. Ex verſione Andreæ Papii, *Forte decens Hero, clara de ſtirpe SACERdos ſervibat VENERI*. Ea ſcilicet quæ ſolemniter Seſti peragebantur Adonique & Cythereæ; Et paulo poſt. Ατρεκέως ΙΕΡΕΙΑΝ ἐπάξιον ΚΥΠΡΙΣ, *Certe quidem VENERI digna eſt oblata SACERDOS*. Ipſa Hero ſe talem nuncupat, quo Leandri amoribus obſiſteret.

ΚΥΠΡΙΔΟΣ οὔ σοι ἔοικε θέμις ΙΕΡΕΙΑΝ ἀφάσσειν

Haud VENERIS tibi caſta Deæ tentanda SACERDOS.

Templi VENERIS, quod erat Corinthi, mentionem facit Strabo, lib. 8. *Ita locuples fuit ut plures quam mille Sacrorum famulas habuerit, quas Deæ viri mulieresque dedicaverunt*. Τὸ τε τῆς ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἱερὸν οὕτω πλούσιον ὑπῆρξεν, ὥστε

a *Brix. p.* 321. b *Barcinone p.* 321. c *p.* 322. d *Saſſinæ in Flaminia p.* 322. e *p.* 322. f *in Hiſpan. p.* 325. 10. g *Ex Grut p.* 101.

πλείυς ἢ χιλίας ἱεροδὔλυς ἐκέκτητο ἑτέρας, ἅς ἀνετί-θεσαν τῇ θεῷ κ̀ ἄνδρες γυναῖκες.

Sacerdotium VENERIS a Græcis ad Latinos translatum fuiſſe conſtat, tum ex horum ambitione religiones populorum eorumque Numina admittentium, tum ex reliquis aliquot lapidibus.

a SONTIAE
SACERDOTI VENERIS
EX TESTAMENTO

b FAUSTAE VERISSIMÆ
SACERDOT. VENERIS
FEL. &c.

Aliam Fauſtam exhibent MARMORA OXONIENSIA, ſummam Sacerdotem ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ celebrantia: Et quoniam illud monumentum juxta Smyrnæorum decretum fuit erectum, illuſtremque facem noſtro præbeat, ideo hic tranſcribendum curavimus.

ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
ΚΑΘΑ ΕΨΗΦΗΣΑΤΟ Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΒΟΥΛΗ
ΤΗΣ ΠΡΩΤΗΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ
ΚΑΛΛΕΙ ΚΑΙ ΜΕΓΕΘΕΙ ΚΑΙ
ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΣ ΚΑΙ ΜΗΤΡΟ
ΠΟΛΕΩΣ ΤΗΣ ΑΣΙΑΣ ΚΑΙ
ΤΡΙΣ ΝΕΩΚΟΡΟΥ ΤΩΝ

Bonæ Fortunæ ut decrevit
præſtantiſſimum concilium
primæ per Aſiam
pulchritudine, & magnitudine,
& ſplendidiſſimæ, & metro-
polis Aſiæ &
ter æditua

ΣΕΒΑΣΤΩΝ ΚΑΤΑ ΤΑ ΔΟ-
ΓΜΑΤΑ ΤΗΣ ΙΕΡΩΤΑΤΗΣ
ΣΥΝΚΛΗΤΟΥ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΥ
ΤΗΣ ΙΩΝΙΑΣ ΣΜΥΡΝΑΙ
ΩΝ ΠΟΛΕΟΣ
ΑΥΡ. ΦΑΥΣΤΑΝ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑΝ
ΠΟΜΠΩΝΙΑ ΚΛΑΥΔΙΑ
ΦΑΥΣΤΑ ΛΟΥΠΕΡΚΙΑΝΗ
Η ΚΡΑΤΙΣΤΗ ΤΗΝ ΧΡΗ
ΣΤΗΝ ΤΗΘΗΝ
ΕΥΤΥΧΕΙΤΕ

Auguſtalium ſecundum de-
creta ſanctiſſimi
Senatus & ornamenti
Joniæ Smyrnæo-
rum civitatis
Aureliæ Fauſtæ ſummæ SACERDOTI
Pomponia Claudia
Fauſta Luperciana
præſtantiſſima optimæ
amicæ ſuæ
Valete.

Hanc inſcriptionem baſi Statuæ inſcriptam fuiſſe opinatur nob. Seldenus, publicis impenſis erectæ, quod quidem exemplo monumenti noſtri confirmatur.

Nominatur etiam Nymphidia SACERDOS SUMMA, ΝΥΜΦΙΔΙΑ ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ in marmore Oxonienſi, *pag.* 93. donaria ad gymnaſii Smyrnenſis ornatum recenſente. Alias inſcriptiones, ne tædioſus ſim, prætermitto. Id ſolum memorabo, ut Αρητὴρ apud Græcos *Sacerdotem, cultorem, & precatorem* ſignificat, ſic Αρήτειρα SACERDOS *fœmina* ſeu ἱέρεια apud eoſdem legitur.

A propoſito noſtro alienum non erit, aliquas producere ac breviter interpretari dignitates ab Antiquis uſurpari ſolitas, marmoribus, numiſmatibus & libris conſignatas, aut ſacras, aut ſacris inſervientes.

Ιεροφάντης, *Jerophantes*, Sacrorum miniſter.

Δαδοῦχος, *Daduchus*, tædarum, facium & lampadum curator & geſtator: quare Cereris Sacerdotes *δαδοῦχοι* dicebantur.

Κήρυξ, *Ceryx*, Caduceator, fecialis, præco.

Ιεροκήρυξ, *Sacer Ceryx* ſeu fecialis, qui populo feſtos dies cerimoniaſque nuntiabat.

Γραμματεὺς, *Litterarius*, Cancellarius, Notarius, Secretarius, ſcriba publicus. Apud Judæos, ſapientiæ profeſſio penes Scribas erat.

Αρχιγραμματεὺς, *Notariorum primus* & quaſi princeps. Is decretorum publicorum & tabellarum ſæpe cuſtos erat.

Αντιγραμματεὺς, Litterarum & tabularum reviſor.

Προγραμματεὺς, *ipſe ſcribens*,

Ιερεὺς, *Sacerdos*, augur, aruſpex, ſacrificus.

Αρχιερεὺς & Ιεράρχης, *Sacerdotum primus* & princeps.

ΑΡΧΙΕΡΕΙΑ, *Summo fungens Sacerdotio*: Plures illæ erant, quæ ſcilicet conſtitutam Sacerdotii periodum abſolverant, ut Veſtalium mos erat; de quo diximus pag. 392.

Ιερεῖα, *Sacerdos fœmina*, Dearum ſacris præpoſita.

Ιερατεύουσα, Sacerdos e minoribus, ſeu Sacerdotibus fœminis miniſtrans.

Αρήτειρα, *precatrix*, quæ preces fundebat.

Ιερατικὸς, Sacris officiis deditus.

Ιερόφορος, qui ſacra gerebat.

Ιερόστολος, Veſtitor divinorum ſimulacrorum.

Περὶ τὸ βῆμα, Qui ſuggeſtus ſeu altaris curam habebant.

Βῆμα locum editum ſignificat, qualis erat Romæ dictus *Roſtra*.

Ιεραύλης, Muſicæ præſes, & Sacer tibicen, & qui ad ſacrificia tibias canebat:

Χοραγὸς, Χορηγὸς, *Choragus*, qui ſumptus ad ludos præbebat.

Φιαλήφορος: *Phialam geſtans* puer apud Siculos, apud Locrenſes puella, quæ ibat ante ſacrificia. *Polyb. l.* 12. *c.* 4.

Κερνόφορος, *qui crateres myſticos gerebat*: dictus ideo κρατήφορος.

Λυχνόφορος, *qui faces geſtabat*, quales frequentes Cereris & Proſerpinæ myſteriis aderant: Eadem de cauſa tamen in aliis cærimoniis φανόφορος ab Heſychio nuncupatur, ob quam gerebat laternam.

Μελανήφορος, Sacerdos erat atra veſte indutus. Plura ſi cupis, doctiſſ. Stephani le Moyne ad ill. Cuperum epiſtolam *de Melanophoris* conſulere ne quamvis pœnitebit.

Παστόφορος, qui tabernaculum, tenſam, ſeu Numinis ſignum gerebat; Horum ut plerorumque aliorum Sacerdotum erat collegium. Vide ill. Cuperum, *in Harpocrate p.* 131.

ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ, *Veneris*. Cic. l. 3. de nat. Deor. quatuor Veneres eſſe docet: *Prima*, inquit, *Cœlo & Die nata, cujus in Ælide delubrum vidimus. Altera ſpuma procreata, ex qua Mercurium & Cupidinem ſecundum natum accepimus. Tertia Jove nata & Dione, quæ nupſit Vulcano, e quibus natus eſt Anteros. Quarta Syria Syroque concepta, quæ Aſtarte vocatur, quam Adonidi nupſiſſe traditum eſt.*

Quanta fuerit Venerum multitudo, paucis hiſce demonſtrabitur. Initium ducat Ptolemæi autoritas, Venerem ſeu ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ Orientalibus

a *Ex Grut. pag.* 318. *Aliſani.* b *Ex Rein. p.* 47.

quibuſque nominibus fuiſſe nuncupatam : *l. 2. in Tetrabibl.* A ſpuma maris qua natam eſſe ſcribit Heſiodus, *in Theogonia*, Venus dicta eſt : ΑΦΡΟΔΙΤΗ ἀπὸ τȣ͂ ἀφρȣ͂ : ita Plato, *in Cratero*, Περὶ ᾗ τῆς Ἀφροδίτης ȣ̓χ ἄξιον Ἡσιόδῳ ἀντιλέγειν, ἀλλὰ συγχωρεῖν, ὅτι διὰ τὴν τȣ͂ ἀφρȣ͂ γένεσιν, Ἀφροδίτη ἐκλήθη. Hanc etiam dicunt a deſipiendo, Ἀφροδίτη παρὰ τὸ ἀφραίνειν ; ita apud Euripidem, τὰ μωρὰ γὰρ πάντ' ἐςι Ἀφροδίτης βροτοῖς. *Mortalium eſſe ineptias quæcunque Veneris cauſa fierent*. Quidni ἀφροσύνης ἀρχὴ Θεά : *Inſipientiæ princeps Dea?* Quo mortales impulit libido & œſtrum Veneris ! Hanc porro in templis Deorum primum honoris jus habuiſſe, & apud mortales, Deorum honorabiliorum fuiſſe, expreſſis verbis docet Homerus, *in hymno Veneris*,

Πᾶσιν δ' ἐν νηοῖσι Θεῶν τίμαρχός ἐςι.
Καὶ παρὰ πᾶσι βροτοῖσι Θεῶν πρέσβειρα τέτυκται.

ACRÆA, *vide* GNIDIA.
ACTIA, *vide* ÆNEIS.

ÆNEIS, ſive ÆNEADES Venus ſeu ÆNEÆ mater, bino templo decorata eſt, altero prope Leucadem, altero ad Actium promontorium, a filio tranſeunte, priuſquam in Italiam appelleret : Unde conjectura eſt, eamdem dictam ACTIAM, cujus mentionem facit Dion. Halicarn. *lib.* 1. De eadem *vide* ΓΕΝΕΤΕΙΡΑ.

ALESIAS Venus dicebatur ab Alente Colophonis fluvio, ad quem colebatur eadem ac ΑΛΕΝΤΙΑ, apud Lycophronem, *in Caſſandra*.

ΑΛΙΓΕΝΗΣ Venus erat *e ſale nata*, cujus ſalacitatis ergo fanum ad portum maris extrui Aruſpices jubebant.

ΑΛΙΤΤΑ, Venus ab Arabibus colebatur : ita Herodotus, *l.* 1. *c.* 131. Eadem eſt quam ΜΥΛΙΤΤΑ Aſſyriorum, & ΜΙΘΡΑ Perſarum.

ALMA, ſeu pulchra & ſancta, apud Feſtum : Ædiculam habuit in regione XII. *vide* ΓΕΝΕΤΕΙΡΑ.

AMATHUNTEA, ab antiquiſſima Cypri urbe eadem ac CYPRIA eſt, Θυσία ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἐν ΑΜΑΘΟΥΝΤΙ ; *Sacra Veneris in Amathunte*, memorat Heſychius.

AMBOLOGERA ἀπὸ τῆς ἀμβολῆς, aliquando Venus eſt nuncupata, quæ ſua ſuavitate miſerias humanas ſublevaret, & ſenectutem tardare videretur : Ἀμβολὴ & ἀμβολὶη enim *dilatio* eſt ; Apud veteres, *dilator operum & cunctator*, dicitur ἀμβολιεγρός. AMBOLOGERÆ VENERIS, ΑΜΒΟΛΟΓΗΡΑΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ſimulacrum ex oraculo dicatum deſcribit Pauſanias, *in Lacon.* Atque etiam Plutarchus, *l. 3. Sympoſ.* refert tales ad eam preces ferri ſolere ; *Produc moram ſenectuti, pulchra Venus*.

ΑΝΑΔΥΟΜΕΝΗ : *E mari emergens*, ambabus manibus e capillis aquam marinam exprimens : Qualem Apelles Cous pinxit, opus admirabile. Vide Strabonem, *l.* 14. & Plinium, *lib.* 35. *c.* 10. & Pauſaniam, *in Corinth.* De hac exſtat lepidiſſimum Sidonii Antipatri epigramma. Τὰν ΑΝΑΔΥΟΜΕΝΑΝ ἀπὸ ϗ. λ.

ΑΝΟΣΙΑ Venus, impia, profana, nefaria ; ſcripſiſſe erubeſco, commentari puderet.

APOSTROPHIÆ VENERI una cum COELESTI, & POPULARI impoſita ſunt cognomina ab Harmonia ; ſignis antiquis ligneis : Illa quaſi *Averſatrix*, quod ab exlege cupiditate & inceſtis, ſtupris, hominum genus averteret, qualia apud Græcos ſæpe turpiter commiſſa ſunt, De Adonidis matre, de Phædra Minois filia, de Tereo Thraciæ Rege, &c. ex Pauſania, *in Bœoticis*.

AREJÆ *Veneris*, ΑΡΕΙΑΣ Ἀφροδίτης *ædes erat in poſtico Chalciœci*, inquit Pauſanias, *in Lacon. cujus ſigna ſunt e ligno tam vetuſta, quam alia quævis in Græcia*. Eadem eſt ac MARTIA, Mars quippe Ἄρης, & Ἀρέως.

ARDENS, *vide* ΘΙΜΒΡΗ.

ARENTA, dicta eſt Venus, a jungendis & copulandis Amantibus ; Ἀρεν & Ἀρεντα, apud Lycophronem, *in Caſſ.*

ARMATA, ἐνόπλιος Ἀφροδίτη dextra pomum, & ſagittam tenebat, arcum læva. Colebatur in Cythera inſula : *Prope Cytherorum mœnia erat URANIÆ VENERIS fanum, eorum omnium, quæ apud Græcos Veneri dicata ſunt, maxime priſcum, & ſacroſanctum. Deæ ſignum cum armis eſt*. Hæc Pauſanias, *in Lacon.* Vide CYTHEREA. Colebatur eadem maxime Spartæ, Virtutis muliebris ἱερογλυφικόν : Nam cum Lacedæmonii præliantes Meſſeniorum impetum ſuſtinere non poſſent, pedeſque retro ferrent, uxores armis arreptis impetum in Meſſenios fecere, aciem reſtituere, & hoſtes fugavere : Eas amplexi Lacedæmonii, prout erant armati, cum armatis promiſcue, ut Lactantius ait, concubuere, atque ita mox ARMATAM VENEREM colere cœperunt, ejuſque ſimulacrum lancea decoraverunt. Tradit Dio, lib. 43. *hanc a Julio Cæſare cultam, a qua ſe etiam formæ quamdam venuſtatem habere perſuadere omnibus nitebatur. Ideo ſculptam VENERIS ARMATÆ imaginem geſtabat, ejuſque teſſera in rebus ſummis plerumque utebatur*. Hanc cum GENETRICE confuſam fuiſſe nullum eſt dubium.

ARSINOE, Venus in Ægypto, non procul ab oſtio Canopico, Pharoque, *Sacellum habuit*, inquit Strabo, *l.* 17. ναΐσκον ἔχȣσα ΑΡΣΗΝΟΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Duplex refert epigramma Athenæus, δειπν. l. 7. in quo VENERIS ARSINOES, ejuſque templi mentio fit. Egregia ſunt de eo Plinii verba, l. 34. c. 14. *Eodem lapide*, magnetem intelligit, *Dinocrates architectus Alexandriæ* ARSINOES *templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulacrum ejus e foro pendere in aere videretur. Interceſſit mors & ipſius, & Ptolemæi, qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri*.

ARTIMBASA, *vide* ΟΥΡΑΝΙΑ.

ASCRAEA, *vide* ΤΡΟΙΖΗΝΙΑ.

ASTARTE, Syria Venus Adonidi nupſiſſe a Cicerone memoratur.

AUGUSTA, in nummis & lapidibus, *vide* ΟΥΡΑΝΙΑ.

AUREA, χρυσῆ. Sincera, caſta, puram generandi cupiditatem cœlitus inſpirabat ; non laſcivias petulantiores, adulteria turpia, & impudicam humani generis contumeliam, voluptatis vocabulo, deſignatam. AUREÆ huic Veneri Taurus cœleſtis dicatus erat ; & templum in Ægypto, prope Memphim. A Diodoro l. 5. ob venuſtam formam, AUREA cognominata eſt.

Τὶς δὲ βίος ; τί δὲ τερπνὸν ἄτερ ΧΡΥΣΥΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ.

Qualis nam vita foret, aut quid jucundi, ſine AUREA Venere? Ovid. in Epiſt. Paridis, *gaudet VENUS AUREA furtis*.

BARBATA Venus, a lumbis ad ſuperiora mas, ad inferiora fœmina cenſebatur : Hinc Æneas apud Virgilium, *Diſcedo ac ducente Deo*. Veſte quidem ac corpore muliebri, natura porro virili & BARBATA colebatur, cujus ſimulacrum deſcribit Servius *ad Æneid. l. 2. Macrob. l. 3. Saturn.*

ΒΕΛΕΣΤΙΑ apud Alexandrinos colebatur : De ea ita Plutarch. in Amatorio : *BELESTIA vero*

Dii boni? nonne barbara & empta mulier fuit? cujus templa & fana Alexandrini habent VENERIS BELESTIÆ nomine, ob amorem, Rege id permittente.

CALLIPYGE, *vide* ΚΑΛΛΗΠΥΓΟΣ.

CALVA cur dicta sit Venus, explicat Lactantius, *l.* 1. *c.* 13. Urbe a Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem VENERI CALVÆ consecrarunt. De eadem vide Vegetium, *l.* 4. Cyprianus illam commemorat, de vanit. idolorum: *Est & Venus Calva*: & S. Augustinus, epist. 44. *Habes apud nos magnam materiam facetiarum, deum Stercutium, deam Cloacinam, VENEREM CALVAM.* Narrat Jo. Candidus, in comment. Aquilejæ CALVAM Venerem Romæ cultam fuisse temporibus Maximini, in honorem Matronarum Aquiliensium, quæ deficientibus funibus ad intendendos arcus, magnanime præsentes crines substituerunt. Duo ejus fuerunt in Urbe templa, vetus & novum, in regione VIII. seu Foro Romano.

CAPITOLINÆ Veneris meminit Suetonius, *in Caligula & Galba.*

CASTNIA, *vide* ΚΑΣΤΝΙΑ.

CHOERAS, Veneris ἐπίθετον, matris Æneæ: Ei porcos mactabant Argivi, quos χοίρας nuncupant. Docet Aristophanis interpres, χοιρίον seu χοῖρον *pro ea fœminarum parte intelligi, qua fœminæ sunt*, γυναικεῖον αἰδοῖον λέγουσιν, quam in puellis, teste Varrone de re rustica, *l.* 2. *c.* 4. porcum appellabant. χοιράδος Veneris meminit Lycophron, *in Cassandra.*

CLOACINA templum habuit in quarta Urbis regione.

CLUACINAM Venerem scribit Plinius, l. 15. cap. 29. *Romanos Sabinosque cum propter raptas virgines dimicare voluissent, depositis armis purgatos in eo loco, qui nunc signa VENERIS CLUACINÆ habet: Cluere enim antiqui purgare dicebant.* Ei templum vovit T. Tatius Rex, in ea Fori parte, qua Romani & Sabini armis depositis pacem inierunt.

COA, *vide* ΑΝΑΔΥΟΜΕΝΗ. Est apud Ciceronem; *Qui COAE Veneris pulchritudinem imitari non potuerunt.*

COELESTIS, *vide* ΟΥΡΑΝΙΑ.

COLIAS Venus *ad Anaphlystum ædes habuit, in quem locum ejectas fluctibus, ajunt, ultimas naufragii tabulas, quod Persæ navali ad Salaminam pugna fecerunt.* Ita Strabo l. 9. Eadem fere apud Pausaniam, *in Atticis*. COLIAS promontorium, ad quod Persarum classe deleta, navium fragmenta æstu delata sunt. Illic VENERIS COLIADIS signum est, ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΚΩΛΙΑΔΟΣ.

COLOTIS dicta est Venus, a juvene quodam, qui manibus & pedibus (ea Græcis κῶλοι) olim suspensus, postquam a puella quadam solutus fuit, VENERI COLOTIDI templum Athenis dedicavit. Alii a fœnoribus nomen deducunt. Celebratur apud Lycophronem, *in Cass.*

CONJUGALIS, *vide* MIGONITIS.

CORINTHIAM Venerem memorat Athenæus l. 13. cap. 4. *Erat enim vetusta lex Corinthi, cum VENERI civitas magnis de rebus supplicaret, ut adcurrentur in supplicationum pompam meretrices multæ, quæ Deam precarentur, & post aliorum discessum, in templis permanerent;* Et paulo post. *Cum Persarum Rex Græciam armis tentavit, Corinthiæ meretrices in VENEris templum convenerunt, & pro salute Græciæ Deam orarunt. Quapropter Simonides, cum Deæ tabulam Corinthii dicassent, in qua privatim erant meretrices depictæ, quæ supplicationibus Deam propitiaverant, & in ejus fano peractis supplicationibus substiterant, adscripsit hoc epigramma: Hæ pro Græcis, & bellicosis civibus constiterunt, Divæ opem VENERIS imploraturæ; Itaque VENERI non est visum Sagittariis Persis arcem Græciæ prodere.*

> Αἱ δ' ὑπὲρ Ἑλλήνων τὸ δὲ εὐθυμαχῶν πολιητᾶν
> Ἐστάθεν εὔχεσθαι ΚΥΠΡΙΔΙ δαιμονίᾳ
> Οὐ γὰρ τοξοφόροισιν ἐμήσατο δῖ' ΑΦΡΟΔΙΤΑ
> Πέρσαις Ἑλλάνων ἀκρόπολιν προδόμεν.

Præterea adulatio seu superstitio græca, Laidem, ut VENEREM CORINTHIAM adoravit, quamvis hæc Sicula fuerit, sed ut Solinus ait, *eligere ipsa maluit quam fateri patriam:* Ejus nummum CORinthi cusum vidimus.

COTYLEA *Venus ædes habuit sine tecto; in qua signum Deæ*, inquit Pausanias, *in Æliacis:* Nomen a monte Cotylo.

CYPRIA, in nummis ant. Ejus cultus autor fertur Cyniras; ita Pindari Scholiastes, Pythion. od. 11. Ο δὲ Κίνυρας οὗτός ἐστιν, ἀφ' οὗ οἱ ἐν Κύπρῳ Κινυράδαι τῇ Θεᾷ ἀφιέρωντο. Hoc est, *Cinyras ille est, a quo Cinyradæ in Cypro Deæ sacra facerent.* Ita Arnob. l. v. ex Clemente, in Protreptico: *Nec non & CYPRIÆ Veneris abstrusa illa initia prætereamus, quorum conditor indicatur Cinyras fuisse. In quibus sumentes ea, certas stipes inferunt, ut meretrici: & referunt phallos, propitii Numinis signa donatos.* Et hæc sunt, quæ se nescire fatetur Pausanias, *in Bœot. vide* infra in voce ΕΡΩΤΙ. De Cinara vide Tacitum, lib. 11. hist. Ad quod pertinet Hesychii glossa: Κινυράδαι, ἱερεῖς ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ, *Cinyradæ Sacerdotes Veneris*. Cyprigena etiam dicta est, quod *nata sit undosa in Cypro:* Κυπρογένειαν δ' ὅτι γένοιτο πολυκλύστῳ ἐνὶ Κύπρῳ, inquit Hesiodus *in Theog.* Venus a Græcis κρατοῦσα Κύπρου nuncupabatur, unde ab Horatio od. 3. *potens Cypri*, & a Bione Κυπρογενής, Eustathius, ad Iliad. 3. Venerem Κύπριν censet esse ab Homero nuncupatam, quasi κυόπορειν seu κυόφορειν, propterea quod *sine Venere, id est, sine concubitu, & complexu venereo, mulieres gravidæ non fiant.*

CYTHEREA, quod primum e mari *ex spuma nata* ad montem Cytherum appulerit: *Hesiod. in Theogonia*. Sive Κυθήρα, Cypri oppido *Nuda Cytheriacis edita fertur aquis*, inquit Ovidius. Insula vero Cythera, inter Peloponnesum, Cretamque sita est, vulgo *Cerigo*, Serenifs. Reipublicæ paret. Alii nomen deducunt ab occultandis amoribus, etiam Amatoribus: *ἀπὸ τοῦ τοὺς Ἔρωτας κεύθειν καὶ κρύπτειν: vide* ARMATA.

DIONEA Venus dicta est a Dione matre. Homerus, *Iliad.* 3. ΚΥΠΡΙ ΔΙΩΝΑΙΑ, apud Theocritum, εἰδ. ιε. Dionys. Afrum in περιηγ., Virgilius *in Mœride*, Augustum Cæsarem tanquam ab Julo & Venere prognatum, Dionæum nuncupat: *Ecce Dionæi præcedit Cæsaris astrum* Dionæum antrum pro venereo commemorat Horatius, *od.* 1. *l.* 2.

DORIS, *vide* GNIDIA.

ΕΝΟΠΛΙΟΣ, *vide* ARMATA.

EPHESINÆ Veneri, quæ eadem erat ac *Meretricia*, & ἑταίρα, templum exstructum est. Athen. *l.* 3. *c.* 4. *vide* ΠΟΡΝΗ.

ΕΠΙΣΤΡΟΦΙΑ *EPISTROPHIA*, sive *procuratrix Sacellum habuit*, inquit Pausanias in Atticis, *prope Bacchi Nyctelii ædem, &c.*

ΕΠΙΤΥΜΒΙΑ memoratur a Plutarcho, *qua homines fragilitatis humanæ admoneri putant, quod una & eadem Dea principium & finem vitæ in potestate habeat: quippe quæ ingredientibus vitam, atque decedentibus præsideat. Nam Delphis quo-*

que VENERIS EPITUMBIÆ est imaguncula, ad quam evocant eorum manes, quibus libant.

EQUESTRIS seu ἐφίππος, in nummis, *vide* Strabonem l. 7.

ERYCINA, in nummis & lapidibus ab Eryce Siciliæ urbe, in qua Æneas matri templum construxerat. Apud Psophidios, alterum commemorat Pausanias, in Arcad. *a Psophi Erycis filia dedicatum, cujus sua ætate solæ extabant ruinæ.* Romæ postea ædem vovit *Q. Fabius Max. cum ex Sibyllinis libris edictum esset, ut is voveret, cujus maximum imperium in Urbe esset*: Ex Livio, l. 22. *Eam, idem creatur* 11. *vir in Capitolio dedicavit*: Id. l. 23. *Fuit & alibi ædes* VENERIS ERYCINÆ *juxta portam Collinam, vota a L. Portio Licinio Cos. bello Ligustino, ab eodem* 11. *viro dedicata eo anno, quo Aquileja Colonia Latina in agro Gallorum deducta est*, Liv. *l.* 4. Strabo, *l.* 6. Audiamus Ovidium,

Est prope Collinam templum venerabile portam,
Imposuit templo nomina celsus Eryx.
Est illic Lethæus amor, qui pectora sanat, &c.

ΕΤΑΙΡΑ, *vide* ΠΟΡΝΗ.

ΕΥΠΛΟΙΑ, *vide* GNIDIA.

ΕΦΙΠΠΟΣ, *vide* EQUESTRIS.

FELIX in nummis & lapidibus, VENERI FELICI SACRUM &c. An a liberorum multitudine, an ab eorumdem præstantia?

FRUGIFERA a Sophocle, & Plutarcho, *in Amat.*

GABINIA in lapidibus.

ΓΕΝΕΤΕΙΡΑ, GENETRIX, in nummis & lapidibus; Hanc Μύλιττα ab Assyriis, Αλίτταν ab Arabibus, & Μίτραν a Persis nuncupatam dixit Herodotus, *in Clio*, quam etiam URANIÆ nomine adorant. Πέρσαι ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ ΟΥΡΑΝΙΗ θύειν παρά τε Ασσυρίων μαθόντες καὶ Αραβίων. VENUS GENITRIX. *Julii Cæsaris tessera fuit, qui ab ea genus per Æneam ducere se asseverabat, quare ei templum ante pugnam Pharsalicam vovit*, inquit Appianus Alex. l. 2. bell. civil. *& potitus victoria in suo Foro posuit*: Eidem *Spolia de hostibus dedicavit, & thoracem de margaritis Britannicis*. In eodem collocavit Augustus statuam Æneam Divi Julii, cum Stella crinita supra caput ipsius fulgente. Dio, *l.* 13. Appian. *l.* 2. *de bell. civil.* Egregia est ejus descriptio apud Lucretium, *l.* 1.

Æneidum GENETRIX, hominum, Divumque voluptas,
Alma VENUS &c.

GNIDIA a Gnido urbe Doridis in Caria: in nummis & lapidibus, apud Reinesium, BONÆ DEÆ VENERI GNIDIÆ &c. De Venere Gnidia a Praxitele sculpta, vide Athenæum, *l.* 13. tota nuda ad imaginem Cratinæ meretricis, alii scribunt Phrynes, tantæ pulchritudinis, ut a nobili adolescente perdite amata, ac polluta fuerit: vide Lucianum, *de Amoribus*. De quo Val. Maximus: *Vulcani conjugem, Praxiteles in marmore quasi spirantem in templo Gnidiorum collocavit, propter pulchritudinem operis a libidinoso cujusdam complexu parum tutam*. Hunc Veteres *Macareum Perinthium* nuncuparunt. Lepidum est hac de Praxitelis statua vetus epigramma.

Γύμνην οἶδε Πάρις με καὶ Αγχίσης καὶ Αδωνις
Τὺς τρεῖς οἶδα μόνυς. Πραξιτέλης δὲ πόθεν;

Hoc est,

Nudam me Paris, Anchises, & pulcher Adonis
Aspexere: at quando, aut ubi Praxiteles?

Hæc etiam Doris, & Acræa, & Euplœa nuncupabatur, atque istis nominibus culta, templa habuit in Gnido & alibi; De quibus Pausanias, *in Atticis*. Apud Horatium; *O Venus, Regina Cnidi Paphique*. Et varia Anthologiæ ἐπιγράμματα.

GRÆCA Dea, seu Venus colebatur Memphi, in qua templum habuisse docet Strabo, *l.* 17. Εστι δ' ἐν Μέμφη, καὶ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἱερὸν, θεᾶς ΕΛΛΗΝΙΔΟΣ νομιζομένης, *vide* ΜΩΜΕΜΦΙΤΙΚΗ.

HOMICIDA, ἐπίθετον duxit ab obruta lapidibus Laide, in ipso Veneris templo; quam Thessalæ mulieres invidia pulchritudinis, & æmulatione impulsæ, ita necaverunt: inde ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΑΝΔΡΟΦΟΝΟΥ, VENERIS HOMICIDÆ templum nuncupatum est.

HORTENSIS, ἡ ἐν κήποις Αφροδίτη, apud Pausaniam, *in Attic.* a loco *Horti* dicto, tum quod Venus hortis ob generationem, una cum Priapo præsit. Unde Nævius apud Festum, Venerem pro oleribus posuit, ut Cererem pro pane, Neptunum pro piscibus; dicente coquo, Edi *Neptunum, Cererem, Venerem*.

HOSPITA, *vide* PEREGRINA.

ΖΕΙΔΩΡΟΣ, seu *vitæ largitrix* dicitur ab Empedocle, atque etiam a Plutarcho, *in Amat.* FRUGIFERA ideo a Sophocle.

ΖΕΡΙΝΘΙΑ a Zerintho Thraciæ urbe, & antro. A Stephano commemoratur: Phœnodamantis filiæ templum VENERI ZERINTHIÆ erexerunt, ait Lycophron, *in Cassandra*.

Αἱ δ' αὖ παλαιςῆ μητέρος ΖΥΡΙΝΘΙΑΣ
Σηκὸν μέγαν δείμαντο σωτῖνιω Θεᾷ.

ΖΕΦΥΡΙΣ, *Zephyris*, sub cujus nomine colebatur Arsinoe, vide Casaubonum, *in Athen. l.* 7. *c.* 19. unde *Zephyritis, Arsinoe, Chloris, Hippia, sunt synonyma*, inquit doctiss. ejus commentator Casaubonus.

ΙΔΑΛΙΑ ab Idalo Cypri oppido, de quo Plinius, *l.* 5. *c.* 35. & Stephanus, *de urb* Ιδάλιον πόλις Κύπρυ· τὸ ἐθνικὸν, Ιδαλεύς. Ita Virg.

Est Amathus, est celsa mihi Paphos, atque Cythera,
Idaliæque domus.

Hujus Veneris caput nummo insculptum est apud Goltzium, cum ἐπιγραφῇ ΙΔΑΛΕΩΝ.

INVICTA eadem, quam ΟΥΡΑΝΙΑΝ arguit lapis Romanus, apud Gruterum, *p.* 59.

JOVIA in lapide antiquo, apud Gruterum, *pag.* 59.

ΙΠΠΟΛΥΤΙΑ. Euripidis Scholiastes: Αφροδίτης ναὸν ἱδρύσατο τὴν Φαίδραν φασί· ἐκάλεσε δὲ Αφροδίτην ἐφ' Ιππολύτῳ· ἣν καὶ ΙΠΠΟΛΥΤΙΑΝ καλοῦσι. Hoc est, *Veneris templum extruxisse Phœdra fertur: Vocavit autem Venerem Hippolyti causa dedicatam, eamque etiam Hippolytiam dicunt*.

JUNO. Apud Lacedæmonios, VENERI JUNONI matres sacra faciebant. Ξόανον δὲ ἀρχαῖον καλοῦσιν ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΗΡΑΣ, ἐπὶ δὲ θυγατρὶ γαμουμένη νενομίκασι τὰς μητέρας τῇ Θεῷ θύειν. *Signum ligneum vocant VENERIS JUNONIS, cui pro filiarum nuptiis sacra facere matronas, solemne est*: ita Pausanias, *in Lacon.* Υπερχειρία nominabant. ΠΡΟΤΕΛΕΙΑ erant, *sacra* scilicet *ante nuptias*: Nominis rationem dat Hesychius, Προτέλεια· ἡ πρὸ τῶν γάμων θυσία, καὶ ἑορτή. τέλος γίνεται ὁ γάμος. De hoc festo, vide Meursium, *in*

Græcia feriata. Eo fortassis refertur numisma perrarum, quod vidisse recordor: In eo Liviæ matris erat effigies cum inscriptione ΔΙΟΥΙΑΝ ΗΡΑΝ, & in averso, Liviæ filiæ, ΔΙΟΥΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ. Quærit Plutarchus, cur mense Majo mulieres non ducuntur? An quia in medio loco inter Aprilem est & Junium, quorum ille VENERI, hic JUNONI Sacer est, Numinibus matrimoniorum tutelaribus, vel antevertunt Majum, vel Junium præstolantur.

ΚΑΛΛΙΠΥΓΟΣ, *Callipyge; pulchras clunes habens*, templum habuit Syracusis, cujus originem describit Athenæus, *in fine lib.* 12. Οὕτω δ' ἐξήρτηντο τῆς ἡδυπαθείας οἱ τότε ὡς, καὶ ΚΑΛΛΙΠΥΓΟΥ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ κ. τ. λ. Hoc est, *Sic autem voluptati incubuere ejus ætatis homines, ut CALLIPYGÆ VENERI templum ædificarint hac de causa. Rustici viri formosæ duæ filiæ in publicam viam egressæ, ambitiosius inter se decertabant, utri pulchriores nates essent. Prætereunti juveni, inspiciendas se ambæ obtulerunt. Utramque ille conspicatus, natu majoris pulchriores esse judicavit, & ejus amore captus est. Reversus in urbem, cum æger decubuisset, juniori fratri exposuit, quod acciderat. Rus ille profectus, & puellas contuitus, alteram amavit. Juvenum pater cum instaret, ut splendidius matrimonium sibi quærerent, idque persuadere non posset, puellarum non invito parente, illas evocat ex agro, & cum filiis collocat: Eas cives* Καλλιπύγους *nominarunt. Illæ igitur amplas facultates nactæ, VENERI, quam & a pulchris natibus CALLIPYGON nominarunt, ædem construxerunt.*

ΚΑΤΑΣΚΟΠΙΑΣ VENERIS, seu *speculatricis delubrum est apud Trœzenios, unde descendentem exercitationis causa Hippolytum in stadium, intuebatur Phædra:* Hæc Pausanias, *in Corynth.*

ΚΑΣΤΝΙΑ sive ΚΑΣΤΝΗΤΗΣ VENUS dicta est, a Callimacho, & Lycophrone, *in Cassandra*. Originem nominis dedit Castnius mons Pamphiliæ, ad Aspendum.

LIBENTINÆ a libendo dictæ meminerunt Varro, Cicero, & Non Marcellus, cui puellæ, quæ excesserant annos pueritiæ, pupas ætatis suæ insignia dicare solebant, ut apud Persium legitur.

LIBITINA Venus ærarium habuit a Servio Tullio institutum, in quod pro defunctis nummi inferrentur. Ne putemus pro animarum redemptione, aut fundendis precibus, sed pro emundis quibuscunque ad funera pertinentibus. Ita tenebantur quibus nata erat proles, nummum aliquem in ærarium Junonis Lucinæ inferre. Legimus apud Plutarchum *eamdem fuisse nuncupatam Venerem ac Libitinam*, νομίζοντες ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ εἶναι καὶ τὴν ΛΙΒΙΤΙΝΗΝ. Indicando forte ex Dion. l. 4. *caducum esse, quod esset natum, unam eamdemque Deam ortibus, & interitibus præsidere:* Hæc enim etiam pro morte; *magnaque pars mei vitabit Libitinam*, inquit Horatius.

LIMENIA, *vide* PELAGIA.

LONGURIA a Longuro Siciliæ lacu. *Regina specuum Longuri*, apud Lycophronem: Κρεῖσσα ΛΟΓΓΟΥΡΟΥ μυχῶν; *vide* ΜΥΧΑΙΑ.

LUCIFER, *vide* ΦΩΣΦΟΡΟΣ.

MACHINATRIX, ΜΗΧΑΝΙΤΙΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗ *ædem & signum ligneum habuit, Damophontis opus, cujus manus, os, & imi pedes e lapide erant. Cognomen Deæ merito inditum est, quod Veneris causa homines, quodvis artium, & fraudum genus, tam in factis, quam in dictis excogitarunt.* Hæc Pausanias, *in Arcadicis*.

MARINA, *vide* PELAGIA.

MARTIA, *vide* AREJA.

ΜΕΛΑΙΝΙΣ, *Nigra, In Thespiorum urbe MELÆNIDIS VENERIS ædes, forum præterea, & theatrum; & forum Dea dignum*, inquit Pausanias, *in Bœoticis*. Ἔστι δὲ καὶ ἑτέρωθι ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΜΕΛΑΙΝΙΔΟΣ ἱερὸν, καὶ θέατρόν τε καὶ ἀγορὰ, θέας ἄξια. *Et in Corinthiacis, VENERIS MELANIDIS delubrum* recenset, ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΜΕΛΑΝΙΔΟΣ ναὸν, *prope Laidis sepulcrum:* Hæc, Venus, Luna, & Isis nominabatur. Noctis Numen verecundiam, qua præditum esse debet humanum genus, indicabat, nec ut brutum in propatulo, sed nocte liberis dandam esse operam. VENUS hæc ad abditam referri potest. *Vide* ΜΥΧΑΙΑ.

ΜΕΛΙΝΑΙΑ apud Lycophronem, *in Cassandra*, a Melina urbe Argivæ, & Stephanum; Μέλινα πόλις Ἄργους, ἀφ' ἧς ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΜΕΛΙΝΑΙΑ τιμᾶται. *Melina urbs Argolidis, a qua VENUS MELINÆA colitur*. Notat Pinedo Stephani interpres, Lycophronis scholiastem, nomen deduxisse διὰ τὸ ἡδὺ τῆς συνουσίας, *a coitus suavitate*.

MEMPHITICA, *vide* ΜΩΜΕΜΦΙΤΙΚΗ.

MERETRICIA, *vide* ΠΟΡΝΗ.

MIGONITIS, seu CONJUGALIS colebatur Migonii: hoc territorium erat in insulæ Cranaes, vulgo *Spatara* adverso littore, in quo Paris primum cum rapta a se Helena concubuerat; inde nomen. In cujus rei memoriam ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΜΙΓΟΝΙΤΗ erectum est templum: Ad quod cum post XVIII. annos appulisset Menelaus, Veneri duas adjunxit statuas, Thetidis, & Praxidices sive *vindicatricis*, illi ut ferret opem ad vindictam, huic ut absolveret: Ratum quidem votum fuit, sed prius obiit Menelaus, quam Helena arbori suspensa Rhodi jussu Reginæ Polixus suffocaretur.

ΜΙΘΡΑ interdum Dei, interdum etiam Veneris nomen est. Ambrosius, l. 2. contra Symm. *Unde Phrygii vates, & semper invisa Romanis non æquæ Carthaginis numina? Quum COELESTEM Afri, MITHRAM Persæ, plurique VENEREM colunt, pro diversitate nominis, non pro Numinis varietate.*

ΜΟΡΦΩ, *MORPHO* in lapid. ant. quæ formæ præest, & pulchritudini: Etiamnum Græci recentes, *Callimorphi* egregiam, & formosam puellam nuncupant. *Cellam habuit apud Lacones*, autore Pausania *in Lacon.* Sedentis ejus signum e Cedro factum a Tyndaro in memoriam forte Helenæ filiæ suæ: Galericulum, seu flammeum habebat in capite, & circum pedes vincula, ad designandam debitam uxorum erga maritos fidem & constantiam. Memorat idem Pausanias, *ibidem*, ΜΟΡΦΩ τὴν Ζυγινθίαν, quæ eadem est.

ΜΥΛΙΤΤΑ. Venus apud Assyrios colebatur, ΑΛΙΤΤΑ apud Arabes, ΜΙΘΡΑ apud Persas. *Herodotus*.

MURTIA a Myrto Veneri sacra. Varro, *l.* 4. *de ling. Latin.* & Plin. *l.* 12. *c.* 1. tum *l.* 15. *c.* 29. Ara vetus fuit *VENERI MYRTEÆ, quam nunc MURTIAM vocant*. Fanum ipsi sacraverunt Romani, in regione urbis XI. MURCEAM præterea Venerem cultam legimus, marcidos efficientem viros; cui opponebatur STRENUA. Milites aliquando Myrto coronatos legimus; an libidini indicandæ, an Marti Veneris amasio? De Myrto Veneri sacra, adi Athenæum, *δειπν. l.* 15. *c.* 6. ex quo MURTIAM & PAPHIAM & CYPRIAM eamdem esse constat.

ΜΥΧΑΙΑΣ Veneris sacra in specubus, & abditissimis penetralibus celebrabantur: Μυχὸς *secessus* est, latebra & abditus locus. Lysiteles Plautinus adolescens Trinummus amorem lascivum inde *latebricolarum hominum corruptorem* vocat: Amatores quippe juxta Maronem, *Secreti celant calles, & myrtea secum, Sylva tegit:* hoc est,

Vene-

Venereos congressus, solitudini, ac nocti creditos: *Celari vult sua furta Venus.*

ΜΩΜΕΜΦΙΤΙΚΗ, *Momemphitæ Venerem colunt, & sacram vaccam alunt, quemadmodum Apim in Memphi:* ita Strabo, *l.* 17. Et paulo post, *Memphi est Veneris fanum, quæ Græca Dea censetur:* Θεᾶς Ἑλληνίδος νομιζομένης. Et postea, *In ejusdem honorem non procul est Aphroditopolitana præfectura. Civitas ejusdem nominis est in Arabia, in qua bos alba sacra alitur.*

NIGRA, *vide* ΜΕΛΑΙΝΙΣ.

ΝΥΜΦΑ, *vide* SPONSA.

ΞΕΙΝΗ, *vide* PEREGRINA.

OLYMPIA eadem, ac Urania apud Pausaniam, *l.* 3. & Proclum, *in Lyciam Venerem hymno ultimo.*

Σύμβολ' ἔχον νοεροῖο γάμου νοερῶν ὑμεναίων
Ἡφαίστου πυρόεντος, ἰδ' οὐρανίης Ἀφροδίτης.
Καὶ ἐθέλω ὀνόμηναν ΟΛΥΜΠΙΑΝ.

Symbola genus nuptiarum, & hymenæorum intelligibilium ignei Vulcani, & Cœlestis Veneris, quam vocaverunt OLYMPIAM.

ΟΥΡΑΝΙΑ, *Cœlestis*. In nummis, marmoribus, & passim apud Autores, ἀπὸ τοῦ οὐρανοῦ *a cœlo* nomen deducit, quod de cœlo semen igneum in mare cecidisse dicitur, ac natam e spumis Venerem, conjunctione ignis & humoris: Alii ex puri & sinceri amoris quasi cœlestis, & a corporis illecebris alieni significatione dictam volunt. Unde Pausanias, *in Bœoticis*, per Venerem COELESTEM intelligit puram, & corporum cupiditate vacantem amorem. Venerem URANIAM a Scythis *Artimpasam* dictam, scribit Herodotus, *l.* 4. *c.* 59. De ea sic Orpheus, *in hymn. ad Venerem:* ΟΥΡΑΝΙΑ, πολυύμνε, φιλομειδὴς Ἀφροδίτη, καὶ τ. λ. *COELESTIS, celeberrima, risum amans VENUS &c.* Vaccam autem Ægyptii VENERI dedicarunt, quam COELESTEM vocant, ex Pierio, *l.* 3. Memoratur a Poetis antiquis, & opinarer eam esse, quam nulla sequitur pœnitentia, nullum πάθημα, adeo blanda est & innocens, ut URANIA ipsa sit. Forte dicta eadem

ΠΑΝΑΓΑΘΟΣ, *optima*, In lapide Rom. ex Grutero, *p.* 59. *l.* 1. Ejus extat hoc epigramma.

ΑΦΡΟΔΙΤΗΙ
ΘΕΑΙ ΠΑΝΑΓΑΘΩΙ
ΚΑΙ ΣΩΤΗΡΙ
ΚΑΙ ΕΥΚΛΕΙΑΙ
ΕΥΕΡΓΕΤΗ &c.

VENERI
Deæ OPTIME
& servatrici,
& inclitæ,
benefactrici, &c.

ΠΑΝΑΙΤΙΗ, *Omnium causa*: Hæc sunt Phurnuti verba: Καλεῖται δὲ Οὐρανία τε καὶ Πάνδημος καὶ ΠΑΝΑΙΤΙΗ, διὰ τὸ κἀν τῷ οὐρανῷ καὶ ἐν τῇ γῇ καὶ θαλάσσῃ τὴν δύναμιν αὐτῆς θεωρεῖσθαι: Hoc est, *Vocatur autem & Cœlestis, & Vulgaris, & OMNIUM CAUSA, quod nempe Veneris potentia, & vis in cœlo, & in mari cernatur.*

ΠΑΝΔΗΜΟΣ, *Popularis*, Vulgaris, Jovis & Diones filia, ex Platone, *in Sympos.* Id nominis habet, quod ad forum antiquum posita est, in quo solet πᾶς δῆμος *universus populus* ad conciones confluere, quas ἀγορὰς vocant: Narrat Athenæus, l. 13. *primum Solonem propter juvenes ætate vigentes, mulieres emptas prostituisse in ganeis, & ex meretricum quæstu in prostibulis, VENERIS VULGARIS*, ΠΑΝΔΗΜΟΥ *templum primum extruxisse*. De ea Oppianus, *in Cynegetico, a* 390. Lycophron secundam nuncupat VENEREM publicam, ad honorem URANIÆ quæ prima est. De ea Pausanias, *in Bœoticis*.

ΠΑΝΘΕΑ Venus dicta est, quæ omnino Deorum vires in se contineret: Drusillam Caligulæ filiam ita nuncupatam habemus ex Dione, *l.* 59. *Decreta ei omnia, quæ Liviæ, insuper ut immortalis haberetur, aureaque in curia effigies ejus poneretur, ut in foro imago Veneris, statuæ ejus æqualis, collocaretur, iisdemque honoribus coleretur:* Et mox: *Itaque tunc PANTHEA vocata est, & divinis honoribus per omnes Urbes culta.* Τότε οὖν ΠΑΝΘΕΑ τε ὀνομάζετο καὶ τιμῶν δημοσίων ἐν πάσαις ταῖς πόλεσιν ἠξιοῦτο, Ex Sophocle:

Ω Παῖδες, ἤτοι Κύπρις οὐ Κύπρις μόνον
Ἀλλ' ἐστὶ πάντων ὀνομάτων ἐπώνυμος.
O pueri, certe Venus non solum Venus est,
Sed omnium particeps nominum, &c.

PAPHIA, a Papho Cypri Urbe: In nummis & lapidibus: Eadem ac ΟΥΡΑΝΙΑ. *In Cyprum Agapenor Paphum urbem coloniam deduxit, & in ea Veneris fanum erexit, cum ante apud Cyprios Dea hæc in medio oppido, cui Golgi nomen, coleretur.* Hæc Pausanias, *in Arcad.* De eadem Tacitus l. 2. hist. c. 2. cujus *Simulacrum non est effigie humana, sed continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum, metæ modo exurgens*. Idem docet Max. Tyrius. *VENUS a Paphiis colitur, cujus insigne nulli rei magis assimile, quam albæ pyramidi.*

ΠΑΣΤΟΦΟΡΟΣ Venus quæ thalamis præest. Inde Sacerdotes παστόφοροι qui thalamum seu velum portabant.

ΠΕΛΑΓΙΑ, a pelago, seu mari, ac ideo Ἀναδυομένη eleganter a Pausania nuncupatur, Ἀφροδίτη παῖς θαλάσσης: *Venus filia maris*. Hinc apud Horat. od. 26. l. 3. MARINA Venus: & od. 11. l. 4. Θαλασσαίην Ἀφροδίτην commemorat Musæus, in Leandro & Her. PONTIA & LIMENA quasi Portuna nuncupatur a Pausania, in Corinth. & ab Hesychio Ἐπιποντία, *cujus signum e candido lapide, magnitudine & opere insignissimum. Inter cæteros qui habentur Deæ ab Hermionensibus honores, ea religio observatur, ut Virgines, quin & viduæ, quæ in viri manum conventuræ sunt, rem ei divinam ante nuptias faciunt*. Egregium est Artemidori inventum, ὄνειρον, l. 2. c. 42. *VENUS MARINA naucleris & gubernatoribus & omnibus navigantibus bona observata est.*

PEREGRINA Ξείνη, ab Herodoto, *l.* 2. *c.* XII. dicta est, quam apud Proteum Ægypti Regem Sacerdotes prædicant diversatam esse: HOSPITAM inde appellant, & ad Helenam Tindari filiam, Menelai uxorem, ab Alex. Paride raptam referunt. Etiam a Lycophrone *in Cass.* celebratur, atque etiam in lapidibus antiquis.

PHYSICA, in lapide antiquo, naturalibus γεννητικοῖς μορίοις utriusque sexus præesse putabatur. Pars corporis nostri secretior φύσις *natura* dicitur, verecundiæ causa: Vide Plinium, l. 20. *cap.* 6. παιδοσπόρον φύσιν Damascenus appellat, quod alii Græci ἀναγκαῖον, οὐρὰν, ἀνδρίαν, & Latini *radium, colum, virilitatem*. Eustathius, *ad Odiss.* Ω. Reinesius inscriptionem refert & explicat. IMPERIO VENERIS FISICÆ &c.

PLACIDA, in lapidibus ant. Grut. *p.* 59. 9. Ejus ædicula & vicus fuit in urbe regione v.

ΠΛΙΝΘΙΑ sive ΕΝ ΠΛΙΝΘΩ. Referente Pausania, *in Arcad. VENERIS ædes est, quæ in laterculo appellatur, quod in foro sit, laterculi figuram præ se ferente.*

PONTIA, *vide* PELAGIA.

ΠΟΡΝΗ, *Meretricia*, cujus *delubrum erat Abydi*: ΠΟΡΝΗΣ δὲ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἱερόν ἐστι παρὰ Ἀβυδηνοῖς. *Nam cum ista civitas Macedonum servitute premeretur, custodes præsidiarii aliquando sacro peracto, temulenti, multas suæ commessationi meretrices adhibuerunt: e quibus una sopitos illos conspicata, furtim avectis portarum clavibus, muros transgressa, id Abydenis significavit: qui extemplo correptis armis, & concursu facto, præsidiariis occisis, muris potiti, libertatem recuperarunt, & meretrici gratiam ut redderent, templum MERETRICIÆ VENERIS extruxerunt*: Hæc Athenæus, l. 13. c. 14. & seqq. Hanc eandem AMICAM sive ΕΤΑΙΡΑΝ, ab Atheniensibus dictam fuisse, docet idem Athenæus, ἢ ἀπὸ τῆς παρ' Ἀθηναίοις καλουμένης ΕΤΑΙΡΑΣ τῆς ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. De illa scripsit Apollodorus Atheniensis, *in libro De Diis*, ad hunc modum: *Amicam* ΕΤΑΙΡΑΝ *Venerem appellant, quoniam amicos & amicas, idest benevolas, in unum congregat. Quamobrem etiam nunc ingenuæ matronæ ac virgines, amicas illas vocant, cum quibus familiaritate ac necessitudine conjunctæ sunt*: ἑταίρας *vocant meretorias fœminas, &* ἑταιρεῖν *mercede corpus vulgare, non ad significatus proprietatem referentes, sed ut honestior sit nomenclatura*.

ΠΡΑΞΙΣ, PRAXIS. Μετὰ δὲ τοῦ Διονύσου τὸ ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης ναός. ἄγαλμα δὲ ἐλέφαντος· ΑΦΡΟΔΙΤΗ πεποιημένον ΠΡΑΞΙΣ ἐπίκλησιν. Hoc est, *Prope Bacchi templum, adest & VENERIS cujus signum ex ebore. Deæ cognomen*, PRAXIS: Pausanias *in Atticis*.

PYRENÆA Venus templum habuit in limite Narbonensis Galliæ atque Hispaniæ. ΠΥΡΗΝΑΙΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ *templo cultam* nuncupat Strabo *l.* 4. & Ptolomæus, *l.* 2. *c.* 5. Promontorium Pyrenæ, *Venereum* idem memorat, quod & Massiliense dicitur, vulgo, *Cap. de Creutz*.

PYTHONICE seu PYTHIONICE Venus dicta est a cognomine formosa meretrice, teste Theopompo.

ROMANA delubrum habuit in via sacra. De ea Prudentius, *in Symmachum*.

SAMIA Venus, *quam in arundinibus* ἐν καλάμοις *quidam vocant, alii in palustribus* ἐν ἑλιατικοῖς *ædem habuit in Samo: eam meretrices Periclem secutæ, cum obsideret Samum ædificaverunt, ingenti quæstu prostituta forma, dicatæ*. Hæc Athenæus, *l.* 13. *cap.* 4. Quoniam, inquit Casaubonus, *VENUS ista in ea parte Sami fuerat dedicata, ubi Pericles castra metabatur: ad littus nempe maris, ubi erant paludes, & in iis arundineta*, unde hæc ejus ἐπίθετα.

SANCTA, in Inscript. Gruter. *p.* 102. Eadem forte quæ ALMA.

SCHOENIS Venus a juncis dicta est: Σχοῖνος *juncum* designat, ad juncturas utilem.

SOCIALIS, seu ΣΥΜΜΑΧΙΑ, de qua ita Pausanias *in Arcad. Mantineæ a tergo theatri reliqua adhuc sunt templi vestigia, quod* VENERI *olim dicatum fuit SOCIALI, & in eo signa quædam. Indicat basis inscriptio Nicippem Paseæ filiam dedicasse. Templum erexere Mantinenses, quo monumentum esset posteris, ipsos cum navalis ad Actium pugna committeretur, in Romanorum fuisse partibus*. Jupiter etiam SOCIALIS sive Sodalitius apud Athæneum legitur, *l.* 13. *cap.* 4. cui Etæridia festa celebria sunt apud Magnetes: *vide* ΠΟΡΝΗ.

SPONSÆ, seu ΝΥΜΦΑΣ mentionem facit Pausanias, *in Corinth.* ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ἐστὶν ἱερὸν ΝΥΜΦΑΣ, ποιήσαντος Θησέως ἡνίκα ἔσχε γυναῖκα Ἑλένην. Hoc est, VENERIS SPONSÆ *cella est, a Theseo, cum Helenam uxorem duxisset, ædificata*.

STRATONICE apud Tacitum, *l.* 3. & in Decreto fœderis prævio, inter Smyrnæos Magnetesque, *inter Marmora Oxoniensia*, *pag.* 5. & 6. Cujus hæc sunt verba. *Deum Antiochum, & matrem patris Deam Stratonicem, a Smyrnæis consecratos & honoribus egregiis honoratos, tum publice a plebe, tum privatim ab unoquoque civium: illumque sancivisse fanum* VENERIS STRATONICIDIS *inspoliatum fore*, &c. ἱερὸν τῆς ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΟΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Quin & eodem fœdere Smyrnæi cogebantur jurare *per Terram, Solem, Martem, Minervam Martiam, Dianam, Matrem Sipylenem*, VENEREM STRATONITIDEM, *& reliquos Deos Deasque*, &c. ΑΦΡΟΔΙΤΗΝ τὴν ΣΤΡΑΤΟΝΙΚΙΔΑ. Quin columnas, in quibus descriptum erat fœdus, conservaturos se in VENERIS STRATONICIDIS fano, Smyrnæi, ut Magnetes, in fano Dianæ Leucophrinæ ad Meandrum, polliciti sunt. Venerem illam quid vetat eandem censeri ac Cœlestem seu ΟΥΡΑΝΙΑΝ, cujus Sacerdos magna fuit MARCELLINA? Illam enim Astartem Deam Syriam, Assyriam & Hieropolitanam, eandem fuisse merito opinamur.

STRENUA, *vide* MURTIA.

ΣΥΜΜΑΧΙΑ, *vide* SOCIALIS.

ΣΩΤΗΡΑ, *Servatrix*, in lapide ant. apud Gruterum, *p.* 59.

THALASIA, *vide* PELAGIA.

ΘΥΜΒΡΗ, *ardens* dicta est Venus, ob fervorem libidinis, maxime extra speciem: Eo ferebatur Semiramis erga equum, Pasiphea erga taurum &c. ΘΥΜΒΡΗΣ ΚΥΠΡΙΔΟΣ ἁρμονίην commemorat Callimachus, *ardentis Veneris harmoniam*.

ΤΡΟΙΖΗΝΙΑ. *Troezenia* Venus a Lycophrone memoratur, *in Cass.* cui templum Phædra Troezenes Regina dedicaverat: adi Pausaniam, *in Corinth.*

VERECUNDA. Eadem est opinor, ac NIGRA & ΜΕΛΑΙΝΗΣ.

VERTICORDIÆ VENERIS ædes extra portam Collinam in via Salaria fuit, cum tres Vestales uno tempore incestum commisissent, quemadmodum Jul. Obsequens ait, ut lascivos puellarum animos ad castitatem verteret. Vide Valer. Maximum, *l.* 8. c. 15. & audi Ovidium, *l.* 4. *fast.*

> *Roma, pudicitia proavorum tempore lapsa,*
> *Cumæam veteres consuluistis anum.*
> *Templa jubet Veneri fieri, quibus ordine factis,*
> *Unde VENUS, VERSO nomine, CORDA tenet.*

VICTRIX. In nummis & lapidibus ant. a vincendo dicta est: *Ædem ipsi dedicavit Pompejus altero consulatu, editis sumptuosissimis ludis, in regione IX. seu Circo Flaminio*. Plutarch. *in ejus vita*. Plinius *l.* 8. Superbas Veneris victorias docet hoc Epigramma, Deæ simulacro impositum Romæ. Vide Gruter. *p.* 60.

> *Sol calet igne meo, flagrat Neptunus in undis,*
> *Pensa dedi Alcidæ, Bacchum servire coegi,*
> *Quamvis liber erat, feci servire Tonantem,*
> *Quamvis liber erat, Martem sine Marte subegi.*

Et hinc præcipue Veneris victoria est, quæ blanditiis, & delinimentis muliebribus summum belli ducem seduxisse videtur, qui gladio quasi e manibus excusso, unguentis delibutus, rosis myrtoque coronatus, in Veneris castris postea litaverit. Eo more Romani Faustinæ F. adulantes, hanc in Veneris habitu, galeatum Martem vincentis effinxerunt, scilicet M. Aurelium, cujus superbum extat monumentum inter Ser.

Reipublicæ marmora, supra monetariam officinam, *la Zecca*, cum hac basis inscriptione, VENERI VICTRICI.

ΥΠΕΡΧΕΙΡΙΑ, *vide* JUNO.

ΦΙΛΟΜΗΔΗΣ dicta est venus ab Hesiodo, in *Theogon*: ὅτι μηδέων ἐξεφάανθη, hoc est, τῶν αἰδοίων, *quod ex genitalibus nata sit*. Dicta est etiam ΦΙΛΟΜΕΙΔΗΣ *hilaris* & φιλόγελος *risum amans* ut apud Homer. *Iliad.* 2. Ita apud Horatium, *od.* 2. *Erocina ridens*. Vide ΟΥΡΑΝΙΑ,

ΦΩΣΦΟΡΟΣ, *Lucifer*: Vesper quintus est planetarum, ὃν ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ προσαγορεύουσι, *quem VENERIS dicunt*, & conciliatricis luminum: Hæc quippe stella omnium est splendidissima. Audiamus Suidam: ΦΩΣΦΟΡΟΣ ὁ τὸ φῶς ἀνατέλλων ὁ Ἥλιος. Pro Luna, Lucina, & Venere accipiebatur. Rem explicat Plinius, l. 2. cap. 8. *Infra Solem ambit ingens Sidus appellatum VENERIS, alterno meatu vagum, ipsisque cognominibus æmulum Solis, & Lunæ. Præveniens quippe & ante matutinum exoriens, LUCIFERI nomen accipit, ut Sol alter diem maturans: Contra ab occasu refulgens, nuncupatur VESPER, ut prorogans lucem, vicemque Lunæ reddens*. Et paulo post: *Alii enim Junonis, alii Isidis, alii Matris Deum appellavere*. Apud Bionem, *in Bucol.*

Εσπερε τᾶς ἐρατᾶς χρύσεον φάος Ἀφρογενείας, κ. τ. λ.

O Vesper amabilis, aurea lux Veneris,
Chare vesper, cæruleæ noctis imago sacra, &c.

ΟΥΡΑΝΙΑ, *Cœlestis*. Venus hæc ΟΥΡΑΝΙΑ nuncupata est, quod Cœli esset absque matre: AMOREM illa peperit, purum sine ulla corporis cupiditate, sine ulla labe, sed qualis esse debet erga Deum, patriam, liberos, & viros benemeritos. Duas Veneres celebrat Plato, *in Sympos.* Πῶς δ' οὐ δύο τὼ θεά κ. τ. λ. Hoc est, *quomodo non essent duæ Deæ? Altera siquidem antiquior & sine matre, filia Cœli existit, quam* COELESTEM *nominamus: Altera junior, Jovis & Diones filia, quam vocamus Populares.* Utramque Venerem Cœlestem & Popularem celebrat Pausanias, *in Æliacis l.* 6. his verbis: *Est porticus, quæ de manubiis Corcyreorum erecta fuit, Veneris ædes. Area templo sacrata sub divo non longe abest. Quæ ibi colitur,* COELESTEM VENEREM *vocant*, ΟΥΡΑΝΙΑΝ: *Ejus ex ebore & auro signum est, Phidiæ opus; altero quidem pede testudinem premit. Area ipsa maceria circumsepta, intra maceriam crepido, super qua* VENERIS *quam* POPULAREM *nominant* ΠΑΝΔΗΜΟΝ, *signum ex ære, capro insidet, ex eadem fabricato materia, Scopæ opus, &c.*

Cum variæ Veneres fuerint, varii etiam eorum cultus & ritus sacrorum: VENERI COELESTI, ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΟΥΡΑΝΙΑ *vinum offerre in sacrificiis minime licuit*: Ut testatur Polemo, forte ad distinctionem τῆς πανδήμου seu *popularis*, quæ Baccho delectabatur. Ejus sunt hæc verba. Ἀθηναῖοι γὰρ ἐν τούτοις ἐπιμελεῖς ὄντες καὶ τὰ πρὸς τοὺς θεοὺς ὅσιοι νηφάλια μὲν ἱερὰ θύουσι, Μνημοσύνῃ, Μούσαις, Ἠοῖ, Ἡλίῳ, Σελήνῃ, Νύμφαις, ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΟΥΡΑΝΙΑ, Hoc est, *Athenienses harum rerum observandarum studiosi, & in sacrificiis Deorum faciendis diligentes, Nephalia sacra faciunt Mnemosynæ, Musis, Auroræ, Soli, Lunæ, Nymphis*, VENERI COELESTI. Nephalia autem a sobrietate dicta sunt, quoniam vinum omnis prope intemperantiæ fundamentum in illis nesciretur. *Populari capra candida mactari solebat*, COELESTI *juvenca*. Θύουσι μὲν τῇ ΠΑΝΔΗΜΩ θηλείᾳ λευκὴν αἶγα, τῇ ΟΥΡΑΝΙΑ δὲ δαμάλη ἑκατέρα. Plutarchus Lucianusque docent, VENERI POPULARI, ΑΦΡΟΔΙΤΗ ΤΗ ΠΑΝΔΗΜΩ templum Athenis exstructum fuisse a Solone, quo ferretur juvenum libido, de quo vide Lucianum, *in dialog. meretr.* & Pausaniam, *in Atticis*.

VENERIS URANIÆ propter Sosipolim templum fuisse refert Pausanias l. 7. *cujus adhuc rudera monstrabantur: Sacra certe & nunc fiunt ad aras*. Florebat autem Hadriani temporibus, quod marmor nostrum non parum illustrat.

Ægiratæ præ cæteris Diis religiosissime COELESTEM VENEREM *colunt, in cujus ædem penetrare viris nefas. In ejus vero quam Syriam nominant Deæ, non nisi statis diebus intrant, ubi se & reliquis certo ritu expiationibus, & victus præcipue moderatione, lustraverint*: ΟΥΡΑΝΙΑΝ σέβουσι μὲν τὰ μάλιστα. Ἐσελθεῖν δὲ ἐς τὸ ἱερὸν οὐκ ἔστιν ἀνθρώποις, κ. τ. λ. Ex Pausania, *in Achaicis*. Narrat idem Pausanias l. 3. *In Cytheria* (insula quæ hodie *Cerigo*) *fanum esse URANIÆ sanctissimum, & omnium, quæ VENUS apud Græcos habet antiquissimum; ipsius autem Deæ, signum armatum est*. Ἐν τῇ Κυθήρᾳ ἱερόν ἐστι τῆς ΟΥΡΑΝΙΑΣ ἁγιώτατον, καὶ ἱερῶν ὁπόσα ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ παρ' Ἕλλησίν ἐστιν ἀρχαιότατον. Porro in Urbibus primum cultam hanc Deam non fuisse constat ex Herodoto, *l.* 1. *c.* 5. qui antiquissimam Deam VENEREM ΟΥΡΑΝΙΑΝ seu COELESTEM, Cœli filiam sine matre memorat his verbis. *Medi cum Scythis congressi prælioque fusi, Asiæ imperium amiserunt. Scythæ universa Asia potiti, hinc recta in Ægyptum contendunt: Quibus jam Syriam Palæstinam ingressis, Psammiticus occurrens Ægypti rex, muneribus precibusque effecit ne ulterius progrederentur. Scythæ ubi retrocedentes, in Urbe essent Palestinæ Ascalone, bonaque parte Scytharum nullam injuriam inferente, pauci aliquot relicti, VENERIS URANIÆ fanum depecularunt*. Ἐσύλησαν τῆς ΟΥΡΑΝΙΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ τὸ ἱερόν: *Inter cætera hujus Deæ antiquissimum*: In quo colebatur celeberrima statua VENERIS URANIÆ, manu Alcamenes, illustris Phidiæ discipuli: *Siquidem quæ in Cypro est ejusdem Deæ ædes, ex hac prodiit, id quod ipsi etiam Cyprii referunt. Quin etiam illud apud Cytheræ delubrum, Phænices ex hac Syriæ regione orti, condiderunt. Ac vero Dea ipsis templi spoliatoribus, eorumque posteris morbum immisit fœmineum, quemadmodum & ipsi fatentur Scythæ, se videlicet illo morbo ob id laborare, & videre licet apud Scythas hunc morbum curantes, quos ENAREAS appellant Scythæ*.

Medico mihi, opinor, condonabitur si nonnulla ex arte mea deprompta ad hujus loci interpretationem proferam. Qui ἐνάρεες ab Herodoto vocantur, quasi *evirati*: Hippocrates, *l. de aere, loc. & aq.* ἀνανδριεῖς nuncupat, quasi *effœminatos*, de quo vide Mercurial. *var. lect. l.* 3. *c.* 7. Nihil convenientius spretæ VENERIS COELESTIS vindicta de Scythis accepta, postquam vix viri, sed in totum effœminati, languerent fortissimi homines. Quis tandem ille morbus sit, multos dubitare animadverti, non audentes Syphilidem seu luem Veneream accusare, quam morbum novum pertinaciter asserunt. Publice porro docuimus nuper, & mille argumentis probavimus, ut nullum nobis supersit dubium, hunc morbum a Græcis, Arabibus & Latinis cognitum fuisse, virulentis suis symptomatibus stipatum defluvio capillorum, ulceribus, carie, gummatibus, nodis, gonorrhæa, cruciatibus nocturnis, febricula, macie, venereis thymis, phymatibus, aliisque molestissimis libidinosorum flagellis: Nec nobis defuerunt

autoritates ex textu sacro, classicis seu melioris notæ omnium nationum medicis, Hippocrate, Celso, Plinio, Avicenna, ut de cæteris taceam: At quia illius curatio quasi velo obumbrabatur, nobis tandem summo Dei beneficio reserato, ideo *novus* censebatur morbus, quoties summe recrudescebat. Sed satis de COELESTIS VENERIS vindicta.

Athenis aderat VENERIS COELESTIS delubrum, ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ ΟΥΡΑΝΙΑΣ, *quam primi omnium Assyrii coluere, a quibus Paphii in Cypro acceptum, sacrorum ritum cum Phœnicibus, qui in Palæstina Acalonem urbem incolunt, Phœnices cum Cythereis communicarunt. Athenis vero eam religionem induxit Ægeus, cum Veneris ira, & sibi prolem non obtigisse, & sororibus calamitatem immissam putaret. Quod ætate nostra* (hoc est centesimo post Christum anno) *extat Deæ signum ex Pario marmore, Phidiæ opus*. Hæc Pausanias, *in Atticis*. Id etiamnum testantur ejusdem templi reliquiæ, non procul a custodia publica, seu carcere dicto φυλακὴ; Barbaris Turcis pro Moschæa est, quam omnes VENERIS URANIÆ templum nuncupant, ab Ægæo conditum, ab Imperatore Hadriano reparatum. Ut olim Julius Cæsar, VENERIS, seu genitricis, seu armatæ, seu Uraniæ imaginem secum perpetuo gestabat, id de Asclepiade philosopho narrat Marcellinus, l. 22. *DEÆ COELESTIS, seu VENERIS URANIÆ argenteum breve figmentum, quocunque ibat, secum portare solitum esse*.

Ægyptii Astronomi VENERI COELESTI smaragdum dicaverunt, virginitatis indicem, ex Horo Apolline: Hunc enim in concubitu frangi autumabant: neque quidquam cœlitus animis mortalium infundi docet Plato, nisi purum & honestum, quod VENERI COELESTI smaragdoque convenit.

COELESTEM VENEREM ornat cestus tunicæ species, ut supra diximus p. 374. Κεϛὸν ἔχει τὴ μόνην τὴν ΟΥΡΑΝΙΗΝ κοσμέουσι; inquit Lucianus; *Cestum habet; quo solam COELESTEM ornant.*

VENERIS URANIÆ, seu COELESTIS, ejusque Sacerdotis memorat vetus Inscriptio a Reinesio vulgata, p. 359.

ΔΙΟΔΩΤΟΣ ΤΙΤΙΕΛΟΥ
ΑΠΤΕΙΡΑΙΟΣ ΤΑΝ ΑΔΕΛΦΑΝ ΑΥΤΟΥ
ΜΙΝΥΡΑΝ ΑΡΤΕΜΟΝΟΣ
ΙΕΡΑΤΕΥΟΥΣΑΝ ΑΦΡΟΔΙΤΑΙ ΟΡΑΝΙΑΙ.

Diodotus Titieli filius,
Aptiræus, sororem suam
Mymiram Artemonis filiam
Sacer. VENERIS COELEST.

Quo loci prudenter animadvertit ill. Gilb. Cuperus, recondita eruditione quam dignitate spectabilior, & Bataviæ decus, non *filiam* ut vulgo creditur, sed *uxorem* esse intelligendam; Ita Hectoris Andromache, Messalina Claudii, Sabina Hadriani. Plura vide in ejus *Harpocrate*, *pag.* 127. quem hodie receptum & bona fide his sub prœlo sudantibus, illico devoravimus. Hæc eadem VENUS COELESTIS nominatur alibi, *p.* 242.

Videtur & alia inscriptio VENERI COELESTI sacra: Porro Lipsius ad Livillam Caligulæ filiam refert, cui VENERIS istius & PANTHEÆ ἐπίθετον tribuebat vesanus pater.

VENERI COELESTI AUGUSTÆ
SACRUM
NUMMIA C. F. DORCAS
S. P. F. C.

COELESTIA aliquando nuncupata sunt alia Numina, Juno, Diana, Fortuna, Bona Dea sanctissima, ut ex nummis & inscriptionibus manifestum est: An ut differrent a terrestribus, marinis, & infernis? JOVIS COELESTIS mentionem facit Hippocrates noster, *l. de insom. sect.* 4. his verbis: *Diis supplicationes decernendæ sunt: Ad res quidem prosperas, Soli, Jovi cœlesti*, ΔΙΙ ΟΥΡΑΝΙΩ, *Jovi Ctesio, Minervæ Etesiæ, Mercurio, Apollini*. Vidimus etiam inscriptiones, MERCURIO CELESTI, SILVANO COELESTI.

Absint a COELESTI VENERE, ea sacra ἀφροδίσια quibus solebant nova meretricibus tunc primum quæstum corpore facientibus nomina imponere, ut testis est Plautus, *in Pœnulo*.

Aphrodisia, hodie Veneris est festus dies;
Tua pietas nobis plane auxilio fuit.
Cum huc advenisti hodie in ipso tempore:
Namque hodie earum mutarentur nomina,
Facerentque indignum genere quæstum corpore.

ΕΡΩΤΙ, *Amori*. Ερως aliquando libidinem & Cupidinem innuit; at absit hunc MARCELLINÆ conjungere, VENERIS URANIÆ Sacerdoti, præsertim cum ΟΥΡΑΝΙΟΥ COELESTIS ἐπιθέτῳ conjunctus est. Mallem illum interpretari pro ἀγάπῃ, φιλίᾳ dilectione, charitate & benevolentia, *AMORIS, si sapientiæ sequamur autores, antiquissimum Numen, & cui se naturæ debet æternitas*, cum τὸν ΕΡΩΤΑ Chaos primum omnium emersisse, ex Hesiodo constat, *in Theogonia*.

Πρώτιϛα μὲν ΕΡΩΤΑ, Θεῶν μητίσατο πάντων; Phædrus, apud Platonem, *in Sympos.* Ὅτι μέγας Θεὸς εἴη ὁ ΕΡΩΣ, καὶ θαυμαςὸς ἐν ἀνθρώποις τε καὶ θεοῖς. *Quoniam magnus Deus AMOR, & mirabilis apud homines, Deosque*; Et alibi; φημὶ οὖν ἐγὼ πάντων θεῶν εὐδαιμόνων ὄντων ΕΡΩΤΑ κάλλιϛον ὄντα καὶ ἄριϛον. Hoc est, *Ego sane censeo, Diis omnibus felicibus existentibus, AMOREM, illis esse feliciorem, cum & pulcherrimus sit*. Et apud Athenæum, lib. 13. *Omnium Deorum hic natus est mortalibus, suavissimus*: Οὗτος ὁ Δαίμων πάντων ἥδιϛος ἔφυ θνητοῖς. Principium rerum, paterque censebatur omnium, quæ sunt & erunt, per quem omnia nascuntur, ut intelligitur ex columna Ægyptiaca apud Theonem Smyrnæum, & ab eruditissimo Reinesio relata, pag. 210.

ΠΡΕΣΒΥΤΑΤΟΣ ΒΑΣΥΛΕΥΣ
ΠΑΝΤΩΝ ΟΣΙΡΙΣ
ΘΕΟΙΣ ΑΘΑΝΑΤΟΙΣ
ΠΝΕΥΜΑΤΙ ΚΑΙ ΟΥΡΑΝΩ
ΗΛΙΩ ΚΑΙ ΣΕΛΗΝΗ
ΚΑΙ ΓΗ ΚΑΙ ΝΥΚΤΙ ΚΑΙ ΗΜΕΡΑ
ΚΑΙ ΠΑΤΡΙ ΤΩΝ ΟΝΤΩΝ
ΚΑΙ ΕΣΟΜΕΝΩΝ ΕΡΩΤΙ

Antiquissimus Rex
Omnium Osiris,
Diis immortalibus,
Spiritui & Cœlo,
Soli, & Lunæ,
& Terræ & Nocti, & Diei
& patri eorum, quæ sunt,
quæque futura sunt, AMORI.

Venerantur Theſpienſes ab initio maxime Deorum omnium CUPIDINEM, cujus eſt ſignum vetuſtiſſimum, rude quoddam ſaxum. Qui primus tantos apud Theſpienſes pro cæteris Diis honores CUPIDINI habendos cenſuerit, compertum non habeo. Hæc Pauſanias, *in Bœoticis*. Et paulo poſt: *Theſpienſibus ex ære CUPIDINEM elaboravit Lyſippus, & ante eum, e marmore Pentelico, Praxiteles.* A Phryne, vel Glycera dedicatus eſt; *Et propter quem unum, Theſpiæ viſebantur*, inquit Cicero in Verrem. *In Theſpiis Bœotici ludi:* ἐν μὲν Θεσπιαῖς, Ερώτια, inquit Pindari Scholiaſtes *in Olympiad.* VII. Anno 5. celebratorum, meminit Plutarch. *in Eroticis*. Vide p. 388. & 390. Τὰ Ερώτια Θεσπιέων ἀγόντων. Αγουσι γὰρ ἀγῶνα πενταετηρικὸν, ὥσπερ καὶ ταῖς Μούσαις καὶ τῷ Ερωτι, φιλοτίμως πάνυ καὶ λαμπρῶς. Hoc eſt, *Amatoria agentibus Theſpienſibus: Nam certamen quinquennale celebrat, ut Muſis etiam AMORI magnifice admodum & ſplendide.* Ea autem ſacra placandis inter conjuges diſſidiis, Cupidini fieri, docet poſtea idem Plutarchus. Illa ea ſunt, quæ Ερατίδια male apud eundem ſcholiaſtem leguntur, ſed optime animadvertente Jo. Meurſio, *in Græcia feriata* Ερωτίδια nuncupari debent; de quibus ita Athenæus, *l.* 13. Θεσπιεῖς τὰ Ερωτίδια τιμῶσι κατὰ Παναθήναια Αθηναῖοι. Hoc eſt, *Theſpienſes ſacra Amatoria faciunt, ut panathenæa Athenienſes*. Unde fere idem Euſtathius, *Comm.* Ω. ad Iliad. Θεσπιεῖς γοῦν ΕΡΩΤΟΣ χάριν τὰ ἐρωτίδια ἦγον, ὡς οἷα τινὰ ὀλύμπια καὶ Παναθήναια.

ΟΥΡΑΝΙΩ. *Cœleſti* ſeu *Uranio*. Cicero, l. 3. de nat. Deor. docet tres fuiſſe Cupidines, quorum primus, inquit, Mercurio & Diana natus dicitur: Secundus Mercurio & Venere: Tertius eſt Anteros, Marte & Venere. Simonides apud Servium, dicit Cupidinem ex Venere tantum eſſe progenitum.

Duplicis AMORIS mentionem facit Plato, *in Sympoſ.* Αναγκαῖον δὲ δὴ καὶ ΕΡΩΤΑ τὸν μὲν τῇ ἑτέρᾳ συνεργὸν, πάνδημον ὀρθῶς καλεῖσθαι, τὸν δὲ ΟΥΡΑΝΙΟΝ. Hoc eſt, *neceſſe eſt igitur, & Amorem alteram ſequentem, vulgarem recte vocari, hunc vero Cœleſtem, ſive URANIUM:* Ab eo fortaſſe Plutarchus, in ἐρωτ. *Ægyptii eodem, quo Græci modo, duos faciunt Cupidines, vulgarem unum, qui* Πάνδημος *eſt, & alterum Cœleſtem, qui* ΟΥΡΑΝΙΟΣ: *Tertium cenſent eſſe Solem: Venerem valde venerantur.* Hinc cantat Horatius, *od.* 17. *l.* 1. *& od.* 1. *l.* 4. *mater ſæva Cupidinum.*

Cum omnes fere Cupidinem Veneris filium facerent, Sappho ab aliis diſſidens, e Cœlo, & Terra natum fingit: vide Interpretem Apollonii, *in l.* 3. *Argon.* Ob binos illos Cupidines, duos etiam *arcus* finxit Euripides, *in Iphig. quos intendere quippe ſolet Cupido, unum proſperum, & vitæ beatæ effectorem; alterum vitæ perturbatorem, & corruptorem.* Τὸ μὲν ἐπ' εὐαίωνι πότμῳ, τὸ δ' ἐπὶ συγχύσει βιοτᾶς. Cœleſtem hunc Amorem deſcripſit Zeno apud Athen. l. 13. cap. 1. *eſſe Deum libertatis, amicitiæ, concordiæ largitorem, ab eoque nihil aliud expectandum:* Τὸν ΕΡΩΤΑ θεὸν εἶναι φιλίας καὶ ἐλευθερίας, ἔτι δὲ καὶ ὁμονοίας παρασκευαστικὸν, ἄλλου δὲ οὐδενός: *Deum auxiliatorem in iis, quæ ad civitatis ſalutem ſpectant venerabilem & ab omni turpitudine ſemotum.* Τὸν ΕΡΩΤΑ θεὸν εἶναι συνεργὸν ὑπάρχοντα πρὸς τὴν τῆς πόλεως σωτηρίαν. σεμνὸν τὸν καὶ πάντας αἰσχροῦ κεχωρισμένον. Et ille eſt profecto, ut docet Plato, *in Sympoſ.* Πάντων Θεῶν εὐδαιμονέστατος κάλλιστος καὶ ἄριστος. *Omnium Deorum feliciſſimus, pulcherrimus, & optimus. Sic nobis COELESTIS AMOR* ΟΥΡΑΝΙΟΣ ΕΡΩΣ *pulcrorum pulcra ſpecula, mortalia & motibus obnoxia, divinorum, & ſola mente cernendorum machinatus, in figuris, coloribus, formiſque adoleſcentium rutilantia ea nobis exhibet, memoriamque his initio inflammatam ſenſim excitat.* Plutarchus, *in amat. Licet ideo amare, & AMORI tempeſtive gratificari*, ex Athen. l. 13. Εἴη καὶ ἐρᾷν καὶ ΕΡΩΤΙ χαρίζεσθαι κατὰ καιρόν.

Manum de tabula.

ΣΙΝ ΘΕΩ ΚΑΙ ΜΟΥΣΑΙΣ.

COMMENTARIUS
CAROLI PATINI
IN
ANTIQUUM CENOTAPHIUM
MARCI ARTORII,
MEDICI CÆSARIS AUGUSTI.

Ιατροὶ φήμῃ μὲν πολλοὶ ; ἔργῳ δὲ πάγχυ βαιοί.

Medici fama quidem multi: opere vero valde pauci.

Hipocrates in Arte.

Impenſa Monumenti ſupervacanea eſt, Memoria noſtri durabit, ſi vitam meruimus.

Jul. Frontinus.

ILLUSTRISSIMO VIRO D. D.

JOANNI GEORGIO VOLKAMERO, ARCHIATRO CÆSAREO,

CAROLUS PATINUS.

QUærenti mihi multumque cogitanti qui possem quam plurimis prodesse, si quando studia medica intermitterem, nulla major occurrebat, quam si abstrusas antiquitates per multa sæcula reconditas, Commentariis nostris ornatas, Reipublicæ Litterariæ exponerem. Sic studiorum vicissitudine, utriusque asperitatem demulcere conatus sum; ut continua in his aut illis meditandi suavitate, vitæ miserias, invidorumque hominum nequitiam illudere liceret. Hanc mihi philosophiam inseverat Guido Parens optimus, veram equidem languentis animæ medicatricem.

Exulent qui antiquitates a Medicis non indagandas autumant, ab eorum, ut ajunt, arte plane alienas, jam sepultas, & corruptas. Quasi qui valetudinis curam suscipiunt, elegantioribus litteris valedixissent, quas, proferre audeo, supra cujuslibet sortis homines excolunt. Nescire quid ante quam natus sis, acciderit, id est semper esse puerum, *inquit Cicero. Quantum egregios homines juvet historiarum peritia, huc adducere nostri non est propositi: At hæc maxime in antiquis signis se prodit quorum indagationem qui neglexerit, se a litterarum cultura alienum profitebitur. Utinam non periissent illa Philocori Atheniensis opera, Atticas omnes Inscriptiones, ut refert Suidas, continentia: Utinam & Polemonis* Στηλοκόπᾳ *voluminibus temporum inclementia parcuisset, in quibus Græcarum civitatum* ἐπιγράμματα *collecta erant, operibusque Aristodæmi, Neoptolemi, Pariani, Suetonii,* περὶ τῶν παρ' Ἕλλησι παιδιῶν, *ac aliorum ejusmodi perpetuo desiderandorum. Ex his enim quamplura nos latent, & opinor æternum latebunt, Græcarum Rerumpublicarum insignia facinora historiam maxime illustrantia. Egregium est Ciceronis testimonium:* Cognoscat etiam orator rerum gestarum & memoriæ veteris ordinem, quem laborem nobis Attici nostri levavit labor, qui conservatis notatisque temporibus, annorum septingentorum memoriam uno libro colligavit. *Sed frustra deblaterantes illos homines ad honestiorem vivendi normam hortarer, quos invidia inscitiaque totos occupat. Absit de vilioribus istis animis ultro verba facere, & ad illustrissimam convertamur.*

Tuam interpellari patiaris, Vir optime, dum hoc ARTORII monumentum publici juris facere decrevi, quæ illud protegeret. Nec paterna solum aut mea tecum jam a multis annis contracta necessitudo id cupit, tuam sollicitat benevolentiam ipsa res, ne Medicus Cæsareus alienæ committatur quam Cæsarei Medici tutelæ. Ille feliciter Cæsari Augusto inserviebat, Tu

LEOPOLDO Auguſto Cæſari, ambobus, Romanis Imperatoribus, optimis maximiſque Principibus.

Faveas itaque meis votis, & Cenotaphium M. ARTORII e Græcia nuper ad Nos allatum, læto animo ſuſcipe. Beneficium grata perſolvet poſteritas; heroicas tuas virtutes majoribus forte honoribus repenſura. Cæſareum eſſe Archiatrum, Academiæ Germanicæ Præſidem, Eruditorum lumen, & ægrotorum ſolatium, famam non modo Tibi vivo, ſed quamdiu Muſas reget Apollo, adeo aſſerunt; ut ſi defuerint ſtatuæ, eadem mirabitur non erectas fuiſſe.

Vale, vir Illuſtriſſime, Norimbergæ, Germaniæ & Orbis litterati decus.

Scribebam Patavii, IV. id. Sept. quo Romani celebrabant olim Natalitia ASCLEPI, M. DC. LXXXIX.


ΜΑΡΚΟΝΑΡΤΩΡΙΟΝΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΝ
ΘΕΟΥΚΑΙΣΑΡΟΣΣΕΒΑΣΤΟΥΙΑΤΡΟΝ
ΗΒΟΥΛΗΚΟΔΗΜΟΣΤΩΝΣΜΥΡΝΑΙΩΝ
ΕΤΙΜΗΣΑΝΗΡΩΑΠΟΛΥΜΑΘΙΑΣΧΑΡΙΝ

COMMENTARIUS
IN
ANTIQUUM CENOTAPHIUM
MARCI ARTORII,
MEDICI CÆSARIS AUGUSTI.

INSCRIPTIO.

Μάρκον Αρτώειον Ασκληπιάδlω
Θεȣ̃ Καίσαρος Σεβαςȣ̃ Ιατρὸν
Η Βȣλὴ καὶ ὁ Δῆμος Σμυρναίων
Ετίμησαν Ηρωα πολυμαθίας Χάειν.

VERSIO.

Marcum Artorium Aſclepiadem,
Dei Cæſaris Auguſti Medicum,
Senatus Populuſque Smyrnæorum
Honoravit Heroem, polymathiæ gratia.

QUo tempore Smyrnam Jonicarum urbium pulcherrimam terræ motu everſam audivimus, noſtram recreavit mentem tantæ calamitati ereptum fuiſſe pretioſum hoc marmor, Illuſtris viri memoriam vindicans & aſſerens. Cum innumeris antiquis Smyrnenſibus cimeliis procul dubio periiſſet, ni mercatori tum ſuo marſupio conſulenti, tum in mei gratiam indaganti occurriſſet, qui illud emere & Venetias advehi curaſſet, brevi ad ædes meas deportandum. Bene veneris, o Medice, qui ægrotantem animam ſubleves & poſt trecenta luſtra quibus ſpirare deſiiſti, Medico fortunæ procellis fatigato, invidorum & pravorum hominum mores peroſo, opem feras.

Sex circiter pedibus Venetis altum eſt hoc monumentum, longum duobus cum medio, in vertice quam in baſi paulo anguſtius. Inſcriptionem plano marmori inſertam non eſſe notandum eſt, quin quo fortaſſis offenſionem effugeret, dolato marmori, ad duas tres-ve, ut loquuntur fabri, uncias penetrata, inciſa eſt. Deeſſe præterea Viri ſtantis caput, nimiumque detrita eſſe duorum puerorum capita, temporum injuriæ imputetur, quod reparari curavi, eximii ſculptoris Philippi Parodi Genuenſis opera, cereum tam affabre adaptantis, ut marmorei antiquique jacturam ſummopere elevaverit.

M. ARTORIUS ſtat tunicatus togatuſque, ut ſolebant iſtius temporis Græci: Palliatum alter cenſeat, me non improbante, de quo Roſinus, *l.* 5. *cap.* 32. hic deſcribendus eſt. *Uſus autem togæ proprius Romanorum fuit, ut Græcorum pallium. Itaque Togati pro Romanis dicti, ut Palliati pro Græcis. Et fabulæ togatæ fuerunt, in quibus Romani inducebantur: ut palliatæ, in quibus Græci, & Galli, atque Hiſpani, teſte Strabone. Togati vocati, qui victum cultum Romanorum adſciverunt.* Quare Suetonius: *Auguſtus*, inquit, *inter varia munuſcula togas inſuper, & pallia diſtribuit, lege propoſita, ut Romani Græco, Græci Romano habitu uterentur:* Cicero pro Rabirio, objectum dixit Rabirio *quia Alexandriæ palliatus fuiſſet* Et Scipio accuſatus, inquit Livius, *quia cum pallio, crepidiſque inambulaſſet in gymnaſio.* Cicero etiam objecit Verri, *quia ſteterit ſoleatus Prætor cum pallio Purpureo;* Et in Antonium dixit de judice Græco Romæ judicante: *Judex modo palliatus, modo togatus.*

Dextram ARTORIUS porrigit ſedenti juveni, etiam tunicato togatoque, quemadmodum in ſexcentis aliis monumentis ſimile videre eſt.

Pedibus plane nudis ſcalptus eſt: cujuſmodi multas ſtatuas græcas obſervare licuit. Stantem mortuum ut in pleriſque monumentis ſepulcralibus exhibet noſtrum marmor, cui ſedens filius vel affinis vel amicus vel forte qui memoriam condidit, æternum valedicere videtur, ſolemnibus his verbis ΧΡΗΣΤΕ ΧΑΙΡΕ, *Bene valeto*, quaſi etiam afflictus diceret, *non te amplius videbo*. Sedens vero calceatus eſt, toto pede texto, ſuperiori calcei parte habenis devincta. Hinc inde adſtant duo pueri tunicati ad miniſterium parati; alter oræ monumenti innixus, alter tibiis decuſſatim poſitis, quaſi lugentes & Patroni mandata expectantes: Similes plane obſervantur, marmora inter Oxonienſia ſeptimo & ſexageſimo ſeptimo. Pueros autem viris miniſtrandos, & fœminis puellas effingere ſolebat antiquitas; ut ſi vir & uxor, aut frater, & ſoror, ejuſdem marmoris aream occupent, illi puer, huic puella juxta apponi ex variis monumentis conſtet.

Cippus hic eo majoris æſtimandus eſt, quo non a filiis hæredibus aut amicis pro more, ſed ab univerſa Smyrnæorum Republica, civem ſuum honorante poſitus eſt.

Multa paſſim occurrunt apud Antiquos teſtimonia, quibus privatos homines a ſua civitate honoratos fuiſſe conſtat. Illuſtris ſemper fuit ſeptem urbium de patria Homeri contentio.

Επτὰ πόλεις διερίζȣσιν περὶ ῥίζαν Ομήρȣ,
Σμύρνα, Ρόδος, Κολοφὼν, Σαλαμὶν, Χίος,
Αργος, Αθῆναι.

Septem urbes certant de ſtirpe inſignis Homeri,
Smyrna, Rhodus, Colophon, Salamin, Chius,
Argos, Athenæ.

Porro præter memoratas in diſticho civitates, mea aliorum populorum numiſmata & procul dubio antiqua, ſuo tempore R. P. litterariæ communicanda, majorem fore difficultatem diſceptatio-

nemque arguunt; multæ enim ejus imagine suas signarunt monetas, quem civem suum asserebant & vindicare conatæ sunt.

Celebrem Ant. Musam qui post M. ARTORIUM medicinam Augusto fecit, maximis exceptum fuisse honoribus tradunt Veteres. Suetonius, cap. 59. *Medico Antonio Musæ, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat* Augustus, *statuam ære collato, juxta signum Æsculapii statuerunt.* Audiamus Plinium, l. 19. cap. 8. *Divus certe Augustus lactuca conservatus in ægritudine fertur, prudentia Musæ, Medici, quamobrem Populus Romanus statuam illi posuit juxta signum Æsculapii.*

De eo Horatius, l. 1. ep. 15. *Nam mihi Bajas.*

Musa supervacuas Antonius.

Summopere nobis placet ille Cojensium ΚΟΙΩΝ nummulus suo civi XENOPHONTI, Imp. Claudii archiatro, gratulantium, ob impetratam vectigalium remissionem, aliosque honores concessos, de quibus Tacitus, *l. 12 Ann. cap.* 61. De his fuse egimus nummulum data opera explicantes.

Græcorum Romanorumque historiæ innumeris refertæ sunt exemplis, quibus privati homines a Republica seu Senatu Populoque honorati fuere: Quin & horum multi varia petiere, ab opibus a dignitatibus aliena, sed quæ beneficio famoso publicam existimationem indicarent: Inter Principes posteriorum sæculorum, nullus extitit qui de se bene meritis, majorem hujus generis gratiam præstiterit ac Serenissima Respublica Veneta. Quot in metropoli sua equestres pedestresque statuas erexit? Quot etiam in cæteris sui Dominii civitatibus? Quot omnis generis monumenta virtuti, fortitudini, aut doctrinæ dicata? Hæc certe civium animos ad virtutem ita incitant, ut vitam pro patria perdere consultius ducant, quam illam obscure retinere, Generososque Exteros ita inflammant, ut privatas res suas publicæ saluti postponere nullomodo dubitent. Felices animas quibus post fata id contingit: Felicem ultimi Romanorum memoriam e vita discedere ita desiderantis.

Decretum hic referre liceat Senatus Thyatireni, qui civem suum Clodium Aurel. Proclum ut *Heroem* egregie honorat, inter Marmora Oxoniensia relatum.

Η ΚΡΑΤΙΣΤΕΙ ΘΥΑΤΗ
ΡΗΝΟΝ ΒΟΥΛΗ ΚΛΩ-
ΔΙΟΝ ΑΥΡ. ΠΡΟΚΛΟΝ
ΗΡΩΑ ΑΝΔΡΑ ΕΥΓΕΝΗ
ΕΠΙ ΣΕΜΝΟΤΗΤΙ ΒΙΟΥ
ΚΑΙ ΑΡΧΑΙΣ ΚΑΙ ΛΕΙΤΟΥΡ-
ΓΙΑΙΣ ΑΡΚΑΙΣ ΔΙΑΤΕ ΑΥ-
ΤΟΥ ΚΑΙ ΤΟΥ ΓΕΝΟΥΣ.

Præstantissimus Thyatirenorum Senatus Clodio Aurelio Proclo, Heroi, viro nobili, ob sanctitatem vitæ, & magistratus, & munera publica omnia gesta & ab eo & a familia illius.

Eodem animo Athenienses Harmodio & Aristogitoni impensis publicis statuas erigi curaverunt. Sic Delii, Alexandro Polycleti filio, marmora inter Oxoniensia 132. & Reginæ Laodicæ, *marm.* 142. & Theophrasto Acharnensi, *Append. marm.* 27. Smyrnenses Pomponio Cornelio, inter marmora Oxoniensia 79. Et Lerennio Septimio Heliodoro, *marmore* 143. Et L. Septimio Severo, *Appendicis marmore* 19. Nec alia deessent exempla, at tempori parcamus.

Multa supersunt monumenta grati Smyrnæorum in suos cives animi, quasi qui publica singulorum existimatione posteros amore patriæ incenderent. Hæc duo memorantur epigrammata, *in Anthol. l. 4. cap.* 1. Primum est in imaginem Theodosii Præfecti Smyrnensis:

Τὸν μέγαν ἐν βουλαῖς Θεοδόσιον Ἀσίδος ἀρχὸν
Εἰκόνι μαρμαρέῃ στήσαμεν ἀνθύπατον.
Οὕνεκα Σμύρναν ἔγειρε, καὶ ἤγαγεν ἐς φάος αὖθις,
Ἔργοις θαυμασίοις πολλὸν ἀειδομένην.

Hoc est:

Magnum in consiliis Theodosium Asiæ Præfectum
Imagine marmorea statuimus proconsulem,
Quod Smyrnam excitavit & duxit in lucem iterum
Operibus admirandis valde a multis decantatam.

Aliud honoravit imaginem Democharidis in Smyrna.

Δαμόχαρει κλυτόμητι δικασπόλε, σοὶ τόδε κῦδος
Ὅττιγε τὴν Σμύρναν μετὰ λοίγια πείματα σεισμοῦ
Ἐσπυμένος πονέων, αὖθις πόλιν ἐξετέλεσσας.

Demochari, inclyte consilii, judex, tibi hæc gloria,
Quod Smyrnam post exitialia damna terræ motus,
Studiose laborans, rursus civitatem perfeceris.

Multos alios populos Civibus suis delubra, sacella, arasque erexisse innumeris antiquis monumentis patet, quos ut Deos vel Heroes vel conditores coluere, vel benefactores, aut singulares viros agnovere.

Et hæc sunt *incisa notis marmora publicis, per quæ spiritus & vita redit post mortem viris*, de quibus Horatius *Od.* 8. *l.* 4.

In hujus felicitatis partem venisse videtur celebratus hic M. ARTORIUS, Imp. Augusti Archiater, quem ut verisimile est, ob impetrata aliquot beneficia immortalitati asseruit Senatus Populusque Smyrnensis. Forte etiam ob medici dignitatem, summæ polymathiæ conjunctam. Ad id refertur hæc Pixodari moneta Filius fuit Cariæ Regis, quem eo pacto curavit sanavitque Dexippus Hippocratis discipulus, ne unquam Cojensibus bellum gereret. Cujus profecto memoriam eleganter conservat nummulus æreus caput Solis ab una parte exhibens, qualem Rhodiæ monetæ præferebant; Ab aversa figuram virilem stolatam stantem, dextra bipennem gerentem, cum nomine ΠΙΞΩΔΑΡΟΥ.

Inquirenti mihi cur monumentum a Smyrnæorum Republica in Civis benemeriti memoriam positum clariora non habeat ornamenta, nil aliud in mentem venit, quam ut lapidum sepulcralium mos servaretur, quos ultra ornare licitum non erat, ut olim in Monumento Tryphænæ exposuimus. Inscriptionis deinde superbia tanta videtur ut cæteris ornamentis supplere videatur.

Priusquam illam investigemus, tituli nostri ratio exhibenda est, CENOTAPHIUM esse diximus, scilicet vacuum sepulcrum, & Imaginarium: Sepulcrum quippe, corporis seu cadaveris erat conditorium. Unde I.C. Florentinus, l. XI. tit. VII. D. De relig. definit *Monumentum generaliter res est memoriæ causa in posterum prodita, in qua si corpus vel reliquiæ inferantur, fiet sepulcrum: si vero nihil eorum inferatur, erit mo-*

numentum memoriæ causa factum, quod Græci *κενοτάφιον* *appellant*. Ratio nominis hæc est, *κενὸς* Græcis inane, *τάφος* sepulcrum appellatur. Dum illud deficiebat, honoris causa sæpe CENOTAPHIUM construebatur, & conscribebatur; ut apud Virgilium *l. 3. Æneid.*

> *Solemnes tunc forte dapes & tristia dona*
> *Libabat cineri Andromache, Manesque vocabat.*
> *Hectoreum ad tumulum, viridi quem cespite inanem*
> *Et geminas, causam lacrymis, sacraverat aras.*

Explicante Servio CENOTAPHII usum: *Credebant enim Veteres, defunctorum animas honore sepulcri carentes, stygiam paludem tranare non posse, unde a Sacerdotibus inventum est exequiarum genus, quod terræ injectionem vocabant; Ut etiam iis qui naufragio periissent*. Quod mire nostro ARTORII CENOTAPHIO convenit, procellis submersi, dum Roma Smyrnam navigaret, ut infra dicetur. Egregie docet Humpf. Prideaux in notis ad marmora sepulcralia. *Hæc* *κενοτάφια* *frequentius ab Antiquis in memoriam amicorum, quos maximo in pretio habuere, præsertim si illi naufragio intereuntes sepulcris caruissent, condita fuere*. Dicebatur etiam *κενήριον*. Honorarii tumuli meminit Suetonius, *in Claud. c.* 1. ab exercitu Druso excitati, quem Dio *κενοτάφιον* nuncupat: Τίμας καὶ εἰκόνων ἁψίδος κενοταφίε τε πρὸς αὐτῷ τῷ Ῥήνῳ λαβών. Ita Lampridius in Alexandro, *CENOTAPHIUM in Gallia, Romæ amplissimum Sepulcrum meruit*. Exemplum hujusmodi declarat Inscriptio XXVIII. Appendicis ad marmora Oxoniensia, temporibus Imp. Antonini Pii.

ΗΡΩΔΗΣ ΜΝΗΜΕΙΟΝ ΚΑΙ
ΤΟΥΤΟ ΕΙΝΑΙ ΤΗΣ ΑΥΤΟΥ
ΣΥΜΦΟΡΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΑΡΕ-
ΤΗΣ ΤΗΣ ΓΥΝΑΙΚΟΣ.
ΕΣΤΙΝ ΔΕ ΟΥ ΤΑΦΟΣ, ΤΟ
ΓΑΡ ΣΩΜΑ ΕΝ ΤΗ ΕΛΛΑΔΙ
ΚΑΙ ΝΥΝ ΠΑΡΑ ΤΩ ΑΝΔΡΙ
ΕΣΤΙΝ καὶ τ. λ.

Herodes hoc posuit
monumentum esse
infortunii sui &
virtutis Conjugis.
Non vero est sepulcrum
corpus enim est nunc
in Græcia apud maritum
&c.

Nota hunc Herodem fuisse insignem sophistam qui Regillam suam uxorem invitus occiderat.

Singula ἐπιγραφῆς vocabula jam perpendamus & brevi labore explicemus.

ΜΑΚΡΟΝ. ARTORII prænomen fuisse nullus dubitet. Græcus hic Romanis moribus jam factus, familiæ suæ nomini prænomen admisit, cui fortassis, ut infra videbimus, ASCLEPIADIS cognomen adjunctum est. Censuram nostram effugere non possunt qui ΜΑΡΤΩΡΙΩΝ nominant, litteram M. ΑΡΤΩΡΙΩ jungentes; Punctum quippe intermedium spatiumque abunde nobis favet, præterea autores classici non pauci ARTORII meminerunt, nunquam vero MARTORII: At si quis in errore pervicax nonnihil rationis reliquum admitteret, ab hoc eleganti marmore plane doceretur.

ΑΡΤΩΡΙΟΝ Ille est Marcus ARTORIUS de quo Val. Maximus, l. 1. c. VII. *Quem locum unde potius ordiar quam a Divi Augusti sacratissima memoria? Ejus medico ARTORIO somnum capienti nocte, quam dies insecutus est, quo in campis Philippicis Romanis inter se exercitus concurrere*, Anno ab u. c. DCCXII. *Minervæ species oborta præcepit, ut illum gravi morbo implicitum moneret, ne propter adversam valetudinem proximo prælio non interesset. Quod cum Cæsar audisset, lectica se in aciem deferri jussit, ubi dum supra vires corporis pro adipiscenda victoria excubat, castra ejus a Bruto capta sunt. Quid ergo aliud putamus, quam divino munere effectum, ne destinatum jam immortalitati caput, indignam cœlesti spiritu violentiam sentiret? Augustum vero præter naturalem animi in omnibus rebus subtiliter prospicientis vigorem, etiam recens & domesticum exemplum, ut ARTORII somnio obtemperaret, admonuit, &c.* Paucioribus verbis Vellejus Paterculus, l. 2. *Cornu cui Brutus præerat, impulsis hostibus castra Cæsaris cœpit: Nam ipse Cæsar, etiamsi infirmissimus valetudine erat, obibat munia ducis, oratus etiam ab ARTORIO medico ne in castris remaneret manifeste denunciatione quietis territo*. Ejusdem facinoris etsi innominato medico, meminit Florus, l. 4. c. 7. *Pari in meliora præsagio, in Cæsaris castris omnia aves victimæque promiserant; Sed nihil illo præsentius, quod Cæsaris medicus*, ARTORIUS proculdubio, *somnis admonitus est, ut Cæsar castris excederet, quibus capi imminebat, ut factum est*. Ita Xiphilinus: *Cæsar mirabiliter salvus evasit, nam ei antequam prælium committeretur, Medicus somnium narravit, quo eum castris excedere jubebat*: Τῶν ἰατρῶν τινός. Displicet abbreviatio quæ nominando nostro ARTORIO pepercit. Hunc ARTORIUM celebrant Suetonius Plutarchusque, innominatum tamen, neque Medicum designatum, sed Amicum: Hæc sunt Suetonii verba, *in Aug. c.* 91. *Somnia neque aliena de se negligebat. Philippensi acie quamvis statuisset non egredi tabernaculo, propter valetudinem, egressus est tamen* (certe is est ARTORIUS) *somnio monitus; cessitque res prospere, quando captis castris lectica ejus, quasi ibi cubans remansisset, concursu hostium confossa atque lacerata est*. Quem locum commentans Jo: Henr. Bœclerus, Germanicarum Musarum decus, olim dum viveret mihi amicissimus, ita illustrat ut sapientiam Romanorum, medicinæque nobilitatem vindicet, contra Robortellum aliosque litteratos, substituentes *Medici* pro *Amici*; inde argumentantes, servos solos diu medicinam Romæ exercuisse. *Absint hæ ineptiæ, absit falsitas*, inquit ille, post Illustres Casaubonum & Torrentium. Errorem ultra demonstrat Jacob. Sponius alter heu! amicus noster, in 27. dissertatione reconditarum antiquitatum, quare suprasedeo. Amicum Augusti fuisse ARTORIUM medicum, quod servo non convenisset, manifeste docent hæc Plutarchi verba, in Bruto: *Ac Cæsar ut ipse in commentariis prodidit, cum quidam amicus ejus M. ARTORIUS visionem in somno vidisset, quæ se juberet secedere & facessere ex castris: paulo ante exportatus fuerat, putaveruntque eum occubuisse, &c.* Potuit autem hic ARTORIUS, inquit Torrentius Suetonium illustrans, *honoris causa, quamquam Medicus esset, in Amicorum coborte censeri*.

Non prætereundum censeo Lactantii Firmiani l. 2. c. 8. testimonium. *Illud quoque somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar Augustus dicitur esse servatus. Nam cum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo, abstinere prælio statuisset, medico ejus ARTORIO Minervæ species observata est, monens ne propter corporis imbecillitatem, castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem lectica perlatus est: Et eodem die a Bruto castra capta sunt.* Hæc ad eam rem sunt Appiani verba, l. 4. bellor. civil. *Bruti milites mox se verterunt ad oppositam sibi Cæsaris aciem, coactamque terga vertere, persecuti etiam castris potiti sunt: quæ illi communia cum Antonio Cæsare tum absente propter somnium & eam diem cavente, ut ipse scriptum reliquit in suis commentariis.* Dolendum equidem a gravissimo Autore Heroem nostrum Medicum non esse nominatum, hunc tamen designari luce meridiana clarius videtur.

Hujus mortem notat Eusebius *in Chronico* his verbis: *ARTORIUS medicus Augusti post Actiacam victoriam naufragio perit* anno mundi 5170. & u. c. DCCXXIII. Ea autem sic illustrat magnus Scaliger. *ARTORIUS medicus Augusti, Medicum Valer. Maximus agnoscit, l. 1. c. de somniis. Familiarem Augusti, Plutarchus in Bruto, eique prænomen Marco fuisse.* Redeuntem itaque in patriam absorpsit mare, quem hoc marmoreo monumento seu CENOTAPHIO honoravit S. P. Q. Smyrnensis.

Egregius est de ipso Clementis Alexandrini locus, l. 2. Pædag. c. 2. *ARTORIUS quidem in libro de longa vita; sic enim memini, existimat oportere eousque potum solummodo præbere, donec cibi irrigentur, ut nobis vitam paremus longiorem.* ΑΡΤΩΡΙΩΝ ἐν τῷ περὶ μακροβιοτίας. Olim dum viveret amicus meus Pater Lambecius Cæs. Aug. LEOPOLDI a bibliotheca, censebat unum esse Antonium Musa & M. ARTORIUM, quod etiam confirmavit, Bibliothecæ Cæs. l. 2. c. 7. his verbis. *Idem Antonius Musa apud Vellejum Patercul. l. 2. & Valer. Maximum, l. 1. c. 7. culpa negligentium & imperitorum librariorum corrupte appellatur ARTORIUS.* Sed quantum infeliciter conjicerit, arguit abunde Inscriptio nostra.

ARTORIUS alter memoratur a Juvenale, sat. 3.

——— *Vivat ARTURIUS istic*
Et Catulus, maneant qui nigrum in candida vertunt.

Latinas ARTURIORUM inscriptiones omnes hic apponere nostri non est officii, celebres aliquot memorabimus. Romæ visitur in vinea Cardinalis Carpensis, basis e marmore viridi, in qua statuæ tres æneæ stetisse videntur, fortassis D. Augusti inter Marcos ARTURIOS medicum & tribunum.

M. ARTORIUS M. F. PAL. PRISCUS VICASIUS SABI-
DIANUS TRIB. COH. XV. VOLUNT. C. R. TR. LEG. VII.
CLAV. PIÆ FID. PRÆF. ALÆ I. PANN. PRÆF. MON-
TIS BERENICIDIS FLAM. DIVI. AUG. PATR. COL.
RATEG. THEBALD. EX VOTO D D.

In Tuscana, in templo Arcis dicto *novo*, ara elegans, in cujus tympano insculptus draco, medio ejus candelabrum, ut memorat Gruterus pag. 523. 2.

D. M.
C. ARTORIO C. F. SCAP.
CAPENATO
EQ. LEG. II. ITAL. VIX.
ANN. XLIII. M. VIII. D. III.
K. ARTORIA CONJUGI
ET C. ARTORIUS M. FIL.
VISERIUS
FRATRI DULCISSIMO
CAUSA TESTAM
FACIUND. COERAVERUNT
IN FRONTE PEDES III-S
IN AGRO PEDES VIII-S

Romæ inter viam Appiam & Latinam repertus est lapis proculdubio sepulcralis eamdem familiam celebrans, a Reinesio explicatus p. 545.

C. ARTORIUS C. F. SUB.
PACHYNUS
MIL. VET. IN COH. XIII.
VOLUNT. CIV. ROM.
FRENIS EJUSDEM

pro FRENIS docte substituit ERANIS, scilicet C. illum ARTORIUM Eranistam fuisse docens, seu sodalem & fratrium; dicunt Galli, *conferre*.

Altera inscriptio ab eodem doctissimo Reinesio relata *p.* 904. conjecturam facit, ARTURIAM familiam e Græca Romanam, & e Pagana Christianam factam.

X. ΑΡΤΟΥΡΙΑΙ IN ΠΑΚΕ IDUS
JUNIAS.

Sic enim arguit in ΠΑΚΕ pro PACE, elementis græcis latinis mixtis. Hac autem formula veteres Christianos in sepulcris usos fuisse docet passim Roma subterranea, Græcis scribentibus ΕΝ ΕΙΡΗΝΗ.

ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗ. Unum Asclepiadem designare videtur hoc vocabulum, cujus tamen quadruplicem apud Antiquos significationem observavimus: Nomine cognomine aut agnomine, stirpe, exercitio, & secta. Quatuor quidem Asclepiades nomine scriptores memoravit Stephanus *De Urbibus*: Primum Anazarbensem, qui librum de fluviis scripsit: Secundum Nicæensem: Tertium Tragilensem ex Thracia juxta Chersonesum & Macedoniam; qui de rebus in tragœdia decantatis sex libros scripsit, τὰ τραγωδούμενα. Quartus ab eodem Stephano citatur his verbis; ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ ἱστορεῖ τὰς Ναξίας γυναῖκας μόνας οκταμηνα τίκτειν. ASCLEPIADES refert *Mulieres Naxinas* e Naxo inter Cyclades celebri *solas octavo mense parere*. Quodquidem inter mera Græcorum nugas adnumerari meretur. Unum ASCLEPIADEM nominat Suetonius, in Aug. cap. 94. *In ASCLEPIADIS Mendetis* Θεολογουμένων *libris lego*, Ægyptium hominem ex præfectu-

ra Mendesia, qui Atiam ex dracone seu Apolline concepisse Augustum scripsit: sed de his alias Quam mihi placet Areopagitarum decretum Asclepiadem honorantium, quemadmodum narrat Athenæus, l. 4. Μενέδημον γὰρ καὶ Ἀσκληπιάδην τοὺς φιλοσόφους κ. τ. λ. Hoc est, *Menedemum & ASCLEPIADEM philosophos ætate juvenes, inopesque accersitos interrogarunt, quo pacto dies totos cum philosophis exigentes, sine ullis facultatibus, tam bono corporis habitu essent? Ipsos vero ut e pistrini præfectis quemquam advocarent, petiisse, qui eum venisset, dixissetque singulis noctibus eos in pistrinum descendere, ac drachmas duas in mercedem utrumque accipere; admirati Areopagitæ, ducentis eos drachmis honorarunt.*

Asclepiadem unum nominat Cicero, de Orat. *Medicum & amicum L. Crassi Oratoris*: Atque etiam, *ASCLEPIADES, quo nos Medico & amico usi sumus, eloquentia vincebat cæteros Medicos.* Alter fuit Asclepiades junior dictus Φαρμακίων, qui memorabiles pharmacorum tam internorum quam externorum compositiones multis libris tradidit, ac præcipue ulceribus Chironiis & difficilibus sanandis: Vixit Neronis temporibus & frequentem habuit laudatorem Galenum, *l.1.de comp. med. cap.* 1. & passim. Ille est qui Niceton Smyrnæum sanavit, cui ad tantam molem creverat corpus, ut loco moveri nequiret. Domitiani medicum sive ἀρχιατρὸν fuisse unum Asclepiadem docet hæc inscriptio, a Reinesio *p.* 608. & Sponio, *in curiosis Antiq. p.* 428. relata.

L. ARRUNTIO
SEMPRONIANO
ASCLEPIADI
IMP. DOMITIANO
MEDICO T. F. I.
IN FRONTE P. XX.
IN AG. XX.

Alterius Asclepiadis inscriptionem vulgavit laudatus Reinesius, *p.* 608. & Sponius, *p.* 431. ex qua illum ab Imp. Trajano jus VII. civitatum adeptum fuisse constat.

C. CALPURNIUS ASCLEPIADES
PRUSA AD OLYMPUM MEDICUS
PARENTIBUS ET SIBI ET FRATRIBUS
CIVITATIBUS VII. A DIVO TRAJANO
IMPETRAVIT
NATUS III. NONAS MARTIAS
DOMITIANO XIII. COS. &c.

Et hic fortasse filius fuit aut nepos celeberrimi ASCLEPIADIS Prussæi Bithyni, sectæ conditoris: Alter fuit T. ΑΙΛΙΟΣ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ, Augusti (qualis fuit ille nescitur, Antoninum Pium opinamur) libertus, medicus, ludi matutini chirurgus, inter Gruterianas inscriptiones legitur, *p.*335. Alter P. NUMITORIUS P.L. ASCLEPIADES Sevir Veronæ, & MEDICUS OCULARIUS, apud Gruter. *p.* 443. Ad rem nostram propius attinet effossus Smyrnæ lapis quadratus, in fastigium desinens, in quo sculpta statua togata ad dextram; ad sinistram cippus quadratus, cui caput senis βαθυπώγωνος impositum, subterque adstans puer &c. cum hac inscriptione a Reinesio vulgata, *p.* 601.

Ο ΔΗΜΟΣ in corona
ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΝ
ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ ΤΟΥ ΑΡΤΕΜΙΔΩΡΟΥ.

Quidni ita interpretarer? *POPULUS Smyrnensis hac corona donavit ASCLEPIADEM APOLLONII filium ARTEMIDORI nepotem.* De Asclepiade Myrleano sive Apamensi, ut sectæ conditore, suo loco dicemus.

Asclepiades etiam dicebantur qui orti essent e stirpe Æsculapii medici celeberrimi, quem Græci ΑΣΚΛΗΠΙΟΝ nuncupabant παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἤπιον, *a curando difficilia*: seu ut vult Mercurialis, παρὰ τὸ ἀσκεῖν ἠπίως νοσοῦντας, *quod ægrotos suaviter exerceret.* Sic qui ex Herculis Ἡρακλέους sanguine procreati erant, quique apud Spartam regnaverunt, teste Plutarcho, *in Lycurgo*, Ἡρακλεῖδαι dicti sunt. Atque etiam Ὁμηρεῖδαι Chienses illi ab Homero genus ducentes. Neque his qui Macedoniam tenuerunt & Alexandrum Asiæ domitorem procreaverunt, multum inferiores erant Æsculapii filii, qui Messeniæ parti imperaverunt, cum alteram regeret Nestor, & ad obsidendam Ilion venerunt, ut scribit Pausanias, *l.* 4. Καὶ γὰρ τοὺς Ἀσκληπιοῦ παῖδας στρατεῦσαι φασιν ἐς Ἴλιον Μεσσηνίους ὄντας: quos paulo post ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΑΣ nuncupat. Inter illos maxime memoratur Hippocrates, quem Divinum nuncupare ipse D. Augustinus non erubuit. De eo Galenus noster hæc verba facit, *l.* 1. *meth. med. cap.* 2. *Siquidem Hippocrati ex ASCLEPIADARUM genere fides est babenda*: Ἱπποκράτει τῷ τῶν ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΩΝ. Idem Galenus docet, cap. 1. *Veteres medicos ab Æsculapio oriundos*, ita enim ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΑΣ convertit doctus ejus Interpres Th. Linacer, *tanquam duces militibus, & Reges subditis, imperare ægris voluisse*: Et paulo post: Dum Galenus veteres scribit artem medicam incepisse, posteros perfecisse, memorat. *Non parvam litem fuisse eorum qui in Co atque Cnido habitabant, utri videlicet inventorum multitudine reliquos superarent*: Quippe geminum hoc genus ASCLEPIADARUM adhuc in Asia supererat, deficiente nimirum quod in Rhodo vigue rat. Erant itaque ASCLEPIADES qui successione quadam hæreditaria acceptam a Parentibus medicinæ cognitionem in liberos propagabant, exclusis plane alienis familiis. Quare illi τῶν ἰατρῶν παῖδες honorifice nuncupabantur. Egregium legitur epitaphium Romæ, a Grutero relatum, *p.* 634. 1.

Θ. Κ.
ΕΝΤΕ ΦΙΛΟΙΣΙ ΦΙΛΟΙΟ ΚΑΙ ΙΗΤΗΡΟΣ ΑΡΙΣΤΟΥ
ΠΑΙΔΕΙΗΣ Θ᾽ ΙΕΡΗΣ ΕΓΓΥΘΕΝ ΑΨΑΜΕΝΟΥ
ΣΩΜ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΟΥ ΚΑΙ ΥΙΕΟΣ ΕΝΤΑΔΕ ΒΗΡΟΥ
ΩΣ ΕΠΕΙΣΑ ΔΕ ΦΙΛΟΙΣ Ο ΔΕ ΤΥΜΒΟΣ ΕΧΕΙ.

Λ. ΦΟΝΤΕΙΩ ΦΟΡΤΙ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗ ΤΩ ΓΕΝΕΙ
ΕΦΗΣΙΩΝ ΒΙΩΣΑΝΤΙ ΕΤΕΣΙΝ, Μ̅. ΜΕΣΙΝ Β̅.
ΗΜΕΡ. ΚΕ ΩΡ. Ζ̅.
ΕΓΝΑΤΙΑ ΒΡΙΣΗΙΣ ΣΥΜΒΙΟΣ ΜΝΗΝΗΣ ΧΑΡΙΝ.

Dis Manibus
Inter amicos amici & Medici optimi,
Et in institutione sacra consummatissimi,
Corpus Asclepiadis, & filius ejus Veri,
Ut superstim amicis, unus & idem tumulus babet.

L. Fontejo Forti, Aſclepiadi origine ſeu ſtirpe Ephesiorum, qui vixit annos XL. menſes II. Dies XXV. horas ſeptem.
Ignatia Briſeis contubernalis, memoria cauſa.

Docet autem Pauſanias, *l.* 2. Æſculapium Epidauri primum cultum fuiſſe, deinde Pergami; Traductam poſtea Dei religionem Smyrnam, condito templo aſſertam.

Divinam artem profitentes ASCLEPIADÆI dicti ſunt; dum ſtantem naturam confirmarent, labantem repararent: Unde toties apud Græcos ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΩΝ ſeu ἰατρῶν παῖδες ab exercitio ſeu opere omnium utiliſſimo appellabantur: Quo ſenſu legimus Podalirium Machaonemque in eorum κενοταφίῳ quod Triccenſes Theſſali erigi curaverunt, ASCLEPIADÆOS nuncupari.

> Οἱ δ' ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΑΙ Σοδαλείριος ἠδὲ Μαχάων.
> Πρόσθεν μὲν θνητοί, νῦν δὲ Θεῶν μέτοχοι.

Non tamen omnibus paſſim Medicis inditum eſt id cognomen, ſed conſummatis & nobilioribus, Æſculapii nomine donari quoquomodo meritis. Eo ſenſu intelligendum venit egregium illud Pauſaniæ medici Siculi epitaphium, in Anthologia relatum, l. 3. c. 15.

> Παυσανίαν ἰητρὸν ἐπώνυμον ἀγχίτεω υἱὸν
> Τὸν δ' ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΝ πατρὶς ἔταψε κόνις.
> Ος πλείστους κρυεραῖσι μαραινομένους ὑπὸ νόσοις
> Φῶτας ἀπέστρεψε Περσεφόνας θαλάμων.

Hoc eſt:

> *Pauſaniam medicum doctum, Anchitei filium*
> *Hunc ASCLEPIADEM patrius ſepelivit pulvis*
> *Qui plurimos frigidis labefactatos a morbis*
> *Homines avertit a Proſerpinæ thalamis.*

Ex Medentium numero ASCLEPIADARUM dicto multa poſteris tradita ſunt ſuis autoribus cognomina: Ασκληπιὰς herba eſt, hederæ ſimilis, de qua Plinius, *l.* 27. *c.* 5. Eſt etiam Collyrium a Celſo, *l.* 6. *c.* 6. memoratum. Ασκληπίον ſpecies eſt panacis ab Æſculapio nominata, in honorem filiæ Panaceæ. Ασκληπίος τροχίσκος Paſtillus eſt, cujus mentionem facit Ætius, *l.* 14. Eſt etiam nomen ſmegmatis aridi a Paulo Ægineta deſcripti, *l.* 7. *c.* 13. Malagma etiam ſignificat dolori ſummovendo, a Galeno l. 7. τῶν κατὰ γένη deſcriptum. Jo. Tzetzes, *Chiliad.* 10. 349. titulum fecit *De ASCLEPIADARUM arte*, Περὶ ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΩΝ τέχνης.

Interdum e ſecta nomen habuerunt qui ASCLEPIADIS dogmata tuebantur; ASCLEPIADÆI potius quam ASCLEPIADES dicendi, contra quos Galenus noſter in Eraſiſtratæos, & ASCLEPIADÆOS. *In multis*, inquit l. de Criſ. c. 8. *ſæpius deliravit ASCLEPIADES, & quicunque non norunt Naturas eſſe morborum medicatrices.* Celebris enim fuerat ASCLEPIADES ille ſectæ conditor, Eraſiſtrati olim diſcipulus qui ſcripſit *de acutis paſſionibus*. De quo ita Plinius, l. VII. c. XXXVII. *Summa autem ASCLEPIADI Pruſienſi condita nova ſecta, ſpretis legatis & pollicitationibus Mithridatis Regis, reperta ratione qua vinum ægris medetur, relato e funere homine & ſervato: ſed maxime ſponſione facta cum Fortuna, ne medicus crederetur, ſi unquam invalidus ullo modo fuiſſet ipſe, & victor ſuprema in ſenecta lapſu ſcalarum exanimatus eſt.* Audiamus iterum Plinium, l. 26. cap. 3. *Donec ASCLEPIADES ætate magni Pompeii, orandi magiſter, nec ſatis in arte ea quæſtuoſus &c. Totam medicinam ad cauſam revocando conjecturam fecit, quinque res maxime communium auxiliorum profeſſus, abſtinentiam cibi, alias vini, fricationem corporis, ambulationem, geſtationes. Quæ cum unuſquiſque ſemetipſum ſibi præſtare poſſe intelligeret, faventibus cunctis, ut eſſent vera quæ facillima erant, univerſum prope humanum genus circumegit in ſe, non alio modo quam ſi cœlo emiſſus adveniſſet. Trahebat præterea mentes artificio mirabili vinum permittendo ægris, dandoque tempeſtive tum frigidam aquam.* Ejuſdem mentionem facit Celſus, his verbis: *In duas partes medicina diviſa erat, aliis rationalem artem, aliis uſum tantum ſibi vindicantibus: Nullo vero quoquam poſt eos qui ſupra comprehenſi ſunt agitante, niſi quod acceperat donec ASCLEPIADES medendi rationem ex magna parte mutavit.* Et libro 5. cap. 1. *Medicamentorum uſum ex magna parte ASCLEPIADES non ſine magna cauſa ſuſtulit: Et cum omnia fere medicamenta ſtomachum lædant, malique ſucci ſint, ad ipſius victus rationem potius omnem ſuam curam tranſtulit.* De eodem verba facit Scribonius Largus, in Præfatione, *ASCLEPIADES maximus autor medicinæ negavit ægris danda medicamenta.* In libro tamen præparationum quem inſcribit παρασδασικῶν, *contendit ultimæ ſortis eſſe medicum, qui non ad ſingula quæque vitia, binas ternaſque compoſitiones & expertas, paratas habeat.* Et quoniam medendi ſcientiæ decreta confeſſæ antiquitatis præjudicio firma tenenti ac meditata quotidie oratione labefactavit, ideo Galenus *l.* 3. *de Criſibus*, ἕξιν ἀντιλογικὴν eum exercuiſſe refert. Cælius Aurelianus, *l. de acutis* ſcribit: *Eum ſemper in curandis ægris ambitione quodam, aliorum Medicorum præſidia, ſive bona ſive mala, rejicere conſueviſſe.* Multa de eodem ſcribit Apulejus, l. 4. Florid. *ASCLEPIADES ille inter præcipuos medicorum, ſi unum Hippocratem excipias, cæteris Princeps &c.* Macrobius, *lib.* 5. *Saturn.* ejus mentionem facit his verbis: *ASCLEPIADES autem vir inter Græcos apprime doctus ac diligens, carcheſia a navali re exiſtimat dicta: Ait enim navalis veli partem inferiorem Pateram vocari; circa mediam, τράχηλον dici, ſummamque vero partem Carcheſium nominari.*

Opinionem huc adducere liceat, ſcilicet in varias ſectas abiiſſe diverſa genera ASCLEPIADARUM, *ut qui in Coo erant alia dogmata ſentirent, quam qui in Cnido aut Rhodo.* Perpendenti ſupracitatum Galeni locum, *l.* 1. *method. cap.* 1. mihi in mentem venit, ſectarum varietatem a locis quos incolebant illi ASCLEPIADES genere, ortam eſſe.

Multos ASCLEPIADES a ſecta dictos, legimus in libris antiquis. Titus & Chryſippus ipſum ſectæ conditorem audiverant, quam amplexi ſunt. Ille *de anima* ſcripſit, hic *de Lumbricis*, ut tradit Cælius Aurelianus, lib. 3. cap. 5. Themiſon Laodicæus ſcripſit *de tardis paſſionibus* & *Epiſtolas*: Idem ille eſt qui a Præceptore deficiens, novam ſectam condidit dictam Methodicorum, in quem ſæpe Galenus invehitur. Prius illum notaverat Juvenalis, ſat. v. *Quot Themiſon ægros autumno occiderit uno.* Arejus ASCLEPIADIS Pruſienſis diſcipulus, teſte Galeno, l. 5. *de compoſ. med.* Niceratus, Julius Baſſus, Petronius, Sextius Niger, *diligentiſſimus medicinæ autor*,

autor, inquit Plinius, *lib.* 32. cap. 3. Diodotus, Claudius, & ARTORIUS noster, qui omnes cum multis aliis pariter ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΑΙ *ASCLEPIADES* dicti sunt. Alterius medici, secta methodici, marmoreum monumentum huc adduci potest, quod eximiæ integritatis repertum est etiam Smyrnæ, & ad Christianissimum Regem a tribus annis transmissum. Hæc leguntur in ejus basi.

Μ. ΜΟΔΙΟΣ ΑΣΙΑΤΙΚΟΣ
ΙΑΤΡΟΣ ΜΕΘΟΔΙΚΟΣ

M. Modius Asiaticus
medicus methodicus.

Pectori vero inscriptum erat hoc distichum,

ΙΗΤΗΡ ΜΕΘΟΔΟΥ ΑΣΙΑΤΙΚΕ ΠΡΟΣΤΑΤΑ ΚΑΙΡΕ
ΠΟΛΛΑ ΜΕΝ ΕΣΘΛΑ ΠΑΘΩΝ ΦΡΕΣΙ ΠΟΛΛΑ ΔΕ ΛΥΓΡΑ.

Alludente postremo carmine Homero canenti de Ægypto,

Πολλὰ φέρει μεμεγμένα ἐσθλὰ καὶ λυγρά.

Facile non esset, tantus legitur apud Antiquos ASCLEPIADARUM Medicorum numerus, singulos secure ad declaratas significationes revocare: Id porro certum est sæculorum decursu, ASCLEPIADÆOS maxime a secta dictos fuisse. Rem non ingratam me facturum opinor, ASCLEPIADES cæteros, qui legenti mihi occurrerunt, hic commemorare.

Duo primum leguntur in inscriptione Gruteriana *p.* 93. quæ Romæ visitur.

TI. CLAUDIUS ASCLEPIADES
ET CÆCILIUS ASCLEPIADES
EX VOTO NYMFABUS D. D.

ASCLEPIADEM Philini filium Clazomenium memorat ænea tabella referens senatus consultum fœderis a F. Ursino, deinde Grutero, *p.* 503. relatum.

Et alium Strabo, *l.* 3. qui primum in Hispania Tuditana Grammaticam docuit, & descriptionem gentium in istis regionibus agentium edidit. Quod Myrlea ejus patria eadem sit ac Bithyniæ Prusa, ideo nonnullis placuit hunc cum magno ASCLEPIADE confundere: Verum hic Pompeii M. temporibus, ille Attali & Eumenis Pergamenorum Regum, interjecto sæculo.

Quidam legitur Μ. ΑΥΡΕΛ. ΑΣΚΛΗΠΙΑΔΗΣ in statua fori Trajani memoratus absque ulla temporis aut exercitii designatione; ut & alter in marmore Oxoniensi centesimo trigesimo sexto. ASCLEPIADES poeta tragicus, Isocratis discipulus, ad rem nostram minus facit, ut & ille ASCLEPIADES Phliasius, a Diogene Laertio commemoratus, *in vita Menedemi*. Egregium est marmor inter Arundelliana, a Reinesio relatum, *p.* 725. in quo Amilla Matrei filia monumentum sibi, ASCLEPIADI conjugi & Posteris condit, præscriptis etiam legibus sepulcralibus: ΑΜΙΛΛΑ ΜΑΤΡΕΟΥ καὶ τ. λ.

ΘΕΟΥ *Dei* seu *Divi*: Eo processerat Græcorum & Romanorum adulatio ut suos benefactores pro Diis habuerint: Frequentes inde Augustorum Augustarumque consecrationes quas *ἀποθεώσεις* Græci dicebant, ex S. C. decretæ, ut eorum memoria religiosius a posteris celebraretur. Ne tamen inde Augustum, hujus monumenti temporibus, fato functum esse opinemur, in cujus fortassis gratiam Medicum ARTORIUM honoravit S. P. Q. Smyrnensis. Illi enim vivo videntique aræ dicatæ sunt, inquit Horat. l. 2. Epist. 1.

Præsenti tibi maturos largimur honores,
Jurandasque tuum per numen ponimus aras.

Et ode 5. l. 3. *Præsens DIVUS habebitur Augustus*. Idem apud Appianum legitur, de bello civil. l. 1. *Quo facto vivus vidensque consecratus & AUGUSTUS a Populo Romano appellatus.*

ΚΑΙΣΑΡΟΣ ΣΕΒΑΣΤΟΥ, *Cæsaris Augusti*: Nullum hic dubium est, designari felicissimum Principem Octavianum, cui supra cœteros contingit J. C. Salvatorem nostrum in censu suo habere, & lege Regia, Europæ, Asiæ, Africæque dominari. Quippe qui egregiis classicorum virorum testimoniis, M. ARTORII & postea Ant. Musæ clarissimorum medicorum opera usus est. Neque tamen quæ hic leguntur Cæsaris Augusti vocabula, secundum numero Imperatorem perpetuo designant, cum Posterum dignitates fuerint, quæ in eo veluti cognomen & agnomen. Recte meo judicio doctissimi Gronovius, Schefferus, & Munkerus, Hyginum Augusti libertum, non aurea Octaviani ætate, sed aut Antoninorum aut inferiorum Augustorum vixisse censent. CÆSARIS nomen Julio sumpsit Augustus, adoptionis jure, quod eorum postea successores semper usurpaverunt. AUGUSTI cognomen Octaviano impositum est, ac inde hujus successoribus ob divinum quid & præstantiam, de quo Dio, *l.* 43. Suetonius, *c.* 7. Græci dixerunt ΣΕΒΑΣΤΟΝ, quasi venerandum & homine majorem.

ΙΑΤΡΟΝ *Medicum*. In monumentis tum Græcis tum Latinis descriptum passim occurrit exercitium laudati defuncti: Inummera ejusmodi nobis suppetunt Medicorum epithaphia. Celeberrimum est illud Agathemeri inter Epigrammata Græca relati, & marmora Oxoniensia.

ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΙΗΤΗΡ ΑΓΑΘΗΜΕΡΟΣ ΕΝΘΑΔΕ ΚΕΙ ΜΑΙ,
ΠΑΝΤΟΗΣ ΔΕΔΑΩΣ ΚΡΑΙΠΝΟΝ ΑΚΕΣΜΑ ΝΟΣΟΥ
ΞΥΝΟΝ ΤΟΥΤΟ ΔΕ ΜΟΙ ΚΑΙ ΜΥΡΓΑΛΗ ΕΙΣΑ ΣΥΝΣΥΝΩ
ΜΝΗΜΑ ΜΕΤΕΥΣΕΒΕΩΝ ΔΕΣΜΕΝ ΕΝ ΗΛΥΣΙΩΙ.

Claudius Agathemerus medicus hic jaceo,
Omnigeni qui cognoveram præstantissimum remedium morbi.
Commune hoc mihi est, & æque Myrtali conjugi
Monumentum; cum Piis autem nos sumus in Elysio.

Locuples Gruteriana collectio multa suppeditavit hic describenda pagg. 581. & 632. & seqq.

a TI. ΚΛΑΥΔΙΩΙ ΑΛΚΙΜΩ ΙΑΤΡΩ ΚΑΙΣΑΡΟΣ κ. τ. λ. *Ti. Claudio*	A	*Alcimo medico* *Cæsaris.* *b* ΚΛΑΥΔΙΩΙ ΜΑΚΡΙΤΩΙ ΙΑΤΡΩ *Claudio Macrito medico.*

c ΘΕΣΙΣ ΘΕΟΔΩΡΟΥ ΙΗΤΡΟΥ ΞΑΝΘΟΥ ΤΟΥ
ΝΟΣΟΚΟΜΟΥ ΥΙΟΥ ΚΑΙ ΧΑΡΙΤΟΣ ΣΥΝΒΙΟΥ ΑΥΤΟΥ ΚΑΙ
ΤΩΝ ΤΕΚΝΩΝ ΑΥΤΩΝ
Sepulcrum Theodori medici rufi,
Præfecti valetudinarii filii, & Charitis uxoris ejus &
Eorum filiorum.

Θ. K. A. ΑΠΟΛΛΩΝΙΩΙ ΙΑΤΡΩΙ M. X. ΚΑΡΜΗ ΑΝΕΘΙΚΕΝ. *Dis Manibus* *Lucio Apollonio* *medico* . . . . . *Carme posuit,* F. ΚΛΑΥΔΙΟΣ ΣΕΙΛΙΑΝΟΣ ΙΑΤΡΟΣ ΕΦΕΣΙΟΣ	B	*Cajus Claudius* *Silianus* *medicus* *Ephesius,* ΚΟΡΝΟΥΤΟΥ *d* ΙΑΤΡΟΥ ΚΑΙ ΡΟΥΦΙΝΗΣ ΘΥΓΑΤΡΟΣ *Cornuti* *medici* *& Rufines* *filiæ.*

e D. M. ARRIUS CN. LIB. HERMES MEDICUS &c.
f ACRONI P. MEDICO AUG. &c.
D. M. L. AVIANO. L. F. PUB. VALERIANO MEDICO &c.
g P. CARM. SOSTHE MEDIC. VI. VIR. AUG. ANCHAR.
h DIS MANIBUS C. CÆCILI C. F. SAB.
AQUILÆ CÆCILIÆ C. L. MOSCHIDI.
C. CÆCILIUS DIÆTUS MEDICUS
FILIO ET LIB. CONJUGI SUÆ PIISSIMIS.
i D. M. SACRUM MARCO CASINEJO PAETO MEDICO &c.
k A. CLODIO A. F. MEDICO &c.
l VIV. L. POMPONIA L. L. DIOCLES MEDICUS &c.
m D. M. T. JULIO ROSIANO APOLLINARI MEDICO &c.
n PEREGRINO HELIODORO CONSUMMATAE PERITIAE
MEDICO ET MIRÆ PIETATIS JUVENI CO.
COMINIA FAUSTINA MATER INFELICISSIMA F. C.
o D. M. C. JULI FILETIONIS DOMO AFRICA MED. &c.
p D. M. M. JUNIO DIONYSIO MEDICO &c.
q MENANDER MEDICUS V. A. XXI. TITULUM DONA PSYCHE.
r V. F. M. PETRONIUS HERAS MEDICUS &c.
ſ D. M. SEX. PEDIO SEX. LIB. SECUNDO MEDICO &c.
t D. M. C. PLINII VALERIANI MEDICI &c.
u HIPPOCRATES ZEUXIDIS. L. MEDICUS
EROTIS HIPPOCRATIS. SOROR.
x D. SEMPRONIUS JUCUNDUS MEDICUS ARIMINIENSIS.
y L. TAURANIUS L. L. OLYMPUS MEDICUS OLL. XII.
z TALLUS MEDICUS MAG. H. V.
ZOPYRUS ALEXANDRI F. ALEXANDER MEDICUS.
aa D. M. THEOPHILETIS MEDICI
SEVERA MARITO CARISSIMO.

Interdum clinicis & oculariis quos pro medicis habebant, ſuus dicatus eſt honos; Legitur hæc inſcriptio prope collem Hortulanum.

bb TI. LYRIUS TI. CÆSARIS AUG.
SER. CELADIANUS MEDICUS OCULARIUS &c.
cc Tum SILICIUS MEDICUS AB OCULIS.
P. ATTIUS ATIMETUS AUG. MEDICUS AB OCUL.

a *Romæ.* b *Romæ.* c *In Aſia pag.* 115.5. d *Romæ.* e *Apud Urſin.* f *Aug. Taurin.* g *Apud Urſin. Patavii.* h *Romæ.* i *Beneventi.* k *Beneventi* l *Narbonæ.* m *Romæ.* n *Mogontiæ.* o *Budæ.* p *Romæ.* q *Romæ.* r *Mediolani* ſ *Romæ.* t *Comi.* u *Ameriæ.* x *Concordiæ.* y *Apud Urſinum.* z *Tibure.* aa *Brixiæ.* bb *Romæ.* cc *Apud Urſin.*

a TI. JULIUS AUG. ET AUGUSTÆ CUTISONUS MEDICUS OCULARIUS H. S. E.

b CHRESTÆ CONSERVÆ ET CONJUGI
CELADUS ANTONIUS DRUSI
MEDICUS CHIRURG. BENEMERITI FECIT.
EA VIXIT ANN. XVII.

Quin & Medicæ multæ ſuas habuerunt inſcriptiones, ſua epitaphia; atque etiam obſteſtrices, ſarcinatrices, Seplaſianii, balneatores, unctores, prægustatores, ſervi a cyatho, a potione, & alii de quibus alias.

At cur ARTORIUM noſtrum ſolo medici titulo ornat cenotaphium, non Archiatri? Honorifica quippe eſt hæc vox, quæ Principis Medicum deſignat: Auguſti ævo nondum erat in uſu. Legitur apud Strabonem, *l.* 14. Κτησιὰς ὁ ἰατρεύσας μοὶ Ἀρταξέρξῃ, non ἀρχιατρὸς. Ex G. Xylandri verſione a Caſaubono recognita, *Cteſias Artaxerxis Medicorum Princeps:* Quibus facile eſt conjicere illius temporis uſum græce deſcriptum, latino ſermone noſtris moribus eſſe accommodatum. Andromacus Neronis Medicus a Galeno ἀρχιατρὸς nuncupatur, *l. de loc. affec. c.* 1. Mos deinde fluxit medicos tali titulo honorare, quaſi & Principum medicos, & medicorum Principes. Dignitatem exhibent multæ antiquæ inſcriptiones.

Romæ ad S. Stationi

M. LIVIO CELSO
TABULARIO SCHOLAE MEDICORUM
M. LIVIUS EUTYCHUS
ARCHIATROS &c.

Budæ in Illyrico

D. M.
ACTIUS CAJUS ARCHIATER
SIBI ET JULIAE PRIMAE
CONJUGI INCOMPARABILI
U. S. P.

Omnium antiquiſſima videtur hæc Lampſacenſis a doctiſs. Sponio, heu amico olim meo ſingulari, Itiner. *l.* 3. *p.* 91. & a Curioſiſſimo Equite Anglo, D. Georgio Wehler, *in ſuo Itin. p.* 77.

Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
ΚΥΡΟΝ ΑΠΟΛΛΩΝΙΟΥ
ΑΡΧΙΑΤΡΟΝ ΑΡΙΣΤΟΝ
ΠΟΛΕΙΤΗΝ ΕΠΙΣΗΜΟΝ
ΠΡΟΣ ΠΟΛΛΟΙΣ ΕΥΕΡΓΕΤΗΜΑΣΙΝ
ΕΙΣ ΑΥΤΗΝ ΑΛΕΙΨΑΝΤΑ
ΛΑΜΠΡΩΣ ΚΑΙ ΠΟΛΥΔΑΠΑΝΩΣ
ΚΑΙ ΑΣΥΝΚΡΙΤΩΣ ΚΑΙ ΑΠο
ΧΑΡΙΣΑΜΕΝΟΝ ΧΕΙΛΙΑΣ
ΑΤΤΙΚΗΣ ΤΗ ΓΕΡΟΥΣΙΑ.

Senatus ſupple honoravit
Cyrum Apollonii filium
Archiatrum optimum
Civem illuſtrem
Ob multa beneficia
In ſe collata
Splendide & ſumptuoſe & incomparabiliter.
Donatum mille drachmarum
Atticarum, ſenatui.

a Romæ. b Romæ inter portam Appiam & Lat.

Ille forte Cyrus eſt, ad quem pertinet hæc Inſcriptio, *in villa Strozzi Florentina.*

CYRUS
LIVIÆ DRUSI CÆS.
MEDICUS

Græci quippe, patria in provinciæ formam redacta, ſæpe in Urbem properabant, plerumque medicinæ exercendæ, quam ſupra cæteros populos callebant: Ita poſt ſæculum contigit Galeno noſtro, qui Aurelii, Veri, Fauſtinæque gratiſſimus fuit Archiater.

Conſtantinus Imp. illuſtribus privilegiis ſuos Archiatros honorari voluit, l. 12. cod. tit. 41. *Archiatros noſtri palatii nec non Urbis Romanæ &c.* Caſſiodorus, in epiſt. ad Valent. & *Archiatri* & *Archiatrorum comitis* mentionem facit, illius quidem ut Principum Medici, hujus ut Principis inter medicos. Annua ejus ſtipendia memorat Plinius fuiſſe CCL. H-S. quæ ad monetæ Venetæ rationem redacta, facerent Hungaricorum aureorum ſex millia. Egregia ſunt Caſſiodori verba *l.* 6. *epiſt.* 9. cum Imperatorem talia dicentem narrat, *Indulge noſtro palatio, habeto fiduciam ingrediendi, fas eſt tibi nos fatigare jejuniis, fas eſt contra noſtrum ſentire deſiderium.* Nullum itaque ἐπίθετον adjungebant primis temporibus Medici officio, quod ſummum & merito inter Philoſophos cenſebant, valetudinem tuendæ atque recuperandæ dicatum. Aliter egerunt poſteri qui titulos aliquando magnificos addiderunt, aliquando etiam deſignaverunt peculiare Medici officium: Ut etiamnum Barbari Turcæ a Græcis proculdubio edocti, binam faciant medicorum ſpeciem, cujus alii *Sofoi* & *grammatiſmenoi Jatroi*, alii ſimpliciter *Jatroi* nuncupantur. Hi levi duntaxat aut nulla medicinæ cognitione imbuti, medicamentis utuntur & abutuntur, chirurgiam, pharmaciamque exercentes, & miniſtros medicinæ ſe præbentes: *Sofoi* ſeu ſapientes & Philoſophi, artem omnium longiſſimam multo ſtudio comparatam profitentur, adhibitis convenientibus ratiocinationibus, experientias firmantibus. Vide Sponium *Tom.* 2. *p.* 82. Utinam in ſola Græcia circulatores & circumforanei, Medici titulo gauderent.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΩΝ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ.
Senatus Populuſque Smyrnæorum.

Solemnis erat Rerumpublicarum formula. Utrumque vocabulum Rempublicam Smyrnenſem hic complectitur, ut ex ſexcentis inſcriptionibus patet. Interdum ſcribebatur ſolius Populi voluntas, ut in decretis, Fœdus Smyrnæorum & Magnetum deſignantibus; Ἔδοξεν τῷ ΔΗΜΩ, *Placuit POPULO*: Deinde porro legitur Στρατηγῶν γνώμῃ, *Ducum conſilio:* Hoc eſt Prætorum & Polemarchi, virorum ſumma fide & prudentia pacis bellique tempore, civitatis præſidium, cuſtodiam, reſque publicas adminiſtrantium. Interdum ſolius Senatus ſeu conſilii, ut in hac inſcriptione inter marmora Oxonienſia, num. 2. Ἀγαθῇ τύχῃ καθὰ ἐψηφίσατο ἡ κρατίστη Βουλὴ, καὶ τ. λ. *Bonæ fortunæ: Ut decrevit præſtantiſſimum Concilium &c.* Inde Βουλαῖος dictus eſt

Jupiter, in nummo, ut *Concilii dator*, & Senatores dicebantur Βȣλδεταί. Hic non describam quæ ad hanc rem facientia in MARCELLINA nostra declarata sunt, *p.* 385. Præter marmora in quibus Senatus populusque indicantur, egregium possideo M. Aurelii nummum æreum, in quo honoratus venit Imperator a Nicomedensium Senatu Populoque hac epigraphe. ΒΟΥΛΗ, ΔΗΜΟΣ ΝΕΙΚΟΜΗΔΕΙΑΣ ΟΜΟΝΟΙΑ. *Communitas Nicomediæ Senatum*, scilicet & *Populum* comprehendens, egregie designatur viro & fœmina turrita; hac civitatem significante, illo Senatum, qualis ΙΕΡΑ ΣΥΓΚΛΗΤΟΣ in multis aliis repræsentatur.

Ex illis autem verbis, dubium nobis non relinquitur audito Smyrnæ M. ARTORII in patriam revertentis naufragio, Senatum Populumque Smyrnensem hoc ejus honori decrevisse Cenotaphium, quod fortassis statuam pro more habuit comitem: Multas enim bases in illis regionibus disjectas audio, interdum etiam cum nominum dignitatumque sculptura: Faxint Superi, ut ad illustris illius Medici gloriam artisque meæ dignitatem, tum Smyrnense decretum, tum ARTORII statua, tum alia ejusmodi monumenta nobis tandem innotescant. Diligentiæ non parcam, quam spe numquam intermoritura fovere animus est.

ΕΤΗΜΗΣΑΝ. Tum ob dignitatem tum ob meritum fortassis & acceptum beneficium, *honoravit* M. ARTORIUM S. P. Q. Smyrnensis, Τιμάω quippe idem Græcis erat quam Latinis *habeo in pretio*, *honoro*, *magnifacio*. Illud tamen Τιμᾶν apud Hebraici sermonis peritos, non tantum honorem sed & subsidium indicat: Quo sensu Commentatores Evangelii Matthæi *c.* 15. Τίμα τὸν πατέρα καὶ τὴν μητέρα, *Honora patrem & matrem* præceptum censent, parentibus liberos præter cultum succurrere debere: Sic Τιμὴ a Τίειν deduci videtur, quod *persolvere* significat, allusione facta ad parentum impensas laboresque. Cultum hoc monumento ARTORIUM Medicum intelligere possumus, ἐκ τȣ̃ τιμᾶν apud Plutarchum significatione, τὴν Ἀθηνᾶν ἄγȣσιν ἐν τιμῇ, quo nihil aliud quam *Minervam coli* percipimus.

Memorat Reinesius, *p.* 508. columnam marmoream Sardibus repertam, qua Senatus Populusque Sardianus Ti. Claudium Quirina, tresque ejus filios honoraverat.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΚΑΙ Η ΓΕΡΟΥΣΙΑ
ΕΤΙΜΗΣΑΝ
ΤΙΒΕΡΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ
ΤΙΒΕΡΙΟΥ ΥΙΟΝ ΚΥΡΙΝΑ κ. τ. λ.

Concilium & Populus
Et Senatus
Honoraverunt
Tiberium Claudium
Tiberii filium Quirina, &c.

Quidni hic Quirina prænomen Tiberii acceperit a suo patrono, ut solebant Græci adulatores? ac deinde ob CIVITATES ASIÆ RESTITUTAS Imperat. Tiberii nummum ornantes, Sardiani ad Tmolum montem tum Imperatori Tiberio, tum Tiberio Quirina qui suæ civitatis patriæ restitutionem fortassis procuraverat, grata Respublica hoc decretum fecerit? Rectius conjiciant peritiores.

Alteram ejusdem forte Tib. Claudii Quirina inscriptionem vulgaverat Gruterus, *pag.* 581. 9. quam quod artem medicam illustret, hic referre non intermittam. Romæ in hortis S. Pauli ad viam Ostiensem in ara marmorea elegantissima.

ΤΙΒΕΡΙΩΙ ΚΛΑΥΔΙΩΙ
ΚΟΥΙΡΕΙΝΑΙ
ΜΙΝΕΚΡΑΤΕΙ ΙΑΤΡΟΙ
ΚΑΙΣΑΡΩΝ ΚΑΙ ΙΔΙΑΣ
ΛΟΓΙΚΗΣ ΕΝ ΑΡΓΟΥΣ
ΙΑΤΡΙΚΗΣ ΚΤΙΣΤΗΙ ΕΝ
ΒΙΒΛΙΟΙΣ [illegible] ΔΙΩΝ
ΕΤΕΙΜΗΘΗ ΥΠΟ ΤΩΝ ΕΝ
ΛΟΓΙΜΩΝ ΠΟΛΕΩΝ ΨΗΦΙΣ
ΜΑΣΙΝ ΕΝ ΤΕΛΕΣΙ ΟΙ ΓΝΩΡΙΜΟΙ
ΤΩΙΕΑΥΤΟΝ ΑΙΡΕΣΙΑΡΧΗΙ ΤΟ ΗΡΩΟΝ

Tiberio Claudio
Quirina
Menecrati medico
Cæsarum & propriæ
Logicæ & Argis
Medicinæ conditori in
Libris 156. *Dion*
Honoravit ob
Insignium urbium
Familiares senatus consulto
Suæ sectæ autori
Hoc monumentum fecerunt.

Præclaram inscriptionem retulit Reinesius *p.* 499. scilicet Psephisma Senatus Populique Delii, quo Clinodemo Labori F. publico scilicet Deliorum hospiti, & de eorum templo optime merito, honores decernebantur. ΕΔΟΞΕΝ ΤΗΙ ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΤΩΙ ΔΗΜΩΙ κ. τ. λ. *Placuit Concilio & Populo &c.* Et egregiam alteram in qua ob merita, honores cum locis, prærogativa in certaminibus, Mendicæo Dioclis F. Cyrenæo, & posteris ejus tribuuntur.

Superba est & inscriptioni nostræ maxime affinis quæ Sardibus reperta a Reinesio vulgata est, *p.* 334. & a Sponio nostro obser. *Itin. tom.* 3. *p.* 146.

ΑΥΤΟΚΑΤΟΡΑ ΚΑΙΣΑΡΑ
ΘΕΟΥ ΑΔΡΙΑΝΟΥ ΥΙΟΝ
ΘΕΟΥ ΤΡΑΙΑΝΟΥ ΥΙΟΝΟΝ
Τ. ΑΙΛΙΟΝ ΑΔΡΙΑΝΟΝ
ΑΝΤΟΝΙΝΟΝ ΕΥΣΕΒΗΝ ΣΕΒΑΣΤΟΝ
ΔΗΜΑΡΧΙΚΗΣ ΕΞΟΥΣΙΑΣ Β.
ΥΠΑΤΟΝ ΤΡΙΤΟΝ ΠΑΤΕΡΑ ΠΑΤΡΙΔΟΣ
Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΤΩΝ ΣΑΡΔΙΑΝΩΝ
ΕΤΙΜΗΣΑΝ ΗΡΩΑ
ΕΥΝΟΙΑΣ ΑΥΤΟΥ ΧΑΡΙΝ.

Imperatorem Cæsarem
Divi Hadriani filium
Divi Trajani nepotem,
T. Ælium Hadrianum
Antoninum pium Augustum
Tribuniciæ potestatis II.
Consulem III. patrem patriæ
Senatus populusque
Sardianorum
Honoravit Heroem
Benevolentiæ ejus causa

Egregias sequentes inscriptiones ΕΤΙΜΗΣΑΝ celebrantes hoc loco transcribi dignas censuimus. Mytilenis ad marmoream basim.

a ΑΓΑΘΗΙ ΤΥΧΗΙ
Α ΒΟΛΛΑ ΚΑΙ Ο ΔΑΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΑΣΣΕΝ ΑΥΡ.
ΑΡΤΕΜΙΔΟΡΟΝ Β. ΤΟΝ
ΤΩ ΥΜΕΝΑΙΩ ΒΟΛΛΕΥΤΑΝ
ΑΓΩΝΟΘΕΤΗΣΑΝΤΑ
ΚΑΙ ΠΑΝΗΓΥΡΙΑΧΙΣΑΝΤΑ
ΕΝΔΟΞΩΣ ΚΑΙ ΦΙΛΟΤΕΙΜΟΣ

Bonum factum
Concilium & Populus
Honoravit Aurel.
Artemidorum II.
Hymenæi Senatorem
Panegyricum ſolemnium
Principatum exercentem
Glorioſe & honorificentiſſime

Nollem ex varia ſcribendi formula quidquam majeſtati epigrammatum detrahi, cum aliquando quadratarii, aliquando inſcriptores peccaverint. Lectoris benignitas iis facile occurret.

A dorice pro Η · ΒΟΛΛΑ pro ΒΟΥΛΗ · ΔΑΜΟΣ pro ΔΗΜΟΣ. ΕΤΗΜΑΣΕΝ pro ΕΤΙΜΗΣΑΝ, vel ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
b ΣΕΒΑΣΤΗΝΩΝ ΤΕΚΤΟΣΑΓΩΝ
ΕΤΙΜΗΣΕΝ Μ.
ΚΟΚΚΗΟΝ ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΝ
ΤΩΝ ΕΑΥΤΩΝ ΠΟΛΙΤΗΝ
ΑΝΔΡΑ ΣΕΜΝΟΝ ΚΑΙ
ΤΗ ΤΩΝ ΗΘΩΝ ΚΟΣΜΙΟΤΗΤΙ
ΔΟΚΙΜΩΤΑΤΩΝ.

Senatus & Populus
Sebaſtenorum Tectoſorgum
Honoravit Marcum
Cocceum Alexandrum
Suum civem
Virum pium
Et morum honeſtate
Spectatiſſimum.

c Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΠΡΑΞΙΚΛΗΝ ΝΕΟΜΗΔΟΥΣ
ΗΤΙΜΗΣΕΝΤΟ ΕΒΔΟΜΟΝ
ΧΡΥΣΩΙ ΣΤΕΦΑΝΩΙ ΑΡΙΣΤΕΩΙ
ΚΑΙ ΕΙΚΟΝΙ ΧΑΛΚΗΙ
ΚΑΙ ΠΡΟΕΔΡΙΩ ΕΝ ΤΟΙΣ ΑΓΩΣΙΝ
ΚΑΙ ΣΙΤΗΣΕΙ ΕΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΩΙ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ
ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΗΝ
ΠΑΤΡΙΔΑ
ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΗΙ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΘΕΟΥΣ ΕΥΣΕΒΙΑΙ
ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΩΙ ΚΑΤΑ ΠΑΝΤΑ ΤΡΟΠΟΝ
ΑΡΙΣΤΑ ΠΕΠΟΛΙΤΕΥΣΘΑΙ

Senatus & Populus
Praxiclem Neomedis filium
Honoravit ſeptimum
Aurea corona pro præmio
Et effigie ænea
Et prima ſede in certaminibus
Et jure epulandi in Prytanæo
Ob virtutem & benevolentiam
Et beneficia in patriam
Et ob pietatem erga Deos
Et omnium per omnia
Reipublicæ adminiſtrationem

a *Gruter. p.* 1091. 4. b *Gruter. p.* 427. c *Gruter. p.* 4601. 3. *Venet. apud Proc. Conta.*

Marmor ex inſula Paro Venetias allatum ei non multum eſt diſſimile;

a Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΕΤΙΜΗΣΕΝ ΘΡΑΣΩΝΑ ΘΡΑΣΙΞΕΝΟΥ
ΧΡΥΣΩΙ ΣΤΕΦΑΝΩΙ ΕΙΚΟΝΙ ΜΑΡΜΑΡΙΝΗ
ΚΑΙ ΠΡΟΕΔΡΙΑΙ ΕΝ ΤΟΙΣ ΑΓΩΣΙΝ
ΚΑΙ ΣΙΤΗΣΙΝ ΕΝ ΠΡΥΤΑΝΕΙΩΙ
ΑΡΞΑΝΤΑ ΤΗΝ ΤΟΥ ΑΡΧΟΝΤΟΣ ΑΡΧΗΝ
ΚΑΛΩΣ ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΩΣ
ΚΑΙ ΣΥΜΦΕΡΟΝΤΩΣ ΤΗΙ ΠΑΤΡΙΔΙ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ
ΗΣ ΕΧΩΝ ΔΙΑΤΕΛΕΙ
ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ
ΚΑΙ ΕΠΙ ΤΗΙ ΠΡΟΣ ΤΟΥΣ ΘΕΟΥΣ ΕΥΣΕΒΙΑΙ

Senatus & Populus
Honoravit Thraſonem
Thraſixenis filium
Aurea corona
Et effigie marmorea
Et prima ſede in certaminibus
Et jure epulandi in Prytanæo
. . . .
Belle & juſte
Utiliter pro patria
Virtutis & benevolentiæ cauſa
Erga civitatem.
Et propter pietatem in Deos.

Aram commemorat Gruterus *p.* 1095. 5. in qua videtur ſupplenda lacuna honorifico noſtro vocabulo ΕΤΙΜΗΣΕΝ: Illius ideo inſcriptionem hic tranſcribi concedatur.

ΤΗΝ ΕΠΙ ΠΑΣΗ ΑΡΕΤΗ
ΣΩΦΡΟΣΣΥΝΗΤΕ ΚΑΙ ΣΟΦΙΑ
ΔΙΑΠΡΕΠΟΥΣΑΝ ΙΑΛΛΙΑΝ ΒΑΣΙΛΛΑΝ
ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ ΔΗΜΟΣ
ΤΗΣ ΛΑΜΠΡΑΣΙ...ΩΣ ΤΑΥΡΟΜΕΝΙΤΩΝ
ΤΗΝ ΛΑΜΠΡΟΤΑΤΗΝ

Omni virtute
Prudentia & ſapientia
Edoctam Jalliam Baſillam
Senatus & Populus
Lampraſ. . . . Tauromenitarum
Honoravit *clariſſimam.*

Alteram Inſcriptionem vulgaverat amicus olim noſter Sponius, quam Smyrnæ obſervaverat. Tom. 3. pag. 130.

ΝΕΩΚΟΡΟΣ ΣΜΥΡΝΑΙΩΝ ΔΗΜΟΣ
ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ ΜΑΡΚΟΝ ΑΤΤΙΛΙΟΝ
ΒΡΑΔΟΥΑ ΤΟΝ ΑΝΘΥΠΑΤΟΝ
ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΟΣ ΜΑΡΚΟΥ
ΑΥΡΗΛΙΟΥ ΠΕΡΠΕΡΟΥ ΤΟΥ
ΕΠΙ ΤΩΝ ΟΠΛΩΝ ΣΤΡΑΤΗΓΟΥ

Neocorus Smyrnæorum Populus
Honoravit Marcum Attilium
Bradua Proconſulem
Curante Marco
Aurelio Perpero,
Militum Præfecto.

Nolim eſſe longior in tranſcribenda inſcriptione Caii Artorii Auli Julii Quadrati a Senatu Pergameno *honorati* tempore Trajani: Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ ΤΩΝ ΠΡΩΤΩΝ ΝΕΩΚΟΡΩΝ ΠΕΡΓΑΜΗΝΟΝ, ΤΟΝ ΕΥΕΡΓΕΤΗΝ ΕΠΙΜΕΛΗΘΕΝΤΩΝ

a *Gruter. p.* 1159. 11.

ΤΗΣ ΑΝΑΣΤΑΣΕΩΣ ΤΩΝ ΣΤΡΑΤΙΩΤΝ. Eam videre est in *Sponii itiner. t. 3. p.* 142. Sufficiant hæc monumenta varios honores hac voce ΕΤΙΜΗΣΑΝ designantia, & si plurima sint ad manus: Ad cæterorum vocabulorum explicationem progrediamur.

ΗΡΩΑ. *Heroem*. Quid variis temporibus significaverit illa vox, diximus abunde in alio Smyrnensi monumento, cui inscriptus est ΛΟ. ΜΟΥΡΔΙΟΣ ΗΡΑΚΛΑΣ ΕΤΩΝ Κ̄. ΗΡΩΣ: Ut olim solis Deorum filiis tribuebatur honorificus ille titulus, sic postea coquis etiam atque pincernis delatus est, ut videre est apud Homerum, *Odyss.* Σ. Meliori jure potuit competere Medico in summa artis dignitate constituto, summa peritia amplissimaque πολυμαθίᾳ conspicuo. Docet divinus noster Hippocrates *l. de insomniis* sect. 4. *Decernendas esse Diis supplicationes ad res quidem prosperas, Soli, Jovi cœlesti, Jovi Ctesio, Minervæ Ctesiæ, Mercurio & Apollini. Ad adversas vero, Diis averruncatoribus, & Terræ, & HEROIBUS*, καὶ ΗΡΩΣΙΝ *ut gravia omnia avertant, & averruncent*.

Præter Heroici honoris amplitudinem, indicat hoc ARTORII monumentum, ipsum jam fato functum fuisse, juxta legem *Letho datos divos habeto*. Vide Cicer. l. 2. de leg. *Quoniam*, inquit Plutarchus, in Solone, *pium est defunctos existimari sacros*. ARTORIUS eodem forte modo HEROS nuncupatus est, quo Marathonii qui in pugna occubuissent, sic enim Pausanias *l.* 1. Σέβονται δὲ οἱ Μαραθώνιοι τούτους τε οἳ παρὰ τὴν μάχην ἀπέθανον. ARTORIUM Imperatori suo servientem misere naufragio periisse supra commemoravimus p. 439.

Alterum ut HEROEM legimus honoratum fuisse a Lyttiorum civitate, scilicet etiam defunctum:

ΛΥΤΤΙΩΝ Η ΠΟΛΙΣ
Τ. Φ. ΛΕΟΝΤΙΟΥ ΥΙΟΝ ΚΥΡΕΙΝΑ
ΑΚΕΣΤΙΜΟΝ ΠΡΩΤΟΚΟΣΜΟΝ Β̄.
ΑΓΟΡΑΝΟΜΟΝ Β̄ ΞΥΣΤΑΡΧΗΝ
ΕΡΟΥ ΑΓΩΝΟΣ ΠΕΝΤΑΕΤΗΡΙΚΟΝ
ΤΟΥ ΚΟΙΝΟΥ ΤΩΝ ΚΡΗΤΩΝ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΑ ΚΑΙ ΤΗΣ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ
ΑΔΙΑΛΕΙΠΤΟΥ ΜΕΓΑΛΟΨΥΧΙΑΣ
ΗΡΩΑ ΚΑΙ ΚΟΣΜΟΠΟΛΙΝ
Τ. Φ. ΧΑΡΜΑΤΙΩΝ ΤΩΝ
ΕΑΥΤΟΥ ΠΑΤΡΩΝΑ.

Lyttiorum civitas
T. Flavium Leontii filium
E tribu Cyrena Acestimum
Protocosmum iterum
Sacri certaminis quinquennalis
Communis Cretensium
Virtutis ergo & perpetuæ
In civitatem magnanimitatis
HEROEM & Cosmopolitam
T. Flavium Charmationem
Suum patronum.

Eodem animo Decretum Senatus Thyatiræ ΗΡΩΑ *HEROEM* suum civem honorat quod in superioribus adduximus p. 435. Atque etiam Sardianorum decretum supra relatum p. 454. in quo tres Heroes, medici, ut opinor, filii, a sua civitate honorantur.

Ad majorem hujus epitheti intelligentiam maxime faciunt Luciani verba, *in macrobiis*, Heroicos honores ob collatum beneficium commemorantis, & eo spectabiliora quo ad D. Augusti & M. ARTORII tempora referuntur: Ἀθηνόδωρος Σάνδωνος Ταρσεὺς, Στωϊκὸς καὶ τ. λ. Hoc est, *Athenodorus Sandonis, Tarsensis Stoicus, qui fuit Præceptor Cæsaris Augusti Dei, cujus precibus Tarsi civitas vectigalibus levata est, duos & octoginta annos, agens mortuus est in patria: Huic Tarsensis populus quotannis solemnes honores ut HEROI persolvit*. In Smyrnensi inscriptione a Reinesio relata *p.* 694. legitur ΘΕΟΙΣ ΗΡΩΣΙΝ pro DEIS MANIBUS seu Inferis: Frequentius vero ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ.

ΠΟΛΥΜΑΘΙΑΣ: Hac voce utitur Plato, *l. de leg.* ad indicandam plurimarum rerum notitiam, multijugam rerum variarum eruditionem & disciplinam: Sic hodie sonat quæ summam unius rei peritiam designabat. Apud Isocratem, ἐὰν ἦ φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής. Ut nullus in studiis valde proficere videatur, nisi eorum amore & propensione ducatur. Mirari satis non possum hominum quorundam malitiam, πολυμαθίαν in vitium vertentium, quasi minus ille præcipuis suis studiis intentus esset, qui eadem alienis ornaret. Miseriam hanc in Italia sola expertum me profiteor, antiquo Musarum omnium receptaculo. Remittantur ad marmor nostrum, ut olim scelesti ad lapides, qui πολυμαθίαν vituperio quam laude digniorem censent. Conjectura est M. ARTORIUM non solum medicæ artis, sed & diversarum disciplinarum quas inter peregrinandum collexerat, peritia, Augusto placuisse & suorum popularium gratiam atque honores meruisse.

Inscriptionem vulgavit Th. Reinesius *p.* 458. utcumque nostræ convenientem.

Η ΠΟΛΗΣ Η ΤΑΙΝΑΡΙΩΝ
ΤΙΒΕΡΙΟΝ ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΧΑΡΙΤΩΝΑ
ΤΟΝ ΑΡΙΣΤΟΝ ΠΟΛΕΙΤΗΝ
ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣΤΕ ΚΑΙ ΠΕΡΙ ΤΗΝ
ΑΓΟΡΑΝΟΜΙΑΝ ΑΝΥΠΕΡΒΛΗΤΟΥ
ΦΙΛΟΤΙΜΙΑΣ ΕΝΕΚΕΝ
ΨΗφίσματι Βουλῆς.

Respublica Tanariensium
Tiberium Claudium Charitonem
Optimum amicum
Ob sapientiam & incredibilem in
Gesto ædilatu
Magnificentiam
Decreto Consilii.

Alteram observavimus apud eundem *p.* 358. ΕΥΣΕΒΙΑΣ ΕΝΕΚΑ ΔΟΓΜΑΤΙ ΣΥΓΚΛΗΤΟΥ. *Pietatis causa, decreto Senatus*: Et apud Gruter. *pag.* 1126. ΦΙΛΟΚΑΓΑΤΙΑΣ ΧΑΡΙΝ *ob probitatem*: Et *p.* 1156. ΜΝΗΜΗΣ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΙΑΣ ΧΑΡΙΝ *memoriæ & pietatis causa*. Alteram etiam inter marmora Oxoniensia *p.* 150. *Ob virtutem & probitatem, & erga suos benevolentiam.* ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΚΑΛΟΚΑΓΑΘΙΑΣ ΚΑΙ ΤΗΣ ΕΙΣ ΕΑΥΤΟΥΣ ΕΥΝΟΙΑΣ. *Et p.* 270. *Ob virtutem & justitiam* ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ. ΚΑΙ ΔΙΚΑΙΟΣΥΝΗΣ. Legitur etiam apud Sponium *t.* 3. *p.* 181. ΕΥΧΑΡΙΣΤΙΑΣ ΕΝΕΚΑ *ob gratum animi monumentum*. Et apud Meursium ΕΥΝΟΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΕΝΕΚΑ, *ob benevolentiam & beneficentiam*. Et p. 291. *Placuit Populo &c. honorare Mendicæum Dioclis filium, Cyrenæum ob virtutem & pietatem erga templum, & benevolentiam erga populum Deliacum*. ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟ ΙΕΡΟΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ ΤΗΣ ΕΙΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΩΝ ΔΗΛΙΩΝ. Non possum mihi temperare quin ex Marmoribus Oxoniensibus transcribam ἐπίγραφὼ fere similem, & superbissimam, *p.* 276. hoc nostrum marmor illustrantem.

Ο ΔΗΜΟΣ Ο ΔΗΛΙΩΝ ΒΑΣΙΛΙΣΣΑΝ
ΛΑΟΔΙΚΗΝ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΣΕΛΕΥΚΟΥ
ΓΥΝΑΙΚΑ ΔΕ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΕΡΣΕΩΣ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΕΙΑΣ
ΤΗΣ ΠΕΡΙ ΤΟ ΙΕΡΟΝ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑΣ
ΠΡΟΣ ΤΟΝ ΔΗΜΟΝ ΤΩΝ ΔΗΛΙΩΝ.

Populus Deliacus Reginæ
Laodicæ Regis Seleuci filiæ
Uxori vero Regis Persei
Ob virtutem & pietatem
Erga templum & benevolentiam
Erga populum Deliacum.

Alibi etiam legitur ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΑ ΚΑΙ ΣΩΦΡΟΣΥΝΗΣ *ob virtutem & prudentiam*. Philomathiæ marmoris nostri congruit honorata Philologia, in hac Ephesina inscriptione a doctifs. Sponio observata & vulgata, itin. *t. 3. p. 132.*

Η ΒΟΥΛΗ ΕΤΕΙΜΗΣΕΝ
ΠΟΠΛΙΟΝ ΑΙΛΙΟΝ
ΦΛΑΒΙΑΝΟΝ ΑΠΟΛΛΟΔΩΡΟΝ
ΑΣΠΕΝΔΙΟΝ ΦΙΛΟΛΟΓΟΝ κ. τ. λ.

Senatus honoravit
Publium Ælium
Flavianum Apollodorum
Aspendium Philologum
hoc est *litterarum amatorem*

a ΘΕΟΜΝΗΣΤΕΑΝΟΝ
ΕΥΝΟΥ ΑΝΙΤΑ ΘΕ
ΟΜΝΗΣΤΟΥ ΤΟΝ
ΙΔΙΟΝ ΥΙΟΝ ΦΙΛΟΤΕ
ΧΝΙΑΣ ΧΑΡΙΝ ΚΑΤΑ
ΤΟ ΨΗΦΙΣΜΑ ΤΗΣ
ΛΙΤΤΙΩΝ ΠΟΛΕΩΣ

Theomnestianum
. . . .
Theomnesti proprium
Filium ob amorem
Artium, juxta
Decretum
Littiorum civitatis

Megaræ vidit Sponius, Itiner... 3. *p.* 221.

Η ΒΟΥΛΗ ΚΑΙ Ο ΔΗΜΟΣ
ΤΙΒ. ΚΛΑΥΔΙΟΝ ΑΤΤΙΚΟΝ ΥΠΑΤΟΝ
ΕΠΙ ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΝΟΙΑ
ΤΗ ΠΡΟΣ ΤΗΝ ΠΟΛΙΝ

Senatus & Populus
Tib. Claudium Atticum Consulem
Ob beneficientiam & benevolentiam
Erga civitatem.

Consul autem fuit ille Ti. Claudius Atticus anno v. c. 896. Antoninorum temporibus.

ΧΑΡΙΝ *Gratia, causa*, frequenter legitur ἕνεκεν & ἕνεκα ut apud Platonem, *de Legibus*: Et in inscriptione Reinesiana *p.* 756. ΑΜΗΜΟΣΥΝΤΣ ΕΝΕΚΕΝ, & in Itin. Sponii t. 3. p. 85.

ΙΟΥΛΙΑΝ ΘΕΟΔΩΡΑΝ
ΑΡΕΤΗΣ ΕΝΕΚΕΝ
ΘΕΟΙΣ.

Statua Juliæ Theodoræ
Propter virtutes ejus
Diis dicata est.

a *Gruter.* 1127. 6.

A Eadem porro significatione ΧΑΡΙΝ passim usurpatur, ut in hac egregia Dei Lampsaceni inscriptione apud Gruter. *p.* 95.

ΙΘΥΦΑΛΛΩΙ ΚΟΡΥΝΗΦΟΡΩΙ
ΚΗΠΟΦΥΛΑΚΙ ΚΛΕΠΤΟΜΑΣΤΙΓΙ
ΕΥΕΡΓΕΣΙΑΣ ΚΑΙ ΕΥΔΟΚΙΑΣ ΧΑΡΙΝ
ΛΑΜΨΑΚΙΝΩΝ ΚΟΙΝΩΝΙΑ.

Ityphallo, clavam portanti
Hortorum custodi, occulte verberanti,
Beneficentiæ & affectus causa
Lampsacenorum communitas.

B Æliæ Victorianæ inscriptionem refert Reinesius *p.* 623. alteramque *p.* 812. in quibus ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ *memoriæ causa*. Et aliam Stabiis repertam cum iisdem vocabulis.

ΜΥΡΙΝΟΣ ΚΑΙ ΥΓΙΕΙΑ
ΘΕΟΤΙΜΩΙ ΤΩΙ ΥΙΩΙ
ΕΤΩΝ ΙΓ.
ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ.

Myrinus & Hygiæa
Theotimo filio
C *Annorum* 13.
Memoriæ causa.

Spectabilis ea est relata *p.* 708. quæ Romæ visitur ΧΑΡΙΝ ΑΙΩΝΙΟΥ ΜΝΗΜΗΣ, *memoriæ æternæ causa*. Ita docuit Cicero, *Virorum fortium memoriam honore Deorum immortalium consecratam*: ut in nummis Claudii Gothici, Maximiani, Constantii, Chlori, Romuli, Licinium filium videre est MEMORIÆ ÆTERNÆ. Legitur etiam altera Romæ apud eumdem p. 730. ΜΝΗΑΣ ΧΑΡΙΝ, *recordationis causa*, quamvis rectius ΜΝΕΙΑΣ,
D ut *p.* 792. ΜΝΕΙΑΣ ΧΑΡΙΝ. Et apud Spon. *t.* 3. *p.* 107.

ΑΥΡΗΛΙΣ ΕΛΠΙΔΗΦΟΡΟΣ
ΑΥΡΗΛΙΑ ΧΡΥΣΟΓΟΝΗ ΘΥΓΑΤΡΙ
ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ.

Aurelis Elpidiphoros
Aureliæ Chrysogones filiæ
Memoriæ causa &c.

Apud Gruter. p. 126. 13. ΣΥΝΦΕΡΟΥΣΑ ΝΕΙΚΑΝΟΡΙ ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ. Atque iterum apud eumdem *p.* 1142. 6.

E ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΙΣ
ΨΥΧΗ ΑΓΑΘΗ
ΔΙΟΔΩΡΟΣ ΑΝΗΡ
ΚΑΙ ΑΝΤΙΓΕΝΙΔΑΣ
ΥΙΟΣ ΜΝΗΜΗΣ ΧΑΡΙΝ ΑΙΩΝΑΣ
ΙΟΥΛΙΑ ΕΚΛΕΚΤΗ
ΕΠΟΙΗΣΑΝ
ΕΖΗΣΕΝ ΕΤΗ ΔΓ.

Dis manibus
Anima bona
Diodorus Vir
Et Antegenidas
F *Filius, memoriæ æternæ causa*
Julia Eclecte
Fecit
Vixit annis XLII.

ΘΕΟΙΣ ΚΑΤΑΧΘΟΝΙΟΣ
ΙΟΥΛ. ΑΚΜΗΙ ΣΥΝΔΟΥΛΗΙ
ΑΚΤΙΟΣ ΤΡΟΦΙΜΟΣ
ΜΝΗΜΗΣ ΚΑΙ ΕΥΣΕΒΙΑΣ
ΧΑΡΙΝ ΑΝΕΘΗΚΕΝ.

Dis manibus
Jul. Acmæ Conservæ
Actius Trophimus
Memoriæ & pietatis
Causa Posuit.

At satis exemplorum hæc vocabula illustrantium & fortassis, quam par erat, nimis: Frequens facit scribentis vitium, argumentorum multitudo. Sucurrat mihi velim postulata benevoli Lectoris indulgentia, si ejusmodi Commentariis delectetur. Illa enim impetrata, severam studiorum medicorum acerbitatem, suavioribus Musis contemperare decrevi: Exclament Zoili, mentesque male feriatæ, ut hominem inter stercus & urinam conceptum clamitantes, sic Medicum de febre, putredine, cœterisque miseriis, assiduo cogitare debere. Valeant isti homunciones. Vivamus nos & vivat M. ARTORII memoria.

F I N I S.

INDEX
AUCTORUM, RERUM, ET VERBORUM.

I N D E X

I N D E X

C

D

INDEX

Diony-

INDEX

F

G

I N D E X

K

L

INDEX

Monu-

INDEX

P

I N D E X

I N D E X

INDEX

FINIS.

ERRATA.

Pag. 19. D. lin. 41. eujus. *lege* ejus. pag. 196. B. lin. 15. *dele alterum* apud. pag. 197. C. lin. 28. defcribit. *lege* describit. pag. 271. E. lin. 58. Ilvir. *lege* IIvir. pag. 298. A. lin. 3. putari. *lege* putavi. pag. 337. E. lin. 54. linqua. *lege* lingua. pag. 338. E. lin. 62. Abba. *lege* Abbas. pag. 406. A. lin. 12. Osiridis, qui cum ea. *lege* Osiris. Habebatur filius Isidis, & Osiridis, qui cum ea. *In fine Epistolæ Salmasii*, lin. 20. Hochabe, *lege* Hoc habe. pag. 865. C. lin. 24. Ο Μεθατος *lege* Ο Μεθαπος.

Series Tabularum.